BEATI ALBERTI MAGNI,

RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM,

COMMENTARII { *in Matthæum.* / *in Marcum.*

Recogniti per R. A. P. F. PETRVM IAMMY, sacræ Theologiæ Doctorem, Conuentus Gratianopolitani, eiusdem Ordinis,

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT.

Operum Tomus Nonus.

LVGDVNI,

Sumptibus { CLAVDII PROST. / PETRI & CLAVDII RIGAVD, Frat. / HIERONYMI DELAGARDE. / IOAN. ANT. HVGVETAN. } *Via Mercatoria.*

M. DC. LI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

necessaires sans demander autre permission. CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le neufiéme iour de Nouembre, l'an de grace mil six cens quarante quatre, & de nostre Regne le second.

Signé par le Roy en son Conseil.

CONRART.

Ledit Huguetan a associé au susdit Priuilege Claude Prost, Pierre & Claude Rigaud Freres, & Hierosme de la Garde, pour en iouyr auec luy durant le temps porté par iceluy, conformément à leur Escrit du 7. Feurier 1645.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 26. Ianvier 1651.

D. ALBERTI MAGNI, RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS Prædicatorum,

IN EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM LVCVLENTA EXPOSITIO.

PROLOGVS.

SVME tibi librum grandem & scribe in eo stylo hominis. Isa. 8. *Sume à me factum, & à me apertum.* Ezech. 2. *Ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illum coram me.* Dan. 7. *Libri aperti sunt.* Apocal. 2. *Vidi in dextra sedentis librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.* Et infra: *Dignus es Domine Deus accipere librum, & soluere signacula eius, &c. Ideo sumptio, motus est ad sumentem à porrigente alio. Non ergo intellectu tuo penetra: sed in captiuitatem redige omnem intellectum in obsequium Christi* 2. Corinth. 10. *vt dicas: Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis.* Matth. 10. *Non vos estis qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, &c.* Iob 32. *Vt video, Spiritus est in hominibus, & inspiratio Altissimi dat intelligentiam.* 2. Petr. 1. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu-sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Non ergo irrumpe: sed à Spiritu-sancto sume, & à dextra sedentis super thronum: attendens quod perscrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Prouer. 25. Ioan. 14. *Paracletus Spiritus veritatis, quem mittet Pater in nomine meo: ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Nec sume alij, vt ad alium referas librum: sed* [Sume tibi] *incorporandum, quatenus quod adficet te primum, & ex te alios.* Ezech. 2. *Comede quæcumque dedero tibi.* Et Ezech. 3. *Cibauit me volumine.* Ierem. 15. *Inuenti sunt sermones tui, & comedi eos.* Deuter. 8. *Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo, &c.* Apocal. 10. *Accepi librum de manu Angeli, & de-*

uorani

uoraui illum : & factum est in ore meo tamquam mel dulcis : & cum deuorassem eum amaricatus est venter meus, hoc est, cordis affectus propter peccati indignationem.

Librum Matthæum qui est, *liber generationis* IESV CHRISTI. Nehe. 8. *Aures omnis populi intentæ erant ad librum* [grandem] *grandia continentem.* Zacha. 5. *Vidi volumen volans : longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.* Longitudo ab imo superius : quia inferius & superius sunt principia longitudinis, *vt dicit* Aristo. 2. de cælo. *Ima sunt assumptio generationis hominis & forma serui.* Phil. 2. *Exinaniuit semetipsum : formam serui accipiens, &c. Summa autem sunt confessus ad dexteram Patris. Continetur autem hic generatio duplex : materialis ex genealogia, & formalis ex opere Spiritus sancti & conceptu Virginis. Manifestatio duplex subiungitur : vna facta Regibus, & alia per testimonium* Ioannis : *deinde Baptismus subditur, & postea tentatio : deinde prædicatio, cui subiungitur Discipulorum vocatio : & postea sermo in monte, qui totus est de impletione legis per Euangelicam perfectionem : cui annectuntur in fine effectus quos sermo habet in obseruantibus eundem, qui sunt decem. Sequitur autem hic omnium horum per miracula confirmatio, Apostolorum electio, & eorundem instructio : cui subiungitur potestas clauium, & præsignatio futuræ beatitudinis per transfigurationem : & postea ostenditur modus perueniendi ad illam per humilitatem, & libertatem, & per patientiam remissionis in nos peccantibus ; & castitatem, & obedientiam, & alias virtutes, quæ omnia computantur pro vno : & hæc omnia sequitur instructio de futuro iudicio tam ex parte iudicis quam ex parte iudicandorum, & excidij mundi quod ante iudicium futurum est : cui subiungitur sacramentum redemptionis per Passionem : deinde Resurrectionis cum apparitionibus factis : & tandem vigesimum, quod longitudinem libri complet, confessus ad dexteram Dei Patris. Latitudo autem decem cubitorum : quia per latitudinem totam docentur in eo bona in genere, & bona gratiæ : bona virtutis, præcepti, consilij, supererogationis : variata litera siue historia, tropologia, allegoria, & anagogia.* Baruch. 4. *Sicut fuerunt sensus vestri auersi, vt pronocaretis Deum : decies tantum conuertentes requiretis eum.* Isa. 34. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite : vnum ex omnibus non defuit, alter alterum non quæsiuit.*

Et scribe in eo] *Contra*, Iob 31. *Librum scribat ipse qui iudicat. Responsio.* Ioan. 5. *De me ille scribit. Deus enim scribit in corde.* Ierem. 31. *In corde eorum scribam eam.* Matthæus *& alij in charta.* Psalm. 44. *Lingua mea, &c. Vnde primas tabulas Deus, secundas autem homo scribit.* Apoc. 1. *Quod vides, scribe in libro* [stylo hominis] *quia faciem humanitatis.* Baruch 3. *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Phil. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Hebr. 2. *Debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret. Vel* [stylo hominis] *hoc est, ad intellectum hominis vt facile intelligat homo.* Isa. 8. *Liga testimonium, signa legem in Discipulis meis.* Habac. 2. *Scribe visum & exara eum super tabulas, vt percurrat qui legerit.* Nehe. 8. *Esdras sacerdos legit in libro distincte & aperte in platea, quæ erat ante portam aquarum, à mane vsque ad medium diem in conspectu virorum ac mulierum & sapientum.* 1. Cor. 2. *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.*

ARGV

ARGVMENTI
S. HIERONYMI,
IN EVANGELIVM
SECVNDVM MATTHÆVM,
EXPLANATIO.

MATTHÆVS ex Iudæa sicut in ordine primus ponitur, ita Euangelium in Iudæa primus scripsit : cuius vocatio ad Deum ex publicanis actibus fuit.

Primo tangit Scriptoris ad scribendum idoneitatem, secundo materiam & [illegible] scripti, tertio finem. [illegible]

[illegible]

Tertio tangit ordinem ex loco : ex quo enim salus est ex Iudæis, rationabiliter in Iudæa scribitur primo Euangelium salutis. *Psalm.* 113. Facta est est Iudæa sanctificatio eius. Si enim contradici debuit, vbi res certa fuit, debuit aut reprobari, aut confirmari. *Act.* 4. Hominem videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Ideo hoc ordine [illegible] loquens Apostolis *Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria & vsque ad vltimum terræ. Primum ergo in Iudæa : & ideo dicit [in Iudæa Euangelium primus scripsit] *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.

Quarto secundum ordinem sententiæ (licet etiam sit secundum ordinem literæ) tangit ordinem Euangelistæ, cum dicit [sicut in ordine primus ponitur]. Ratio huius est : quia aliæ facies [illegible] faciei hominis (quæ est *Matthæi*) [illegible] : & ita quasi subiecta ad alias [illegible] *Ezechiel.* 1. Facies hominis in eis. [illegible]

[illegible]

D. Alberti Magni in Euang. D. Matth.

[illegible] aliquid

aliquid attendisse, qui leonem in *Matthæo*, hominem in *Marco*, vitulum in *Luca*, aquilam in *Ioanne* intellexerunt. Respondeo. *Augustinus* non loquitur quoad faciem secundum substantiam; sed quoad proprietatem tribus regalis, per quam descendit: sicut dicitur *Apocalypsi* 5. Leo de tribu Iuda. Omnes autem alij sancti de substantia faciei loquuntur, quam conuertit ad homines anterius: quæ est hominis nati ex hominibus, & humana inter homines exhibens & patiens: quilibet enim Euangelistarum faciem sibi proprian conuertit ad homines in principio suæ scripturæ, sed hominis facies anterius conuertitur. *Ezech.* 10. Intuitus eorum, & impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

Quinto tangit ex gratia congruentiam scripturæ. Cuius vocatio *infra* 9. *Luc.* 5. & *Marc.* 2. Quæstibus enim inhians terrenis nescit intelligere cælestia sacramenta, quæ conuersus intelligit per gratiam: 1. *Corinth.* 3. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: stultitia enim est illi. Et sequitur. Spiritualis autem iudicat omnia, &c. *Baruch* 3. Filij agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores terræ, & Theman, & fabulatores, & exquisitores intelligentiæ: viam autem sapientiæ nescierunt, neque commemorati sunt semitas eius. Agar aduena interpretatur, & significat extraneos in Dei secretis, licet sint sapientes in mundanis. *Galat.* 1. Cum placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, vt revelaret Filium suum in me, vt euangelizarem illum in Gentibus: continuo non acquieui carni & sanguini. *Phil.* 3. Quæ mihi fuerant lucra, hæc arbitratus sum vt stercora: vt Christum lucrifacerem. Publicanus dicitur à publico: quia illi qui publicis tributis, vectigalibus scilicet præerant, dicebantur publicani. Non autem à Publio dicitur, vt quidam male dicunt, quia ante Publium multi publicani dicebantur: & ideo *infra cap.* 9. in telonio sedere dicitur. Telos autem Græce, Latine sonat vectigal quòd publicè & his qui publica gerebant officia, soluebatur in stipendia pro Republica manutenenda. Licet autem hæc vtiliter soluantur pro pace communi: propter quod dicitur *Rom.* 13. Cui vectigal, vectigal: & cui tributum, tributum: tamen qui his præponuntur, plerumque per angarias & rapinas faciunt, & homines concutiunt. *Luc.* 3. Venerunt publicani ad Ioannem vt baptizarentur: & dixerunt ad illum: Magister quid faciemus? At ille dixit ad eos. Nihil amplius quam quòd constitutum est vobis faciatis. Interrogabant autem eum & milites qui & reipublicæ militabant & stipendia accipiebant, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait ad eos: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: sed contenti estote stipendiis vestris.

Duorum in generatione Christi principia præsumens: vnius cuius prima circuncisio in carne: alterius cuius secundum cor electio fuit. Ex vtrisque enim patribus Christus.

Hic tangit circa materiam & circa circunstantias scripti tria: à quibus videlicet inchoat, & qua ratione: quoad naturam enim corpulentæ substantiæ, semota lege concupiscentiæ, inchoat ab Abraham, cuius circuncisio præsignat concupiscentiæ præcisionem in eo quod assumptum est à Christo: quia aliter non prodesset ad medicinam. *Genes.* 17. Masculus, cuius præputij caro circuncisa non fuerit, peribit de populis suis. Et *Ibidem*. Hoc erit signum inter me & semen tuum. Quoad regnum autem quod sanatos & redemptos introduxit inchoat à Dauid. *Col.* 1. Transtulit nos in regnum filij dilectionis suæ: & ideo secundum cor eligitur. 1. *Reg.* 13. & 1. *Reg.* 16. & *Act.* 13. vt per hoc regnum immobile significetur. *Hebr.* 12. Itaque regnum immobile suscipientes gratiam habemus per quam seruiamus. Hæc ostendunt promissiones: quæ enim facta est ad Abraham, est: In semine tuo benedicentur omnes gentes *Genes.* 12. Quod exponit Apostolus *Galat.* 3. Semini tuo quod est Christus: eo quod corpulentam substantiam sine causa maledictionis (quæ lex concupiscentiæ est) assumpsit. Ad Dauid autem *Psalm.* 131. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Luc.* 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius. *Isai.* 9. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, &c. *Isai.* 16. Præparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud, &c. Ad hæc enim duo venit Christus: vt scilicet curaret naturam assumendo & patiendo, & introduceret in regnum resurgendo & ascendendo: & hoc dicit ratio sequens

Sicque quaterdenario numero triformiter posito, principium à credendi fide in electionis tempus porrigens, & ex electione vsque in transmigrationis diem dirigens, atque à transmigrationis die vsque in Christum definiens: decursam aduentus Domini ostendit generationem: vt numero satisfaciens & tempori.

Secundo tangit genealogiæ decursum, dicens [Sicque quaterdenario numero triformiter] hoc est, in tribus formis secundum tres dignitates, quibus regebatur antiquus populus, Patriarcharum, Regum, Pontificum. A Patriarchis natura corpulentæ substantiæ defendit, quæ in Regibus ad regnum permanens exaltata fuit: & à Regibus in captiuitatem deficiens, per Pontifices redempti gubernari sunt. Sicut Christus corpulentam substantiam accepit, quam in regnum permanens exaltauit: & oblatione simul & officio Sacerdotis secundum ordinem Melchisedech populum à captiuitate redemit: & ideo dicit, triformiter: formam Patriarcharum, & Regni, & Pontificatus inuuens. De primo *Hebr.* 2. Nusquam enim Angelos apprehendit: sed semen Abrahæ apprehendit. De secundo *Is.* 33. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster: ipse veniet saluabit nos. De tertio *Hebr.* 9. Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, &c. Et hoc est quod sequitur [principium, &c.] Tertio subiungit

hortum rationem, dicens [& numero] satisfaciens [posito] videlicet in genealogia patrum qui terminatur secundum formam per tessaradecades.

Tessaratum est quadratum, & decas est denum: quia ex 4. digito, & 10. articulo componitur. Et quatuor quidem quadrifidam mortem à qua redempti sumus, significat: transgressiones videlicet legum, naturæ, Moysi, gratiæ, & mortem gehennæ: vel mortem transgressionis præceptorum, experientiæ in paradiso, naturæ in mundo, decalogi, & legis gratiæ: aut mortem culpæ, pœnæ, naturæ, & gehennæ. Aut quia in quatuor plagis mundi dispersi sunt redimendi. Aut quia per quatuor Euangelia instruendi de Redemptore. Aut quia quatuor habitibus informandi hi qui redimuntur: habitu videlicet virtutis, doni sancti Spiritus, beatitudinum quas in hoc libro docet *infra* 5. & fructuum Spiritus quos tangit Apostolus *Gal.* 5. Fructus autem Spiritus sunt charitas, &c. De donis tangit *Isa.* 11. Requiescet super eum Spiritus Domini. De virtutibus tangit *Act.* 1. Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto. De quatuor Euangeliis *Genesis*. Et fons ascendebat de terra, qui hinc & inde diuiditur in quatuor capita. De plagis mundi *Ezech.* 37. A quatuor ventis cæli veni spiritus: & insufflà super interfectos, & reuiuiscant. De quatuor mortibus *Isa.* 28. & *Dan.* 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. In magna amatitudine impugnat culpa vento tentationis; pœna vento fluiditatis, quia per illam reatus est vita nostra: mors naturæ vento exufflationis, tunc enim immittit se contra malum vitæ ventus typhonicus conflingens eam: mors autem gehennæ pugnat vento tempestatis. *Psalm.* 5. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum. Et hæc quatuor de natura sua habet reatus. Spirat enim in aura, flat in aeris commotione, exufflat inuenta, & impugnat obuiantia. Transgressiones legum significantur *Ioel.* 2. Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit ærugo. Eruca in vigore, præceptum disciplinæ sine experientiæ consumptum inobedientia: locusta falcans in vigore naturæ, transgressio legis sine præcepti naturæ: bruchus incidens & omnia denorans, transgressio legis scriptæ: quia occasione accepta peccatum per mandatum operatum est concupiscentiam *Romani.* 7. Ærugo autem quasi æris rubigo, præuaricationem signat legis & præcepti gratiæ: hoc enim comburitur in seipso, sicut dicit *Psalm.* 79. Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. Aut quatuor significat quadrangulos in virtutibus cardinalibus per quas fit congruitas ad redemptionem. Prudentia rationem rectam eligibilium ad vitam habet medium, temperantia medium in passionibus innatis, fortitudo autem in passionibus illatis; iustitia vero in commutandis cum proximo vel distribuendis proximo medium habet æquale damni & lucri. *Sapientia cap. octauo*. Sobrietatem siue temperantiam & prudentiam docet: & iustitiam & virtutem, hoc est, fortitudinem: quibus in vita nihil hominibus est vtilius. Decem autem referuntur ad decalogum præceptorum *Exod.* 20.

Temporis autem satisfacit, distinguendo tempus peregrinationis Patrum terminatum ad patriam, Regum ad captiuitatem, captiuitatis ad redemptionem. De primo *Gen.* 15. Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua. Et sequitur: Generatione quarta reuertentur huc. De secundo *Thren.* 4. Ante faciem nostram Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua viuemus inter Gentes. De tertio *Ezech. cap.* 39. Reducam captiuitatem vestram de cunctis locis.

Et se quid esset ostenderet, & Dei in se opus monstrans, etiam in his quorum genus posuit, Christi operantis à principio testimonium non negaret.

Tertium est in quo tangitur finis: tangitur autem quadruplex finis: finis scilicet, Euangelistæ, finis Euangelij, finis legentium in Euangelio, & finis *Hieronymi* scribentis hunc Prologum. Finis Euangelistæ triplex: primus [vt & se quid esset ostenderet] hoc est, in qua figura Euangelistarum: faciem enim hominis ad nos conuertit. Secundus [& Dei in se opus] quo de publicano fecit Apostolum & Euangelistam *infra* 9. *Romanor.* 5. Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia. *Isa.* 41. Primus ad Sion dicet: Ecce adsum & Ierusalem Euangelistam dabo. *Eph.* 4. Ipse dedit in Ecclesia quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios vero Euangelistas: alios autem pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi, &c. Tertio tangit opus Christi in patribus, cum dicit [etiam in his quorum ge. &c.

In Patribus autem Christus triplex opus perfecit: figuris videlicet salutem præsignando. *Hebr.* 10. Vmbram habens lex futurorum bonorum. 1. *Cor.* 10. Omnia in figura contingebant illis. Medicinam peccati propagando: licet enim per omnes generationes vsque ad Christum exclusive tam lege concupiscentiæ quam corpulentæ substantiæ fieret propagatio, tamen fide & deuotione non intendebant nisi corpulentam substantiam in Christum propagare: & hoc fuit opus Christi. Quecunque enim generatio legem concupiscentiæ sequebatur, reputabatur inutilis: quia corpulentæ substantiæ propagatio fuit de prima institutione humani generis, quæ de cælo in paradiso est instituta: & de hac accepit Christus *Ioan.* 3. Qui de cælo venit, super omnes est. *Glo.* de altitudine humanæ naturæ. Alij legem concupiscentiæ sequentes eiciuntur. *Gen.* 21. Eiice ancillam & filium eius. *Sap.* 4. Multigena impiorum multitudo non erit vtilis: & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, &c. E contra de aliis primam institutionem sequentibus dicitur *Tob.* 13. Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. *Sap.* 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! *Proverb.* 5. Cerua charissima, & gratissimus hinnulus. *Arist.* dicit quod cerua fugiens accipit semen: significans castos fugientes concupiscentiam in seminis propagatio-

ne : vnde Patriarcharum proprium fuit homo dictum. *Tob.* 8. Tu scis quòd non luxuriæ causa accipio sororem meam coniugem : sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum. Tertium opus fecit Christus in Patribus, promissa complendo & iuramenta verificando. *Hebr.* 6. Abrahæ promittens Deus, &c. *Ibidem.* Adhibuit consilij sui iusiurandum vt per duas immmobiles res, quibus impossibile est mentiri Deum, firmissimum habeamus solatium : qui confugimus, &c. *Luc.* 1. Iusiurandum. *Ibidem.* Sicut locutus est ad Abraham patrem nostrum. 2. *Machabeor.* 1. Sicut ad Abraham, Isaac, & Iacob pollicitus est. *Psalm.* 109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, &c.

Quarum rerum omnium tempus, ordo, numerus, dispositio vel ratio, quod fidei necessarium est, Deus Christus est.

Ecce finis Euangelij : & hic tria tangit, quæ scilicet sunt ad finem vnum : & quis est finis : & quæ est intentio vlterior, quam consequitur fine habito. Alius enim est finis operis, & alius est finis intentionis : sicut lignarij fabri finis operis est domus : finis autem intentionis est defensio ab imbribus & caumatibus, qua gaudent hi qui domum inhabitant. Ea quæ sunt ad finem, sunt [rerum omnium] quæ scribuntur in Euangelio [ordo] sacramentorum : quo generatio est ante regenerationis sacramentum: & post victoria contra diabolum : & post vocatio ministrorum : & post illuminatio per doctrinam agendorum & credendorum & appetendorum : & post sanatio ægrorum, & confortatio debilium : & deinde institutio officiorum : & post hæc instructio eorum quæ ad actus officiorum pertinent ; & sic venitur ad redemptionem & glorificationem. 1. *Corinth.* 14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis. *Psalm.* 47. Distribuite gradus eius, vt enarretur. &c. 3. *Reg.* 10. Regina Saba miratur ordines ministrantium. *Iudic.* 5. Stellæ manentes in ordine & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt [numerus] est eorum quæ in ordine ponuntur. *Sapient.* 11. Omnia in numero & mensura & pondere disposuisti. *Psalm.* 146. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, hoc est, micantium sacramentorum [dispositio] refertur ad Sacramentorum in Euangelio contentorum qualitatem : non enim rudia proponit, sed disposita propriis formis & materiis & ritu. *Psalm.* 88. Disposui testamentum electis meis, &c. *Sap.* 7. Sapientia est super omnem dispositionem stellarum. *Sapient.* 8. Accingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter [vel ratio] refertur ad causas : sapientis enim est nihil sine causa facere, quia aliter essent opera vacua. *Sapient.* 13. Vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera. *Iob* 5. Nihil in terra sine causa fit, &c. [quod fidei necessarium est] Hic tangit finem, & dicit duo : tangit enim finem, & adiungit ea per quæ finis ipse consequitur intentionem, quæ est finis vltimus. Finis est [quod fidei necessarium est, Deus Christus est] quia aliter vacua esset fides : quia non saluat nisi fides in Deum. *Luc.* 7. Fides tua te saluam fecit. *Matth.* 15. Magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. *Hebræo.* 11. Fides est substantia rerum sperandarum. Et *ibidem* dicitur, quod omnes testimonio fidei probati inuenti sunt. *Marc.* 9. dicitur : Omnia possibilia sunt credenti. Nec sunt possibilia omnia: nisi credenti omnipotentiam in eo, in quem credit : & hoc non est nisi in Deo. *Lc.* 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Qui factus est ex muliere, factus sub lege, natus ex Virgine, passus in carne, omnia in cruce fixit : vt triumphans ea in semetipso resurgens in corpore, & patris nomen in patribus filio, & filij nomen patri restituens in filiis, sine principio sine fine, ostendens se vnum cum Patre esse, quia vnus est.

Quatuor dicit: primum, materiale principium. *Gal.* 4. [Factus] dicit : quia factio actiue est à principio agente extrinsecus, quod de substantia sua nihil ponit in facto : & sic Spiritus sanctus egit in conceptu Filij Dei : & ideo non est pater eius secundum carnem, sicut dixit *Eluidiu. Ioan.* 1. Verbum caro factum est. *Romano.* 1. Qui factus est ei ex semine Danid secundum carnem [ex muliere] autem dicit : non propter mollitiem, sed propter sexum & materiam [factus sub lege] *Gal.* 4. Ecce secundum. Primum pertinet ad naturam, secundum ad veritatem exhibitam. Et sub lege est sicut veritas sub vmbra præfigurante: impleuit enim legem sicut contentum implet continens vacuum. *Infra* 5. Non veni soluere legem, sed adimplere [natus de Virgine] Ecce tertium quoad modum natiuitatis sine lege concupiscentiæ. *Isa.* 7. Ecce virgo concipiet & pariet filium. Et hic dicit [natus] quia Virgo non fecit, sed de sua substantia genera uit eum. *Luc.* 1. Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Ideo dicitur Filius hominis, non hominum: quia non est natus ex commistione seminum, sed ex sanguine Beatæ Virginis. *Ezech.* 44. Porta hæc, clausa erit : & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam [passus est in carne] Ecce quartum pertinens ad redemptionem. *Infra.* 26. 1. *Corinth.* 15. Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.

Omnia in cruce fixit] Ecce finis intentionis: & dicit quatuor intenta. Primum, quod est peccati destructio per Passionem. *Col.* 2. Cum mortui essetis delictis & præputio vestræ carnis: conuiuificauit cum illo donans vobis omnia delicta : delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis : & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. *Gal.* 2. Vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci. Viuo autem, iam non ego : viuit veto in me Christus. 1. *Pet.* 2. Peccata nostra ipse pertulit in corde suo super lignum, &c. [vt triumphans ea in semetipso] Ecce secundum, quod est triumphi per plenam iustificationem adeptio per Resurrectionem Christi. *Romano.* 6. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. *Col.* 2. Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso [& patris nomen in patribus filio] Attende, quod quia patris semen est operatiuum, & formatiuum : ideo semper natura similé sibi in sexu & aliis dispositionibus generaret, nisi aliquis defectus materiæ impediret, qui plerumque est in materia ex parentibus. Et si Adam in similitudine imaginis Dei in qua factus erat perstitisset incorruptus, semine sano & incorrupto ad similitudinem illam genuisset : sed cum cecidit, ad dissimile primæ imaginis genuit: & ita nomen veri patris amisit, & nomen corruptoris obtinuit. *Eph.* 2. Omnes nascimur filij iræ. *Psalm.* 17. Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis, hoc est, à viis generationis institutæ naturæ. Eadem ratione filij veræ filiationis amiserunt nomen & rationem : & dicti sunt filij alieni, non primi patris. Sed Christus restituens primam similitudinem, restituit nomen patris patribus, & nomen filij filiis : & hoc scribit *Matthæus.* Et ideo hoc totum factum est Filio operante, in nulla parte primo genitori dissimili. *Romano.* 8. Quos præsciuit & prædestinauit cõformes fieri imagini Filij Dei, hos & vocauit. Rationabile autem est hoc, vt per filium verum & naturalem, ad similitudinem primi patris reducantur filij iræ qui per adoptionem sunt [&] primo [patri] filij veri [nomen in filiis] adoptionis [restituatur] *Psal.* 81. Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes. Non enim essent ex filiatione dij vocati, nisi ad Dei Patris similitudinem, in qua institutus fuit protoplastus, essent reducti. *Gal.* 4. Quia estis filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater *Ioan.* 20. Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, &c. Hoc igitur est tertium quod intendit efficere in nobis. Et est similitudo Patris, in qua protoplastus generasset si perstitisset [sine principio] Ecce quartum quod est causa præcedentium. Nullum horum effecisset, nisi ostenderet se vnum esse cum Patre : & [sine principio & sine fine] *Apocalyps.* 1. Ego sum alpha, & ô : principium, & finis. Id enim quod vere principium est, est sine principio: & id quod vere finis est, sine fine est, &c. [vnum esse cum Patre] *Ioan.* 10. Ego & Pater vnum sumus. Hoc autem esse non posset, nisi [vnus] in persona [esset] Dei & hominis Filius. Per hoc enim hominis Filius similis est Patri sicut Dei Filius : & ideo similitudinem filiis gratiæ valet in Spiritu sancto restituere. *Ioan.* 17. Volo Pater vt quos dedisti mihi, sint vnum sicut & nos vnum sumus. Et iterum. Tu in me, & ego in eis: vt sint in vnum consummati. 2. *Ioann.* 3. Charissimi nunc filij Dei sumus : nondum apparuit quod erimus. Scimus autem quoniam cum apparuerit, hoc scilicet, quod erimus ex Dei filiatione, similes ei erimus.

In quo Euangelio vtile est desiderantibus Deum, sic propria vel media vel perfecta cognoscere : vt & vocationem Apostoli, & opus Euangelij, & dilectionem Dei in carne nascentis per vniuersa legentes intelligant: atque id in eo in quo apprehensi sunt & apprehendere appetunt, recognoscant.

Ecce finis legentium & studentium in Euangelio. Dicit autem hic duo, scilicet, qualiter studendum est, & quis fructus studij. Modus autem studij, siue qualiter studendum : quia in desiderio Dei. *Psalm.* 104. Quærite faciem eius semper. *Isa.* 26. Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ meæ [Sic propria vel media] Ecce fructus studij, & est duplex: secundum cognitionem videlicet, & secundum affectionem. Secundum cognitionem duo sunt attendenda : litera videlicet, & literæ intentio. In litera tria sunt cognoscenda : prima videlicet quæ pertinent ad humanitatis assumptionem, media quæ sunt ad vocatorum illuminationem, perfecta quæ pertinent ad illuminatorum redemptionem & glorificationem. In primo Verbum caro factum est : in secundo lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum : in tertio dixit, Consummatum est *Ioann.* 19. *Ioann.* 17. Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem. Vel, prima sunt historialia : media autem allegorica construentia fidei veritatem, & tropologica ædificantia ad virtutem : perfecta autem sunt anagogica ad æternam eleuantia felicitatem. *Prouerb.* 30. Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus. Quatuor enim expositiones Scripturæ minimæ sunt propter humilitatem. Literæ autem intentio est, vt ex scripto cognoscamus quam mirabilis est vocatio Apostoli, qui ex Publicano vocatus est ad thronum maiestatis inter animalia Dei. *Apocalyps.* 4. In circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante & retro. 1. *Reg.* 2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem, vt sedeat, &c. Et ex hac materia cognoscamus [opus Euangelij] in operatione nostræ salutis, in assumptione, verbo, opere, passione, & resurrectione. Et ex causa cognoscamus [dilectionem Dei in carne nascentis] Nihil enim induxit ad hoc nisi dilectio. *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, &c. *Ierem.* 31. In charitate perpetua dilexi te. *Deutero.* 31. Dilexit populos : omnes Sancti in manibus eius sunt [atque id in eo in quo apprehensi sunt] Ecce fructus secundum affectionem [vt recognoscant id in quo apprehensi sunt] Vt in eadem dilectione pro captu suo apprehendant. *Phil.* 3. Sequor autem siquo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo Iesv.

Nobis enim hoc in studio argumenti fuit, & fidem factæ rei tradere, & operantis Dei intelligendam diligenter esse dispositionem, quærentibus non tacere.

Ecce finis argumenti *Hieronymi*, in quo duo tangit: facit enim mentionem intentionis, & dicit

dicit intentum. Argumentum fuit id quod arguit mentem, & arctauit in transferendo: & non accipitur proprie nisi sit ab auctoritate. Quia illud argumentum infallibile in Euangelio, quia fundatur super veritatem æternam. *Iob* 29. Verbis meis nihil addere audebant: sed stillabat super eos eloquium meum [& fidem factæ rei tradere] Ecce intentum: & dicit duo, scilicet, fidem factæ rei tradere quoad historiam. *Apocalyps.* 22. Hæc verba fidelissima sunt & vera. *Prouerb.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei: & non est in eis prauum quid atque peruersum. *Deut.* 32. Deus fidelis & absque vlla iniquitate, &c. [& operantis Dei] Ecce secundum, modus & dispositio Dei perficientis Euangelica sacramenta. Dispositio autem Dei est: quia spontanée, gratis, ex dilectione, sufficienter salutem est operatus. De primo *Isa.* 53. Oblatus est quia ipse voluit. *Psalm.* 53. Voluntarie sacrificabo tibi. De secundo *infra* 10. Gratis accepistis, gratis date. *Isa.* 55. Emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. De tertio *Cantic.* 5. Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini charissimi. De quarto *Isai.* 5. & *Micheæ.* 6. Quid est quod facere tibi debui, & non feci? Hoc igitur studuit [non tacere] Litote, hoc est, asserere: quia minus dicit, & plus significat.

Litote figura olim dicta litotes.

D. AL

D. ALBERTI MAGNI, DOCTRINA TOTO ORBE CELEBERRIMI, RATISPONENSIS EPISCOPI, ORDINIS Prædicatorum

IN SACROSANCTA EVANGELIA LVCVLENTA EXPOSITIO.

INCIPIT EVANGELIVM secundum Matthæum.

CAPVT I.

Liber generationis IESV CHRISTI filij Dei, filij Abraham.

Hic Euangelista [illegible] intitulat, quod sit de generatione IESV CHRISTI, [illegible] homi[illegible] in principio libri [illegible]. Diuiditur autem iste totalis liber in Titulum & in Tractatum. In Titulo autem [illegible] quatuor, De forma, de materia, & cui attribuitur generatio, quæ est materia libri, & à quibus est ortus ipsius, quia ab Abraham, & à Dauid. [illegible] autem in titulo oratio ecliptica; & sic supplenda. Iste est liber generationis &c. Sed [illegible] tur à titulo [illegible] radiat totum opus [illegible] videtur inconueniens esse titulus, quia [illegible] liber est de generatione, nec etiam [illegible].

Adhuc cum Lucas expressius [illegible] generationis & annunciatione, & [illegible] nerationem, sicut Circumcisionem, & [illegible] potius suum Euangelium [illegible] erat De Generatione. Adhuc Ioannes [illegible] Verbi generatione. Iste autem non nisi de [illegible] Potius ergo Ioannis Euangelium de generatione [illegible].

Præsentationes in templo.

Si dicas quoniam Matthæus scripsit Iudæis quibus mos erat à principijs librorum intitulare libros. Et ideò morem gessit eis à prima parte libri intitulans. Videtur solutio nulla: quia fundatur [illegible]. Hebræi enim quando à principijs librorum libros intitulant, eandem prosequuntur materiam per totum, sicut patet in *Genesi*, in quo toto de generatione creaturarum & patrum intenditur: Et *Exodo* in toto continetur exitus de Ægypto. Et de his quæ facta sunt in exitu, & sic de alijs. Vnde librum Regum non ita intitulant, nec Isaiæ, nec alios multos. Ergo nec iste à principio libri librum intitulabit, nisi per totum aliquo modo de materia generationis IESV CHRISTI prosequatur. Si quis autem dicat materialiter esse dictum, vt sit liber generationis, hoc est, gratia IESV CHRISTI: Hoc nihil esse videtur: quia sic idem titulus esset omnium Euangelistarum. Adhuc dignior est generatio æterna quàm temporalis, & sic Ioannis Euangelium loquens de æterna generatione, De generatione debuit intitulari.

Respondeo ad primum, quia titulus iste conuenit [illegible] ad totum [illegible] librum: quia regeneratio [illegible] & rationem trahit à generatione eo quod tactu mundissimæ carnis genitæ vim regenerationem contulit aquis: sacramenta enim Christi non accipimus passiue vt facta tantum, sed ad hoc sunt facta vt faciant in nobis. Et ideo generatio Christi [illegible] facta, vt in nobis perficiat generationem (alias regenerationem) Et ideò post generationem Christi statim in hoc libro [illegible] de regeneratione. Sed quia regeneratio non [illegible] in vocatis & illuminatis & virtute [illegible] [illegible] à Passione & Resurrectione [illegible] ea, quæ pertinent ad doctri[illegible] regenerando & [illegible] pertinent ad passionem & [illegible] quæ perficiunt. Et ideo totaliter liber concluditur in exercitio regenerationis [illegible] dicitur capite. [illegible] *in nomine Patris* &c. [illegible] est modus tradendi in diuinis, vbi Sacramenta Ecclesiæ

trahunt vigorem à ſacramentis, quæ Chriſtus fecit in ſeipſo. Et ſic titulus ad totum reſpicit: & facies hominis ſecundum totum lib. Mattheo conuenit.

Ad id quod inducitur de Luca, dicendum, quod, Lucas de generationis ſacramento non agit, ſed quædam tangit, quæ in generatione fuerunt: quæ omnia conueniunt ſecundum faciem Dei potius, quàm ſecundum faciem hominis. Annunciatio vero tota: & quòd virtus Altiſſimi & Spiritus ſanctus ſuperueniunt, non dicunt faciem hominis, ſed potius faciem Dei in homine. Et hoc facit ad acceptabilitatem hoſtiæ potius, quàm ad generationem hominis ſecundum hominis faciem; quia ex hoc, quòd Deus eſt oblatus, valuit plus in ſatisfaciendo, quàm Adam abſtulerat peccando, ſcilicet, Præſentatio in templo, ad oblationem pertinet, & etiam Circumciſio: eo quod in Circumciſione non fiebat regeneratio, ſed infans Deo per ſignum dicabatur: Et ideo Matthæus nihil horum ponit. Genealogia etiam, quam ponit Lucas, non eſt, vt innoteſcat generatio hominis, ſed potius, vt remoueatur mala ſuſpicio, quæ fuit de Chriſto, quòd putabatur eſſe filius Ioſeph, cũ ipſe eſſet Dei filius in homine: ſic patet conſideranti verba Lucæ. Et ideo Lucas oſtendens faciem vituli, nullo modo intitulari debuit de generatione.

Quod autem inducitur de Ioane, non valet: quia Ille loquitur de diuina generatione, nec tangit de humana, niſi ea tenus, quæ cauſatur à diuina: Et hæc eſt ineffabilis *Iſa.* 53. Generationem eius quis enarrabit. Et ideo ab illa intitulari non potuit. Ad hoc autem quod dicitur, quòd accipiatur materialiter de Chriſto genito: videtur dicendum, quòd hoc eſt verum, ſed eſt de Chriſto genito, in quantum eſt genitus: & ſic de ipſo non loquuntur alij Euangeliſtæ. Per dicta autem patet ſolutio ad omnia quæſita. Primum ergo quod tangit in titulo, eſt forma, cum dicit [Liber] Per modum enim libri deſcribit hoc, quod dicit Matthæus: quia ad memoriam æternam ſcribitur quod hîc dicitur. *Apoc.* 1. Quod vides, ſcribe in libro & mitte ſeptem Eccleſiis. *Baruch.* 4. hic eſt liber mandatorum Dei: & lex quæ eſt in æternum. *Iob* 19. Quis mihi det, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro ſtilo ferreo, vel plumbi lamina aut celte ſculpantur in ſilice? Exarationem dicit propter in cor profundationem; Stilo ferreo propter domationem auctoritatis diuinæ, quæ domat intellectum. Lamina plumbi planitiem ſenſus hiſtorici tum grauitate myſterij incendit (aliàs intendit) Sculptura in ſilice: tenacem memoriæ ſignificat impreſſionem. Vnde *Maximus* dicit, quod nihil aliud eſt auctoritas niſi rationis reperta veritas: & ob vtilitatem poſteritatis memoriæ commendata. Hoc ſignificatur quòd lex inſcribitur lapidibus, qui fortiter & perpetuò tenent inſculpta.

[Generationis] Ecce Secundum quod eſt materia. Et reſpondent noua veteribus: Primus enim liber in veteri de generatione eſt: & Primus in nouo de generatione ſimiliter. Sed illa tendit à ſimilitudine Dei in regionem diſſimilitudinis; hæc autem diſſimilia reducit in Dei ſimilitudinem. *Iſa.* 66. Si ego qui generationem aliis tribuo, ipſe ſterilis ero? dicit Dominus. *Sap.* 4. O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate. *Pſal.* 23. Hæc eſt generatio quærentium Dominum, &c. [generationis] paſſiuæ in Chriſto, & actiuæ in nobis. Sed ſecundum hoc termino ſemel poſito vtendum erit æquiuocè. Sed dicendum quòd ex vi habitudinis, quæ eſt inter actum & obiectum, notatur cauſa materialis & generatio paſſiua. Sed ex ipſa ratione nominis, quod eſt generatio Iesv Christi, notatur cauſa efficiens noſtræ generationis. *Iſa.* 46. Audite hæc domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſraël, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, vſque ad canos ego portabo &c. Ideo Vicarius Chriſti dicit *Galat.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.

[Iesv] Saluatoris, non perditoris. Sicut enim Adam decidens ab imitatione imaginis, & ſimilitudinis diuinæ, genuit poſteà ad imaginem peccatoris, & non ad imaginem Dei. Et hic liber deſcribitur *Geneſ.* 5. Ita in Reparatione ab imagine peccatoris, per generationem [Iesv] ſaluati reſtituimur imitationi imaginis & ſimilitudinis Dei. *Col.* 3. Expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis: & induentes nouum hominem, qui renouatur in agnitionem Dei ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum. 1. *Corint.* 15. Primus Adam de terra terrenus, ſecundus de cælo cœleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Igitur ſicut portauimus imaginem terreni: ſic portemus imaginem cœleſtis. Et paulò antè dicitur *ibidem*. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Eſt autem Iesvs, nomen naturæ dictum, non ideò quod actum non ſonet; ſed ideò quia ille actus non competit Chriſto niſi ſecundum naturam diuinam. Quia ex illa eſt valor pretij ſalutis, & ex illa virtus ſaluandi, & ex illa eſt effectus ſalutis, & in ipſa eſt ipſa ſalus. *Infra primo.* Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Abacuch.* 3. Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Iesv meo. *Eccl.* 46. Fortis in bello Iesvs Naue ſucceſſor Moyſi in Prophetis: qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei, expugnare inſurgentes hoſtes, vt conſequeretur hæreditatem Iſraël. *Actor.* 4. Non eſt in aliquo alio ſalus. Nec enim aliud nomen ſub cœlo datum eſt hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

[Chriſti] Vncti. *Iſa.* 61. Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me Dominus. Vngẽs autẽ Pater, Vnctio deitas Spiritus Sancti & Vnctũ humanitas. *Pſ.* 44. & *Heb.* 1. Dilexiſti iuſtitiã, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. *Cant.* 1. Oleum effuſum nomen tuum. *Act.* 10. Ieſum à Nazareth, vnxit Deus Spiritu ſancto & virtute. Ideo dicit *Damaſcenus*, quod Iesvs ſonat Deum humanatum, & Chriſtus hominem deificatum, quaſi ſibi obuiantibus deitate & humanitate. Et motum Dei in hominem dicit Iesvs; motum autem hominis in Deum dicit Chriſtus. *Cant.* 1. Oſculetur me oſculo oris ſui. Os enim Dei Verbum eſt, quod loquitur eum; Oſculum vnio Verbi cum homine. Ideo dicitur Chriſtus nomen officij: quia vnctione ſacrante officium Regis & Sacerdotis conferuntur. Sicut & Chriſtus Rex eſt & Sacerdos. *Luc.* 1. Regnabit in domo Iacob. *Iſa.* 9. Multiplicabitur eius imperium. *Pſal.* 109. Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Ideo Melchiſedech figura eius, Rex fuit & ſacerdos. *Gen.* 14. *Hebr.* 7. Vtrumque autem, Regnum ſcilicet & ſacerdotium

tium per hæreditatem deuoluebatur ad ipſum. Et ideo ſequitur [filij Dauid] propter Regnum, & [filij Abraham] propter ſacerdotium, quia Abraham obtulit primum ſacrificium: Quod expreſſio & figura fuit eius quòd Chriſtus obtulit ſeipſum. *Gen.* 42. Tolle filium tuum & *Heb.* 11. Vnigenitum offerebat in quo acceperat promiſſiones. Sed quia prius eſt de poſitis legem ponere & in regnum congregare: quam redimere per oblationem: Ideo anteponitur [Filij Dauid] & ſubiungitur [Filij Abraham] Rex enim ſe Regem exhibuit: Cum Leges dedit & præcepta diſpoſuit, & ordines officiatorum diſtribuit. Quia *Dion.* dicit, quod Regnum eſt legis & ordinis & boni diſtributio, tamen ſecundum *Hiero. & Chryſ.* alia eſt cauſa ordinis. Ne videlicet cogatur repetere Abraham, quia ſi prius dixiſſet: filij Abraham: iterato texens genealogiam: haberet dicere Abraham & eſſet Dauid interpoſitus, ſicut diſcontinuans ordinem generationis. Prima autem ratio melior eſt. Et ſecundum illam obiicitur, Quia deberet dicere: filij Melchiſedech qui expreſſior eſt figura Sacerdotij. Sed ad hoc dicendum eſt, quod non eſt filius Melchiſedech ſecundum humanitatem. Sed Melchiſedech figura eſt, non oblationis qua obtulit ſeipſum in ara crucis; ſed quoad alia duo, quæ ſuum circunſtant ſacerdotium. Quorum Vnum eſt Ritus vſitatus in Eccleſia ſiue exercitium. Alterum autem eſt Duratio perpetua. Præterea Filio Dei ſecundum faciẽ Dei, non ſecundum faciem hominis aſſimilatur: in hoc quod eſt ſine patre & ſine matre & ſine genealogia. *Heb.* 7. *ſecundum Gloſſam* Hi duo præmittuntur in titulo: quia ad eos principaliter facta eſt promiſſio, ſicut patet ex præhabitis. Vel quòd vnus fuit propheta & rex; alter autem propheta & ſacerdos, quæ tria exhibuit Chriſtus. Abraham enim propheta fuit. *Geneſ.* 20. Redde vxorem viro ſuo, quia propheta eſt. Ideo dicitur quod iſti duo præmittuntur ſicut duæ columnæ ſtantes in foribus templi. 3. *Reg.* 7. Quarum vna vocabatur Ioachin, & altera Booz: circa quas inflexus fuit funiculus duodecim cubitorum qui duodecim alios his (aliàs habens) in prima teſſeradecade ſignificant duodecim Apoſtolos circa oſtium Chriſtum *Ioan.* 10. implexos circa veritatem promiſſorum factorum patribus. Sed tunc incidit Quæſtio de hoc. Quòd cum duo nomina præmiſerit in titulo Iesv, Chriſti: induxit duos patres, ex quorum præfiguratione habet vnum quòd eſt nomen officij, & non induxit aliquem ex cuius præfiguratione haberet alterum quod eſt Iesvs: cùm tamen hoc poſſit inueniri. *Geneſ* 14. Vocauit nomen eius lingua ſua Saluatorem mundi. Sed ad hoc dicendum, quòd Duo exiguntur ad hoc, quòd nomen ponatur in titulo. Vnum Præfiguratio officij ſicut dictum eſt, & alterum eſt deſcenſus per generationem. Et iſte deficit in Ioſeph & Iesv Naue. Adhuc actus Saluatoris non competit niſi naturæ diuinæ: & ex illa genealogiam habere non potuit. Adhuc Iſte actus verè hominibus non congruit, quia non verè ſaluant: ſicut verè regnant & verè offerunt, & ideo homines ſaluatores quaſi vacuo nomine præceſſerunt. Sic ergo Dauid ponitur propter regnum quod eſt poteſtatis. Abraham propter ſacerdotium quod eſt reconciliationis & propitiationis. Et ideo quando inuocabatur Chriſtus, ex fide inuocantium frequentius fit confeſſio poteſtatis, quòd hoc poſſet facere quod ab eo petatur. *Infra.* 15. Miſerere mei Domine fili Dauid, & *Infra* 21. Oſanna filio Dauid

Abraham genuit Iſaac: Iſaac autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Iudam & fratres eius: Iudas autem genuit Phares de Thamar.

Iſte tractatus libri Duas habet partes: In quarum prima ponitur vera Chriſti ſecundum faciem hominis generatio. In Secunda, quæ incipit in. 3. capitulo cauſata ab iſta ponitur noſtra regeneratio. Adhuc prior diuiditur in duo. Nam Primò ponitur Generatio Chriſti. Secundò ponitur Manifeſtatio geniti: Ibi [Cum natus] In Secundo ca. Chriſti autem generatio deſcribitur dupliciter; Materialiter videlicet ſecundum deſcenſum à patribus factum: Et Formaliter & efficienter ſecundum modũ generationis factæ ex matre: Ibi [Chriſti autem generatio ſic erat] Adhuc materialiter generatio facta ex patribus deſcribitur dupliciter, ſcilicet, per modum executionis & contextionis genealogiæ, & per modum epilogi capitulariter colligendo: ibi [omnes itaq; generationes. [Contextio vero ipſa fit trib. formis, vt patet ex prius habitis: Et prima harum formatum eſt ex Patriarchis. Vnde videndum qui ſunt Patriarchæ. Patriarcha eſt princeps pater: Sic dictus, quia in transfuſione ſui ſeminis non attendit legem concupiſcentiæ carnalis: ſed propagationem corpulentæ ſubſtantiæ, cum qua eſſet propagatio religionis. Hi autem tales abhorrebant mulieres Deum nõ timentes: eo quòd in coniugio, primùm Deo: ſecundò vxoribus iungebantur, *Tob.* 8. Sara exurge & deprecemur Deum hodie & cras & ſecundum cras, quia his tribus noctibus Deo iungimur. Tertia autem nocte in noſtro erimus coniugio. Filij quippe ſanctorum ſumus: & non poſſumus ita coniungi ſicut & gentes quæ ignorant Deum. In talibus igitur amor poſteritatis præcedit & ſubiicitur lex concupiſcentiæ. Hæc etiam eſt cauſa, quòd dicitur Patriarcha: & non Archimaritus, quia maritalis copula non ſemper eſt ad iſtud: ſed aliquando in medicinam: in qua libido non ſubiicitur proprie loquendo, ſed excipitur ne ruat in turpitudinem fornicationis. Propter hoc dicitur quòd Chriſtus ſemen Abrahæ apprehendit. *Heb.* 2. Quia Abraham ſignum ſubiectionis legis concupiſcentiæ incepit. Et hæc eſt cauſa quòd ab Abraham genealogia incipit. Ante enim lex concupiſcentiæ regnauit: ita quòd diluuio eam dilui oportuit. *Geneſ* 7. Et ideò non incipit ab Adam, in quo lex iſta incepit. Nec ab aliquo ſub quo lex dicta regnauit: ſed ab eo, qui ſignum ſubiectionis & amputationis eius accepit. Chriſtus enim non accepit niſi corpulentam ſubſtantiam, quæ medicina eſt legis & languoris concupiſcentiæ. Hoc eſt ergo, quod dicit.

[Abraham genuit Iſaac]

Lucas autem non genealogiam texit propter ſe, ſed vt falſam tollat opinionem, vt ſuperius diximus. Et ideò continuè ponit eam vſque ad Deum. Nec ſemper veros patres ponit: ſed

etiam legales & aliquando adoptiuos : & aliquando putatiuos. Et ideo etiam non poteſt vti hoc verbo genuit : ſed vtitur : qui fuit huius, vel illius. Sed Matthæus veros ponit : & ideo vtitur verbo genuit. Attende autem quod circa ſemen, quod per patres deſcendit, quinque ſunt in genere notanda, ſcilicet, ſegregatio in ſeminis ſanctitate ab alieno ſemine : quod legem concupiſcentiæ ſequitur : Et naturalitas in profuſione : libertas in ſeminis nobilitate : dilatatio in ſeminis benedictione : Et exaltatio in ſeminis honore. Segregatio perfecta facta eſt in tribus primis : Profuſio correcta eſt in quarto cum filiis ſuis : Libertas adepta in quatuor ſequentibus. Eſrom videlicet Aram, Aminadab, Naaſon. Dilatatio debita in duobus, qui illos ſequuntur cum filio: & exaltatio facta eſt in vltimo. Propter quod etiam Rex ſolus inter iſtos nominatur. Segregatio autem ex oppoſito congregationem habet: Vt ea quæ ſimilis ſunt ſanctitatis, congregentur : &, quæ diſſimilis ſunt ſanctitatis, ſegregentur, ne commiſceatur ſemen ſanctum cum immundo. Eſt autem ſegregandum ſemen ſeruile & degenerans ex libero, Et ideo Abraham genuit Iſaac, & reiicitur Iſmael ſeruile ſemen : quod ſignificat filios carnis concupiſcentiæ deditos. Et hæc eſt Segregatio prima.

Iſaac autem genuit Iacob.

Eiecto Eſau tanquam ex libero degenerante, quod ſignificat eos, qui ex ſpiritu ad concupiſcentiam mutantur. *Malach.* 1. Iacob dilexi : Eſau autem odio habui. *Sap.* 12 Iniqua eſt natio eorum, & naturalis malitia eorum : quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum : Semen erat maledictum ab initio. His ſegregationibus duæ reſpondent congregationes, ſcilicet, Generoſorum ſimilis tanquam ſimilium. Et ſignificatur per filios Liæ & Rachel : & eorum qui generoſi facti ſunt ex non generoſis : eo quod non ſequuntur vterum, ſcilicet ſemen generoſum. Et ideo fit mentio de omnibus filiis Iacob. Sed quia Chriſtus non niſi per vnum deſcendit : ille nominatur : & alij communi nomine fratrum deſignantur. Et hoc eſt, quod dicit.

Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.

Et ſignificant eos : Qui vel nobilitatem Spiritus retinent in virtute actiua, ſine in ſpecie veritatis contemplatiuæ : Vel ex filiis carnis per ſemen gratiæ, in filios ſpiritus ſunt mutati. Et ab iſta reſtrictione ſeminis, iſti patriarchæ ſunt vocati. *Eccleſ.* 44. Cum ſemine eorum perſeuerant bona : hæreditas ſancta nepotes eorum. *Geneſ.* 18. de Abraham dicitur : Scio quòd præcepturus ſit filiis & domui ſuæ poſt ſe : vt cuſtodiant viam, & faciant iudicium & iuſtitiam, & adducet Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus eſt ad eum. Facta huiuſmodi ſegregatione : & congregatione : fit correctio naturalis profuſionis. Et ideo non fit mentio de Her qui nequam in naturali coitu : & Onan, qui polluendo ſemen fundebat in terram. Thamar autem, quæ poſteritatis amore ex ſemine ſancto concipere deſideraiuit, & non libidinis cauſa, ſe Iudæ ſuppoſuit, commemoratur. Cuius ſignum eſt : quia ſicut dicit *Chryſoſt.* vſque ad illud tempus virgo permanſerat : eo quod neque primus, neque ſecundus cognouerunt eam in naturalibus ſubiacentes paſſionibus ignominiæ : ſicut dicitur. *Rom.* 1. Nec vnquam ad alium ſcortum exhibuit ſe. Iudas etiam peccatum deplanxit : vt dicit *Chryſoſt. & in libro de Teſtamento Patrum* continetur. Et licet eam in vxorem habere potuiſſet: tamen quia prouidit bonum non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus : & homines putabant eam cognitam fuiſſe à filiis : ipſe eam poſtea nunquam cognouit. Et ideo in recompenſationem duplicis tædij donauit ei Deus duos geminos. Læta enim fuit, quòd erat coniuncta ſemini ſancto: & intolerabilitas ſeparationis à ſemine ſancto, per quod naſciturus erat Chriſtus, fecit eam Iudæ proſtitui *Tob.* 7. forti animo eſto filia : Dominus Deus cœli det tibi gaudium pro tædio, quod perpeſſa es.

Phares autem genuit Eſrom : Eſrom autem genuit Aram: Aram autem genuit Aminadab : Aminadab genuit Naaſon.

Subiungitur hic Seminis libertas & liberatio. Ad hanc autem exiguntur quatuor. Primum eſt Peregrinatio oppreſſa : Et hanc patiebatur Eſrom, iam mortuo Ioſeph. Phares autem & Zaram in delitiis fuerunt propter beneficia Ioſeph. Aram ſecundus gemere cœpit ſub onere tempore, quo paruuli necabantur. Aminadab verò quaſi contemporaneus fuit Moyſi : exitum parauit, & Naaſon dux egredientium cum Moyſe. Sic enim eſt in omnibus diuinis, quòd non datur liberatio niſi indigentibus & gementibus : & ſe Deo ſponteneè exhibentibus : & tunc datur progredientibus in eam. Si autem computatio ab Aram, qui in Ægypto natus fuit; generatione quarta egreſſi ſunt. Computatione autem facta à Phares, qui de terra Chanaan in Ægyptum intrauit : generatione quinta ſunt egreſſi, *Geneſ.* 15. Generatione quarta reuertentur huc. Eſrom autem genuit: ſed magis Aram : & multo magis Aminadab propter duritiam eorum, qui præerant operibus. Naaſon autem gaudebat liberatione. Tres enim erant cauſæ triſtitiæ, oppreſſio, necatio puerorum, impoſitio ſeruilium operum. Et probabile eſt, quòd hæc ſibi ſuccederent per ſucceſſiones generationum, quando videbantur filij Iſrael magis & magis ſuccreſcere. Et huic ſenſui ferè conſonat *Chryſoſtom.* Scias autem quòd Eſrom alio nomine dicitur Iephone. *Numer.* 13. De tribu Iuda Caleph filius Iephone. Ipſe enim Caleph fuit filius Eſrom, vt habetur 1. *Paral.* 2. ſed, ibi vocatur: Calubi. Aram autem ibidem Ram vocatur : frater Ierameel & Calubi ſed. 1. *Paralip.* 4. iſte idem Aram vocatur Supha (aliàs Sua) vnde dicitur Caleph frater Supha. Et dicit *Hieron.* quod Supha (aliàs Sua) eſt Aram; Naaſon autem fuit princeps tribus Iudæ. *Numer.* 1. Sic igitur liberatio ſeminis oſtenditur.

Naaſon autem genuit Salmon : Salmon autem genuit Booz de Raab : Booz autem genuit Obeth ex Ruth.

Ecce Quartum, ſeminis liberi in exteras nationes ex benedictione dilatatio : ſicut promiſſum Abrahæ *Geneſ.* 18. Futurus eſt Abraham in gentem robuſtiſſimam : & benedicendæ ſunt in ipſo omnes nationes terræ. *Iſai.* 49. Parum eſt mihi,

vt ſuſcites mihi tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Tria autem exiguntur ad dilatationem. Primum eſt, vt ſit liberum natum : Et hoc eſt Salmon. Secundum eſt, vt dilatetur : & ad ſe conuertat, quod intra terminos eſt terræ ſanctæ, quæ ſignificat Eccleſiam: ſed aberrauit per diſſolutionem vitæ. Et hoc fit per Raab meretricem, quæ ſuſcipiens ſemen liberum facta eſt libera familiæ Iſrael coniuncta : Sicut dicitur *Ioſue.* 6. quod Raab meretrix cum domo ſua in medio filiorum Iſrael habitauit vſque in præſentem diem: In ſignum eorum, qui ex malis moribus conuerſi in Eccleſia, ſecuram accipiunt habitationem. Secunda dilatatio eſt extra terminos Iſraelis, & in exteras nationes, non tantum moribus: ſed etiam fide alienas à conuerſione ſanctorum. Et hoc factum eſt quando Booz genuit Obeth ex Ruth: qui relictis diis gentibus: coniuncta eſt Iſraeli: ſicut dicitur *Ruth.* 1. Populus tuus populus meus : & Deus tuus Deus meus : quæ te terra ſuſcepit morientem, in ea moriar. *Pſal.* 86. Memor ero Raab & Babylonis ſcientium me. Ecce alienigenæ & Tyrus &c, *Ephe.* 2. In Chriſto IESV vos qui eratis aliquando longè, facti eſtis propè. *Oſee.* 1. In loco vbi dicetur eis : non populus meus vos : ibi vocabuntur filij Dei viuentis. Hæc igitur eſt cauſa, quòd propter tam nobiles conditiones liberi ſeminis, & tam iucunda myſteria, fœminæ iſtæ propriis nominibus nominantur.

Obeth autem genuit Ieſſe: Ieſſe autem genuit Dauid regem.

Ecce Quintum: Seminis exaltatio : ad honorem pertinens dignitatis. Ad quod duo exiguntur. Quorum vnum eſt congruitas præcedens : Et alterum exaltatio ſequens. Congruitas autem notatur in Ieſſe, & Exaltatio completur (aliàs impletur) in Dauid. Et hac de cauſa, non proprio nomine Ieſſe ſed cognomine ponitur. Iſai enim proprio nomine dicebatur. 1. *Regum* 16. Dicitur autem & Naas. 2. *Regum* 17. Vbi ſic dicitur, Amaſa erat filius viri, qui dicebatur Iethra de Hiezreli : qui ingreſſus eſt ad Abigail filiam Naas ſororem Sarniæ, quæ fuit mater Ioab. Neutro ergo iſtorum nominum nominatur, ſed Ieſſe, qui incendium interpretatur propter virtutis calorem. Et ideò *Iſa.* 11. vbi de gloria regni dicitur : ſic nominatur, cùm dicitur. Egredietur virga de radice Ieſſe. Calida enim in radice altè germinant & fructificant. Solus autem rex Dauid dicitur: eo quod ſolus ſecundũ cor Dei in regnum profecit, ſicut conſtat ex ſuperius dictis. Et alij ſequentes merito ipſius ad regnum ſunt promoti : ſicut dicitur in *Pſal.* 88. Miſericordiam meam non diſpergam ab eo &c. Item *Eodem.* Thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo : & ſicut luna perfecta in æternum & teſtis in cælo fidelis. Sic ergo in iſta teſſerædecade ſemen corpulentæ ſubſtantiæ, in regnum, ex quo texitur teſſerædecades, congruenter eſt exaltatum quinque conditionibus, quibus nobilitatur: Munditia ſanctitatis, rectitudine naturalis profuſionis, libertate ſeruilis oppreſſionis, benedictione dilatationis, exaltatione dignitatis regalis.

Alta.

Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ,

Finita teſſerædecade Patriarcharum, quæ exaltata eſt in honorem Regum in figuram ſeminis; cui regnum immobile promiſſum fuit: Tangit catalogum regum, per quos Chriſtus deſcendit : In quo catalogo tria ſunt prænotanda. Vnum quidem Quòd ſicut catalogus patrum paulatim per patres : Duces tribuum : & Iudices creuit in regnum regis ſecundum cor Dei electi : Ita catalogus regum paulatim deficit in captiuitatem : oſtendens (aliàs deſcendens) quoniam licet regnum Chriſti figuratum ſit in regno temporali : tamen regnum Chriſti non eſt de hoc mundo; ſed potius ſui in mundo preſſuram habebunt & vincula & carceres. Propter quod etiam regnum populi Dei in ſtatu & pace non ſtetit, niſi ſub vno Dauid, qui ſecundum cor Dei electus, & ſub Salomone diſſenſum inteſtinum incepit habere per Ieroboam: licet non apertè rebellaret : & paulatim per diuiſiones & multas impoſitas & captiuitates & occiſiones regum defecit.

Secundum eſt quia Reges quidãm à regno tanquam indigni ſunt abiecti ; eo quod in throno Dauid, qui figura eſt throni Chriſti, non ſecundum religionem pertinentem ad Chriſtum : ſed potius prophanando thronum auſi ſunt ſedere. Et illi à genealogia ſunt abiecti tanquam non ſint: Et ſunt tres in vniuerſo : Ochozias, & Ioas, & Amaſias. Ioram enim pater Ochoziæ contra legem Domini cum alienigena (filia Iezabel & Achab, qui vocabatur Athalia) contraxit matrimonium, & ex ea genuit Ochoziam peſſimum : ſicut & pater malus erat. Hic Ochozias idola matris ſuæ adorauit : & impio ferens auxilium cum auunculo ſuo rege Iſrael, Ioram nomine, veniens ad prælianduin in Ramoth Galaad interfectus eſt : eo quod de ſemine Achab per filiam Athaliam eſſet procreatus. Vnde *Malach.* 1. Contaminauit Iudas ſanctificationem Domini, quam dilexit, hoc eſt matrimonium : & habuit filiam Dei alieni : diſperdat Dominus virum, qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum in Iſrael. Ioas autem filius licet primò eſſet bonus tempore Ioiadæ ſacerdotis, qui eum regem fecerat : tamen poſt mortem ipſius idola adorauit, & ingratus, filium Ioiadæ Zachariam Sacerdotem interfecit. Propter quod mentio huius habetur in Euangelio, quòd occiſus eſt inter templum & altare. Et dicit Epiphanius, quod ex tunc reſponſa diuina in templo ceſſauerunt dari ſuper propitiatorium. Hic etiam theſauros Domus ſuæ & templi conſecratos in cultum Dei: regis Syriæ Azabeli tranſmiſit : & cum prophanus, cultum diuinum, vt dicunt hebræi, ſibi exhiberi fecit. Et ideo chronico languore deficiens, viſcera egeſſit, & tandem ſicut meruit, à ſeruis ſuis viliter interfectus fuit, & ſine culm regio, vt dicit *Ioſephus*, viliter ſepultus. Amaſias autem filius huius, pronepos impiiſſimæ Athaliæ etiam ipſa idola adorauit in ſuperbia: Ioas regi Iſrael bellum indicens ſuperatus & captus eſt, Ieruſalem tradidit regi Iſrael, qui murum interrupit ciuitatis ſanctæ. Et coniuratio tandem principũ Iudę contra eum ſicut indignũ regno facta eſt. Qui de Ieruſalem in Lachis fugiens, ſaluari putauit. Sed illuc mittentes principes interfecerunt eum : Hi igitur ſicut indigni per tertiam generationem ab Athalia facti ſunt abiecti : ſicut Iſmaël & Eſau à Catalogo Patrum : eo quod regnum diaboli ſuper thronum Dauid & Chriſti niſi

ſunt adducere. Dixit enim *Iſai.* 16. quòd præparabitur in miſericordia ſolium,& ſedebit ſuper illud,iudicans in æquitate in tabernaculo Dauid. Tertium autem quod prænotandum eſt, quod oritur ex iſto eſt: Quòd nullus ponitur in Catalogo Regum: niſi quia aliquid ſimilitudinis habet ex ſe: vel ex ſibi coniuncto proximo ad Chriſtum, & ad Dauid, qui meruit thronum. Et hoc eſt, quod aut bonus ſit ipſe, & boni filius, & boni pater: Aut ſi ipſe non eſt bonus; quod tunc ſit aut boni pater; aut boni filius: quia ſicut pater frequenter punitur in filio: ita pater multoties remuneratur in filio. Ioram ergo, qui peſſimus fuit: qui Athaliam filiam Iezabel vxorem duxit: fratres ſuos meliores ſe occidit: idola populum adorare coëgit; correctiones Eliæ per epiſtolam ad eum delatam ſpreuit. Cuius tempore, Idumæa à domo Iudæ receſſit. Arabes ciuitates Iudæ & domos regias vaſtantes: vxores ſuas acceperunt, & filios ſuos omnes, præter Ochoſiam occiderunt. Chronica ægritudine viſcera egeſſit. Et ſecundum Ioſephum extra ſepulchra Regum ſepultus eſt. Tamen propter patrem Ioſaphat bonum ponitur in Catalogo. Sequentes autem Ioram vſque ad quartam generationem ſunt eiecti: quia & mali fuerunt, & malorum filij, & malorum parentes. Licet enim Amaſias pater fuerit Oſiæ, qui quædam bona fecit: tamen tantum deſipuit, vt vſurpato ſibi ſacerdotio incenſum vellet ponere in templo. Propter quod terremotus factus eſt: qui montem ante ciuitatem ſcindens viã clauſit:hortos regales oppreſſit:Lumen cœleſte in eum excanduit, & lepra percuſſus extra reges,in horto quodam ſepultusfuit:& ideo merito ipſius Amaſias pater eius poni non potuit.

His ita prenotatis, dicimus: Regnum horum regum paulatim ex ſtatu, per bellum inteſtinum & diuiſionem deficere in coarctationem poteſtatis: & ex hoc in multam, quam aliis regibus ſoluit: & regum captiuitatem & occiſionem: eandem abire in captiuitatem & tranſmigrationem. Et penes hoc accipitur numerus Regum hic poſitorum. Primus in quo regnum in ſtatu Dauid fuit: Salomon fuit, de quo dicitur, quòd Dauid genuit Salomon ex ea, quæ fuit Vriæ 2. *Regum* 11. Nec nominatur mulier Bethſabee, propter verecundiam criminis, quod commiſit: tamen non ſub nomine propter myſterium facti: quod pulchrè ad Chriſtum habet referri: Præcipuè tamen: quia cùm eſſet enorme valde, putauerunt quidam per illud euacuandam eſſe promiſſionem factam ad Dauid de naſcituro per eum Chriſto merito criminum Adulterij & Proditionis, & Homicidij. Propter quod cum pænitens caneret pſalmum 50. Miſerere mei Deus: dixit: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, implens promiſſum: & vincas, cum ab hominibus iudicaris: promiſſum te non impleturum. Vt ergo ſciatur, quòd peccatum non præiudicauit veritati promiſſionis: ideo per eandem mulierem impleuit promiſſionis veritatem: & mentio eius fit ab Euangeliſta: Vbi oſtenditur impleta veritas, & tacetur nomen propter verecundiam delicti. Fit tamen mentio facti propter promiſſionis veritatem oſtendendam ad conuincendum fallax iudicium. Quia ſicut dicitur *Tobiæ* 3. Non in homine conſilium Dei. Et hoc eſt quod dicit *Pſal.* 85. Fac mecum ſignum in bono, vt videant, qui oderunt me, quoniam tu Domine adiuuiſti me.

[Roboam autem]

Regni declinatio per duo in genere perficitur: Per Sciſſuram videlicet & Impugnationem exterarum nationum, quæ per captiuitatem & mortem regnantium completur. Sciſſura autem perficitur in tribus ſuccedentibus ſibi regibus. Sciſſura enim paulatim venit in ſtatum. Et ideò conſideratur ſecundum tria, quæ ſunt in ipſa; & quartum proponit ſibi vt cauſam, & quintum ſubiungit ſibi vt effectum. Tria autem, quæ ſunt in ipſa, ſunt Receſſus partium à ſe inuicem: Partium ex maleuolentia contrarietas: & partium ex diuiſione debilitas. Et horum primum factum eſt ſub Roboam: Secundum ſub Abia, cuius omni tempore fuit bellum contra domum Ieroboam: Tertium autem factum eſt ſub Aſa, quando Rex Iſraël primo cogebatur fædus inire cum rege Syriæ, vt ſe debilem contra regem Iuda confortaret. Et Aſa rex Iudæ cogebatur ad idem ſecundo: ne ſibi rex Iſraël præualeret. De quo cum reprehenderetur à Iehu propheta: miſit eum in heruum. Et ideò patet, quod idololatria ſub Roboam adducta fuit in regnum: Et ad hoc populus ſub Abia eſt inclinatus. Aſa autem ſpem in auxiliis Dei non habuit; ſed in Syris idololatris ſpem poſuit: propter quod etiam regni debilitatem paſſus fuit. Quartum autem, quod his tribus præmittitur, fuit meritum diuiſionis: & hoc factum eſt ſub Salomone: & Quintum, quòd ſequitur, eſt deſperatio reunionis & reintegrationis regni. Et hoc fuit ſub Ioſaphat, qui deſperans de reditu decem tribuum ad ſuum regnum filio ſuo Ioram accepit vxorem filiam Achab regis Iſraël. Et ſic iſti quinque reges inducuntur. Dicit ergo

Salomon genuit Roboam

De quo 3. *Reg.* 12.

Roboam autem genuit Abiam

De quo 3. *Reg.* 15.

Abia genuit Aſa

De quo 3. *Reg.* 15.

Aſa autem genuit Ioſaphat

De quo 3. *Reg.* 22.

De genere autẽ horũ regum habetur 1. *Paral.* 3.

Ioſaphat autem genuit Ioram

Ecce Secundum huius teſſerædecadis, vbi ponuntur Reges, ſub quibus impugnatio & multa notabiliter cæpit contra regnum Dei. Quia licet antè Seſac rex Ægypti ſub Roboam aſcenderit in Ieruſalem & diripuerit theſauros: tamen hoc non fecerat niſi pactis & fœderibus præcedentibus, quæ tamen irrupit. Sed ex tempore Ioram incepit impugnari ad ſubiiciendum. Perficitur autem hæc regni debilitas quatuor: Diminutione videlicet auxiliantium. Obſidione impugnãtium. Captiuitate regum defendentium, & perficitur interfectione regentium. Et ſecundum iſta hic Octo reges inducuntur. Et Diminutio auxiliantium facta eſt ſub Ioram peſſimo: ſub quo Idumæi receſſerunt, ne eſſent ſub Iuda: qui ante tributis & auxiliis ſubditi Iudæ fuerunt. Obſidio autem duobus perficitur: Coniuratione videlicet aduerſariorum: & Vallatione ciuitatum & caſtrorum. Et coniuratio quidem Phaceæ & Raſyn regis Syriæ

riæ facta eſt ſub Aſia, & facta eſt viſio deſtructionis templi. Obſidio autem duo in ſe habet: Vnum quod præcedit, quod eſt infeſtatio obſidendorum: quę facta eſt ſub Ioathan per Syros & regem Iſraël. Aliud eſt Vallatio. Et hæc eſt adhuc duplex: Particularis ſcilicet & Vniuerſalis. Particularis facta eſt ſub Achaz per Phacee & Raſyn, qui obſederunt Ieruſalem. Vniuerſalis autem facta eſt ſub *Ezechia* per Sennacherib, qui & Ieruſalem & Zobnã, & alias obſedit munitiones. Etſi pax facta miraculo diuino non fuit data ad permanentia regni; ſed ad tempus propter meritũ perſonale Ezechiæ. Et ideò in pace ipſa præmuntiata eſt amariſſima amaritudo: quòd omnis decor regni transferendus eſſet in Babylonem: Sicut habetur *Iſaiæ* 39. Sic ergo paulatim deficiente regno ſequitur captiuitas defendentium regum abſque regni captiuitate. Et hæc facta eſt in Manaſſe rege peſſimo, qui licet de Babylone redierit in regnum per (alias poſt) pœnitẽtiam: tamen ex hoc regnum nullam accepit confortationem; ſed ex captiuitate plurimam accepit labefactationem: eo quod captiuator plurimam in regno fecit depopulationem.

Interfectio regũ conſiſtit in duobus: Indignitate regnantis, & diuina indignatione contra regnum regionis. Et prior harum facta eſt in Amon, quem indignu regno ſerui ſui interfecerunt. Indignatione autem Dei contra regnum regionis interfectus eſt Ioſias optimus rex. Qui licet pietate meruiſſet differri captiuitatem & tranſmigrationem regni in diebus ſuis: tamen expreſse comminatus eſt Dominus, quòd poſt mortem ſuam totum regnum tranſmigraturum in Babylonem eſſet. Sic ergo iſti reges inducuntur hic.

Ioram autem genuit Oziam.

De quo 4 *Reg.* 15. & 2. *Paral.* 26.

Ozias autem genuit Ioathan.

De quo *Ibidem.*

Ioathan autem genuit Achas.

4. *Regum* 16.

Achas genuit Ezechiam.

4. *Reg.* 18.

Ezechias autem genuit Manaſſen.

4. *Regum* 20.

Manaſſes autem genuit Amon.

4. *Regum* 21.

Amon autem genuit Ioſiam.

Ibidem.

Ioſias autem genuit Iechoniam & fratres eius in tranſmigratione Babylonis.

Ecce Completa regni tranſmigratio & captiuitas: Ideo namque iſte cum fratribus ſuis naſcitur iturus in tranſmigrationem Babylonis. Et quia iſte non ſolus regnauit: ſed etiam fratres eius: licet per omnes (alias eos) Chriſtus non deſcendit, ſed per iſtum tantum; tamen fit mentio de fratribus in communi nomine: quia regnum iſtud fuit figura regni Chriſti. Nota autem hic hiſtoriam. Primo enim *Paralipom.* 3. legitur quòd filij Ioſiæ fuerunt, primogenitus Ioannam, ſecundus Ioachim, tertius Sedechiæ, quartus autem Sellum. De Ioachim autem natus eſt Iechonias & Sedechias. Et ita Iechonias videtur nepos fuiſſe Ioſiæ & non filius. Sed ad hoc reſponderetur per *Hiero.* dicentem, quòd ſecundus natus Ioſiæ, quem Ioachim vocatum eſſe diximus, trinomius fuit: quia dicebatur Eliachim & Ioaxym & Iechonias: Filius verò iſtius eiuſdem nepos Ioſiæ, binomius fuit: Dicebatur enim Ioachim & Iechonias: qui etiam ſublata prima ſyllaba, dicitur aliquando Chonias. *Ierem.* 22. Nunquid vas fictile atque contritum vir iſte Chonias. Dicit etiam *Hieronymus*, quod Ioaxim, qui filius Ioſiæ fuit, in vltima ſyllaba ſcribitur per K & i & m: Filius autem huius, qui nepos Ioſiæ fuit, ſcribitur in vltima ſyllaba per cyn: quod ſcriptorum vitio & longitudine temporum apud græcos, latinoſque confuſum eſt. Et ideò ſtat generatio per Ioſiam in filium Iechoniam, qui & Ioaxim dicebatur: & ex illo in nepotem Ioſiæ, qui Iechonias & Ioacyn eſt appellatus. Iechoniam ergo & fratres eius genuit Ioſias iam inſtante tranſmigratione. Et ita genuit eos, in tranſmigrationem ituros, licet Ioſias numquam tranſmigrauerit.

Eſt autem hiſtoria, quòd Ioaxim patrem, Nabuchodonoſor recepit: quẽ tamen receptis obſidibus remiſit, inpoſito ei tributo: quod tributu cu poſtea negaſſet, ſpem in rege Ægypti ponendo aſcendit Nabuchodonoſor in Ieruſalem ſub ſimulationem fœderis, quòd irrupit; & regem cum pluribus nobilibus interfecit, & inſepultum ante muros Ieruſalẽ proiecit: & filium eius nepotem Ioſiæ Ioacyn vocatũ, regẽ patri ſubſtituit: qui alio nomine Iechonias ſicut & pater vocabatur. Qui cùm tribus menſibus regnaſſet: & Nabuchodonoſor abiiſſet, timuit Nabuchodonoſor, quòd memor necis prius opponeret ſe ſibi, & cum rege Ægypti confœderatus rebellaret; & reuerſus obſedit Ieruſalẽ. Sed Ioacyn ad verbum Ieremiæ ſe ſponte cum matre & multis nobilib. regni Nabuchodonoſor tradidit: & tunc tranſmigrauerunt in Babylonem, qui ſe tradiderunt; & alijs manentibus, conſtituit regem Sedechiam patruum Ioacyn tertium natum inter filios Ioſiæ. Qui cum poſtea rupto fœdere ſe opponeret Nabuchodonoſor, ciuitatem cepit, & regem cæcatum, & omnes alios in Babylonem captiuos traxit, & interfecit filios Sedechiæ. Et tunc captiuitas perfecta fuit; ſicut legitur 4. *Reg.* vlt. Sic ergo duo fuerunt Iechoniæ: Et vnus, ſcilicet pater intelligitur, cùm dicitur [Ioſias autem genuit Iechoniam] Alter autem, nepos Ioſiæ intelligitur, cum dicitur [poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel] quia aliter non eſſent quatuordecim in vltima teſſerædecade. *Aug.* tamen & *Chryſo.* dicunt, quòd vnus eſt, quem *Auguſt* dicit bis in fine mediæ, & in principio vltimæ poni: quia in angulo ponitur, vbi regnum flectitur in captiuitatem. *Chryſo.* autem ferè idem dicit. Sed addit, quòd bis numeratur: quia & rex primo, & non rex poſtea fuit. Et ideo vt rex numeratur in media, & vt non rex in vltima. Probabilius autem eſt, quod dicit *Hiero.* Sic igitur ſciſſura regni & impugnatione, & captiuitate & occiſione defendentium regnum regnum defecit: in captiuitatem, ſub qua preſſi gemunt ad Redemptorẽ & liberatorem Chriſtum, qui quartusdecimus eſt in vltima teſſerædecade.

Et poſt tranſmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel: Zorobabel au-

tem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim: Eliachim autem genuit Azor: Azor autem genuit Sadoch: Sadoch autem genuit Achim: Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar: Eleazar autem genuit Mathan: Mathan autem genuit Iacob: Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus.

Hic incipit vltima quaterdena. Et hæc est captiuorum suspirantium ad liberatorem. Et de his scriptura inuenitur authentica: nisi (aliàs vbi) de Salathiel & Zorobabel: Quorum prior in captiuitate mortuus; Secundus autem rediit cum Esdra & Neemia & aliis ad templi & ciuitatis reædificationē. Quod enim Salathiel genuit Zorobabel, legitur 3. *Esdræ* 5. & *Aggai* 3. Sed in 1. *Paralip.* 3. dicuntur filij Iechoniæ, Asir, Salathiel & Phadaia: & de Phadaia orti sunt Zorobabel & Semei. Et sic Zorobabel non videtur filius fuisse Salathiel. Sed ad hoc dicunt Hebræi quòd tres inducti, non fuerunt tres viri, subiecto & numero differentes filii Iechoniæ: sed vnus trinomius fuit, sicut Marcus, Tullius & Cicero. Alij dicunt, quòd Salathiel & Phadaia duo fuerunt fratres, qui genuerunt duos filios: & vterquam suum Zorobabel appellauit. Et vnus tangitur. s. filius Phadaia in *Paralipom.* Alter autem per quem descendit Christus, tangitur in *Esdra* & *Aggeo* & hic. adhuc 1. *Paralip.* 3. dicitur, quòd Zorobabel genuit Mosollam. Hic autem dicitur: genuit Abiud.

Sed ad hoc dici potest, quòd *Paralipom.* non facit mentionem nisi de descendentibus per Phadaiam. Sed hic tanguntur illi, qui per Zorobabel filium Salathiel descenderunt. Dicunt tamen quidam in *Paralipom.* vitio scriptorum nomina esse corrupta. Vnde de Abiud vsque Ioseph nulla historia authentica inuenitur. Sed fuerunt quidam studiosi viri inter hebræos, quos heriles propter nobilitatem vocauerunt: qui genealogiam, propter factam de Christo promissionem, partim de *Paralipom.* partim ex annalibus, partim ex fide digno relatu auorum & proauorum retinuerunt & conscripserunt. Licet Herodes plurimos talium librorum conbusserit: vt deleta genealogia promissi regis minus videretur inconueniens: si ipse ignotus (aliàs ignobilis) & alienigena regnaret in throno Dauid. De his igitur non possumus procedere sicut in præhabitis. Sed cum *Chrysostomo* dicimus, quòd isti non reges; sed aut pontifices, aut consortes pontificum habiti, populo præfuerunt. Et secundum tres gradus probabile est, quòd sibi successerunt, de captiuitate populum educentes, pro patriis & paternis & Dei legibus tēpore Machabæorum dimicantes & ad nasciturum Christum suspirantes. Et fortè responsum à Spiritusancto accipientes cum Symeone, quòd in proximo foret nasciturus. Et quia sāctus fuit mos ex causa certa imponere nomina filiis suis, oportet nos hic coniicere ex ipsis nominibus: quia aliam scripturam certam non habemus. Eductio autem terminatur ad Templi & Ciuitatis reædificationem. Et illa in sex videtur perfici. Quorum Vnum est Præparatio obediendi consilio Dei & Prophetarum; Quod fecit Iechonias, posterior consilio Ieremiæ: Et ideo merito patientiæ & obedientiæ semen misit ad exitum. Secundum est humilis oratio ad Deum: vt regi inspiraret quòd licentiam daret redeundi, sicut orauit Daniel: Et hic videtur fuisse Salathiel, qui interpretatur petitio mea Deus. Tertio exigitur quod Rex captus amore alicuius, licentiam dederit: Et hic fuit Zorobabel, sicut legitur in *Apocripho.* 3. *Esdræ.* 4. c. quod & nomen indicat: quia Zorobabel magister Babylonis interpretatur. Primus horum iram Domini portauit, quia peccauit ei: Et ideò peruenit ad victoriam iudicium suum. *Michæ.* 7. Secundus ex duritia captiuitatis ingemuit: Et ideò Dominus videns vidit afflictionē eius: Sicut per simile dicitur *Exo.* 3. Tertius exitum obtinuit. Sed quia finitimis gemitibus (aliàs gentibus) opus interruptum est, & vsque ad tempora Cyri regis Persarum; Ideò indiguit populus Dei, ne desperaret, consolatoribus, qui per tres differentias videntur variari. Qui enim pro affectu, pusillanimes confortabat, videtur fuisse Abiud, qui pater meus iste interpretatur: quia pro affectu pater populi Dei dicebatur: ad quod sequebatur: iterata suscitatio cordis regis ad dandam licentiam ædificationis: & ad hoc videtur fuisse operatus Eliachim, qui Dominus resuscitans interpretatur, quod consequitur adiutorium iteratæ ædificationis, Quod compleuisse videtur Azor, qui adiutus interpretatur. Et isti sunt sex priores vltimę quaterdecadæ.

Diuinatio autem, quæ pro patris & legibus temporibus istorum facta est, in quinque videtur perfici. Quorum Vnum est Iustitiæ constantia, Et alterum Mutuum adiutorium, quod sibi ferebant, sicut legitur in *Machabeis*, quòd indeflexibiles à iustitia legis, & sibimet fortissimum ferebant adiutorium. Et Primum horum compleuisse videtur Sadoch, qui Iustus interpretatur. Secundum autem perfecit Achim, qui interpretatur frater meus. Iste quasi signanter attulerit fratribus (aliàs fratris) adiutorium. Sed quia non erat eis pugna solum pro iustitia, sed etiam pro cultu & fide Dei, à quibus eos nitebatur reuocare Antiochus: Ideò indeflexa exigebatur in eis fides Dei: Quam indeflexionem videtur habuisse Eliud, qui Deus meus interpretatur. Sed Instantia persecutoris non vincitur, nisi spes in adiutorio Dei habeatur: Quia qui habitat in adiutorio Altissimi; in protectione Dei cæli commorabitur: *Psal.* 90. Hanc videtur habuisse Eleazar, qui Deus meus adiutor interpretatur. Sicut & dixit *Matathias*. Non consentio verbo regis: propitius sit mihi Dominus, Hoc autem consequitur mirabilis à Deo donata victoria: quam impetrasse Mathan videtur, qui donatus interpretatur: Deo enim egerunt gratias, qui dedit victoriam eis. Et isti sunt patres medij vltimæ quaterdecadæ. Suspiratio autem ad Christum perficitur in Duobus. In lucta animi propter tedium expectandi: Quam videtur præsignasse Iacob, & In incremento specialis gratiæ per responsum Spiritussancti: tædium sanctorum releuantis & promittentis corporalem pœnitentiam Christi: Et hanc recepit Ioseph secundum sui nominis significationem: Et hanc sequitur Christus liberans & redimens, sicut finis omnium tesserædecadarum. Finis enim legis est Christus ad iustitiam omni credenti Roman. 1. His autem habitis omnia plana sunt vsque illuc.

Mathan

Mathan autem genuit Iacob.

Videtur enim contrarietas inter Lucam & Matthæum quia *Lucas.* 3. dicit Ioseph filium Heli: & Heli filium Mathat. Sed ad hoc respondetur, quòd Mathan & Mathat, vt dicit glosa, non fuerunt fratres: tamen contribules fuerunt, & de eadem vxore nomine Hesta, singulos genuerunt. Sed Mathan, qui per Salomonem descendit, eam prius duxit; ex ea genuit Iacob vnicum filium, & obiit. Postea Mathat (qui per alium filium descendit à Dauid) duxit eamdem; & ex ea genuit Heli. Et ita Iacob & Heli fratres vterini fuerunt: ex duobus patribus. Iacob autem vxorem Heli fratris sui sine liberis defuncti suscepit ad suscitandum semen fratri defuncto, & genuit Ioseph. Et ita Ioseph fuit filius Iacob naturalis: vt hic dicitur, & filius Heli legalis, vt dicitur *in Luca.* quia Lucas ex facie vituli sacerdotium respiciens: frequenter ponit filios & patres legales.

Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ.

Videtur quòd genealogia Christi non directè continuetur: Quia Ioseph non fuit pater Christi naturalis: Cum sicut dictum est, Matthæus naturales ponat patres. Si respondetur per illud *Numer.* 36. Quòd omnes viri præcipiuntur ducere vxores de eadem tribu, & fœminæ maritos, ne hæreditates tribuum confundantur: videtur esse instantia *Exo.* 6. Vbi Aaron duxit Elizabeth filiam Aminadab sororem Naason, qui fuit de tribu Iuda. 1. 2. *Reg.* 3. Vbi Dauid duxit Michol filiam Saul, quæ fuit de tribu Beniamin. Si fortè dicatur, quòd ad fœminas non deuoluebatur hæreditas, constat falsum esse: quia *Numer.* 27. dicitur, quòd ad fœminas deuoluitur hæreditas: quando aliquis non habuit filios. Communiter autem respondetur, quòd soror Naason & filia Saul cum fratres habuerunt, non habebant hæreditatem: Et ideò liberè nubere poterant cui volebant sine sortium cōfusione. Sed beata virgo fratres ante se, nec post se habuit: & ideò hæreditas ad ipsam deuoluta fuit: propter quod contribuli suo iungenda fuit. Hæc etiam causa est, quòd per fœminas genealogia nulla texi potuit. Quia sæpe de tribu ad tribum traducebantur: quod non fiebat de viris. Sicut & in ista genealogia & Raab & Ruth & Thamar positæ sunt & fortè aliæ multæ de diuersis tribubus & nationibus existentes. *Damascenus* autem. 4. *libro*, ca. 6. ponit genealogiam quandam vsque ad beatam virginem. Sed quia nescitur origo eius: & necesse est omnē genealogiam confusam esse, quæ per fœminas texitur, vt patet ex prædictis: pertranseo. Vnum est, quod relinquitur inquirendum Quare dicatur hic genuit, cum generare dicatur esse viri, gignere autem vxoris: secundum illud, quod dici consueuit, quod generare est agentis; gignere patientis & materiam exhibentis. Ad hoc dicit Glo. quòd genuit, ponit, vt ille cognoscatur qui dicit: Ego hodie genui te. Et est sensus Glosæ, quòd Christus à patribus non descendit nisi secundum corpulentam substantiam, quæ est sicut principium materiale. Sed Efficiens faciendo, non generando, fuit Spiritus sanctus. Posset tamen dici, quòd gignere conuenit & viro & fœminæ: quia distinctio inter generare & gignere non videtur habere rationem magnam. Sicut dicit versus.

Fœmina sola parit: generat vir: gignit vterque.
Vir sponsam ducit; sed sponso fœmina nubit.

Ioseph [virum] Mariæ. Vir dicitur potius à vigore & virore: quia castitatis vigore & virore floruit. similis proposito existens cum beata virgine. *Iere.* 17. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et sequitur: erit quasi lignum viride, quod ad humorem mittit radices, & in tempore siccitatis: non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. *Psal.* 1. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum &c. [Mariæ] autem dicitur propter sponsationis fidem, & Societatis indiuiduitatem, & procurationis sollicitudinem, & obsequij diligentiam *Prouer. vl.* Nobilis vir eius in portis quando sederit &c. *Eccles.* 26. Mulieris bona beatus est vir. *Ibidem.* Mulier fortis oblectat virum suum: & annos vitæ eius in pace implebit [De qua natus est] opere Spiritus sancti. *Psa.* 51. Salus mea in æternum erit: & iustitia mea non deficiet [IESVS] per naturam *Hebræ.* 7. Saluare in æternum potest: accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis [qui vocatur Christus] Sed nomen dictum est ab Angelo: Vocabis nomen eius IESVS. sed actum naturæ indicat Angelus ad illuminandum ad fidem deitatis, ne fides in homine quiesceret. *Luc.* 2. Vocabitur filius Dei. ab vnctione autem gratiæ vocatur, à sanctis gratiam percipientibus. Et est cognomen eius inter sanctos. *Psal.* 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit &c. *Eccles.* 38. Vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanctitatis.

Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim; & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim; & à transmigratione Babylonis vsque ad Christum, generationes quatuordecim.

Ecce Vbi epilogat generationes. Et de his dictum est in prœmiis: Qualiter scilicet triformes sunt tesserædecades: Patriarcharum, Regum, & Pontificum. Et Quid significant numeri hic positi. Sunt autem quadraginta duæ generationes hic, per quas venitur ad Christum, sicut in *Numeris* 33. sunt quadraginta duæ mansiones, per quas ex Ægypto præcedentes veniunt ad patriam promissam. *Lucas* autem 3. ponit septuaginta. Qui numerus est remissionis, sicut dicitur *infra.* 18. Non dico tibi Petre, dimittendum vsque septuagies septies. Cum enim *Prouer.* 24. septies cadat iustus & resurgat: impij verò qui nolunt resurgere, corruunt in malum, accipit quilibet casus per Christum vndecim resurrectiones: Decem quidem in deseruantia præceptorum: & Vnam in fide Christi, per quam omnis fit remissio. Et ideò in sanctificatione tabernaculi & populi, primò legebatur omne mandatum legis, & postea aspergebantur sanguine. *Exodi.* 24. & *Hebræ.* 9.

Christi autem generatio sic erat.

Peracta

Peracta generatione Christi secundum Materialem descensum genealogiæ, tangit Christi generationem secundum modum causæ tam Efficientis quam formalis & finalis. Sed primo præmittit titulum & postea exequitur tractatum.

Dicit ergo titulum [Christi autem generatio sic erat] Non quòd ad plenum effabilis sit & ista humana generatio, nisi in communi. Quòd scilicet fuit de Spiritu sancto & ex virgine. Qualitèr autèm de Spiritu sancto, & qualiter ex virgine fuit secundum singula, indicibile est. *Psal* 18. In sole posuit tabernaculum suum &c. Sol enim nimio splendore reuerberat oculos intuentium: Ita fulgor mirabilium huius natiuitatis reuerberat intellectum. *Eccles.* 11. Quoniam ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione cópingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. Quæ enim sit via spiritus purificantis & segregantis & congregantis & conuertentis & formantis spiritus in beata Virgine: & qua ratione membra Christi compingantur, & simul animentur & vniantur deitate: ignoramus. quia omni humilitate & deuotione & obsequio procumbentes cum Ioanne Baptista *Mar.* 1. non sumus digni per subtilem intellectum soluere corrigiam vnionis, qua calceamentum nostræ mortalitatis cum pede deitatis (quem in Idumæam nostrã extendit) colligatum est. Multò autem minus scimus opera Dei, quo omnium fabricator Trinitas in fabricam vteri virginalis sicut in nobile triclinium intrauit: & eum, quo omnia fabricauerat filium veri fabri, fabricando perfecit. *Isa.* 41. Confortauit faber ærarius eum, qui cudebat tunc temporis dicens: glutino. & glutinatus Respondit. Bonum est: & confortauit eum malleis, ne moueretur de cetero: quia ab humanitate, cui agglutinatus est, nunquam est remotus. Sic ergo est generatio, vt dicitur in communi. Per singula autem nulli hominum est ad plenum nota.

Cum esset desponsata.

Duo dicit circa generationem. Sinceritatem à carnali commercio & diligentiam, quam ordinauit in obsequio generationi, & puero, & necessario matri. Et hanc tangit ibi [Ioseph autem vir eius] Circa Primum tangit Conceptus & generationis sinceritatem. Et tangit Septem per ordinem. Quorum Primum est Custodiæ, contra malã opinionem: Et hoc est Desponsatio. Secundum Pertinet ad summam beatitudinem, quod est mater IESV. Tertium Ad dignam clari nominis cognitionem, quod vocatur & est Maria. Quartum Ad virtutis laudem: quod iustum Ioseph accepit sponsum & conseruatorem. Quintum Ad mũnditiæ sincerissimæ pudorem: quod antequam conuenirent, inuenta est &c. Sextum ad mirabilium Dei stupendam admirationem: quod in vtero est habens. Septimum Ad completam, & omnimodam eius sanctitatem: quod est conceptus eius de Spiritu sancto.

Primum horum, sicut diximus, est Custodiæ: Desponsatæ enim custodiebantur. Quod notatur ex tribus: exhibitione, scilicet, ornatu, & promisso. Exhibitione: quia viris exhibebantur, sicut dicunt glosæ. Ornatu: quia ornamenta custodiam significantia dabantur. Promisso: quia non loquitur scriptura de sponsione facta in futurum, qua aliquandò sponsalia per alium contrahuntur; Sed de sponsione, quæ fit per verba de præsenti, qua fæmina in suam dat se sponso, & èconuerso, Vir in suum dat se sponsæ. Et hi vocantur coniuges. *Infra eodem*, Noli timere accipere Mariam coniugem &c.

Et per istam sponsionem vir est habitus à sponsa, & èconuerso habet sponsam. Propter hoc dicit. *Philos.* quod extraneissimus modus est habendi, quo vxor habet virum: quia Per idem vinculum vterque coniugum, habens habetur à reliquo, Et est Relatio paritatis, & superpositionis & suppositionis. In iure enim quod vterque habet in reliquo, relatio est paritatis quia in illo ad similia iudicantur coniuges. In hoc tamen, quòd vir caput mulieris est in regimine 1. *Cor.* 11. Superpositionis est. Et in hoc quòd mulier est in adiutorium data viro, & non econuerso (quia Vir est faciens & operans per se) Suppositionis est. Et sic indiuidua vita tripliciter (aliàs triplicatur) In iure enim vterque pariter obligatus est debito. In Regimine, caput non est sine corpore, nec vir sine muliere: quia secum participat regimen, licet informatio regiminis sit ex parte viri. Et ideò dicitur *Tob.* 10. quòd docuerũt eam diligere maritũ in recognitione iuris matrimonij: Et regere familiam in participatione regiminis. A viro informari: quia Directio pertinet ad virum. In adiutorio etiam est indiuiduitas: quia licet sit secunda, tamen in omnibus, quæ sunt matrimonij, eosdem actus participat generando subseruiendo in omnibus. Hoc enim dicit adiutorium. Et hoc est, quod dicitur *Gen.* 2. Faciamus ei adiutorium simile sibi. Non enim adiutorium simile sibi diceretur, nisi in omnibus eosdem actus participare (aliàs participaret) subministrando in eis & in aliquo ad similia iudicaretur. Hanc indiuiduitatem notat *Apost.* 1. *Cor.* 11. Neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Dominio. Hæc autem indiuiduitas causatur ex consensu coniugali ante carnalèm copulam. Et ideò carnalis copula consequens est matrimonium, nihil existens de substantia eius. Propter quod verum fuit matrimonium beatæ Virginis & Ioseph, & eò sanctius, quò à carnalis commercij concupiscentia fuit immunius: quia Sanctiora sunt coniugia pari voto continentium: vt dicit *Aug.*

Primum inductorum trium tangitur *Isai.* 7. vbi secundum Hebraicam veritatem dicit: Alma Virgo concipiet & pariet filium. Alma autem est custodita: eò quòd paranymphis est credita. 2. *Cor.* 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Desponsata enim exhibebatur *Gen.* 2. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ. De ornatu dicitur *Gen.* 24. Suspendi inaures ad ornandum faciem eius, & armillas in manibus eius. Inauris significat aurem ante omnibus patulam: modò vni inclinatam. Armillæ autem manus opera esse colligata ad vnum. *Cant.* 7 Iuncturæ feminum tuorum sicut monilia, à muniendo dicta, quia muniunt sinum, vt dicit *Isidor.* Ne adulter inferat manum. Et sic de aliis. De Promisso *Lu.* 2. Ascendit Ioseph cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. *Osee.* 2. Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio & in misericordia & in miserationibus: & sponsabo te mihi in fide

Iere.

Iere. 2. Recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ in die, quando secuta es me &c.

Si autem quæritur: Quare Christus de desponsata potius, quàm de non desponsata nasci voluit. *In glo. Origenis* tanguntur octo causæ, sio: Ideò desponsata: Vt significaret Ecclesiam, quæ virgo est & sponsa. *Ephes.* 5. vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata. Ideò viri debent diligere vxores suas. Secunda est: Vt per Ioseph origo Mariæ ostenderetur. De hac autem satis habitum est vt supra. Tertia autem: Vt Ioseph esset testis castitatis eius: Et de hac nunc habitum est: quia sic defenditur ab infamia suspicionis. Quarta est: Ne sicut adultera lapidaretur: sicut fere accidit Susannæ *Dan.* 13. Quinta: Ne Virgo viri solatio destitueretur. *Eccl.* 25. In tribus est beneplacitum Spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, amor proximorum, vir & mulier sibi consentientes. Sexta est, Vt diabolo partus occultaretur.

Sed nonne scit per naturam signa virginitatis? Dicendum, quod totum mysterium incarnationis supra naturam est: & ideò à diabolo secretum. *Isa.* 24. A finibus terræ laudes audiuimus gloriam iusti. Et dixit Secretum meum mihi: secretum meum mihi. Hoc est, secretum in matris pudore, & secretum in incarnatione. *Tob.* 12. Sacramentum regis abscondere bonum est. Septima est: Nè virginibus esset excusatio infamiæ, quæ forte lasciuiores non satis curarent de infamia: Dicentes, quod etiam mater Christi infamata fuerat. Octaua additur à *Chrysostomo* [illegible], quod cauit Christus infamiæ matris, volens potius in se notam habere suspicionis, quod natus sit de viri semine, quam quod mater culparetur de fornicatione. Non enim semper lapidabantur, quæ in domo patris fornicatæ fuerunt. Dicitur enim *Deuter.* 22. Quod si inuenerit quis puellam Virginem, quæ non habet sponsum & concubuerit cum ea: dabit patri puellæ quinquaginta siclos, & habebit eam vxorem. Sed ad hoc dicunt quidam beatam Virginem fuisse ex vna parte de tribu sacerdotali & cognatam Elizabeth: Filiæ autem sacerdotum comburebantur fornicantes in domibus patrum, sicut dicitur *Leuitici.* 21.

Sed ista responsio non est bona: quia per hoc quod fuit cognata Elizabeth, non probatur esse de tribu sacerdotali, sicut ex superius inductis patet: quia puellæ pluribus de causis de tribu in tribum transibant ad matrimonium. Ideò dicendum, quòd puella extra domum patris in campo cognita excusationem habuit, quod destituta fuerit in adiutorio. Sed quæ in domo patris custodita excessit, quando postea desponsata Virgo inuenta non fuit per signa Virginitatis, Vel forte quia impregnata ante desponsationem vel contractum matrimonij apparuit, de tribu sacerdotum comburebantur, & de alia tribu lapidabantur, vt habetur *Leuitici.* 21. His omnibus causis vna melior omnibus ab *Augustino* addenda: Vt videlicet hoc bono prolis (per quod omnis proles matrimonij bonum efficitur) matrimonium sanctificaret. Sic sanctæ Virginis matrimonium tribus suis bonis est perfectum, Fide mutuæ castitatis: Prole, vnitæ cum puero deitatis: Sacramento significato cum spiritu vtriusque coniugum cum Deo indiuiduæ societatis.

Mater.

Ecce Secundum: Quod beatitudinis. Vnde *Luc.* 11. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. *Lu.* 1. Ex hoc enim beatam me dicent omnes generationes. In cuius signum Lia suscipiens filium *Gen.* 30. Hoc pro beatitudine mea. Beatam quippe me dicent omnes mulieres: & ideo vocauit eum Aser, qui interpretatur beatus: & figura est huius beati partus. Hæc autem beatitudo est in ablatione primæ miseriæ; quia nihil habet concupiscentiæ, nihil grauitatis, nihil doloris, nihil corruptionis, nihil infirmitatis. Sed plurimum sanctitatis ex gratia. Multum leuitatis ex non deuirginata natura: Fructum dulcedinis & delectationis ex Dei potentia: Consecrationem integritatis ex deitate in partu profusa: Cumulum vigoris ex ipsa Dei sapientia & virtute parta. Et reddantur singula singulis. De Primo *Luc.* 1. Gratia plena. *Et ibidem*, Inuenisti gratiam apud Deum. De Secundo *Lu.* 1 Sicut leuis ascendit in montana ministrare Elisabeth, *Lu.* 1. vocat se ancillam bis. Primo, Ecce ancilla Domini; Et post: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Ancilla autem dicitur ab an, quod est circum: & cilleo, quod est moueor. Grauis autem in omni obsequio circummoueri non posset. De Tertio *Psal.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleta est anima eius infusione deitatis: & labijs exultationis laudabit os suum. *Psal.* 33. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. *Prouer.* 31. Gustauit & vidit, quòd bona est negociatio eius. De Quarto *Ezech.* 44. Porta hæc clausa est, & non aperietur: quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam. De Quinto *Prouer.* 31. Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. Vltimi enim fines omnium sunt principium deitatis, & finis humanitatis, quæ in ea sunt coniuncta. *Sap.* 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter.

Ecce [Mater] IESV Mater immaculata, Mater intacta, Mater, matris dolores inexperta, Mater incorrupta, Mater vigore pudicitiæ virginalis non destituta, Immaculata, agno immaculato congrua. *Exo.* 12. Erit agnus sine macula. Nunquam enim cum ludentibus se miscuit: nec cum his, qui in leuitate ambulant, participem se præbuit: & mundam seruauit animam suam ab omni concupiscentia *Tob.* 3. Tota igitur formosa est: & macula non est in ea *Cant.* 4. Intacta autem omnino inexperta viri thorum: licet habuerit nuptias honorabiles & thorum immaculatum *Hebr.* 13. *Gen.* 24. Virgo pulcherrima & incognita viro. *Cant.* 1. Lectulus noster floridus flori profecto, ex radice Iesse congruissimus. Dolores matris inexperta. Quia *Isaiæ* 66. Antequam (dolendo) parturiret peperit, & antequam veniret dolorum eius, quos sub cruce sustinuit, tempus peperit masculum. Quis audiuit vnquam tale? aut quis vidit huic simile? In prole igitur, mater virgo dolorum reti expers gaudet corde, lætatur corpore, virgo mater Domini: Mutans nomen Euæ (quæ in dolore

pariet

pariet filios *Genes.* 3. in aue sine væ partus, puerpera existens, Mater incorrupta, quia post partum virgo permansit; sicut sidus radium proferens virgo filium incorrupta. Non enim dedit sanctam suam matrem videre corruptionem: cum in partu notas fecit ei non solum vias, sed eum, qui est via ad vitam, & vita & veritas. Vigore autem pudicitiæ non est destituta, quæ fecit viriliter, amputando caput antiqui inimici castitatis *Iudith.* vlt Præclarior facta est vniuersis terræ Israël. Erat enim virtuti castitas adiuncta: ita vt non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ. Mater

IESV

Cuius IESV. Illius, Qui generationem suam ex matre temporalem, æternæ ex patre assimilat: Qui generationem humanam nouis innumerabilibus immutat & innouat: Qui generatos in generatione corrupta, sua generatione saluat: Qui ruinas cæli reintegrat: Qui integritatem cælestium spirituum in carne & in sanguine exemplificat: Qui cælestium luminarium fæcunditatem in mirabilibus matris ostentat. Æterna autem generatio ex patre sine concupiscentia & sine corruptione: & huic similis est ex matre facta generatio. Sed in hoc differt, quòd in cælis est ex patre sine matre; In terris autem ex matre sine patre: propter quod flori assimilatur, qui secundum Pythagoram in cælo patrem habet sine matre (qui est sol) & in terra matrem sine patre (quæ est terra.) *Cant* 2. Ego flos campi, & lilium conuallium. Ideò *Infra* 3. Nazaræus vocatus. Nouis innumerabilibus immutat Generationem humanam (quæ triplex est. Virginis viri de terra, *Gen.* 1, Et fæminæ virginis de viro *Genes.* 2. Et filij & filiæ virginu, de viro & fæmina non virginibus *Gen.* 4. Et in his generationibus semper id, quod generatur, est virgo) Quarta enim generatione commutat secundam, & à vetustate purgatam innouat quartam *Gen.* 15. Generatione quarta reuertentur. Quæ est Viri virginis de fæmina virgine, *Eccl.* 36. Innoua signa, & immuta mirabilia: da ostensionem, quoniam ab initio creaturæ tuæ sunt. Sic enim datur magnificentia Deo nostro: quia sua perfecta sunt opera *Deut.* 22. Generatos etiam generatione corrupta saluat. *Infra Eadem.* Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum *Isa.* 8. Antequam sciat puer vocare patrem & matrem, detrahentur spolia Damasci. Potus sanguinis interpretatur Damascus: Et significat peccatum, quod ex potu sanguinis est exortu. Ruinas cæli reintegrat: quod de virginibus matri proximis, Angelorum cadentium numerum recompensat. *Amos.* vlt. Suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius: & ea, quæ corruerant, instaurabo, & reædificabo sicut in diebus antiquis. In carne etiam & sanguine integritatem Angelorum exemplificat: quòd cælibum vita sanctorum Angelorum est exemplum. *Iob.* 38 Nunquid nosti ordinem cæli: & rationem eius pones in terra: *Psal.* 57. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, hoc est Angeli: in medio iuuencularum tympanistriarum, hoc est, virginum carnem sicut tympanum castitate exsiccantium & castigatione verberantium, & sono laudis diuinæ sonantium super humilitatis vacuum & deuotionis intimum profundum. Cælestium autem fæcunditatem in mirabilibus matris ostentat: quod sicut sidera radios sine corruptione terræ præferunt, & in terrenis sordibus non inficiuntur: Sic gratia matris fæcundæ emitit lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nec inficitur cænulentis actibus peccatorum. Propter quod *Cant.* 6. dicitur pulchra vt luna, electa vt sol Et *in Apoc.* 12. Amicta sole & luna sub pedibus eius: & corona stellarum duodecim in capite eius. Hæc est mater IESV.

Maria.

Ecce Tertium, quod ad clari nominis pertinet cognitionem. Illuminatrix enim, & Stella maris, & Domina, & Amarum mare, non vacua significatione Maria interpretatur. Quorum primum pertinet ad beatitudinis sanctorum gloriam: Secundum ad fluctuantium in hoc mari misericordiam: Tertium autem ad omninum iustorum præcellentiam eximiam: Et Quartum ad omnium peccatorum pænitentium veniam.

Ipsa enim & Illuminat sanctos in gloria: Et fluctuantibus in procellis tentationum, in dubijs est præuia: Et omnium iustorum, quibus meretur gratiam, Domina: Et pænitentium & gementium propitiationis indulgentia. Amicitur sole, vt illuminet: Stat sicut signum in cælo, ad quod fluctuans, nauim cordis eijcere tentet. Coronatur stellis: quia claritatem virtutis omninum sanctorum vt princeps & Domina possidet. Clamat parturiens: vt omnibus in amaritudine cordis clamantibus, ad similem compassionis affectum se conformet. *Isa.* 26 Sicut quæ concepit, cu appropropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus: a facie tua, Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. Hæc est aurora consurgens, ex qua est ortus sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius *Malach.* 4. Et ideò illuminatrix. Hæc est stella orta ex Iacob *Nume.* 24. & ideò stella maris. Hæc est Regina, quæ astitit in varietate virtutum, in vestitu de aurato, splendore deitatis in eam superuenientis: Et ideò Domina. Hæc est propitiatorium, super quod propitiatur Dominus peccatoribus *Exo.* 26. Et ideò amarum mare. Ecce mater IESV MARIA desponsata.

Ioseph.

Ecce Quartum, quod pertinet ad virtutis laudem; Quòd iusto Ioseph desponsata (vt dicit *Origenes*) sed non in concupiscentia iuncta, Et attende vtriusque coniugum virginitatis propositum *In Lu.* 1, dicitur, quòd Angelus missus est à Deo ad virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph. Et hoc dicitur, quòd inuenta est in vtero habens, antequam conuenirent. Cùm igitur esset desponsata ante annunciationem; & assignata ei, vt tradunt Patres, vsque ad tempus, quo per tumorem ventris inuenta est in vtero habens: non continuissent, nisi pari consensu virginitatis habuissent propositum. Plus enim quàm sex menses effluxerant ab annunciatione; & ante annunciationem legitur desponsata fuisse. Hoc etiam significanter exprimitur per expressionem nominis. Et

ideò istud est quartum, quod ad laudes virtutis refertur: quia si dissoluta in annis nubilibus existens: non iustum & sanctum accepisset. Laus autem Ioseph exprimitur in quatuor: in Dei videlicet familiaritate: in clarorum virorum æquiuocatione: in propositi sanctitate: & in virtutis commendatione. Familiaritas Dei notatur in duobus: in nominis expressione, & in Angelorum crebra visitatione. De primo habemus *Exod.* 33. inuenisti gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine *Ioan.* 10. Proprias oues vocat nominatim. *Isa.* 65. Seruos suos vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est, benedicetur. De secundo autem multum est hic & in sequenti capitulo. Instruit Angelus dubitantem: docet in Ægyptum fugientem: dirigit reuertentem: erudit in Nazareth manentem *Psal.* 88. Locutus es in visione sanctis tuis. Et hæc omnia complet non per ænigmata & figuras, sed potius aperte & clara reuelatione. *Nume.* 12. Ore ad os loquor ei & palam, & non per ænigmata, & figuras Deum videt, hoc est, Angelum loco Dei reuelantem: quia etiam ad Moysem non nisi Angelus loquebatur. *Osee* 12. Ego visiones multiplicaui eis. Clarorum virorum æquiuocatio est Ioseph Patriarchæ præcedentis, & Ioseph ab Arimathia sequentis. Quorum vnus typum gerit Saluatoris *Gen.* 41. Alter officium exhibet mortuo pietatis. Vnus in venditione ferè cum IESV similia patitur: alter autem in sepeliendi obsequio, Virginem matrem exemplariter imitatur. Sepelit enim in sepulchro, in quo nondum quis positus fuerat, vnde clausis signaculis exiuit: sicut & in vtero solus carnem induit, & claustris pudoris intactis exiuit. Hic autem Ioseph medius horum, & matri obsequitur in testimonio castitatis, & nato impendit officia pietatis: & in Ægyptum fugit vt Ioseph Patriarcha saluatus, & expensas exhibet vt Ioseph ab Arimathia. *Ecclesiast.* 45. Similem fecit illum in gloria sanctorum *Ecclesia.* 24. in plenitudine sancta admirabitur; & in multitudine electorum habebit laudem: & inter benedictos benedicetur. *Sap.* 8. In conspectu potentium admirabilis ero: & facies principum mirabuntur me. De propositi autem sanctitate iam in parte dictum est: quia propositum habebat perpetuæ castitatis: Aliter enim pollutus temerariè tractaret corpus Redemptoris, & speculum munditiæ corpus sanctissimæ matris. *Isa.* 52. Mundamini, qui fertis vasa Domini. Oza percussus, extendens manum ad arcam, quæ non nisi figura obscura fuit sanctitatis huius: eo quòd pollutus erat in coniuge. 2. *Reg.* 6. Quantò magis Ioseph numquam auderet exhibere curam, si aliquam castitatis passus esset maculam. *Exo.* 19. præcipitur filiis Israël, quòd lauent vestimenta, & non appropinquent vxoribus, visuri ignem & fumum circa Deum: multò magis manibus tractãtes castitatis florem, perpetuæ creduntur habere castitatis propositum. Adhuc quænam ratio esset Sapientiæ Dei, vt matri Virgini pollutum eligeret testem & tutorem: Virtutis autem commendatio statim habebitur, cum dicit [Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus]

Antequam conuenirent.

Ecce Quintum: quod ad sinceritatis pertinet pudorem virgineum. Est enim sincera Virginitas, omnem viri tam corde, quàm corpore formidare conuentum, & nullo modo admittere posse. Hæc autem sinceritas virginea (alias sincera Virginitas) in quinque consistit. Nam secundùm causam est in diuina munditia, quam contemplatur: secundum exemplum in puritate Angelica, cui comparatur: secũdum essentiam est in corde, quod afficit: secundum effectum in corpore, quod continet: & secundum signum in sensibus, quos grato quodam pudore concludit.

Causa enim sinceritatis sanctæ est integritas & munditia diuina, quam continuè meditatur Virgo sancta. Propter quod *Aug.* dicit, quòd Virginitas est in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio, vt illi se spiritui studeat iungere per affectum sapientiæ: qui marcescere non potest per concupiscentiam. *Sap.* 7. Propter munditiam suam nihil inquinatum incurrit in illam. Et *Ibidem.* 8. Hanc amaui & exquisiui mihi sponsam accipere: & amator factus sum formæ illius.

Per Exemplum autem assiduè se comparat Angelis, quibus grata est sancta virginitas; & in medio sanctarum virginum libenter assistunt, Quia *Mat.* 22. Qui neque nubent, neque nubentur, sicut sunt Angeli Dei in cælis.

Per essentiam in corde: Vt nunquam concupiscat virum, sed mundam seruet animam suam ab omni concupiscentia *Tob.* 3.

Per effectum continentiæ in corpore attendens illud *Sap.* 3. Fœlix sterilis & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto: habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

In Signo est in pudore sensuum. *Eccl.* 26. Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata. Non enim aliqua ponderatio digna continentis animæ. E contra de Vagis, Garrulis, Quietis impatientibus, quia non valent in domo consistere pedibus suis. *Prouer.* 7. Dicit *Petrus* 2. *canon.* 2. Oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti: pellicientes animas instabiles, hoc est, nitore quodam & fuco pellis decipientes. *Psal.* 118. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Et *Iob.* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem quidem de Virgine. Quia sicut dicitur *Eccle.* 26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum & in palpebris illius cognoscitur. Ad hoc significandum dicitur *Mat.* 25. quod quinque sunt prudentes virgines & quinque fatuæ per oppositum.

Sed insurgit hic Heluidius hæreticus, dicens ex modo locutionis significari, quia licet Saluatorem beata Virgo conceperit, antequam conuenirent, tamen alios concepit & peperit, postquam conuenerunt. Qui fratres & sorores Domini dicuntur *Mat.* 13. Sed mentita est iniquitas sibi. Iste enim modus locutionis vitiatur. Sicut dicimus de inimico: Nunquam salutauit eum, antequam interfectus est ab eo; & constat, quod postquam interfectus est, non salutauit eum. Adhuc de peccatore finaliter impœnitente dicimus: Cum multoties moneretur, non pœnituit, antequam suspensus fuerit. Et in sacra scriptura 1. *Reg.* 3. Heli non vidit lucernam Dei, antequam extingueretur; & constat quod postea quam extincta fuerit, videre non potuit. Talis igitur est & hic modus loquendi. Non enim poterat vir iustus & sanctus etiam cogitare de pollutione vteri, quem auro sui splendoris & sanctitatis ornauit

Deus, corporaliter in eo habitans. Totum enim corpus & maximè vterum splendore sanctitatis ornauit diuinitas. Sicut dicitur *Ezech.* 43. Quòd cum ingrederetur gloria Domini in templum, resplenduit tota terra à præsentia maiestatis eius. Hoc significatum est *Exo.* 25. vbi præcepit Dominus arcam factam de lignis Sethim imputribilibus vestiri intus, & extra de auro mundissimo. Quod significat corpus Virginis imputribile per concupiscentiam. Præcepit etiam vrnam fieri de auro mundissimo, in quo manna reponebatur, per quam significatur Virginis vterus panem cæli in se habens reconditum.

Surgit autem quæstio hic: quia litera videtur contradicere his, quæ ante dicta sunt: quia dictum est, quòd desponsatione facta, sponsa sponso assignabatur: ergo ante annunciationem conuenerunt ad cohabitandum, & sic non est inuenta in vtero habens, antequam conuenirent.

Sed ad hoc dicendum quòd absque dubio secundum dicta sanctorum Patrum; antequam conuenerant ad cohabitandum. Sed ex nimia confidentia sanctitatis virginis, qua prohibebatur Ioseph ab omni mala suspicione habenda de coniuge, liberè permisit ire & redire, quò vellet. Et ideò recedens ab ipso ad obsequium cognatæ Elisabeth: vltra spatium trium mensium ab eo sequestrata fuit: & antequam conuenirent in reditu ipsa & Ioseph, facta sunt ea, quæ hic dicuntur. Et hæc responsio trahitur à *Chrysostomo*.

Inuenta est in vtero habens.

Inuenta procul dubio à Ioseph familiari eius nutritio. Et hoc est nouum omni nouo: Noua enim quædam fecerat ante, & fecit post hoc Dominus: Quòd cæcos illuminauit; Quod claudis gressum reddidit. *Isa.* 35. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aperta erit lingua mutorum: tunc saliet sicut ceruus claudus &c. *Mat.* 11. Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mortui resurgunt. [illegible] his facultate & potestate [illegible] quòd postea opera vitæ per illas [illegible] facultates. Cæco enim [illegible] visio [illegible] est, si videat; Et idem est de aliis.

Sed [illegible] non habendi in vtero manente & custodita & [illegible] & consecrata in virgine (quæ est virginitas)

Inuenitur in vtero habens.

Mirum in modum. Quod & [illegible] *Luc.* 1. Quomodo [illegible] non cognosco. Nullo enim (pro certo) modo fieri posset, nisi per eum, cui non est impossibile omne verbum. Hoc est ergo [illegible] mirum, quod [illegible] non potest. Gratia non capit, [illegible], Angeli prædicant, Prophetæ in gaudio [illegible] *Iere.* 31. Nouum faciet Dominus super terram: fœmina circundabit virum. *Isa.* 66. Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic simile? *Apoc.* 21. Dixit qui sedebat in throno: ecce noua facio omnia. Impossibile [illegible] hoc pro certo esset: nisi virtus Altissimi obumbraret Virgini. Non enim (aliàs tamen) vmbram habet virtus Altissimi obscuram & frigidam & terream, sicut corpus opacum & tenebrosum; Sed Vmbra vocatur hic imago ad similitudinem resultans, sicut forma in speculo resultans vmbra vocatur. *Heb.* 10. dicitur. Vmbram habens lex futurorum bonorum. Et quod sequitur: non ipsam imaginem rerum, dictum est, eo quod veritatem rerum gratiæ, per quas completa est, non habet. Sic igitur (non de inferioribus operibus & virtutibus Dei veniens de altissimis) Altissimi virtus in eam descendens imaginem suam impressit in eam, qua hoc fieri in ea potuit, quod omni creaturæ impossibile fuit, non modò perficere, sed etiam cognoscere. Sic ergo *Apoc* 12. Signû magnu & mirabile apparuit in cælo: mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & corona duodecim stellarum in capite eius; & habebat in vtero, & clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat. Clamabat quidem potiùs magnitudine miraculi, quàm doloris experientia. Et cruciatus eius est de conceptis per affectum misericordiæ, in quibus eum, quem portauit in vtero, formari desiderat. Sicut in *Psal.* 4. Mirificauit Dominus sanctum suum. Sic *Isa.* 7. Ipse Dominus dabit vobis signum de Virginis conceptu & partu. Sic *Isa.* 10 Verbu abbreuiatum fecit Dominus super terram. Abbreuiatum, inquam, non amputatum, vel mutilatum, videlicet in aliqua parte sui diminutum. Hoc enim vt *Origenes in Periarchon* dicit, dictum est: Sicut si intelligamus hominem caput in immensum extra cælum porrigentem, & pedes in infinitum per abyssum extendentem, & manus vltra omnem mensuram latitudinis per Orientem & Occidentem expandentem, & tantæ spissitudinis, quòd anteriora pectoris & posteriora dorsi omnem excedant mensuram profunditatis extra austrum & aquilonem; Hic enim homo nobis est inuisibilis & incognoscibilis: nec videmus de ipso nisi quiddam interminatum & infinitum. Facio autem imaginem sibi per omnia similem, non æqualem ad longitudinem duorum cubitorum & statuo illam ante oculos. Et dico: Sic sunt manus & sic oculi, & ita caput, & cætera membra magni hominis, sicut vides in isto. Parua enim imago in nulla similitudine deficit à magni hominis imagine. Sicut etiam in fabulis pythagoricis Atlas describitur: Sic Verbum abbreuiatum fecit Dominus in vtero Virginis; non demembratum, quod nobis commensuratum totam ostenderet immensitatem deitatis. Et ideò mira res est istius vteri, in quo virtus resultat Altissimi, & abbreuiatio sine diminutione efficitur filij incarnati: vt breuitas secundum carnem intelligatur; & permanentia immensitatis secundum deitatem. In hoc enim deficit similitudo corporalis in duabus inductis imaginibus; quia in verbo abbreuiato in vno & eodẽ Christo est immensitas deitatis & abbreuiatio carnis, cui se commetitur diuinitas. Ibi autem immensum & abbreuiatum in vno & eodem esse non possunt. Sic igitur Inuenta est in vtero habens.

De Spiritu sancto.

Et in hoc notatur completa & omnimoda eius sanctitas. Est autem locutio duplex secundum distinctiones Sophistarum (aliàs sophisticam) ex compositione & diuisione. Hoc enim, In vtero habens de Spiritu sancto, potest totum referri simul ad participium, inuenta; Vel tantum prima pars, quæ est: In vtero habens; Et sic diuisim (aliàs diuisam) intelligendam

gendam esse locutionem istam, inferiùs ostendit Angelus, quando Ioseph cogitante eam dimittere, pro ratione, quòd non debeat dimitti, assignat de Spiritu sancto esse, quod in ea natum est. Cum autem dicitur: de Spiritu sancto, præpositio notat potestatem, & non materiam: Sicut cùm dico: quòd iste honoratur, est de potestate Imperatoris: & quòd ille alius suspenditur, de furto: quando tamen furtum non est materia suspensionis: nec Rex, vel potestas eius est materia honoris.

Mentiuntur ergo hæretici Eluidiani, qui dicunt spiritum sanctum esse patrem Christi secundũ temporalem eius generationem: quia Pater est, qui de substantia sua generat: Quod non fecit Spiritus sanctus. Dictũ autem est de hoc in proœmio.

Tria ergo dicit. In præpositone enim notat Potestatem: Vt non credas in generatione esse patris alicuius materiam seminalẽ, *Isa* 53. Ascendet sicut virgultum coram eo: & sicut radix de terra sitienti. Radicis enim non est radix: & ideò radix prima generationis Christi, fuit verbum filius Dei, non alia radix: Sicut semen dicitur esse radix generationis. Et ideò vterus Virginis, terræ sitienti, siue arenti comparatur: quia nullo virilis humoris semine est infusus. Et item *Isa.* 11. flos dicitur de radice ascendere: quia flos paruuli concepti, de radice prodijt deitatis: Nec aliam habuit radicem suæ generationis: Sicut flos patrem non habet nisi cælestem, sicut in antehabitis secundum Pythagoram dictum est. Secundum est: Quòd dicit spiritum operatorem huius generationis: vt omnino sine carnali concupiscentia factam intelligas. *Gal.* 5 Spiritus concupiscit aduersus carnem. *Lu.* 1. Spiritus sanctus superueniet in te &c. Tertiò dicit [sanctum.] Vt intelligas gratia plenum. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à patre: plenum gratiæ & veritatis.

A Primo habet hæc generatio, quòd secundum efficientem causam est diuina: A Secundo, quòd est absque matre peccati originalis, quæ est concupiscentia: A Tertio, quòd est abundans in reconciliationis gratia. *Ioan.* 1. De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia.

Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Ecce Secunda pars: contra præcedens totum diuisa. Vbi à Deo ordinatur diligentia obsequij, tam matri, quàm puero necessaria. Et hæc diuiditur in duo: In quorum Primo inducit dubitationem Ioseph, circa conceptum beatæ matris & Virginis: vt locum cognitum habeat & causam, sequens reuelatio. Et Secundo inducit ipsam reuelationem, obsequium impendendum puero & matri, præordinantem.

In Primo horum tangit quatuor. Quorum Primum est ratio obligationis, quam habebat ad non dimittendum. Secundum laus eius, ex qua fuit idoneitas eius ab obsequendum. Tertium pietas & humilitas: quas virtutes habuit inclinantes, ad se tantæ sanctitati subducendum. Quartum autem est consilium; quod conceperat ad recedendum.

Primum ergo horum est causa obligationis, quam habebat ad manendum. Et hoc est,

Ioseph autem vir eius.

A fide sponsionis vir eius dicitur. 1. *Cor.* 11. Caput mulieris vir. *Iob.* 1 Erat vir ille magnus inter omnes orientales. Nec dicitur vir ab experientia sexus, quem experta fuerit. *Osea.* 2. Vocabis me vir meus: Cum tamen nihil carnalis cogitationis (Aliàs cognitionis) interuenerit: sed tantùm sponsionis fides. Et ideò talis sponsus: Cura quidem est vt pater, sponsione vir, & custodia castitatis: dux virginitati coniugis. *Iere.* 3 Inuoca me: pater meus es tu: dux virginitatis meæ tu es.

Cum esset iustus.

Ecce Secundum, ex quo fuit idoneus, & ad testificandum de castitate, ad curam exhibendam in educatione *Iob.* 1. Vir simplex & rectus & recedens à malo simile de parentibus, Ioannis *Lu.* 1. Erant ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Iustus autem dicitur à iustitia generali, quæ est omnis virtus, lege vel præcepto regulata: virtus enim est in se accepta Deo. Sed quando perficitur ex obedientia legis; tunc quælibet virtus vocatur iustitia. Si enim iniustus non permittitur enarrare verbum Dei In *Psal.* 49. Peccatori autem dixit: Deus: quare &c. Multò minus permitteretur tractare & educare.

Sed obijcitur, Videtur enim non esse iustus, si putabat adulteram, & hanc celare voluit, occultè dimittendo eam. Quia *Leuit.* 5. deputatur crimen illi, qui celat criminosum. *Rom.* 1. Non solùm qui faciunt, digni sunt morte: sed etiam, qui consentiunt facientibus. *Glo. ibid.* Consentit, qui cum possit arguere tacet. Respondeo, secundum *Chrys.* Non habuit suspicionem; Quia credebat possibilius esse, quòd virgo cõcepisset quàm quòd nefas perpetrasset. Et ideò dixi, quòd ex iustitia laudatur de idoneitate ad custodiam castitatis & educationis obsequium.

Potest tamen etiam dici secundum alios, quòd Iustus in dubiis non statim prodit. Sed si crimen certum esset: tunc proderet, si incorrigibilitatem videret. Et sicut dicit *Chrysost.* Boni animi magis est se habere ad hoc in dubiis, quòd nocens euadat, quàm quòd innocens condemnetur: quia nocens pænitere potest, si euadit: Innocenter autem interfectus non redit ad vitam.

Et nollet eam traducere.

Ecce tertium. In quo notantur duæ ipsius virtutes: pietas scilicet ad coniugem, & humilitas ad seipsum. Quia cum dubius fuit, non spiritu zelotypiæ incitatus, statim accusauit eam. Vnde vbi nos habemus,

Nollet eam traducere.

Græcus sermo habet

Nollet eam propalare.

Vnde glosa dicit, quòd vera virtus est: cum nec pietas sine iustitia; nec sine pietate iustitia est: quæ virtutes separatæ ab inuicem dilabuntur. Iam enim aliquid gratiæ accepit ex conceptu coniugis: qui postea & ream & accusatam & conuictam, iustè & piè liberauit. Iustè quidem: quia dixit similem in crimine non debere quenquam accusare. Piè autem, quando eam, quam ipse

sine crimine existens condemnare potuit, absoluit *Ioan.* 8. dicens: Nec ego te condemnabo: Vade, & iam amplius noli peccare. Iustitia autem Pharisæorum est, quæ non quærit corrigere, sed condemnare, & est separata à pietate. *Matt.* 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Pietas enim est beneuolentia in homines, & maximè in parentes. Et ideò illa dulcedine mulcet cor in Angore iustitiæ: & per clementiam mitigat iudicium in pænæ inflictione. Aliter exponeretur.

Nollet eam traducere.

In domum suam ad cohabitandum: quia licet iam traduxerit: tamen quia exierat ad obsequium Elisabeth, oportebat iterari traductionem, & hanc nolebat facere propter humilitatem reputans, quòd tam gloriosæ Dominæ (quam Deus pater filio, de corde suo sibi consubstantiali genito, matrem præparauerat: Et in qua Deus filius corporaliter habitauerat: Et quam Spiritus sanctus sanctificauerat in matrem eius: de quo secundum processionem æternam procedebat) non esse satis idoneus ad seruiendum: Passus hoc, quod & Petrus passus est *Luc.* 5. Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Sicut & Moyses texit oculos, quando vidit ignem in rubo: Quod signum fuit deitatis in virgine. *Exo*, 3.

Voluit occultè dimittere eam.

Reputans Deum aut per Angelos, aut per meliores se homines, diligentiam obsequij exhibiturum, præcipuè quia scriptum legerat *Malach.* 3. Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam. Et illud *Psal.* 103. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos &c. Et attende Pietatem Ioseph, cùm dimittere deliberauerat, quod esse videbatur seueritatis: statim ex seipso temperauit, quòd occultè disposuit hoc facere: quia si manifestè hoc faceret, secundum legem non poterat facere nisi altero duorum modorum, scilicet aut per iudicium Zelotypiæ *Num* 5. Et tunc oporteret, quòd obiiceret ei adulterij suspicionem, quam de tanta sanctitate habere non potuit: Aut quòd daret ei libellum repudij. *Deut.* 24 Et tunc oporteret, quòd inscriberet ei fœditates viro intolerabiles: quod iterum iurgium facere beatæ Virgini reputauit. Et ideò sicut iustus cogitauit dimittere, & sicut pius disposuit non accusare, & sicut sapiens voluit id facere occultè, Quia hoc fuit tutius, quod consilio humano poterat inuenire: & sicut humilis id poterat facere sine iniuria diuina, quam credebat incurrere ex præsumptione.

Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini in somnis apparuit Ioseph.

Istud est secundum, quod diuiditur contra præcedens immediatum. Deficiente enim consilio humano iustis hominibus, semper adest consilium diuinum. 2. Para, 20. Cum ignoramus, quid agere debeamus: hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te *Ierem.* 33. Clama ad me: & ergo exaudiam te & annunciabo tibi grandia & firma, quæ nescis. Ideò fluctuanti inter iustitiam & pietatem & humilitatem, sapientiæ humanæ se multum per multa consilia excitare (aliàs excitanti) adest diuina illuminatio facta per Angelum.

Et dicuntur hic duo. Primò enim inducitur fluctuatio Ioseph; quæ dicta est per hoc, quod dicitur.

Hæc autem eo cogitante.

Hoc est, coagitante & conferente per diuersas rationes in corde. *Prouerb.* 11. Salus, vbi multa consilia. Iob, 29. Causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.

Secundum inducitur reuelatio facta, cum dicitur [Ecce Angelus] Et dicuntur hic duo: Instructio reuelantis, & simplex obedientia reuelationem accipientis. Ibi, Exurgens autem Ioseph à somno. In Prima harum partium tria dicuntur, scilicet descriptio reuelantis, & eius, cui facta est reuelatio: & expressio reuelationis Ibi [Ioseph fili Dauid &c.] Et Confirmatio rei reuelatæ per consonantiam scripturæ: Ibi [Hoc autem totum factum est]

Circa Primum horum dicit duo. Describit enim reuelantem primò: & Eum, cui facta est reuelatio, secundò.

Reuelantem autem describit ab euidentia demonstrabilitatis, ab officio nunciationis & ab auctoritate mittentis, & à modo suæ ostensionis. Per aduerbium enim notatur demonstrabilitatis euidentia: Non enim est res ad sensum, vel intellectum demonstrata, cum inducitur, sed quæ sui claritate demonstrat se ipsam: & ideò indicio exteriori non indiget. Sicut dicimus claro die: Ecce sol; Et optimum habentes vinum, quod se in omni virtute vini demonstrat: ecce vinum. Ita puto tanta claritate luminis interni perfusum esse Ioseph, vt ipsa claritas fugaret omne dubium: & omne quod debuit sciri de proposito (quod in animo voluebat) impetu vno demonstraret. *Act.* 26. Non fui incredulus cælesti visioni. Credendum enim est, quòd donum discretionis spirituum habet: 1. *Cor.* 12. Alij per spiritum datur discretio spirituum 1. *Reg.* 2. Nunquid non apertè reuelatus sum Domui patris tui?

Angelus.

Ecce Nuncius reuelationis, quia Angelus nuncius interpretatur, *Zach.* 1, Angelus, qui loquebatur in me. Videtur autem quòd per seipsum apparere debuit Dominus: quia dignius, vt appareat in his, quæ sunt filij per seipsum: quia & patribus per seipsum apparuit *Genes.* 32. Vidi Dominū facie ad faciem. *Iob vlt.* Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te. *Nume.* 12, Palam, & non per ænigmata Deum videt.

Ad hoc dicit *Diony.* quòd in tantum custodit Deus legem ordinis naturæ, quem instituit (qui est per prima media, & per media vltima diuinis illuminationibus reducere) quod etiam quando filius vltimam naturam sibi vniuit, eos, qui circa eum erant (tamen in gradu vltimæ naturæ, sicut dicitur *Psal.* 8 Minuisti hominem Paulo minus ab Angelis) noluit nisi per mediam naturam, hoc est, per Angelos illuminare: vt

vnaquæque naturarum in gradu suo ministraret ci[illegible]amentum redemptionis. Et ideò dicit *Alex[illegible] in Li. De Motu cordis*, quòd anima humana illuminationum, quæ sunt à primo vltima relatione (aliàs reuelatione) est perceptiua: Angelus autem secundum sui naturam prima relatione (aliàs reuelatione) recipit easdem. Et hæc responsio est vera. Cuius signum est *Isa.* 6. Cum propheta staret iuxta thronum: non illuminabatur à Deo: sed volauit ad eum vnus de Seraphim, & illuminauit, & purgauit eum. *Dan.* 9. Gabriel fac intelligere istam visionem.

Ad id, quod inducitur de Patribus, respondet *Aug. in 4. de Trini.* (aliàs *Ciuitate*) dicens: quòd omnia, quæ patribus facta sunt, per Angelos facta sunt: qui Deus & Dominus dicuntur: quia in persona Domini apparuerunt. *Gal.* 3. Lex in manu mediatoris posita est, ordinata per Angelos in manu mediatoris, donec veniret semen, cui promiserat. Non enim esset ratio, quare sapiens Deus ordinem descensus illuminationum confunderet, quem ipse sua sapientia dispensauit *Psalm.* 77. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, hoc est, à virtutibus Angelicis, tuam æternitatem per confirmationem participantibus. Hoc dicit *Dionys.* significari per ea, quæ dicuntur *Psal* 6. Ibi enim Seraphin stabant super solium sine medio Deo coniuncti: & ea, quæ sub solio erant, replebant templum, Hoc est, inferiores illuminationes & splendores ab his, qui stabant in solio, replent Ecclesiam Militantem. Sequitur.

Domini.

Ecce auctoritas. Non enim erat Angelus sathanæ, qui se transfigurat in Angelum lucis. 2. *Cor.* 11. Neque spiritus mendax, qui decepit Achab in ore pseudoprophetarum eius. 3. *Reg.* 6. Angelus enim sathanæ mendax est, & pater eius *Io.* 8. sed Angelus Domini, Sicut Angelus Domini dixit Ioanni *Apoc.* 22. Hæc verba fidelissima sunt & vera. Hi enim Angeli Domini verè dicere possunt illud 2. *Pet.* 1. Non indoctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri virtutem & præscientiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Hi enim sunt, de quibus dicitur *Matt.* 18. Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. Et dum vident, ipso intuitu recipiunt illuminationes, quas sanctis deferunt. *Iob.* 25. Nunquid est numerus militum eius: & super quem non surget lumen eius: Lumen autem Domini: omnis veritatis est fons & origo & causa. Iste ergo talis Angelus Domini.

Apparuit.

Ecce modus, per quem se demonstrauit. Et attende, quòd quædam demonstrantur homini secundum potestatem hominis: & Quædam demonstrantur secūdum potestatem rerum demonstratarum. Quædam autem demonstratur secundū potestatē superiorū siue cælestiū illuminationum.

Et prima quidem, quæ secundum potestatem hominis sunt, ex Duplici causa oriuntur: Aliquando enim oriuntur ex corporis passionibus. Sicut homo videt & imaginatur, circa quod terribiliter vel concupiscibiliter corporaliter affe-

ctus est: Aliquando oriuntur ab ipsa hominis cogitatione. Et vtroque istorum modorum sunt ista fallibilia: Sicut & ipse homo mendax in *Ps.* 115. Omnis homo mendax. *Ro.* 3. Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax. *Nu.* 23. Non est Deus vt homo, vt mentiatur: neque vt filius hominis, vt mutetur.

Quæ autem sunt secundum potestatem rerum, quæ demonstrantur in anima, veriora quidem sunt: sed tamen vana. Et illa sunt, per quorum principia accipimus scientias rerum: sicut quòd Omne totum est maius sua parte, quæcumque vni & eidem sunt æqualia: inter se sunt æqualia: Et quòd non contingit simul affirmare & negare, & huiusmodi: quæ tamen vana sunt. Et ideò *Apostol.* 1. *Corinth.* 1. Perdam sapientiam sapientium: & prudentiam prudentium reprobabo.

Ea autem, quæ non voluntate hominum, neque ex coniecturis rerum ostenduntur: non secundum potestatem hominum demonstrantur; sed vi illuminationis cælestium, vbi Deus habitat lucem inaccessibilem. 1. *Timo.* 6. Et illa veniunt secundum potestatem superioris naturæ in nos descendentia: & illa sola apparent, hoc est, ad nos descendentia apparent: quia de scientia illorum dicitur *Psal.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam: supra posse enim nostræ facultatis existens, quantum vult, & cui, & quando, & quomodo vult, apparet. Et hoc est, quod dicit *Gl.* quæ sumitur *de li. Augustini De Videndo Deo ad Probam.*

Apparuit.

Hoc verbo significatur potestas apparentis Qui quando vult, & quomodo vult, se exhibet videndum. Et hoc importat verbum apparitionis, quod sonat motum illuminationis, vel illuminantis ad animam, non secundum facultatem scilicet animæ; sed superioris naturæ potestatem perfectum.

In somnis.

Ecce Secundum: Vbi describitur dispositio Ioseph, cui facta est apparitio. Describit autem dispositionem facientem ad veritatem apparitionis, cum dicitur [in somnis] Attende igitur, quòd dicitur.

In somnis.

Est enim Somnus ligamentum sensuum, sicut dicit *Philosophus in Lib. de Somno & vig.* Hoc autem ligamentum prouenit ex eo quòd spiritus lucidi & calor naturalis [illegible] in organis sensuum: & frigiditas à cerebro descendens quasi paralyticando immobilitat organa sensuum, quòd non immutantur à rebus sensibilibus etiamsi coram organis [illegible].

Hæc autem frigiditas ex tribus prouenit causis. Vna est Fumus ciborum resolutus ex loco digestionis, hoc est, ex stomacho ad caput, qui ad craneum capitis reuerberatur in cerebrum, & resoluitur in aquam phlegmaticam ex ipsa cerebri frigiditate, & propellitur ad sensus sensuum (aliàs communem) in principiis neruorum sensibilium (aliàs sensitiuorum) qui omnes à cerebro veniunt: & ideò sensu paralyticato in illis principiis clauditur in toto corpore, & tunc homo, & quodli-

bet aliud animal dormit, donec ille fumus quiescit. Et de hoc somno dicit *Philosophus* quòd est filius apoplexiæ & paralysis. Aliquando prouenit ex fatigatione: quia nimis laborantis (aliàs laborando) organa sensuum resoluuntur, & expirans ex eis spiritus & calor: tunc origines sensuum, hoc est, nerui sensuum à cerebro descendentes ex vicinitate cerebri, iterum infrigidantur & immobilitantur sensus, & tunc iterum animal dormit. Et de hoc dicitur in *Ecclesiaste.* 5. Dulcis est somnus laboranti, siue multum, siue parum comedat. Tertia causa est: quando multum, conuertitur anima ad interiora contemplanda: Tunc enim abstrahitur spiritus animalis & calor ab exterioribus: & spiritus mouetur ad interiora, & calor similiter, qui semper sequitur spiritum: & tunc exteriores sensus infrigidantur ex cerebro, in principijs neruorum, qui diriguntur à cerebro in organa sensuum: & tunc iterum homo dormit. Sicut frequenter obdormiunt subtilia cogitantes, & deuotè orantes. Sicut dicitur in *Cant.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat.

Primus igitur somnus est causa visionis fallacis propter obscuritatem fumi, qui reflectitur in (aliàs ex) ipso, & obscurè recipit formas, quas portat: & ex motibus fumi à stomacho dissipat motus earum ex qualitate causatas. Sicut calidus existens facit videri flammas: Frigidus aquam frigidam, vel glaciem, vel aliquid huiusmodi.

Ille autem qui est ex labore, parum facit videre: nisi quod speratur, vel timetur ex labore illo: vel quod in vsu habetur ad manus, circa quod sollicitudo est. Et huiusmodi motus sunt etiam in laborantibus ex febre, vel parturitione: ex motibus fumorum, quando labor liquefacit humidum, & fumus ille redundat ad caput. Et omnia taliter visa sunt fallacia. Vnde *Eccl.* 34. Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malè facientium vanitas est. Sicut enim parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi fuerit ab Altissimo emissa visitatio.

In tertia autem causa somni rarò est deceptio: quia non apparent in ea frequenter, nisi veræ intelligentiæ. Et talis fuit somnus sancti Ioseph, qui secundùm intellectum in agonia fuit, meditando quidnam esset, quòd in tam sancta impraegnatio apparuit: & sic auersus à sensibus obdormiuit.

Sed secundum hoc videtur, quòd hæc apparitio fuerit somnium: quia dicit *Philos.* quòd Somnium est passio somni siue dormitionis. Hoc etiam videtur *per glo. super idem verbum*: quæ dicit: In somnis apparuit, non manifesta visione: quia dubietate anima premebatur, velut somno infidelitatis.

Præterea quæritur. Quare Ioseph in somnis apparuit: & Zachariæ & beatæ Virgini manifestè ad sensum. Si enim, vt dicit *Glo.* propter dubietatem apparuit in somnis Ioseph: multo magis propter maiorem dubietatem in somnis debuit apparere Zachariæ.

Ad hoc dicendum, quòd, vt mihi videtur, nulla minoratio est apparitionis sentienda circa Ioseph: quia omnia certissima sunt, quæ dicuntur de sacramento nostræ redemptionis: nec talia ad illusiones somniorum sunt referenda.

Propter hoc notandum est, quòd aliquando fit reuelatio in somnis & per somnium: & aliquando fit reuelatio in somnis, & non per somnium: sed aut per oraculum, vt dicitur in somnio Scipionis: Aut per veram intellectualem visionem, vt dicit *Arist.*

Reuelatio autem, quæ fit in somnis, & per somnium, quando aliquid futurum præsignatur in imaginaria visione, quæ fit in somnis: quia somnium semper habet coniunctam secum imaginariam visionem.

Et hæc reuelatio futurorũ aliquando est ex causa quæ est in homine: Et aliquando est ex causa quæ ab exterioribus agit in hominem. A Causa autem, quę est in homine, est duobus modis: quia aliquando procedit ab eo, quod est causa alicuius, quod futurum est in homine: Aliquando autem procedit ab eo, quod iam in homine est effectum. Et primi quidem exemplum est: Sicut quando colligitur in homine materia febris, vel apostematis calidi ex calore materiæ, & fumo procedente ab ipsa: videt dormiens in somnio fortè se comburi flammis in toto vel in parte: quia anima hoc, quod est qualitas in corpore recipit, per modum imaginis visæ, quæ congruit illi qualitati. Exemplum autem secundi: est Sicut quando distillat phlegma dulce bene digestum & sanguini mixtum à cerebro, vel ad dentes, vel ad fauces, somniat se mel comedere. Quod nihil significat, nisi quod iam est in corpore perfectum.

Quando autem est ab extra: Dupliciter est. Aliquado enim est à causa ordinis naturæ vniuersalis. Aliquando autem est à supermundanis. Exemplum autem primi: quia stellæ & circuli cælestes ordinant mundum in causis naturalibus: vt dicitur *in Metheor.* Et quando aliquam dispositionem in mundo producunt: hanc elementis influunt: & illa per istas qualitates à cælestibus motas & informatas, corporibus hominum imprimunt: & tunc anima, quæ similitudo & imago est motorum (aliàs motoris) cælestium, imagines, quæ illud futurum significant, concipit in somnis, quando magis ab aliis occupationibus requiescit: & tunc per similitudines futura illa coniicit per modum coniecturationis.

A supermundanis autem est duobus modis: aut enim est ab Angelis bonis: aut ab Angelis malis. Et si est ab Angelis bonis, imagines in somnio ordinantibus: tunc est quidam obscurus modus prophetiæ: sicut somnium Pharaonis & Nabuchodonosor & Mardochæi. Si autem est ab Angelis malis, imagines perturbantibus: tunc est illusio: quia etiam si vera est aliquando visio: tamen intendit semper decipere: Sicut ostenditur in somnio vxoris Pilati.

Nullo autem istorum modorum facta est apparitio Ioseph. Vnde illa apparitio, quæ fit in somnis præter somnium, & est per modum oraculi, quando somnus non est nisi auersio animæ à sensuum vsu: & tunc ad intellectum spiritus superior immittit species intelligibiles in animam de futuris. Et illa est nobilissima & certissima visio prophetalis, quia tunc anima deoccupata ab omnibus sensuum motibus, tota exaltatur in intellectum: & optimè percipit dispositionem Dei de futuris. Ideò laudans certitudinem suæ visionis Balaam dicit *Nu.* 24. Dixit homo, cuius obturbatus est oculus: Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius: Et intendit quòd cadit: auertendo se à sensibus dormiens: vt melius oculi interiores aperiantur, quo fuerunt obturbati exteriores oculi.

Id autem, quod in somnis est vera intelligentia, & non somnium: est quod fit ex intellectu agente de scientijs. Sicut multi dormientes inueniunt subtilia, qui vigilantes inuenire non potuerunt: eo quòd intellectus à sensibus euocatur: & tunc profundatur circa intelligibilia. Apparitio igitur Ioseph est per modum oraculi & certissima.

Ad hoc autem, quod obiicitur de glo. Dicendum, quòd illa glosa partim est moralis, & partim literalis, sicut & plures aliæ, quæ hic ponuntur. quod enim dicitur, quòd fuit manifesta visio, morale est: sicut non manifesta visione vident pigri circa sacramentum. Quod autem dicitur, quod dubietate animi premebatur, literale est: & non intelligitur de dubietate credendorum, sed agendorum, concertantibus in eo Iustitia & pietate & humilitate & sapientia, sicut patet ex antehabitis.

Quod autem quæritur, quare non manifestè ad sensum apparuit. Dicendum quòd sensibilis visio non est nisi propter intellectualem, vt dicit *Aug. in. 12. super. Gen. ad literam.* Et quia Ioseph ex interioribus regere habebat agenda exteriùs; Ideò conuenit, quòd ab interioribus sua reuelatio procederet. Zacharias autem & beata Virgo in corporeis actibus & receptionibus habebant perficere, quæ reuelabantur: & ideò conueniebat, quòd corporaliter ad sensum visio eorum exhiberetur. Ex hoc patet, quòd sanctus Ioseph non per somnia, nec ænigmata illuminatus est: sicut & de Moyse dicitur *Nu.* 12. Et hoc est, quod dicitur: In somnis.

Dicens: Ioseph fili Dauid, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

Ecce Reuelatio: Et habet partes duas. Vna est De propulsatione dubij circa agenda, quod patiebatur Ioseph: Alia est De iniunctione obsequij, quod habebat facere tanquam nutritius pueri: Ibi.

Pariet autem filium &c.

Circa primum tria dicit; Exprimit enim dispositiones Ioseph inclinantes ad credendum. Propulsat dubium: Et subiungit causam propulsationis. Dispositiones inclinantes ad credendum Angelo sunt duæ: Notitia amica & familiaris: Et admonitio promissionis. Notitia familiaris notatur in expressione nominis, quando dicit.

Ioseph.

Ioan. 10. Ego cognosco meas: & cognoscunt me meæ. *Iere.* 1. Prius quàm te formarem in vtero, noui te. *Isa.* 44. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Admonitio promissionis est, quando dicit.

Fili Dauid.

Quasi diceret Recordare, cui sit facta promissio de nascituro Christo. Et cum sit tecum, de vna tribu & de domo, & de familia Dauid coniunx tua Virgo & sancta: postpone timorem, & accipe securitatem. *Iere.* 23. Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet &c.

Noli timere.

Ecce Propulsatio dubietatis. Non enim est hic timor nisi reuerentiæ & dubietatis, sicut patet ex præcedentibus. In ista autem propulsatione tria dicit. Propulsat enim dubium, *Isa.* 7. Vide, ne timeas: & cor tuum ne formidet. *Io.* 14. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. *Isa* 35. Pusillanimes confortamini, & nolite timere. Secundò ostendit claram apud Angelos & cælestes beatæ Virginis notitiam: & ideò nullam inesse ei malæ suspicionis notam, cum dicit.

Mariam.

Isa. 26. Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. *Eccl.* 15. Nomine æterno hæreditauit illum. Tertiò dicit Motiuum ad acceptionem, quando subinfert.

Coniugem tuam.

Quasi dicat, Iustitiæ recordaberis. Patrem & & matrem reliquit, & tibi adhæsit: Accipe ergo eam.

Sed nonne iam dudum accepit. Videtur ergo, quòd dicere debuit: Retine eam: & non dimittes eam. Sed ad hæc responsio: quòd secundum superius dicta cogitauerat eam dimittere: & ita iam corde dimiserat: & ad cor loquitur Angelus. 1. *Reg.* 16. Homo videt ea, quæ sunt foris: Deus autem intuetur cor. Et subiungit causam dicens.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

In ea natum esse dicit: quia in cæteris, quod in eis nascitur, ex eis nascitur, & de eo, quod mixtum est eis, quia de semine viri. Sed in beata Virgine, quod in ea natum est, ex ea materialiter natum est. Sicut non de ea potestatiuè: sed de potestate Spiritus sancti. Propter hoc *Iere.* 31. dicitur circumdare virum perfectum in sapientia & gratia, & anima & Deitate, & figura [illegible]. Spiritus enim sanctus in ista natiuitate prævidicauit naturæ, & præuenit tempus natiuitatis humanæ in vno, & non in alio. Naturæ prævidicauit, quando impotentiam concipiendi retinuit: & tamen conceptum attulit; sicut dictum est superius. Tempus præuenit; quia in momento vno & figurauit & [illegible] & [illegible] & [illegible] gratia impleuit & sapientia. In alio autem commensurauit humanæ generationi; quia tempus nouem mensium in impregnatione compleuit, sicut & cæteræ matres impregnantur.

Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Iesum: Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Ecce Iniunctio obsequij. Et circa hoc tria dicit. Primò enim Prænunciat eam [illegible] filium. Secundò iniungit, [illegible] sit [illegible] Tertiò subiungit causam nominis.

Primum ergo est, quòd sicut [illegible] sacrorum, dicit eam parituram esse filium. *Apoc.* 12. peperit filium masculum, qui recturus erat omnes

gentes in virga ferrea. *Isa.* 7. Concipiet & pariet filium. *Isa.* 8. Accessi ad prophetissam, & concepit & peperit filium.

Quidam quæstionibus magis vanis, quàm fructuosis quærunt: Quare non assumpsit IESVS naturam nostram in sexu fæmineo, Ad hoc dicendum, quòd fæmina non est principium hominis, sed masculus, ex quo tota natura humana producta est. Et huius antidotum non fuisset fæmina, sed masculus. 1. *Cor.* 15. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Præterea etiam si assumpta: esset idem in persona cum filio Dei: & sic idem esset Dei filius & Dei filia: quod absurdum est. Præterea hoc conuenit officio nostræ illuminationis per doctrinam & redemptionem: quia non debet prædicare fæmina, nec honestè discurreret de villa in villam: Et aliæ multæ causæ possunt assignari eiusdem. Sed Christus vt vtrumque sexum redimeret, vnum assumpsit: & id quod assumpsit, sumpsit ex alio.

Et vocabis nomen eius Iesum.

Ecce Obsequium. Quasi di. Licet non sis necessarius ad conceptum & ad partum: tamen eris necessarius ad nutritium: Et prima cura tua erit ad nomen.

Et vocabis nomen eius Iesum.

Nec facit mentionem Circuncisionis, in qua tamen imponebatur: quia Circuncisio fiebat per sacerdotium: quod scribere pertinet ad faciem vituli, Sicut in procemio dictum est.

Hoc autem nomen si est naturæ, sicut in ante habitis dictum est, æternum est, qualiter ergo nunc dicitur: Vocabis. Adhuc *Lu.* 2. dicitur, quòd vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur?

Reponsio. Nomen istud Tripliciter consideratur, quo ad tria, quæ sunt in ipso. Saluatio enim potest considerari in potestate: ex qua est efficacia saluationis: & sic est æternũ: quia habet à natura diuina. Et potest considerari in præordinatione: Et sic vocatum est ab Angelo cũ ordinatio illa, patefacta est. Et potest considerari in actu, prout notam facit de re, quam nominat. Et sic impositum est à Ioseph nutritio Domini *Isa.* 62. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.

Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis.

Ecce ratio nominis. Non enim vult, quòd vacuo nomine nominetur IESVS: cuius significatio cadit ab effectu; Sed quòd in effectu ostendat virtutem suæ significationis. Nec dicit, quòd saluabit populum à persecutionibus: sed.

A peccatis.

Quia ab illis nemo alius soluere (aliàs saluare) poterat nisi ipse. *Lu.* 5. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus. *Isa.* 43. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me *Ose.* 12. Perditio tua Israël: tantummodo ex me auxilium tuum. *Ti.* 3. Secundum suam misericordiam sal. nos fe. *Isa.* 62. Saluator eius velut lampas accendatur: flammam deitatis habens in testa humanitatis.

Sed quare dicit: populum suum: & non dicit: saluabit omnes gentes: cùm hoc perfectius esse videretur. *Isa.* 49. Parum est mihi, vt suscites mihi tribus Iacob & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Responsio: dicendum, quòd secundum effectum salutis, de qua hic loquitur, non saluat nisi suos deuotos, siue sint de filiis Israël, siue de gentibus. *Dan.* 9. Non erit eius populus, qui eum negaturus est. In omni enim gente, quæ timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi *Act.* 10. Et hoc est, quòd datus est in lucem gentium. *Lu.* 2. Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël.

Sed adhuc quæritur: Cùm Christus non nascatur Ioseph, quod etiam significatur in modo loquendi: quia non dicit: pariet tibi filium, sicut dixit Zachariæ de Ioanne. Sed potius nascatur beatæ virgini: quare non iniungit impositionem nominis beatæ virgini, vt illa vocaret, cui natus est partus: Responsio secundum *Chrysost.* quòd communem vsum seruauit, vt partum celaret. Communis autem vsus erat, quòd patres nomina filiis imponebant: & ideò illi iniunxit, qui pater fuit putatiuus.

Adhuc autem incidit quæstio: Quare Angelus Ioseph non instruxit, antequam veniret in agoniã dubij: quia nunquam dubitasset, si ante annunciationem omnibus plenè instructus fuisset? Ad hoc dicit *Chrysost.* quòd Innatum est hominibus non ita credere, quæ ad manum non sunt, sed longè futura sicut præsentia. Et ideò tunc instruxit, cum maximè credibilis fuit instructio. Dici etiam potest, quòd illuminatio diuina nõ datur opportunè nisi cum deuotè & auidè petitur, & hoc est, quando homo est in dubiis & anxius, quid faciat. *Isa.* 26. In angustia requisierunt te: in tribulatione murmuris doctrina tua eis. *Baru.* 3. Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te.

Hoc autem totum factum est: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem.

Ecce pars illa, in qua est confirmatio totius per scripturam. Et circa hoc dicit duo. Quorum primum est, Quod historiam refert congruere scripturæ. Et Secundò inducit scripturam prophetiæ. Circa primum inquirenda sunt tria, quorum primum est: Quomodo dicat, totum, cum non sit mentio nisi de vno: & Totũ & omne velint esse ad minus in tribus: Sicut dicit Philosophus in primo de cælo & mundo. Secundum est, Qualiter dicatur factum istud esse, vt prophetia impleatur: quasi prophetia necessitatem facto imponat. Tertium est de diuisione prophetiæ: quæ est in glo, in Prophetiam præscientiæ & Prædestinationis: & Comminationis, siue etiam promissionis.

Et ad Primum horum respondet quædam glo. dicens quòd totum illud, de quo fit hic mentio, est in multis: Vt scilicet Virgo propinquo suo desponsaretur: Vt casta seruaretur: Vt Angelus per somnum loqueretur Ioseph: Sponsam accipere iuberetur. Vt pueri nomen Iesum vocaret. Vt virgo mundi Saluatorem generaret. Sed hæc responsio videtur inconueniens: quia in prophetia inducta non fit mentio nisi de conceptu Virginis & partu & nomine. Præterea non idem nomen

men est in prophetia & in impositione nominis pueri: & sic inconuenienter prophetia videtur adduci.

Ad hæc omnia respondendum est, quòd glosa bene respondet secundum prophetiæ intellectum; quia in hebræo est Alma, quod est custodia: Nec custodita virginibus adhibetur nisi à sponsis: Nec desponsari poterant, si hæreditatem habebant, nisi propinquis: & sic de his duobus implicitè fit mentio in prophetia. Allocutio autem Angeli consecuta est ex istis, vt patet ex prædictis. Et illa locutio tangitur secundum suam causam. Alia autem in prophetia sunt expressa.

Ad id quod obiicitur de nomine, Dicendum: quòd nomina conueniunt in significatione: quia Nobiscum Deus: idem est, quòd in natura nostra: & cum natura nostra Deus, & homo mediator Dei & hominum homo Christus IESVS, qui potens est saluare per hoc, quòd est homo: & ille iure & natura Saluator.

Ad id, quod quæritur de coniunctione, quæ videtur esse causalis, Dicendum: quòd tales coniunctiones quandóque notant tantum finem, siue terminum operis: quandoque autem notant causam finalem, propter quam fit totum. Verbi gratia: Fabrica, vt coniungam ferrum calibi; quod quando coniũnxi: non habeo plus quod operer: & stat ad hunc terminum fabricatio, Dico etiam, quòd fabrico: vt consequar intentionem in actu secandi & incidendi: & tunc habeo intentionem vltimam & causam finalem, propter quam est totum & operatio & opus constitutum. Et cum dicitur hic, quòd istud factum est, vt adimpleretur &c. non notat nisi terminum. Prophetia enim fuit signum futuri: sicut statim determinabitur. Et ad hoc signum determinata est veritas istius facti: nec esset vera prophetia neque prophetia, nisi factum ad ipsum terminaretur; etenim neutrum est causa alterius. Sed prophetia est signum: Et istud factum est signatum.

Et vt hoc melius intelligatur; Sciendum quòd quædam sunt signa futurorum & non causæ: Quædam autem sunt futurorum causæ, Signa futurorum sunt qualitates quædam & indicia causarum; sicut dicimus, quòd ruber lunæ signum est pluuiæ; cum tamen nullus dicat colorem rubeum causare pluuiam, Sed quia rubor in luna significat vaporem aqueum iam congregatum esse, & incipere inspissari in aquam; Ideò indicando causam significat futuram pluuiam. Similiter futuri facti in natiuitate Christi causa est præordinatio & consilium diuinum, quod nihil aliud est, vt dicit *Grego.* nisi immobilis dispositio de futuris. Reuelatio autem de hoc facta prophetæ non est causa futuri facti, sed signum, per hoc, quod est causæ veræ indicium; & hoc dicit *Glosa Hieronymi.* Nec veritas prophetiæ est immobilis, nisi per hoc, quod est signum immobilis causæ de futuris, quæ est Dei consilium.

Ad id, quod tertiò quæritur: Dicendum, quòd prædestinatio in glosa accipitur strictè pro eo cuius non est nisi præparatio Dei: Et quòd homo nullo modo operando præparat. Et hoc est, quod ita fit, quòd omnino fit sine nostro opere: sicut quòd Virgo concepit & peperit, & quòd Deus homo factus est. Ad hoc enim nihil operatus aliquis homo quocunque opere nisi consentiendo, quòd fiat: Sicut Virgo beata consensit, quando dixit: Fiat mihi secundum verbum tuum.

Alia autem sunt quæ licet præparet Deus; tamen aliquid in illis cooperamur ei: sicut illa, quæ præparat, vt non perficiat sine nobis. Sicut est salus hominis. Ad illam enim oportet nos cooperari per meritum. Et in hoc non est totum præparationis diuinæ & solius. Et respectu huius non dicitur prophetia prædestinationis. Aut si dicitur: non dicitur esse respectu eius, secundum quod est in nobis: sed potius secundum quod non est in nobis operantibus, sed consentientibus tantum: sicut in appositione (aliàs in adeptione) primæ gratiæ.

Ea autem quæ sunt in nobis, quæ Deus operatur in nobis nobiscum: illa sunt Duplicia. Quædam operatur nobiscum faciendo & informando actum: Sicut dicitur *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et *Ioan* 15. Sine me nihil potestis facere: Et hoc præscit Deus. Ita quòd sua scientia causa est operans id, quòd præscit. Et ideo quo ad hoc, & sic respectu illorum dicitur esse prophetia præscientiæ: quando talia per prophetas prædicit: Sicut quòd vocandus esset puer IESVS: Hoc enim cum Deo operatus est homo.

Quædam facit nobiscum ita, quòd sine ipso; & ipse sine nobis operamur idem: Sicut est inflictio pœnæ. Hanc enim facimus nos, merendo malis operibus, quæ non facit Deus in eo, quòd mala sunt; sed efficienter infligit pœnam, quam meruimus: sed non infligit eam nisi pro nostro malo merito. Sed respectu huius est prophetia comminationis. Et quia illa pendet ex nostra causa: ideò mutata illa causa, mutatur & comminatio. Sicut & promissio boni mutatur, quando cadimus à bono merito. Et vtrumque horum dicitur *Iere.* 18, Vbi dicit Dominus: quòd & promissiones boni & comminationes mali mutat propter mutationem operum hominum: Sicut est videre in comminatione Niniuæ. Tales enim permissiones & comminationes pendent ex nostro: Et ideò non fiunt nisi secundum inferiores causas. Et stantibus illis, stant: & mutatis illis, mutantur. Et per hæc intelliguntur omnia, quæ sunt in glosa.

Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus.

Ecce Prophetia: Et dicit in ea tria: Conceptum videlicet & Partum & nominis impositionem. Circa Primum dicit tria, facti videlicet euidentiam, miraculi excellentiam, & ipsum miraculum De primo *Isa.* 40. Reuelabitur gloria Domini: & videbit omnis caro salutare Dei. De Secundo est quòd Virgo manens Virgo concepit. Et de hoc dicit *Gre.* Videte miraculum: mater Domini concepit Virgo, virile ignorans consortium. In cuius figura dicitur *Eccl.* 24. Ego quasi libanus non incisus euaporaui habitationem meam: & sicut balsamum non mixtum odor meus. Libanus candidatio interpretatur: Et in hoc designatur Virginis illibata virginitas. Balsamum autem non mixtum & sanguis eius, virili semini impermixtus. Talis enim est odor eius, & talis euaporatio habitationis, quam filio Dei exhibuit. Sic ergo in vtero habebit.

Cum autem propheta dicat: Concipiet: quo

quomodo Euangelista dicit.

In vtero habebit.

Dicendum, quòd in omnibus Euangeliis abundat à prophetia: quia In vtero habere plus dicit, quàm concipere. Et ideò dictũ est: quia in vtero habuit filium Dei de Spiritu sancto, sicut etiam supra dixit: Quòd in ea est natum: de Spiritu sancto est. Concipere autem est claudere in vtero id, de quo fit generatio.

Et pariet filium.

Ecce partus. Intelligitur autem, quòd pariet Virgo. Propter quod *Cant.* 4. dicitur: Hortus quidem conclusus: eo quod est cella aromatum, In qua & ipsa aromata crescunt & conseruantur. Aromata dico gratiarum. Fons autem propter hoc quòd fudit fontem, qui de loco voluptatis æternæ progreditur: irrigans omnem superficiem paradisi, hoc est Ecclesiæ. *Genes.* 2. Propter quod in alia metaphora dicitur *Cantico.* 4. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Quia quicquid emittit paradisus, quidem in dulcedine refectionis & pomorum: fructus sunt virtutum sapore & odore bonæ opinionis (alias operationis)

Et vocabitur nomen eius Emanuel.

Ecce nominis impositio quia ab effectu [vocabitur nomen eius Emanuel] Et Euangelista interpretatur dicens, quòd hoc sonat [nobiscum Deus] Hoc est in natura nostra Deus.

Sed videtur, quòd prophetia historiæ non respondeat. Quia historia dicit, quòd vocatur IESVS: Hic autem dicit, quòd vocatur Emanuel. Et ita malè probat, quod inductum est. Ad hoc dicendum, quòd licet sit dissonantia in modo loquendi; tamen est concordia secundum rem. Suprà enim dictum est, quòd IESVS ex deitate est in humanitate. Et ita causa nominis IESVS importatur per nomen Emanuel: quia salus est ex hoc, quod est nobiscum Deus 1. *Reg.* 4 Dicunt hostes: Væ nobis; Deus venit in castra. Et ingemuerunt dicentes: Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius in castris Hebræorum: Væ nobis. *Prouerbiorum.* Procul & de vltimis finibus pretium eius procul, Hoc est de longè, De vltimis autem finibus, hoc est: de his qui maximè distant. Et hoc est principium omnium, quod est diuinitas: & hoc, quod est finis omnium, quod est humanitas. De his enim coniunctis in vnum est pretium Ecclesiæ 2. *Paral.* 20. Dominus erit nobiscum.

Exurgens autem Ioseph à somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini.

Hic incipit pars illa, quæ est de obedientia Ioseph: & dicitur in ea tria, quorum primum est velocitas obediendi: Secundum modus obedientiæ: & tertium obedientiæ expletio. Velocitas intelligitur per hoc, quod dicit.

Exurgens autem Ioseph à somno.

Psalm. 3. Ego dormiui, & soporatus sum, & exur. quia Dominus suscepit me, *Eph.* 5. Surge qui dormis, & exurge de mortuis, & illuminabit te Christus.

Fecit sicut præcepit ei Angelus.

Ecce modus obedientiæ simplex: quia sicut præcepit, sic perfecit. *Prouerb.* 21. Vir obediens loquitur victorias. *Gen.* 12. Egressus est itaque Abraham, sicut præceperat ei Angelus 1. *Reg.* 15. Melior obedientia quàm victimæ: & auscultare magis quàm offerre adipem arietum.

Et accepit coniugem suam: & non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius Iesum.

Hic ponitur obedientiæ expletio. Et dicuntur quatuor. Primum quòd gloriosam in curam accepit: Secundum quòd post acceptionem inuiolata permansit: Tertium quantum & qualiter filium profudit: Quartum quo nomine Ioseph eum vocauit. Et ista patent in littera

De primo dicit quòd [accepit] in procurationem: quia ante hoc acceperat in domum: Sed quia animum dimittendi habuit; ideò cum illum deposuit, & consensit eam procurare, dicitur assumpsisse: & dicit [coniugem] Vt tangat vinculum matrimonij, quod est motiuum ad susceptionem, præcipuè cũ ex instructione Angeli iam didicerit, quòd nulla causa dimissionis interuenerit. *Mal.* 2. Vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. *Mat.* 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet *Prouer.* 5. Sit vena tua benedicta: & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ.

Et non cognoscebat eam, donec peperit.

Hic insurgit Eluidius dicens: quòd postea cognouit eam, & genuit ex ea filios, qui fratres fratres Domini dicuntur: sed ad hoc responsum est *supra.* Et est similis modus loquendi, sicut dicitur *Gen.* 8 Coruus non est reuersus ad arcam, donec exsiccatæ sunt aquæ. Et 1. *Corint* 15. Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum. Et in *Psal.* 109. Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum &c. Et sicut dicitur, non loquebatur inimico suo, donec interfecit eum.

Filium suum primogenitum.

hoc est principem omnium filiorum Dei. Quia primogenitum dicitur tribus modis: primo quidem modo dicitur inter multos secundò & deinceps genitos ille, qui primus est in generatione. *Gen* 49. Ruben primogenitus meus principium doloris mei &c.

Secundo modo dicitur primogenitum, quòd aperit vuluam, siue sequatur secundò genitum, siue non. *Exodi.* 13. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israël tam de hominibus, quàm de iumentis. Tertio modo dicitur Primogenitum: generatio præclarior & dignior. *Sap.* 8. In vno momento, quæ erat præclarior natio, exterminata est. Et hoc modo accipitur hic. *Roma.* 8. Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Apoca.* 1. Primogenitus mortuorum & princeps regum terræ. Sic enim natura genitus, est princeps eorum, qui per adoptionis spiritum nati sunt. *Eccl.* 49. Ioseph qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi. Ioseph accrescens significat Christum, qui proficiebat ætate & sapientia & gratia coram Deo & hominibus. *Lu.* 2.

Et vocauit nomen eius IESVM.

Ecce

Ecce Impositio nominis ab effectu, qui superiùs inductus est. *Iere.* 23. In diebus illis saluabitur Iuda: & Israël habitabit confidenter. *Psal.* 43. Saluasti enim nos ex affligentibus nos: & odientes nos, &c.

CAP. II.

Cum ergo natus esset IESVS *in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis.*

IN isto Secundo capitulo per totum agitur de nati manifestatione: Et ideò tres in eo inducuntur historiæ. Quarum prima continet qualiter natus tam primitiis gentium, quàm etiam principibus Iudæorum est manifestatus. Sed quia innotescens Herodi ad perdendum est quæsitus: Ideò secundò inducitur, qualiter malitiæ Herodis in Ægyptum translatus, & subductus. Et quia sicut ex origine salus est ex Iudæis: Ideò tertiò inducitur historia, qualiter defuncto Herode ex Ægypto est reductus: Et istæ historiæ patent in littera.

In Prima harum partium continentur quatuor: Qualiter videlicet natum inquisiuerunt, qualiter inuenerunt. *Ibi* [Qui cum audissent regem] Qualiter inuentum adorauerunt. *Ibi.* [Et procidentes] Et Qualiter Herodis dolos euacuauerunt. *Ibi* [Et admoniti in somnis] In Prima harum duo dicuntur, scilicet qualiter indicio stellæ venerunt in Iudæam: Et qualiter in Iudæa quæsiuerunt indicio scripturæ. *Ibi.* Audiens autem hæc Herodes rex &c.

Circa Primum istorum quatuor inducuntur: Nati videlicet, qui quæritur, dispositio: Magorum inquisitio: Et de stellæ, cuius natum quærunt, indicio: Et inquirentium deuotio: Et hæc patent in littera. De primo tria dicuntur, Persona nascentis, Locus, & Tempus. De Persona nascentis dicit.

Cum ergo.

Sicut in præmissis dictum est.

Natus esset IESVS.

Prætermittitur autem apparitio pastoribus facta, quam ponit Lucas; eo quod illa per figuram & facie respicit vitulos: quia pastores figura sunt Prælatorum & Sacerdotum. Alia etiã causa est: quia in Iudæa: nota Iudæis Matthæus prætermisit: Iudæis fidelibus scribens; quę tamẽ ignota fidelibus fuerũt; qui de gentibus crediderunt: ponit is, qui gentibus scribit Lucas. Sic ergo Rege cæli nato (sicut dictum est) cæli non defuit testimonium: tam in habitantibus cælum, quam ex ipso cælo. Habitantes enim cælum testimonium dant *Lu.* 2. dicentes. Annuncio vobis gaudium magnũ, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Ex ipso cælo duplex testimonium, luminis videlicet, & stellæ. Luminis *Lu.* 2. Circumfulsit eos lux de cælo. Stellæ autem vt hic. Et sic Tres sunt, qui huic natiuitati testimonium dant in cælo: Angelus gaudij & salutis: Lumen fidei & cognitionis: stella verò æterni solis. Sed quia salus hæc promissa est Dauid: Ideò conueniebat in domo & ciuitate Dauid nasci salutẽ. Et ideò dicit.

In Bethleem Iudæ.

Omittit autem Matthæus Qualiter à Galilæa venit in Bethleem. Venit autẽ, sicut refert Lucas, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi; vxore prægnante: quæ præterit, vt nota Iudæis fidelibus, quibus ipse scribit. Dicit autem.

in Bethleem.

Tangens locum.

Iudæ.

Autem ad differentiam alterius Bethleem, quæ erat in Galilæa, in sorte Zabulon sita. Locus autem iste priùs dictus est Ephrata, ab vxore Caleph ibi sepulta: Vel quia frugifer erat. Cum autem accidisset ibi fames, propter quam inde peregrinata est Noẽmi & Elimelech cum filiis suis, sicut dicitur *Ruth.* 1. postea tanta vbertas loco restituta est, quòd nomine mutato, domus panis vocabatur, quod interpretabatur Bethleem.

Mysticè autem hoc significabat, quòd post famẽ diuinam verbi Dei [qui de cælo descendit, vt det vitam mundo *Ioan.* 6.] ibi nascituris erat. *Sap.* 16. Paratũ panem de cælo præstitisti illis sine labore: habentem in se omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis. *Genes.* 49. Aser pinguis panis eius: & præbebit delitias regibus. Aser beatus interpretatur, & significat cæli regem, nos se ipso pascentem: In cuius figura in præsepe positus est: quia homines & iumenta saluat, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam Deus. Ecce quare in Bethleem.

Alia ratio est historialis, quia Bethleem erat hæreditariâ ciuitas Dauid: Ierusalem autem non, sed potius erat ciuitas regni communis.

Et quia promissio facta est Dauid: Ideò nascitur in domo Dauid. Et hoc exprimit *Lucas.* dicens: eo quòd esset de domo & familia Dauid. Et hoc exprimit, quia de tribu Iuda leo est Christus *Apoc.* 5. *Heb.* 7. Et ideò conueniebat eum in sorte sibi hæreditaria nasci. *Io.* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt.

In diebus Herodis regis.

Ecce Tempus. Nec fuit iste Herodes Tetrarcha, vt dicunt quidam, sed potius totam tenebat regni monarchiam. Sed filij eius quatuor regnum in tetrarchias diuiserunt, vt inferius patebit. Fuit autem iste Herodes Idumæus, quem Augustus Cæsar Iudæis præfecerat, vt rex esset, & tributa Romanis solueret, & Romano pareret imperio. Et ideò etiam milites, qui ibi erant in præsidio & subditi Herodi, herodiani dicebantur. Fit ergo mẽtio dierum Herodis Regis, & non Augusti Cæsaris: vt sciatur alienigena regnare super Iudæos. Et ita regnum Iudæorum defecisse, & prophetias de tempore natiuitatis Christi esse completas. *Genes.* 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittẽdus est, & ipse erit expectatio gentium.

Sicut & hic filius natus à gentibus expectatur. *Dani.* 9. Cum venerit sanctus Sanctorum, cessabit vnctio vestra. Et hæc inducuntur secundum LXX. Sic ergo patet, quòd verus rex natus est per prophetiam: Et quòd ille à gentibus quæritur, & expectatur per eamdem. Et ideò dicitur [Herodis Regis] Vt nomen ostendat alienigenam, & Regnum in Iudæis, potestatem, & dignitatem amissam.

amissam. Et hæc sunt Tria, quæ dispositione nati sunt inducta.

Ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam.

Hic inducitur gentium inquisitio de nato, qui est expectatio eorum: Et dicuntur quinque, scilicet, Inquisitionis euidentia: Qui & quales inquirunt: Vnde venerunt: & vbi inquirunt & qualiter: Et hæc patent in littera. Euidenter enim & patenter inquisiuerunt, vt innegabilis esset inquisitio eius, qui datus erat in lumine ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël &c. *Lu.* 2. Non enim in angulis & cauernis quærebant; sed in propatulo, omnibus putantes inesse deuotionem, quam ipsi habebant ad eum, credentes verbo *Isa.* 2. Fluent ad eum omnes gentes.

Magi.

Dicit Qui & quanti & quales. Hæc enim tria simul importantur in verbo, Qui. Qua *Chrys.* dicit, quòd isti lingua patriæ suæ Magi, siue Magusei vocati sunt. Et est secundũ eum nomen claræ cuiusdam nationis eorum, quæ semper pulchris student, & maximè diuinis cognoscendis. Quales autem, quia dicit *Glo.* quòd Magi (aliàs Magni) fuerunt: de omnibus philosophati sunt: Et maximè in libris Seth studentes, & doctrinis Balaam inhærẽtes: per doctrinas huiusmodi notitiam stellæ indicio de Christo nato perceperunt. Vnde *Chrys.* dicit, quòd ex quo Balaam reliquit discipulos, & de stella oritura prædixerat: illi qui Magusei (aliàs Magusei) dicti sunt: Duodecim inter se eligentes statuerunt peritiores & honestiores per generationes suas: qui singulis annis post messem triticeam secum deferentes necessaria victui: ascenderunt in montem, qui lingua eorum Victorialis vocabatur: Et ibi obseruabant ortum stellæ versus terram Iacob: quam orituram dixerat Balaam. Et si quis eorum moriebatur, alius post eum honestior & studiosior de genere suo, vel filiis eius instituebatur: ne fortè præteriret eos tantum stellæ indicium. Et hoc fecerunt ita diu quousque per annum ante Virginis partum, quando iam per missionem Gabrielis agebatur incarnationis mysterium, Primò de ortu Ioannis, & postea de ortu Saluatoris: stella miræ claritatis eis apparuit, quæ in se figurã pueri IESV (aliàs paruuli) prætendit, & super se signum crucis exhibuit, & ad Magusẽos super montẽ Victorialem se demittẽs ore pueri loquebatur, qui in ea apparuit, & de via instruxit, quòd in Iudeam pergerent, & in Ierusalem quærerent, & vbi per scripturas discerent, vbi Christum inuenirent. Hi etiã Magi in terram suam reuertentes multos conuerterunt, & cuidã de discipulis IESV postea illuc aduenienti fideliter adhæserunt, & Episcopi, & martyres effecti sunt. Ecce qui & quales isti fuerunt.

Quanti etiam fuerunt, intelligitur ex hoc, quòd Reges fuisse ab Ecclesia prædicantur. Magi enim grammaticè magni sunt. *Isa.* 45. Viri sublimes ad te transibunt & tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent, téque adorabunt, téque deprecabuntur. *Isa.* 60. Afferetur ad te fortitudo gentium, & reges eorum adducentur. Nec sunt Magi malefici, sicut quidam malè opinantur.

Magus enim & Mathematicus & Incantator & Maleficus siue Necromanticus, & Ariolus, & Aruspex, & Diuinator differunt. Quia Magus propriè nisi magnus est, quia scientiam habens de omnibus ex necessariis, & effectibus naturarum coniecturans, aliquando mirabilia naturæ præostendit & educit.

Mathematicus autem duplex est. Mathesis enim idem est, quod scientia de separatis, & abstractis: quæ licet secundum esse suum naturale sint in rebus motui subiectis: tamen diffinitione abstracta considerantur. Sicut est tota quadruuij scientia: Et hoc non est reprehensibile, sed laudabile. Aliter dicitur Matesis producta media syllaba, idem quod diuinatio per cursus siderum. Et hæc aliquando est bona & aliquando mala: sicut & ipsi dicunt, qui scientiam nouerunt. Si quis enim pronosticatur per stellas de his, quæ non subiacent nisi ordini causarum naturalium: & sua pronosticatio est de eis secundum quòd ordini illi subiacent: & non extendit se ad illa eadem, nisi ea tenus, quo inclinat ad ea primus ordo naturæ, qui est in situ stellarum & circulo: non malè facit: sed potiùs vtiliter à multis cauet nocumentis, & promouet vtilitates. Qui autem non consideratis omnibus prænunciat & de his, quæ futura sunt, aliter quã dictũ est, trufator est & tyranus, & abiiciẽdus.

Ex euenturis.

Incantator autem est, qui carminibus quibusdam bestias, aut herbas, aut lapides, aut imagines ad quosdam parat effectus.

Necromanticus autem dicitur à græco necron, quod est mortuus latinè: qui diuinat in mortuis, vel in vmbris dæmonum, siue mortuorum.

Augur autem est, qui in garritu, volatu, aut sessione auium diuinat.

Aruspex autem qui in aris siue in extis animalium ante aras immolatorum diuinat.

Diuinatores autem multi sunt valdè: in punctis terræ: & casu ignis; & aqua & in aëre diuinantes.

Et præter hos sunt sortilegi & in phitonibus diuinantes. Nulli istorum dediti fuerunt isti nisi magicis, hoc modo, prout dictum est. Et hoc est laudabile. Hi autem Magi.

Ab oriente venerunt.

Ecce Vnde venerunt. Præpositio autem potest notare locum, à quo moti sunt: & potest notare causam. Si notat locum: tunc venerunt à finibus illis: & dicuntur fuisse de finibus Persidis, quæ est versus orientem & Aquilonem respectu Ierusalẽ & Iudææ: Et est ferè collateralis anteriori Indiæ, nisi quòd India plus est ad meridiem. Et consuetudo illius gentis est multos habere reges pro rectoribus ciuitatum & prouinciarum, & quosdam quibusdam substituere. Et ex huiusmodi regibus fuerunt isti. Et licet glosa dicat, quòd scitur quòd plures fuerũt: nescitur tamẽ quot fuerunt numero. Tamen tota Ecclesia reputat tres fuisse viros sapientissimos, qui pro habitu sapientiæ reges omnium fuerunt aliorum. Et hoc est, quod dicit *Psal.* 71. Reges Tharsis & insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent. Fuerunt autem homines illi semper studiosi: Propter quod & Regina Saba venit inde audire sapientiam Salomonis. 3. *Reg.* 10.

Si autem Præpositio notat causam: tunc [oriente] quod sequitur, non dicit specialem locum: sed dicit id, quod fuit super terram emergens de cælesti prodigio. Et est sensus,

Ab oriente.

Hoc est: propter id, quod ortum est nobis de signis eius cælestibus. Et hoc dignum est: quia & ipse sol est iustitiæ, qui tunc ortus est in terris. *Zach.* 6. Ecce vir oriens nomen eius: & subter eum orietur: & ædificabit templum Domino. *Iob.* 1. Erat vir ille magnus inter omnes orientales. Conueniens enim fuit orientales venire: in quibus ortum est lumen fidei & cognitionis suæ. Quando per viscera misericordię suæ visitauit nos oriens ex alto illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis *Luc.* 1.

Ierusalem.

Ecce quo (aliàs quomodo) venerunt ad caput regni & caput sacerdotij. Venientibus enim in Iudæã, ad tempus dispensatiuè stella se occultauit propter tria. Quorum Vnum & principale est, vt inquirentes testimonia legis & prophetarum, cum in domo (aliàs indicio) stellæ concordare perciperent, & sic certiores essent de Christi nati regno & deitate. Secundum est, quòd per eos principibus sacerdotum & scribis & populo rex natus innotescereret: & sic minus excusabiles fierent. *Ro.* 1. Qui cùm gloriam Dei cognouissent: non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed obscuratum est insipiens cor eorum. Et sequitur: Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum. Tertium est: Vt ipsa occultatione instruerentur de tribus. Vnum: quòd scirẽt quantum facit malorum societas, quæ lumen cæli occumbere facit. *Iere.* 2. Obstupescite cœli super hoc, & portę eius desolamini vehemẽter: Duo enim mala fecit populus meus. Me enim dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ cõtinere non valẽt aquas. Secundum: Vt ipsa occultatione stellæ scirent lumen natum à talibus vulpibus & lupis fore occultandum, sicut inferiùs patebit. Tertium: Vt eo ipso scirent notitiam regis nati, à Iudæis esse occidentem, & gentibus orituram. *Mal.* 1. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum nomen meum in gentibus &c.

Secundum primam igitur causam Ierosolymam venerunt: Ibi responsa legis erant & prophetarum. Sicut dicitur *Isa.* 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem,

Dicentes Vbi est, qui natus est rex Iudæorum?

Ecce Qualiter inquirunt. Et tanguntur Duo. Fidei, videlicet, certitudo: & Loci vbi sit natus inquisitio. Fidei certitudo ex Duobus (quæ in quæstione certa relinquunt) intelligitur. Scilicet quòd natus sit, & quòd in regnum Iudæorum sit natus. Propter quod & ipse Pilatus secundum omnes Euangelistas quasi certus de hoc: inscripsit titulo, quòd Rex esset Iudæorum. Et hoc Iudæi opponebant sibi pro causa mortis, quod eis specialiter datum erat in causam salutis. *Dan.* 9. occidetur Sanctus sanctorum, & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Dixerunt enim, Regem non habemus nisi Cæsarem *Ioan.* 19.

Sed quæritur Vnde fuerunt tam certi? Quod enim de nato certi essent, potest dici, quòd fuerunt ex ortu stellæ. Sed quòd Rex sit, non videtur haberi ex stellæ indicio. Et ad hoc dicendum, quòd hoc habebant ex prophetia Balaam. *Num* 24. De Iacob erit, qui dominabitur & perdat reliquias ciuitatis. Quærunt ergo vbi sit: de aliis duobus certum relinquentes. Præcipuè autem Iudæis hoc certum esse debuit, propter tempus, quod prædixerat Daniel, quod tunc rectè fuit expletum. Ita quod nec minus. Et ideò regnum omnino defecerat, & ad alienigenam fuit deuolutum: Et in hoc vituperabiles & inexcusabiles sunt Iudæi. *Iere.* 8. Miluus in cælo cognouit tempus suum: turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui. Populus autem meus non cognouit iudicium Domini. *Mat.* 16. Faciem cœli diiudicare nostis: signa autem temporum non potestis. Quærunt igitur vbi sit. *Cant.* 1. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas: in vberibus matris, & vbi cubas, in sinu matris: in meridie plenæ lucis tuæ, ne vagari incipiam. *Cant.* 3. Surgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas: quæram quem diligit anima mea.

Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.

Hæc est particula In qua ostendunt stellæ noui regis indicium. Et dicunt quatuor, scilicet, Modum certificationis eorum, quia [viderunt]

Segnius (enim) irritant animum demissa per aures,
Quam quæ sunt oculis subdita fidelibus.

Certificans describunt Secundò quia Vidimus [stellam] Quæ fallax indicii esse non potest. Et ne maneat confusus noster animus per signi cõmunitatem. Vidimus stellam [eius] sibi propriam, quæ non aliud loquitur nisi nouam regis natiuitatem. Et ne credatur diu orta, & sic tempus non determinans: Vidimus eam [in] primo suo [oriente] Et ideo de Tempore & Nato rege non quærimus, sed solum de loco, quem non nisi communem nobis stella indicauit, hoc est, Iudæam.

De primo igitur dicunt.

Vidimus.

Non visu exteriori tantùm; sed intus per intellectum aduertentes prodigium. *Ioelis.* 2. Et *Act.* 2. Dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum. *Lu.* 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis.

Stellam.

Num. 24. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël. *Baruch.* 3. Stellæ dederunt lumen in custodijs suis & lætatæ sunt: Vocatæ sunt & dixerunt ei: Adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Et attende, quòd isti lumen lumine requirunt: cæli regem cæli lumine petunt. *Isa.* 60. Et ambulabunt gentes in lumine tuo: & reges in splendore ortus tui. Hæc autem stella differebat in quinque à stellis alijs secundum omnes communiter, natura videlicet, situ, motu, claritate, & significatione.

Natura, quia corruptibilis fuit, & non de natura cæli. Et ideò peracto officio conuersa fuit in præiacentem materiam. Et hoc conueniens fuit: quia lumine vero inuento, alio lumine non indigemus. Et ideò etiam fides est ex parte, & deficit quando secundũ (aliàs per) speciẽ contẽplabimur.

1.*Corinth.*13. *Isa.* 60. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque splendor lunæ illuminabit te, sed erit tibi Dominus in lucem sempiterna, & Deus tuus in gloriam tuam. Situs autem eius fuit, quòd non fuit in alto cum aliis stellis in firmamento; sed in spatio huius aëris vicina loca terræ tenebat. Non tamen erat cometes, qui in ortibus & in mortibus regum apparere solet: qui est vt facula ardens, & non stat diu. *Iob.*38. Nunquid nosti ordinem cæli & rationem eius pones in terra: Huius enim stellæ ratio in terra in spatio huius aëris posita est. Et hoc conueniebat: quia etiam incorruptum lumen cœlorum Domini ad nos se humiliando descenderat. *Malach* 4. Vobis timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ. Motu etiam differebat: quia cùm aliæ omnes tam veræ stellæ quàm illæ, quæ cometæ vocantur, in circuitu rotentur: hæc sola recta linea tendebat ab oriente, qui est versus aquilonem ad occidentem: declinans ad meridiem versus Iudæa: vbi erat Christus. *Iob.*38. Indica mihi si nosti per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram. Et ideò dicitur oriri super Iudæam: quia ortu suo tendebat ad eam. Et hoc erat conueniēs, quod ad solē sicut omnis alia stella declinaret: aquilonē frigidam & tenebrosam relinquēs diabolo, qui in ea sedet. *Isa.*14. Et ad meridiem calidam & luminosam sanctorum habitationem festinaret. *Isa.*60. Venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.

Claritate autem (quia clarior omnibus aliis videbatur) differebat (1. *Corin.* 15. Stella à stella differt in claritate) conuenientissimè. Continuis enim radiis accedendo ad verum solem: accepit augmenta lucis. *Prouer.* 4. Semita iusti quasi lux splendens & crescens vsque in perfectum diem. Significatione: quoniam aliæ stellæ (quæ faciles à mathematicis dicuntur) non solæ significant, sed collectæ: omnibus, quæ sunt in periodo partibus & stellis. Hæc autem sola dedit gloriæ Christi significationem. Eo quod ille venerat, in cuius dispositione & prouidentia omnia sunt, stellæ signa & dispositiones. Et obsequio suo, significauit totum quod fecit: causaliter autem faciendo nihil omnino. Et hoc & etiam præcedens dicuntur *Sap.* 8. de sapientia, quòd est super omnem dispositionem stellarum: luci comparata inuenitur prior: Luci enim succedit nox; Sapientiam autem non vincit malitia. Quicquid est in periodo luminis & fortunę secundum vanitatem fallacem genetaticorum acceptum: totum vincitur malitia eiusdem periodi, quæ in stellis & partibus eius accipiuntur.

De fatalibus autem stellis Verum sint, vel non sint, vel quid efficiunt: vel quid non: non est hic locus determinare. Sed hoc dicimus cum Augustino, quod ad corporum immutationem flatus valent siderei: Non autem ad permutationem animorum libero arbitrio præditorū. Hęc autem stella fuit [eius] hoc est, pueri nati Regis. Est autem [eius] Quadrupliciter, efficienter, figuraliter, obsequialiter, & finaliter. Efficienter: quia eam fecit, vt ostenderet, quòd ipse est, qui stellas creauit. Figuraliter quia *Genes.* 15. Semen, in quo benedicendæ sunt omnes gentes, stellis comparatur in signum quòd omnes sicut stellæ fulgebunt, qui in ipso benedictionem consequuntur. Obsequialiter: quia sibi obsecuta adducendo primitias gentium. Finaliter: quia non est nisi propter gloriam ipsius & laudem.

De Primo *Genes* 1. Fecit Deus stellas: & posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram. *Psal.* 135. Stellas vt præessent nocti. Venit enim stelliferi conditor cæli in terram in noctem ignorantiæ huius: Et sicut primò produxit stellas in ornatum suæ habitationis, quod est cælum: Ita nunc terram, quam in habitationem elegit, noua stella lumine. s. suæ cognitionis decorauit. 2. *Corinth.* 4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris. De Figura autem: quia omnes suos vt stella (aliàs stellas) radiare facit. *Phil* 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. *Dan.* 12. Qui docti sunt, fulgebunt sicut splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates. De Obsequio *Iob.* 28. Vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina: & iubilarent omnes filii Dei. De Fine *Eccles.* 43. Species cæli gloria stellarum mundum illuminans in altissimis Dominus. Sic ergo,

Vidimus stellam eius.

Hæc stella Per Lumen est purgans ignorantiæ & cæcitatis tenebras, & Manifestans, arguendo concupiscentiæ latebras. Per Motum enim: directio errantium: per Situm autem repressio superbiæ arrogantium: Per Significationem, confusio & detestatio geneaticorum: & per transitum, suspirium & desiderium contemplatiuorum. Lumen enim eius purgat ignorantiæ & cæcitatis tenebras, per veri luminis cognitionem: eo quod sicut dicit *Psalm.* 35. In lumine eius videbimus veræ fidei & scientiæ lumen. Quod *Ioan.* 1. In tenebris lucet, & illuminat hominem venientem in hunc mundum. Et quia Castitatis lumen est, manifestat latebras & turpitudinem immundæ concupiscentiæ. Sicut dicitur *Iob.* 24. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicens non me videbit oculus. Per Motum dirigit. *Luc.* 2. Parasti ante faciem omnium populorum lumen ad reuelationem gentium. *Iob.* 29. Ad lucem eius ambulabam in tenebris. Per Situm humiliat, quia descendit. *Psalm.* 143. Inclina cælos tuos & descende. *Isa.* 64. Descendisti: à facie tua montes defluxerunt &c.

De Confusione geneaticorum. *Isa* 47. Stent & saluent te augures cæli: contemplantur sidera: & supputant tibi menses, vt ex eis annuncient ventura tibi, ecce facti sunt quasi stipula: ignis combussit eos. Per Transitum autem est suspirium contemplatiuorum: quibus omne lumen paruum est respectu interni luminis, quòd concupiscunt. *Tob.* 5. Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video. Sic ergo Vidimus stellam eius.

In Oriente.

Vel nos existentes [in oriente, vidimus stellam eius]

eius super Iudæam. Vel: existentes [in oriente; vidimus stellam eius] in oriente existentem. Et hoc est probabilius, quia stella præcedebat eos, quod non fecisset, si super Iudæam apparuisset. *Psal.* 49. Ab ortu solis vsque ad occasum laudabile nomen Domini. *Isa.*43. Ab oriente adducam semen tuum.

Et venimus adorare eum.

Hic tangitur deuotio quærentium. Tangunt autem laborem itineris: & tantus labor itineris fuit in hoc, quòd tanto terrarum spatio venerunt. Quia *Chrysost.* dicit, quòd spatio vnius anni & tredecim dierum iter perfecerunt. Alij autem dicūt, quòd in tredecim diebus in dromedariis venientes, iter vnius anni spatio tredecim dierū perfecerūt. Sed nō est probabile, quòd aliquod animal sit quod annuū motum spatio tredecim dierum perficere possit. Et ideò de huiusmodi dromedariis nihil legitur apud philosophos. Sed etsi esset, corpus humanū tantū motum in tam breui spatio sustinere non posset. Nec possumus dicere, quòd miraculum fuerit, cùm de hoc penitus nihil dicat Euangelium. Sed hoc certum est, quòd magnum & longum itineris laborem sustinuerunt. Et videbantur eis dies pauci propter amoris magnitudinem *Genes.* 29. *Dan* 3. Et nunc sequimur te in toto corde, & tenemus te: & quærimus faciem tuam, ne confundas nos. Sic ergo vadunt adorare eum adoratione latriæ sicut verum Dominum. *Hebræ.* 1. Adorent eum omnes Angeli eius. *Psal.* 65. Omnis terra adoret te Deus. In hoc enim notatur fides diuinitatis eius.

Audiens autem Herodes rex turbatus est.

Hic incipit Inquisitio facta per scripturas. Habet autem paragraphos tres: In quorum primo continetur de nato Rege perturbatio, Quæ tamen vtilis fuit ad hoc, vt diligens per scripturas fieret inquisitio: In secundo continetur Scripturæ de loco natiuitatis eius euidens attestatio: In tertio dolosa Herodis de inquirendo puero simulatio. Et hæc patent in littera. Adhuc in primo horum duo dicuntur: Malignorum videlicet perturbatio: & diligens de loco natiuitatis pueri inquisitio. Circa primum ponuntur duo, Perturbatio Regis: & Turbatio ciuitatis. Turbatio Regis continetur in quatuor. Primò enim ponitur turbatiuum, Et hoc fuit auditus eorum, quæ dicebant Magi. Secundò dicitur, quis turbatur [Herodes] vestipellis in dolo, & glorians in pellibus exterius coloratis in ambitione mundi. Tertiò subinfertur causa, cum dicitur.

Rex.

Putabat enim amittere regnum Iudææ cum esset alienigena nato Rege, ad quem regnum hæreditatio iure deuoluebatur. Quarto ponitur ipsa turbatio sequens irrationabilis & proterua, cùm dicitur.

Turbatus est.

De primo horum sciendum, quòd Magi viri boni, bonum nuncium apportantes læta putabant nunciare Regi & ciuitati, personantes nouitatem noui Regis. Malignitas autem Herodis in malo accipiebat auditum in malo cordis sui ad tristitiam & dolorem. *Psalm.* 111. Peccator videbit & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet: tamen Dei prouidentia desiderium peccatorum peribit. *Isa.* 21. Corrui cum audirem: conturbatus sum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me. Sic ergo talem auditum cum audiret.

Herodes.

Vestipellis in dolo, glorians in pelle pompæ sæculi. *Luc.* 13. vocatur Herodes vulpes à Domino propter dolum. *Thren.* 5. Vulpes ambulauerunt in eo. Et naturam vulpis ostendit infrà: quando clam vocatis Magis deuotionem simulauit, vt efficaciùs noceret. *Canticorum.* 2. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, hoc est, occultas machinationes: Ecclesiam de nato demoliri nitentes. Iste idem est pelliceus gloriosus, vel glorians in pellibus: exteriorem pompam in regno mundi ambiens. Hic enim cæli rege nato turbatur. *Psalm.* 67. Turbabuntur à facie eius patris orphanorum, & iudicis viduarum.

Rex.

Ecce causa turbationis: Quia est (aliàs cum) rex, timebat priuari regno per Regem verum regni hæredem: sed *Ambrosius* dicit: Hostis Herodes impie, Christum venire quid times? non arripit mortalia, qui regna dat cælestia. Vnde *Ioannis.* 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Iste ergo frustrà hac de causa.

Turbatus est.

Sicut oculus infirmus sordibus plenus, de clarissimo turbatur lumine, *Sap.* 17. Frequenter præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cum sit enim timida nequitia, data testimonium condemnationis. *Genes.* 4. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Hinc respondetur *Sap.* 17. Dum ab intro minor est expectatio, maiorem putat scientiam eius causæ de qua tormentum præstat.

Et omnis Ierosolyma cum illo.

Ecce turbatio ciuitatis valdè irrationabilis. Et fuit tres causæ turbationis ciuitatis: Quarum vna fuit in Principibus, qui locum & potestatem amittere timebant, non regnante impio rege, cùm & ipsi impij fuerint. Secunda fuit in vili & irrationabili plebecula, quæ prona in malum turbatur cum rege malo, propter applausum & consensum in malo. Tertia fuit in quibusliber etiam bonis: quia scierunt Herodem ita malum, quòd nisi tristarentur, ipse occideret eos: vt secum quocunque modo tristarentur. Vnde etiam in morte sua præcepit occidi nobiliores, vt ex hoc plangere cogerentur, & non gaudere de morte sua.

De prima harum dicitur *Prou.* 29. Rex qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. *Ioan.* 11. Collegerunt pontifices & Pharisæi consilium. Et sequitur, Ne forte veniant Romani & tollant nostrum locum & gentem. Vnde hanc etiam quidam dicunt esse quartam causam turbationis: quia principium

principium fuit edictum, quòd nullus se Deum, vel Regem faceret, nisi per auctoritatem eorum: & timebant, quòd si surgeret inter eos rex, quòd extirpandus esset locus & gens, & ipsi à potestate deponendi.

De secunda *Oſe.7.* Applicuerunt quasi clibanum cor suum, cùm insidiaretur eis rex. *Iere. 5.* Prophetæ prophetabant mendacium: & sacerdotes applaudebant manibus suis: & populus meus dilexit talia.

De tertia dicitur *Isa. 32.* Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacij. Sic ergo.

Omnis Ierosolyma cum Herode turbata est.

Quilibet enim aliquam istarum causarum habuerunt turbationis, præcipuè propter prophetiam Balaam. *Numer.24.* Vbi dicitur de Iacob. Erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.

Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi: sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.

Hic ponitur diligens de loco natiuitatis pueri perquisitio; Et dicuntur duo. Primò enim dicit diligentiam Herodis in congregandis illis, à quibus probabiliùs inquisitio fieri poterat: Secundò autem dicit diligentiam inquisitionis.

In primo horum dicit, qualiter congregauit generaliter omnes, in quibus erat aliqua authoritas: per quorum metum alij, quod scirent, dicere cogerentur. Et hoc est, quòd dicit.

Congregans omnes principes sacerdotum.

Hoc est, Pontifices, Et deinde dicit diligentiam congregationis eorum, in quibus erat eminens scientia, hoc est,

Scribas populi.

Illi autem, qui approbati fuerunt magistri, & sermones eorum scribebantur; Scribæ dicebantur. *Mat. 23.* Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Sacerdotes: quæcunque vobis dixerint, seruate & facite. Et ibidem dicitur, quòd hi tulerunt clauem scientiæ. Et quid.

Sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.

Ecce diligentia inquisitionis *Isa.8.* Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet *Psal. 63.* Deficerunt scrutantes scrutinio. Et forma verbi notat frequentiam: quia formam habet verbi frequentatiui: quia diligenter & frequenter quærunt. *Ioan. 12.* Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire.

At illi dixerunt ei: In Bethleem Iudæ: Sic enim scriptum est per Prophetam. Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.

Hic ponitur euidens assertio scripturæ de nato Rege. Dicuntur duo: Primò enim edocti per scripturam, veritatem respondent. Secundò Scripturæ testimonio responsionem probant.

Dicunt igitur,

In Bethleem.

Nasciturum Christum. Et addunt.

Iudæ.

Ad differentiam cuiusdam Bethleem, quæ fuit in Galilæa, in tribu Zabulon. De Iuda enim debuit nasci Christus, *Genes.49.* Iuda te laudabunt fratres tui: manus eius in ceruicibus inimicorum suorum catulus leonis Iuda.

Et inducunt testimonium dicentes.

Sic enim scriptum est per Prophetam.

Michee. 5.

Et tu Bethleem terra Iuda &c.

Attende, quòd in testimonio isto tria dicuntur. Primò enim locus describitur. Secundò Dignitas eius exprimitur: Tertiò ratio dignitatis ex natiuitate Christi ibi futura. Dicit ergo.

Et tu.

Quasi dicat, licet alias ciuitates metropolitanas de potentia, & diuitijs, & gloria laudauerim; tamen.

Et tu Bethleem.

Non illa, quæ est in Galilæa in sorte Zabulon; sed

Terra Iuda.

Et potest esse, quod de se dicunt Sacerdotes & Scribæ ad maiorem expressionem: quia Propheta dicit. Et tu Bethleem Ephrata. Cuius ratio superiùs in principio istius capituli dicta est. Et addunt dignitatis eius expressionem dicentes,

Nequaquam minima es in principibus Iuda.

Hoc est in principibus (aliàs principalibus) ciuitatibus Iuda. Dicitur enim princeps ciuitas, vbi est thronus Principis; eò quòd illa iure & libertate & priuilegiis principatur aliis. Et intelligitur ex hoc eminens dignitas: quia ex quo nequaquam minima est inter ciuitates principes aliarum ciuitatum, multò magis dignitate excellit omnes alias.

Sed videtur hoc contrarium ei, quod dicit. Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iuda, hoc est, paruus vicus es in sorte Iuda: In qua sunt vicorum & villarum & ciuitatum millia. Ergo secundum Prophetam minor est aliis: non dico, principibus ciuitatibus: sed etiam vicis. Responsio quòd Sacerdotes ponunt sensum Prophetæ, non verba. Intendit Propheta, quòd licet paruulus vicus sit propter paucitatem habitatorum: tamen maximi est priuilegij. Sicut patet ex sequentibus prophetiæ *Isa. 60.* Locum sanctificationis meæ: & locum pedum meorum glorificabo. Et subiungit rationem.

Ex te enim.

Sicut ex loco natiuitatis,

Exiet.

De vtero Virginis.

Dux.

Deu. 32. Dominus solus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus. *Exod. 15.* Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti.

Qui regat populum meum Israël.

Ecce actus ducis qui Regis: quia ducem regem vocat. Sicut & *Genes. 49.* Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius.

Hinc arguuntur Sacerdotes & Scribæ de tribus. De proditione, de ignorantia, & de malitia. De proditione: quia secreta Dei consilia deliberatore (aliàs deliberatione) prodiderunt impiissimo cani Herodi contra illud, quod dicitur. *Tob. 12.* Sacramentum Regis abscondere bonum est. Et *Mat. 7.* Nolite sanctum dare canibus: & margaritas nolite proiicere ante porcos. De Ignorantia autem: quia nescientes verba Prophetarum, non adducunt scripturam sicut iacet: cùm tamen nihil mutandum sit in sacro eloquio *Iob.29.* Verbis meis nihil addere audebant: sed stillabat super eos eloquium meum. *Malach.2.* Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. De malitia arguuntur: quia hoc tantùm de prophetia inducunt, quod potuit prouocare Herodem: Et tacent hoc, quod mitigare poterat ferocitatem eius. Non enim dicunt nisi id, quod loquitur Propheta de temporali natiuitate, de qua turbatus fuit Herodes: & de æterna tacent, quod sequitur. Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis; Quod si addidissent, cogitasset Herodes, quòd æterna sunt, quæ dicuntur, & non temporalia regna requirit Christus: & mitigatus fuisset, & cessasset persequi.

Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis: Et mittens eos in Bethleem, dixit: Ite & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renunciate mihi; vt & ego veniens adorem eum.

Iste est tertius paragraphus In quo continetur dolosa Herodis & callida de inquirendo puero simulatio. Et dicuntur quatuor: Quorum primum est diligens temporis ortus stellæ indagatio clam à Magis facta: Secundum Magorum in Bethleem, vbi natum esse cognouerat missio: Tertium, vt personam pueri inuestigarent fraudulenta iniunctio: Quartum, vt omnibus his cognitis sibi renunciarent, petitio: Et hæc plana sunt in litera.

Circa Primum istorum tria dicit: Quòd clam vocauit Magos semotis Sacerdotibus & Scribis: ne ab eis fortè de ferocitate ipsius præmunirentur (aliàs præmonerentur) quia timebat, quòd aliqui gauderent de nato Rege: & illi de dolis eius præmunirent (aliàs præmonerent) eos. Et etiam ideò: quia quod inter plures dicitur, faciliùs manifestatur. Volebat autem hoc verbum Herodes esse occultum: ne per famam publicaretur: Et quòd probabilius fieret quòd ex deuotione puerum inquireret. *Isa. 16.* Ini consilium: coge concilium: pone quasi noctem vmbram tuam in meridie. Ignorabat enim id, quod dicitur *Sap. 1.* Qui loquitur iniqua, non potest latere: nec præteriet illum corripiens iudicium. Et post modicum Sermonum illius auditio ad Deum veniet: ad correptionem iniquitatum illius, quoniam auris zeli audit omnia. Secundò tangit diligentiam inquisitionis temporis. Vt cognito iam loco à Sacerdotibus & Scribis, discat tempus à Magis. Ita quòd non restet nisi personæ interfectio, cognita persona. Et hoc est.

Diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.

Vt ex ætate pueri faciliùs persona dignosceretur. Non attendit, quod dicitur *Sap. 1.* Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

Et mittens eos in Bethleem.

Ecce Secundum: missio, scilicet Magorum in Bethleem, quam iam nouerat esse locum natiuitatis. *4. Regum. 6.* Nunquid scitis, quòd miserit filius homicidæ huc, vt præcidatur caput meum. *Psal. 54.* Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.

Ite, & interrogate diligenter de puero.

Ecce Tertium: Iniunctio scilicet, fraudulenta de personæ pueri indagatione *Iere.9.* Sagitta vulnerans, lingua eorum dolum est locuta. Nec dicit,

interrogate,

Quis, vel vbi sit puer: sed,

De puero.

Vt omnes circumstantias, quæ de puero erant, inuestigaret: Vt sic omnibus, quæ de puero erant cognitis, nullo modo latere vel effugere posset. Sed *Prouer.1.* Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum. *Psal. 56.* Foderunt ante faciem meam foueam, & inciderunt in eam.

Et cùm inueneritis, renunciate.

Ecce Quartum: Vt omnibus his cognitis sibi renuncietur. Et dicuntur tria. Primò enim tangit quòd certificentur ante renunciationem, cùm dicit.

Et cùm inueneritis.

Secundò sibi petit renunciari certissimè inuentum, cùm dicit.

Renunciate mihi.

Tertiò simularit, ne deprehendatur, adiungit deuotionis causam, cùm dicit.

Vt & ego veniens &c.

Iste deridetur *Iob. 11.* Forsitan vestigia Dei comprehendes: & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est: Et quid facies? Profundior inferno: & vnde cognosces? Longior terra mensura eius: & latior mari. Si subuertit omnia, vel in vnum coartauerit: quis contradicet ei, aut quis dicere ei potest: cur ita facis?

Qui cùm audissent Regem, abierunt.

Hæc est pars, in qua agitur de pueri inuentione: Et tanguntur quatuor, quorum primũ de recessu Magorum ab Herode: Secundum de iterata stellæ apparitione: Tertium de gaudio, quod habuerunt ex stellæ restitutione: Quartum de pueri per stellæ stationem inuentione: Et hæc patent in littera.

Circa primũ duo tanguntur: Auditus, videlicet, Herodis, & recessus ab eo. Putabant enim Herodem ex deuotione puerum quærere: & ideò audierunt eum proponentes omnia renunciare, quæ inianxerat. *Prouerbior. 26.* Labiis suis intelligit inimicus, cum in corde suo tractauerit dolos: cum submiserit vocem, ne crediderís ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.

Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer.

Ecce secundum de iterata stellæ apparitione. Et dicuntur tria, scilicet eiusdem, quæ modò apparuit, ad eam, quæ in oriente apparuit, identitas. Quia si alia fuisset confusus esset animus eorum: vtrum idem significasset, quod prior significauit. Et deinde dicitur stellæ præcessio in via. Tertiò statio eius supra locum vbi erat puer.

Stellæ restitutio significabat hoc, quod dicit *Isa. 62.* quòd egressus fuerat vt splendor iustus fidelis animæ: & Saluator eius velut lampas est accensus. Præcessio significabat directionem viæ fidelium ad ipsum. *Psal. 5.* Domine, deduc me in iustitia tua propter inimicos meos; dirige in conspectu tuo viam meam. *Psal. 88.* Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. *Isai. 60.* Ambulabunt gentes in lumine tuo: & Reges in splendore ortus tui. Per stationem supra, vbi erat puer; significabat quietem sanctorum in lumine Dei inuento *Colos. 1.* Dedit nobis partem sanctorum sortes in lumine. *Psalm. 26.* Dominus illuminatio mea & salus mea; quem timebo? Stetit enim:

Supra vbi erat puer.

Et hoc iustum fuit, vt stella staret ad solem, à quo accepit illuminationem.

Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè.

Ecce tertium gaudium de restitutione stellæ: Et tangit duo, scilicet, stellæ certam discretionem: & mirabilem de hoc exultationem.

Dicit ergo,

Videntes.

Hoc est, optimè discernentes,

Stellam.

Oportet enim examinare ea, quæ apparent: quia sicut dicitur in Epistola Iudæ: Quædam sunt sidera errantia, quæ ducunt in errorem: per hoc quod contra cursum cælestem mouere dicuntur 2. *Corinth. 11.* Ipse Sathanas transfigurat se in Angelum lucis, vt efficacius decipiat. Et in *Apoc. 12.* Tertia pars stellarum trahitur non motu cæli; sed cauda draconis. Et ideò 1. *Ioan. 4.* dicitur. Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, vtrum ex Deo sint. Et hoc est,

Videntes autem stellam.

Sic igitur certissimè discernentes eam.

Gauisi sunt gaudio magno valde.

Quoniam de restitutione stellæ gaudebant: De directione per antecessionem gauisi sunt,

Gaudio magno.

Aut de statione supra, vbi erat puer: Quia terminum significabat longi itineris & fructum magni laboris. Valdè autem gaudebant de inuentione. *Psal. 4.* Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo. Hi enim cum in lumine vultus Dei ambularent: in nomine suo exultauerunt tota die. *Hester. 11.* Lux & sol ortus est: humiles exaltati sunt. Cum luce enim stellæ; ortus est eis sol iustitiæ, Christus Deus noster.

Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius.

Ecce quartum de pueri inuentione: Et dicit tria. Quorum primum est, quòd certi de indicio stellæ domum intrauerunt. Secundum, quòd puerum inuenerunt. Tertium est societas, quam habebat secum. Et hæc patent in littera.

Primò ergo.

Domum intrauerunt.

Videtur autem non fuisse domus: Quia *Luc. 2.* dicitur esse diuersorium: quod fuit tectum inter duos parietes: ad diuertendum potiùs quàm ad habitandum. Potest dici quòd illud diuersorium vocatur hic domus; vel potest dici, quòd primò propter multitudinem profitentium in ciuitate non poterat habere domum, sed posteà illis recedentibus, & Ioseph manente propter curam puerperij inuenit domum. Sed primum est magis consonum dictis sanctorum: Et in hoc commendatur fides Magorum: quòd nihil exteriorum considerantes; eum quem in diuersorio & in stabulo inuenerunt, Regem Deum esse confessi sunt. Indicium enim stellæ plus attenderunt, quàm omnia, quæ ad mundi pertinent ambitionem 2. *Corinth. 8.* Propter nos egenus factus est, cùm esset diues: vt nos illius inopia diuites essemus.

Inuenerunt puerum.

Non diuina, sed puerilia prætendentem: vt scirent verè esse humanatum propter hominem. In stella quidem ostendit se esse Deum: & per hanc, maiestatem Dei (quæ intùs latebat) agnouerunt. Sed in se, non nisi bonam pueritiam, puram & innocentiæ simplicitatem prætendit. Et ideò.

Puerum.

Non ætate tantum, sed etiam actu, dicuntur inuenisse. Iste est Sadoch puer egregiæ indolis: vt dicitur, 1. *Paral. 12.* & *Isa. 42.* secundum literam LXX. Ecce puer meus electus, quem elegi: posui super eum spiritum meum. Puer verò à puritate vocatur.

Cum Maria matre eius.

Nec

Nec fit mentio de Ioseph, ne aliquid malæ suspicionis oriretur, vt quidam dicunt. Sed hoc friuolum mihi videtur; quia nihil talium in malam suspicionem induxisset Magos. Vnde ideò non fit mentio eius: quia Magis ostendebatur diuinitas eius, in qua nihil operis habebat Ioseph; mater autem cum Deo in filio communicauit: Et ideò fit mentio ipsius.

Admiratione autem dignum est, quòd non viderunt curiæ regalis frequentationem (aliàs frequentiam) & pro palatio diuersorium: Pro throno, præsepium: Pro purpura regali, fascias conscissas: Pro splendore & cultu regio, stabulum. Et tamen hæc omnia in domo Herodis videntes; ab ipso diuerterunt: & nihil horum apud puerum inuenientes; eum Regem mundi esse confessi sunt.

Et procidentes adorauerunt eum.

Hæc est pars illa, in qua circa inuentum fidei suæ deuotionem habebant; Et dicuntur duo: Adoratio, videlicet; & Oblatio. Adoratio in duobus consistit: In prostratione: & oratione. Prostrationem notat, cùm dicit,

Et procidentes.

Prostratio toto corpore facta; recognitionem significat, quòd homo de se nihil est nisi puluis & cinis. Resurrectio autem significat, quòd erigitur ex puluere manu Creatoris & plasmatoris, vt dicit *Damascen. Exod. 4.* Audierunt, quòd visitasset Dominus filios Israël, non desperasset afflictionem eorum; & adorauerunt proni in terram. *Psal. 131.* Adorauimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Et præcedit: Auditimus eum in Ephrata; inuenimus eum in campis siluæ: in condensò mundi huius. Introibimus in tabernaculum eius, hoc est, in diuersorium: & tunc adorauimus &c. *Isai. 45.* Te adorabunt, & te deprecabuntur.

Adorauerunt eum.

Ecce Oratio. *Psal. 28.* Adorate Dominum in aula sancta eius. *Gen. 43.* secundùm literam LXX. Cùm inueneritis, adorate eum super terram.

Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera: aurum, thus & myrrham.

Tangit Oblationem. Et dicit tria, scilicet, Munerum præparationem: Munerum oblationem: & Munerum specificationem. De Præparatione dicit,

Apertis thesauris suis.

Thesaurus, dicitur theca auri. Et in hoc significatur abundantia. *Tob. 4.* Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. *Matt. 12.* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum.

Obtulerunt ei munera.

Genes. 43. Deferte viro munera. *Isa. 19.* Colent eum in hostijs & muneribus. *Exod. 23.* Non apparebis in conspectu meo vacuus.

Aurum, thus & myrrham.

Ecce munerum specificatio. Et tradunt communiter Sancti, quòd specificatio munerum professio est fidei Magorum. Aurum enim obtulerunt, in signum regalis dignitatis: Quia, fideles venerat congregare in regnum. Thus autem, in professionem deitatis; quia Thus Deo incenditur in signum cordis, per deuotionem ascendentis in Deũ, & in signum redolentiæ gratiæ bonitatis diuinæ. Myrrham autem, in professionem mortalitatis ab omni corruptione putredinis cõseruatæ & conseruantis mortis. De primis duobus *Isa. 60.* Omnes de Saba venient: aurum & thus deferentes: & laudem Domino annunciantes. Vnde & terra Perfidis (vnde isti venerant) Sabea à quodam fluuio Saba dicto, vocata est. De myrrha *Cant. 5.* Manus meæ distillauerunt myrrham; & digiti mei pleni myrrha probatissima. De auro *Aggeæ 2.* Meum est aurum & meum est argentum. *Apoc. 3.* Suadeo tibi à me emere aurum ignitum probatum; vt locuples fias. *Cant. 5.* Caput eius aurum optimum. Hæc notitia regalis est regni Christi. De thure dicitur in *Psal. 140.* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. *Leui 2.* Totum thus ponet super altare; in memoriale suauissimum Domino. De myrrha simul & thure, *Can. 3.* Ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & diuersi pulueris pigmentarij. *Cant. 4.* Ibo ad montem myrrhæ, & ad collum thuris. *Beatus Gregorius* in quadam Homilia dicit, quòd aurum significat regalem dignitatem; thus autem pontificalem: quia *Heb. 9.* dicitur. Pontifex futurorum bonorum &c. Myrrha autem odoramentum virtutum in vita. *Psal. 44.* Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis. Myrrha enim, quæ marcescere non potest, significat virtutes sapientis, quæ non marcescunt. *Sap. 6.* Custoditio legum, consummatio est incorruptionis: Incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ conducit ad regnum perpetuum.

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Hic incipit pars illa, vbi excluditur dolus Herodis; Et tanguntur duo; præmunitio scilicet per oraculum diuinum; & obedientia eorum. Præmunitio autem oraculi continet tria, modum, tempus & oraculum. Modus est; quia per modum responsionis datum est. Non dubium; quin semper à Deo corde quærerent, vt viam eorum in pace dirigeret: & huic desiderio respondet oraculum. *Deut. 6.* Dominus Deus noster adest cunctis obseruationibus nostris. Simile est *Exod. 14.* Vbi non ore, sed corde clamanti Moysi Dominus respondet. Quid clamas ad me? *Psal. 31.* In via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos &c.

In somnis.

Qui non est nisi auersio (aliàs versio) spiritus & animæ à sensibus & strepitu exteriori ad interiorem cordis contemplationem, licet superius diximus. *Iob. 3.* Nunc dormiens silerem: & somno meo requiescerem. *Psal. 4.* In pace in idipsum: dormiam & requiescam.

Ne redirent ad Herodem,

Ecce oraculum ostendit puer, quod dicitur *Joan.* 2. Quòd non credebat semetipsum Herodi: & non erat ei opus, vt quis ferret testimonium de homine. Ipse enim nouit, quid esset in homine. *Iob.* 12. Ipse nouit & decipientem, & eum, qui decipitur *Prou.* 11. Simulator ore decipit amicum suum: Iusti autem liberabuntur scientia.

Per aliam viam.

Ecce obedientia: Et dicuntur duo: Cautela, videlicet, & salus redeuntium. Cautela: quia nõ per Herodem; sed per aliam viam. *Prou.* 14. Est via, quæ videtur homini recta: & nouissima eius ducunt ad interitum. Et attenditur horum Magorum fides & humilitas: Turpe enim est honestis viris benignè receptis, sine resalutatione quasi fugitiuos recedere. Et hanc turpitudinem elegerunt in se potiùs, quàm puerum proderent Herodi. *Sap.* 14 Fugitiui perpetuæ prouidentiæ placuerunt. Vnde & Laban in simili facto arguit Iacob. *Gene.* 31. Cur clam me fugere voluisti: & non es passus, vt prosequerer te cum gaudio.

Reuersi sunt in regionem suam.

Ecce; quòd salui reuersi sunt ad propria. *Gene.* 28. Ero custos tuus quocunque perrexeris: & reducam in terram hanc. *Tob.* 5. Bene ambuletis: & sit Dominus in itinere vestro; & Angelus eius comitetur vobiscum. *Psal.* 120. Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum &c.

Qui cùm recessissent: Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph.

Hic incipit Secunda pars istius Capituli. In qua postquam innotuit puer, cauetur ei à dolo Herodis. Et habet duas partes: In prima quarum malitiæ Herodis, puer Dei prouidentia subducitur. In Secunda per apertam malitiam fraus Herodis detegitur. *Ibi* Tunc Herodes videns, quoniam illusus &c. Prima harum habet tres partes. In quarum prima ponitur reuelatio facta de fuga in Ægyptum: In secunda Obedientia Ioseph: Et in tertia Confirmatio facta per prophetiam: Et hæ partes patent in litterâ. Circa primam istarum tria dicuntur: Tempus, videlicet, reuelationis: Dispositio reuelantis: & eius cui fit reuelatio: & Reuelatio ipsa.

De tempore dicit.

Qui cùm recessissent.

Hoc est: cùm Magi iam recessissent. Non quidem statim: sed interpositis his quæ *Lucas.* 2. dicit quadragesimo die accidisse, de Purificatione, & Præsentatione Saluatoris in templo: quia illa facta sunt ante fugam in Ægytum.

Ecce Angelus.

Ecce Secundum, Et tangit duo; Dispositionem scilicet reuelantis primò; & Dispositionem eius, cui fuit reuelatio secundò. Reuelantis dispositionem dicit per quatuor: Per euidentiam; ne dubitetur. *Act.* 10. Vidit manifestè Angelum Dei dicentem sibi. Per Officium: quia Angelus est nomen officij: vt Dei nuncium esse sciatur. *Malach.* 3. Ecce mitto Angelum &c. Per eum cuius est nuncius; ne sathanæ Angelus esse credatur. Per modum apparitionis, quando dicit.

Apparuit.

ne humana visio esse credatur. Et de his dictum est superiùs. Describit autem dispositionem eius, cui facta est reuelatio: Per qualitatem sensuum, cùm dicitur.

in somnis.

Et per nomen, cùm dicit.

Ioseph.

Auersus enim à sensibus; superioribus se inseruit luminibus Angelorum, sicut dicitur in *Psal.* 118. Nox illuminatio mea in delitiis meis. Nox est sensuum obscuritas. *Micha.* 7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Et hoc est, quod dicitur *Exo.* 19. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis. Calignem non habitat Dominus; sed potiùs lucem inaccessibilem, sicut dicitur. 1. *Tim.* 6. Sed caligo est obscuritas sensuum omnium, luce spirituum & animæ festinante ad altissimam intellectus reuelationem: vt tota simul conuoluta anima, certiùs & luculentiùs percipiat ea, quæ apparent. De Ioseph autem facit mentionem propter sanctitatem: vt sciamus tam sanctum virum cum Angelis habere familiaritatem: & ideò crebras ab eis habere reuelationes. Vnde *Apo.* 22. dicit Angelus. Conseruus tuus sum & fratrum tuorum.

Dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius.

Ecce hic ponitur reuelatio, & dicit quatuor: quorum primum est Imperium: vt curam gerat de puero & matre: Secundum de subductione pueri in Ægyptum: Tertium de mora in Ægypto: Et Quartum est ratio istorum omnium. Et hæc per ordinem patent in littera. Circa primum tria dicit; Euigilationem, scilicet ad actum exteriorem: curæ impositionem: & quibus cura est impendenda. De Euigilatione ad actum exteriorem à somno contemplationis dicit.

Surge.

Hoc est, sursum te age, exteriùs magna operare. *Dan.* 4. Vigil & sanctus descendit de cælo, circa quem est vigilandum. *Prou* 8. Beatus homo qui audit me: & qui vigilat ad fores meas quotidie: & obseruat ad postes ostij mei. 2. *Timo.* 4. Tu verò vigila, in omnibus labora; opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple; sobrius esto.

Accipe puerum & matrem.

Hoc est, curam impende: quia iamdudum acceperat in habitationem. Et dicit puerum primò: quia dignitatem habet per se, & prior debet esse in cura, & posteà matrem: quia dignitas in (aliàs &) cura matris est propter puerum. Nec fit mentio, quòd dicatur, coniugem tuam; quia iam inductus fuit; quòd voluit dimittere eam. Et ideò quod magis attendit Ioseph quàm coniugium, hoc fuit, quòd fuit mater pueri. Et ideò etiam non dicitur: puerum tuum; quia sibi, vt patri, puer ille non est natus: sicut Zachariæ,

vt patri, natus est Ioannes *Lu.* 1. Pariet tibi filium: & vocabis nomen eius Ioannes. Si autem mentio fieret de coniugio; apud minus peritos videretur aliquid habere in puero. Nunc autem tanquam procuratori Domini sui & Dominæ suæ dicitur: Accipe puerum & matrem eius. *Gal.* 4. Sub tutoribus est & actoribus vsque ad tempus præfinitum à patre. Sic ergo dictum sit de cura & de puero & matre, quibus cura impenditur.

Et fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi.

Hic tangit subductionem pueri in Ægyptum: Et dicit duo: fugam; & locum, quò fugiendum est. Dicit igitur.

Fuge.

Et mirabile videtur, qualiter dicit debere fugere eum, qui de Spiritu sancto natus est, qui Deus est, qui Saluator & præsidium est omnium & refugium. *Prou.* 18. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam confugit iustus & saluabitur.

Si dicas, quòd humana voluit ostendere, Contra, *Luc.* 4. Vbi etiam humana ostendit in hoc, quòd permisit se duci ad præcipitium montis: Et tamen postea transiens, per medium eorum ibat inuisibilis: Et ita videtur hic debuisse facere; quia si inuentus fuisset ab Herode, omnibus fuisset parcitum infantibus: & tamen sicut vellet, posset se subducere, ne occideretur. Ad hoc dicunt tam *Chrysostom.* quàm alij Sancti; quòd dispensatiua est fuga ista, ne diminicaret ante tempus ostenderet; & sic humanitas phantastica & non vera putaretur; sicut Manes hæreticus dicebat: Et vt suos, quando soli quærentur ad mortem, fugere doceat per exemplum. *Mat.* 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Ad hoc, quod obijcitur de Luca, quòd transiens per medium illorum ibat. Dicendum, quòd hoc fuit tempore prædicationis; quando sermo confirmandus erat per miracula: Nunc autem fuit tempus, quando nuper humanitatem assumpserat, cuius veritas erat comprobanda per infirmitates humanas. *Hebræ.* 2. Debuit per omnia fratribus assimilari; vt misericors fieret.

In Ægyptum.

Ecce quò fugiendum. Et sunt duæ causæ assignandæ, quare potius in Ægyptum dicit fugiendum, quàm in aliam terram. Quarum vna est; quia ibi magis vigebat idololatria, quam ipse destruere venerat. *Isa.* 19. Ascendet Dominus super nubem leuem, [illegible] Ægyptum, & commouebuntur simulachra [illegible] quòd in ingressu in Ægyptum [illegible] in quo non corrueret idolum. Sicut & [illegible] filiorum Israel non fuit domus, in qua non iaceret primogenitum mortuum. Nubes autem leuis est caro non onerata peccato; solo celesti calore formata, sicut nubes. *Hebr.* 3. Percussisti caput de domo impij &c.

Secunda causa est; quia multis plagis plagauerat Ægyptum, Ingreditur ergo, vt tot plagas vnius præsentiæ visitatione sanaret. *Isa.* 19. percutiet Dominus Ægyptum plaga & sanabit eam; & reuertentur ad Dominum; & placabitur eis, & sanabit eos. Vnde dicitur, quòd Ægyptij ædificauerunt altare Deo, qui prostrauit idola, & sanauit eos à plagis. *Isa.* 19. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti: & titulus Domini iuxta terminum eius. Dicitur etiam, quòd habitauit Dominus in ciuitate Ægypti; quæ Heliopolis, hoc est, ciuitas solis vocabatur. *Isa.* 19. In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti, loquentes lingua chananæa, & iurantes per Dominum exercituum; ciuitas solis vocabitur vna. Et in hac eadem ciuitate vidit beatus *Dionysius & Apollophanius* eclypsim solis in die passionis dominicæ.

Et esto ibi &c.

Hic tangitur mora Domini in Ægypto: Nec tangitur determinatum tempus secundum propriam temporis quantitatem; sed indeterminatè præcipitur, quòd maneat vsquequò redire præcipiat. Nec huius causa est quòd Angelus nesciat quamdiu morari in Ægypto debeat; sed ideò est: quia iam Ioseph deuotum & paratum ad omnia fecerat. Et ideò quantumcunque temporis in exilio & in labore esse debeat; iucundum sit ei & deuotum; & videantur ei dies pauci, præ amoris magnitudine. Nec quærit ab Angelo quamdiu: quia paratus est in omne tempus omnem puero & matri sollicitudinem impendere. Et hoc est.

Vsque dum dicam tibi.

Psal. 89. Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit. Non enim sentitur pondus diei & æstus. *Mat.* 20. qui totum obsequium vix vnius horæ esse reputat. *Sap.* 8 Proposui hanc adducere mihi ad conuiuandum (aliàs conuiuendum) sciens quoniam mecum communicabit de bonis suis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei.

Futurum enim est, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

Hic assignat fugæ indictæ rationem; & tangit tria: Quorum primum dicit præscientiam; secundum Herodis fraudulentiam; tertium autem malitiam. Prouidentia tangitur per hoc, quod dicitur quòd.

Futurum est.

Et obijcitur, quod si futurum est, de necessitate eueniet: Et sic prouidentia rebus imponit necessitatem. Ad hoc dicendum secundum suprà dicta; quòd hæc prædictio non est nisi signum futuri, & non causa. Et si dicas, quòd non ex dicto, sed ex prouidentia arguitur necessitas futuri. Dico, quòd prouidentia de inquisitione futura est sicut causa prima, quæ nõ tollit causalitatem à causa proxima. Et quia illa est voluntas Herodis; ideò non sequitur, quòd sit futurum ex necessitate; sed ex voluntate: quia necessitas, & possibilitas attribuuntur rebus ex causis proximis, & non ex primis: quia primò primæ causæ non sunt in rebus, nec aliquid ponunt in eis, licet aliquem ponunt ordinem [illegible] secum [illegible]. Si autem dicas, quòd ille ordo est necessarius, & sic redit idem, quod prius. Dico quòd ille ordo est voluntarius, non necessarius;

quia Deus nulli subiicitur necessitati. Scilicet voluntas illa ordinata per prouidentiam est immobilis : sed illa immobilitas est suppositionis, & non necessitatis. *Isa.* 44. Ex tunc audire te feci, & annunciaui. *Ioan.* 16. Quæ ventura sunt, annunciabit vobis.

Vt Herodes quærat puerum.

Ecce Fraudulentia. Sed quare dicit,

Quærat.

Et non quæsiturus sit puerum, ex quo est futurum ? Responsio. Herodes quæsiuit à Magis; & adhuc corde tractat inquisitionem ; sed futura est inquisitio illa sola, quæ fuit per necem puerorum. Vt ergo notet & præsentiam & futuritionem, dicit futurum esse, vt quærat puerum. Econtra dicitur. *Sap.* 10. In fraude circumuenientium illi affuit, & honestum fecit illum : custodiuit eum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum,

Ad perdendum eum.

Ecce malitia Herodis. *Isa.* 10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum *Exod.* 15. Euaginabo gladium meum:& interficiet eos manus mea,

Qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.

Hic incipit pars illa, quæ est de obedientia Ioseph : Et dicuntur quinque. Primum est obedientiæ celeritas : Secundum est cura pueri & matris imperata per Angelum ; Tertium tempus fugæ ex qualitate aëris:Quartum fuga : Quintum mora : Et hæc omina patent in serie literæ.

De primo dicit.

Qui consurgens.

Hoc est simul corpore & mente surgens; tota velocitate & deuotione. *Prou.* 22. Vidisti hominem velocem : in opere suo coram regibus stabit. *Pro.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis. *Psal.* 131. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem : donec inueniam locum Domino.

Accepit puerum & matrem eius,

Expone sicut supra. *Gen* 44. Ego suscipio puerum de manu mea : nisi reduxero & reddidero eũ tibi ero peccati in te reus omni tempore.

Nocte.

Hoc non dixerat Angelus. Quare ergo fecit illud ? Responsio. Angelus dixerat implicitè, quando dixit, quòd fugeret: quia de die fugiens latere non posset. Adhuc significat noctem infidelitatis esse in cordibus Iudæorum, ablato ab eis vero lumine. *Io.* 1. Lux in tenebris lucet : & tenebræ eam non comprehenderunt. *Ezech.* 12. Dux, qui est in medio filiorum Israël in humeris portabitur, & in caligine egredietur.

Et secessit in Ægyptum.

Ecce quartum, fuga in Ægyptum: Et hoc est suprà expositum.

Et erat ibi vsque ad obitum Herodis,

Hoc est quintum de mora: Et videtur non conuenire superioribus: Quia dixerat Angelus, quòd maneret ibi vsque dum diceret ei: Hic autem non facit mentionem de hoc vsque ad obitum Herodis. Responsio. Idem est : Quia Angeli dictum & obitus Herodis in vno tempore fuerunt, sicut in sequentibus patebit. Dicitur autem, quòd septem anni fluxerunt ab ingressu Domini in Ægyptum vsque ad exitum de Ægypto : Et quid interim fecerit Dominus, vel quid passus sit, ignoratur. 1. *Mach.* 2. A verbis veri peccatoris ne timueritis : Hodie extolletur : & cras non inuenietur : quia conuersus est in terram suam. *Psal.* 145. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam : in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocaui filium meum.

Hæc est pars, in qua ponitur confirmatio præinductorum per scripturam : Dicuntur autem duo, Modus impletionis, & scriptura, quæ impletur.

Vt,

Coniunctio autem, quæ hîc ponitur, non dicit causam; sed potiùs terminationem signi ad signatum in futuro ; sicut superiùs diximus,

Adimpleretur.

Impletur, quando verificatur : sed adimpletur, quando in gratia plus datur, quàm in scriptura promittatur. *Lu.* 6. Mensuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum,

Quod dictum est à Domino.

Cuius est prima auctoritas veritatis. *Exo.* 4. Ego ero in ore tuo. *Isa.* 33. Quod ex ore meo procedit, ille mandauit : & spiritus eius ipse congregauit ea.

Per Prophetam.

Oseam 11.

Dicentem.

Quia Puer Israël, & dilexi eum : &

Ex Ægypto vocaui filium meum.

Num. 24. per sensum, non per verba: Dominus ex Ægypto vocauit eum, cuius fortitudo est sicut Rhinocerotis.

Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde.

Hic incipit pars illa, in qua apertam malitiam Herodis prosequitur ad perdendum : Habet autem tres paragraphos, quorum primus est de Herodis exacerbatione : Secundus de puerorum interfectione ; Tertius de facti huius per scripturam confirmatione : Quæ patent cuilibet in serie literæ. Circa primum horum dicit tria ; tempus historiæ : causam exacerbationis : & ipsam exacerbationem. Tempus dicit quando dicit,

Tunc.

Et

Et attende, quòd non fuit tempus immediatum : sed potius primò cùm Magi non redirent ad eum, & nihil de fama pueri perciperet ; putauit Magos visione fallaci esse deceptos ; & ex verecundia non rediisse ad eum : Et ideò tunc quieuit ab inquisitione pueri, sed posteà audiens famam (aliàs per famam) de prophetia Symeonis & Annæ : & multa, quæ dicebantur de puero, iterum incepit quærere. Nec otiosus fuit diligenter inuestigare : quia à filiis citatus fuit Romam ad Imperatorem ab Alexandro, scilicet & Aristobulo (quibus in Regem volebat præficere eorum ex ignobili coniuge susceptum, eis à regno abiectis) oportuit ire Romam. Sed ibi cum filijs præualuisset, & licentiam haberet instituere quem vellet : eò quòd excepisset contra filios, quòd volebant eum interficere, cõsilium quæsiuit ab Imperatore, quid ageretur de fama pueri I E S V : Non enim ausus fuit tantam stragem puerorum committere sine auctoritate Imperatoris habens autem licentiã & rediens victor super filios, fluxit annus à Natiuitate Christi & tres dies, quarta die interfecit eos : secundum quod etiam celebratur solennitas eorum. Et ideò præponitur festum testis Christi ; qui actu & voluntate martyr, hoc est testis est, hoc est, Stephani ; Et coniungitur illi festum Ioannis, qui voluntate, non actu martyr fuit ; Et tertio ponitur Festum puerorum, qui actu, non voluntate testes sunt : quia præconium Christi non loquendo, sed moriendo confessi sunt. Gratia igitur illius totius temporis dicit.

Tunc Herodes.

Et subiungit causam perturbationis, cum dicit,

Videns, quoniam illusus esset à Magis.

Quia rediens in Iudæam multa fama pueri venit ad eum. Vnde etiam transiens in via per Tharsum Ciliciæ, inuenit naues, quæ asportauerant Magos in terram suam reuertentes, & combussit eas in ira furoris sui. Vt impleretur, quod dixit *Psal.* 47. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.

Attende autem, quòd dicit,

Illusus.

Non enim bonorum virorum est alicui illudere: Sed dicendum, quòd Magi sibi non illuserunt ; sed potiùs profuerunt ; sed ipse hoc, quòd non redierunt, illusionem reputauit. *Prou.* 3. Illusores ipse deludet : mansuetis autem dabit gratiam *Isa.* 19. Addent mites in Domino lætitiam & pauperes homines in sancto Israel exultabunt : quoniam defecit, qui præualebat, consummatus est illusor. *Prou.* 13. Filius sapiens doctrina patris; qui autem illusor est, non audit, cum arguitur. *Prou.* 9. Illusor solus portabit malum. Quia hic Herodes illusor fuit ; ideò omne ; quod ad votum malitiæ suæ non obtemperauit, illusionem reputauit. Deinde subiungit ipsam suam exacerbationem dicens,

Iratus est valde.

Similis est Dæmoni Herodes, cuius malum est furor irrationabilis, demens concupiscentia, phantasia proterua. Nam quia dementer terrenum regnum concupiuit, ideò cæli Rege nato, irrationabiliter iratus fuit : & contra ordinationem Dei, quam prophetiâ & stellæ indicio audierat non ex ratione, sed ex phantasia frustrà proteruiebat. *Gen.* 49. Maledictus furor eorum : quia pertinax ; & indignatio eorum, quia dura. *Iudic.* 3. Non poterant mitigare ferocitatem pectoris eius. Fit autem iratus de opinata malorum (aliàs Magorum) illusione. Valdè autem iratus fuit de crescente puero I E S V bona opinione. *Iob.* 5. Virum stultum interficit iracundia, & paruulum occidit inuidia. Praui enim animi est tristari de bono statu, & opinione bonorum.

Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in ominibus finibus eius, à bimatu & infrà secundum tempus, quod exquisierat à Magis.

Ecce secundus paragraphus de puerorum interfectione : Et dicuntur sex ; Videlicet, Herodis timiditas, atrocitas, malitiæ generalitas ; crudelitas, locus occisorum, & ætas, Et ista per ordinem dicuntur in littera.

Per hoc enim, quod dicit.

Mittens.

Notatur timiditas : quia per seipsum libentiùs iuisset ; sed timuit, quòd aliquis parentum irrueret in eum, cogitans quòd cùm sit odiosus, non sequetur vindicta. Cùm autem alios misit, & se præseruauit : timebant parentes puerorum vindictam sequentem ; si in ministros sceleris irruerent. Dicunt etiam quidam, quòd regiæ dignitatis est, non per se, sed per alium punire. *Isa* 16. Superbia eius & arrogantia eius plus quàm fortitudo eius.

Occidit.

Ecce atrocitas. *Sap.* 12. Necatores sine misericordia, & comestores viscerum hominum, & deuoratores sanguinis. Pueri enim innocentes propter teneritudinem, dicuntur viscera hominum.

Omnes.

Ecce malitiæ generalitas : quia nulli omnino pepercit. *Exod.* 1. Si masculus fuerit, interficite eum. Et ibidem præcepit omni populo dicens: Quicquid masculini sexus fuerit, in flumium projicite. Similis enim crudelitas & malitia fuit Pharaonis & Herodis : Herodes tamen vicit Pharaonem in hoc, quòd quæsiuit interficere Deum cæli natum Regem: Pharao autem diminuere Dei populum.

Pueros.

Ecce Crudelitas. *Ier.* 6. Crudelis est, & non miserebitur : Quia nec etiam innocentia ætatis mouet ad parcendum. Cum tamen dicat *Apost.* *Ro.* 5. Pro bono, hoc est, innocente forsitan aliquis audeat mori, vt liberet eum, supple. Iste autem interfecit innocentes omnes. *Prouer.* 11, Qui crudelis est, propinquos abiicit.

In Bethleem.

Ecce locus : & dicit duo, locum, f. natiuitatis:

tis: & loca coniuncta natiuitatis. Locum tangit cum dicit.

In Bethleem Et.

Ne fortè sit portatus ad villas adiacentes, vt lateat.

In omnibus finibus.

Bethleem fecit occidi. *Thren.* 1. Foris interficit gladius, & domi mors similis est.

A bimatu

Hic determinat tempus ætatis occisorum. Est autem bimatus ætas duorum annorum. Et dicit hic tria, scilicet, quod bimos occidit, & eos, qui infrà erant, occidit. Et dicit rationem. Infra bimos autem esse dicitur dupliciter, quoad numerum, & quoad tempus. Si quoad numerum annorum: tunc maior numerus sit infra minorem in ordine numerandi: tunc illi qui erant infra bimos, erant maioris ætatis: Et ita dicit *Chrysostomus*, quod bimos occidit, & maiores vsque ad lustrum, quod est spatium quinque annorum. Cuius signum est: quia quædam ossa Innocentum inueniuntur, quæ prætendunt ætatem quinque annorum per quantitatem suam. Huius autem causa potuit esse: quia timebat, cùm tot mirabilia dicerentur de puero, quòd ætatis maioris assumeret sibi formam. Si autem infra bimos esse dicantur, qui sunt infra spatium continuum temporis: tunc infra bimos sunt hi, qui minoris sunt ætatis, quàm duorum annorum. Et ita dicit *glo.* quòd ab ætate vnius noctis occidit pueros vsque ad ætatem duorum annorum. Puto, quòd vtrumque fecit. Quia sicut timuit, quòd assumeret sibi formam maioris ætatis; ita timuit, quòd assumeret sibi formam ætatis minoris.

Secundum tempus.

Ecce ratio. Tempus autem, quod exquisierat à Magis, fuit iam quasi duorum annorum secundum *Chrysost*: quia vno anno ante natiuitatem stella apparuerat, & vnum annum occupatus fuerat, & in secundo anno fuit. Et ideò sub illo tempore, & secũdum tempus & supra occidit crudelis, & impius: quia magis voluit, quòd multi Innocentes perirent ad hoc, quòd solus non euaderet, quem quærebat: quod est impietatis. Pietas enim magis eligit, quòd multi liberentur nocentes, quàm quòd vnus moriatur innocens: quia nocentes liberari pœnitere possunt; Sed innocens mortuus reuocari non potest. Et hæc sunt verba *Chrysost*.

Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

Ecce confirmatio per scripturam: Et dicit duo, scilicet. Impletionem, & Scripturam, quæ impleta est.

De Primo dicit.

Impletum.

Simpliciter, non adimpletum: quia crudele factum fuit: & in illo Dominus non addit.

Per Ieremiam.

3. & 31.

Vox audita est in Rama.

Et hoc prænunciantem: vt sciretur, quàm citò Christi persecutiones inceperunt in hoc mundo.

Prophetam dicentem.

Ecce scriptura impleta: Et tangit quatuor, quorum primum est exaggeratio facti per magnitudinem lamenti; Secundum est, quòd determinatur quorum fuit lamentum: Tertium inconsolabilitas plorantium: Quartum inconsolabilitatis causa.

Circa primum dicit duo: Magnitudinem enim lamenti determinat per clamorem: & per modum. Per clamorem: quia clamor lamentantium siue.

Vox in Rama.

Et attende, quòd Rama est ciuitas Saul in sorte Beniamin, sicut dicitur *Iosue* 19. Quæ quia metropolis fuit, ibi maximus fuit ploratus. Verius tamen est, quòd Rama hic sit nomen appellatiuum, & non loci proprium, hoc est, in excelso: quia in excelsis cœlũ clamor ascendit. *Luc.* 5. Clamor eorum in aures Domini sabaoth introiuit. *Eccl.* 35. A maxilla lachrymæ ascendunt vsque in cœlum: & Dominus exauditor non delectabitur in illis.

Ploratus & vlulatus multus.

Exaggeratio est à modo ploratus. Est autem Ploratus ipsa lachrymatio. Vlulatus autem sonus eiulantium præ multitudine doloris. Vlulatus propriè est luporum: quia ex nimietate doloris bestialiter clamauerunt, rationis obliti penitùs: Nec sic miserabatur Herodes. *Threnorum.* 1. Plorans plorauit in nocte: & lachrymæ eius in maxillis eius. *Ierem.* 9. Quis dabit capiti meo aquas, & oculis meis fontem lachrymarum: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.

Rachel plorans filios suos.

Ecce Qui plorauerunt. Et videtur loqui incongruè. Quia Bethleem non erat in finibus Beniamin, sed Iudæ, qui fuit Liæ: Præterea Rachel iam fuit mortua: quomodo ergo plorauit?

Dicunt quidam, quòd loquitur Propheta de filijs Beniamin, qui occisi fuerunt pro vxore Leuitæ, quam libidine interfecerunt, sicut dicitur *Iudicum.* 19. Sed hoc ridiculum est: quia Propheta hoc dicente pro futuro diu hoc præterierat: & consolatio reddita fuerat: & Rachel diu mortua. Vnde dicendum, quòd iuxta Bethleem Rachel sepulta fuerat, sicut dicitur *Genes.* 58. Et à corpusculo ibi sepulto & materno affectu dicitur plorare. Et est sensus: tanta fuit crudelitas, quod etiam mortui, si fieri posset, plorassent. Præterea fortes Beniamin & Iudæ erant coniunctæ. Et quia in finibus adiacentibus occidi præcepit, multi de Beniamin pueri fuerunt interfecti. Et ideò ad Rachel istis duabus de causis pertinet ploratus.

Et noluit consolari.

Nihil

Nihil enim consolationis habebat tam enormis crudelitas. *Threnor.* 1. Non est, qui consoletur eam ex omnibus charis eius. *Isa.* 22. Nolite incumbere, vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei: Dies enim interfectionis & conculcationis & fletuum à Domino Deo exercituum.

Quia non sunt.

Ecce causa inconsolabilitatis: quia interfecti sunt antequam essent. Infantes enim perfectum esse naturæ nondum acceperant, quando sunt interfecti. Vel.

Quia non sunt.

Hoc est, quia ad non esse secundū vitam naturæ deducti sunt. Et istæ duæ expositiones sunt literales, *Genes.* 37. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere; sed ait: descendam ad filium meum lugens in infernum. Quidam exponunt, quòd Rachel sciens gloriam Innocentum occidendorum pro Christo, fleuit; quia filij sui non ibi fuerunt occisi, sed pro stupro vxoris Leuitæ, quod erat ei inconsolabile: quia turpem caussam mortis acceperunt; & infantes honestam.

Defuncto autem Herode, ecce apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

Hic incipit tertia pars capituli [illegible] in qua agitur de relatione pueri Iesu de Ægypto: Et diuiditur in tres partes. In quarum prima ponitur reuelatio de efferendo puero: In secunda obedientia Ioseph: Et in tertia confirmatio per prophetiam: Et hæc patent in serie litteræ. In prima harum dicuntur sex per ordinem; Tempus videlicet reuelationis; Dispositio reuelantis: Dispositio reuelationem accipientis: Locus: Ipsa reuelatio: & caussa reuelationis: Quæ consequuntur in serie litteræ.

De tempore dicit,

Defuncto autem Herode.

Qui fuit caussa fugæ *Isa.* 16. Finitus est puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcauit terram *Isa.* 14. Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium cædentem populos in indignationem plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.

Ecce Angelus.

Descriptio est reuelantis ab [illegible], ab auctoritate, à modo reuelationis [illegible].

Ab euidentia: quia seipsum [illegible] *Isa.* 45. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso.

Angelus.

Id est, nuntius. *Prouerb.* 25. [illegible] animæ sitienti nuncius fidelis de terra longinqua.

Domini.

Psalm. 90. Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te &c.

Apparuit.

Potestas apparentis, Sicut suprà diximus *Osea.* 12. Ego visiones multiplicaui eis. *Psalm.* 88. Tunc locutus es in visione cum sanctis tuis.

In somnis.

Dispositio est eius, qui accipit reuelationem. Per modum & per nomen. Per modum quia in somnis. *Genes.* 15. Cùm occumberet sol, Abraham accepit reuelationem. Idem dicit. *Iob.* 33. Per somnum in visione nocturna, quando irruit sopor super homines & dormiunt in lectulo: tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.

Ioseph.

Genes. 37. Ecce somniator venit Ioseph.

In Ægypto.

Ecce locus. Non enim discernit locum, vbique adest suis. *Matth. vltimo.* Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus &c. *Genes.* 26. Ego ero tecum [dicens]

Surge &c.

Ecce reuelatio: Et præcipit tria, Euigilationem ad opera exteriora, curam laboris, & reditum de Ægypto. De Euigilatione autem ad opus, à somno reuelationis & contemplationis, dicit: Surge. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte: de mane vigilabo ad te. *Psalm.* 62. Ad te de luce vigilo. *Cant.* 2. Surge, propera.

Accipe puerum & matrem eius.

Expositum est vt suprà.

Et vade in terram Israel.

Quia inde debet procedere illuminatio pueri in totum orbem. *Isa.* 19. Hæreditas autem mea est Israel. *Isa.* 62. Terra tua non vocabitur amplius desolata: quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.

Defuncti sunt enim.

Tangit hic Caussam reuelationis. Sed quæritur qualiter dicat.

Defuncti.

Pluraliter, cùm non legatur nisi Herodes. Dicendum, quòd vnus defunctus est vita naturæ qui fuit [illegible] & in ipso [illegible] defuncti sunt [illegible] stitutione: quia nequiuerunt perficere, quod volebant, defuncto [illegible] Herode. Et dicit.

Qui quære. ani. pueri.

[illegible] & naturalem vitam. Anima [illegible] ab animalitate. Vel.

Quærebant animam.

[illegible], quæ teneri ab hominibus [illegible] secundum [illegible] potest. [illegible] & quærunt [illegible].

Qui consurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel.

[illegible] Ioseph. Et [illegible]

prio promptitudo obedientiæ. In secundo dubitatio de loco mansionis: In tertio reuelatio vbi maneat: In quarto confirmatio per scripturas.

In primo horum tria dicuntur, quæ imperauerat Angelus: celeritas scilicet, adhibitio curæ: & perfectio præcepti Angelici. Celeritas importatur, cùm dicitur.

Qui consurgens.

Hoc est, tota intentione mentis & corporis surgens: & imperatum, quod voluit Angelus pro (aliàs prompta) deuotione suscipiens *Ezech.* 10. Vnumquodque eorum ante faciem suam erat ingredi. Stabant enim prompta & parata ad obediendum voci, quæ fiebat supra firmamentum, animalia Dei. *Exod.* 24. Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes 1. *Reg.* 3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus.

Accepit puerum & matrem eius.

Vt Dominum & Dominam suam. *Psalm.* 2. Seruite Domino in timore &c.

Et venit in terram Israël.

Ecce perfectio præcepti Angelici. Et dicit in communi.

In terram Israël.

Quia licet in aliquo loco esset speciali; tamen nullum adhuc locum elegerat ad manendum. *Genes.* 31. Ad tuos ire cupiebas, & desiderio tibi erat domus patris tui. Volebat autem ire Ierusalem, sciens, quòd puer ibi dare debuit illuminationes: tamen dubitauit.

Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire.

Hæc est causa dubitationis. Et attende, quòd Herodes defunctus quatuor reliquit filios, Herodem minorem & Philippum, Archelaum & Lisaniam: Qui regnum suum in tetrarchias sub Imperatore Romano diuiserunt. Archelaus autem inter alios eleuabatur ambiens totũ regnum: Et ideò pro ambitione illa & pro sede regni Ierusalem, quam tenebat, regnare dicitur, non quòd in veritate in toto regno regnauerit. Et hoc est, quod dicit.

Audiens autem, quòd Archelaus regnaret in Iudæa.

Hoc est, in sorte Iudæ.

Pro patre suo.

Cum similis patri fuit in crudelitate & ambitione.

Timuit illò ire.

Supple in Iudæam & Ierusalem, vbi putabat conueniens [illegible] esse puerum. *Prouer.* 1. Prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant innoxium sanguinem.

Sed obiicitur, quòd eadem ratione non debuit in Galilæam, vbi alter filius Herodis regnauit. Et dicendum, quòd in Ierusalem maior fuit frequentia principum & aliorum, [illegible] minus latere potuisset. In Galilea autem apud pauperes & contemptibiles non æstimabatur aliquid magni esse: & ideò meliùs ibi latere potuit.

Et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ: Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur.

Ecce reuelatio: Et dicit tria. Reuelationem: locum communem habitationis: & locum specialem. De reuelatione dicit duo. Modum reuelantis, & dispositionem accipientis reuelationem.

Modum reuelationis dicit.

Et admonitus.

Quoniam iam tantum Ioseph profecerat in deuotione pueri & matris & familiaritate Angeli quòd non oportuit nisi fieri admonitionem. Et ideò etiam non facit mentionem modò de Angelo Domini sicut priùs 1. *Corinth.* 13. Quando factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. *Hebræo.* 6 Intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectionem eius feramur.

In somnis.

Quando strepitus exteriorum exclusus est: & caput cum Ioanne inclinamus ad thesaurum sapientiæ & scientiæ Dei obdormientes in pectore Domini. *Ioannis* 21 Sic Iacob dormiuit super lapidem solidæ veritatis & confessionis Dei, *Genes.* 28 & accepit reuelationem.

Recessit in partes Galilææ.

Ecce locus communis prouinciæ. Et ex modo loquendi significat, quòd vagabundus propter timorem primò iuerit de villa ad villam. Hoc enim significat, quod dicit [in partes Galilææ] *Iere.* 14. Quasi colonus futurus es in terra: & quasi vir vagus declinans ad manendum. Iam enim demonstrabatur, quòd postea pati debuit. *Matth.* 8. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.

Et veniens.

Posteà: fiducia per admonitionem Angeli accepta.

Habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth.

In qua fortè notos habuit & amicos: quia ibi annunciatus fuit, sicut dicitur *Luc.* 1.

Vt adimpleretur.

Ecce testimonium scripturæ confirmans. Et quia hoc de gratia est, & etiam in illa superabundat Deus supra veritatem promissionis: Ideò dicit.

Vt adimpleretur.

Psalm. 90 Longitudine dierum adimplebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Quod dictum est per Prophetas.

Non vnum, sed multos: quia omnes concorditer tradunt florem virtutis esse Christum. *Iere.* in *Thren.* 4. Candidiores Nazaræi niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, pulchriores sapphyro. *Ose.* 14. Ero quasi ros, & Israël germinabit quasi lilium & erumpet radix eius vt libani. *Dauid.* Iustus germinabit sicut lilium

lilium, & florebit in æternum ante Dominum *Ezech.* 36. Montes Israël ramos vestros germinetis: & fructum vestrum afferatis populo meo Israël. *Cantic.* 2. Ego flos campi, & lilium conuallium. *Isaie.* 11. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. *Glo.* Dicit, quòd ibi *Lxx.* habent & Nazaræus vocabitur: Et hoc est, quod inducit.

Quoniam Nazaræus voca.

Flos æternus patris: quia de vno cælesti patre nascitur. Flos matris virginis: Quia de vna matre in terra producitur; in flore annunciatur, in flore educatus, non nisi floribus respersis datur: quia pascitur in liliis. *Cantic.* 1. Lectulus noster floridus. Vnde secundum *translationem* Lxx. *in Cant.* Dicitur; Sicut dies verni circundabant eam flores rosarum & lilia conuallium, 2. *Regum* 2. Cuncta salus mea & omnis voluntas: & non est quicquam ex eo, quod non germinet. *Isa. vl.* Gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt. Sic ergo dictum est de nati manifestatione secundum omnes suas differentias.

CAP. III.

In Diebus autem illis.

HIc incipit pars illa, quæ est de Regeneratione, quæ refertur ad generationem Christi: secundum quod nos regenerat sua generatione, causans nostram spiritualem generationem, sicut in præhabitis dictum est. Diuiditur autem in duas partes. In quarum prima construit sacramentum regenerationis: In Secunda instruit & docet illuminationem, secundum quam oportet regenerari *ibi.* Cum autem audisset Iesvs, quòd Ioannes traditus esset] circa medium quarti. Sunt autem tria in Baptismo, quorum primum est Vsus quoad materiam & actum, quoad notitiam interiùs operantis in Baptismo. Et quia hæc erant ignota, indigebant introducente. Et quoad ista inducitur Baptismus Ioannis, Secundum autem est Virtus regeneratiua, collata aquis: Et quoad hoc inducitur Baptismus Christi, quo Baptizatus est. Tertium autem est effectus Baptismi super diabolum, qui baptizatos ex fonte impugnat: sed vincitur propter fomitis debilitatem. Et quoad hoc introducitur tentatio Christi & victoria super diabolum, Et per se patet, vbi istæ partes incipiunt.

Circa Baptismum Ioannis tria dicuntur. Quorum primum est officium Baptizantis: Secundum autem est dispositio baptizandorum. *Ibi* [Tunc exibant ad eum] Tertium est declaratio interiùs Baptizantis. *Ibi* [Ego quidem baptizo vos in aqua &c.

Circa officium Baptistæ tria dicuntur. Quorum primum est idoneitas temporis & loci, vbi prædicauit, & quando. Secundum est doctrina Baptismatis, quoad id, quod intendit [illegible] in baptizando, & quo ad effectum. Tertium autem est commendatio Baptistæ. Et patent hæc in litera. In prima harum partium [illegible] tria: Quorum primum est congruitas temporis. Secundum descriptio Baptistæ; Tertium [illegible] loci, in quo perficitur Baptismus.

De Congruitate temporis tria sunt notanda: Vnum quoad historiæ continuationem: quòd,

In diebus illis.

Cum Iesvs habitaret educatus in Nazareth, non quidem statim postquam rediit relatus ex Ægypto: sed postquam impletum est tempus educationis, vt sibi esset relictus, & iam peruenisset ad statum. Et hoc fuit viginti tribus annis (alias, vigesimo tertio anno) post reditum de Ægypto, qui tunc fuit septem annorum: qui cum viginti tribus faciunt triginta. Et Ioannes non erat senior nisi sex mensibus. Et hoc est tempus, quando robur est virtutis: & exsiccatus est humor iuuenilis. Vnde *Lu.* 3. Dicitur, quòd Iesvs erat incipiens quasi annorum triginta. Et hoc tempore Dauid regnauit, 2. *Regum* 5. Et Ezechiel prophetare incepit. *Ezech.* 1. Et Ioannes prædicare incepit. Quæ autem gesta sunt medio tempore per totam infantiam saluatoris, non exprimunt Euangelistæ nisi quod *Lu.* 2. dicitur: Quòd cùm esset Iesvs annorum duodecim, ascendit cum parentibus suis in Ierusalem, & ostendit sapientiam in medio Doctorum: Sed posteà descendit cum parentibus, & erat subditus illis.

Secundum quod notatur in tempore, determinatio Deo facta, & congruitas ex parte regnantium temporibus illis. Et hanc describit *Luc.* 3. Anno quintodecimo imperij Tyberij Cæsaris &c. Et subiungitur: Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. Et notatur tempus prædicationis, antequam Dei verbum fit ad nos: non enim debemus nos ingerere. Vnde *Isa.* 6. Quem mittam, & quis ibit nobis? dixit Dominus, antequam Isaias iret. Et Ieremias excusat se, antequam vadat: cùm Dominus diceret: Ad omnia, quæ mittam te, ibis, ne timeas: & quæ mandauero tibi, loqueris. *Ezech.* 2. Fili hominis, ecce ego mitto te, *Exod.* 3. multùm se excusat Moyses. De ingerentibus autem se dicit *Iere.* 23. Non mittebam eos, & ipsi currebant. *Romans.* 10. Quomodo prædicabunt nisi mittantur.

Tertium est qualitas temporis: quia,

In diebus.

Non in noctibus, sicut prædicant hæretici: Clara enim veritas lucem quærit. De ipsa enim dicitur *Sap.* 7. Hæc est speciosior sole & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior. Dignum enim est, quòd lucis testis manifestetur in lumine. *Ioann.* 1. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine.

Venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam [illegible]

[illegible]

actionem ſapientiæ procedere. De primo *Ioannis.* 3. Qui de cælo venit, ſuper omnes eſt: & quod vidit & audiuit, hoc teſtatur. *Philip.* 3. Noſtra conuerſatio in cælis eſt. 2. *Corinth.* 12. Raptum in tertium cælum, & raptum in paradiſum: & audiuit arcana verba. Quomodo enim inuitabit ad locum, vbi nunquam fuit? De ſecundo *Exo.* 3. Minauit gregem ad interiora deſerti, vbi vidit viſiones Dei. De tertio *Exod.* 34. Moyſes loquebatur, quando de contemplatione Dei deſcendit: & reſplenduit facies eius. 2. *Corinth.* 3. Nam omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes: &c. *Pſalm.* 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt: & in lumine tuo exultabunt tota die: Et in iuſtitia tua exaltabuntur.

Ioannes.

In quo eſt gratia. *Ad Ro.* 15. Veniens ad vos in abundantia benedictionis Chriſti, veniam. 1. *Corint.* 15. Gratia Dei ſum id, quod ſum: & gratia eius in me vacua non fuit. *Lu.* 1. Vocabis nomen eius Ioannes; erit enim gaudium, tibi & exultatio: & multi in natiuitate eius gaudebunt.

Baptiſta.

Ecce Officium. *Mat. vlt.* Baptizantes eos in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti. 1. *Corinth.* 10. omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.

Prædicans.

2. *Timo.* 4. Prædica verbum: inſta opportunè, importunè.

In deſerto Iudææ.

A duobus deſcribit locum. Ab ipſo loco: & ab habitantibus. Deſertus enim locus eſt aptus contemplantibus & pœnitentibus. *Marci.* 6. Secedite pauliſper in deſertum & requieſcite. *Oſea.* 2. Adducam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor eius.

Iudææ.

Deſcribit ab habitantibus in vicino (aliàs vicinio) vbi erat notitia ſcriptura (aliàs ſcripturæ) iſta prænunciantis: vt teſtificata veritas citiùs acceptaretur. *Pſalm.* 75. Notus in Iudæa Deus.

Dicens: pœnitentiam agite.

Ecce doctrina Baptiſmatis quoad id, quod inuenire vult in eo, qui baptizandus eſt: & quoad effectum. Et hæc duo dicit. Primum enim innuit, quando dicit.

pœnitentiam agite.

Hoc eſt: [illegible] tenentiam agite. Et tunc tria dicit: Pœnam, quæ eſt in contritione: Perſeuerantiam, quæ eſt in tenentia: Et actum, qui eſt in confeſſione & ſatisfactione. Confeſſio enim eſt expoſitio criminum, vt iudice Eccleſiaſtico libretur ſatisfactione: Et hoc innuunt multæ gloſæ hic, quæ dicunt quòd pœnitentia eſt præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere.

Dicit autem quædam *glo,* quòd eſt prima virtus: Eſt enim prima, & eſt virtus. Multipliciter autem dicitur prima: Ex parte enim intellectus, prima eſt Fides: Ex parte autem affectus eſt duobus modis: Primò ſcilicet in ordine ad bonum; & in ordine contra malum. In ordine ad bonum, charitas eſt prima: In ordine autem contra malum dupliciter dicitur prima. Si enim eſt contra malum perpetrandum: tunc timor eſt prima virtus: Si autem eſt contra malum perpetratum, quod iam eſt commiſſum; tunc pœnitentia eſt prima. Et hoc modo loquitur *glo.* Adhuc pœnitentia ſecundum triplicem ſui conſiderationem ponitur in triplici genere. Si enim accipiatur in ratione afflictionis, eſt in genere paſſionis; Si autem accipiatur vt diluens peccatum, ſic eſt in genere ſacramenti: Si verò conſideretur vt eliciens actum deteſtationis peccati inquantum peccatum eſt, cùm nullus actus talis eliciatur niſi ab aliqua virtute: Pœnitentia in genere virtutis eſt ſpecialis virtus.

Sed attende, quòd ſi ego conſidero peccatum: non inquantum peccatum eſt; ſed inquantum contrarium eſt virtuti, Sic deteſtatio eius non eſt pœnitentiæ; ſed potiùs illius virtutis, cui peccatum eſt contrarium. Et ſi peccatum accipio prout adimit bonum gratiæ & naturæ: Sic deteſtatio eius, boni naturæ eſt, vel boni gratiæ potiùs, quàm pœnitentiæ. Et per hæc patet intellectus omnium gloſarum.

Appropinquabit enim regnum cælorum,

Ecce tangit Effectum. Eſt autem Regnum cælorum triplex: Vnum, quod intra nos eſt. *Lu.* 17. Regnum cælorum intra vos eſt: Et hoc eſt, de quo dicitur *Rom.* 14. Non eſt regnum cælorum eſca & potus; ſed iuſtitia & pax & gaudium in Spiritu ſancto. Et per hoc regnat Deus in nobis. Hoc enim, vt dicit *Dio y.* Eſt diſtributio legum, & præceptorum, & officiorum, & graduum, & bonorum ad ciuilitatem ſanctorum pertinentium. Et hoc eſt Regnum, per quod Deus regnat in nobis. Et ſicut primum Regnum eſt anima veri (alias primi) regis, cuius illuminationes & ordines & leges & actus multiplicati in gentem, conſtituunt regnum: Ita iſtud regnum primò eſt in mente Dei: & Promulgatum in ſanctos, facit regnum cælorum. Et id, quod in cælo eſt extra nos, ſimile eſt iſti: ſed magis eſt ſimile regno mentis diuinæ, quod tertium eſt & exemplar & obiectum & cauſa duorum regnorum aliorum. Et conſiſtit in tribus; In illuminatione eorum, quæ ad regnum pertinent: Et in poteſtatibus regni: Et in officiis exercitatis ad actum. Aliud eſt Regnum cælorum extra nos, quod eſt locus & honor & iucunditas regnantium in cælo. Et hoc acquiritur per primum. Tertium eſt Regnum, quod eſt obiectum & cauſa iſtorum; Et hoc eſt Deus in hoc & illud deſcendens. *Sap.* 3. Dominabuntur populi (aliàs populis) & regnabit illorum Rex in perpetuum. *Iſa.* 33. Dominus Rex noſter.

Hic eſt enim, de quo dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini: rectas facite ſemitas eius.

Ecce commendatio Baptiſtæ à duobus: Ab officio teſtificato per ſcripturam: & à vitæ perfectione. Commendatio ſcripturæ eſt in duobus

duobus. In auctore, & in auctoritate inducta. De primo dicit.

Hic eſt.

Significantiam notat pronomen. Senſus: ſignanter eſt.

Hic.

De quo tanta cura eſt Deo, quòd voluit eum prænunciari. *Luc.* 1. Quis putas, puer iſte erit? *Luca.* 1. Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis. Significatur enim per Prophetam, & vocatur Altiſſimi Propheta; & Angelus Domini, & Lucifer ſolis æterni. Elias in virtute, Præcurſor Chriſti, Vox verbi: per Iſaiam Prophetam inter alios eximium *Eccl.* 48. Iſaias Propheta ſpiritu magno vidit vltima: & conſolatus eſt lugentes Sion.

Vox clamantis.

Ecce Auctoritas prophetiæ *Iſa.* 40.

Vox.

Inquam, in qua formatur verbum, vt dicit *glo.* Dicit autem, Quid eſt Ioannes; & quid clamat eſt enim.

Vox.

Quo ad officium.

Clamantis.

Quo ad intentionem ſpiritus & auctoritatis firmitatem. Vox autem tria habet neceſſario ad minus: Spiritum tentum, ſonum, & intellectum, quo profertur. De primo dicitur *Luc.* 1. Puer creſcebat & confortabatur ſpiritu. *Ibidem.* Ipſe præibit ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ. De ſecundo *Act.* 2. Factus eſt repente de cælo ſonus. *Ezech.* 1. Audiui poſt vocem commotionis magnæ. *Apoc.* 1. Audiui poſt me vocem magnam tanquam tubæ. De tertio 1. *Corinth.* 14. Si neſciero virtutem vocis: ero ei, qui loquitur mihi, barbarus: & is, qui loquitur mihi, barbarus. Et *Ibidem* Malo quinque verba in Eccleſia loqui ſenſu meo, vt alios inſtruam: quàm decem millia verborum in lingua. Dicit tamen *Aug.* Quòd Vox, eſt verbi vehiculum: Sic Ioannes vexit Chriſtum in corda audientium. *Luc.* 1. Conuertet corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum: parare Domino plebem perfectam.

Clamantis.

Auctoritatem notat, & Intentionem. Auctoritatem ex tranſitione, quæ eſt inter rectum & obliquum: Deus enim clamans in eo. *Corinth.* 23. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus. Et Sapientia *Prouer.* 8. O viri ad vos clamito: & vox mea ad filios hominum.

In deſerto.

Poſtquam oſtendit officium Ioannis, per hoc, quòd eſt vox clamantis, conſequenter oſtendit actum, quod ad omnes. [illegible] ſine quibus non eſt ſalus, & quæ ad perfectos. Secundo quo ad illos, qui obligantur ad vlteriora. De neceſſariis autem [illegible] Vbi parandum, [illegible] quid parandum, & cui parandum. Vbi parandum.

In deſerto.

Eſt deſertum intra cor deſertum à gratia. Et eſt deſertum extra, vita virtutis in Eccleſia, vbi mundus non habitat. Primum eſt parandum per gratiſ ad habitationem Dei & Angelorum: Et de illo dicitur; Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis. *Deut.* 32. Deſertum extra; vita bona in Eccleſia, nihil cũ humana habitatione commune habens. *Geneſ.* 19. Noli reſpicere poſt tergum; nec ſtes in omni circa regione: in monte ſaluum te fac. *Pſal.* 62. In terra deſerta, inuia, & inaquoſa: ſic in ſancto apparui tibi. *Oſee.* 2. Adducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.

Parate.

Ecce ſecundũ, in quo intelligitur modus: Quid enim factum eſt non illicò, paratum eſt: Paratum enim eſt, quod habetur ad manus, & obedit ad nutum: Et hoc fit per viam boni & conſuetudinem *Iſa.* 1. Diſcite benefacere. *Hebr.* 5. Qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali.

Viam.

Quid parandum: Via mandatorum. *Pſal.* 118. Viam mandatorum tuorum cu[illegible] cor m[illegible] *Iere.* 6. State ſuper vias veſtras, & interrogate de ſemitis antiquis, & videte, quæ ſit via bona, & ambulate in ea.

Via paratur, humilia, ſiue deſoſſa exaltando, alta humiliando, curua dirigendo, polluta mundando, aſpera complanando. Deſoſſa, ſunt per timorem carnalem, vel mundanum, in puſillanimitatem depreſſa. Alta, per præſumptionem ſuperbiæ elata. Curua, per diſtortionem morum reflexa. Polluta, cœno carnalis turpitudinis lutulenta. Aſpera ira & odio exaſperata. De tribus primis & vltimis dicitur *Iſa.* 40. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua, ſiue curua, in directa; & aſpera in vias planas. De quarto, quod in medio ponitur, 1. *Regum.* 21. Via hæc polluta eſt; ſed & ipſa ſanctificabitur hodie in vaſis veſtris.

Domini.

Ecce cui; non pecuniæ, vt quæſtuarius: non mundo, vt fatuolus: non diabolo, vt hæreticus: Sed Domini via paranda eſt. *Luc.* 1. Præibis ante faciem Domini parare vias eius, ad dandã ſcientiã ſalutis plebi eius in remiſſionem peccatorũ eorũ.

Rectas.

Hic tangit quod pertinet ad perfectos, qui in Conſiliis [illegible] implendis. Quatuor dicit: Rectificationem, & qualiter rectificandum, & ad quid, & ad quem. Plato dicit, quòd rectum eſt breuiſſimum: & rectificatur quando conſilium ſecundum verba impletur. Sed diſpenſatio incurua à recto. *Iſa.* 26. Via (aliàs ſemita) iuſti eſt, rectus callis iuſti ad ambulandum. Qualiter.

[illegible]

[illegible] Quid.

Semitas.

BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA

arctas, sed pulchras compendiosas. Vias consiliorum videlicet, arctas, sed pulchras & per breue ducentes obseruantias. *Prouer.* 3. Viæ eius viæ pulchræ: & omnes semitæ eius pacificæ. *Psal.* 24. Vias tuas, Domine, demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

Ad quem ducentes? Ad Christum *Isa.* 26. In semita iudiciorum tuorum sustinuimus te: nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. *Prouer.* 4. Viam sapientiæ monstrabo tibi: adducam te per semitas æquitatis: quas cùm ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui: & currens non habebis offendiculum. Et in eodem Capitulo multa de hoc valdè.

Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos; Esca autem eius erat locustæ & mel syluestre.

Hic commendatur Ioannes à vitæ perfectione. Et sumitur commendatio à duobus, in quibus pura consistit huius vitæ necessitas, scilicet, à tegumento vestis, & à cibo victus. Non enim erat dubitatio de domo: quia domum non habuit nisi antra deserti, quæ petijt teneris sub annis fugiens turmas ciuium suorum. Et si quando venit ad homines, hospitabatur in domo peregrina. Nec de potu erat quæstio: cui non præbebat nisi latex haustum. De Indumento autem duo dicuntur, tegens scilicet, & cingens: eo quòd potiùs cinctum qualitercunque: quàm per incisionem & suturas corpori esset aptatum: Et hac de causa tangit Zonam. Circa primum dicit duo. Primò enim signanter exprimit Ioannem, cùm dicit.

Ipse autem Ioannes.

Quasi dicat.

Ipse.

Qui tantæ fuit sanctitatis ab infantia, quòd Christus credi potuit: Qui tanta de scripturis & Angelo habuit præconia, Ipse inquam,

Habebat vestimentum.

Lucæ. 23. Si in viridi hæc faciunt: in arido quid fiet?

De pilis camelorum.

In quo notantur tria: communitas, vilitas & asperitas. Communitas: quòd de facili apud quodlibet in terra inueniebatur. Vilitas, quòd quasi nullius pretij reputabatur. Asperitas, qua caro ita tegebatur, quòd macerabatur. Primum contra exquisitionem fastuosam: Secundum contra superbiam cæcam, quæ ignominiam credit fuco vestium celare. Tertium contra malitiam concupiscentiæ. De primo *Luc.* 16. Induebatur purpura & bysso. De secundo *Eccl.* 11. In vestitu ne glorieris vnquam. De tertio *Infra.* 11. Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.

Zonam pelliceam circa lumbos eius.

Hoc est de corio simplici. 4. *Regum.* 1. Vir pilosus Zona pellicea præcinctus ad lumbos. *Prouer.* 31. Accinxit fortitudine lumbos suos &c.

Esca autem eius locustæ.

Non puto, quòd locustæ vsitatæ: quia illæ venenosæ sunt; sed propter similitudinem saltuum potiùs quàm volatuum quædam auiculæ eremi sic dicebantur, Sicut & locusta gammaris vocatur. Has ergo comedit: & mella cum roribus descendentia comedit. Vel,

Mel.

In concauitatibus arborum inuentum. 1. *Timo.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus.

Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem.

Hic tangit Baptismum ex parte baptizandorum: Tangit autem duo: Generalitatem, scilicet, venientium ad Baptismum: & redargutionem quorundam non in deuotione aliorum venientium. Circa primum tangit quatuor, scilicet, quòd exibant, & ad quem, & qui, & ad quid, sicut patet in litera. Exitus autem significat exitum de pristina conuersatione. *Hebr.* 13. Exeamus ad eum, improperium eius portantes. *Zachar.* 2. O, o, o, fugite de terra aquilonis, dicit Dominus. *Apocaly.* 18. Exite de illa populus meus, & ne participes sitis delictorum eius.

Ad eum.

Ecce quò exeundum: vsque ad Ioannem; quòd conuersatione simus iuxta eum. *Psal.* 17. Cum sancto sanctus eris *Eccl.* 24. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. *Psalm.* 33. Venite, filij, audite me. Item *Eodem.* Accedite ad eum, & illuminamini. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.

Ierosolyma, & omnis Iudæa &c.

Tres diuersitates exeuntium hic determinantur: Ierosolymitæ, in quibus significantur Prælati illius gentis; quia in Ierusalem erant Reges & pontifices: Per Iudæam autem significantur alij de tribu Iuda & Beniamin; quia illi erant sub vno regno: Per regionem circa Iordanem significantur, qui remanserant de decem tribubus: Nec plures diuersitates erant inter Iudæos in communi. Et sic turba de omni habitatione Iudæorum exiuit. De duabus primis diuersitatibus 2. *Paralip.* 20. O Iuda & Ierusalem. Ibi habent, *Zach.* Iudæa & Ierusalem, nolite timere: cras egrediemini, & Dominus erit vobiscum. De tertia *Isa.* 9. Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Neptalim: & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Tantum enim sanctitatis nouæ apparationis præcursore; vt nullus, quantumcunque ille iustus, se iustum in comparatione præcursoris reputaret. Et ideo omnes currebant illecti speculo sanctitatis eius.

Et Baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.

Ecce

Ecce ad quid exibant: Et tanguntur tria: Lauacrum Baptismatis, locus, & præparatio præcedens lauacrum. Dicit.

Baptizabantur ab eo.

Act. 19. Ioannes quidem baptizauit aqua, in eum, qui venturus erat, docens vt crederent, hoc est in Iesum. *Act.* 1. Ioannes quidem baptizauit aqua.

In Iordane.

Ecce locus: quia in Iordane figura Baptismatis præcesserat in transitu filiorum Israel per vada Iordanis, *Ios.* 4. Et in diuisione, quando Eliseus diuisit aquas, percutiendo eas pallio Eliæ. 4. *Regum.* 2. Et quando Naaman ad præceptum Elisei lotus septies in Iordane recepit sanitatem à lepra. 4. *Regum.* 5.

Confitentes peccata sua.

Ecce præparatio: Licet enim Baptismus Christi, cuius introductorius fuit Baptismus Ioannis, non requirat planctum & luctum exteriorem, tamen requirit pœnitentiam interiorem, & peccati detestationem: quia aliter poneretur obex Spiritui sancto, qui facit remissionem peccati in Baptismo Christi. *Sapi.* 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Et vt hoc doceret Ioannes, fecit eos confiteri peccata cum detestatione peccati.

Sed incidit quæstio Vtrum Baptismus Ioannis conferebat gratiam, vel non? Quia dicitur *Marc.* 1. quòd prædicabat Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Non fit autem remissio peccatorum, nisi per gratiam. Vlterius etiam quæritur quare Ioannes à Baptismo suo dicitur Baptista: non autem Petrus, vel Paulus, licet illi etiam baptizarent. Adhuc, quare dicitur Baptismus Ioannis, quo baptizat Ioannes; non autem dicitur Baptismus Petri, quo baptizat Petrus. Et tamen dicitur Euangelium Pauli, quod prædicat Paulus: Et Euangelium Petri, quod prædicat Petrus.

Ad hæc autem & omnia similia dicendum, quòd Baptismus Ioannis nullam conferebat gratiam: Et huius sunt tres causæ. Vna quidem vera, & duæ adiunctæ. Vera est: quia non dabatur in forma, quæ sanctificationem operatur in Baptismo; quæ trinæ beatitudinis est inuocatio: vt dicit *beatus Ambrosius*: Sed dabatur in nomine venturi: quod non est forma Baptismi. Ex forma enim sacramentum habet sanctificationem. Alia autem est: quia adhuc non erat data vis regeneratiua aquis: quia Christus nondum erat baptizatus. Sed licet hanc causam quidam assignent; tamen nulla est: quia si hodie aliquis baptizaretur Baptismo Ioannis, nullam penitus reciperet gratiam. Tertia est, quia Baptismus Ioannis erat introductorius ad Baptismum Christi: & ideò conformis fuit illi in actu [illegible] nis & materia. Et sequebatur Baptismus Christi sicut perfectio. Et quia quod est introductorium alicuius, transit illo introducto, non potuit conferre gratiam propter sui imperfectionem. Et quia nihil ibi erat nisi actus Ioannis, & non gratia diuina interiùs baptizans, ideò dicitur Baptismus Ioannis, & non Christi: sed Christi dicitur omne Baptisma, in quo Christi gratia lauat interiùs. Et ideò Pauli, Iudæ, Petri, Apostolorum aliorum quorumcumque Baptisma, quod in nomine Trinitatis sub [illegible] formam, quam tradit Christus. *Matt.* 28. Baptismus Christi vocatur, quia in illo baptizat Christus. *Ioan.* 1. Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est, qui baptizat. Et ideò Ioannes vocatur Baptista à suo baptismate, & non Paulus, vel alius baptizans Baptismo Christi. Sed in prædicatione Euangelij non est [illegible] exterior: Et ideo prædicantes prædicant Euangelium & sunt Euangelistæ: quod ex ipsa re operata, Euangelium non confert gratiam. Et per hoc patet solutio omnium.

Videns autem multos Pharisæorum & Sadducæorum venientes ad Baptismum suum, dixit eis. Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira?

Hic reprehendit quosdam non in fide debita & deuotione venientes. Tangit autem quatuor, scilicet, reprehensionem, [illegible] pœnitentiæ instructionem, [illegible] gloriationis exclusionem, futuri iudicij comminationem: Et hæc per ordinem patent in litera. In reprehensione tangit duo, scilicet, causam reprehensionis & modum. Causa est, quam dicit.

Videns autem multos Pharisæorum.

Pharisæi enim ex præsumptione religionis [illegible] peccata sua, quæ non habere recognouerunt. *Luc.* 18. Pharisæus stans apud se orabat, Gratias ago tibi, Domine, quia non sum sicut cæteri hominum raptores. Sadducæi autem dicebantur, Sadducæi, à Sadoch, quod est iustus, quasi iusti: quia magna exteriori iustitia pollebant, sed in fide errabant; quia resurrectionem non esse dicebant, nec spiritum aliquem sine carne esse credebant: Deum autem per temporalia suos remunerare. Vnde *Infra.* Sadducæi qui dicunt resurrectionem non esse, temptabant Christum de muliere septem virorum. *Matth.* 22. Hos igitur reprehendit acriter. Et nota, quòd sicut dicitur *Luc.* 3. Milites & Publicani venerunt ad eum, & omnes benignè instruxit: Illos autem solos acriter reprehendit. Quia illi non ex deuotione venerunt, sed potiùs ex indignatione [illegible] [illegible] [illegible] quod [illegible] [illegible] non venerunt ad Baptismum [illegible].

Progenies viperarum.

Ecce reprehensio, in qua duo dicit. Primò enim notat eos de [illegible] Secundò [illegible] [illegible] [illegible]

[illegible]

 Ira.

Isa. 59. Oua aspidum ruperunt, & telas aranearum texuerunt : qui comederit de ouis eorum, morietur : & quod confotum est, erumpet in Regulum. *Isa.* 24. De radice colubri egredietur Regulus, & semen eius absorbens volucrem. Et nota, quòd secundum naturam impossibile videtur, quòd naturaliter aliquod genus animalis sic pariat, quòd semper occidatur à partu. De hoc autem plura diximus *in Libro de Animalibus.*

Quis vobis demonstrabit.

Quasi dicat : quia præsumptio Pharisæorum non timet iram, quam putat se non meruisse : Et perfidia Saducæorum non timet eam : quia non credit futuram.

Quis.

Ergo fidem faciens.

Vobis demonstrabit fugere à ventura ira?

Sap. 2. Hæc dixerunt, & errauerunt : Excæcauit enim illos malitia eorum, & non iudicauerunt honorem sanctarum animarum, nec mercedem sperauerunt iustitiæ. *Matt.* 22. Dicit eis Dominus : erratis nescientes scripturam, neque virtutem Dei *Isa.* 10. Ad cuius confugietis auxilium : aut vbi derelinquetis gloriam vestram? *Ioel.* 2. Magnus dies Domini & terribilis valdè: & quis sustinebit eum? *Isa.* 30. Ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius impleta sũt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans, spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum, & frænum, quod erat in maxillis eorum. *Dan.* 7. Fluuius igneus circa thronum Iudicis.

Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.

Ecce instructio ad pænitentiam. Et dicit quatuor : quorum vnum refertur ad opera satisfactionis, cum dicit.

Facite.

Alterum ad voluntatem informatam charitate dicendo.

Fructum.

Quia Frui est cum gaudio : ita & pænitens de dolore debet gaudere, & frui dolore ex charitate, quam habet in Deum. Tertium refertur ad arbitrationem pænæ contra culpam : quod fit in confessione. Quartum pertinet ad compunctionem, quæ est in corde cùm dicit.

Pœnitentiæ.

De primo horum dicitur *Rom.* 6. Sicut exhibuistis membra vestra arma iniquitatis peccato : Ita nunc exhibete vos Deo supra pœnitentiam 1. *Paralip.* 29. Populum, qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio offerre munera: Domine Deus Israël custodi hanc voluntatem. De tertio *Deutero.* 25. Secundum mensuram peccati, erit & plagarum modus. *Apoc.* 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. De quarto Ioel. 2. Conuertimini ad me. Et *sequit.* Scindite corda vestra. *Rutb.* 1. Amaritudine me valdè repleuit omnipotens.

Et ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham.

Ecce exclusio gloriæ generis, in quo gloriabantur. Putabant enim, quòd merito promissionis factæ ab Abraham omnes essent saluandi, qui nati sunt ex ipso : Et dicit duo. Primum est exclusio inanis gloriæ. Secundum est ratio exclusionis. De Primo dicit.

Nolite dicere intra vos.

Hoc est in corde. *Psal.* 35 Dixit iniustus vt delinquat in semetipso. *Matth.* 9. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris :

Patrem habemus Abraham.

Quia respondetur vobis illud *Ioan.* 8. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Et illud *Isa.* 57. Vos autem accedite huc filij auguratricis, semen adulteri, & fornicariæ. *Isa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis. *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa, Ideò dicitur *Isa.* 63. Abraham nescíuit vos & Israël ignorauit vos. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis. *Rom.* 9. Non qui filij sunt carnis, hi sunt filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. *Rom.* 2. Non enim qui in manifesto Iudæus est &c.

Dico enim vobis : quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios. Abraham.

Ratio est exclusionis gloriæ. Et duo dicit, assertionem, & rationem exclusionis. Assertionem enim promittit, dicens : Dico enim vobis, quòd constanter affero. *Rom.* 9. Veritatem dico in Christo Iesv, non mentior.

Quia potens est Deus de lapidibus &c.

Iuxta ripam Iordanis duodecim illi iacebant lapides, quos Ios. 4. de alueo Iordani in ripam transferri fecit : Et illos demonstrasse dicitur Ioannes : Et significabant gentiles frigidos & duros in Abrahæ promissione suscitatos. Et tunc non intelligitur de potentia absoluta: sed ordinata per cõsiliũ, quod est dispositio immobilis futurorum. Quia sicut Iudæos suscitauit de centenario & nonagenario. Propter quod Abraham dicitur petra, & vulua Saræ cauerna laci *Isa.* 51. Attendite ad petram, de qua præcisi estis : & ad cauernam laci, de qua nati estis. Ita adhuc eadem potentia potest suscitare & hos filios. *Matth.* 21. Auferetur à vobis regnum : & dabitur genti facienti fructus eius. *Malach.* 1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus. Et præmittit. Non est mihi voluntas in vobis : & munus non suscipiam de manu vestra. Hic sensus confirmatur *ex glo.* quę dicit, quòd in huius rei testimonium Deus de Sara genuit filium. Et est locutio impropria : quia corporalis (aliàs carnalis) actus non refertur in Deum. Vnde sensus est : Fecit de potentia sua, quòd nasceretur.

Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non

non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Ecce pars illa, in qua comminatur iudicium futurum: Et duo dicit. Primò, Impendentem malis Dei (aliàs diuini) iudicij sententiam: Secundò Iudicij illius pœnam. Primum dicit sub metaphora, in qua comparat sententiam securi, & condemnandos comparat arbori, & præcipuè Synagogam, cui tunc impendedat securis. Et ex modo loquendi dicit extirpandam esse funditùs Synagogam à radicibus: Quæ radix fuit Regnum in parte vna, ad legis obseruantiam cogens: & Sacerdotium in parte altera, legem docens, & Sacramenta legis exhibens. Quæ duo in proximo excidenda fuerunt, quia iam ambo illa ad Pontifices deuoluta fuerunt; & illi ad impietatem se conuerterant. Rarò autem in scriptura comparatur Sententia securi. Et comparatio est ad similitudinem præcisionis: & sæpiùs comparatur gladio. *Iob.* 19. Fugite à facie gladij: quoniam vltor iniquitatis gladius est: & scitote esse iudicium. *Isa.* 27. Visitabit Dominus in gladio suo duro, grandi & forti; super Leuiathan serpentem vectem: & super Leuiathan serpentem tortuosum *Apocalyp.* 1. Gladius ex vtraque parte acutus de ore suo exibat.

Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum.

Infra 7. Mala arbor fructus malos facit *Sap.* 4. Fructus eorum inutiles, & acerbi ad manducandum.

Excidetur.

Luc. 13. Succide eam: vt quid etiam terram occupat? Duplici enim ex causa exciditur, scilicet, si nullos, & si malos fructus facit. *Ezech.* 17. Nonne radicem eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescent. *Dan.* 4. Descendit vigil, & sanctus de cœlo, & clamauit fortiter, & ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius, & excutite folia eius, & dispergite fructus eius.

Et in ignem mittetur.

1. *Corinth.* 3. Vniuscuiusque quale sit opus, ignis comprobabit. *Isa.* 30. Succensa est ab heri Tophet: nutrimenta eius ignis, & ligna multa: & flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. *Ioan.* 15. Mittetur foras, & arescet: & colligent eum, & in ignem mittent: & ardet.

Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam.

Hic incipit declarare interiùs baptizantem: Et dicit quatuor. Primum est professio sui officij. Secundum est, præeminens dignitas Christi. Tertium est, efficacia Baptismatis Christi respectu Baptismatis Ioannis. Quartum autem est, examinatio futuri iudicij: Et hæc patent per ordinem in litera. De primo dicit tria, actum, Materiam, & finem Baptismatis sui. Actum, quando dicit.

Ego quidem baptizo vos.

Et actu assuefacio vos ad baptizationis Christi actum.

In aqua

Et per hoc demonstro materiam Baptismatis.

In pœnitentiam.

Quod est mei Baptismatis finis: quia cùm non conferat gratiam, oportet pœnitere, vt efficiamini ab Baptismum Christi idonei. *Ioan.* 3. Erat Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim: quia aquæ multæ erant ibi, & veniebant ad eum, & baptizabantur.

Qui autem post me venturus est, fortior me est.

Ecce Secundum, in quo determinat præeminentem Christi dignitatem: Et dicit tria, scilicet, aduentum Christi ad baptizandum: fortitudinem eius ad emundandum: & dignitatem eius ad regendum & ditandum. De primo dicit.

Qui autem post me venturus est.

Sicut sol post luciferum. *Iob.* 38. Nunquid producis luciferum in tempore suo, sicut lucerna ante Dominum. *Psal.* 131. Parauì lucernam Christo meo. *Ioan.* 5. Ioan. erat lucerna ardens & lucens sicut Rex post præconis vocē. *Isa* 52. Vox speculatorū tuorū leuauerunt vocē, simul laudabunt &c. Sicut Iudex post præcursorem. *Malach.* 3. Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit &c.

Fortior me est.

Ecce fortitudo ad mundandum in Baptismo à peccato, quod vires ministrauit diabolo. *Matt.* 12. *Luce.* 2. Cum fortis armatus. *Num.* 23. Cuius fortitudo est sicut rhinocerotis. *Iob.* 9. Si fortitudo quæritur, robustissimus est. *Ioan.* 1. Qui post me venit, ante me factus est &c. *Isai.* 49. Nunquid rolletur à forti præda: & quod à robusto ablatum est, saluabitur equidem. *Isa.* 8. Voca nomen eius &c.

Cujus non sum dignus calceamenta portare.

Ecce dignitas ad regendum & dominandum: Et notantur tria; Vnum in calceis, & vnum in ligatura calceorum; & vnum in lege discalceatorum. In portatura calceorum, notatur humilitas obsequij secundum literam, & præparatio Euangelij secundum vsum. Et quo ad humilitatem obsequij sensus est. Non sit dignus ei humillimum obsequium exhibere; sicut si ad portandum calceos deportaret. Quo autem ad vsum calceorum; Calcei ab attritione, & pollutione, & frigore pedem defendunt; Et sic Euangelium, quod portat prædicator, defendit ab attritione lassitudinis, & pollutione concupiscentiæ, & à frigore cupiditatis terrenæ, per quam refrigescit charitas. *Ephe.* 6. Calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. *Cant.* 12. Calceamenta in pedibus tenebitis. *Can.* 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis. Secundum autem calcei ligatura. Calceus est mortuina pellis potitæ mortalitatis, quam assumpsit Christus; Pes autem est diuinitas, quam ad nos extendit. *Psal.* 59. In Idumæam extendam calceamentum meum. Corrigia autem, est vnio diuinæ naturæ cum humana, quam soluere est penetrare per intellectum resoluentem,

resoluentem, & scire qualis sit modus vnionis, ad quod nō est dignus Ioannes: qui tamen sciuit per spiritū reuelantem. *Ioan.* 1. Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti eius soluere. *Marc.* 1. Cuius ego non sum dignus, vt procumbens soluam corrigiam calceamenti eius, secundum legem discalceati.

Attende quòd *Deutero.* 25. Lex est, quòd si quis fratrum decedit sine filio: frater defuncti præcipitur vxorem defuncti ducere: & primogenitum ex ea susceptum nomine defuncti fratris vocare, ne deleatur nomen eius in Israël: quam si fortè ducere noluit, mulier relicta defuncti talem in porta ciuitatis apud Iudices interpellauit: qui si monitus à Iudicibus, adhuc nolens eam ducere perseuerauit mulier eum coram populo discalceauit, & in faciem eius spuit, & vocabatur nomen domus eius Domus discalceati in Israël. Tamen *Ruth.* 4. propinquus Elimelech & Noemi nolens ducere Ruth, seipsum discalceauit: & mulier in faciem eius non spuit, Fortè ideò: quia Ruth alienigena erat. Secundum hanc igitur legem sensus est: Non sum dignus soluere calceamentum Christo (aliàs Christi) & sponsam suam Ecclesiam accipere, & nomen sponsi mihi vsurpare. *Ioan.* 3. Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem sponsi stat, & audit, & gaudet ad vocem sponsi & sponsæ. Omnes istæ expositiones sunt in glo.

Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni.

Ecce efficacia Baptismi Christi in comparatione ad Baptismum Ioannis: Et tangit duo. Primum, quòd actus veri Baptismatis Christo est proprius. Secundò, in quo consistit Baptismatis verus effectus, sicut in causa agente. De primo dicit.

Ipse.

Discretiuè: Non alius.

Vos baptizabit.

Hoc est, charactere Baptismi sigillabit: quia character Baptismi est illud, quod est res, & Sacramentum in Baptismo.

In Spiritu sancto.

Ecce in quo consistit effectus, sicut in causa: Dicit autem duo: Spiritum gratiam conferentem interiùs: & ignem accendentem ad amorem. Vel, Spiritum virtutibus replentem, & ignem probantem per tribulationem. Vel meliùs, In spiritu conferente rem in Baptismo contentam & causatam (aliàs causantem.)

Et igni.

Quoad lucem irradiationis, quæ est res significata, non contenta in Baptismo. *Act.* 1. Ioannes quidem baptizauit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.

Sed videtur falsum: quia non baptizauit in igne. Responsio: loquitur de igne, qui descendit. *Act.* 2. quando Spiritus sanctus datus ad robur, sicut nobis datur in Confirmatione: quia & Confirmatio est perfectio vltima baptizati. Manet fomes post Baptismum: & ex hoc debilitaretur miles Christi: nisi contra eum acciperet confirmationem: quod facit ignis, exsiccans concupiscentiam, & eleuans cor ad spem, & illuminans ad agenda, & accendens ad amorem. *Lu.* 12. Ignem veni mittere &c, *Cant.* 8. Lampades eius lampades ignis atque flammarum. *Isa.* 62. Egrediatur vt splendor Iustus eius: & Saluator eius velut lampas accendatur.

Cuius ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam; & congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili?

Istud est vltimum de futuro iudicio: Et tangit quatuor. Primum quòd sibi data est iudiciaria potestas: Secundum, quòd iudicio discretionis iudicabit: segregando malos à bonis. Tertium, quòd ad se congregabit bonos sicut fructum manentem. Quartum, quòd vacuos à fructu licet fructuosis sint coniuncti, igni concremabit. De primo dicit metaphoricè.

Cuius ventilabrum.

Hoc est iudicium discretionis.

In manu sua.

Hoc est: datum est ei in potestate. *Ioan.* 1. Pater non indicat quemquam; sed iudicium omne dedit filio. *Ioan.* 12. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras, *Psal.* 42. Iudica me Deus, & discerne causam meam.

Et permundabit aream suam.

Ecce secundum, vbi tangit Discretionem, quam facit. Area autem est Ecclesia: quam permundabit, eijciendo incredulos Iudæorum, Vnde etiam ventilabrum dicitur à vento & labendo: quia in vltima captiuitate in omnem ventum sunt dilapsi. *Ezech.* 5. In ventum disperges eos, & mundabis gladium post eos. *Psal.* 34. Sunt sicut puluis ante faciem venti: & Angelus Domini persequens eos,

Et congregabit triticum.

Hic dicit, qualiter ad se congregabit bonos, sicut fructum manentem in æternum. *Infra.* 13. Triticum congregate in horreum meum. Hoc enim propter puritatem & permanentiam significat electos. *Ioan.* 15. Ego posui vos, vt fructum afferatis, & fructus vester maneat.

Paleas autem &c.

Quartum qualiter conflagrauit malos, Paleæ autem à radicibus tritici surgunt, & tritici fructum ferunt, & significant eos, qui dixerunt, quòd essent filij Abrahæ, & essent radicati in promissionibus patrum: Et fortè fuerunt cognati Prophetarum & sanctorum: propter quam affinitatem non parcetur eis: quia Palea nascitur de tritico, & profert triticum. Et tamen propter illam affinitatem non liberatur ab igne: ita & vos.

Comburet igne gehennæ inextinguibili.

Isa. 1. Erit fortitudo vestra in fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & succendetur vtrunque simul, & non erit qui extinguat. *Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius. *Psal.* 49. Ignis in conspectu eius exardescet, & in flammabit in circuitu inimicos eius.

Tunc venit IESVS à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo: Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari; & tu venis ad me?

Habito introductiuo Baptismi Christi, tangit de virtute regeneratiua, quæ collata est aquis ex vi mundissimæ carnis Christi: Et diuiditur in partes duas; Quarum prima est de Baptismo Christi: qui (aliàs quo) baptizatus est. Et secunda est de effectu ipsius. *Ibi.* Baptizatus autem IESVS confestim &c. In prima harum partium quatuor dicuntur: Primum aduentus Saluatoris ad Baptistam: Secundum, ex humilitate excusatio Ioannis: Tertium, reuelatio facta Ioanni, quòd conueniens esset suus Baptismus: Quartum, obedientia Ioannis. Et hæc patere possunt per ordinem in litera. In primo horum sex dicuntur, scilicet, quando, quis, vnde, quò, Ad quem, & ad quid venit. De primo horum dicit.

Tunc.

Scilicet, quando Ioannes venit ad Iordanem baptizans: Et hoc est, post quam venit IESVS ad ætatem virilem: Et hoc est, quando fuit annorum triginta: tredecima enim die trigesimo anni venit. *Luc.* 3. Et ipse IESVS erat incipiens quasi annorum triginta, quasi dicat, Quia trigesimus iam fuit inchoatus, Et est argumentum, quòd si aliquis est vicinus triginta annis, etsi nondum compleuit, quòd potest promoueri. Tali etiam ætate Dauid accepit regnum 2. *Reg.* 5. Primo enim anno natiuitatis suæ, tertiodecimo die, adoratus est Dominus à Magis: Et trigesimo anno, tertiodecimo die baptizatus: Et trigesimo primo anno, tertiadecima die, conuertit aquas in vinum: Et trigesimosecundo anno, tertiadecima die, vt dicit *Beda*, quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piscibus satiauit, Adhuc trigesimoprimo anno Saluatoris, in Pascha Ioannes incarceratus est; Et post annum est decollatus in sequenti Pascha, quando Saluatoris trigesimussecundus annus agebatur; Et deinde post annum, quando trigesimustertius annus Saluatoris agebatur in Pascha Dominus crucifixus est: Et sic Dominus erat triginta duorum annorum & dimidij. Et hoc dicit *Lucas*, & alij fere omnes, ita quòd [illegible] computetur inter natiuitatem & [illegible] doctrinam. Sed secundum [illegible] triginta tres annos & dimidium.

Tunc.

Ergo in ætate triginta annorum, quando & Ioseph stans coram Pharaone, Saluator mundi vocatus est *Gen.* 41.

Venit IESVS.

Ecce qui venit, Saluator, Et ideò non ad indigentiam sui, sed vt sanctificaret virtutem regenerationis conferret aquis *Psal.* 73. Contriuit capita draconum in aquis. Vnde & *Gen.* 1. Spiritus vitæ primò apparuit in aquis, quando Spiritus Domini ferebatur super eas.

Sed tunc quæritur: Quia si aquæ ex tactu Saluatoris habent vim regeneratiuam, tunc nō oportet, nisi quòd baptizandi intingantur sine aliqua inuocatione: Tunc enim illa vis operabitur effectum in eis. Et ad hoc dicendum, quòd vis regeneratiua est in aqua ex tactu carnis Saluatoris in potentia, quæ non reducitur ad efficiendum effectum, nisi per inuocationem Trinitatis. Sed tunc dicitur, quòd illa vis non est in aqua, nisi sicut in materia Baptismi. Et dicendum, quòd hoc verum est: quia per eam efficitur aqua propria materia Baptismi: Sicut quælibet res generata habet potentiam suæ generationis in propria materia, ex qua generatur, & non in alia.

A Galilæa.

Ecce vnde venit: Quæ ipso nomine significat transmutandos eos fore, qui ad Baptismum veniunt. 1. *Reg.* 10. Mutaberis in virum alterum.

In Iordanem.

Ecce quò venit. *Gen.* 32. In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior. *Ezec.* 32. Quò pulchrior es, descende, *Eccl.* 3. Quantò maior es, humilia te in omnibus.

Ad Ioannem.

In quo est gratia. Hic est Ecclesiæ minister; non hæreticus, vel schismaticus, in quo nulla est gratia, quam in forma, ritu & intentione Ecclesiæ conferat sacramentum. *Eccl.* 13. Omnis homo simili sibi sociabitur.

Vt baptizaretur ab eo.

Ecce propter quid, Et ideò nihil recepit Christus in aqua Baptis. sed contulit aquæ vim regeneratiuam, sicut dictum est. Huius tamen & aliæ causæ assignantur in *Hi.* Vt, scilicet Baptisma Ioannis approbaret: Vt homo omnem iustitiam impleret, & legis humilitatem: & vt aquas sanctificatas per columbam in lauacro ostenderet, & vt nemo quantumlibet sanctus à Baptismo excusatus esset, si Baptismi gratiam superfluam sibi iudicaret.

Ioannes autem prohibebat eum &c.

Ecce secundum istius partis, humilis videlicet excusatio.

Sed videtur, quòd excusatio fuerit inobediens: quia à spiritu Dei ad hoc missus fuit: ergo [illegible] *Ioan.* 1. Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem [illegible] hic [illegible] ego non cognoscebam [illegible] non fuit [illegible] Pietate [illegible] qui [illegible] *Philip.* 2. [illegible] Humilitate autem, quia contemnit baptizari eum, qui totius mundi

di peccata tulit, simile aliquid passus sicut Petrus. *Ioan.* 13. Non lanabis mihi pedes in æternum. Dicuntur autem hìc tria: Primum est Prohibitio pia & humilis: Secundum est ratio prohibitionis: Tertium autem admiratio humilitatis Christi. De primo autem dicit.

Ioannes autem prohibebat eum.

Luc. 14. Recumbe in nouissimo loco.

Ego à te debeo baptizari.

Ecce ratio prohibitionis: Hoc est, ego à te debeo mundari: quia, sicut dixi suprà: Tu es, qui baptizas solus. Sed qualiter cognouit eum, cùm *Ioan.* 1. dicat: Ego nesciebam eum. Responsio secundum *Augustinum.* Cognouit in persona, sed non in potestate Baptismi, quam sibi soli retinere voluit. Vel dicatur, quòd non cognouit eum primò, sed ex signis cognouit eum: Et tunc dixit verba ista: licet enim postea sequantur; signa tamen præcesserunt. Et quod hic dicitur, per anticipationem introducitur.

Sed qualiter dicit, quòd ab eo debuit baptizari, cùm sanctificatus fuerit in vtero. *Lu.* 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Responsio: Sanctificatio licet purget à peccato originali, & tollat pronitatem ad mortale: tamen non tollit pronitatem ad veniale: & ab illo debuit mundari à Christo.

Et tu venis ad me.

Istud est tertium, quod est admirationis, quasi dicat: Cùm omnia hæc sacramenta sola voluntate perficere possis, mira est tua dignatio, quòd ita te humilias, vt corporalib. operib. & passionib. subijciés te hominibus, ista velis peragere. Et hoc pro certo conuenientissimum fuit sanandę nostrę miseriæ *Iob.* 23. Nolo multa fortitudine contendat mecum, ne magnitudinis suæ mole me premat, æquitatem proponat contra me. Æquitas autem est æqualitas satisfacientis, & cui fit satisfactio, vt medium inueniatur à mediatore. 1. *Timoth.* 2. Dei & hominum homine Christo IESV. Et hoc non potuit esse per potentiam; sed per Sacramenta, quibus se subiecit.

Respondens autem IESVS, dixit ei: Sine modò.

Istud est tertium, in quo illuminatur Ioannes ad Baptizandum Christum; Et dicuntur duo. Primum, quod dicit quòd permittat: Secundum quòd rationem permissionis assignat. De primo dicit.

Sine modo.

Quasi di. Modò tempus est istius humilitatis ad reconciliationem hominis. 2. *Corinth.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis: nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrũ. Propterea enim omnia fecit, vt nec ab homine, nec à diabolo quicquam dici posset. *Isai.* 49. In tempore placito exaudiui te: & in die salutis auxiliatus sum tui. *Psal.* 64. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ &c.

Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum.

Hic assignat rationem permissionis. Dicit igitur.

Sic.

Hoc, est, hoc modo, quòd ego Sacramenta instituam, & eisdem sanctificationem, qua alios sanctificare valeant, conferam.

Decet nos.

Hoc est, conueniens est, quamuis aliter de potentia absoluta procedere possem.

Omnem iustitiam.

Quæ effectiuè dicitur omnis iustitia, vt nullus de potentia conqueri posset. Hæc enim est omnis iustitia effectiuè dicta, vt Redemptor se voluntate (aliàs voluntariè) humiliet ad Sacramenta perficienda: & homo ex humilitate se Sacramentis exhibens, salutem redemptionis inueniat.

Vnde distinguitur gradus humilitatis: quia in Sacramentis oportet, quòd maiori subijciamur, à quo confertur nobis robur spiritus: Maiorem autem in multis Sacramentis oportet subiici æquali, vel inferiori: Et sic humiliamur ad elementum corporeum, quod sub nobis est. Ita etiam aliquando oportet humiliari ad inferiorem ministrum: Et hæc est perfectio humilitatis in Sacramentis. *Prouer.* 8. Iusti sunt sermones mei: & non est in eis prauum quid, atque peruersum. *Isai.* 10. Consummatio abbreuiata inundat iustitiam. *Matth.* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis &c. Sic enim baptizatus, qui figuratur in Baptismatibus veteris legis & figuris, dum vis maris & Iordanis impletur per Christum, cùm vacuus sit à iustitia sine ipso, sicut & cætera, quæ impleuit. *Ioan.* 1. Gratia & veritas per IESVM Christum facta est.

Tunc dimisit eum.

Ecce quartum: vbi illuminatur de Sacramento humilitatis: humiliter acquiescit. Et notabile est, quod dicit.

Tunc dimisit eum.

Quasi dicat, nihil contulit ei; sed permisit fieri, quod voluit. Quasi dicat, non mea voluntate, aliàs voluntas) sed tua fiat.

Baptizatus autem IESVS confestim ascendit de aqua: Et ecce aperti sunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei descendẽtem sicut columbam & venientem super se.

Hic tangit Christi Baptismatis effectum: Et tangit hic quatuor: quorum duo primò (aliàs prima) efficiuntur in baptizatis Baptismo Christi: Tertium autem est sanctificans Baptismus (aliàs Baptismum Christi: Quartum autem est testimonium & Christi, & per Christum baptizatorum. Primum est, quòd baptizatus confestim ascendit, significans Baptismate Christi baptizatos (aliàs baptizatos) statim per virtutes ad cælestem conuersationem ascendere *Psal.* 83. Ascensiones in corde suo disposuit. *Gen.* 35. Surge Iacob, ascende Bethel, & habita ibi &c. Bethel est domus Dei.

Et

Et ecce aperti ſunt ei cæli.

Effectiuè quidem in ſe ipſo; ad ingrediendum autem in membris. *Ezech.* 1. Aperti ſunt cæli & vidi viſiones Dei. *Act.* 7. Ecce video cælos apertos. Sed quæritur quomodo Baptiſmus cælos aperit, cùm hoc dicatur eſſe paſſionis, quando romphea ſublata eſt. Adhuc. Hoc videtur eſſe Aſcenſionis, quando Chriſtus actualiter in cælum ingreſſus eſt.

Reſponſio. Dicendum, quòd omnibus his tribus conuenit aperire cælos quantum ad diuerſa, quæ ſunt in ianuæ apertione. Eſt in ea remotio obſtaculi, ſiue obicis ex parte intrantis: Et eſt ſolutio debiti ex parte eius, ad quem intratur: Et eſt patefactio, ſiue aditus viæ. Et primo quidem modo cælum Baptiſmus aperit: quia tollit impedimentum ex parte noſtra. *Pſalm.* 160. Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit: ſuſcepit eos de via iniquitatis ſuæ. Secundo modo aperit Paſſio, quæ debitum Adæ ſoluit Patri oblatione animæ. *Pſalm.* 39. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui. *Hebr.* 9. Quemadmodum conſtitutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Quo ad tertium aperit Aſcenſio, ſicut habetur *Ioan.* 14. Vado parare vobis locum. *Mich.* 2. Aſcendit pandens iter ante eos.

Et vidit Spiritum Domini Dei deſcendentem.

Ecce effectus quo ad Chriſtum, prout aquas ſanctificat, demonſtrandum. Et iſta ſpecies columbæ ſoli (aliàs ſolùm) conuenit Spiritui: ſicut ſola aſſumptio humanæ naturæ conuenit ſoli filio: & vox ſonans ſoli conuenit Patri. Et ſignificatum eſt *Geneſ.* 8. Vbi Noe emiſit columbam, quæ retulit in ore ramum virentis oliuæ: quod ſignum fuit miſericordiæ & purificationis completæ per aquam. *Cant.* 5. Oculi eius ſicut columbæ, quæ lacte lotæ ſuper riuulos aquarum: & reſident iuxta fluenta pleniſſima, Fluenta enim illa ſunt vndæ Baptiſmatis,

Et venientem ſuper ſe.

Geneſ. 8. Cùm non inueniret, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad arcam. *Iſa.* 11. Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.

Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui,

Tria notat: claritatem, originem, & ſignificatum vocis. Vnde *Luc.* 3. dicitur quòd audita eſt vox, quæ non audiretur, niſi clara eſſet,

Sed tunc quæritur, quare alij non audierunt vocem, cùm corporaliter ſonaret in aëre, vt dicit *gloſa*. Reſponſio. Dicunt quidam, quòd fortè non erant præſentes. Sed hoc nihil eſt quia. *Ioan.* 1. dicitur. Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. Reſponſio quòd ſicut in aliis ſpiritualia non percipiuntur ab animalibus, ita nec iſta. Quamuis enim corporaliter ſonaret: non tamen ad omnes ſonuit: Et ſi corporalis ſonus fortè ad quoſdam venit: non niſi confuſum ſonum receperunt: ſicut in ſimili facto dicitur *Ioan.* 12. quòd Vox venit de cœlo, quæ dixit filio petenti clarificationem patris: Et clarificaui & clarificabo. Dicebant quidam Angelum locutum eſſe: quidam autem tonitruum factum eſſe. Quia patulam autem habens ad carnalia, & clauſam ad ſpiritualia, percipit corporalem ſonum cordi: quæ ſpiritualia ſonant; ſed intellectum vocis non intelligit, *Ioan.* 3. Spiritus vbi vult, ſpirat & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Hæc enim licet ſint corporalia; tamen & à ſpiritu & ad ſpiritualium vſum, & à virtute ſpiritus ſunt mota: & non percipiuntur niſi ſecundum poteſtatem ſpiritus. 1. *Corinth.* 14. Nemo audit; ſpiritus tamen loquitur myſteria. Originem tangit, cùm dicit.

De cœlo.

Hoc eſt, de altitudine Patris gloriæ 2. *Pet.* 1. Voce delapſa ad eum à magnifica gloria. *Marc.* 1. Vox de cælo facta eſt. Tribus autem vicibus ſonuit: in Baptiſmo. *Matth.* 3. *Luc.* 3. In transfiguratione. *Infra.* 17. *Luc.* 9. In Paſſione, *Ioan.* 12. In Baptiſmo filium nominat, propter filios adoptionis; in transfiguratione, propter gloriam Reſurrectionis in capite & in membris: In Paſſione, propter declarationem redemptionis,

Hic eſt filius meus.

Conſubſtantialis. *Pſalm.* 109. Ex vtero ante luciferum genui te.

Dilectus.

Ioan. 3. Pater diligit filium & omnia dedit ei in manus.

In quo mihi complacui.

Quia nihil in eo diſſimile inueni, *Sap.* 4. Placens Deo factus dilectus. *Cant.* 1. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus, Vel,

Complacui.

Qui in Adam exaſperatus, fui: & in diluuio de homine facto tactus dolore cordis intrinſecùs pœnitui. *Oſe.* 11. Conuerſum eſt in me cor meum: pariter pœnitudo mea conturbauit me: non faciam furorem iræ meæ. Non conuertar, vt diſpergam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo in medio tui ſanctus. *Ierem.* 31. Conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum: miſerans miſerebor eius, ait Dominus. Vnde ſenſus eſt,

Hic eſt.

Diſcernit.

Filius meus.

Conſubſtantialis. In cuius Spiritu alios adopto in filios *Gal.* 4. Miſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra clamantem, Abba pater.

Dilectus

Eo modo, quo dilectio (quæ eſt Spiritus ſanctus) [illegible] à me in eum: & [illegible] ab ipſo

in me) complectitur eos, qui in Spiritu suo adoptantur: Quia horum naturam assumens, filium hominis naturalem mihi filium fecit. Et ideò

In ipso mihi complacui.

sicut in genito, in quo natura mea, quæ pascit voluntatem meam, sicut pascor fruendo me ipso: quia Dilectio impetus est bonæ voluntatis in amatum: Libitum autem dulcedinem voliti & amati præguſtans: sed Complacitum est tota simul perfecte in amato pascens. Et quia sic eo fruor pascens oblitus doloris, induco aquas, non diluuij, sed in Spiritu, diluentes peccata. Et ideò etiam Spiritus descendit, vt in aquis animam viuam faciat, sicut à principio. Vnde primò ferebatur, & fouerat aquas; in columba autem descendit: quia sine felle eos facit, quos vnda Baptismatis abluit.

CAP. IV.

Tunc Iesus ductus est in desertum à Spiritu.

SAnctificato Sacramento regenerationis, per quod filij adoptionis regenerandi sunt, antequam incipiat regenerare per doctrinam & doctrinæ confirmationem, ponit pugnam & victoriam contra diabolum, qui nisi victus sit, impedit regenerandos. Propter quod Ecclesia inuenit exorcismos, quibus adiuratur, & ligatur, ne impedire possit regenerandos, quò minus consequantur regenerationis Sacramentum. In tentatione autem ista tria ponit; Arma videlicet eius, qui tentatur: vt nos talibus doceat vti armis. Et ipsam tentationem & effectum tentationis, quem dispensatiuè in se Christus exhibuit & secundum veritatem in nobis efficit: Et hæc in litera sunt secundum ordinem, vt per se patet. Arma enim eius, qui tentatur sunt Spiritus cogens & ducens: & Desertum ab impedimentis expediens. Tentatio autem est diaboli persuasio & impulsus: & cætera quæ patebunt. Effectus autem est exhibitio præsidij Angelorum & ministerium.

Circa primum tanguntur duo, scilicet, Munientia Iesum contra tentationem, & facientia tentationis opportunitatem: Et hoc est esuries, & perfectio magni ieiunij. Circa primum horum tanguntur quinque tempus videlicet & nomen tentati, & Spiritus ducens, locus, & intentio. Primum igitur est tempus, cùm dicit.

Tunc.

Quando videlicet Baptismum accepit: quando columba super eum mansit: quando vox patris de dilecto & complacito personuit. Instruens nos si debeamus contra tentatorem progredi: quòd regenerati simus, vt esse habeamus. *Iac.* 1. Voluntarie genuit nos verbo veritatis: vt simus initium aliquod creaturæ eius. Tunc enim creamur, vt simus 1. *Pet* 1. Regenerauit nos in spem viuam. De descensu columbæ *Psal.* 54. Quis mihi dabit pennas sicut columbæ. Pennæ enim sunt gratiæ donorum, & virtutum plenitudo. *Cant.* 2. Columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ. Foramina petræ, vulnera Christi: cauerna, foramen lateris: quando iam murus ossium corporis maceratus fuit per exanguinationem & exanimationem & pænas, & extensionem & clamores. De Voce patris, quando iam diligit te pater, & complacet sibi in te, sicut in filio dulcissimi spiritus: vt sis ille filius dextræ, in quo dextera Domini fecit virtutem: quem & exaltauit & virtutum magnalia operata est. Beniamin dico, de quo dicitur. *Deut.* 33. Beniamin amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. Thalamus enim eris per pacem cordis: & inter humeros eum portabis per subleuationem sui honoris. Sic ergo.

Tunc Iesus.

Qui præsentia (aliàs præsentiam) in se habuit diuinitatis 2. *Corint.* 13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus. *Exod.* 33. Si non tu ipse præcedis, nos non educas de loco isto. Iste est ergo tentatus 2. *Machab.* 11. Cúmque pariter prompto animo ab Ierosolymis ad bellandum procederent, apparuit præcedens eos in veste candida, armis aureis hastam vibrans: tunc simul omnes benedixerunt misericordem Dominum, & conualuerunt animis, non solum homines, sed & bestias ferocissimas, sed & muros ferreos parati penetrare. Præcedens enim contra tentatorem est Dominus Iesus. Vestis candida, virtus innocentis vitæ: Arma aurea, gratia cum diuinitatis splendore coniuncta: Hasta pungens, zelus acutissimè sitiens, Deum vincere & hostem deiicere. Hic (aliàs Hoc) enim si sic in corde præcedit, audacter congredere: quia & sæuitiam bestialem, & astutiam humanam, & munimenta murorum, quibus multos concludit, interrumpes (aliàs irrumpes) & superabis. Hic ergo talis.

Ductus est à spiritu.

Constat quòd à Spiritu sancto, qui ab ipso procedit in plenissimo robore, non solùm habuit: sed etiam in copia in alios transfudit. Vnde *Luc* 4. dicitur ascendisse de aqua Spiritu sancto plenus: & quòd agebatur spiritu in desertum. Agi autem plus sonat, quàm duci. Agi enim est quasi cogi: & intendit dicere, quòd naturæ motum etiam in naturalibus præuenit, mouens & agens spiritus. Et cùm esset in opere ad finem operis, duxit idem spiritus. Concupiscentia autem, vel aliqua alia mala passio numquam egit eum. Non ergo te agat actrix concupiscentia carnis & sanguinis & naturæ motum præueniat agens spiritus: & ducat ad finem optimum: tunc egredieris cum Iesu. *Iob.* 39. Clamorem exactoris non audit. De Actu autem spiritus præuenientis naturæ impetum etiam inuenis. *Rom.* 8. & *Gal.* 5. Quicumque spiritu Dei aguntur: hi filij Dei sunt. Signum huius est, quòd cum esuriret, non dixit, quòd fieret panis ex lapidibus; sed præueniens naturæ impetum spiritus misit ad recordationem refectionis spiritualis. Si enim naturæ impetus præueniat spiritum, infirma est natura ad standum: si verò concupiscentia carnis præueniat, iam cecidit antequam percutiatur ab hoste. De ductu spiritus *Isa.* 64.

Spiritus

Spiritus Domini ductor eius fuit. Sic eduxisti populum tuum: vt faceres tibi nomen gloriæ. *Deut* 32. Dominus solus ductor eius fuit & non erat cum eo Deus alienus.

In desertum.

Ecce locus tentationi congruus. Ibi enim non habet adiutores diabolus. Inter mundanos enim inuenit concupiscibilia, per quæ trahit affectus & linguas malorum, per quas subuertit aliquando intellectum. Et ideò *Gen.* 29. præcipitur Loth, vt non stet in omni circa regione: sed in monte saluum se faciat 2. ad Timoth. Nemo militans Deo implicat se sæcularibus negotiis: vt ei placeat, cui se probauit. Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi qui legitimè certauerit, 1. *Corinth.* 9. Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Est autem desertum locus, sui qualitate communem habitationem in se fieri non permittens: Et hoc est habitatio Spiritus.

Et attende, quòd concupiscentia carnis immensa est & infinita in desideriis. Est autem in nobis mens à metiendo dicta, quæ primo mensurat, & metas ponit concupiscibilium & operum nostrorum: sicut quòd tunc, & tantum & taliter comedendum: & sic à venereis abstinendum, & mulieri non commiscendum, nisi limes sit fides thori, vel proles, & huiusmodi. Et hæc mens (quæ est, principium virtutis in nobis) deserta ab habitatione carnalium: quia immensitatem & infinitatem sequitur caro, sicut dictum est. Alia autem mens altior in nobis, quæ non modò exteriora operabilia per nos mensurat, sed mensurat nosipsos. Vt videlicet nihil sensuum, nihil imaginationum, nihil cogitationum, nihil affectuum, nihil voluntatum, & nihil studiorum, & tandem nihil motuum sit, cui metas sapientiæ non ponat, & in fræno non contineat. Et hæc Mens continentiæ vocatur: quia continentia ab Aristotele diffinitur, quòd est mora in mente: quia totam vitam animalem & humanam continet, ne aliquid sui elabatur. Hic *Eccle.* 15. vocatur continens iustitiæ, qui & apprehendet sapientiam, & obuiabit illi quasi mater honorificata. Altiorem autem habemus mentem, quæ mensurat ea, quæ supra nos, Deum & spiritualia per rectas rationes apprehendens, & se illis quantum valet adæquans & commensurans: Et ad illam etiam caro numquam penetrat.

Primi deserti tyrones sunt virtuosi dicti in moribus: Secundi deserti milites sunt heroici heroicarum, siue dominalium virtutum preferentes vocati: Tertij sunt probatissimi spiritualium intellectuum duces: & propter etiam Philosophi diuidunt virtutes in morales, heroicas & intellectuales, siue contemplatiuas. Illi, qui primis opponuntur, sunt vitiosi: Contrarij secundis sunt bestiales, siue animales vocati: sed contrariacentes tertiis, sunt in diuinis actibus huius vitæ abducti. In primo horum desertorum clamat Ioannes, in quo est gratia virtutis: Ad secundum inuitat Christus discipulos. *Marci* 6. Venite in desertum seorsum, & requiescite pusillum. In tertio, in interioribus intrat Moyses, & videt visiones Dei magnas: *Exod.* 3. De omnibus simul *Exod.* 5. Ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt sacrificemus Deo nostro. *Genes.* 22. Venit Abraham tertio die ad montem visionis in deserto.

Sic ergo non tam loco quàm mundo (aliàs viuendo.)

Ductus est Iesus in desertum.

Quàm, vel potiùs subductus. In his enim est abundantia spiritus & adiutorium contra tentatorem (aliàs tentationem) *Psalm.* 64. Pinquescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. *Isa.* 35. Lætabitur deserta & inuia: exultabit solitudo & florebit quasi lilium germinans: germinabit & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei: decor Carmeli & Saron. Primo enim deserto datur decor Carmeli, qui scientia circumcisionis interpretatur: quia mensurando præcidit superflua per medium virtutis moralis. Secundò datur gloria Libani: eo quòd in tanto candore continentiæ ambulat: quòd non videtur imitari homines; sed herilis heroes imitatur cælestes. Tertio datur decor Saron, qui principans lumini cæli interpretatur: quia admirabiles in lumine cæli inuenit decores, puritate & firmitate omnibus excellentiores. Ideò etiam tria hic ab *Isaia* dantur ei nomina quia primum est desertum, & non omnino inuium: Secundum desertum est inuium: non tamen omnino solitudo: Sed tertium est desertum, & inuium & solitudo: quia omninò (aliàs omni modo) vult habere solitudinem. Omnia autem germinant, & omnia florent, & omnia laudant, & omnia lætantur & lætabunda sunt. *Luc.* 1. Puer Ioannes crescebat in primo deserto: Et confortabatur spiritu in secundo: Et agens erat in tertio, vsque in diem ostensionis suæ ad Israël. Ibi enim reuelationes accepit de officio suæ præcursionis. Sic ergo IESVS ductus est à Spiritu in desertum.

Vt tentaretur à diabolo.

Hic tangit intentionem Saluatoris: Et dicit duo: tentationem, & tentatorem: diaboli enim officium est tentare.

Videtur autem inconuenienter dicere, quando dicitur.

Vt tentaretur.

Quia Cùm omnis Christi actio nostra sit instructio, videtur nobis dare viam, quòd exhibeamus nos tentationibus: Et hoc est incautum valdè. Responsio. Dicendum, quòd aliqua in Christo debemus imitari: & aliqua mirari. Quæcumque sunt opera virtutum imitari debemus: quæ autem sunt potestatis, imitari non possumus, nec debemus; sed admirari. Et istud est vnum de illis, quo obiicit se illi, qui ita fortis est, sicut dicitur *Iob.* 41. Quòd non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari, qui factus est, vt nullum timeret. Hoc enim facit ex fortitudine deitatis; quia sic fortior est fortis. *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet,

Ratio

Ratio autem quare facit, est duplex : Vna de præterito : & altera de futuro. De præterito : quia sicut portauimus imaginem primi Adæ victi à diabolo : Ita debemus portare imaginem secundi : quam portare non possemus, nisi vinceretur ab eo diabolus : quia non possemus expoliare imaginem primi. De futuro autem ratio est, quæ superius inducta est : quia cùm construxerit sanctificando regenerationis Sacramentum, per quod regenerati portare debemus imaginem suam, hanc in agnitionem suæ doctrinæ percipere non possemus, nisi priùs debilitato hoste : quia ex victoria primi hominis dominabatur in nobis. Et ideò conueniebat Christum congredi : Et istæ causæ non sunt in nobis. Et ideò nostræ infirmitatis nobis conscij, non debemus nobis facere tentationum occasiones.

Et si obiciatur, quòd Dauid dicit *Psalm.* 25. Proba me, Domine, & tenta me & *Psalm.* 138. Vide, si via iniquitatis in me est. Dicendum est, quòd aliud est tentari à Deo per tribulationem : & aliud tentari à diabolo per illicitorum suggestiones. Et primum quidem possunt petere aliqui magni viri, experti vires suas : vt hic vrat & hic secet, ne saucij vadant vrendi in ignem purgatorij, vel inferni. Secundum nullus debet petere : quia hoc non est in pœna ; sed in illicitis suggestis & concupitis.

Attendendum autem est hic, quid sit tentatio : quæ tentationis incitatio (aliàs incitatiua) qui modi tentationum, & per quæ diabolus tentat, & quandiu. Et quidem potius tradendo quàm disputando diffinimus : Dicentes, quòd tentatio est impulsus tentatoris ad illicitum. Voco autem impulsum omnem inclinationem, & inuitationem (aliàs incitationem) qua quis ducitur ad illicitum concupitum, vel dictum, vel factum.

Incitatiua autem tentationis quædam sunt extra nos, & quædam in nobisipsis. Extra nos sunt tria : in quibus sunt fines & intentiones desiderionum carnalium : Et illa sunt, de quibus dicitur 1. *Ioann.* 2. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ : Et illa sunt, quæ vocantur delitiæ, diuitiæ, & honores laudum, vel dignitatum. Alterum enim est vel bonum, quod mouet desiderium. Et si bonum est temporale : tunc est aut delectabile carni, aut vtile : & alterum quidem est in honoribus ; delectabile in concupiscentia carnis : Vtile autem in auaritia ; quæ est oculorum concupiscentia.

Si autem tentantia sunt in nobis : tunc sunt duo : quorum tamen vnum nascitur ex altero, scilicet, timor humilians & suffodiens: & amor proprius inflammans. Timor enim nascitur ex amore : & de his dicit *Psalm.* 79. Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt. Superbia autem, quæ est initium apostasiæ à Deo. Sicut dicitur *Ecclesiast.* 10. & Auaritia, quæ est libido : & Amor temporalis boni cuiuscumque : sunt magis radices peccatorum, quàm tentationum. Et idem est de contemptu, errore, & libidine: Contemptus enim habitualis est, quando homo ipso opere effert se non curans præceptum & præceptorem. Et quando ipso opere non vult subdi præcipienti & præcepto, est superbia generalis, quæ est initium omnis peccati. Error autem est generalis, quando non videt ad dirigendum opus, regulas operis : quia sic omnis peccans errat : *Heb.* 12. Vt non claudicans quis erret ; magis autem sanetur. Libido autem generalis est voluntas pascens se in bono commutabili : Et hæc est in omni peccato ; Et ista sunt radices peccatorum, non tentationum.

Modi autem tentationum dupliciter sumuntur. Aut enim sunt ex parte tentatoris ; Aut ex parte tentati ; aut ex parte vtriusque simul, vnius sicut agentis : & alterius sicut patientis.

Ex parte tentatoris sunt modi, quos tangit *Gregor.* 32. Moral. cap. 9. super illud *Iob.* 40. Ecce Behemoth, &c. Vbi dicit, quòd omnia antiqui hostis Deus fideli suo seruo ostendit tentamenta : Omne quod opprimendo rapit : Omne quod insidiando circumuolat : Omne quod minando terret : Omne quod suadendo blanditur : Omne quod desperando frangit : & Omne quod permittendo decipit.

Et notat : Opprimendo rapit duobus modis : quando scilicet, in vno non potens vincere, tot simul ingerit tentamenta, quòd omnia prouideri non possunt : & tunc ab oppresso rapit aliquid. Alio modo quando ad malum inclinare aliquem desperat : tunc enim ad difficile bonum, quod vltra vires est, aliquando instigat : & à victo laboribus rapit quod intendit : Ita quòd aliquando difficultate deterritus, bonum quod cœperat, dimittit, & ad peccatum redit.

Insidiando autem circumuolat : maximè quando experiri intendit ad quas vias peccati faciliùs inducat : aut quando vult experiri, cuius sit virtutis aut debilitatis is, quem tentare intendit.

Comminando autem terret præcipuè : quando reuocare tentat à bono proposito. Tunc enim comminatur labores, quos inuenturus sit, si propositum perficere velit : & malum peius futurum, si à cæpto redeat. Et ideò melius sit non incipere : quàm post cæptum retrorsum conuerti.

Suadendo autem blanditur in rebus ad luxum vitæ pertinentibus : quòd videlicet talibus indigeat infirmitas humana fomentis : quòd (aliàs quàm) connaturalia sint nobis : & quòd adhuc longa vita restet, in qua quis pœnitere posset : quòd Deus misericors huiusmodi non puniat : Et huiusmodi.

Desperando autem frangit eum, qui in profundum vitiorum venerit per tristitiam nimiam: aut quòd consuetudo de peccatis exire non permittat : aut quòd vires talibus carendi non suppetant : aut huiusmodi.

Promittendo verò decipit : Aliquando promittens impunitatem peccati : & procurans pœnam, sicut quòd suspenditur. Vel promittit requiem & satietatem peccati post parum tempus in peccato expensum : & facit consuetudinem cupiscentiam tunc magis incalescere, & huiusmodi.

Horum autem differentia sic habetur, quia diabolus aut intendit experiri quod nescit : aut propellere ad illicitum committendum. Et si intendit experiri, tunc insidiando circumuolat. Si autem intendit propellere ad illicitum : aut hoc facit, aut quia à malo exitum impedit : & sic desperandò frangit : aut quia retrahit ab eo, quod est verè bonum. Et hoc duobus modis: aut cum violentia, aut sine violentia. Cum violentia quidem opprimendo rapit : sine violentia autem comminando terret.

Aut est secundum inclinationem ad bonum temporale illicitum, & hoc est duobus modis : Aut est secundum fructum dulcedinis boni, ad quem inclinat, & tunc suadendo blanditur : Aut secundum concomitantia bonum illud : vel adiuncta, & tunc promittendo decipit.

Modi autem, qui sunt ex parte nostra, sunt suggestio interior, & delectatio, & consensus. Suggestio quidem ex parte mouentis cognatiue, siue in ratione, siue in sensualitate : delectatio ex parte concupiscentiæ : & consensus ex parte vtriusque.

Ex parte diaboli autem & nostra : sunt modi, qui dicuntur immissiones per Angelos malos. Illos enim diabolus non quidem facit, vel creat : sed factos immittit in nos, & incendit : Et hi sunt tam ex parte corporis, quam ex parte animæ. Ex parte corporis quidem, sicut dicit *Augustinus*, quòd sanguinem inflammat, vel ponderosum facit, vel turbat, vel escis vel potibus se immiscet, vt saporibis illiciat. Aliquando autem sunt ex parte animæ : Et tunc aliquando sunt ex parte phantasiæ, aut ex parte concupiscibilis, vel irascibilis.

Si ex parte phantasiæ : tunc sunt formæ impressæ spiritui phantastico fortiter : Ita quòd quicquid imaginatur, eorum refert ad formam illam, sicut faciunt melancholici. Et sic fit multis, quibus secundum præstigia illudit diabolus deterrendo, vel illiciendo. Si autem est in concupiscibili, vel irascibili : tunc vel iram, vel concupiscentiam commouet : vel ad illicitè concupiscendum, vel irascendum illicitè. Et isti sunt modi tentationum.

Tentat autem aliquando per se modis prædictis : Aliquando per alium, quem ad tentandum incitat, & hoc est planum : tandiu enim tentatio vocatur, quamdiu non est peccatum. Quando autem consensus est in peccatum, tunc desinit esse tentatio : quia tunc habet propositum. Aliquando autem est & tentatio & peccatum, sed diuersis respectibus, sicut in delectatione : In illa enim ipsa delectatio mala peccatum est : Sed inquantum trahit ad vlteriorem consensum & ad vlterius opus, tentatio est : Et hæc in præsenti de tentatione dicta sint paucis.

Sed sciendum, quòd tentatio, qua Christus tentatus fuit, non nisi extrinsecùs fuit assumpto corpore, quo diabolus se sensibus Christi præsentauit. Intrinsecùs in Christo non fuit motus illicitus, sicut in nobis. Hoc igitur modo venit in desertum Christus,

Vt tentaretur à diabolo.

Cuius officium, vt dicit *Chrysostomus*, est tentare. Et hoc est opus eius, cibus, & totum desiderium. Et ideò nunquam lassatur de ipso 1. *Thes.* 3. Ne fortè tentauerit vos is, qui tentat: & inanis fiat labor vester, hoc est, cuius officium est tentare. Deus autem etiam dicitur tentare. *Exodi.* 20. Vt probaret vos, venit Deus : & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. *Genes.* 22. Tentauit Deus Abraham. *Sapientiæ.* 3. Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se.

Contra hoc autem id esse videtur, quod dicitur *Iac* 1. Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est ; ipse autem neminem tentat. Responsio. Diabolus propriè tentator est, sicut dicit *Apostolus*, hoc modo tentationis, sicut hic loquimur : quia ille impellit ad illicitum ; Deus autem dicitur tentare experiendo, non vt ipse discat aliquid, quod sit in homine ; sed potius, vt homo innotescat sibi, vel aliis. Aliquando enim homo nescit virtutem suam ; Et ideò de se, non sicut debet, præsumit : Et tunc Deus facit eum cognoscere suam virtutem, sicut fecit Abrahæ. Aliquando enim nimis præsumit : & tunc valet homini cognoscere suam debilitatem, vt non tantùm in (aliàs de) se præsumat, Aliis autem facit innotescere hominem, vt maiorem vel minorem de ipso habeant præsumptionem : Et hoc modo tentat Deus ; aliò modo diabolus. Diabolus autem deorsum fluens, vel græcè criminator interpretatur : quia eos, quos tentat, quantum valet, deorsum fluere facit.

Et cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit.

Ecce congruitas tentationis ex parte Christi tentati : quem si omninò fortem inuenisset, non tentasset. Et iterum si omnino inuenisset infirmum, non tentasset ; sed omnino subiecisset. Et ideò dicuntur hic duo. Vnum, quod est Fortitudinis, quòd ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus sine esurie : quod diabolum traxit in admirationem, si purus homo posset facere. Alterum autem infirmitatis, quod est, quòd posteà post tantum ieiunium esuriit. Et hoc fuit argumentum diabolo, vtrum esset Deus, qui esurire potuit. Dicit autem quadraginta diebus non comedisse : & addit : quadraginta noctibus, ne credatur noctibus comedisse.

Attende autem, quòd Moyses etiam ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & panem non comedit, & aquam non bibit. *Exod.* 34. Elias etiam ieiunauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 3. *Reg.* 19. Sed secundum Hieronymum differt Ieiunium Christi à ieiunio illorum, quòd propria virtute ieiunauit : Illi autem virtute aliena : quia Moyses refectus fuit ex consortio sermonis Domini ; quia cùm contemplaretur Deum, ita tota mentis intentio & animæ ferebatur in contemplationem : quòd spiritus & calor recesserunt ab imo corporis, & ferebantur ad intellectum : calor quidem spiritum mouendo; spiritus formas in-

tellectui ministrando:& sic animæ actio & caloris & spiritus minimæ & paucæ fuerunt in corpus, propter quod corpus stetit in membris, & humore, qui diffusus erat in membris,sine sensibili permutatione: & sic ieiunauit. Vnde etiam dicitur *Ibiaem.* quòd resplenduit facies ex consortio sermonis Domini (alias diuini) quia spiritus & formæ adeò illuminati sunt ex specie Dei, quæ apparuit, quòd corpus immutatum fuit in splendorem. Elias autem ieiunauit ex fortitudine cibi, non quidem manibus hominum præparati, sed manibus Angeli: cuius virtute ita contemperatus fuit panis, quem comedit: & aqua,quam bibit, quòd & nutriebat paulatim quadraginta diebus; & tamen non resoluebatur nisi per successionem quadraginta noctium: Et ideò in fortitudine illius cibi dicitur ambulasse, Et hoc non facit cibus ab homine præparatus, qui simul resoluitur & putrescit, & ideò non potest ita diu nutrire: quia si sanus est homo, infra sedecim horas cibus vel digestus, vel corruptus, descendit ei à stomacho. Christus autem neutro horum modorum ieiunauit sustentatus: quia ex contemplatione suæ deitatis non abstrahebantur à corpore anima, & spiritus, & calor. Cùm simul fuerit comprehensor & viator: nec etiam cibo aliquo præparato sic ieiunauit. *Chrysostomus* autem aliam dat differentiam, dicens, quòd Moyses & Elias omnibus diebus simul & esurierunt & ieiunauerunt: Christus autem non. Quia in litera dicitur, quòd postea esuriit. Ex hoc enim modo loquendi intelligitur, quòd quadraginta diebus & noctibus non esuriit.Et ideò quando voluit, esuriit: Et quando voluit, non esuriit. Et erat vtrunque & esurire & ieiunare in potestate suæ voluntatis. Et hoc non conueniebat Moysi & Eliæ, qui necesse habebant esurire. Et secundum hoc oportet dicere, quòd potestate diuina contenta fuerunt corpora Moysi & Eliæ, ne resoluerentur per calorem famis. Dicemus ergo, quòd quadraginta diebus ieiunauit Christus, & hoc fuit magnæ potestatis: quia in die operatio, & motus sensuum exhaurire debebant humiditatem membrorum, & facere languere & destitui. Et quadraginta noctibus dicitur ieiunasse, quod fuit iterum potestatis: Quia de nocte propter frigus & tenebras mouentur calor & spiritus ad interius, & agunt in humidum inuentum dissoluendo illud: Et si non inueniunt, exsiccant corpus.Et hoc non fecerunt in Christo: quod iterum fuit potestatis. Et in his omnibus ostendit Christus hoc, quod dixit. *Ioan.* 10. Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam. Nemo tollet eam à me; sed ego ponam eam, & iterum sumo eam. Quod autem dicit.

Postea esuriit.

Notatur, quòd tunc vires naturales (aliàs naturalis) caloris & spiritus in corpus agere præcepit. Et sic & ieiunium, & esuries fuerunt, vt dictum est, secundum suæ voluntatis potestatem. Sic igitur Christus quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit: & posteà esuriit.

Et accedens tentator dixit ei.

Hic incipit pars, quæ est de tentatione: Et diuiditur in tres partes, secundum tres tentationes, quas inducit, vt patet: quarum prima est de gula, quæ tractatur hic: Et diuiditur in duos paragraphos.In tentationem videlicet, tentatoris siue actiuam: & in responsionē exclusiuam tentationis diaboli, sicut patet in litera. Circa tentationem actiuam duo dicuntur, scilicet, tentatoris appropinquatio ad tentatum, & tentationis expositio, quæ patent in littera. De Appropinquatione tentatoris dicit.

Et accedens tentator.

Et hic accessus aliter accipitur in Christo, & aliter in membris. In tentatione enim Christi non fuit accessus nisi exteriùs secundum locum. In nobis autem, qui corrupti sumus per peccatum, est accessus per appropinquationem similitudinis, quæ est primus motus in cogitatione, vel concupiscentia eius, quod persuadet.

Attende autem, quòd in quolibet genere vno est aliquod vnum primum: Et ita est in genere tentationis, primus motus ad illicitum, interior cogitatio illiciti (aliàs illicitè) trahens concupiscentiam: Et hæc vocatur cogitatio effectiua, siue practica græco nomine: quæ meo iudicio primus est motus & peccatum: sed minima differentia est peccati: ita quòd etiam deletur per auersionem ab illicito concepto. Et tunc dicitur conteri caput serpentis. *Genes.* 3. Hoc est initium peccati. Exterior autem motus suggestionis hostis simpliciter tentatio est: & non peccatum eius, qui tentatur: sed peccatum tentatoris. Et hoc modo fuit suggestio in tentatione Christi. Cum autem primus motus in genere peccati sit suggestio cogitationis interioris. Secundus motus in eodem genere est delectatio, & consensus vel dissimulatio rationis: Et tertius Voluntas perficiendi. Et quartus impetus ad opus. Et ratione horum dicitur motus primus. Quòd autem quidam distinguunt primò primum, qui est in cogitatione (aliàs tentatione) simplici, vel suggestione interiori, & præuenit rationem: Et secundò primum, quem videt ratio, ego non approbo: quia peccatum incipit in primo motu, qui præuenit rationem. Vires enim inferiores animæ sensibilis participant aliqualiter rationem, vt dicunt *Aristoteles* & *Damascenus.* Et ideò possunt esse subiectum peccati: non enim essent ordinabiles à ratione, nisi aliqualiter secundum formam participarēt rationem. Sic ergo.

Accedens tentator.

Passibus localibus ad Christum & similitudine persuasionis ad membra.

Dixit ei.

Per corpus assumptum: nobis autem dicit per id, quod in nobis seminarium suæ persuasionis immittit.

Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.

Ecce Tentatio: Et dicuntur duo. Primum est explorationis, siue experientiæ, quia experiri vult quod nescit: Et secundum est persuasionis suæ voluntatis, quod experiri vult. Hoc est quod dicit.

Si

Si filius Dei es.

In hoc enim dubitauit. Quia quòd esset filius Dei: ex stella, etiam testimonio Ioannis, & Pastoribus, & Symeone arguit. Quòd autem homo infirmus sit: ex facie & aliis arguebat defectuum passionibus: Et ideò dubitauit. Libenter autem expertus fuisset, vt si homo purus esset, studeret præualere ei in aliquo peccato, sicut aliis præualuerat omnibus. Si autem filius Dei esset, desisteret ab ipso, & non persuaderet Passionem: vt non citò homo redimeretur. Et huiusmodi lectura est secundum *Chrysostomum.* Et ideò dicit, Si filius Dei es, sicut dicitur.

Dic vt lapides isti panes fiant.

Demonstrabat lapides, quorum copiosa multitudo iacebat in deserto.

Et attende, quòd in ista tentatione non persuadet delitias: sed prætextu necessitatis nititur inducere Christum, quòd motum carnis faciat præire motum spiritus: Et sic faciat in eo causam & principium non vnius: sed omnis peruersitatis Quia omnis peruersitas hominis oritur ex hoc, quòd caro præit & imperat spiritui *Gal.* 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: vt non quæcunque vultis, illa faciatis. *Ecclesiast.* 18. Fili, post concupiscentias tuas non eas: & à voluntate tua auertere. Si enim præstes animæ, siue animalitati tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Nititur ergo Diabolus, quòd spiritus non sit ductor operum & actor; sed carnalis concupiscentia, & hoc sub prætextu necessitatis, vt minus aduertatur.

Et attende, qualiter nititur etiam ad inanem gloriam: quia inanis gloria esset, si hoc vellet consequi per miraculum: cum potiùs panis in labore sit sumendus. *Psal.* 127. Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus &c. *Psalm.* 126. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris, *Iob.* 3. Homo ad laborem nascitur.

Qui respondens dixit: Scriptum est: Non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Ecce Responsio Saluatoris: Et innuit tria: Cautelam absconsionis contra id, quod experiri voluit: Reprehensionem contra voluntatem persuasionis: Et insufficientiam contra id, quod necessitati famis laborabat consulere. Primum notatur in hoc, quòd non ex se, sed ex scriptura respondet. Hoc enim cōmune est Deo & homini: & ideò ex hoc nec vnum, nec aliud potest cognoscere. *Psal.* 119. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi contra linguam dolosam.Sagittæ potentis acutæ, hoc est, acutæ veritatis auctoritates de arcu scripturæ potentis intellectu virtute directæ. Contrà voluntatem persuasionis dicit,

Non in solo pane.

Corporali.

Viuit homo.

Quasi d. Tu tentator es, & iniqua persuades: quia si panis reficere debeat, non erit solus, sed oportet, quòd sit virtus spiritus in pane per verbum, sicut infra patebit: & tunc oportet præire spiritum, quem tu persuades postponere. 1. *Timot.* 4. Omnis creatura Dei bona: & nihil reiiciendum, quòd cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem *Psal.* 21. Edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt Dominum. Contra falsum consilium de subuentione necessitatis dicit viuere hominem.

In omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Et ex quo verbo viuit homo: vita dependet à verbo: non de pane nisi secundum quod virtus verbi est in ipso. Cum enim verbum Dei patris consubstantiale sibi sit filius, verbum illud est ars plena rationibus & ideis viuis, & lucentibus, quæ in ipso sunt vita & lux omnium eorum, quæ per creationem, vel per naturam producuntur. Ideæ autem siue formæ illæ artis & mentis diuinæ, quæ in verbo sunt, prodeunt in corpora creata, vel generata, quando formantur & à Deo esse accipiunt; nec aliquid valent, nisi per formas illas. Propter quod dicit *Ans.* quòd vnumquodque tunc verè est & facit, quando est, & facit hoc, ad quod est in mente diuina. Et sic triplex est verbum: Vnum increatum, & generatum, quod est filius: Alterum increatum, quod est forma per sapientiam Dei impressa rei naturali factæ. Et simile huic est in artifice carpentario, qui lumen intellectus sui habet tanquam verbum sui intellectus, quo se suus in ipso intuetur intellectus: & habet in ipso lumine formas omnium, quæ carpentat, quæ sunt rationes suorum operum: Et ex his similes formas producit in ligna, quæ carpentat. Omninò autem ex similibus formis operatur medicus, & faber ferrarius, & quilibet alius: Ita quod domus est ex domo, & sanitas ex sanitate: ea, quæ est in complexione humorum, est ex ea, quæ est in anima medici. Similiter autem est in summo spiritu, qui cùm cogitando intuetur se in lumine intellectus sui, dicit se & verbum suum consubstantiale sibi, filius eius est. Et in illo lumine verbi splendent ideæ omnium factorum, quæ sunt rationes operum suorum: ex quibus procedunt in res naturales formæ rerum, per quas in esse naturali sunt hoc, quod sunt. Propter quod à Platone etiam imagines dictæ sunt: quia sunt primarum formarum, quæ in mente diuina conceptæ sunt, quædam imitationes.

Est ergo triplex verbum Dei. Primum est coæternum & consubstantiale, quod generat, quando intuetur se: Secundum, quod est exemplar, & idea, & ratio rerum, ad quod fiunt res: Tertium, quod incorporatum est rebus, à quo est res, hoc quod est: & illud dependet à medio verbo, & medium radicatur in primo. Et patet, quòd nihil virtutis est in aliqua re, nisi ex verbo Dei. Hinc est, quod dicit *Augustinus super Ioan.* quòd eodem verbo, quo panibus quinque millia hominum: ex paucis granis pascit totum mundum, & hoc tamen nemo miratur. Illud mirantur homines,

mines, non quia maius eſt, ſed quia rarius eſt. Et hoc eſt, quod dicit.

In omni verbo Dei.

Deuter. 8. *Sap.* 16. Non natiuitatis fructus paſcunt homines: ſed ſermo tuus, qui in te crediderunt, conſeruat. A verbo enim Dei dependet virtus & conſeruatio omnium. Dicit autem.

In omni verbo, quod procedit de ore Dei.

Vt in proceſſione notet verbum procedens ad exterius in res factas. Per os autem profuſiuam naturam Patris, à qua procedit quicquid eſt in omnibus rebus. Os tamen Patris etiam dicitur Filius loquens eum in mundo. *Iſa.* 40. Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt. Dicitur etiam os quilibet pronuncians verbum Dei. *Iere.* 15. Si ſeparaueris pretioſum à vili, quaſi os meum eris: ſed omnia verba talium dependent à verbo Dei, quod dicit per ſe ipſum, & in quo eſt operatiuum omnium rerum. *Iſa.* 55. Quomodo deſcendit imber & nix de cælo: & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam: & dat ſemen ſerenti & panem comedenti. Sic erit verbum, quod egreditur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum: ſed faciet quæcunque volui: & proſperabitur in his, ad quod miſi illud.

Tunc aſſumpſit eum diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi.

Hic incipit ſecunda tentatio, quæ eſt de inani gloria. Et obiicitur de ordine. Quia *Lucas* 4. hanc ponit vltimam: & eam, quam iſte ponit vltimam, Lucas ponit mediam. Et videtur probabilius eſſe quod dicit Lucas: vt illæ videlicet continue factæ ſint, quæ factæ ſunt in deſerto: Et poſtea tranſtulerit eum in ciuitatem: quam quòd vna facta ſit in deſerto, & ſecunda in ciuitate, & iterum rediuerunt in deſertum, & ibi perfecta ſit vltima. Et dicendum cum *beato Gregorio*: quòd Lucas in ordine tentationum ſequitur veritatem hiſtoriæ. Sed quia Chriſtus in tentationibus intendit in eiſdem vincere diabolum, in quibus ipſe vicit Adam.

Ideò Matthæus proſequitur ordinem tentationum Adæ. *Geneſ.* enim 3. dicit Adæ: In quacunque die comederitis ex eo: ecce gula, eritis ſicut dij: ecce inanis gloria, ſcientes bonum & malum: ecce auaritia, quæ non tantùm eſt pecuniæ; ſed etiam ſcientiæ. Et ita penes intentionem victoriæ tentationum, quam Chriſtus habuit, ſumitur ordo Matthæi; Penes veritatem hiſtoriæ ſumitur ordo Lucæ: vt vtrumque per duos Euangeliſtas habeamus. Et ideò Spiritus ſanctus voluit, quòd duo ſcriberent eas. Hæc autem pars, ſicut præcedens, diuiditur in partes duas: In quarum prima ponitur diaboli tentatio: Et in ſecunda per Chriſtum tentationis eliſio. Et hæc patent in litera. Tentatio autem diaboli habet tres paragraphos, in quorum primo quæritur tentatoris opportunitas: in ſecundo tentatio: & in tertio perſuaſio: vt inducat faciliùs per ſcripturæ allegationem. In primo horum tria dicuntur, ſcilicet, tempus, appropinquatio tentatoris, & loci congruitas. Tempus importatur, quando dicit.

Tunc.

Et hoc fuit, cùm magna facta meritorum præceſſerant in ieiunio: tunc enim aliquis ſe maiorem apud Deum reputat, & citiùs de Deo præſumens Deum tentat. Et ſubiungit.

Aſſumpſit eum diabolus

Et tangitur appropinquatio tentatoris ad tentatum: quod exponendum eſt ſicut ſuperiùs.

Et attende, quòd quidam Sanctorum videntur dicere, quòd aſſumpſit eum, portando ſuper ſe corporaliter aſſumpto corpore. Sed *Chryſoſtomus* dicit, quòd aſſumpſit eum, ducendo poſt ſe. Et hoc ego melius credo: Et quodlibet iſtorum dicatur, miranda eſt Dei patientia, quòd ita & à tali portari, & adduci voluit: & mirandus eſt zelus ſalutis noſtræ in Chriſto: propter quem ſe ita portari, & adduci voluit à diabolo & propter quem ſe poſteà à membris diaboli permiſit occidi. *Pſal.* 68 Zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

In ſanctam ciuitatem.

Iſtud eſt tertium: & tangit duo: congruitatem videlicet ex loco communi: & congruitatem ex loco proprio. Ex loco communi, quòd aſſumpſit eum in ſanctam ciuitatem Ieruſalem, quæ ſancta dicitur propter templum & cultum legis, & Sacramentorum exhibitionem: & præcipuè, quia ibi fuit fundendus ſanguis Chriſti omnia ſanctificans. *Iſa.* 52 Induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancta. *Matthæ.* 27. Exeuntes de monumentis venerunt in ciuitatem ſanctam, & apparuerunt multis. *Iſa.* 64. Domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ: vbi te laudauerunt patres noſtri, verſa eſt in exuſtionem ignis. Habet autem hic locus opportunitatem ad inanem gloriam: eo quòd in loco, in quo magna facta ſunt per multos, faciliùs ſurrepit tentatio aliquid magnum faciendi, vt in gloria ſit, ſicut multi in loco illo glorioſi habiti ſunt.

Et ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi.

Quidam dicunt: quòd pinnaculum fuit cacumen ſummæ altitudinis templi: & hoc non eſt probabile; ſed ſecundum quod innuitur in *Ezechie.* 41. Exedræ fuerunt in templo, hoc eſt, exteriores ædes per modum pinnarum prominentes à fronte templi, vbi erant cathedræ concionantium & docentium Sacerdotum, ſicut ipſo nomine ſignificatur: quia Cathedra dicitur ædes cathegoriæ, vel cathechiſmi, hoc eſt, prædicationis vel doctrinæ: & fuerunt ad ſimilitudinem ambonum, qui fiunt apud nos in muris Eccleſiarum, vnde prædicatur populo. Et quia illæ eleuatæ fuerunt, vt inde loquerentur Sacerdotes & Leuitæ (qui erant in atrio interiori) populo, qui erat in atrio exteriori. Ibi in alto vel poſuit, vel duxit eum: quia ibi per inanem gloriam multos vicerat. *Iob.* 41. Omne ſublime videt: & ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. *Iſa* 14. Supra aſtra cæli exaltabo ſolium meum.

Sed quæritur; Quòd ſi ſtatuit eum in tam eminenti

nenti loco, quare non videbatur ab aliis? Dicendum *ſecund. glo.* quòd diabolus egit hoc, vt videretur ab hominibus: vt magis ex contuitu multorum de eleuatione tentaretur. Sed Chriſtus, ignorante diabolo, ſemper egit quod à nullo videbatur: Et ideò acclamatio populi nulla fuit.

Et dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Ecce tentatio: & habet duo; experientiam, & tentationem. Id quod experiri vult eſt, quòd dicit.

Si filius Dei es.

Et eſt exponendum ſicut ſuprà.

Mitte te deorſum.

Probroſè dicitur, vt prouocet: quia prouocatus animus citiùs inclinatur ad malum. Honeſtè enim dixiſſet: ſine adminiculo tranſpone te inferiùs ſecundum tamen ſuum affectum congruè locutus eſt: quia voluntatem ſuam (quæ deorſum fluens vocatur) non perficit, niſi qui deorſum ſe mittit: *Iob.* 28. In terra proieci te ante faciē regum dedi te; filiorum autem Dei eſt aſcendere ſurſum. *Coloſ.* 3. Quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram,

Scriptum eſt enim.

Pſal. 90. Adhibet ſcripturam, vt faciliùs perſuadeat: & præcipuè ideò, quia in ſuperioribus Chriſtus ſibi per ſcripturam reſponderat.

Quia Angelis ſuis.

In iſta ſcriptura tria dicuntur: Primum eſt neceſſitas faciendi impoſita Angelis: Secundum efficacia operis cuſtodiæ Angelorum: Tertium, pænæ immunitas eorum, qui ab Angelis cuſtodiuntur: Et eſt ſenſus, facere poteris, quod perſuadeo: quia ex mandato Dei Angeli te cuſtodiendi habent neceſſitatem: ex virtute manuum Angelorum habebit cuſtodia eorum efficaciam: ex immunitate prædicta per prophetiam, nullam penitùs ſenties colliſionem. Et hoc eſt.

Quia Angelis ſuis mandauit de te.

Sed diabolus peruerſo intellectu attribuit capiti, quod bene dictum eſt de membris: quia Chriſtus non habuit Angelos ad cuſtodiam, quia non indiguit; ſed membra. Et ideò datum eſt hoc mandatum Angelis, vt cuſtodiant membra. *Mat.* 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt. *Hebre.* 1. Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis?

Et in manibus tollent te.

Ecce efficacia cuſtodiæ. Manus autem: quia eſt organum organorum ad multa ordinata opera. Ideò dicitur organum intellectus operatiui: & per ipſam ſignificatur intellectualis & efficax Angelorum operatio circa cuſtodiendos. *4. Reg.* 6. Elizeus per Angelos capit exercitum Syriæ.

Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.

Ecce Immunitas pœnæ: quia ſi ſecuritas datur, ne pes impingat: multò magis ne totum corpus caſu colliſionem patiatur. *Gen.* 32. Caſtra Dei ſunt hæc. *Zachar.* 2. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et attende aſtutiam diaboli: quia tacet hoc, quod contra ſe dictum nouerat cōſequenter in prophetia. Super aſpidem & baſiliſcū ambulabis: & conculcabis leonē & draconem.

Ait illi IESVS rurſum: ſcriptum eſt: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Reſponſio eſt Chriſti temperata: vt experiri nō poſſit quod quærit: & perſuadere non valeat hoc, de quo tentauit. Propter primum dicit.

Scriptum eſt.

Sequi enim ſcripturam, eſt ſanctorum, & non negatur Dei filiatio. Et hoc eſt, quod dicit.

Scriptum eſt.

Deutero. 6.

Non tentabis Dominum Deum tuum.

Tentare Deum, eſt ſe inijcere periculo, vt experiatur an Deus miraculo eripere velit: cum ex humana ratione promptum habeat quid facere poſſit. 1. *Corinth.* 10. Neque tentemus Deum, ſicut quidam tentauerunt, & perierunt ab exterminatore. Si tamen à Deo offerretur ſignum: petere poſſemus & deberemus. Et ideò reprehenditur Achaz. *Iſa.* 7. Cui cum diceretur: Pete tibi ſignum &c. Reſpondit: Non petam & non tentabo Dominum: Sic enim ſignum petere: non eſt tentare Dominum.

Iterum aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.

Iſta eſt tertia tentatio facta in deſerto: & habet duo: tentationem, & reſponſionem. Tentatio autem ipſa duo habet. Primò enim ponit inducentia ad faciliùs conſentiendum: & Secundò ſubiungit tentationem. Inducentia autem ſunt aſſumptio:

In montem excelſum valdè.

Qui in deſerto fuit, quod erat inter Ieruſalem & Iericho, vbi perfecta fuit tentatio: quia ibi ſæpe multos habuit ſibi conſentientes diabolus: eo quòd ibi latrones habitabant, homines ſpoliantes & occidentes. *Lu.* 10. Quidam homo deſcendebat à Ieruſ. in Iericho, & incidit in latrones. Et ideò etiam locus domi, hoc eſt, ſanguinis dicebatur, propter multum ſanguinem, qui ibi fundebatur. Erat enim mons, vnde eminùs videri poterat. Secundum inducens ex viſu fuit, quòd.

Oſtendit ei omnia regna mundi.

Non quòd viſum Chriſti ampliauerit: quia de hoc poteſtatem, non habuit; ſed quòd indicauerit, in quibus eſſent mundi partibus ſicut verſus partes illas Roma & regnum eius: & verſus illas alias Græcia & regnū eius, & ſic de alijs. Dicit autē.

regna

Regna & gloriam eorum,

Quia in nomine regni: importantur diuitiæ & potestates & in nomine gloriæ, importantur honores adiuncti: vt omnibus simul coniunctis appetibilibus faciliùs persuaderet.

In nobis autem mons iste est mons ambitionis: vnde longè videmus, quod ambimus. *Iere.* 51. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis gentes *Zach.* 4. Quid tu mons magne aduersus Zorobabel in planum: Super istud: ceciderunt fortes Israël, & interierunt arma bellica Ecclesiæ. 2. *Reg.* 1. Gloria autem est appetitus laudis & excellentiæ *Psal.* 51. Quid gloriaris in malitia. *Gal.* 5. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESV Christi, hoc est, in crucis humilitate, non in montis vertice.

Et dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.

Ecce tentatio.

Hæc omnia tibi dabo.

Hic promittendo decipere tentat: quia non habet potestatem dandi aliquid, cũ nihil suum sit. *Psal.* 23. Domini est terra & plenitudo eius. Licet enim *Inf. c.* 6. dicatur mammona Dæmon, qui præest diuitiis: hoc non ideò dicitur quòd suæ sint; sed quia præest illicitæ acquisitioni & retentioni illicitæ diuitiarum.

Si cadens.

Non enim adoraret, nisi priùs caderet. Attende autem quòd cadere in prostratione, est propriè hominis corã Creatore: quia est recognitio, quòd non sumus per nos nisi cinis & puluis: & erecti sumus per Creatorem in hoc, quòd sumus. Hanc autẽ reuerentiam Creatori debitam semper vsurpauit sibi diabolus: quæ græcè latreosis vocatur, sicut superiùs diximus: Et ideò etiam idolo-latriam inuenit: vt in idolis hæc seruitus sibi exhiberetur. Et hoc est, quod sequitur.

Adoraueris me.

Et hoc ad vltimum induxit: quia hoc maximè desiderauit.

Tunc dixit ei IESVS: Vade Sathana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

Responsio est Christi duo habens: Vnum est repulsa diaboli cum obiurgatione: & alterum, exclusio tentationis. De primo.

Va. satha.

Hoc est criminator. Docet (aliàs Decet) enim nos hoc facto patientes esse in iniuria propria; sed in iniuria diuina nullo modo patienter dissimulare. Sicut Mardochæus noluit honorem Dei sui transferre ad hominem *Esther.* 13. Et Dominus iniuriam Deo in templo facientes expulit flagello. *Ioan.* 2. Et in *Deut.* 17. præcipitur lapidibus obrui, qui sibi vendicat honorem deitatis: vt ad aliud aliquid deitatem retorqueat.

Scriptum est.

Deut. 6.

Dominum Deum tuum adorabis.

Omnis creatura tam homo, quàm Angelus, quàm etiam tu diabole.

Et illi soli seruies.

Hoc est, seruitutem latreosis impendes. *Psal.* 44. Ipse est Dominus Deus tuus: & adorabunt eum. Est autem vnus Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus. *Exo.* 10. & *Deut.* 6. Dominus Deus tuus vnus est: non erunt tibi dij &c.

Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

Hic incipit pars, quæ est de tentationum effectibus. Et est fuga diaboli, sicut potestatis aduersæ: & coniunctio Angelorum, sicut virtutum cælestium. Hoc enim efficit victoria tentationum in nobis, pro qua tentationem vicit Christus, vt in nobis ista efficeret. De primo autẽ dicit, quòd.

Tunc.

Victus & confusus.

Reliquit eum diabolus.

Ille princeps dæmonum lucifer, qui primum hominem tentauit. Reliquit autem non loco tantum; sed in potestate tentandi: diabolus enim victus ab aliquo, vt dicunt Sancti, non audet vlteriùs tentare. Potestatẽ etiam diminutam tentandi habet nos, postquam confusus est à Christo. Dicũt autẽ *quedã glo.* quòd reliquit eũ recedens in ignem æternum. Et ideò dicitur, quòd religauit eum in infernum vsque ad vltima tempora, quando soluetur Sathanas, & dabitur ei licentia tentandi temporibus Antichristi. Vsque enim ad illa tempora diminutam habet potestatem, & ligatam tentandi per se ipsum. *Apocalyp.* 20. Vidi Angelum descendentem de cœlo (hoc est Christum, qui vocatur *Isai.* 9. magni consilij Angelus) habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua,) & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & sathanas: & ligauit eum per annos mille, hoc est, per totum tempus gratiæ, & misit eum in abyssum, & clausit & signauit super eum: vt non ampliùs gentes decipiat, donec consummantur mille anni: & post hoc oportet illum soluere modico tempore. 1. *Pet.* 5. Aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. *Iaco.* 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis: Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis *Apoc.* Proiectus est ille magnus draco, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & sathanas.

Et ecce Angeli,

Secundus est effectus: quia per victoriam tentationum meruit nobis coniunctionem Angelorum. Et dicuntur duo, accessus videlicet, & ministerium. De primo dicit tria promptitudinem, dignitatem, & familiaritatem. Promptitudo intelligitur per demonstrationem, cùm dicit.

Ecce.

Quasi dicat, promptum & statim. *Matth.* 26. An putas, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum, quasi dicat, In promptu sunt: sed ad meam indigentiam non, sed membrorum.

Angeli.

Ecce dignitas, quia dicit *Hieron.* Magna dignitas est animarum, quòd habent custodiam Angelorum: Vnde tales & tanti nostri dicuntur. *Matt.* 16. Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.

Accesserunt.

Ecce propinquitas & familiaritas: Et ideò nobiscum esse dicuntur 4. *Reg.* 6. Noli timere: plures enim nobiscum sunt quàm cum illis. *Iosu.* 5. Sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

Et ministrabit ei.

Non ex indigentia, sed ex reuerentia in capite: nobis autem ex indigentia nostra ministrant. Et dicitur generaliter, ministrabant, vt omne ministerium, quo indigemus intelligatur. *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Vnde, 2. *Machab.* 10. Apparuerunt circa Machabæum quinque viri protegentes Machabæum, & in alios tela ignea iacientes: ex quibus perturbati cadebant. Et quinque viri quinque significabant choros Angelorum, vsum exterioris officij circa nos habentes hoc est, Virtutes, Potestates, Principatus, Archangeli, & Angeli: Hi enim secundum sua officia, ministrant nobis, etiam quando non videmus eos. Sic ergo dictum sit de tentatione.

Cùm autem audisset IESVS, quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam: Et relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon & Neptalim.

Postquàm in præcedentibus determinatum est de Sacramento regenerationis, quo perficitur nostra sanctificatio secundum interiorem hominem: Tangit illuminationem, qua docemur de regenerantibus: Et durat vsque ad Capitulum 26. Vbi incipit tradere Sacramenta passionis & Resurrectionis: quæ ipse in se ipso perfecit. Quæ sicut causæ efficientes operantur, & faciunt in Sacramentis Ecclesiæ; & dant eis virtutem, qua (aliàs quia) nos regenerant. Talis autem ordo congruit; quia sicut medicina nihil operatur, nisi coniuncta calori naturali corporis eius, in quo operatur sanitatem: ita Sacramenta Christi & Ecclesiæ nihil omninò operantur, nisi coniuncta animæ per cognitionem & deuotionem. Et ideò oportet præmittere sermonem ostendentem Sacramenta, & inducentem ad deuotionem eorum: Et hunc oportet confirmari per miracula; Et hoc fit ab hoc loco vsque ad Passionem. Diuiditur autem in partes duas: In quarum prima fit prælibatio totius, quod intenditur, & in secunda ponitur executio: Et hæc incipit in sequenti capitulo. Prælibatio autem doctrinæ & confirmationis eius habet partes tres: & Ita quòd in prima prælibat, quòd oportet huius doctrinæ esse initium; In Secunda autem prælibat, quem oportet esse huius doctrinæ ministrum conuenientem: In Tertia autem prælibat quem oportet esse Modum & officium. Secunda incipit *ibi* [Ambulans autem iuxta mare] Tertia incipit *ibi* Et circuibat IESVS totam Galilæam] Prima autem harum diuiditur in duas: In quarum prima conueniens determinat initium quantum ad auditorem: Et in secunda determinat conueniens initium quantum ad materiam rei prædicandæ. *Ibi* [Et exinde cæpit IESVS prædicare & dicere]

Et si dicitur, quòd non debet in doctrina determinari initium quantum ad auditorem. Dicendum est, quòd secus est in doctrina morali, & in doctrina, quæ non est nisi sciendi gratia. In scientiis enim theoricis (aliàs rhetoricis) non quæritur, qualis sit auditor; sed in moralibus secundum principium scientiæ oportet determinare auditorem, sicut patet per *Aristot. in* 1. *Ethic.* Et ita oportet facere hic. Circa primum horum sunt duo paragraphi: Quorum primus est de inceptione quoad auditorem: & secundus est de confirmatione huius per scripturam, vt patet in litera. Circa primum horum tangit quinque: quorum primum est occasio, per quam venit ad eos, qui primùm audire debebant: Secundum est locus communis auditus primi suæ prædicationis: Tertium est, qualiter declinauit quædam loca, in quibus non conueniebat eũ primùm prædicare: Quartum autem est, qualiter venit ad locum, vbi conueniebat incipere: Et quintum est descriptio illorum locorum. Et hæc patent per ordinem in litera. De primo dicit.

Cùm autem audisset.

Attende autem quòd Matthæus, sicut & Lucas, & Marcus prætermittit primum aduentum Domini in Galilæam postea quàm baptizatus est quando mutauit aquam in vinum, & cum matre & discipulis Capharnaum mansit: A quã ciuitata propter Pascha Ierusalem ascendit: & inde venit in Iudæam, & per discipulos baptizauit: Cùm etiam Ioannes in Aennon iuxta Salim baptizaret, sicut dicitur *Ioan.* 3. Et tunc primò audiens.

Quòd Ioannes traditus esset &c.

Dicitur autem traditus: quia à Iudæis consentientibus in mortem eius traditus est Herodi: qui etiam reprehenderunt eum, quòd baptizaret, cùm nec esset Christus, neque Elias, neque Propheta. Fuit etiam traditus permissiuè à Deo, vt dicit *Chrysost.* Et cùm similem iam inuidiam concepissent contra Iesum: eo quòd, sicut dicitur *Ioan.* 3. audierunt, quòd baptizaret, & plures discipulos faceret, quàm Ioannes fecerat. Tunc primùm.

Secessit in Galilæam.

Ecce secundũ, vbi tangit locũ communem, in quo initiari conuenit prædicationẽ istam. Et ab isto loco incipiunt tres Euang. intermittẽtes facta vnius anni, quæ solus ponit Ioannes: eo quòd vltimò scripsit, & vidit ea in alijs deesse. *Luc.* 23. Commouit populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa vsque huc.

Et relicta ciuitate Nazareth.

Ecce tertium, vbi dicit, quas ciuitates reliquit.

Licet enim in Nazareth annunciatus, conceptus, & educatus sit: tamen ibi prædicare non incepit: quia non erat metropolis Galilææ. Nec conueniebat incipere nisi in loco solemni & publico. Assignantur autem tres causæ, quare hùc secessit à Iudæa: Vna quidem, quæ dicta est: quatenus ad locum aptum in initio suæ prædicationis veniret: Alia autem est, vt passionem suam vsque ad tempus congruum differret: Et tertia, vt nos in periculis secedere doceret. Viuente autem & libero à captiuitate existente Ioanne, non prædicauit apertè: quia hoc Præcursori debebatur, & ne putaretur Ioanni velle derogare. His ergo de causis

Venit.

In Galilæam.

Et habitauit in ciuitate Capharnaum.

Ecce quartum, vbi determinat locum solennem, vnde incepit: secundum interpretationem enim nominis sui Capharnaum villa pulcherrima dicebatur, & fuit. Et hanc describit quo ad situm dupliciter. Secundum locum, in quo sita est: & secundum sortes tribuum, inter quas fuit: & hoc est quintum. De loco quidem dicit, quòd fuit.

Maritima.

Et dicitur mare hìc stagnum Tyberiadis, siue Genezareth more Hebræorum, qui quaslibet aquarum congregationes maria vocant: tamen ibi etiam fuerunt quædam salinæ, ex quibus fortè maris nomen accepit. Per sortes autem describit, cum dicit.

In finibus Zabulon & Neptalim.

Quia inter sortes illas, quasi inter gentiles (qui erant in Galilæa gentium) & Iudæos fuit sita: Et ibi conueniebat incipere prædicationem, sicut inferiùs patebit.

Vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam. Terra Zabulon, & terra Neptalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium: populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.

In isto paragrapho probat ibi conuenientiùs incipere & dicit duo, scilicet: Scripturæ impletionem; ipsam scripturam impletam. Impletionem dicit adimpletionem: quia gratia (quæ per IESVM Christum facta est, veritas. *Ioan.* 1.) superadimplendo datur.

Per Isaiam Prophetam 9. Terra Zabulon.

Ecce Scripturæ & tangit tria. Primò Descriptionem eorum, à quibus incipitur. Secundò, qualiter illuxit prædicatio: & tertiò, quo fructu: Et hæc patebunt in littera. Descriptionem eorum, à quibus incepit, dicit per sortes, & per situm, sicut in præhabitis dictum est. Per sortes dicit.

Terra Zabulon & terra Neptalim.

Et est secundum Euangelistam vocatiui casus. Per situm autem eodem casu dicit.

Via maris.

Et hunc situm determinat in comparatione ad Ierusalem: quæ fuit ciuitas sanctificationis, cùm dicit.

Trans Iordanem.

vbi Iordanis coniungitur.

Galilæa gentium.

Erant enim duæ partes Galilææ: Vna fuit in sorte Zabulon, & illa fuit iuxta Tyberiadim: Alia fuit iuxta Tyrum in sorte Neptalim, in qua Salomon viginti oppida dedit, Hyram Regi Tyri. 3. *Reg.* 5. & 1. *Paralip.* 22. Qui habitare fecit in eis Sidonios gentiles: Et ex tunc est illa pars Galilææ.

Galilæa gentium.

Attende autem, quòd inducens *Isa.* auctoritatem, prætermittit principium & medium. Principium enim est, primo tempore alleuiata est terra Zabulon &c. Et tangit hoc, quod habetur. 4. *Reg.* 17. Vbi per Salmanasar Regem Assyriorum, 10. tribus captiuantem, primo tempore captiuitatis terra Zabulon, & terra Neptalim est alleuiata ab onere habitantiũ in ea peccatorum: quia illas duas tribus vicinas gentibus priùs quàm alias captiuauit. Medium autem, quod omittit, est, quòd Isaias dicit, Et in nouissimo aggrauata est via maris &c. Et est sensus, quòd licet via maris, hoc est, maritima, vt suprà dictum est, nouissimè sit capta: Tamen plùs aliis fuit grauata & afflicta. Et his habitis, notantur duæ causæ, propter quas conueniens fuit ibi primùm Euangelium sonare. Vna fuit, vt vbi primò incepit captiuitas seruitutis: ibi primò inciperet annunciatio libertatis. Secunda autem: quia ibi fuit confinium Iudæorum & gentilium: & de facili fama Euangelij sonuit ad vtrunque populum, quos (aliàs quem) Christus coniunxit, sicut lapis angularis: & hoc non fuit alibi.

Sed tunc quæritur, quare Matthæus non adducit prophetiam, sicut iacet, sed omittit quædam? Et dicendum est, quòd scriptum est Iudæis: & ideò non tangit nisi locum conuenientem: & alia relinquit tanquam nota eis, quibus scribebat.

Populus, qui ambulabat in tenebris.

Ecce secundum propheriæ: Vbi dicit, qualiter illuxit prædicatio: & dicit tria. Primò necessitatem lucis: qua.

Populus ambulabat (nesciens quò iret in tenebris vmbrarum legis, & ignorantiæ *Ioan.* 12. Qui in tenebris ambulat, nescit quò vadat. *Prou.* 4. Via impiorum tenebrosa, complantata lapidibus: nesciunt vbi corruant. Secùndò dicit lucis perceptionem, cùm dicit.

Vidit.

Hoc est, fidem acceptauit: Et ideò etiam populi credentes, Galilæi dicebantur *Act.* 2. Nonne omnes isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? Tertiò dicit magnitudinem lucis.

Lucem magnam.

Est

Est enim lux: quoad lympidam veritatem: magna autem quoad gratiam, quam habet sibi coniunctam. *Prouerb.* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. *Psalm.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis 2. *Pet.* 1. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis: intendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

Et sedentibus in regione.

Ecce tertium, quo fructu auditur prædicatio: Et dicit duo: necessitatem, cùm dicit.

Sedentibus in regione vmbræ mortis.

Fructum autem, cùm dicit.

Lux orta est eis.

Est autem sedere, quiescere in peccato, quod est regio vmbræ mortis. Tenebræ enim exteriores (quæ sunt in inferno, in quas proiici iubentur serui nequam *Matth.* 25.) vmbras suas proiiciunt in hanc vitam: & hæ vmbræ sunt tenebræ interiores ignorantiæ & obscuritatis peccati. *Eph.* 4. Gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis. *Sap.* 17. Dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt. *Luc.* 1. Illuminare his, qui in regione, & in vmbra mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Lux orta est eis.

Hoc est, principium prædicationis Christi luxit eis ad vtilitatem. *Ezech.* 43. Ingressa est gloria Domini in templum per portam orientalem; & resplenduit terra à maiestate eius. *Chrysostomus* tamen hoc, quod dicit.

Populus, qui &c.

Refert ad Iudæos; Et hoc dicit,

Sedentibus &c.

Refert ad gentiles. Et dicit, quòd Iudæi lucere viderunt tanquam edocti per legem. Gentibus autem tunc primum orta est.

Exinde cœpit IESVS prædicare & dicere.

Habito initio prædicationis quoad Auditorem, tangit initium quoad materiam prædicandam. Dicit autem duo circa hoc. Primum est: quòd sic cœpit Dominus IESVS prædicationem. Vnde sensus est.

Exinde.

Auditoris, siue loci & materiæ,

Cœpit IESVS prædicare & dicere.

Differentia est inter prædicare, dicere & docere. Prædicare enim est sermone exhortatorio annunciare ea, quæ super nos sunt; sed dicuntur ea, quæ nota sunt in sensibus, sicut historialia; docentur autem, quæ per principia sunt ita nobis, sicut Virtutes morales & scientiæ, quæ per doctrinam, & non per reuelationem accipimus. Et hoc demonstrant ipsæ rationes prædicabilium & dicibilium simplici dictione & doctrinaliũ. Tamen hæc trahuntur à *Chrysostomo*. Sic ergo,

Cœpit IESVS prædicare.

Diuina,

Et dicere.

Sensibilia & parabolica. Docere autem doctrinalia; dicens.

Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum.

Ecce secundum, vbi tangit materiam, quæ est, & debet esse initium prædicationis; & tangit duo, scilicet primum prædicabile, & vtilitatem eius. Primum prædicabile est,

Pœnitentiam agite.

Dicit autem *Chrysostomus*, quòd pœnitentia est correctio malæ voluntatis, & non malæ naturæ. Si enim Christus venisset ad correctionem naturæ: tunc esset ipse culpandus, qui talem naturam condidisset, quæ correctione indigeret. Virtutes autem & scientiæ liberales, sunt ad perficiendum naturam, & essent de perfectione naturæ, etiamsi homo non peccasset. Cum igitur Christus venerit ad correctionem mali, conueniebat ipsum incipere ab eo, quod malum voluntatis corrigit: quia hoc corrigit gratia ipsius: Ergo conueniebat ipsum incipere à pœnitentia. Et sic pœnitentia primum prædicabile est in Euangelio: & est prædicare in Euangelio, antè dicere & docere. Adhuc autem: Si primum, accipiatur id, quod est primum in motu materiæ, siue subiecti ad bonum à malo; oportet quòd prædicabile primum sit id, quod destruit peccatum, inquantum peccatum est: hoc autem est pœnitentia. Igitur pœnitentia est primum in ordine prædicabilium Christi. Est autem Pœnitentia Sacramentum destruens peccatum actuale commissum: & hoc quidem inquantum contrarium est gratiæ, culpa vocatur; inquantum autem contrarium est virtuti, vocatur vitium; & in actu interiori, vel exteriori, verbi, vel facti consideratum, vocatur peccatum; habens tres affectus: Quorum vnus est priuatio boni naturalis, & sic vocatur malum. Ex illa autem priuatione sorgit deformitas: & quoad hanc vocatur macula, non quidem positiuè, sicut est nigredo, vel albedo; sed potiùs, vt dictum est, priuatiuè: sicut mutilatio ingerit maculam, vel cæcitas: quia cum peccatum sit defectus, non potest imprimere maculam, quę positiuè aliquid sit. Adhuc, quoniam omne quod ponitur, est ens: & omne ens est à Deo: si macula positiuè esset aliquid, esset à Deo. Quod ridiculum & absurdum est. Vnde sicut mutilatio & est defectus nasi & deformitas, siue macula faciei: ita peccatum est priuatio naturalis boni; & sic est malum: vel deformitas, siue macula animæ; & sic est turpitudo. Tertius autem effectus est in quantum est carens rectitudine legis: & sic obligat ad pœnam: & vocatur reatus. Pœnitentia igitur, quæ est prædicabile primum, est Sacramentum Ecclesiæ, destruens peccatum in se, & omnem peccati effectum. Et hæc consistit in tribus: Compunctione, confessione, & satisfactione

satisfactione : quæ sunt partes eius potestatiuæ : Et vnus istas partes dolor peccati testatur, qui est in omnibus istis, & informans eas omnes. Continent autem se istæ partes : quia compunctio habet confessionem in voto, & satisfactionem in proposito : Et confessio habet compunctionis dolorem sicut causam, & satisfactionem in voto. Satisfactio autem formatur ex dolore, & proportionatur (aliàs proportionabiliter) ex confessione. Per gratiam igitur, quæ est in compunctione deletur culpa : per virtutes, quæ sunt subiectæ gratiæ delentur vitia : per actus voluntatis detestantis peccatum, deletur peccatum. Et sic sanatur bonum naturæ, & deletur maculæ turpitudo. Et per satisfactionem in proposito & in re, deletur reatus : Et est perfectum prædicabile pœnitentiæ : secundum quod est perfecta correctio malæ voluntatis. *Act.* 3. Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. *Act* 17. Tempora huius ignorantiæ despiciens, annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.

Appropinquabit enim regnum cœlorum.

Ecce effectus, siue fructus pœnitentiæ : Et bene dicit.

Appropinquabit.

Quia motus quidam est pœnitentia à peccato ad iustitiam.

In motu autem continuè abiicitur natura eius, vnde, siue à quo motus est. Sicut quando res albatur, continuè abiicitur nigredo, & inducitur albedo. Sic etiam hic in pœnitentia prout est correctio malæ voluntatis, continuè abiicitur turpitudo peccati & inducitur iustitia regni, prout regnum cœlorum est rectitudo, in se ambiens rectitudinem legum & consiliorum & officiorum & graduum diuinorum & ciuilitatum & potestatum : qualis rectitudo est in cœlo indeflexa per conformitatem omnium eorum, quæ in cœlo sunt ad voluntatem diuinam, quæ est exemplar & causa omnis rectitudinis, vt dicit *August. In* 8, *de Trinit.* Sic enim oramus *Matth.* 6. dicentes : Adueniat regnum tuum. *Apoc.* 5. dicunt Sancti : Fecisti nos Deo nostro regnum. Sic igitur determinatum est de initio prædicabilium in Euangelio.

Ambulans autem Iesvs iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres; Simonem, qui vocatur Petrus : & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare: erant enim piscatores.

Hic incipit secunda pars, vbi agitur de vocatione ministrorum, per quos est dispensatio Sacramentorum, doctrinæ, officiorum Ecclesiæ. Hoc enim fuit quam de prælibandis. In potestate autem ministrorum necesse est aliquem esse penes (aliàs per) quem consistat vniuersitas potestatis: in quod in opere sollicitudinis habeat coadiutores: eo quod homo est infirmus, & necesse est, quòd aliqui in partem sollicitudinis aduocentur. Et ideò sunt hic tantùm duæ vocationes ministrorum. Et Secunda incipit *Ibi.* [Et procedens inde &c.] Quamuis enim multæ vocationes determinentur in Euangelistis : tamen non differunt nisi materialiter : Sed istæ duæ formaliter differunt. Prima autem harum habet partes duas, vocationem scilicet, & obedientiam. Vocatio autem habet duos paragraphos : primus ponit conuenientiam vocationis ; Et secundus ponit ipsam vocationem. In conuenientia verò vocationis sumit conuenientiam à tribus, à loco, à personis vocandis, & ab actu siue arte. Circa locum autem dicit duo, scilicet, inquisitionem pij Domini vocantis, & loci, in quo fit vocatio, conuenientiam. Dispositio (aliàs de inquisitione) Christi dicitur, quòd erat.

Ambulans.

Non tam passibus corporalibus, quàm irradiatione & ingestione suæ illuminationis. *Ioan.* 9. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi.

Iesvs.

Saluator.

Iuxta mare Galilææ.

Quod est stagnum Genesareth, quod fluiditatem mundi significat, in quo instabilibus studiis laborant hi, qui vocandi sunt ad Christi mysterium. Ecce loci congruentia.

Vidit.

Sap. 4. Respectus eius in electos ipsius. Oculo enim beneplaciti & oculo misericordiæ respexit intùs plus quàm extrà.

Duos fratres.

Congruentiam tangit ex parte personarum. Duo enim sunt : quia quantumcumque sit aliquis magnæ dignitatis & potestatis : necesse est, quòd in multis innitatur alteri & iuuetur ab ipso. *Prouerbior.* 18. Frater, qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. *Eccle.* 4. Væ soli : qui si ceciderit non habet subleuantem : & si dormierint duo, fouebuntur mutuò &c.

Simonem, qui.

Promisso in futurum nomine.

Vocatur Petrus.

Siue Cephas, quod caput sonat : qui ad vniuersitatem potestatis vocatur. Vnde quòd hic Petrus dicitur, promissio est nominis. *Matth.* autem *cap.* 16. vbi confitetur solidæ veritatis fidem, ibi datur ei nomen istud & ædificatur Ecclesia super eum. Hic autem licet solus sit caput ; tamen non solus potest portare onera consiliorum & negotiorum.

Et

Ideò vt secum sit, adiungitur ei,

Andreas.

Secundũ ſuum nomen fortis, vel virilis vocatus.

Mittentes rete in mari.

Ecce conuenientia ab actu, vel artificio. Rete enim per metaphoram, officium eſt prædicationis, quod in mare mundi eſt mittendum, vt extrahantur ad ſiccum continentiæ hi, qui nutriti ſunt in aquis voluptatis. *Matth. 13.* Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congreganti.

Erant enim piſcatores.

Arte: quod erat in eis præſagium officij futuri ſicut dicitur *Jere. 16.* Mittam eis piſcatores multos: & piſcabuntur eos. Et hoc eſt, quod ſequitur.

Erant enim piſcatores.

Arte. Non enim elegit Dominus viros nobiles, vel literatos, vel acutos ingenio, & diſcretos in lingua. Sed ſicut dicit. *Apoſt. 1. Corinth. 1.* Quæ ſtulta huius mundi ſunt, elegit Dominus, vt confundat ſapientes: Et infirma huius mundi elegit Deus, vt confundat fortia: Et ignobilia & contemptibilia elegit Deus: & ea, quæ non ſunt; vt ea, quæ ſunt, deſtruerer: & non glorietur omnis caro coram illo.

Et ait illis: Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.

Ecce vocatio: & tangit duo: vocationem, & officium, ad quod vocat. Vocatio autem, cùm dicit.

Venite poſt me.

Hoc eſt, ad me imitandum: nullus enim vnquam in bono eum præceſſit: qui non ex accidenti, ſed naturaliter bonus eſt: Nec aliquis poteſt ſibi eſſe æqualis, qui caput eſt omnium: ſed omnes ſequuntur imitando, quantum poſſunt. *Iob. 23.* Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus: viam eius cuſtodiui. *1. Corinth. 11.* Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Sequendus autem eſt Chriſtus per virtutem in vita: in officio per actum: in fructu per zelum: in gratia per hoc, quòd gratis detur, quod impenditur: in charitate per affectum.

Faciam vos fieri piſcatores hominum.

Ecce promiſſio officiorum, quæ tamen non ſtatim iniunxit: quia adhuc inſtituendi erant per doctrinam: & perficiendi per virtutem: & exercitandi per probationem operationum & tentationum.

At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum.

Ecce obedientia: & tangit tria velocitatem, facilitatem, & perfectionem. Velocitatem: quia dicit.

Continuò.

Ad vnius inſſionis vocem. *Pſal. 94.* Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. *Cant. 2.* Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. Expeditionem notat, cùm dicit.

Relictis retibus.

Quonim vſu, actúque vtebant: & hoc relinquebant actu. Omnia autem reliquerunt voluntate, omnino nihil retinentes. *Mat. 19.* Ecce nos reliquimus omnia &c.

Secuti ſunt eum.

Ecce perfectio, quæ eſt in ſequendo. *Iob. 23.* Secutus ſum viam eius, & non declinaui ex ea. *Dan. 3.* Et nunc ſequimur te in toto corde noſtro, & tenemus te. *Philip. 3.* Sequor, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum:

Sed obiicitur contra prædicta; quia *Ioan. 1.* Non dicitur iſta vocatio ſic perfecta eſſe, ſed potiùs iuxta Iordanem ad teſtimonium Ioannis. ſecutus eſt Andræas: & hic inueniens Simonem fratrem ſuum, adduxit ad Ieſum, & in craſtinum vocauit Philippum: & hic adduxit Nathanaelem.

Adhuc *Luc. 5.* dicitur, quòd aſcendit in nauim Simonis, & rogauit, vt à terra reduceret, & poſtea dixit, vt in altum ducerent, & laxarent retia in capturam: & cùm concluſiſſent ad verbum eius piſcium multitudinem, & annuiſſent Ioanni & Iacobo ſociis eorum, & Petrus procidiſſet ad genua Ieſu, dixit ei. Noli timere, ex hoc enim homines eris capiens. Tunc ſubductis ad terram nauibus, relictis omnibus, ſecuti ſunt eum: & ſic iterum aliter vocati ſunt, quàm hic narretur.

Ad hoc dicunt ſancti, quòd ter vocati ſunt iſti: Primò enim iuxta Iordanem vocati ſunt, præcipuè teſtimonio Ioannis: ſed tunc parum manſerunt cum Ieſu. Dicitur enim, quòd manſerunt cum eo die illa, & contraxerunt notitiam eius, & rediuerunt ad propria. Audiuerunt tamen ab eo futuræ gratiæ in eis quædam præconia à Chriſto. Poſtea autem ſicut dicit *Lucas* in captura piſcium viſo miraculo ſtupefacti, ſecuti ſunt eum animo: & iterum parum manentes cum ipſo, rediuerunt ad tempus: & iam contraxerant familiaritatem: & iterum futuræ gratiæ in eis iam experti ſunt quædam argumenta. Sed tertia vice perfecta eſt vocatio, quæ hic dicitur. Et tunc ita ſecuti ſunt, quod ad ea, quæ reliquerant, non amplius rediuerunt, niſi poſt reſurrectionem ad tempus &c.

Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia ſua.

Ecce ſecunda vocatio miniſtrorum, qui in partem ſollicitudinis vocantur. Et prima quidem figurata eſt in Moyſe (qui dux conſtitutus populi) & Aaron fratre ſuo, qui datus eſt ei in adiutorium, non in conſortem (alias ſortem) poteſtatis. Iſta autem vocatio figuratur *Exod. cap. 18.* Vbi ad conſilium Ietro electi ſunt veri ſapientes, qui oderunt auaritiam, & conſtituti ſunt Tribuni, & Centuriones, &

& Decani : qui tamen magna quæquæ ad Moysen referrent. *Numeri.* 11. Dicitur. Tollam de spiritu tuo, & dabo septuaginta viris. Qui spiritus Dei ab eo, qui habet plenitudinem potestatis, derivatur in eos, qui in partem solicitudinis sunt vocati. In hac autem vocatione tria dicuntur; Idoneitas videlicet, & obedientia vocandorum præcedens in eis, vocatio & omnia. Idoneitas autem vocandorum describitur à vinculo (aliàs adminiculo) fraternitatis, & à nominibus, à genere, ab arte, ab actu, & à pietate: ante tamen hoc tangit dispositionem vocantis; cùm dicit.

Et procedens inde.

Pius Dominus, qui omnes ad salutem non sustinens expectare, donec per se veniant. *Luc.* 15. Quærit diligenter, donec inveniat.

Vidit.

Oculis charitatis & misericordiæ. *Psal.* 24. Respice in me & miserere mei.

Alios.

Ad minora & alia vocandos.

Duos fratres.

Fraternæ charitatis æmulatores. *Heb.* 3. Fratres sancti vocationis cælestis participes.

Iacobum & Ioannem.

A nominibus innuit idoneitatem: quia supplantator & luctator debet esse contra hostem: & in quo est gratia Dei ad Deum & ad hominem, is qui vocatur. Ex gratia enim debet esse potens exhortari in doctrina sana: & ex virtute luctæ debet contradicentes revincere. *Ad Titum.* 1.

In navi.

Ecce Idoneitas ab arte. Gubernator enim navis proportionatur gubernatori Ecclesiæ. *Act.* 20. Attendite vobis vniuerso gregi, in quo vos posuit Christus regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo.

Cum Zebedæo

Ecce pietas, quæ secundum *Tullium.* est benevolentia in parentes; quia patrem secum in cura habentes non deseruerunt. 1. *Timoth.* 3. Si quis suæ domui præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? 1. *Timoth.* 5. Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.

Reficientes retia sua.

Retia enim per metaphoram docent (aliàs dicunt) artem prædicationis: vt illa reficiatur studiis scripturarum & promotione literatorum virorum. *Luc.* cap. 5. Laxate retia in capturam.

Et vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum.

Ecce vocatio: est autem duplex, interior, & exterior. Exterior voce facta est, & fit Saluatoris. Interior appositione gratiæ datæ *Rom.* 8. Quos præsciuit conformes fieri imaginis filij sui, hos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit: & quos iustificauit, illos & magnificauit. Sic ergo nullus se ingerat: nullus prece, vel obsequio emat: nullus violenter minis, vel precibus armatis introducatur: nullus sanguinis proximitate promoueatur: sed quem vocat Deus, *Hebr.* 5. Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.

Illi autem statim.

Ecce obedientia, velox, expedita, spiritualis, & perfecta. Velox, quia

Statim.

Ecclesiast. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Expedita, quia.

Relictis retibus.

Luc. 12. Vendite quæ habetis, & date eleemosynam. *Matth.* 19. Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Spiritualis, quia relicto carnali patre.

Sed contra *Exo.* 20. Honora parentes: ergo non est relinquendus pater, sed nutriendus, præcipuè cum crescente virtute in filiis, decrescat in patre. Dicendum, quòd non sunt relinquendi parentes, cùm nec ope amicorum, nec opibus propriis habeant, quid faciant. Iste autem Zebedæus licet diues non fuerit, tamen secundum suum statum habuit solatia vitæ, vnde viuere posset, & hoc sufficit. Non enim tenemur delitias procurare parentibus, quæ nobisipsis prohibentur.

Secuti sunt eum.

Ecce perfectio obedientiæ. 4. *Reg.* 2. Viuit Dominus, & viuit anima tua: quia non derelinquam te. 1. *Paralip.* 12. Tui sumus, o Dauid: & tecum erimus filij Isai: pax tecum, & pax adiutoribus tuis. Te enim adiuuat Deus tuus. Dauid manu fortis & aspectu desiderabilis, Christus est in pugna fortis, in gloria, in aspectu desiderabilis. Isai autem Domini salus. Et est ille, qui est salus patris, missus in mundum, cuius sunt, sequentes Christum; pacem ad se, & ad proximum, & ad Deum inuenientes in ipso. Sic ergo dictum sit de vocatione ministrorum.

Et circuibat IESVS totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni.

Hic incipit pars illa, in qua prælibat modum Euangelij, & effectum. Habet autem paragraphos quinque. In quorum primo prælibatur huius doctrinæ modus: in secundo autem prælibatur modus, per quem probatur veritas eius: in tertio prælibatur modus ex parte prædicantis: & in quarto ponitur modus probationis in particulari: in quinto autem & vltimo ponitur propritus eius effectus. Et hæc patebunt per ordinem in litera. Primò autem prælibat modum ex parte Prædicatoris, & ex parte loci doctrinæ, & ex parte ipsius doctrinæ: Et sic tria dicuntur.

De modo ex parte Doctoris dicit.

Circuibat

Circuibat. IESVS totam Galilæam.

Non enim in vno loco sedere debet Doctor Euangelij, sed inferre auribus vniuscuiusque. Propter quod missi dicuntur prædicatores. *Romanorum. 6.* Quomodo prædicabunt, nisi mittantur: *Prouer. 6.* Discurre, festina, suscita amicum tuum. Modum autem ex parte loci tangit, cùm dicit.

Docens in Synagogis eorum.

Hoc est, in loco publico & solemni, non in angulis & foueis: sicut hæretici faciunt, *Matth. 10.* Quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Matth. 26.* Quotidie apud vos eram in templo docens, &c. Deinde tangit modum ex parte Euangelij, cùm dicit,

Et prædicans Euangelium regni.

Euangelium, Bonum enim nuncium, quod conducit ad regnum. Et ideò & annunciatiuè & exhortatiuè, ita quòd ad regnum conducat, debet prædicari & doceri.

Et sanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo.

Ecce modus probationis in vniuersali per miracula: quæ sunt curationes infirmitatum, quia figurantur (aliàs figurant) curationes animarum. Et ideò dicit.

Sanans omnem languorem.

Languor enim est affligens cum destitutione corporis.

Et omnem infirmitatem.

Infirmitas est defectus corporis, vel membri siue calor febrilis: per quam corpus, vel membrum non est in naturali & propria sua valetudine, sicut ostendit ipsum nomen. *Iere. 17.* Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero. *Psalm. 106.* Misit verbum suum & sanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum. *Sap. 16.* Non herba, neque malagma sanabat eos, sed sermo tuus, qui sanat omnia.

Et abiit opinio eius in totam Syriam.

Ecce modus, qui supponitur in prædicante, quòd sit bonæ opinionis. Et dicit duo: celebritatem, & famæ latitudinem. Celebritas notatur in hoc, quod dicit.

Abiit.

Quasi continuè vadens propter celebre nomen ipsius. Latitudinem autem tangit, cùm dicit.

Per totam Syriam.

Quæ erat maior, quàm Iudæa, coniuncta Iudææ. 1. *Timo. 3.* Oportet ipsum & testimonium habere bonum ab his, qui foris sunt: vt non in opprobrium incidat. Et hic modus differt ab eo, qui priùs habitus. Qui priùs habitus, erat Prædicatoris in actu prædicandi; hic autem est, qui in Prædicatore supponitur, quòd prouideat bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus, *Rom. 12.* Et quòd curam habeat de bono nomine, vt sicut dicitur *Eccl. 43.* Memoria Iosiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarij: in omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria.

Et obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos: & curauit eos.

Hic tangitur modus probationis in speciali. Et tangit tria: Primum est vniuersalis curatio omnium oblatorum: & hoc tangit, cùm dicit.

Et obtulerunt ei omnes malè habentes.

Quacumque infirmitate detinerentur. Et hoc est, quod sequitur.

Variis languoribus & tormentis comprehensos.

Et est languor dictus quasi longus angor: quando homo paulatim destituitur viribus & substantia cum corporis grauitate. Tormentum autem est, quando est aeris ad sensum vexatio, vel afflictio. *Eccl. 10.* Languor prolixior grauat medicum: breuem languorem præcidit medicus. Deinde subinfert duas species afflictionum grauiores: Et illæ sunt aut à principio extrinseco, aut intrinseco. Si ab extrinseco; aut hoc est extrinsecum loco & subiecto, & si sit intrinsecum per effectum: & sic sunt.

Lunatici.

Aut est intrinsecum subiecto, & non loco: per effectum, quem imprimit vexans: & sic sunt.

Dæmoniaci.

Si autem est intrinsecum per causam coniunctam naturalibus: tunc sunt.

Paralytici.

Febres autem, & aliæ infirmitates importantur per languores & tormenta.

Et curauit eos.

Act. 10. Pertransiuit benefaciendo, sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo.

Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli: & de Ierosolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.

Istud est effectus, siue vtilitas, vt homines sequantur Deum. Et hic tangit duo: Multitudinem videlicet sequentium, & diuersitatem Multitudinem tangit, cùm dicit.

Secutæ sunt eum turbæ multæ.

Et tangit 4. quatuor causas, quibus diuersi sequebantur Christum. Alij enim sequebantur propter celeste mysterium, vt Discipuli; & alij ob curationem infirmitatum: alij solâ fama & curiositate experiri volentes, si essent vera, quæ dicebantur de illo: alij per (aliàs propter) inuidiam volentes eum accusare; & in aliquo capere. Differentias autem sequentium tangit.

De Galilæa, &c.

Per quos significantur transmutationes de vitiis ad virtutes.

Et Decapoli.

Per quos significantur instruendi in decem præceptis legis moralibus (aliàs moralis) quia Decapolis fuit prouincia, in qua erant decem ciuitates.

Et de Ierofo.

Per quos significantur per contemplationem studentes ad visionem æternæ pacis.

Et de trans Iordanem.

Per quos significantur hi, qui relicta pompa mundi, descendunt humiliter ad contemptum mundi & suipsorum. *Apocal.* 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus, & linguis stantes ante thronum. *Ioan.* 12. Ecce mundus post ipsum abit. *Isa.* 45. labor Ægypti, negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim; viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, hoc est, de tenebris sæculi & nigredine vitiorum, & de eloquentia sapientiæ huius mundi, qui Sabaim interpretatur: conuersi venient ad filium, & sequentur eum. 1 *Reg.* 22. Veniebant ad Dauid omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno & amaro animo: & factus est eorum Princeps. Angustia est inutilis tristitia sæculi: æs alienum, sensualitas diaboli: amaro enim animo, qui tristitiam & amaritudinem habebant de peccatis præteritis: horum enim omnium est Christus princeps & dux & liberator. Sic enim multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum. *Math.* 8. Dicit autem, quòd multi sequuntur, & non omnes: quia non omnes crediderunt; sed de qualibet differentia hominum aliqui, qui præordinati erant ad vitam. Ista igitur debet esse intentio prædicationis Euangelicæ, vt sic turbæ sequantur Christum Dominum. Et hæc de Capitulo quarto.

CAP. V.

Videns autem IESVS *turbas, ascendit in montem.*

Hic incipit instructio & illuminatio pertinens ad informationem regenerandorum. Est autem hæc informatio duplex; Vna quidem pertinens ad vitæ sanctitatem, quæ præexigitur: Et alia, quæ pertinet ad ministrorum eruditionem quantum ad regimen Ecclesiasticum: & illa sequitur. Et postea inducuntur Sacramenta Christi, dantia virtutem verbo ministrorum, & Sacramentis Ecclesiæ, sicut est Passio & Resurrectio & Ascensio: per quæ complentur omnia præcedentia, siue ad vitæ sanctitatem pertineant, siue ad dispensationem ministrorum.

Informatio igitur ad vitæ sanctitatem pertinens tangitur ab hoc loco, vsque ad 10. Capitulum. Et à 10. vsque ad 26. tangitur informatio ministrorum: & à 26. vsque in finem ponuntur Sacramenta, quæ Christus in se ipso exhibuit: per quæ implentur omnia præinducta. Hæc autem pars, quæ est de vitæ sanctitate, habet duas: Traditionem videlicet informationis, & probationem: & probatio non est nisi per miraculorum operationem, vt dicit *Petrus in Itinerario Clementis*. Et hæc prabatio incipit in 8. capitulo.

Anterior autem informatio duo continet: instructionem videlicet, & commendationem eius, qui informationem ipsam conseruat in opere: Et de ista commendatione loquitur parum ante finem 7. capituli, vbi dicit. Omnis ergo, qui audit verba hæc, & facit ea &c.

Instructio autem anterior secundum rationem moralis doctrinæ diuiditur in partes duas; in quarum prima præponit beatitudines tanquam fines, vt magis appetantur. Et posteà subiungit instructionem, exequendo eam per partes. *Ibi.* Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas.

Adhuc autem pars anterior diuiditur in tres pertes: in quarum Prima tangit opportunitatem sermonum inducendorum. Et in secunda ponit sermones beatitudinum, *Ibi.* Beati pauperes spiritu. In Tertia (scilicet quæ summæ perfectionis est) quod docuit ostendit ista maximè competere Apostolis. *Ibi* [Vos estis sal terræ.] Ex ista diuisione cuilibet patet ordo partium.

Ea autem, in qua tangitur opportunitas inducendi sermonem, habet tres paragraphos: in quorum primo tangit opportunitatem ex loco: in secundo opportunitatem ex dispositione debita docentis: in tertio ex modo docendi. Et hæc patebunt in litera.

Circa Loci opportunitatem tria dicit; causam ascensus, ipsum ascensum, & locum, in quem ascendit, Causam tangit, cùm dicit.

Videns autem IESVS turbas.

Sicut enim omnis artifex conspiciens apta suæ arti, incitatur ad operandum; & quædam irrationabilium animalium opportunitates videntes suorum vsum, feruntur ad eos: sicut equus videns planos campos, incitatur ad currendum, quod est vsus equi. Ita Prædicator videns aulas plenas desiderantium audire, incitatur ad prædicandum,

Sic ergo & Dominus videns turbas cum deuotione desiderantes verbum audire, excitabatur in montem ascendere. Excitat enim auditor studium. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis &c. *Psalm.* 44. Diffusa est gratia in labiis tuis.

Ascendit.

Ecce Secundum, quod est ascensus, docens nos ascendere per verbum suum. *Psal.* 20. Exaltare Domine in virtute tua. *Isa.* 40. Exalta in fortitudine vocem tuam, hoc est, in fortitudine virtutis fac altam vocem tuam, ad quam ascendat auditor.

In montem.

Ecce locus. Et notat tria: Se videlicet esse montem, de quo dicitur *Psalm.* 63. Mons, in quo beneplacitum

beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Donus habitabit in finem, quia diuinitas habitauit in eo corporaliter. Et quòd in montem eminentis vitæ ascendere debet Prædicator iustitiæ. *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende, qui Euangelizas Sion. Et quod ad montem, hoc est, eminentiam spiritus inuitare debeat & trahere auditores. *Iere* 31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ mons sanctus.

Sed obiicitur, quia *Luc.* 6. Vbi eiusdem sermonis ponuntur partes, non dicitur, quòd factus sit in monte, sed in loco campestri. Adhuc ibi dicitur, quòd turbis factus est: Hic autem quòd docebat Discipulos. Adhuc ibi multa omittuntur, quæ hic ponuntur. Responsio, Dicendum secundum *glo.* quòd probabilius est, quòd primò in montem cum discipulis ascenderit, & ibi sermonem, vt hic scribitur, pertractauerit Et deinde ad locum campestrem ad turbas descenderis, quædam sermonis repetierit, non omnia. Et hoc ponit *Lucas.* Vel dici potest, quòd idem sermo factus sit primò discipulis, & postea turbis. Sed Lucas quædam omiserit, quæ sciuit ante scripta fuisse à *Matth.* Alij autem quidam dicunt, quòd mons in summo sui habuit strictuam, in qua primò fuit cum discipulis: in latere autem habuit quoddam planum, in quo stabat Iesus cum discipulis & turbis. Et hoc vocat Lucas locum campestrem: & turbis & discipulis simul loquebatur; sed ad discipulos oculos dirigebat, ostendens eis maximè conuenire quæ dicebantur: & minus aliis.

Et cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.

Secundus paragraphus; & dicuntur in eo tria, quorum primum est quies docentis: secundum eorum, qui docentur propinquitas: tertium optima dispositio auditorum ad doctrinam percipiendam. Primum notatur in hoc, quod dicit.

Cùm sedisset.

Sedere enim quiescentis est: stans enim laborat; & vadens instabilis est: Et cùm laborat corpus, non potest in perfecta quiete esse animus, sed abstrahitur: & tunc non bene concipit & confert & ordinat dicenda & causas dicendorum, differentias & accidentia: communia propria; alia, quæ in dicendo considerantia.

Iacens autem est inordinatus: quia caput non sursum porrigitur; Et ideò grossi fumi & grossi spiritus & sanguis in eo multiplicantur. Quæ non adeò multiplicantur, quando sursum porrigitur: quia grossa non facilè eleuantur, subtilia autem & leuia & clara in calore & sanguine & spiritu, ad ipsum tunc quando eleuatur, deueniunt: Et hæc faciunt intellectus bonos, & memorias.

Hæc est causa, quòd cathedra ponitur Doctoribus, & thronus vel tribunal Iudicibus, quòd cathedra dicitur ædes cathechizantis, hoc est, docentis. *Arist. in 7. Physic.* dicit, quòd in sedendo & quiescendo fit anima sciens & prudens. *Psalm.* 106. Exaltent eum in Ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum. *Eccl.* 11. Sapientia humiliari exaltabit caput: & in medio Magnatorum consedere illum facit. Hinc est, quòd *Matth.* 23. dicitur. Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei &c.

Et accesserunt ad eum.

Ecce audientium propinquitas. Et est intelligenda non tam loco, quàm imitatione doctrinæ, & affectu dilectionis magistri. *Eccl* 51. Appropinquate ad me indocti; & congregate vos in locum disciplinæ. *Psalm.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini. *Deuteron.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius.

Discipuli.

Ecce tertium; optima dispositio auditorum: non enim sunt in errorem inducti peruersis Doctoribus; sed veritatis Discipuli dispositi sunt ad magna capienda. 1. *Corinth.* 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. *Ioan.* 8. Si vos manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos. *Isa.* 8. Liga testimonium: signa legem in Discipulis meis.

Et aperiens os suum, docebat eos, dicens.

Tertius est paragraphus: & dicit duo; reserationem magnorum & subtilium, & formam dicendorum. Primum notatur, cùm dicit.

Et aperiens os suum.

Et videtur tria tangere, quæ sunt necessaria ad subtilium reserationem: quorum primum est apertio explanans: Secundum, officium oris in eloquentia: & tertium, facultas ex propria sapientia. Quidam enim aperiunt, sed non ore adhibent adhibenda, sed quasi balbutientes cum Moyse impediti oris sunt linguæ. *Exod.* 4. *Isa.* 35. Aperta erit lingua mutorum. Alij sunt, qui non suum os, sed alienum aperiunt, qui verba dicunt aliorum. Et dum verba illa non perfecta (aliàs perfecta) loquuntur, quia non bene intelligunt, etiam in alios quasi clauso ore deriuantur (aliàs deriuatur,) Hæc ergo tria exiguntur, quòd aperias explanando, quòd otis eloquentis modos apponas, quòd tibi tuum officium sit, vt in potestate sapientiæ tuæ edisseras. *Prou.* 31. Os suum aperuit sapientiæ; & lex clementiæ eius. Non enim aperit os hiatum magnum faciendo; sed magna, & alta edissertendo. *Eccl.* 24. In Ecclesiis altissimis aperiet os suum: & in conspectu virtutis illius gloriabitur. *Psalm.* 80. Aperi os tuum: & ego implebo illud.

Docebat eos dicens.

Ecce forma dicendorum: Doctrinalia enim sunt, quæ secundum rationalem mentem in nobis aliquo modo consistunt (aliàs subsistunt,) quæ etiam si nemo doceret: mens rationalis illa verba bona diceret & vtilia ad vitam, sicut humilitas mansuetudo &c: quæ hic inducuntur. *Sapientiæ* 8. Sobrietatem & prudentiam docet & iustitiam & virtutem: quibus in vita nihil est vtilius hominibus. *Isa.* 48. Ego Dominus docens te vtilia; & gubernans te in via, qua ambulas.

Beati pauperes ſpiritu.

Hic incipit doctrina perfectionis: & diuiditur in octo ſtatus, quos hic docet: Et in quolibet illorum ſunt tria. Laus beatitudinis, & meritum, in quo conſiſtit beatitudo: & proportio præmij, vt magis appetatur.

Attende autem, quòd differunt virtus & felicitas & beatitudo.

Quoniam virtus eſt illud, quod in vnoquoque genere operum voluntariorum & rationabilium bonorum facit attingere optimum. Adulterari enim & fornicari & huiuſmodi, licet ſint voluntaria: tamen non ſunt rationabiliter bona per nos operabilia, ſed potiùs ratio dicit ea eſſe mala.

Vti autem delectabilibus huius vitæ, reſiſtere oppugnantibus & contrariantibus iuſtitiæ, libertati, & patriæ: ſimiliter autem communicare proximo ſecundum iura ciuilitatum: ordinare vitam ſecundum electionem conferentium ad bonum, & huiuſmodi: ſunt operabilia per nos voluntaria, & ſunt in his rationabiliter bona. Et quiſquis eſt ille habitus qui in vno quodam (aliàs vnoquoque) generum facit iſtorum optimum attingere, eſt virtus in illo genere conſiſtens. Et ideò cùm quatuor enumerata ſint, in Primo attingit optimum temperantia: In ſecundo fortitudo: & in tertio Iuſtitia: & in Quarto Prudentia. Et ſic eſt videre in omni genere operabilium per nos, quòd in quolibet vno eſt virtus vna, ſecundum quam attingitur (aliàs attingit) optimum in illo genere. Et ſic diffinit virtutem *Tullius*: dicens: Virtus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum.

Felicitas perfectior eſt virtute, quia eſt actus, ſiue operatio, quæ fit ſecundum perfectam animi virtutem. Perfectus autem animus non eſt ex vna virtute, nec ex parua conſuetudine virtutis; ſed ex virtute antiqua per conſuetudinem, & adunata cum omnibus aliis in animo. Non enim idem eſt eſſe perfectam potentiam per virtutem, & perfectum eſſe animum. Animus enim eſt ordinator totius vitæ, & motor in omnibus per nos operabilibus: continens in ſe omnem potentiam, ex qua elicitur aliquid eorum, quæ per nos habent fieri: nec eſt perfectus, quamdiu aliquid ineſt diſpoſitionis contrariæ, & quamdiu non eſt facilis effectus per conſuetudinem longam.

Propter quod dicit *Ariſto.* Quòd vna clara dies non facit vernum tempus, ſed vernum tempus facit clarior dies continuè ſuccedens claræ. Si enim clara dies faceret tempus vernum: eſſet aliquando tempus vernum media hyeme. Sic autem virtus, quæ conualuit in ſubiecto, non ſeneſcit in ſene, nec deſtituitur viribus. Sicut dicit. *Tullius In Lib de Senectute Catonis.* Quia autem omnes virtutes exiguntur ad animi perfectionem: ideò dicit, quòd vnica hirundo non facit nidum, ſed adiuta per ſociam: & ſic vna virtus animum non facit perfectum, niſi coniuncta ſit alij. Licet his duobus perficiatur animus in ſe: non tamen ad perfectionem optimorum (Sicut eſt gubernare rempublicam in ciuitatibus: & prouinciis exteriorum organicè ad virtutem deſeruientium) & ſic Infortunia contribulant felicem & impediunt: & fortunæ in ſe & in pronepotibus & coniunctis expediunt felicè ad felicitatis actum. Propter quod etiam eſt præceptum legiſlatoris, quòd officia publica diuitibus committenda ſunt: quia pauperes ea expedire non poſſunt Sic expedito animo toto, & in ſe, & organicè, ſiue inſtrumentaliter deſeruientibus ſecundum diuiniſſimum bonum vitæ, erit actus felicitatis. Cùm enim diuinum quid eſt gubernare ſe ipſum in bono hominis: diuinius eſt, quod eſt gubernare ciuitatem ſecundum bonum ciuitatis: diuiniſſimum autem eſt, quod eſt gubernatio gentes ſecundum bonum gentis, quod eſt reſpublica.

Hoc autem fit per actum prudentiæ, prout exit ab animo omni modo dicto perfecto: Et hoc modo felix eſt dictus operationem agens ſecundum perfectam animi virtutem in bono hominis, & in bono ciuitatis & gentis.

Sic autem vitium non dicitur à priuatione omnium circunſtantiarum virtutis: ſed à priuatione vniuſcuiuſuis virtutis vitium dicitur, etſi aliis non priuet: eo quòd per priuationem vnius recedit ab optimo. Ita dicitur infelix à priuatione vniuſcuiuſuis trium: maximè tamen infelix eſt, qui priuatur virtute animi. Et minus illo infelix eſt, qui priuatur felicitate operandi: & minimè, qui priuatur bonis fortunæ inſtrumentaliter felici deſeruientibus. Hunc tamen imperitum vulgus maximè vocat infelicem. Infeliciſſimus autem, qui omnibus priuatur: infelicior, qui duobus priuatur: Et Infelix, qui vno. Hæc eſt ergo felicitas.

Beatitudo perfectior eſt vtroque iſtorum: quoniam beatitudo opponitur omni ei, quod facit miſerum ſecundum aliquem ſtatum veræ miſeriæ: Et ideò ſiue ſit impediens ſtatum optimum, ſiue ſit impugnans, ſiue etiam deficiens: ſemper impedit beatitudinem, quod non eſt in virtute, nec in felicitate: quia hæc à multis & impediuntur & impugnantur, & in multis deficiunt, ſicut patebit in ſequentibus. Et ideò beatitudo potiùs eſt ſtatus perfectionis, quàm actus, vel operatio. Et beatitudo ſimpliciter & vniuerſaliter, eſt ſtatus omnium bonorum congregatione perfectus.

Nec dicuntur hic bona tantùm virtutes, ſed & omnia conferentia & tenentia in bono: & remouentia contraria iſtorum. Et licet illa bona multa ſunt & multorum generum; tamen beatitudo vnum quid eſt: quia omnia bona ſunt in ordine ad vnum, quod eſt optimum: & hoc eſt Deus. Et hæc vnio ſufficit ſtatui: quia ſtatus etiam continet multa, nec eſt ſtatus, ſed ſemper motus, & progreſſio, quamdiu non quieſcit in optimo.

Sic autem ſimpliciter & vniuerſaliter ſumpta beatitudinè, ſunt beatitudines ſpeciales & particulares ſecundum ſtatum ſpecialem vniuſcuiuſque generis optimæ. Et ſic multiplicantur hic à Domino beatitudines ſecundum ſtatus optimos in bonis meritoriis: vltra quos ſtatus non eſt procedere. Et ſi aliquando inueniatur beatus dici in ſcriptura vir ſanctus: ſecundum aliquid imperfectum hoc eſt, quod dicitur ſecundum ſpem eius, quod adhuc adipiſcendum eſt; & non ſecundum illud, in quo iam habet ſtatum.

His igitur ſic diſtinctis, attendendum eſt, quòd in qualibet beatitudine inducta, quæ octo ſunt, tria

tria consideranda sunt, præconium videlicet beatitudinis, id in quo consistit beatitudinis meritum, & præmium. De primo dicit.

Beati.

Et est Beatitudo ista laus & præconium eorum qui omnino à se excludunt impedimenta status paupertatis.

Spiritu.

Hoc est, qui ex omnibus, quæ mundus iste in diuitiis, honoribus & delitiis præbere potest, reputant esse se insufficientes ad Deum: Et ideò suam recognoscentes insufficientiam, ad Deum solum, sicut ad bonum, in quo est sufficientia, habent recursum. Et hoc est, quod habet translatio de græco facta: beati mendici.

Pauper enim est insufficiens sibi: sed mendicus est, qui omnium (aliàs omni) ope & opibus destitutus, rogat ab alio solatia inopiæ: & hanc cum erubescentes: Et ideò dico literalem esse expositionem. *Psalm.* 40. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem. Et *Psalm.* 108. Ego verò egenus & pauper sum &c. Item *Psalm.* 54. Iacta cogitatum tuum in Domino: & ipse te enutriet. Item. 1. Petri. 5. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quia ipsi cura est de vobis. *Eccl* 4. Cor inopis ne affligeris: & ne protrahas datum angustiato. Cum autem dicitur, beati pauperes.

Aliàs & hanc. *cum Chryso. & Hiero. dico.*

Spiritu.

Potest spiritus accipi æquiuocè: si enim accipiatur, dictus à spiratione corporei spiritus, tunc spiritum habere dicuntur audaces, proterui, & superbi, & arrogantes quæ omnia ex tumore cordis proueniunt, secundum quod etiam de talibus dicimus, quòd habent spiritum in naribus. Sicut etiam *Aristot.* 3. *Ethic.* inducens Homerum dicit, quòd fortes efflabant spiritum per nares, & ebulliuit sanguis. *Isa.* 2. Secundum expositionem literæ dicitur. Quiescite ab homine cuius spiritus est in naribus eius, & *Isa.* 25. Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem.

Si ergo sic accipiatur spiritus & construatur cum recto in habitudine causæ materialis: tunc pauperes spiritu, sunt destituti & se insufficientes reputantes in hoc spiritu, & illi, qui ad nihil altum se exibent, de nullo se vindicant, & in omnibus se deiiciunt: & illi sunt, qui verè suæ natiuitatis habent sensum, & sunt verè humiles, sicut dicitur, *Roman.* 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Habemus Christum pro exemplo, de quo, propter humilitatem ad nihil altum se exhibentem, nemo verum iudicium protulit, quòd esset Deus, qui ita permisit se conculcari, quòd nunquam spiritus alti, vel resistentiæ, vel fortitudinis apparuit. *Isa.* 53. In humilitate iudicium eius sublatum est. Hi sunt, qui dicere possunt illud *Psal.* 25. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. *Isa.* 66. Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, contritum spiritu, & trementem sermones meos. Propter quod etiam isti beatitudini spiritus timoris adaptatur: quia iste, pauper ad omnem altum tremit, & se insufficientem reputat.

Hæc igitur est expositio beati Augustini: & Chrysostomus etiam concordat cum ista expositione secundum aliquem modum. Sed si spiritus accipiatur non sic à spiratione, sed à ratione eius, qui est spiritus; tunc spiritus est dator vitæ, & principium, & causa vitæ. Et hoc modo Spiritus sanctus est principium primum & verum vitæ, & dator vitæ, & causa, sicut dicitur *Ioan.* 6. Spiritus est, qui viuificat; caro autem non prodest quicquam, & 2. *Corinth.* 3. Spiritus viuificat &c. *Ezech.* 37. Ingressus in ossa spiritus vitæ: & reuixerunt. *Ezech* 1. Spiritus vitæ erat in rotis. Sic ergo accepto spiritu, cùm dicitur.

Beati pauperes spiritu.

Potest construi cum re nominatiui in habitudine simul triplicis causæ, efficientis scilicet, & formalis, & finalis: sicut & omne efficiens per suam formam est efficiens, & forma & finis. Quia sic dicitur in 2. *Physic.* quòd tres causæ in vnam rem coincidunt: sed materia nunquam cum aliis coincidit in rem vnam. Si ergo sic construatur, tunc sensus est: Beati pauperes, quos spiritus facit pauperes: & est forma paupertatis eorum & finis. Cùm autem pauper sit insufficiens sibi, tunc erit sensus: Beati se videntes ex omnibus interioribus & exterioribus sibi insufficientes, non necessitate, sed spiritu hoc facientes; quorum istam insufficientiam non informat stultitia, aut vanitas, sed spiritus per charitatem: nec faciunt, vel patiuntur paupertatem nisi propter spiritum, qui finis est omnis boni. Et hæc videtur expositio esse *Hieronymi*, *Iac.* 2. Nonne Deus elegit pauperes, in hoc mundo, diuites in fide, & cohæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. *Isa.* 14. Pascentur primogeniti pauperum: & pauperes fiducialiter requiescent. *Isa.* 25. Factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno, spes à turbine in tribulatione sua, vmbraculum ab æstu. Isti enim pauperes nihil petunt in mundo, vnde sufficiant, nec recognoscunt in se ipsis, vnde ad aliquid sufficiant altum, vel vindicando, vel intendendo, vel aliquo modo se sufficientes ostendendo, semper dicentes cum Apostolo, 2. *Corinth.* 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sufficientia nostra ex Deo est. Isti igitur sunt.

Beati pauperes spiritu.

Et patet ex prædictis, quòd status altissimus est beatitudo ista, quia (aliàs quæ) consistit in abdicatione omnium eorum (aliàs rerum) siue sint interiora, siue exteriora, ex quibus aliquis vane se putat sufficere sibi: à paupertate autem denominatur. Quia, sicut dicunt *Tullius & Augustinus in* 1. *Confessionum.* Diuitiæ sufficientiam promittunt; cum tamen secundum Apostolum sufficientia ex solo summo bono sit, in omnibus sufficientiam exhibenti. 2. *Corinthiorum.* 3.

Quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Hic tangit proportionem præmij respondentis: & dicit tria: Rationem congruitatis præ-

mij

mij ad meritum, & præmium, & præmij nobilitatem. Congruitatem tangit, cùm dicit.

Quoniam ipsorum est.

Quia congruum est, quòd insufficientiam omnia creata recognoscentes, sufficientiam in Deo accipiant: sicut econtra sufficere sibi temporalia reputantes, in extrema futuri sint egestate. *Apoc.* 3. Dicis, quoniam diues sum, & nullius egeo: & nescis, quia miser es, & miserabilis, & cæcus & nudus, & pauper, *Apoc.* 18. In vna die venient plagæ, & mors, & luctus, & fames, & igni comburetur. Sicut autem per ea, per quæ peccat quis, per ea & punietur; sic etiam in his, in quibus meretur quis per congrua illis, remuneratur. Et dicitur. *Lu.* 12. Nolite timere pusillus grex: quoniam complacuit patri meo dare vobis regnum.

Regnum.

Est sicut ex superiùs dictis accipitur, in quo habetur sufficientia regiminis. Illa autem sunt tria, quæ in hoc dant sufficientiam: quorum primum & principale est habitus legum & consiliorum, & scientia distributionis officiorum, & omnis bonæ ordinationis ad regnum pertinentis. Secundum est potestas stans & non nutans, quæ in se inconcussibilis, & contrafacientes conterere possit: tertium est diuitiæ, organicè subseruientes, & amici, & subditi: quæ omnia exteriora bona vocantur. Et hæc tria conferuntur veris pauperibus, in quibus sufficiant. Primum enim debetur ex hoc, quòd in se non inuenerunt, vnde sufficerent, sicut dicitur. *Job* 6. Ecce non est mihi auxilium in me: necessarij quoque mei recesserunt à me. Secundum autem debetur eis ex destitutione proprij spiritus, quo nihil vigoris & audaciæ in se recognoscentes, nulli restiterunt, omnia trementes & pauentes, & ad nihil altum exhibentes se. Tertium autem debetur eis, eo quòd in nullo exteriorum quærebant sufficere. *Apoc.* 5. Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes: & regnabimus super terram, Ideò pauperum pauper & Rex, & præmiator Christus. *Matth.* 26. Coram Pilato professus est se esse Regem: & tamen dixit: Regnum meum non est de hoc mundo.

Cælorum.

Ecce præmij nobilitas. Quia cùm cæli non mutentur per inueterationem, nec marcescant, & secundum naturam perpetui sint: & sic sit in tuto, quicquid est in eis. Ideò dicitur regnum istud esse cælorum: cùm tamen regnent vbique veri pauperes, 1. *Pet* 1 In hæreditatem incorruptibilem & immarcessibilem & inconta minatam conseruatam in cælis.

Beati mites.

Secunda est beatitudo: Et beatitudo quidem, vt dictum est, notat statum altissimum in hoc genere meriti. Est autem mititas (quam quidam mansuetudinem vocant) trium graduum. Mitis enim est, qui prouocatus, etsi turbatur, tamen non abducitur à mentis ratiotione, vt aliquid perperam agat, non (aliàs nec) alium prouocat: & hæc mititas est virtus. Est etiam mitis nec prouocans, nec prouocatus, sentiens aliquam turbationem. Et hæc est mititas, quæ est animi purgati virtus, quasi heroica, vel herilis, ab altitudine animi sui per sensum turbationis (aliàs sensuum turbationem) non inclinata.

De prima dicit *Psal.* 76. Turbatus sum, & non sum locutus.

De secunda dicitur *in Prouer.* 16. Qui dominatur animo suo, fortior expugnatore vrbium est. Ille enim propriè dominatur animo, qui excellentia animi sensibus turbatis non inclinat.

Tertia mansuetudo, siue mititas est, quando ad omnia se in malo aliquo tangentia inuenitur non solum planus, sed mollis: & quæcunque tangit, non nisi molliter tangit.

Ad hoc intelligendum oportet accipere similitudinem in corporalibus. Manus enim tactus, qui est impulsus, in duro anguloso, angulo acuto, vel angulis, si fortiter tangat inuenit læsionem vulneris.

In duro & in plano inuenit resistentiam superficiei; sed non vulnus; quia durum est quod resistit tangenti, sicut dicit *Philosophus.* In molli autem non bene infuso, non inuenit aliquid istorum, & in profundum non penetrat, & tactum non circunstat manum tangentis, sed cedit (aliàs cadit) in seipsum. In molli verò penetrato per humidum infusum, nec vulnus facit, nec resistentiam inuenit, nec impedimentum profundationis: quia statim tactum circunstat manum tangentem adhærens ei, mollificans eam. Et est de quatuor in moribus, Quia immitis resistit quasi angulus acutus profundiùs secans manum tangentis, quàm tangatur ab ea.

Mitis autem in primo gradu virtutis sensu turbationis, & si nihil contra agat: tamen nocumento resistit, & à se expellit, licet in alterum non intorqueat. Mitis verò in secundo gradu, nocentem quidem tangit, molliter recipit: sed in profundum tangi non potest: quia cedit, & non adhæret tangenti vndique.

Sed mitis hic dictus est, qui tanto spiritu pietatis infunditur, quòd tactus à nocente statim locum dat, vt in profundum tangat vitam & res, & si vult, auferat: nihil contra faciens, sed etiam pietatem benedictionis & obsequij respondens (aliàs rependens) Propter quod etiam spiritus pietatis illi attribuitur magnitudini, quæ (aliàs qui) humore pietatis sic tangentibus adhæret, vt eos ad pietatem remolliat: quia pietas, vt dicit *Tullius*, est beneuolentia in parentes; sed in donis Spiritus sancti Pietas est beneuolentia in omnes, sicut si sint parentes, Hæc est vna pars mititatis principalis.

Alia autem pars est, quòd sicut non tangitur, vt dictum est: Ita nullum penitus in malo exasperans tangit. De hoc dicitur, *Nume* 12. Erat autem Moyses mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram. Et de Dauid *in* 2. *Regum.* 23. Ipse quasi tenerrimus ligni vermiculus. Hic enim vermiculus ita est mollis, quòd non sentitur duities sub digito tangentis, nisi sentiatur per motum. Hæc autem mititas status est potiùs, quàm aliquod vnum opus;

æqui: in quo homo omnia, quæ mollescere faciunt animum, sic collegit, & ad manum habet, quòd nunquam exasperatus, vel induratus durè aliquid tangit: nec econtra tactus durè aliquid duritiei ei respondet (aliàs rependit) Et ideò oportet eum priùs esse spiritu pauperem; quia sicut diximus, pauper spiritu duritiei aliquid exhibere non sufficit. Et ideò Christus se huius meriti magistrum facit, *Matth.* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Eccl.* 3. Fili in mansuetudine opera tua perfice: & super omnem gloriam diligeris. 2. *Timoth.* 2. Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Item. *Tit.* 3. Admone illos neminem blasphemare: non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem. 1. *Petri.* 3. Absconditus homo cordis quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Domini locuples.

Quoniam ipsi possidebunt terram.

Hic tria notantur: proportio præmij, cùm dicit.

Quoniam ipsi.

Et præmium, cùm dicit.

Terram.

Et modum habendi, cum dicit.

Possidebunt.

Congruum enim præmium semper dat Dominus, sicut dicitur *Isa.* 3. Dicite iusto, quoniam bene: quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Præmium notat, cùm dicit.

Terram.

Et hoc multipliciter exponunt Sancti. Dicit enim quædam Glosa, quòd triplex est terra, quam gerimus, quam terimus, & quam quærimus.

Et datur nobis possessio omnium istarum terrarum. *Chrysostomus* tamen dicit, quòd intelligitur de terra, quam quærimus; de qua dicitur in *Psalm.* 26. Credo videre bona Domini in terra viuentium.

Et hæc est cælum, vbi habitabunt sancti in gloria: quia licet cælum sit respectu terræ, in qua habitant morientes: tamen terra dicitur respectu superioris cæli, in quo Trinitas habitat; quod dicitur cælum Trinitatis. Omnibus his relictis in [illegible], quæ dicta sunt, videtur mihi dicendum quòd terra hic dicitur non ab eo, quod terra vocatur: sed [illegible] à proprietate, quæ nomen imponitur [illegible], à terendo. Quia enim omni terenti [illegible] subijcitur: iustum est, vt omne terens [illegible] sibile in præmium suscipiat.

Ita quòd terram de cætero teneat, & tritam in potestate habeat: vt non possit amplius de cætero; & cum Deo terat omne, quod obstat. *Isa.* 58. Sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui. *Deuter.* 11. Vos transibitis Iordanem, vt possideatis terram, quam Dominus Deus daturus est vobis.

Possidebunt.

Possessio in iure vocatur quasi pedis positio: & id possidetur, quod sine contradictione ad nutum mites habebunt. *Iob.* 22. In fortitudine brachij tui possidebas terram: & quasi potentissimus obtinebas eam. *Psal.* 36. Inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius. *Genes.* 28. Deus det tibi benedictiones Abraham & semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tuæ.

Beati, qui lugent.

Hic iterum secundum modum præcedentem tria inducuntur. Præconium, & id, in quo est præconium: & causa, quæ est meritum proportionatum. Est autem beatitudo, sicut determinatum est, potiùs status, quàm actus, vel operatio. Luctus autem, sicut *glo.* dicit, potest esse pro peccatis. Et hic non est beatitudo; sed vocatur irriguum inferiùs, pro quo suspirauit Axa sedens in asino corporis, & vadens ad spiritum sicut ad meritum. *Iudic.* 1. Est etiam luctus pro dilatione cælestis patriæ, & incolatu miseriæ: & vocatur irriguum superius, sicut dicitur *in Psalmo* 119. Heu mihi! quia incolatus meus, &c. Hic autem secundus luctus habet gradus: quia est luctus pro causa dilationis patriæ, quæ est, quòd peccatum non est emendatum: & hunc habent multi. Et est luctus pro ipsa dilatione, eo quòd omne, quod non est Deus, venit in tedium ei, qui ex corde dicit illud *Psalm.* 72. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?

Et hic habet vnum gradum istius beatitudinis. Et secundus gradus eius est, quòd tangitur dolore cordis intrinsecus, pro eo, quod iustitiam regni Dei in terra à malis contemni conspicit; sicut dicit, *Psalm.* 118. Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. Tertius gradus est ex gustu internæ dulcedinis, & eius memoria in [illegible], quod temporaliter [illegible], & hic talis luget in omni tempore præsente malo, propter [illegible], & præsente malo, propter memoriam internæ dulcedinis, & in vita tota, propter incolatus prolongationem. *Ierem. cap.* 14. [illegible] plangam [illegible]. *Isa.* [illegible] Amaritudine [illegible], suspiro, & [illegible] aquæ, sic rugitus meus. *Psalm.* 136. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur Sion. *Isa. cap.* 22. Nolite incumbere super me, vt consolemini me super vastitate filiæ populi mei. *Isa. cap.* 33. Angeli pacis amarè flebunt.

Quoniam ipsi consolabuntur.

Duo tangit [illegible] proportionem [illegible] ... [illegible]

Ipsi.

31. Quiescat vox tua à ploratu, oculi tui à lachrymis : quia est merces operi tuo, ait Dominus

Consolabuntur.

Consolatio illa est, semper cum Patre in patria esse, & nunquam videre iustitiam occumbere : tantum internæ consolationis habere, quòd causa luctus nunquam surgere possit. Et hoc est, quod manus consolantis Dei terget lacrymas. *Apocalyp. Vigesimo primo.* Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis faciei : & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra quæ prima transierunt. *Isa. vit.* Gaudete cum ea gaudio vniuersi, qui lugebatis super eam : vt sugatis & repleamini ab vberibus consolationis eius : vt mulgeatis & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. Et *ibidem.* Quomodo si cui mater blandiatur : ita ego consolabor vos : & in Ierusalem consolabimini, videbitis & gaudebit cor vestrum. *Psalmo Nonagesimo tertio.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. *Isa. quinquagesimo primo.* Consolabitur Dominus Sion : & consolabitur omnes ruinas eius. Et *Ibidem.* Ego ipse consolabor vos.

Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam : quoniam ipsi saturabuntur.

Hic tria sunt sicut & in præhabitis. Sed attendendum, quòd Iustitia dicitur duplex; specialis, & generalis. Specialis est, quæ est ius suum reddens secundum rationem : æqualis inter plus & minus; damni & lucri in distribuendis, & commutandis : sicut dicit. *Aristoteles in quinto Ethicorum.* Commutans enim cum aliquo in aliquo contractu, & putans se esse deceptum & esse in damno : & ita minus habere quàm valeat res, quam emit, vel vendidit, venit ad iudicem : & ille audiens aduersarium, æstimat per rationem, æqualitatis valorem rei, & aufert ab eo, qui plus habet in lucro : & addit ei, qui minus in lucro, & plus habet damni. Similiter autem si aliquid sit distribuendum, iudex stipendia distribuit pro merito & dignitate vniuscuiusque. Hæc est ergo iustitia specialis.

Generalis autem iustitia est dicta dupliciter. A generalitate eius, quam iustitiæ facit : & à generalitate ipsius iustitiæ. Generalis iustitia priori modo dicta est, quæ in debitum & rectum statum ponit totum, quod est in homine respectu interiorum & exteriorum. Interiorum quidem : Vt ratio imperet : & sensualitas imperetur : & corpus subdatur : & omnis animæ vis : & omne membrum corporis debitè perficiat opus suum, in proprio gradu consistens, & ordinem suum non confundens. Iustitia autem generalis secundo modo dicta est, vt dicit *Aristoteles*, omnis virtus, prout accipitur vt legi concordans. Omne enim quod lege præcipitur, & ad legis eruditionem (alias ciuilitatem) ordinatur : & legis ordinem consequitur : Iuris, & recti, & debiti habet nomen generalis Iustitiæ. Non ergo est beatitudo iustitia vno modo dicta, sed in omni modo dicta iustitia. Sicut dicitur *Luc. primo* Erant autem ambo iusti ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela. Sine querela autem non essent coram Deo & hominibus : nisi iustitiam omni modo dictam obseruassent.

Adhuc autem aliud est facere iustitiam, & aliud est facere iustitiam iustitiæ modo, & aliud est appetere facere iustitiam, & aliud est iustitiam esurire & sitire. Facere enim iustitiam potest qui ex timore pœnæ, & facit eam inuitus : & ideò non facit eam bene. Dicit enim *Augustinus.* Quòd nemo inuitus bene facit, etsi bonum est, quod facit.

Iustitiam iustitiæ modo facere, est cum gaudio ex habitu iustitiæ facere : & hoc est bene facere. Sicut faciunt iusti qui iustitia Cardinali sunt iusti : & hi non sunt boni bono gratiæ necessario. Appetere autem iustitiam plus est : quia appetens iustitiam requiescit in iustitiæ operibus propter bonum. Et hæc melior est, præcipuè si appetit iustitiam, quæ est ordinata lege diuina. Sed esurire & sitire iustitiam est non quiescere nisi operando iustitiam : & affligi, si non fiat iustitia : & refici sicut in sagina & conuiuio, quando iustitia fit per eum. Et hæc ad beatitudinem pertinet sola.

Adhuc autem aliud esurire iustitiam est, & aliud sitire eam. Quia esuritur quod comeditur : Et hoc masticatur diuisum & contritum dentibus : vt vndique à natura sugi possit interiùs : quia propter hoc natura dentes instituit. Licet autem istud sic cibet & instauret vitam : sic vt corpus quoddam & membra corporis huius : tamen sicut cibus non per se fluit & currit ad membra, nisi habeat vehens, & se portans humidum : cuius desiderium est sitis.

Ita etiam sunt rationes iuris & sapientiæ, quæ rationes vehunt & portant iusta : ex quibus construitur & nutritur totius bonæ vitæ corpus. Desiderium igitur feruens ad iusta, nutrientia membra vitæ bonæ, est esuries. Desiderium rationum iuris & iustorum, est sitis. Homo ideò rationalis est, vt non tantum agat bonum, sed etiam ex ratione sciat, propter quid & qualiter agendum est : quia aliter ageret, sicut comburit ignis. Et ideò dicit *Tullius*, quòd virtus est in modum naturæ rationi consentaneus habitus.

Hæc ergo est beatitudo viri perfecti : vt ferventi, & quiescere non valenti desiderio desideret iustum & iustitiæ rationem, secundum quod ipsum est in omni recto, [illegible] operantem : & in omni legi (alias lege) congruum : & omni, qui viuit Deo & homini, superiori & inferiori, & æquali, quod suum est, reddens : & sequens [illegible] in omni [illegible] contrahens [illegible] & distribuens [illegible].

Et ideò dicit [illegible] quod iustitia [illegible] fortitudinis [illegible] ad tot [illegible]

Sicut & beatitudo præcedens de luctu, indiget spiritu scientiæ : quæ (alias qui) docet conuersari in medio prauæ & peruersæ nationis, in quibus multa materia (alias malitia) & causa luctus inuenitur. De hac igitur esurie & siti iustitiæ dicitur *Ioan. 4.* Meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei, & vt perficiam opus eius. *Iob 29.* Iustitia indutus sum : & vestitus sicut vestimento. *Prouerb. 21.* Qui sequitur iustitiam, diligetur à Domino. *Sapien. 6.* Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia. Cura ergo disciplinæ dilectio est : & dilectio custodia legum ipsius : custoditio legum, consummatio incorruptionis; incorruptio autem proximum facit esse Deo. *Sapien. 15.* Nosse te est consummata iustitia : & scire iustitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis. Hæc est enim sitis *Psal. 62.* Sitiuit in te anima mea : quàm multipliciter, &c.

Quoniam ipsi satu.

Satiari iustitia est eo modo, sicut Iustitia est & in mente diuina, & voluntate diuina : omnis nostra inflexibiliter ab ea imprimi & informari, sicut dicit *August. in 8. De Trini.* Hoc enim est chaos magnum, quod sanctos compassionis gressu non permittit transmeare in infernum : quia omnino concordes iustitiæ Dei facti, non possunt non gaudere de hoc, in quo iustitia Dei præualet. *Psal. 57.* Lætabitur iustus, cum viderit vindictam : manus suas lauabit in sanguine peccatoris. *Psal. 16.* Satiabor, cum apparuerit gloria tua. *Isa. 65.* Ecce serui mei comedent, & vos esurietis : Ecce serui mei bibent, & vos sitietis : Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini : Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis : & vos clamabitis præ dolore cordis : & præ contritione spiritus vlulabitis. Comedere enim seruorum, est refectio iustitiæ : Et bibere eorum, est saturari lympidis rationibus iuris, quibus vindicabitur in malos. *Isa. 55.* Audite audientes me, & comedite bonum : & delectabitur in crassitudine anima vestra.

Beati misericordes.

Ista iterum beatitudo consistit in tribus, sicut patet per antedicta. Sed attendendum est, quod misericordia est multiplex. Est enim quædam quæ alienæ miseriæ ex compassione [illegible] & hæc est misericordia [illegible] quam Sancti [illegible] hæc imperfecta est ad [illegible] misericordia, quæ [illegible] (alias [illegible]) sine boni [illegible] cordis affectu, & operis effectu [illegible] quæ est misericordia, quæ [illegible] [illegible] Math. [illegible] Estote ergo misericordes, quia & Pater vester misericors est, qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos [illegible] [illegible]

sentiens non solùm miseriam pœnæ, sed etiam cuiuscunque defectus, qui statum impedit gloriæ : Incipiens à se, & ambiens omnes, quos quicunque defectus impedit ab hoc, quòd Deo & bono diuino perfrui non possunt.

Et hæc est perfectissima habens tria. Quorum vnum est, quòd curat in se defectum & congregat cor expeditum à defectibus ad Deum; *Ecclesiast.* 30. Miserere animæ tuæ placens Deo : & contine & congrega cor tuum in sanctitate iustitiæ. Secundum est, quod in omnibus sentit & emendat defectus, non solùm pœnæ, sed etiam miseriæ à Deo retrahentis. Et illa est misericordia simul & miseratio : de qua *Iob. 6.* Qui tollit ab amico misericordiam, timorem Domini derelinquit. *Prou. 21.* Facere misericordiam & iudicium magis placet Deo, quàm victimæ. *Ecclesiast. 16.* Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum. Tertium est, quòd hæc misericordia omnia misera reputat, quæ non beatificant, semper suspirans pro sua & aliorum miseria : dicens illud *Psal. 41.* Quando veniam & apparebo ante faciem Domini mei ? sciens quòd miseros facit populos peccatum. *Mich. 6.* Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, quid Deus requirat à te : Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare te cum Deo tuo. Iudicium enim facere, est rectè iudicare de bonis & malis, quæ beatificent, & quæ miserum faciant. Et misericordiam facere, est miseriam huius pati & abolere, quantum fieri potest : & tunc expeditus est animus, vt solicitè ambulet ad Deum. *Iac. 3.* Quæ desursum est sapientia, plena est misericordia & fructibus bonis. *Osee. 6.* Misericordiam volo & non sacrificium : & scientiam Dei plus quàm holocausta.

Patet autem ex dictis, quòd iste est status altissimus in hoc genere, non in vno, sed in multis, in ordine ad vnum consistens & perfectus. Et licet misericordia videatur pati miseriam, & sic beatitudini contraria (alias contrariam) tamen quia non patitur eam nisi abolendo, & ad statum beatitudinis tendendo, ideò beatitudo est & vocatur. Et hoc modo dicit Dominus flentes miseriæ perpessionem abolens *Luc. 23.* Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Modo etiam, qui prædictus est, illa, quæ reputantur bona, & miseriam inducunt, maledicit Dominus vbi de eadem materia loquitur *Luc. 6.* Væ vobis diuitibus, qui hic habetis consolationem vestram. Et *Luc. 19.* Videns ciuitatem [illegible] fleuit.

Ex omnibus his patet quæ est misericordia virtus, & quæ est perfectio virtutis, & quæ est status beatitudinis eiusdem.

Quoniam ipsi misericordiam consequentur.

[illegible]

quæ quidem punit, ſed citra condignum: & minor in pœnis quàm præceſſerit malum meritum in peccatis: Et hæc miſericordia Domini ſuperexaltat iudicium Dei *Iac.* 2. quia hoc omnibus fit. Liberans autem eſt, quæ in toto liberat: deponit enim omnes iniquitates propter (alias per) pœnitentiam: & diſſimulat, ſicut dicitur *Sapient.* 2. Addit in præmio ſupra meritum bonum, quod præceſſit in opere, vel in gratia: & hæc conceditur omnibus bonis. Tertia eſt Miſericordia, quæ omnem paſſionem defectus tollit propter miſericordiam præcedentem: & omnem præſentiam defectus tollit propter præcedentem miſerationem: & omnem ſtatum miſeriæ conuertit in beatitudinis æternæ fructum: Et hæc eſt, quæ debetur miſericordiæ beatitudini. De qua dicitur in *Pſalmo* 111. Iucundus homo, qui miſeretur & commodat: hic enim ſecurus iam diſponit ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur. Ita enim in iudicio Dei ſunt diſpoſiti ſermones eius, quòd optimam conſequitur miſericordiam, quæ nunquam de cætero in ſenſu, vel præſentia miſeriæ permittit eum commoueri; ſicut 2. *Corinth.* 1. Deus dicitur Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Huic autem beatitudini donum conſilij attribuitur: quia ea, quæ dicta ſunt, non omnes capiunt: & non implentur ſine conſiliorum obſeruatione.

Beati mundo corde.

Munditia cordis ad plenum tribus perficitur. Quorum primum eſt ab oculis cordis peccatorum, & reliquiarum peccati purgatio. Secundum eſt cordis ab onere corporis, qualis & quantumcumque poteſt eſſe liberatio: & tertium eſt per lumen à Deo deſcendens illuminatio. Cor enim vocatur hic: noſtræ animæ intellectuale, quod eſt cordis oculus: quia dicit *Ariſtot. in Ethic.* 3. Quòd ſicut in corpore eſt oculus: ita in anima eſt intellectus. Primus ergo gradus eſt à peccati tenebris, & à peccati reliquiis purgatio: & hæc ſunt duo. De peccatorum tenebris non purgatur niſi per amarum collyrium pœnitentiæ, ſicut dicitur *Apoc.* 3. Vnge collyrio oculos tuos, vt videas. Sed à reliquiis peccati oportet eſſe multiplicem purgationem, ſecundum quòd multiplices reliquiæ ſunt.

Sunt triplices in genere reliquiæ: quarum primæ ſunt fumi, qui remanent ex peccati memoria & conſuetudine, ſicut delectationes & cogitationes prauæ. *Ierem.* 4. Quouſque morabuntur in te cogitationes noxiæ. *Iſai.* 1. Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Et propter iſtas cogitationes & delectationes, quæ in nolente homine ſurgunt, clamat *Apoſtol. Rom.* 7. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Et *Ibidem.* Scio, quòd non habitat in me, hoc eſt, in corpore meo bonum: nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio. Et *Ibidem.* Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem,

video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Hæc enim lex membrorum, quamdiu membra ligat ad illicita cogitanda, dulciter vel appetenda, non eſt à peccato purgatus mentis oculus.

Quia & ſecundum naturam oculus adhuc lipiens clarum ſolem non videt, etiamſi digito clarus demonſtretur. Hoc conqueritur *Tob.* 5. Quale gaudium eſt mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video.

Secundæ reliquiæ ſunt, obumbrationes phantaſmatum occurrentium, quæ ſunt ſimilitudines corporum ſe ingerentes, quas ex ſenſuum accipimus conſuetudine: Et iſtæ ſunt muſcæ, quæ ſe ingerentes ſedebant ſuper ſacrificium Abrahæ, *Gen.* 15. Quas Abraham abegit docens nos, quòd huiuſmodi abigenda ſunt à corde, quia talium nihil eſt in diuinis. *Ioan.* 4. Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. 1. *Corinth.* 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Iſtæ ſunt ſquamæ, quæ ab oculis Pauli ceciderunt, quando viſum ſpiritualium conſecutus eſt. *Act.* 9. Et iſta eſt albugo, ſiue pellis, quæ ab oculis Tobiæ exiuit, quando per Angelum & filium (qui filium Dei ſignificat) eſt illuminatus. *Tob.* 11.

Tertiæ ſunt reliquiæ: Ipſa viſus debilitas & diſperſio. Quia viſus noſter, ad multa ſparſus illicita, non citò coadunatur, quamuis releuatus ſit à tenebroſo velamine peccati, & à ſquamis phantaſticæ apparitionis ſpecierum & pomparum ſeculi. Et hoc ſignificatum eſt in eo, quem Dominus illuminauit. *Marc.* 8. Quòd primò antequam haberet viſum adunatum, ſparſo lumine viſus ſui, vidit homines velut arbores ambulantes. Et poſtea cum adunatus fuit viſus eius, vidit homines in propria quantitate: hæc enim viſus diuaricatio accidit ex peccato. *Prou.* 20. Oculum videntem, & aurem audientem: vtraque creauit Dominus: & ideò ſi non rectè videat, ex defectu eſt peccati.

Obumbratio etiam eſt ex inhabitatione terreni corporis, quod obumbrat & ſpeculo & veſtigio indigere facit, etiamſi non eſſet peccatum. *Sapientiæ* 9. Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem, hoc eſt, multa & magna cogitare intendentem. Quia ſi corpus non eſſet corruptibile, obumbraret quidem; ſed non tantum hoc modo. Corpus autem glorioſum, quod in reſurrectione expectamus, nullo modo obumbrabit, quia de hoc dicitur *Iob* [illegible] non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Et vitrum vocatur corpus glorioſum, quia perſpicuum eſt, & in ſe clauſum Dei gloriam non abſcondet: ſicut [illegible] colorem liquoris infuſi. Corpus igitur animale indiget veſtigio & imagine, velut gradibus tanquam ſcalis ad Deum aſcendat. Corpus autem glorioſum nihil abſcondit, quod [illegible] medium

medium inter duo, quod eſt mortale & animale deprimit. *Sap* 9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Hæc eſt cauſa, quòd etiam purgatus à peccato, *Daniel,* 7. vidit, quæ vidit in viſu noctis, & non in viſu luminis. Et ideò reuelari petit *David, in Pſal.* 118. Dicens. Reuela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.

His autem habitis, expectatur ad illuminationem oculi, lumen deſcendens triplex, quorum primum eſt gratiæ oculum aperiens, ſecundum internæ reuelationis oculum erigens: & tertium eſt theophaniæ oculum ad Deum videndum dirigens. De primo dicitur *Ephe.* 1. Deus gloriæ det vobis illuminatos oculos cordis veſtri: vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius. *Pſal.* 12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus: præualui aduerſus eum. De ſecundo dicit *Pſal.* 88. Locutus es in viſione Sanctis tuis &c. *Oſee,* 12. Ego viſiones multiplicaui eis: & in manibus Prophetarum aſſimilatus ſum. *Daniel.* 2. Eſt in cœlo Deus reuelans myſteria, qui tibi indicauit, Rex, quæ ventura ſunt. *Iob.* 28. Abſcondita produxit in lucem. De tertio dicit. 2. *Cor.* 3. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini ſpiritu. Theophania enim ſecundum *Dionyſium* eſt lumen à Deo deſcendens in animam, & viſum animæ amplians & dirigens, vt ſub ipſius luminis confortatione poſſit videri Deus, qui aliter videri non poteſt. Et ideò Theophania, hoc eſt, Dei apparitio vocatur. Sicut enim lumen in oculum [illegible] tiam viſus, vt poſſit clarè videre viſibilia [illegible] ſecundū *Platonem.* Ita eſt lumen in animas mundas à Deo deſcendens: quod percepit [illegible] cordis, & adunando perficit ad [illegible] tum ſuperni ſolis, ſicut dicit *Pſal.* 35. In lumine tuo videbimus lumen. Hi ſunt aquilæ ab acumine oculorum dictæ: irreuerberato radio ſolem ſupernum intuentes. De quibus dicitur *Iob.* 39. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet: & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus inde contemplatur eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt. Petræ ſunt ſtrmitates [illegible] micant in Sanctis: [illegible] altiſſimi ſunt virtutes Angelorum. Sed inacceſſæ rupes ſunt [illegible] bus alta [illegible] videtur [illegible] in rem proſpiciunt [illegible] eſt, quod [illegible] ſuper dicitur: quia viſio [illegible] contemplatione. Sic igitur [illegible] à tenebris peccati, à fumis reliquiarum peccati, ab vmbra corporalium imaginum [illegible] tia mundi [illegible] *Pſal.* 23. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco [illegible] Qui diligit cordis munditiam propter gratiam [illegible] de qua dicitur *Sap.* 7. Per nationes in animas ſanctas, hoc eſt, mundas [illegible]

ſert: amicos Dei & Prophetas conſtituit. Ab hoc vertice munditiæ Balaam vidit, quando dixit *Num.* 32. De ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo illum. Calculus enim ſolidiſſimus eſt diuina virtus diuini luminis radio perluſtrata. *Pſalm.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. De beatitudine iſta (alias ita) dicitur *Luc.* 10. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

Quoniam ipſi Deum videbunt.

Ecce congruitas præmij, Deum ſine medio videre & intueri. Sic enim vadunt de virtute in virtutem, quouſque videatur Deus Deorum in Sion. *Iſa.* 33. Regem in decore ſuo videbunt. Sed notabile eſt, quod dicit.

Videbunt.

Non viderunt neque vident: quia cùm Deus infinitus ſit, à nemine comprehenditur: & ideò per eum tranſiens viſio per infinita vadit, & ſemper noua inuenit: quod fieri non poſſet, ſi totus ſimul comprehenderetur. Sic enim dicitur à Sanctis. Quid eſt Deus? à nulla creatura videtur. Quia ſi quid eſt, videretur; totus ſimul comprehenderetur. Sed viſio Angeli & hominis decurrit ſuper pelagus ſubſtantiæ eius in infinitum: & ideò ſemper noua inuenit, quæ admiretur. Ipſe autem ſuiipſius eſt & viſor & comprehenſor, ſed omnis creatura quæ ſub ſua viſione eſt, eum videns, & admirans ſpeculatur: ſed non comprehendit. Et hoc eſt, quod dicitur *Iſa.* 6. Ea, quæ ſub ipſo ſunt, replebant templum: quia hæc viſio totius templi tam triumphantis Eccleſiæ, quàm militantis, eſt ſub ſua viſione. Et hoc eſt, quod dicit *Chryſoſt.* Deum, vt eſt, & quid eſt, nulla vnquam vidit creatura; & *Dionyſ.* ad *Caium* [illegible] Qui dicit ſe vidiſſe Deum, ſi cognouit quid vidit, non ipſum vidit: quia, ſi ipſum vidiſſet, quid eſt, vidiſſet & comprehendiſſet. Sed vidit aliquid [illegible], quæ ſunt ſub ipſo. Hoc eſt, aliquid [illegible] ſubſtantiæ eius Et *Auguſtinus ad* [illegible] Videre Deum [illegible] comprehendere verò [illegible] Quia igitur Deus ſic videtur, vt ad finem [illegible] Sic videtur, quod ſemper [illegible] Ipſe [illegible], qui ſe totum comprehendit [illegible] ſemper [illegible] quod [illegible] ſub aliquid [illegible] videbit. Et ideò [illegible] quod ſemper videbunt. *Iſa.* 66. Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt. Et iam patet, quare [illegible] ſpiritus intellectus attribuitur, quia [illegible] in conuiuio [illegible]

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Pax eſt multiplex. Vna quidem [illegible] ad Deum per [illegible] [illegible] *Iſa.* 48. [illegible] quaſi flumen pax [illegible] Alia eſt pax [illegible] quæ (alias quando) homo in ſe non habet [illegible] *Iob.* 5. Scies quod pacatum ſit tabernaculum tuum. Et [illegible]

Defossus humo securus dormies. Tertia est pax, concordia rationis & voluntatis, quando voluntas nihil appetit, nisi quod ratione decerminatum est: & de hac dicitur *Iob.* 27. Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. *Hebr* 12. Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. De his tribus, vt ita dicam, pacibus dicitur *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Et isti tres gradus sunt primæ pacis.

Est autem alia pax quæ perfectam facit, hoc est, format pacem, per hoc, quòd omnia interiora assimilat Deo: eo quòd quicquid est dissimile, oppugnat: & de hac dicitur *Ps.* 75. In pace factus est locus eius *Philip.* 4. Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras. Hæc autem nihil aliud est, quàm concordia cordis & corporis ad fruendum Deo quantum in hac vita conceditur: Et hæc est pax beatitudo. Sed pacem hanc non tantùm habet in se ipso, sed deriuat eam in omnes alios, quantum potest. *Colos.* 3. Pax Christi exultet in cordibus vestris. *Eph.* 4. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. 2. *Tim. vlt* Deus pacis det vobis pacem in omni loco. Hæc igitur cõcordia fruendi Deo, quando nec caro repugnat, nec spiritus dissidet in potentiis, nec Deus se subtrahit: est illa, quæ est beatitudo. Et de hac dicitur *Isa.* 66. Ecce ergo declinabo in vos sicut flumen pacem: & tanquam torrentem gloriam gentium, quam sugetis. Hæc est igitur pax, quæ est Beatitudo & pars regni Dei. *Psal.* 4. In pace in idipsum dormiam & requiescam *Psal.* 75. In pace factus est locus eius &c. Quòd autem sit pars regni Dei *Rom.* 14. Non est regnum Dei esca & potus: sed iustitia, & pax & gaudium in Spiritu sancto Et quia hæc pax est in gustu dulcedinis Dei, per quam quantum fieri potest fruimur Deo cognito. Ideò attribuitur ei donum sapientiæ: quod est Sapor diuinorum, & cognitio eorum per saporem experientiæ.

Quoniam filij Dei vocabuntur.

In duabus vltimis beatitudinibus ad contemplationem pertinentibus: (quæ intellectui & sapientiæ attribuuntur) in præmijs vtitur tempore futuro. Ibi enim dixit: quoniam Deum videbunt: hic autem: quoniam filij Dei vocabuntur. Videre enim Dei, sicut antè diximus, semper nouum est propter infinitatem mirabilium, quæ in ipso videntur, & videbuntur. Filiatio autem Dei assimilationem nostram (aliàs nostri) ad Deum importat. Et hæc perfectè non manifestabitur nisi in futuro. Et hoc est, quod dicitur. 1. *Ioan.* 1. Nunc filij Dei sumus: sed nondum apparuit, quid erimus: scimus autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est, quasi dicat, nunc quidem filij sumus per adoptionis gratiam: sed hoc, quod ex ipsa filiatione erimus in gloria filiorum, nondum apparuit: & hæc cùm apparuerit, ad similitudinem Dei nos proueher in gloria patris cælestis: & tunc videbimus eum sine medio, sicuti est & ipsa visio nos lumine diuino implebit, & filios similes patri efficiet: sicut crystallus cùm soli oppouitur, statim vt lumine impletur, similis, quasi filius solis efficitur: ita filij gloriæ similes patri cælesti efficientur in lumine patris, quo implebuntur. Vnde, *Rom.* 8. Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Creaturam vocat hominem, eo quòd est dignissima creaturarum, aliquid conuenientiæ habens cum omni creatura. Et hoc præmium paci debetur: quia etiam pax non est nisi de bono diuino omnia nostra obtinenti, & pacem deducenti in concordia & vnitate omnium virium Deo perfruentium. Sic enim in pace factus est locus eius: & illa, quæ sursum est Ierusalem visio pacis, libera est, quæ est mater nostra. *Gal.* 4. Tunc enim fines nostros quo ad omnes vires ponet pacem: & adipe frumenti æternæ dulcedinis per fruitionem nos satiabit.

Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.

Hic incipit octaua beatitudo, & illam dupliciter determinat. Primò in genere sicut alias: secundò per partes explicat eam in specie, Et hoc patet in litera. Primò tangit beatitudinis præconium. Secundò beatitudinis istius meritum: Et Tertiò beatitudinis præmium. De primo dicit.

Beati

Et videtur contrariumquia sicut dicit *glo.* Beatus, qui habet omnia, quæ vult: non autem omnia, quæ vult, habet, persecutiones patiens. Et dicendum, quòd licet pati sit miserum: tàmen pati propter iustitiam est gloriosum, & prout attingit gloriam sic, habet beatitudinis præconium, *Phil.* 1. Vobis donatum est pro Christo non solum vt credatis in eum: sed etiam vt pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc audistis de me. *Act.* 5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati,

Qui persecutionem.

Secundum est, in quo consistit istius beatitudinis meritum: & ponit duo; persecutionem & causam. Persecutionem dicendo,

Qui persecutionem patiuntur,

Sed cum ab alio quodam agere sit: & illud, quod ab alio est secundũ quòd huiusmodi, non sit laudabile, vel meritorium: videtur quòd malè ponatur in hoc beatitudo. Et ad hoc dicendum, quòd licet passio sit effectus illatioque actionis, secundũ quòd est ab agente: tamen ex parte suscipientis contingit suscipere passionem ex deuotione, & tenere cor in æquanimitate: & illæ sunt interiores actiones animæ. Et in his propter difficultatem, maximum collocatur meritum, & tantò maius, quantò secundum naturam sumus. infirmiores. 2. *Cor.* 12. Virtus in infirmitate perficitur. *Apoc.* 2. Scio opera tua, & laborem tuum, & patientiam tuam: & quia non potes sustinere malos: & patientiam habes & sustinuisti propter nomen meum.

Pro

Propter iustitiam.

Ecce causa: quia causa facit Martyrem, non pœna. Dicit autem, propter iustitiam, & non: propter paupertatem, vel mansuetudinem, vel aliud aliquod præmissorum: quia sola iustitia generalis per ambitum suæ cõmunitatis concludit in se & fidem & omnia alia bona: Vt sciamus quoniam non solùm quò (aliàs quando) fides quæritur; sed etiam quicquid partium iustitię quæratur, pro Christi nomine sustinere debemus. Est autem sensus, propter iustitiam patientis: quia si pateretur propter iustitiam facientis, & pro iniustitia patientis: pateretur sicut fur, vel malefactor, & non esset beatus. 1. *Pet.* 2. Hæc est gloria, si propter conscientiam sustinet quis tristitiam, patiens iniustè: quæ est enim gratia, si peccantes colaphizati suffertis; sed si bene facientes patienter suffertis, hæc est gratia apud Deum.

Quoniam ipsorum est regnum cælorũ.

Tribus regnum constituentibus destituuntur, qui patiuntur persecutionem. Iniustè enim iudicantur contra leges & iustitiam regni: Et sub potestate iniqua cadunt propter tyrannides eorum, qui sunt in potestate constituti: Et bonis spoliantur propter auaritiã regnantium in regno mundi. Per contrarium igitur. iustum est, vt regno cœlorum remunerentur. De primo dic 1. *Machab.* 2. Testes erunt super nos cælum & terra quòd iniustè perditis nos. *Act.* 23. Tu sedens me iudicas secundum legem: & contra legem iubes me percuti. De secundo dicit *Ioan.* 19. Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. *Dan.* 3. Tradidisti nos in manibus inimicorũ & pessimorum præuaricatorum: & Regi iniusto & pessimo. *Iob.* 9. Terra data est in manus impij: vultum iudicum eius operit. De tertio *Hebr.* 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinetis, arbitrantes vos habere meliorem & manentem substantiam. Horum igitur est regnum cælorum, sic & bonorum pauperum: quia quod pauperes faciunt voluntate in omnibus commutabilibus bonis se inuenientes deficere: hoc isti perferunt in effectu. Et ideò vnum est præmium vtrorumque. *Matt.* 11. Regnum cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.

Numerus autem beatitudinum inductarum sic habetur: quia beatitudo status est in genere optimi ad optimum ordinantis. Aut igitur ordinat optimè ad bonum, aut optimè contra malum. Si ad bonum, hoc est, aut ad commutabile, aut incommutabile bonum. Si est bonum commutabile: tunc est deficiens in seipso, & facit deficere in se confidentes: & optima ordinatio ad ipsum est per paupertatem spiritus eo modo, quo superiùs exposita est. Si autem est ad bonum incommutabile, aut hoc est secundum actionem, aut secundum contemplationem. Et secundum actionem quidem est optimus status esuriendo & sitiendo iustitiam; Si autem est secundum statum contemplationis, aut est secundum ordinationem optimam ad contemplationis obiectum, & sic est cordis munditia; aut secundum optimam ordinationem ad contemplationis finalem effectum, qui est quietatio cordis in Deo, & assimilatione ad ipsum: Et hæc est pacificatio filiorum Dei. Si autem est secundum optimam ordinem contra malum, aut hoc est malum culpæ, & sic optimus ordo est lugere: aut contra malum pœnæ: & hoc dupliciter: aut enim est in alio, & sic optimè ordinat misericordia: aut est illata in nobis, & tunc aut oppugnat naturam, & tunc ordinat mititas: aut oppugnat gratiam, quæ est in nobis, & tunc est beatitudo eorum, qui persecutionem patiuntur: &c.

Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me.

Ecce secundum vbi istam vltimam per partes exequitur: tangit autem duo, partes persecutionis, & partes mercedis: *Ibi.*

Gaudete in illa die &c.

Partes persecutionis tripliciter. Primò enim tangit partes; secundò modum; quòd scilicet mentiendo faciant; tertiò causam, quòd fiat hoc propter Deum. Partes tangit per tres differentias: Prima est.

Cum vos maledixerint homines.

Maledicta, sunt increpationes & vituperia & opprobria, & cætera huiusmodi. Hæc enim in Sãctos proferunt homines humũ sapiẽtes. 1. *Cor.* 4. Maledicimur & benedicimus. *Rom.* 12. Nulli maledictum pro maledicto reddentes. Et *Ibid.* Benedicite, & nolite maledicere. 1. *Pet.* 3. Qui cum maledicereturr, non maledicebat. *Psal.* 58. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Secundum notat, cum dicit.

Et persecuti vos fuerint.

Hoc est in Sanctis. Persequuntur, autem, qui non sequuntur, sed insequuntur, & non assequuntur tantùm, sed penetrantes quærunt tollere animam. 3. *Reg.* 19. Ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. *Exo.* 15. Dixit inimicus: persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. *Psal.* 3. Multi dicunt animæ meæ: non est salus illi in Deo eius. Tertium est.

Et dixerint omne malum aduersum vos.

Et hoc est in impositione falsorum criminum, sicut illud, quod in Ecclesiastica historia dicitur, quòd imposuerũt Sanctis, quòd comederẽt pueros hominum, & abuterentur matribus & sororibus. 2. *Cor.* 6. Vt seductores & veraces. 2. *Cor.* 4. Blasphemamur, & obsecramus. *Psal.* 49. Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum mihi hæc fecisti, & tacui. *Isa.* 57. super quem iusistis, & dilatastis os, & eiecistis linguam.

Mentientes.

Ecce modus, quòd mendaces hæc dicant, & non ex veritate. *Sap.* 10. Mendacem offendit, qui maculauerunt eum, & dedit illi claritatem æternam. *Iacob.* 3. In veritate non stetit, quia mendax est & pater eius.

Propter me.

Ecce tertium, quod est causa. Quia si verum dicat

dicat quis nó est causa beatitudinis. Adhuc si falsũ dicant, & temeritate propria, sicut homines: adhuc non est causa beatitudinis; sed si propter Deũ dicant & mentiantur: tunc est causa beatitudinis. *Isa.* 52. Iugiter tota die nomen tuum blasphematur inter gentes. *Psal.* 82. Aduersus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ *Psal.* 68. Propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam *Iere.* 15. Noli in patientia tua suscipere me: scito quantum propter te sustinui opprobrium.

Gaudete & exultate.

Ecce. tanguntur differentiæ mercedis, & tangit duo, gaudium scilicet, & causam gaudij. Gaudium autem tangit tripliciter secundum affectum, quando dicit.

Gaudete.

Quia Gaudium, vt dicit *Aug.* est diffusio animi in conceptione boni: quoad rationem, aut intellectum. Dicit.

In illa die.

Non enim dicit hoc pro qualitate temporis, vel aëris; sed quia sanctorum est in tribulatione & persecutione, non obtenebrari solem & lumen mentis. Sed quo ad corpus dicit.

Et exultate.

Quia exultatio, vt dicit *Cassiodor.* dicitur quasi extra saltatio: quia gaudium cordis proditur in gestu corporis. De primo & vltimo istorum dicit *Isa.* 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt: fugiet dolor & gemitus. De secundo autem dicitur *ob.* 23. Non enim perij propter imminentes tenebras; nec operuit faciem meam caligo.

Quoniam merces vestra copiosa est in cælis: Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.

Ecce causa, & tangit duo, causam, & causæ confirmationem. *Ibi.*

Sic enim persecuti sunt &c.

De primo dicit quod est.

Merces.

Quia meruerunt maxima difficultate certaminis: & quòd est.

Copiosa.

Propter abundantiam, quæ sufficit sibi: & quòd est.

in cælis.

Vt intelligatur inamissibilis. *Matt.* 20. Voca operarios, & redde illis mercedem. *Psal.* 126. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij merces fructus ventris. De copiositate dicit *Genes.* 15. Ego ero merces tua magna nimis. De tertio dicit *Matth.* 6. Facite vobis thesauros in cælo, vbi nec fures effodiunt, nec furantur.

Sic enim persecuti sunt.

Ecce confirmatio causæ: scimus, enim, quòd mercedem habuerunt Prophetæ. Et si sumus in simili opere & causa passionis: in simili etiam erimus retributione mercedis. *Iaco.* 5. Exemplum accipite, fratres, exitus mali & laboris & longanimitatis: Prophetas, q i vobis locuti sunt in nomine Domini. Sufferentiam audistis. *Iob.* Finem Domini vidistis. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt *Lu.* 6. Secundum hæc faciebant Prophetis patres eorum. *Act.* 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri: & occiderunt eos, qui prænunciauerunt de aduentu Iusti, cuius nunc proditores facti estis, & homicidæ.

Vos estis sal terræ.

Hic incipit adaptare specialiter Apost. & eorum successoribus omnia, quę dixit, & tangit quatuor: Primò enim tangit condimentum morum tam in morali doctrina, quàm etiam in exemplo: Secundò tangit lucem veræ sapientiæ: Tertiò munimen rationum in doctrina defensionis subditorum: Quartò & vltimò tangit modum & intentionem in docendo. Primum accipit ex similitudine salis, secundum ex similitudine lucis, tertium ex similitudine ciuitatis, quartum autem ex similitudine lucernæ. Circa Primum dicit duo: Primum est, quòd comparat Apostolos & eorum successores sali: Secundum est, quòd ostendit salis euanitè inutilitatem.

Circa primum horum dicit tria: Primò Apostolis appropriat, quando dicit.

Vos estis.

Hoc est, significatum per salis naturam, propriè conuenit vobis: Secundò in nomine salis notat proprietates per metaphoram sali conuenientes: Et tertiò tangit quid hoc sale sit saliendum, cùm dicit.

Sal terræ.

Attende autem, quòd salis materia, ex qua generatur, est terra. Quod probatur in 4. *Meth.* quia omne, quod liquatur frigido humido, de genere terræ est quantum ad materiam: sicut & & omne, quod liquatur calido, sicco, de genere est aquæ, sicut plumbum & omnia genera metallorum. Terra autem mutatur in salis naturam, quando à fæculentia lota est in humido & comburente calido sicco potiùs, quàm coagulante est exsiccata. Et ideò sal est terrestre siccum, per calidum in humido aqueo combustum; Et ideò est vicinus sapor amaro: quia amaritudo resultat agente calido comburente in terrestre siccum. Ex tali igitur materia ex calido est amarum & siccum, & ex amaro mortificatiuum est vermium, & ex sicco siccatiuum humidi putrescentis, & sic impedit putrefactionem, & per consequens impedit fætorem. Et quia inducit siccitatem & humidi destructionem & incensionem: ideò impedit generationem & terræ fæcunditatem. Et quia acumen habet ex calore adurente: ideò acuit id, cui permiscetur. Et quia siccitatem habet amaram: ideò abominabilem habet saporem, & prouocat sitim propter siccitatem: propter acumen tamen dissolutiuum est; & commixtum saporibus alijs, facit eos penetrare in linguam, & sic condit alios sapores.

Penes has igitur proprietates: doctrina morum Ecclesiasticorum Doctorum sal intelligitur: quia & calore igniti eloquii siccare debent omnem terrenum affectum, & per siccitatem mortificationis

tificationis corporis omnem destruere malum humorem concupiscentiæ carnalis, & per condimentum discretionis, delectabilem facere gustum operis, quod est secundùm virtutem: & per exsiccationem consolationis mundanæ, omnem exsiccare fæcunditatem vitiorum. Et quia exsiccanda est carnalis concupiscentia; ideò *Leui.* 2. præcipitur, quòd in omni sacrificio sal offeratur: sacrificium enim laudis est spiritus contribulatus à concupiscentia carnis exsiccatus. Quòd si etiam corpus offerimus, sicut docet *Apostolus Rom.* 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: statim subiungitur de sale: Rationabile sit obsequium vestrum: quia sancta non est, si fætens est libidine: nec rationabilis est, si immoderata, aut violenta est; sed siccata sit sale: ita vt terra vitiorum secundum doctrinam *Psalm.* 106. conuertatur in salsuginem. Et vrbes, in quibus diabolus nos expugnauit, subuersæ à spiritu sale mortificationis vermium: de quibus dicit *Iob.* 30. Qui me comedunt, non dormiunt. Et de quibus dicitur *Isa.* 14. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermes, qui sunt tentationes, & motus concupiscentiæ carnalis: & cùm hoc totus sermo eorum ita sit sale discretionis conditus, & boni exempli, quòd in gratia & ædificatione semper accepretur, & sapida faciat omnia, quæ dicuntur *Col.* 4. Sermo vester in gratia semper sit sale conditus, *Iob.* 6. Nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Omnibus autem his ita in Apostolicis viris quoad doctrinam morum suppositis.

Sciendum est, quòd sal adhuc habet naturam, quæ multis videtur mirabilis; quia per similitudinem, quam habet, extrahit alium salem: Et ideò pisces salsi, vel caro multum salsa posita in aqua recenter salsa efficiuntur minus salsa, & citiùs sal extrahitur, quàm per aquam dulcem, sicut dicitur 4. *Reg.* 2. Quòd Eliseus misit sal in aquas amaras, & sanauit eas. Et ita est in Prælato, qui in sale optimo, sale morum conditus est, amaritudinem, si qua est in subditis, extrahit facilè. Sicut etiam lignum crucis licet sit amarum: tamen in aquas missum nostrarum tribulationum, omnia nostra conuertit in dulcedinem.

Quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Duo dicit; euanitionem salis, & inutilitatem. De euanitione dicit.

Quòd si sal euanuerit.

Vanum est, vt dicit *Philosophus in* 2. *Physic.* quod est ad finem aliquem, quem non includit: Ita sal est vanum, quando putredinem non impedit, sed prouocat: quando vermibus ea, quæ salit, scatere permittit: & quando non condit, sed prouocat abominationem. Sicut Prælatus carnali concupiscentiæ subiectus. *Eccl.* 20. Homo acharis quasi fabula vana. Acharis est sine gratia, qui nullo sale sapientiæ, vel gratiæ est conditus. *Lu.* 14. Quòd si sal infatuatum fuerit, hoc est, in fatuitatem conuertitur: quia cum de moribus loquitur, qui mores non habet, fabula & fatuitas videtur. *Eccl.* 29. Ab ore fatui reprobabitur parabola. *Mar.* 9. Quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? q. d. In nullo: quia populus non condit Presbyterum: Et ideò Presbyter insulsus omninò manet insulsus.

In quo salietur?

Hic tangit inutilitates salis euacuati: & sunt quatuor; prima est, quia perit salsamentum rerum salsandarum: secunda est, quia ad nullum vsum omninò erit aptum: tertia, quia sicut abominabile erit proiectum: quarta est, quia sicut res vilis erit conculcatum.

De prima dicit.

In quo salietur?

Quasi dicat, salsamentum totius orbis peribit. Et ideò *Mal* 9. præcipitur. Bonum est sal: habete in vobis sal.

Ad nihil valet vltrà.

Ecce secunda, quia ad nullum alium vsum est aptum: sicut est lignum vitis, quando non fructificat. *Ezech.* 15. Quòd nihil ex eo fit operis. *Iere.* 22. Scribe virum istum, sterilem virum, qui in diebus suis non prosperabitur.

Nisi vt mittatur foras.

Ecce tertia inutilitas, vt tanquam res abominata foras proiiciatur 1. *Cor.* 5. Auferte malum ex vobisipsis 1. *Reg.* 16. Quousque tu luges Saul, cùm ego abiecerim eum? *Iere.* 52. Furor Domini erat in Ierusalem & in Iuda quousque proiiceret eos à facie sua 4. *Reg.* 24. Irascebatur furor Domini contra Ierusalem, & contra Iudam, donec proiiceret eos à facie sua.

Conculcetur ab hominibus.

Ecce quarta inutilitas, quia sicut res vilis conculcabitur: Sicut enim in conculcato vestigia sunt calcantium: ita vestigia dæmonum apparent in tali Prælato, quia conculcant eum. *Isa.* 28. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraym. *Isa.* 5. Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam. *Isa.* 7. Erit in pascuam bonis, & in conculcationem pecorum. *Isa.* 10. Ponam illum in conculcationem quasi lutum platearum.

Vos estis lux mundi.

Hic tangit lucem veræ sapientiæ quoad illuminationem fidei de cognitione Dei. Hæc enim sapientia vera est lux: quia lux & lumen differunt: quia lux est in prima & propria natura; lumen autem est immutatio lucis in medio. Vnde lux dicitur cognitio diuinæ sapientiæ; sed lumen ab illa resultans, cognitio est omnium aliarum scientiarum: luminaria autem hanc lucem fundentia & vasa lucis, qui à diuina sapientia acceperunt verba vitæ donare nobis, sicut dicitur *Act.* 7. *Dan.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ erunt in perpetuas æternitates. 2. *Corinth.* 4. Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ Euangelij Christi. Hoc significatum est *Exodi.* 34. Vbi resplẽduit facies Moysi ex illuminatione Dei *Philipp.* 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum

bum vitæ continentes.

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.

Hic tangit munimen rationum ſanctorum Doctorum, & refugium, quod debent eſſe ſubditis: Et tangit tria, ſimilitudinem videlicet ciuitatis, & ſitum, & euidentiam. Habent autem ſacri Doctores in docendo ſimilitudinem ad ciuitatem in duobus præcipuè, in conformitate videlicet doctrinæ, quod accipitur ex nomine ciuitatis, quia ciuitas dicitur, quaſi ciuium vnitas: Alterum eſt, in munimine ciuitatis, quod accipitur ex ciuitatis munitione. Sicut enim vna eſt fides, vna Eccleſia & vnus ſpiritus, & vnum caput, & vna tunica inconſutilis perpetuæ ciuitatis: Ita debet eſſe vna doctrina non diuiſa per hæreſes & ſchiſmata. 1. *Cor.* 1. Obſecro fratres, vt idipſum dicatis omnes; & non ſint in vobis ſchiſmata 1. *Cor.* 11. Siquis videtur eſſe contentioſus inter vos: nos talem conſuetudinem non habemus, ſed neque Eccleſia Dei. *Ambroſius.* Contentio eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris 2. *Cor.* 12. Nonne eodem ſpiritu ambulauimus? & nonne eiſdem veſtigiis? *Gal.* 1 Siquis prædicauerit vobis aliud præter id, quod prædicauimus, anathema ſit *Ioan.* 17. Sint vnum, ſicut nos vnum, ſumus: hæc eſt ergo ciuium vnitas.

Munitio autem ciuitatis eſt in duobus, in turribus, & muris. Turres autem ſunt altæ & firmæ veritatis auctoritates, quibus ſuas debent munire rationes. *Cant.* 4. Turris Dauid ædificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium; turris enim eſt faſtigium ſolidæ veritatis doctrinæ ſacræ: propugnacula expoſitiones: clypei auctoritates habentes ſigna Patriarcharum & Prophetarum & Apoſtolorum, in hoc quòd fidem eorum demonſtrant: armatura fortium ſunt reuelationes & rationes; quibus armantur ad vincendum 1. *Pet.* 3. Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. *Tit.* 1. Complectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes reuincere. *Iſa* 54. Ponam iaſpidem propugnacula tua. Iaſpis ex nitore virentis fidei ſolidam ſignificat veritatem. Munitio ex muris, ſicut dicit *Chryſoſtomus*, ſignificat munimen Doctorum, quo ſubditorum & ſimplicium ſunt refugium. *Iſa.* 26. Vrbs fortitudinis noſtræ Sion Saluator: ponetur in ea murus & antemurale. Murus enim eſt præſidium Chriſti: & antemurale præſidium Prælati recipiens iactus & impulſus arietum & machinarum, ſicut dicit *Chriſoſt.* Et ideò qui tales non ſunt, increpantur à Domino *Ezech.* 13. Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis vos murum pro domo Iſraël.

De ſitu autem huius ciuitatis dicitur, quòd eſt.

In monte poſita.

Mons autem eſt eminentia ſanctitatis in actiua, & ſublimitas ſpiritus intelligentiæ in contemplatiua. De primo dicitur *Iere.* 31. Benedicat Dominus pulchritudo iuſtitiæ mons ſanctus. *Iſa.* 2. Erit mons domus Domini in vertice montium: & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes gentes. *Pſalm.* 67. Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. *Iſa.* 40. Super montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas pacem &c. De ſecundo *Ezech.* 40. Dimiſit me ſuper montem excelſum valde, ſuper quem erat ædificium ciuitatis vergentis ad auſtrum, hoc eſt, ad regionem luminis in cognitione, & calore ſancti Spiritus in affectione. *Apoc.* 21. Aſſumpſit me in ſpiritu in montem magnum & altum. De vtriſque his montibus in *Pſalm.* 86. Fundamenta eius in montibus ſanctis. *Pſalm.* 71. Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. De euidentia dicit.

Non poteſt &c.

Omnibus enim patet ad viſum, & omnibus ad refugium. *Iſa.* 33. Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ. Oculi tui videbunt Ieruſalem ciuitatem opulentam: tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit. De ſecundo dicitur *Ioſ.* 20. Separate ciuitates fugitiuorum: ad quam confugere poſſit, qui ignorans effuderit ſanguinem.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum: vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.

Hic tangitur quarta operatio, quæ eſt in modo & in intentione docendi & regendi Eccleſias: Et ſunt hic duo paragraphi. In primo enim ponit metaphoram: in ſecundo tangit explanationem, *Ibi.*

Sic luceat lux veſtra.

In primo ponit quinque, lucernæ videlicet accenſionem: locum, in quo non ponitur: locum, in quo ponitur: vſum, & ad quos refertur vtilitas: Et hæc patent in litera. Lucernæ accenſionem innuit, cùm dicit.

Neque accendunt lucernam.

Non enim negatio refertur ad accenſionem, ſed ad totum ſequens. Lucerna autem ardens & lucens, eſt Prælatus lucens ſcientia, & ardens charitate. *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens. *Eccl.* 26. Lucerna ſplendens ſupra candelabrum ſanctum: & faciei ſpecies ſuper ætatem ſtabilem: perlucida enim debet eſſe lucerna per corporis caſtitatem, & bonæ famæ claritatem. *Luc.* 15. Accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat: quia de talibus Prælatis multi inueniuntur, qui perditi fuerant. *Sophon.* 1. Scrutabor Ieruſalem in lucernis. Locus autem vbi non eſt ponenda tangitur, cum dicit.

Et ponunt eam ſub modio.

Modius autem tria notat: in ſe enim non eſt perſpicuus, ſed tenebroſus: Et ſignificat vitam opacam tenebris peccatorum. Sed in quantitate eſt menſura quædam aridorum: & ſignificat terminis vnius gentis, vel hominis limitatam doctrinam, quæ omnibus prodeſſe debet, & poterit. Vſu autem modius eſt, quo redditur reditus agrorum: & quo ad hoc ſignificat pretium, ſub quo ponitur regnum, quod gratis eſt exhibendum. Quoad primum modius impedit lumen: quoad ſecundum cohibet: quoad tertium, vendit, & impretiabile

impretiabile ſub pretio ponit. De primo dicitur *Sap.* 17. Ignis quidem nulla vis: nec ſiderum lympidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam. De ſecundo *Iſa.* 49. Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ *Epheſ.* 3. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes. De tertio *Matth.* 10. Gratis accepiſtis, gratis date. *Iſa.* 55. Qui non habetis pretium, venite, emite abſque vlla commutatione vinum & lac. *Act.* 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quia exiſtimaſti donum Dei pretio poſſideri.

Sed ſuper candelabrum.

Ecce tertium, vbi lucerna ponenda eſt. Candelabrum autem eſt faſtigium Eccleſiaſticæ dignitatis ſignificatæ *Exo.* 25. vbi præcipitur fieri candelabrum aureum cum ſeptem haſtilibus & ſeptem lucernis. Et haſtilia quidem ſunt dona Spiritus ſancti: Lucernæ autem ſeptem illuminationes, quas debet habere, Hiſtorialem videlicet, Moralem, allegoricam, & anagogicam. Et tres per ſe, vnam per induſtriam, alteram per ſapotem diuinorum, & tertiam per reuelationem orationum. Item eſt *Zach.* 4. Vbi ſimiliter loquitur de tali candelabro. Et *Apoc.* 1. Vbi ambulantem Dominum vidit Ioannes in medio ſeptem candelabrorum aureorum.

Vt luceat.

Ecce vſus lucernæ, vt lumen ſpargat: ſine lumine enim doctrinæ & exempli eſt ſimia in tecto. *Geneſ.* 1. Poſuit luminaria in firmamento cæli, vt lucerent diei & nocti. *Eccl.* 43. Mundum illuminans in excelſis Dominus. *Baruch.* 3 Stellæ luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit eas.

Omnibus qui in domo ſunt.

Ecce quintum, ad quos refertur vſus luminis: & eſt generalis omnibus, qui ſunt in Eccleſia. Et veriùs omnibus, qui ſunt in mundo. Et ideò confunditur noua hæreſis, quæ dicit aliquos repelli poſſe ab auditu doctrinæ ſacræ. *Ioann.* 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Nullam enim ſtellarum fecit Dominus, quæ non niſi vnam partem mundi illuminaret: Et licet vna illuminet vnam partem; tamen omnes alias partes tandem præcepit illuminare. *Eccl.* 24. Doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus: & narrabo illam vſque in longinquum. *Sap.* 17. Totus orbis lympidè illuminabatur lumine ſolis, aut illis ſuperpoſita erat grauis nox imago tenebrarum, quæ erat eos comprehenſura. *Eccl.* 33. Videte, quòd non ſoli mihi laboraui, ſed omnibus inquirentibus veritatem.

Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Ecce expoſitio: Et dicit quatuor: Primò præcipit quòd lux luceat: Secundò quibus: Tertiò in quo: & quartò quo fine. De primo igitur præcipiens dicit, quòd lux luceat doctrinæ & exempli. *Pſalm.* 103. Amictus lumine ſicut veſtimento. *Prou.* 4. Semita iuſti quaſi lux ſplendens & creſcens vſque in perfectum diem.

Coram hominibus.

Ecce ſecundum, quibus debent lucere, quia hominibus *Pſalm.* 4. Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt & adduxerunt &c. *Iob.* 38. Indica mihi per quam viam ſpargitur lux, & diuiditur æſtus ſuper terram. *Iob.* 29. Splendebat lucerna eius ſuper caput meum: & ad lumen eius ambulabam in tenebris. *Ioan.* 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ.

Vt videant opera veſtra bona.

Ecce tertium, in quo potiſſimè lucere debent. *Petri* 2. Conuerſationem veſtram inter gentes habentes bonam: vt in eo, quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex operibus bonis vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis. *Rom.* 12. Prouidentes bona non ſolùm coram Deo; ſed etiam coram omnibus hominibus. *Phil.* 3. Noſtra conuerſatio in cœlis eſt. *Sap.* 18. dicitur, quòd in veſte poderis Aaron, totus erat pictus orbis terrarum, & parentum magnalia: quia nullus fuit, qui non inueniret in eo, quod imitaretur: & inſuper magna facta ſanctitatis patrum erant in eo: in quibus eum ſubditi imitari non poterant, ſed admirari.

Et glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Ecce quartum, quo fine iſta debeant fieri: quia non propriæ gloriæ intuitu, nec lucri prætextu, vel ambitionis intentione; ſed vt glorificetur pater cœleſtis, qui (aliàs quia) tales ſibi filios genuit ſuæ dignitatis in Eccleſia ſucceſſores: vt meritò dicatur Eccleſiæ illud *Pſal.* 44. Pro patribus tuis, Apoſtolis, nati ſunt tibi filij, Apoſtolorum veri ſucceſſores: conſtitues eos principes ſuper omnem terram: memores erunt nominis tui, Domine. *Iſa.* 60. Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. *Eccl.* 43. Benedicentes Dominum exaltate eum, quantum poteſtis: maior eſt enim omni laude. 1. *Tim.* 1. Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula.

Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem aut Prophetas: Non veni ſoluere; ſed adimplere.

Hic incipit agere de impletione legis: Et diuiditur in tres partes: In quarum prima docet legis impletionem: eo quòd ſpiritus implet litteram occidentem. In ſecunda docet modum impletionis per rectam intentionem: *Ibi.* Attendite, ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. In tertia huius impletionis remouet impedimenta: *Ibi* [Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire]

Prima harum partium habet duas particulas, in quarum prima in genere dicit, quòd venit legem implere: in ſecunda in particulari in quibuſdam docet qualiter lex implenda eſt: *Ibi* [Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides] Adhuc prior harum habet tres paragraphos: in quorum primo aſtruit legem eſſe implendam, non ſoluendam; in ſecundo ſimul oſtendit qualiter, & in quibus.

quibus & quo merito soluitur & impletur: *Ibi* [Qui ergo soluerit] in tertio ostendit ex comparatione ad non implentes, quantum adimplenda sit lex: *Ibi*: [Dico autem vobis nisi abundauerit, &c.]

In primo horum paragraphorum duo dicit, scilicet, se legem impleturum, & quàm sit hoc ineuitabile. Circa primum horum dicit duo; in quorum primo malam de se remouet suspicionem: in secundo verò veram de se instruit fidem. Circa primum tria inducit, remotionem malæ suspicionis, negationem solutionis, & quia soluere non venit. De remotione malæ suspicionis dicit.

Nolite putare.

Q. d. licet vos ad maiorem, quàm in lege videatur esse, inuitauerim perfectionem, per condimentum salis in Doctoribus, per altiusimæ doctrinæ fulgorem in cognitione diuinorum, per munimen ciuitatis & modum accendendi lucernam; Tamen non putetis, quòd venerim antiqua soluere, & noua, quæ in veteribus non continentur, instituere. Et hoc est.

Nolite.

Vel sic: Licet pœnitentiam prædicem, infirmos curem, in die sabbati animæ opus, non corporis perficiam, quod non est seruile, sed liberale: lepram tangam curando lepram, & sic contra legem facere carnalibus videar; tamen vos spirituales.

Nolite &c.

Aliæ autem actiones secundum *Chrysost.* sunt, quæ pertinent ad salutem animæ, vt curationes infirmitatum solo præcepto perficere, orationes, & huiusmodi, in quibus corpus ad operandum nihil laborat; tactus autem, qui non potest infici, non prohibetur in lege à tactu immunditiarum. Talis autem fuit tactus Christi, qui non immundabatur; sed potiùs munditiam ex se profudit, vt mundaret omne quod tetigit Sic igitur dicit.

Nolite.

In toto declinio (aliàs condeclinio) eius, quod est: Nolo, non vis, voluntas manet affirmata; & negatio refertur ad volitum. Vt Nolo currere, hoc est, volo non currere. Hoc modo dicit.

Nolite putare.

Putatio est hæsio animi ex inductu phantasiæ, vel sensus deceptorij. Et ideò est aliud putare; & aliud dubitare: aliud ambigere, & aliud opinari, & aliud credere, & aliud scire, aliud existimare, & aliud coniicere. Putare enim est hoc, quod dictum est: & ideò rationis est ad sensus, vel imaginationis signa reflexæ: dubitatio autem est interminatus motus rationis inter vtramque partem rationis: eo quòd ad neutrum habeat rationem: & ideò quasi quærendo interminatè mouetur. Sed ambigere, vt dicit *Boëtius in Lib. Diuis.* est ambire vtramque partem, siue ambas partes contradictionis per æquiualentes rationes: & nescire quibus consentiatur. Vnde dubitatio dicitur quasi inter duos viatio aliàs viatatio) eo quòd, b. sæpè pro, v. ponatur: sicut surperbia dicitur quasi superuia: ita dubitatio quasi duorum viatio (aliàs viatatio) & ambiguum quasi ambiuium: quia ambo ambit contradictoria. Sed opinio est, quando ad vnam partem rationes habentur cum formidine partis alterius. Et hæc formido contingit ex infirmitate rationum, quæ ad alteram partem habentur. Fides autem siue credere est, quando rationes ad vnam partem incipiunt præualere, & altera pars contradictionis quasi non timeri. Vnde dicit *Philosophus* quòd opinio iuuata rationibus sit fides. Sed hæc non est fidei (aliàs fides) virtus: sed fides, quæ est credulitas rationis. Scire autem est causam essentialem & immediatam cognoscere, & quia illius, & non alterius causa est: & quòd non contingit aliter se habere: propter immediationem causæ ad effectum. Attende autem, quòd existimare & coniicere est in alia via: quia existimatio propriè est, quando ex aliquibus pluribus signis sensibilium aliquid concipitur. Et coniicere est ex signis remotis, fallacem, sed in pluribus tenentem accipere conceptionem. Attendendum igitur, quòd inter omnia hæc suspicio putationis est debilior. Et quando de infidelitate est, tunc est quasi primus motus infidelitatis, qui propter multiplices phantasias, vel sensuum similitudines quasi non est in nostra potestate. Et ideò non prohibet apparentiam eius; sed voluntatem dicit habendam in contrarium. Et ideò sensus est: Velitis non habere putationem, quamuis fortè surgat; quia surgere talem motum, vel non surgere, non est in potestate vestra; sed voluntas est in potestate vestra: & hoc est excludere infidelitatis primum motum, *Gen.3.* Ipsa conteret caput tuum.

Nolite ergo putare.

Quasi animales inducti ex aliquibus signis corporalibus. Quia 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Sed potiùs corporum phantasias transcendentes. Videte.

Quoniam non veni.

Qui nascendo factus sum sub lege (aliàs legis) Circumcisione. *Lu.* 2. Et oblatione facta pro me in templo.

Soluere legem, aut Prophetas.

Videtur, quòd insufficienter diuidat. Quia *Hiero. in prologo galeato Li. Reg.* dicit quatuor ordines esse sacrorum voluminum veteris testamenti, scilicet. Legis & Prophetarum & Agiographorum & Apocriphorum. Adhuc autem *Lu. vlt.* dicit, quòd necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & Prophetis & Psalmis de me. Et ibi videtur ponere tres ordines: ergo hoc est insufficiens. Dicendum autem, quòd lex dicitur à ligando: quia coactiuo sermone, vt dicit *Philosophus*, ligat ad implendum ea, quæ præcipiuntur à legislatore: & sic dicitur lex mandatorum, sicut dicitur *Eccl.* 24. Legem mandauit vobis Moyses in præceptis iustitiarum. Prophetia autem dicitur largè & strictè. Largè quidem dicitur prophetia omne, quod dicto, vel facto significat aliquid de veritate futura: & hoc modo Agiographa & Apocripha continentur sub prophetia

phetia: & hoc modo sumitur hîc. Alio modo dicitur Prophetia enunciatio, diuina inspiratione facta, rerum euentus sub immobili veritate denuncians: & hoc modo sedecim Prophetæ & Psalmi dicuntur prophetia. Hoc modo non sumitur hîc. Prophetia, autem vltimo modo dicta duos habet modos. Quoniam quędam per modum laudis & hymnorum omnia congerit, quæ futura denunciant: & hoc modo Psalmi sunt prophetia: & hæc est etiam causa, quòd frequentantur in Ecclesia: quia in eis in modo laudis omnia alia, futura, præcedentia, congregantur: & sic diuiditur (aliàs accipitur) prophetia *Lu. vlt.* Alio modo dicitur prophetia strictissimo modo, per modum enunciationis, veritates futurorum immobili veritate denuncians: & sic sumitur prophetia, quoniam diuiditur in sedecim Prophetas. Patet igitur, quòd omnia, quæ sunt de futuris, continentur in his duobus, Lege scilicet, & Prophetis. De lege dicitur *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus rex noster ipse veniet, & saluabit nos. 1. *Timo.* 1. Scimus, quòd lex quidem bona est; si quis ea legitimè vtatur. De Prophetis dicit *Eccl.* 36. Da mercedem Domine, sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. De his igitur dicit: Nolite putare, quoniam veni soluere legem. Sed contra *Ephes.* 2. Legem mandatorum decretis euacuans. Ibi dicit *Glo.* hoc est, præceptis euangelicis, quæ sunt ex ratione: & ideò decreta dicuntur. Et *Idem Apost.* dicit *ad Gal.* 3. Vbi venit fides, iam non sumus sub pedagogo, hoc est, sub lege.

Responsio. Dupliciter euacuatur aliquid: vno modo à fine: & altero modo ab eo, quod continetur, vel videtur in ipso contineri. Lex ergo à fine non euacuatur, qui est Christus, & iustitia eius. *Rom.* 10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Sed ab hoc, quod videbatur in ipsa contineri, euacuata est à Christo, hoc est, vacua esse ostensa est. Salus enim credebatur esse in lege, cùm à salute sit vacua. *Gal.* 2. Scientes, quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Christi: & nos in Iesv Christo credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Non veni soluere.

Ecce secundum, vbi dicit negationem solutionis, & Affirmationem impletionis: & hoc est.

Non veni soluere.

Gl. dicit, quòd soluere est, vel non agere, quod rectè intelligit: vel non intelligere, quod deprauauit per malam assertionem, vel minuere integritatem superadditionis Christi. Soluitur enim, quod ligatum est. Lex autem dicitur à ligando: quia ligat pœnis, & præmiis ad implendum: & hoc modo non attendens vinculum legis, vel torpore, vel negligentia non considerans: & dimittens quod lex imperat, soluit legem, quo modo lex non est soluenda. Quia *Eccl.* 6. dicitur Vincula illius alligatura salutaris. *Isa.* 45. Vincti manibus pergent, teque adorabunt, teque deprecabuntur.

Sed adimplere.

Hoc est, superabundanter implere: quia minima legis addam super magna, & gratiam implendi super mandata, & intentionem legislatoris super opera, formam super informia & spiritum super literam: Et sic non solùm implebo: sed addens gratiam gratiæ, adimplebo: quia gratia & veritas per Iesvm-Christvm facta est. De paruis additis ad magna *Ioan.* 6. Colligite fragmenta, ne pereant. *Mat.* 15. Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum. De gratia addita super mandata *Zacha.* 4. Exæquabit (aliàs æquabit) gratiam gratiæ eius. *Ioan.* 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Intentionem legislatoris addit, quia impler eam, secundum quod Deus, qui dedit eam, intendit. *Ioan.* 8. Quæ placita sunt ei, facio semper. *Mat.* 3. In te complacuit mihi *Psalm.* 39. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus, volui: & legem tuam in medio cordis mei. Hic autem talis, qui legem secundum intentionem legislatoris seruat, non solum iustus, sed etiam epikeies, hoc est, superiustus ab *Arist.* in 5. *Ethi.* vocatur. De forma, quæ additur super informia, dicitur *Rom.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Et quia est forma, est finis, dicitur 1. *Tim* 1. Finis præcepti est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. De spiritu addito supra literam dicitur 2. *Corinth.* 3. Litera occidit; spiritus autem viuificat. *Ioan.* 6. Verba, quæ locutus sum, spiritus & vita sunt, hoc est, spiritualiter intellecta sunt vita.

Attendendum tamen, quòd quinque sunt in lege: moralia videlicet, & iudicialia, ceremonialia, sacramentalia, & promissa: & hæc omnia impleuit Christus.

Moralia sunt, quæ sunt de per se expetendis, vel per se vitandis imperata: quæ vbique & semper sunt tenenda: quæ ratio naturalis dictat homini, etiamsi nulla lex ea imperaret inscripta (aliàs in scripto) sicut decem præcepta, quæ sunt scripta in tabulis *Exod.* 20. Et hoc impleuit Christus ea, quæ intus erant addendo explicitè extrinsecus.

Iudicialia sunt, per quæ iudicantur homines secundum cōmunicationes contractuum, vel damnorum, vel vtilitatum, & tenentur in ciuilitate & pace: sicut sunt, de quibus dicitur *Exod.* 21. Hæc sunt Iudicia, quæ propones eis: sicut si emeris seruum hebræum, sex annis seruiet tibi: in septimo egreditur liber. Sicut de furto bouis & ouis reddendo, de lege talionis, & huiusmodi. Et hæc variabantur pro diuersitate locorum, temporum, & personarum: Et hæc impleuit Christus, duritiam eorum mitigando.

Ceremonialia dicuntur quasi munia Cereris, quæ est Dea frugum: Qui primum Saturnus, qui seminare triticum docuit, munia pro incremento frugum impendi præcepit. Et exinde translatum est nomen in omne munium siue cultum, qui diis, vel Deo exhibetur. In lege autem Ceremonialia dicuntur, quorum nulla vtilitas secundum se est ad mores, nulla ad iudicia ciuilitatum, sed totus vsus & vtilitas eorum est in significando aliquid, non in sacramentis quidem: sed circa mores hominum. Sicut illud, quod dicitur de discretione ciborum *Leuit.* 11. Et de discretione immunditiarum, & quòd non induenda est vestis lana, linoque contexta. *Leuit.* 19. & huiusmodi

huiusmodi.

Sacramentalia autem sunt significantia gratiam sacramentalem, quam nostra, sacramenta causant; & non conferentia eam. Et ideò dicit *Augustinus*, quòd totus vsus horum fuit in significando, & non in causando gratiam. Sicut est de Agno paschali, *Exod.* 12. Et de vitula rufa *Leui.* 16. & de aliis similibus.

Promissiones sunt, quæ futura promittebant sub figura terrenorum, sicut *Exo.* 3 quòd promittit terram lacte & melle manantem & huiusmodi.

Cum igitur dicat *Ioan.* 1. quòd gratia & veritas per Christum IESVM facta est, moralia implet per gratiam iuuantem ad implendum: iudicialia per gratiam temperantem seueritatem iudicij: ceremonialia per veritatem morum significatam: Et sacramentalia per veritatem simul & gratiam. Veritas enim respondet signo, & gratia sacramento. Promissa autem per veritatem sui dicti. *Hebr.* 6. Vt per duas immobiles res, quibus impossibile est mentiri Deum: firmissimum habeamus solatium, qui confugimus ad tenendum propositam spem.

Adhuc Moralia implet addendo: Iudicialia corrigendo: Ceremonialia virtutes significatas docendo: Sacramentalia sanctificando Sacramenta: & promissa in seipso per rei collationem exhibendo. Et omnibus his perfectis, dicit: Consummatum est. Et ideò *Gal.* 4 dicitur tempus gratiæ, plenitudo temporis: Et ea virgo, ex qua profunditur, gratia plena dicitur *Lu.* 1. Et sancti ex tunc pleni dicuntur, *Act* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto &c.

Sed obiicitur de litera. Primò enim dixit, quòd non venit soluere legem, aut Prophetas: & postea non repetit nisi legem, & tacet de Prophetis, cum dicit: non veni soluere legem, sed adimplere. Et quæritur quare hoc? Et dicendum, quòd Prophetæ non habent nisi promissiones futurorum, aut significationes quæ non implentur, nisi rei exhibitione. Et si sit mandatorum mentio in aliquo eorum, sicut in *Ezech.* 18. non fit hoc per modum prophetiæ, sed per modum inductionis, qua prophetia inducit legem. Et quia hic de tali impletione non loquitur, quia illa non potest fieri statim; sed de legis additione: ideò non repetit Prophetas. Sequitur.

Amen dico vobis: donec transeat cœlum & terra, iota vnum, aut apex vnus non præteribit à lege, donec omnia fiant.

Hic ostendit quàm ineuitabile sit, quin lex sit implenda: Et tangit quatuor. Primum est confirmatio veritatis in Deo: secundum confirmatio per confirmationem eorum, quæ firmissima sunt inter cætera (aliàs creata) corporalia, quæ mobiliora sunt quàm lex ab impletione: Tertium est, quòd minima legis necesse est impleri, inuens, quòd multò magis magna legis implebuntur: Quartum est, quod vniuersaliter lex implebitur. De primo dicit.

Amen dico vobis.

Hoc est verè dico vobis: & est aduerbium confirmandi neque Græcum, neque Latinum; sed relictum est Hebræum, sic & Alleluia pro reuerentia verbi, ne vilesceret nudatũ, & in aliam linguam transfusum. Aliquando autem ponitur nominaliter pro vero, vel veritate, sicut *Apoc.* 3. Hæc dicit amen testis fidelis, hoc est, verus, vel ipsa veritas, Aliquando ponitur verbaliter pro fiat, sicut *Matth.* 6. Libera nos à malo, Amen, hoc est, fiat: vnde versus.

Pro vero verè: pro fiat dicitur Amen.

Cùm ergo dicitur.

Amen dico vobis.

Idem est, ac si dicatur, verè, vel fideliter dico vobis. Nec vtitur Christus hac confirmatione propter se; sed propter infirmitatem audientium, vt sciant Deum esse immobilem.

Donec transeat cœlum & terra.

Attende, quòd sicut dicitur *Matth.* 24. Cœlum & terra transibũt: verba autem mea non præteribunt. Transitus autem iste innouatio mundi vocatur. In qua notandum est, an mũdus sit innouandus, quo innouandus, ad quam speciem innouandus: Et vtrum totus innouandus & qualiter innouandus.

De primo scias, quòd mundus est innouandus; quia necesse est in omnibus esse conuenientiam habitatoris & habitaculi. Vnde sicut mundus melior fuit in primo statu, in quo homo plantis fuisset vegetatus, quam fuerit post peccatum propter formam meliorem, quam habuit habitator mundi ante peccatum: ita in gloria resurrectionis propter eandem proportionem necesse est, quòd totus mundus induat formam gloriæ hominis respondentem. Huius etiam alia causa assignatur *in glo. Rom.* 8. Super illud; omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. Ibi enim dicitur, quòd peccatum hominis non solùm mutauit naturam hominis, sed statum omnis creaturæ deteriorauit. Et ideò quæ ante peccatum sine labore sua expleuerunt officia, post peccatum laborem habent in explendo, ex inobedientia mobilis ad motores. Et de hoc labore, cùm fiat ordinante Deo propter electos, creatura est remuneranda: & ita cùm glorificatur homo, erit etiam mundus sibi proportionabili modo glorificandus.

De hoc autem, quòd secundò quæritur, quo fit innouandus? dicendum, quòd cùm nihil agat vltra suam speciem, non potest hæc innouatio fieri per ignem solum: sed quia duo sunt termini, inter quos est motus innouationis, scilicet à quo, & ad quem: erit ignis disponens (aliàs deponens) dispositiones contrarias innouationi, Creator autem rerum & reparator rei per propagationem erit de sua luce inducens formam luminis & gloriæ innouati mundi: sicut & in corpore hominis inferior natura, quæ est Angelus, operabitur ad cinerum collectionem; & tamen superior natura inducet vitam & gloriam.

Si autem quæritur, vnde ignis habeat hanc formam actionis, cùm omnis scilicet actio sit à forma, & forma ignis non sit causa huius purgationis. Dicendum, quòd est actio ignis vt naturæ (aliàs natura) corporis cujusdam: & est actio ignis, vt instrumenti naturæ superioris mouentis & informantis ignem. Actio autem ignis vt naturæ corporis cujusdam, non est vltra permissionem

missionem suæ formæ : nec agit in aliquid, nisi quod suæ formæ communicabilem habet materiam, & transmutabile in ipsum : sed actio ignis vt instrumenti, agit secundum formam naturæ, quæ mouet & informat ipsum, sicut est videre in calore digestiuo, qui agit secundum exigentiam animæ, & non secundum naturam ignis. Et ideò quæ terminat (aliàs nutrit) & digerit, deducit non ad ignem vel cineres; sed ad speciem animatorum vt carnis & ossis, & huiusmodi. Ita etiam ignis, qui præcedet faciem iudicis, quo exuretur facies mundi, agit secundum virtutem & formam iustitiæ vindicantis : & ideò insequitur peccatum & peccati infectiones tam in mundo, quàm in inferno, quàm etiam in purgatorio. Licet enim anima & spiritus de natura sua superior sit igne & omni corpore : nec subiiciatur ei vt patiens agenti : nec habeat materiam communicabilem formæ ignis, prout ignis est natura quædam : tamen in quantum ignis agit in virtute iustitiæ vindicantis, & spiritus cadit à nobilitate naturæ per peccatum : ignis agit in spiritum & mundum purgando & puniendo, sicut dictum est : & sic remouet dispositiones contrarias innouationi.

Ex hoc habetur, quòd totus mundus non conflagrabitur, licet totus innouetur. Conflagratio enim non erit nisi in partibus, in quibus infectio est peccati ex hominum opere. Et ideò dicitur, quòd tantùm ascendit ignis, quantùm aquæ diluuij. Et quòd dicit *Pe. 2. canon. 3.* quòd cœli, qui nunc sunt, reseruati sunt igni : & quòd elementa calore liquescent : intelligitur de cœlis inferioribus aëris, & elementa liquescent deponendo infectiones peccati tam in se, quàm in elementaris, in quibus commixta sunt, & deponendo qualitates debitas generationi, quæ est secundum legem peccati : & retinendo qualitates debitas gloriæ, quas habent in conformitate ad cœlum. Et ideò quia aqua erit continuæ perspicuitatis & similiter aër turbulentus : ideò dicitur, quòd hæc transibunt : quia cœli naturam induent : non amittendo ergo substantiam transibunt; sed amittendo eas, quas nunc habent, qualitates. Licet autem terra etiam amittat opacitatem, quam nunc habet, & retineat soliditatem; tamen illa non dicitur non esse : quia superioris cælestis proprietatem non omninò induet; sed perspicua sicut crystallus innouata dicitur. Similiter intercidetur (vt dicit *Basilius*) flamma, vt calidum vstiuum detur inferno, & lucidum perspicuum remaneat superius, quia hoc congruit innouationi. Hæc tamen tria elementa vt Aër, aqua, & ignis : à diuersis sanctis dicuntur desinere esse, non quidem secundum substantiam; sed quia, vt diximus, superioris corporis induent qualitatem. Sed ex his relinquitur, quòd cœlum & stellæ luminosiora efficientur quàm modò sint. Quoniam sicut dicit *Isa.* 30. Lux lunæ erit stans plena sicut lux solis : & lux solis erit reducta vltra statum primorum sex dierum; quem habuit ante peccatum septempliciter : & lux trium elementorum erit sicut lux solis est nunc, proportionabiliter tamen, minus scilicet in aqua, & plus in aëre, & maximè in igne. Et ideò nunc quantum ad figuram non dicuntur manere nisi cœlum nouum & terra noua *Isa. 65.* & *Apoc. 21.* Licet quoad substantiam omnia maneant simplicia corpora. Sol autem, & luna, sicut dicitur *Habac. 3.* Tunc stabunt in habitaculis suis, in quibus creata sunt, & similiter aliæ stellæ : & non circumibunt : quia circumitus est ad statum generationis, qui tunc non erit.

Ad hoc autem, quod vltimò quæritur, qualiter erit ista glorificatio, siue innouatio : Dicendum, quòd nequaquam erit per rarefactionem, vt quidam malè opinati sunt, quia multa sequerentur inconuenientia : quorum vnum hic sufficit nobis, quòd oporteret ampliari locum totius mundi, vel violenter elementa comprimi ab aliquo continente ea, quod absurdum est : sed erit per separationem ignobilium qualitatum à substantia, & induitione nobilium, quòd terra deponat opacitatem, & induat perspicuitatem, & retineat soliditatem : Et aqua deponat frigiditatem & fluiditatem, & retenta lympiditate, & induta lumine, & sic de aliis : Cœlum etiam amittat motum & ampliori vestiatur lumine, & huiusmodi. Et hæc de innouatione mundi & transitu dicta sint à nobis.

De huiusmodi ergo transitu dicit Dominus.

Donec transeat cœlum & terra.

Ostendens inuitabiliter legem esse implendam.

Iota vnum.

Hic innuit ex quo minima plus habent firmitatis secundum impletionem quàm cœlum & terra, quod multò magis implebuntur maxima & maiora & magna. Tangendo autem minima, tangit dupliciter, scilicet, secundum substantiæ quantitatem & secundum particularum substantiarum quantitatem. Quantitatem tangit per similitudinem ad iota sumptam : quæ licet sit litera græca; tamen Dominus nominauit eam, & non Iot literam hebræam propter suæ figuræ minimam quantitatem continuam. Et quia decima est in ordine literarum græcarum, quæ sui ordinis numerum apud Græcos significant à prima vsque ad decem : & ideò iota decem significans decalogum significat mandatorum : Apex autem non est litera, sed appunctatio literæ superiùs vel inferiùs facta : quia mos est Hebræis appunctare literas, vt diuersa sonent. Sicut sola Aleph per diuersas appunctationes sonat omnes vocales : & secundum metaphoram significat minimas particulas mandatorum, quas omnes habet mandatum in ordine ad actum, qui præcipitur, sicut patet, quando aliquis ex odio, vel ira occidit : particula prima huius est ira, secunda maledicta & comminationes, tertia insultus, quarta verbera, quinta occisio : & adhuc præter has commotio animi, & multa alia, quæ omnia ad præceptum de non occidendo reducuntur. Et similiter est in affirmatiuo præcepto, quod est honorare parentes. Particula enim est diligere parentes, benedicere & reuerenter alloqui, assurgere, subuenire, & huiusmodi : & sic facile est videre in omnibus. Magnum igitur mandatum est, quod est de magnis sicut sunt magna omnia, quæ partes habent honestatis & virtutis.

Et tantò maiora, quantò maiorem rationem habent honestatis & virtutis. Quia, sicut dicit *Augustinus*, in his, quæ non mole magna sunt, idem est maius esse, quod melius esse: maxima autem sunt, quæ maximam attingunt partem & rationem honestatis. Et ideò quæcunque sunt in operando opus virtutis, maiora sunt quàm illa, quæ sunt in vitatione sola, vt actus peccati, quod (alias qui) secundum actum vitari potest sine virtute: & tunc euitat pœnam legis; sed non consequitur præmium à legislatore: sicut maius est mandatum honorare parentes, quàm non occidere: vel non furari: & maximum, quod est diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus *Mat.* 22. Hoc est primum & maximum mandatum. Et similiter est in legibus mundanis maius mandatum de pugnando pro libertate patriæ, quàm non furari, vel non mœchari: quia illud habet honoris magni præmium; Ista autem non habent nisi pœnæ euitationem, sicut dicitur.

Non furtum facies: non pasces in cruce corum. Parua igitur mandata ista, quæ impleri necesse est per gratiam Christi, per iota significantur: per apicem autē significatur minimæ particulæ, sicut dictum est, quæ ad eadem mandata antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter reducūtur: sicut in non mœchaberis est: non comptum & politum esse, non oculos figere, non domum frequentare dilectæ, non iocari, non loqui, non tonsorem diligere, non scapulas molliter gestare, non compositio gradu incedere, vt dicit *Cyprianus*: & huiusmodi. Hæc enim omnia parua sunt respectu vltimi, super quod cadit mandatum, vel præceptum, licet difficilius, & per fortius, & maioris gratiæ sit ea obseruare, quàm id, super quod cadit præceptum: quia difficilius est non irasci, quàm non occidere; quia per se occidere horret homo: sed irasci ita complantatum est in natura, quòd vix euitari potest: & in his tamen minimis tollitur via ad maiora in prohibitionibus: & in affirmatiuis præparatur via ad maiora: quia qui non irascitur, non occidit ex ira: & qui beneuolentiam habet ad parentes, etiam facilè subuenit in necessitate. Hæc igitur minima sunt in genere operum præceptorum, vel prohibitorum, sed maxima in obseruatione: & ideò maximi meriti sunt obseruantibus, & minimi peccati in transgredientibus. Et hoc contingit: quia quantò difficilius, aliquid vitatur, tantò minus est peccatum, si committitur, & maius est meritum, si vitatur. Et ideò Christus dās legem perfectionis, quæ ad perfectum deducit, has particulas, quasi apices præceptorum apponit: & hæc est expositio *Chrys.* & literalis. Hoc igitur modo.

Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.

Isa. 10. Consummationem & abbreuiationem faciet Dominus: quia consummatio abbreuiata inundabit iustitiam *Isa.* 55. Verbum, quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui, prosperabitur in his, ad quos misi illud.

Donec omnia fiant.

Ecce Generalitas impletionis: aut enim omnia impleri necesse est, aut non valet ad salutem, quòd aliqua implentur, licet valeat ad minorē pœnam. *Iac.* 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus.

Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Hic simul ostenditur qualiter, & in quibus, & quo merito soluuntur & implentur, quæ dixit: & tangit duo, soluentes, & implentes. De soluentibus dicit duo, solutionem in opere, & propagationem solutionis in alterum per doctrinam. De solutione dicit.

Qui ergo soluerit.

Tria tangit, solutionem, & quid soluitur, & in quo soluitur, seu quo demerito. De solutione dicit. [Qui ergo soluerit] Secundum superiùs dicta soluere est vinculum legis non attendere, & se à vinculo legis enodare, & sic omittere, vel transgredi. Contra quod dicitur *Eccli.* 6. Erunt tibi compedes legis, vel sapientiæ in protectionem fortitudinis, & in bases virtutis.

Vnum.

Ecce quid soluitur, mandatum [vnum] scilicet ex cuius solutione labefactatur tota virtus gratiæ: quia *Mat.* 6. &. 2. *Corint.* 6. Dicitur quòd non est conuentio Christi, ad Belial: & ideò non potest homo esse iustus in vno, & in alio iniustus: quia filij Iob conuiuantur, & vocant simul sorores: eo quòd dona & virtutes simul volunt, vt sibi omnes adsint, vel omnes desint.

De mandatis istis minimis.

Ecce in quo soluitur, quia in vno minimo de mandatis: quæ sunt minima quidem in genere illius actus, super quem cadit præceptum: & minima in reatu soluentis; sed maxima in perfectione, & merito obseruantium, sicut dictum est *Eccl.* 19. Qui modica spernit, paulatim decidit. *Apoca* 3. Modicam habes virtutem, & seruasti verbum meum, & non negasti nomen meum. Modica dicitur virtus, non quantitate, sed quia est circa modica seruanda. *Luc.* 16. Qui infidelis est in modico, & etiam in magno infidelis erit.

Et docuerit sic homines.

Videtur notare tres ordines soluentium? soluentem scilicet, non docentem, cuius peccatum est occultum: & soluentem & docentem exemplo, vel verbo, cuius peccatum est manifestum: & docentem, & non soluentem, qui ea, quæ non intelligit, deprauat, hæresim docendo alium. Et primum quidem tetigit in præcedētibus; duos autem simul tangit hic, quando dicit [Et docuerit sic homines] exēplo prauo, vel vitiosa doctrina, qui malū quod est in se, deriuat in alium: Contra quod dicitur *Ez.* 44. Sufficiat vobis peccata vestra domus Israël. 1. *Reg.* 1. Erat ergo peccatum puerorū grande: quia retrahebant homines à sacrificio Dei.

Minimus vocabitur in regno cœlorum.

Ecce quo demerito soluitur: & est locutio duplex ex hoc: quòd hoc, quod dico.

In

In regno cœ.

Potest determinare hic, quod dico.

Minimus.

Vel hoc, quod dico.

Vocabitur.

Et si primo modo accipitur, tunc intelligitur de his, qui soluunt minimas particulas præceptorum, & non docent nisi per exemplum, illi quia peccant ex infirmitate, vel negligentia circa minima præceptorum, venialiter peccant, & ædificant ligna, fœnum, stipulam: & secundum iustitiam regni cœlorum & leges & mandata sunt minimi in regno; tamen manentes, & merito fundamenti saluandi per ignem, sicut dicitur. 1. *Corint.* 3. Si autem secundo modo fiat determinatio: tunc peccantes in minimis, non particulis, sed ipsis substantiis mandatorum: ab his, qui per iustitiam sunt & per meritum, in regno cœlorum vocantur minimi. Quia non connumerantur his, qui sunt in regno nisi numero; & non merito. Tunc enim maximi sunt, qui sunt in regno, obseruatione consiliorum & præceptorum, & supererogationum: maiores, qui obseruatione præceptorum & consiliorum: magni, qui obseruatione præceptorum: & minimi, qui non nisi fide informi connumerantur. Vel dicatur, quòd minimi, secundum *glo.* sunt nulli: quia omnes magni sunt qui sunt in regno. *Abd.* Ecce paruulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valdè, secundum primam expositionem, quæ *Chrysostomo.* concordantia. 1. *Corint.* 13. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus, sapiebam vt paruulus &c. *Heb.* 5. Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ: paruulus enim est.

Qui autem fecerit, & docuerit.

Ecce iterum tres simul innuit ordines hominum: facientes scilicet, & docentes: & facientes, & non docentes verbo, sed exemplo: & docentes, & non facientes. Sed isti non sunt magni: quia os suum eos esse prauos comprobat. *Luc.* 19. Ex ore tuo te iudico, serue nequam. Præmittit autem facere, & subinfert docere: quia in omnibus moralibus non venitur ad doctrinam nisi per opus. *Act.* 1. Cœpit IESVS facere & doce. *Luc.* 24. Fuit vir Propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo.

Hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Quia, sicut diximus suprà, facere minima magnæ est virtutis. *Iob.* 1. Erat vir ille magnus inter omnes orientales. 1. *Machab.* 2. Cùm feceritis quæ vobis præcepta sunt in lege à Domino Deo vestro, in ipsa gloriosi eritis.

Dico autem vobis: quia nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Hic in isto tertio paragrapho in comparatione ad non implentes minima, ostendit legem esse

impleudam: tangit autem tria. Primò enim dicit confirmationem, cùm dicit.

Dico autem vobis.

Q. d. Ego veritas, dico vobis, qui non mentiri possum. *Num.* 23. Non est Deus, vt homo, vt mentiatur.

Nisi abundauerit iustitia vestra &c.

Ecce secundum, in quo fit comparatio ad eos, qui minima legis soluerunt, & non nisi magna impleuerunt, putantes, quòd lex cohiberet manum, non animum. Erat autem iustitia Pharisæorum in obseruando magna, & non parua, & in apparentia hominum, & in obseruatione traditionum plus quàm mandatorum Dei, & in intentione terrenorum. Et hæc omnia manifestè accipiuntur. *Matth.* 23. Vbi loquitur de Pharisæis. Iustitia autem Scribarum erat in magna prophetia legis, & parum in opere. *Luc.* 11. Væ vobis Scribæ, qui tulistis clauem scientiæ, nec ipsi intratis nec alios intrare permittitis. In multis tamen conueniebant cum Pharisæis: sed amborum erat intentio, minima negligere, & magna facere secundum doctrinam Scribarum: quæ fuit, quòd lex animum non cohiberet, sed manum: & hoc plus est quàm Scribarum & Pharisæorum.

Non intrabitis in regnum cœlorum.

Et attende, quod aliud est esse in regno cœlorum; & aliud intrare, vel non intrare in regnum cœlorum: secundum *Chrysost.* quia esse, vel non esse in regno, est secundum meritum, vel demeritum stans quietum: intrare autem est continuis profectibus proficisci. Et ideò intrat qui per minimorum obseruantiam continuè proficiscitur ad profectum *Matth.* 25. Intra in gaudium Domini tui. *Ierem.* 51. Venite & nolite stare: recordamini procul Domini: & Ierusalem ascendat super cor vestrum. Hi ergo, qui legem factorum tantùm implent, non intrant, sed stant in cohibitione manus, & non proficiscuntur ad superationem passionum cordis, sicut faciunt qui minima obseruant. Et hoc est, quod dicere intendit.

Audistis, quia dictum est antiquis: non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio.

Hic secundum doctrinam præcedentem incipit implere legem: & diuiditur in duas partes secundum ea, quæ sunt in lege. Quædam sunt in lege sicut materia legis; & quædam sicut forma. Et de impletione formæ legis tangit in secunda parte: *Ibi* Audistis, quia dictum est: diliges amicum tuum. Adhuc autem præcedens pars diuiditur in duas partes secundum duo, quæ vt operanda in lege præcipiuntur: quæ sunt moralia & iudicialia; ceremonialia enim significandi habent vsum, & sacramentalia. Promissa autem in Christo sunt exhibita, & non proposita ad operandum, sicut patet ex præmissis. Primò ergo agit de impletione moralium: & secundò de impletione iudicialium: *Ibi.* Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo &c.

Prior autem harum partium, in qua agit de impletione moralium diuiditur secundum id quod est in operibus: & secundum id quod est in verbis de mandatis moralibus. In prima enim agit de impletione eorum, quæ sunt in opere: & in secunda de impletione eorum, quæ sunt in verbis *Ibi*. Iterum audistis, quia dictum est antiquis: non peierabis.

Sed tunc incidit quæstio, cum quædam moralium etiam sint in concupiscentia, sicut duo vltima, quæ enumerantur *Exod.* 20. Quare non agit de illis? Et dicendum ad hoc, quòd illa in noua lege adiunguntur impletiones ad ea, quæ sunt in factis: & sunt apices adiuncti secundum supra dicta. Et si quæratur, quare hoc etiam non factum est in lege veteri? Dicendum, quòd hoc factum est propter carnalem intellectum illorum antiquorum, inter quos licet quidam fuerint spirituales; tamen communitas, cui lex dabatur, carnalis fuit; & non putabant concupiscentiam esse prohibitam, nisi lex diceret: non concupisces. *Rom.* 7. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret: non concupisces: & cùm toto hoc putabant non esse prohibitam concupiscentiam nisi eam, quæ manifestatur in signis exterioribus. Et ideò etiam in impletione legis Christus remouet & signum exterius, & interiùs passionem. Prior autem partium inductarum diuiditur in duas: in quarum prima implet prohibitionem, quæ est contra nocumentum proximi in substantia indiuidui. In secunda implet prohibitionem, quæ est contra nocumentum proximi in adiutorio sibi adiuncto ad salutem speciei *Ibi*. Audistis, quia dictum est antiquis: non mœchaberis.

Incidit autem quæstio, cùm adhuc sit vna prohibitio in opere de nocumento proximi in bonis fortunæ, quæ data sunt naturæ ad sustentationem; quare de illa nullam facit mentionem? Et dicendum, quòd non oportuit, quia ordinata dilectione proximi, quæ pertinet ad formam præceptorum, sufficienter ordinata est prohibitio illa. Non autem sic est de ira: quia etiam posito ordine dilectionis remanet ira nobis connaturalis, aliquando rationabilis: & ideò illam oportuit specialiter ordinari. Posito autem ordine charitatis, sublatus est omnino appetitus damni proximi: & ideò non oportuit de ipso specialem fieri ordinationem. Vel dicatur meliùs, quòd damnum dupliciter infertur proximo: aut enim infertur ei ex concupiscentia rerum, quas habet: aut ex maleuolentia. Si ex cupiditate rerum: tunc ordinatur in ordine mandati de dilectione proximi; si autem ex maleuolentia, tunc ordinatur, quando ordinatur ira, quæ circumstat nocumenti personæ proximi. Quod autem ordinatur concupiscentia venereorum, ideò est quia delectatio illa contemporanea est vitæ & maximæ adhærentiæ; & trahit ad eam non tantùm corruptio naturæ, sed etiam infectio obiecti, quod profundè inficit: Et ideò speciali indiget ordinatione.

Sed tunc obiicitur, quare non loquitur de impletione primi mandati de secunda tabula, quod est: Honora parentes? Et dicendum, quòd ad hoc inclinat natura, & naturæ ordinem perficit gratia: & ideò cùm natura adsit & charitas hoc ordinet, non oportuit de hoc fieri ordinem specialem.

Si autem quæritur, quare non facit mentionem de primo & de tertio mandato primæ tabulæ? Dicendum, quòd illa mandata sunt in Deum, quoad veritatem, primum, & quo ad bonitatem, tertium: quorum modus semper fuit sine modo in omni lege. Credidit semper fides in Deum propter se, & super omnia: & quies cordis & sabbatum semper fuit in Deo propter se & super omnia: & ideò non habent huiusmodi gradus minimorum (aliàs minorum) & magnorum sicut alia. Ista enim sunt prima & maxima mandata, sicut diximus in ante habitis: & ideò tali non indigent impletione. Medium autem cum illo simul ordinatur, quod est; non falsum testimonium dices: quia coniuncta sunt in materia, sicut in sequentibus patebit. Ordo autem istarum impletionum est secundum ordinem præceptorum, siue prohibitionum, quæ ordinantur secundum quòd sunt remotiuæ maiorum nocumentorum. Dicitur igitur.

Audistis, quia dictum est antiquis &c.

Istud autem mandatum cum sua impletione diuiditur in duas partes: in quarum prima dicit id, quòd implendum, & ordinandum est: & in secunda ponit impletionis ordinem *Ibi* [Ego autem dico vobis &c.]

Circa primum dicit tria: quorum primum, est quibus datum est: secundum, prohibitio facta: tertium, pœna transgredientium. De primo dicit, [Audistis: quia dictum est antiquis] Duo tangit; auditum legis, & quibus est data. Attende, quòd auditus est triplex; rei ipsius, & Dei, & referentis. Rei auditus est; quia ipsa res per sui naturam aliquid loquitur, sicut faciunt ipsa moralia, quæ ipsa sua natura omnes homines alloquuntur: sicut omnis homo ex ipsa natura audit, non esse occidendum, non esse mœchandum, non esse furandum & huiusmodi. Et hoc significatum est *Exodi.* 20. Vbi dicitur, quòd cunctus populus audiebat voces, quando Dominus dedit decalogum: quod non dicitur, quando dedit alia præcepta iudicialia & ceremonialia: quia illa non ita ex ipsis rebus loquuntur ad rationem; Deus autem auditur in his. *Exod.* 20. De cœlo locutus sum vobis. *Psalm.* 49, Deus Deorum Dominus locutus est: Referentes etiam patres locuti sunt filiis. *Psalm.* 77. Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera. [Audistis, quia dictum est antiquis] hoc est, antiquo & carnali populo, Nouum enim est, quod quantum ad suum principium est propinquum & antiquum est, quod longitudine dissimilitudinis potius, quàm temporis à suo principio est remotum. Populus ergo carnalis damnatus sub peccato antiquus est, qui non sustinebat illud audire; quia ceciderat à similitudine sui principij, in quo fuit creatus ad imaginem & similitudinem Dei. *Baruch.* 3. Inueterasti in terra aliena: coinquinatus es cum mortuis; Deputatus es cum descendentibus in infernum: dereliquisti fontem sapientiæ. *Hebr.* 8. Quod antiquatur & senescit, prope interitum est.

Non

Non occides.

Hoc est igitur, quòd dictum est antiquo populo, qui non recipit prohibitiones, nisi eorum, quæ per se horret natura: quia Lex de se & in sacramentis, implendi non conferebat gratiam gratum facientem: & ideò si aliquid vltra naturam prohibitum fuisset, gratiam implendi non habuissent antiqui ex Sacramentis legis. Propter quod dicitur *Hebr.* 9. Habuit quidem priùs iustificationes culturæ, & sanctum seculare, hoc est, vt dicit *Glosa*, iustificationes carnales pro modo culturæ carnalis. Et hoc est secundum, quod dicit: & habet duo in se; prohibitionem, & comminationem. Et prohibitio quidem est, quæ dicta est *Exo.* 20. Comminatio autem est, quam infert.

Qui autem occiderit, reus erit iudicio.

Hoc est, vt iudicio legis puniatur, postquam inuentum est. *Exo.* 21. Si mors fuerit subsecuta, reddet animam pro anima. *Matth.* 26. Qui gladium acceperit, gladio peribit. Sic igitur non prohibebatur nisi horrendum per se flagitium homicidij.

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

Impletio incipit hic: & dicit duo; auditum impletionis, & ipsam impletionem. Circa auditum dicit duo; dicentem, & audientem. Dicentem tangit, cùm dicit [Ego autem] qui noui testamenti sum mediator *Hebr.* 9. Ideò noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.

Ego.

Inquam, per quem gratia, & veritas facta est.

Dico vobis.

Nouatis auditoribus, qui ad propinquitatem reducti estis principij. *Eph.* 2. Qui fuistis longè, facti estis propè. Vnde *Sup.* 3. Appropinquabit enim regnum cœlorum.

Quia omnis, qui irascitur.

Hic incipit impletio. Attende igitur, quia omnis legislator intendit eum, cui dat legem, producere ad legislatoris intentionem. Est autem intentio legislatoris duplex in communitate: Vna est beatitudo pacis in [illegible] ce: altera est pax exterior ad [illegible], vt non [illegible] betur, qui studet laudabilibus studiis. Primam intentionem non consequitur, nisi faciat eos, quibus legem dat, interioris lege informatos: vt ipsi sibi sint lex, etiam si nemo poneret legem, sicut & ipse legislator lex est viua, siue animata. Aliam autem intentionem consequitur per pœnas, vt per cruces, taliones, quia illi, qui non sunt informati interiora lege, turbarent pietatem, & iustitiam tollentes, nisi essent cruces, & taliones, & alia genera tormentorum. Sic igitur implens legem secundum intentionem legislatoris primam, superiustus vocatur ab *Aristotele* 5. *Ethic.* qui græcè dicitur epieikes. Et hoc modo noster legifer implet legem, quando nos informat secundum formam legislatoris: vt simus nosipsi nobis lex, tendendo ad honestum legis per conscientiæ informationem. *Rom.* 2. Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus eorum. *Hebr.* 8. & *Ierem.* 31. Dabo leges meas in visceribus eorum, & in cordibus eorum superscribam eas.

Et hoc quidem facit in ira hic specialiter: vide ad hæc tria exiguntur [illegible] hoc in tria [illegible] electio [illegible] permittit [illegible] proximo [illegible] autem [illegible] liatio [illegible]

[illegible]

[illegible] amicitiæ ad [illegible] & hunc docet *ibi.* [Esto [illegible]] Quo facto, ipsa conscientia in modum naturæ tendit ad non nocendum proximo ex virtute amicitiæ. Circa primum igitur: Primò inducit hoc, quod facit ad iræ exclusionem: quia ira est passio & commotio animi, per quam procuratur nocumentum proximi: & circa hoc dicit tria in gradibus iræ, & tria in gradibus pœnæ. Si enim ira sit in corde tantùm, commotio animi ad nocendum meretur iudicium; si autem cum hoc procedat exteriùs ad indignationis & nocumenti signum, sine conuicio & nocumento, meretur concilium; si autem procedat extra ad conuicium cum præcedente commotione animi, & cum indignationis & nocumenti signo, meretur gehennam. Per iudicium autem & consilium & gehennam, gradus notantur pœnarum. Quia in iudicio discussio fit an pœna, vel absolutione dignus sit: & cùm pœna quæritur, ad reddendam rationem sistitur. 2. *Corinth.* 5. Omnes manifestari nos oportet ante Christi tribunal: vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit. Consilium autem, siue concilium secundum aliam literam, est quando iam constat de pœna merita & deliberatur ex consilio qua & quanta pœna feriatur: & hoc fit, quando conuictus de peccato pœnam expectat. Sed gehenna est acerba & inflicta à iudice pœna, quando iam de crimine mortali conuictus est.

Prima igitur duo simul tangens: dicit.

Omnis, qui irascitur, &c.

Et tangit tria, passionem iræ, & causam, & pœnam. Passionem iræ tangit, cùm dicit [Omnis, qui irascitur] Est autem duplex ira; propassio, & passio: & similiter est in aliis generibus passionum. Propassio dicitur quasi [illegible] specie qualitatis, quæ est passio, & [illegible] qualitas, secundum [illegible], &

infer

informamur, & mutamur: & hic est non subitus; sed deliberatus animi motus ad nocendum cum molitione & consensu nocumenti, sicut dicit *glosa Iaco.* 1. Ira viri iustitiam Dei non operatur *Prou.* 15. Vir iracundus prouocat rixas. *Prou* 26. Sicut carbones ad prunas & ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas.

Fratri suo.

Ecce secundum, in quo tangit causam rixæ, quæ vocatur ira per vitium. Est enim ira per zelum, & est ira per vitium. Ira per zelum est conturbatio & commotio animi contra vitium, quod videt in persona impedire iustitiam Dei. Et hæc ira est mater disciplinæ. *Nume.* 25. Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis auertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos; vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. 1. *Machab.* 2. Vidit Matathias, & doluit, & contremuerunt renes eius: & accensus est furor eius secundum iudicium legis: & insiliens trucidauit illum super aram. *Psal.* 68. Zelus domus tuæ comedit me. Ira autem per vitium commotio est animi, qua quis molitur nocumentum fratri non propter vitium, quod est in eo. Et ideò talis irascitur naturæ, non vitio. Frater autem hic dicitur omnis coniunctus religione & conformitate naturæ: & religione coniunctus dicitur actu, vel potentia: quia licet non sit actu Christianus: tamen potest fieri per gratiam, quam fortè sibi dabit Dominus. *Malach.* 2. Nunquid non pater est vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Sic igitur qui nullam causam iræ habet, irascitur fratri. Et ideò *Chrysost.* in omnibus istis sermonibus dicit esse supplendum: sine causa: vt dicatur, qui irascitur fratri suo sine causa: & qui dixerit, racha sine causa: & qui dixerit, fatue sine causa: si enim hæc cum causa dixerit, non peccat, sed corrigit. Et si sine causa fecerit: tunc verè fratri, & non peccato, irascitur, vel indignatur.

Sed videtur hoc inconueniens: quia irasci vitio est Prælati: hic autem loquitur Dominus generaliter de omnibus. Et ad hoc dicendum, quòd est correctio charitatis, quæ fraterna dicitur: & hæc est omnium ad omnes: & hæc indignatur vitio. Et est correctio ex auctoritate, quæ citat, & conuenit, & cogit per censuram Ecclesiasticam: Et hæc etiam commouetur per iram, per zelum. Et hæc etiam si modum excessisse se sentit (vt dicit *Augustinus in Regula*) non tamen ab eo exigitur, vt à sibi subditis veniam petat: ne dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed in correctione fraterna, si corrigens modum excesserit, veniam petere debet: vt sibi dimittat, cui se fecisse sentit iniuriam. Et in illa ira per zelum: non fit correctio, siue admonitio, nisi præsumatur probabiliter correctio. Si autem hoc non præsumitur: tunc admonendo non nisi conturbationem faceret: & tunc quiescit, & mala gemendo tolerat, quæ corrigere non valet: & hæc est sententia *Bedæ & Hieronymi.*

Reus erit iudicio.

Hoc est, discussione iudicij, in qua de errato tenetur reddere rationem. Et hoc non mirum; quia dictum est, quòd hæc ira licet sit in corde: tamen est deliberata commotio animi cum consensu in nocumentum fratris, si potest: & si non adsit facultas: tamen completa non deest voluntas. Et cùm dicitur; nocumentum proximi, intelligitur, graue corporis, vel rerum, vel honorum dispendium: quia paruum nocumentum esse non reputatur. *Mich.* 6. Surge & contende iudicio aduersus montes. *Iaco.* 2. Iudicium sine misericordia fiet his, qui non fecerint misericordiam.

Qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.

Ecce secundum, in quo duo facit: tangit gradum iræ, & gradum pœnæ. Gradum autem iræ tangit dupliciter, ex parte irati, & ex parte causæ eius, cui irascitur. Ex parte irati dicit.

Qui dixerit.

Ex commotione animi.

Racha.

Augustinus dicit, quòd Racha, verbum hebræum est, interiectio indignantis, & nullius rei significatiuum nisi indignationis. Et tunc est iste gradus iræ, quando aliquis commotionem animi deliberatam cum molimine nocumenti profert in sonum confusum nihil impij (aliàs improperij) inferentem fratri, sed tantùm indignationem suam ostendentem, sicut fit, quando clamore confuso proferimus animi motionem; & hæc est indignatio canis latrantis, qui latrando non facit nisi suam iram ostendere. Racha autem secundum alios dicitur verbum hebræum, quod interpretatur cenos, hoc est, vacuus, quod est excerebratus, quod est verbum magnæ contumeliæ dicere fratri, qui Spiritu sancto est plenus; Sed tamen non sonat aliquod crimen in fratrem commissum; Et ideò est signum indignationis cum contumelia sine criminis impositione. *Iob.* 18. Quid perdis animam tuam in furore tuo? *Prou.* 18. Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere?

Reus erit concilio.

Et (aliàs vel) consilio] Ecce pœna grauior, quàm præcedens. Concilium est conuentio consiliariorum. Consilium autem est diffinitio, qua & quanta pœna dignus sit, quem constat peccasse, & est sensus; ita reus erit; & (aliàs quòd) cum tremore sustinebit pœnam à senatu cœli diffinitam. *Isa.* 3. Dominus ad iudicium veniet cum Senatoribus populi sui. *Mat.* 19. Sedebitis & vos super sedes duodecim iudi. &c. Hæc autem duo prædicta dicit *Chrys.* exposita in synodo Apostolorum, vt cum dicitur,

Reus erit iudicio.

Hoc est, ita reus erit, sicut illi, qui astiterunt iudicio, quando quærebatur causa contra Dominum. Quia irascens sine causa fratri, quærit falsam causam contra membrum Christi, sicut illi quæsierunt causam contra Christum.

Et reus erit consilio. [illegible]

Hoc

Hoc est, ita reus erit, sicut illi, qui dederunt consilium contra Christum: quia & indignatione proferens contra fratrem sine causa, quærit iam consilium apud se, qualiter in membrum Christi proferat nocumenta: & hoc inuenitur in antiquis libris quorundam cœnobiorum, in quibus consilium scribitur Apostolorum: in quibus etiam plura dicta Apostolorum inueniuntur, sicut quòd Thomas dixerit paradisum ad lunarem globum attingere. Et quòd Bartholomæus dixit Euangelium esse longum & breue. Et hæc ego iam legi, sed non sunt authentica.

Qui autem dixerit.

Ecce tertium, & diuiditur ad modum promissorum in culpam & pœnam. Culpa autem tangitur, cum dicit,

Qui dixerit fatue.

Supple fratri irascendo sine causa, non vitio: Et hoc est, qui & animo (aliàs omnino) commotus est cum deliberatione & molimine nocumenti, & indignationem extra cum contumelia ostendit & crimen fratri imponit: non enim modicus furor est, quem Deus sale sapientiæ condiuit infatuatum dicere & salienti Deo derogare, vt dicit *Glo.* Fatuus enim dicitur, qui ex destituto regimine rationis, sapore caret bonorum morum. Et hoc est impositio magni criminis; cum completa voluntate nocendi. *Iob.* 5. Virum stultum interficit iracundia. *Iob.* 36. Non te superet iracundia tua, vt aliquem opprimas. *Prouer.* 27. Ira non habet misericordiam, neque erumpens furor: & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?

Reus erit gehennæ ignis, &c.

Ecce pœna, & duo tangit; locum, & genus tormenti. Locum, cùm dicit.

Gehennæ.

Genus tormenti, cum dicit,

Ignis.

Isa. 50. Ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis vobis. Hoc dicitur his, qui succensi sunt flammis iræ. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima. Sic ergo quatuor sunt in ira; vnum dictum antiquis, quod est illatio nocumenti per opus: & tria addita nouo populo, quorum maius est: in voce improperium dicente: medium in signo indignationis sine conuicio: tertium [illegible] cum voluntate nocendi commotio animi [illegible]. Ex quibus quatuor componitur perfectum iræ peccatum.

Si ergo offers munus tuum ad altare.

Ecce secunda pars illius impletionis, [illegible] post exclusam iram, quæ non permittebat agere bonum proximi, suadet reconciliari. Est autem reconciliatio iterata conciliatio eorum, qui ex [illegible] fuerunt. Dicit autem hic [illegible], in [illegible] primo, tangit Deo [illegible] [illegible] muneris. Secundo [illegible] [illegible] odio fratris [illegible] [illegible] docet reconciliari, in quo [illegible] [illegible] apud Deum habet nocumentum [illegible],

& vltimò, probat amicitiam Deo gratam ex hoc, quod tunc probat acceptando munus oblatum: Et hæc patent per ordinem in litera. De primo autem dicit [Si ergo] Et tangit circa hoc sex. Per coniunctionem enim rationalem, vel illatiuam, quam ponit, notat illationem huius ex præmissis, quasi dicat: Ergo si vis scire quantum nocumentum ira fratris apud Deum habeat, considera in oblatione munerum: quia *Eccl.* 34. Dona iniquorum non probat Altissimus. Considera hoc in eo, qui iram fratris moliebatur in corde, Cain dico, ad cuius munera Deus non aspexit *Gen.* 4. Et hoc est, quod dicit [Ergo] rationabiliter ex præmissis inferendo. Per hoc autem, quòd conditionalem coniunctionem ponit, notat, quòd oblatio debet esse voluntaria: Vouere enim est voluntatis, & reddere necessitatis 2. *Corint.* 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus. *Exod.* 35. Separate apud vos primitias Domino: omnis voluntarius & prompto animo offerat eas Domino. 1. *Paral vlt.* Populum, qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio offerre tibi munera, Domine Deus Israel, custodi hanc voluntatem. Hoc est ergo, quod dicit [si offers] Ecce Dicatio muneris Deo: oblatio enim Deo vouetur, & dicatur. 1. *Paral. vlt.* Lætus obtuli vniuersa. *Isa.* 6. Offerentur super placabili altari meo: & domum maiestatis meæ glorificabo. Et hoc ergo est tertium [munus] Ecce quartum, valor: Magno enim Regi non offertur munus, nisi nobile sit, & valeat. *Malach.* 1. Maledictus, qui habet in grege suo masculum, & offert Domino debile. *Gen.* 43. Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris & deferte viro munera [tuum] Ecce quintum, ex quo debet fieri oblatio & eleemosyna, quia de tuo. *Prou.* 3. Honora Dominum de tua substantia; & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus [De tua] dicit, non de aliena: quia *Eccl.* 34. Immolantis ex iniquo, oblatio est maculata.

Ante altare.

Hic sextò tangit locum. Est autem altare hic intelligendum non solùm materiale; sed etiam spirituale; quia Allegoricè est fides Ecclesiæ. Moraliter autem cor deuotum & fidele non in conuenticulis & errore hereticorum offerendum est, nec in falso & peruerso [illegible] cordis. *Exod.* 20. Altare de terra [hoc est de stabili & humili corde, & [illegible] facietis mihi, & offeretis super illud holocausta vestra, & victimas vestras in [illegible] loco, in quo memoria nominis mei fuerit. *Deut.* 12. Caue, ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in loco, quem elegerit Dominus. *Psalm.* 26. Circuiui & immolaui in tabernaculo eius. *Psalm.* [illegible] [illegible] inuenit sibi locum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos: altaria tua Domine virtutum. [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & turtur [illegible] [illegible], & [illegible] oblata pro peccatis, & [illegible] [illegible]

Si ibi recordatus fueris, quia frater tuus [illegible] [illegible] &c.

Hic [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] & [illegible] circa hoc [illegible] [illegible] &

relictionem muneris. Circa primum notantur tria discussio videlicet conscientiæ, vt sit pura quæ offert, inuentum in discussione odium, cui dedisti causam: Et tertiò quia non de hoc satisfecisti. De primo dicit.

Recordatus fueris.

Recordatio non est actus memoriæ, sed reminiscentiæ, vt dicit *Philosophus*. Reminiscentia autem est cum ratione, & est discussio conscientiæ secundum vitam præteritam. 1. *Cor.* 11. Si nosmetipsos dijudicaremus, non vtique dijudicaremur. *Isa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Quia frater tuus.

In quo non est causa odij, nisi quia frater est, & ideò tu es in culpa. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me *Psalm.* 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique &c. Et sequitur: tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus &c.

Habet aliquid aduersum te.

Et tria dicit, quòd [habet] Et in hoc notatur, quòd adhuc mansit implacatus à te: Et quòd hoc est [aliquid] notabilis quantitatis in nocumento, & de quo meritò debeas eum placare iudicio sapientis. Et quòd hoc habet [aduersum te] non tu aduersus illum: & sic tu fuisti causa. Si enim tu aduersus illum haberes: non tu eum, sed ipse te placare deberet. *Chrysost*, tamen legit hoc indifferenter & inconsideranter quis causam odij, vel diuisionis dederit. Sed primum magis est secundum litteram, & secundum rationem: & est *Augustini*. *Rom.* 12. Si fieri potest, quantum ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. *Psalm.* 119. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, 1. *Cor.* 7. In pace vocauit vos Deus. Et 1. *Cor.* 14. non est Deus dissensionis, sed pacis. Et ideò sequitur secundum huius particulæ.

Relinque ibi munus tuum ante altare: & vade priùs reconciliari fratri tuo.

Et notat tria, relinquendum scilicet munus, & ipsum munus, & iustitiam oblationis. De primo dicit.

Relinque ibi.

Hoc est, ibi primum obtulisti, hoc est in potestate Dei, & ministri Ecclesiæ, in quos dominiū transtulisti per oblationem: quia non licet tibi retrahere quod obtulisti. Sicut enim vouere est voluntatis; ita reddere est necessitatis. *Prou.* 20. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare. *Eccle.* 5. Si quid vouisti Deo, ne tardes reddere [munus] *Isa.* 19. Colent Deum in hostiis & muneribus. Tertiò dicit iustitiam muneris, cum dicit [tuum] quia non de alieno sed de tua. *Eccl.* 34. Qui offert sacrificium de substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris. *Isa.* 3. Rapina pauperum in domo vestra [ante altare] non referas dominum. Vnde *Dan.* 5. Dānatur Balthasar à regno simul, & vita depositus: eo quòd vasa Deo oblata in vsus suos deputauit. [Et vade] Hic tangit reconciliationem, quæ facit oblationem placabilem. Quamdiu enim aduersarium tuum iustè audit lamentantem, non recipit munus tuum: quia aliter assisteret duobus aduersariis, & esset diuisus in seipso, quod fieri non potest. Imo dicet tibi illud *Malach.* 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra. Et illud *Ibidem* 2. Operuistis lacrymis altare meum, quando aduersarius lamentatur ante me [Vade] ergo [priùs] Hic tangit duo quæsitionem aduersarij, & reconciliationem. Quæsitionem dicit [Vade ergo priùs] hoc est, vade prior ad eum: priùs passibus pedis, si presens, vel vicinus est. Passibus autem deuotionis & firmi propositi placationis, si est absens, & longè est. quia ridiculum esset tandiu dimittere oblationem, donec redires, à longè agente fratre aduersario. Vade ergo, vt dictum est, prior ad eum, *Gen. vlt.* Obsecro, vt obliuiscaris scelerum fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ, quam exercuerunt in te. *Augustinus in Regula.* Melior est, qui quamuis ira sæpe tentatur: tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam, quàm qui tardiùs irascitur, & ad veniam petendam difficiliùs inclinatur.

Reconciliari fratri tuo, &c.

Satisfaciendo, si potes: vel saltem petendo veniam, si aliter satisfacere non vales. Nam cùm possis satisfacere, ridiculum est per solam veniam peccatum putare abolere. Si enim tunc reconciliari nollet offensus frater, non ipse ex tunc aduersus te, sed tu inciperes habere aliquid aduersus eum. *Matth.* 18. Non dico tibi, Petre, dimittendi septies, sed vsque septuagesies septies. *Matth.* 6. & *Luc.* 11. Siquidem & ipsi dimittimus omnibus debentibus nobis. *Luc.* 7. Non habentibus illis vnde redderent, dimisit vtrisque.

Et tunc veniens offeres munus tuum.

Ecce depositio odij fraterni facit oblationem placabilem. Et hoc est [Et tunc veniens] Et notantur duo, appropinquatio Dei per amorem fraternum: & acceptabilitas muneris. De primo dicit [Et tunc veniens] accedendo ad Deum, qui priùs per odium fraternum recessisti, 1. *Ioan.* 2. Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò eat: quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Et de hoc dicit *in illa eadem epistola, cap.* 3. quòd homicida est ad minus voluntate. Quia vel quærit suscipere vitam, aut id quod sustentat vitam, bona fortunæ, aut id sine quo non valet vita, quod est honor, vel fama. Tunc ergo deposito odio [offeres munus tuum] & acceptabile erit: quia tunc est sacrificium iustitiæ, quādo fueris iustificatus. *Psal.* 50. Acceptabis sacrificium iustitiæ oblationes & holocausta. *Isa.* 56. Holocausta eorum placebunt mihi: & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo.

Esto consentiens aduersario tuo citò, dum es in via cum eo.

[Esto consentiens] exclusa ira &, deposito odio per reconciliationem, ad hoc, quod ex corde nunquam procuretur nocumentum proximi, oportet perfectam interuenire amicitiæ consensum: & de hoc loquitur hic, & tangit duo: inuitationem ad consensum amicitiæ: & quia lex cogit per pœnam; ideò in secundo inducit pœnam, si non consentias *Ibi.*

Ne fortè.

Circa primum tangit duo: inuitationem ad consensum, & quando valet consensus cum aduersario. De primo dicit [Esto consentiens] Et subiungit cui; quia.

Aduersario tuo.

Hoc est, ei, qui habuit aduersum te aliquid: & est consensus iste per exhibitionem amicitiæ. Quia sicut dicit *Tullius in lib. de Amicitia.* Amicorum est idem velle & idem nolle. *Ro.* 12. Idipsum inuicem sentientes &c. *Hebr.* 13. Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Quædam tamen glosæ dicunt, aduersarium sermonem diuinum, qui monet nos de charitate fraterna, cui non debemus recalcitrare, sed consentire. *Act.* 9. Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Sed prima expositio literalior est, & melior.

Dum es in via cum eo.

Et præmittit [citò] vt non quæras moram, & procrastines consensum. *Eccl.* 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. *Sophon.* 1. Vox [illegible] in [illegible] [illegible] robur eorum. [illegible] nuntur, ita quod [illegible] [Dum es in via cum eo] In via [illegible] hoc cum eo [illegible] quia in [illegible] domum æternitatis. *Ecclesiast. vlt.* [illegible] quæ vales manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia est apud inferos, quò tu properas. *Ioan.* 9. Venit nox, in qua nemo potest operari. Luce ergo [illegible] adhuc facienda reconciliatio est. *Ephe.* 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. *Leuit.* 19. Non oderis fratrem tuum in corde tuo. *Gen.* 45. Ne irascimini in via.

Ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris.

Ecce tangit comminationem pœnæ, & tangit tria, scilicet, [illegible] iudici [illegible] tortori [illegible], & carcerem. [illegible] tangit [illegible] in [illegible] litatem [illegible] per hoc, quod dicit.

Ne fortè.

Si enim aduersarius [illegible] via [illegible] per mortem, [illegible] aliquid aduersum [illegible]

[illegible]

51. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum: & miserebitur eius, quoniam multus est ad ignoscendum, præcipuè autem quando homo deposita ira & inimicitia conuertitur ad charitatem: quia 1. *Pet.* 4. dicitur, quòd charitas operit multitudinem peccatorum. *Prou.* 10. Vniuersa delicta operit charitas. *Luc.* 7. Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit [tradat te iudici] Hæc traditio intelligitur per interpellationem apud iudicem de iniuria illata, de qua non satisfecimus per consensum aduersarij, nec per pœnitentiam, si cum aduersario propter absentiam, vel mortem consentire non potuimus. *Luc.* 18. Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte: dico vobis, quod patientiam non habebit illius. *Apoc.* 6. Vsquequo, Domine sanctus & verus non vindicas sanguinem nostrum, & non vindicas eum de his, qui sunt in terra [Et iudex tradat te ministro] Ecce secundum, vbi condemnatus à iudice traditur tortori ministro pœnarum. Est autem duplex minister secundum duplicem pœnæ condemnationem: condemnatur enim ad pœnam, quæ est in separatione à Deo, & consortio electorum & omnis boni: Et hoc fit per ministrum bonum Angelum. *Matth.* 13. Mittet Angelos suos, qui colligent de regno suo omnia scandala. Condemnatur etiam ad pœnam carceris & ignis inferni: & hoc per malos Angelos, ministros [illegible], cum dicitur: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius. *Matth.* 25.

Et in carcerem mittaris.

Ecce tertium, conclusio carceris. Tangit duo, conclusionem carceris, & diuturnitatem detentionis. Primum tangit, cum dicit [in carcerem mittaris] Hoc est, in infernum detrudaris. *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius fascis in carcerem. *Matth.* 22. Ligatis manibus & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium, hoc est, in carcerem tenebrosum.

Amen dico tibi, non exies inde: donec reddas nouissimum quadrantem.

[illegible] est, in quo tangit diuturnitatem [illegible], & dicit duo confirmationem [illegible], vt [illegible], cum dicit [Amen dico tibi] [illegible] Hæc verba fidelissima sunt, & vera. 2. *Cor.* 1. Non est in illo: est, & non: sed est in illo est, hoc est, confirmata veritas est in illo.

Non exies inde.

Secundò tangit [illegible] carceris. Vnde *Isa.* 30. dicitur quòd Topheth, quæ est infernus, est profunda & dilatata.

Donec reddas.

[illegible]

Reddite ei, sicut ipsa reddidit vobis: & duplicate duplicia secundum opera eius. In poculo, quo miscuit vobis, miscete illi duplum: quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum

Nouissimus autem quadrans.

Exponitur in glosa pro eo, quod nouissimum est in nobis, quod est causa peccandi: Et hoc est terrenitas cordis nostri. Primum enim est ignis, quo significatur charitas, qua mundamur, & non inquinamur delictis. *Matth.* 3. Ipse vos Baptizabit in Spiritu sancto & igne. Secundum est aër, quo significatur Spiritus, à quo est vita spiritualis: quia Spiritus est, qui viuificat. *Ioan.* 6. A quo iterum non inquinamur, sed mundamur: quia spiritu condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem. *Ro.* 7. Tertium est aqua, qua abluimur. *Ioan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Quartum relinquitur, terra, nullius Sacramenti materia, nec aliquid faciens in Sacramentis: quæ sua grauitate deprimit in peccatum, secundum quod dicitur *Gen.* 4. terra es, & in terram ibis, passibus peccatorum. *Psalm.* 4. Filij hominum vsquequo graui corde: vt quid diligitis vanitatem, *Iob.* 4. Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. Terrena igitur materies, quæ quarta est, in nobis causat peccata: & illa soluere per pœnas habemus in inferno, nisi dum in via sumus, charitate Dei & proximi ea operiamus. Et licet hæc sit expositio Sanctorum: tamen literaliùs exponi potest dicẽdo quòd quadrans est quarta pars peccati, de quo locutus est Dominus. Et hic Quadrans est commotio animi, ad signum indignationis non procedens: quem dixit esse reum iudicio. Alius autem quadrans est ira, ad signum indignationis procedens, siue indignatio (aliàs commotio) Et tertius quadrans est ira, inferens in verbis extrà, conuicium. Et quartus quadrans est ira, nocumentum inferens per opus post conuicium. Sed & in omni peccato sunt isti quadrantes constituentes ipsum, quando perficitur. Primus enim est conceptio cum appetitu illiciti: secundus est suauis appetitus & delectatio in libidine illiciti: tertius est consensus: & quartus opus, si adsit facultas; vel plena voluntas, si non sit facultas perficiendi. Et in his quadrantibus nouissimus dicitur, qui leuius est peccatum: & ille est primus, quem tamen luere oportet in pœnis. Attende autem, quòd quadrans componitur ex duobus minutis, vt dicit *Glo.* quia conceptio cum appetitu illiciti habet vnum minutum, conceptum, qui nunciat illicitum: & alterum minutum, appetitum, qui protendit desiderium in rem illicitam. Et hoc est, quod dicitur.

Audistis, quia dictum est antiquis: Non Mœchaberis.

Ordinat hic, & implet secundò prohibitionem mœchiæ: & patet ordo ex superiùs dictis. Est autem intentio vna in omnibus his legislatoris, videlicet, intentionem sigillare in cordibus nostris: vt tunc ex virtute informante animum tendamus contra illicitum. Cum autem matrimonium sit coniunctio maris & fœminæ legitima, indiuiduæ vitæ consuetudinem retinens; actus prohibitus (quia contra leges est matrimonij) dupliciter fuit matrimonio contrarius. Legitimæ enim coniunctioni repugnat mœchia: & indiuiduæ vitæ consuetudini repugnat repudium: & ideò duo hìc inducuntur, impletio scilicet prohibitionis mœchiæ, & impletio repudij. *Ibi* Dictum est: quicumque dimiserit vxorem.

Adhuc prima pars diuiditur in duas; in prohibitionem implendam, & in ipsam impletionem, quam tangit: *Ibi* Ego autem dico vobis: quia omnis, qui viderit mulierem. In prima hatum sunt duo paragraphi, mentio videlicet præcepti, & ipsum præceptum prohibitionis. Mentionem autem facit dicendo.

Audistis &c.

Et in hoc notantur tria, inexcusabilitas peccantium, modus & euidentia dicti, & dispositio audientium. Inexcusabilitas: quia ab antiquo dictum non poterat ignorari: & ideò nemo se per ignorantiam excusare. *Ioan.* 15. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Modus autem dicendi & euidentia accipitur in hoc, quod dicit.

Dictum est.

Ipsa rei euidentia, & clamore de cœlis facto. Et ipsa rei euidentia dicit hoc omni homini; sed quia exemplatum est ad iustitiam cœli: Ideò dictum est istud de cœlo: quia nullus dubitat, quin contineat in se cœli iustitiam, quæ Deo placet. Quod non est ita euidens in aliis. *Rom.* 1. Ita vt sint inexcusabiles, qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: Iustitia enim Dei in decalogo ita est euidens, quòd omnis homo cognoscit eam.

Antiquis

Antiqui sunt carnales, vt in præhabitis est ostensum, qui licet generatione carnali fuerint Israëlitæ: tamen tota conuersatione fuerunt Egyptij: & ideò talia conueniebat eis dari mandata, quæ manum cohiberent. *Isa.* 48. Sciebam, quia durus es tu, & nerius ferreus ceruix tua, & frons tua ærea,

Non mœchaberis.

Ecce prohibitio, quæ cadebat super actum, quem per se horret natura: quia alia mandata non seruassent. Et ideò *Iere* 31. vbi littera Hieronymi habet: pactum, quod irritum fecerunt: habet alia litera: Ego neglexi eos. Et hanc inducit *Apostolus ad Hebr.* 8. Quia pro certo neglecti sunt, non ex negligentia legislatoris; sed ex conniuentia, qua transiuit cohibendo manum propter carnalitatem eorum. Attende autem, quòd licet horribilior actus sit sodomiæ, vel molliciei quàm mœchiæ: tamen super illum non cadit prohibitio: quia natura etiam bestialis inclinat ad non faciendum illum; & ideò de illo non oportet fieri mentionem; sed de inordinatione mœchiæ, vbi seruatur sexus, & corrumpitur ordo legis matrimonij.

Ego autem dico vobis.

Hic

Hic incipit implere prohibitionem: & sicut in præhabitis, ita tangit hic tria, exclusionem videlicet concupiscentiæ, quæ afficit suauiter in corde: & exclusionem illius, quæ manifestatur in signo sine opere inclinante ad mæchiam: & exclusionem eius, quæ iam operatur aliquid ad mæchandum, verbi gratia: est concupiscentia cordis, & est signum adulterij in oculis &, est aliquid operis in corporalibus contactibus amplexuum & osculorum & tactuum. De primo igitur dicit in prima parte: de secundo *Ibi.* Quia si oculus tuus dexter scandalizat te. De tertia *ibi.* Et si dextra manus &c. Et ista sunt circa opus coitus & cum coitu faciunt quatuor quadrantes, ex quibus est peccatum, sicut habitum est in præhabitis de ira.

Circa primum dicit duo: primò enim tangit dicendorum auctoritatem, & secundò prohibitionis ponit impletionem. De primo.

Dico: ego autem.

Q. d. Illud dictum est, qua auctoritate? Meà tamen non per me immediatè; sed per Angelos. Sed.

Ego dico.

Isa. 52. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum. *Hebr.* 1. Nouissimè autem diebus istis locutus est nobis in filio. *Gal.* 3. Ordinata per Angelos in manu mediatoris. *Hebr.* 2. Si enim qui dictus est sermo, factus est firmus: & si omnis præuaricatio, & inobedientia iustam accepit mercedem retributionis, quon nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem. Sic ergo.

Ego dico vobis.

Nouo & spirituali populo *Apoca.* 2. & 3. Qui habet aures, audiat, quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Quia omnis qui viderit mulierem.

Hic ponit prohibitionis expletionem: & tangit duo. Primò enim tangit concupiscentiam, quam excludere intendit; secundò excludit per exaggerationem concupiscentiam, quam excludere intendit. Circa primum tangit duo; per formam mouentem, & per motum, quia est à forma. Tangendo autem formam mouentem; tangit quinque, generalitatem eorum, quæ passioni subiacent, cùm dicit.

Omnis.

Q. d. Non distinguitur aliquis; nec ex gradu honoris, nec conditione, nec sexu, nec ætate; quia omnes circundati sunt hac infirmitate concupiscibilitatis, & similes sunt in ea. Quia peccati effectus, qui est fomes, & est in corpore, sicut langor naturæ: hæc enim est facies vinculi colligati, quod præcipitauit Dominus super omnes populos *Isa* 25. 2. *Paral.* 36. Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi. Secundò dicit id quod nunciat formam concupiscentiæ, cùm dicit.

Qui viderit.

Visus enim nunciat formam, quæ mouet ad concupiscentiam: auditus enim non nunciat formam, sed nomen: & hoc de se non mouet, sed in quantum est significans formam, quæ mouet. Et ideò non dicit: Qui audierit, nec dicit: Qui olfecerit: quia olfactus circa mulieres nihil nunciat appetibile: & similiter gustus. Tactus autem habet delectationem in cooperatione corporali, vel in ipso opere coitus. Sed solus visus nunciat formam pulchritudinis mulieris, quæ mouet libidinem. Huiusmodi autem & alia causa est: quia videlicet visus plures differentias repræsentat delectabilium, quàm aliquis aliorum sensuum: per visum enim videmus colorem, figuram, compositionem membrorum, ornatum vestium, modum incessus, gestus, & multa huiusmodi: quæ omnia mouent concupiscentiam: & hoc non fit per alium aliquem sensum. Adhuc autem quia visus etiam vocatur interior imaginatio & cogitatio fœminarum, quæ non sunt similia auditui, vel alij sensui. His igitur de causis dicitur [Qui viderit] Sed incidit quæstio, quare potiùs loquitur de viro dicens [Qui viderit] quàm de muliere dicendo: quæ viderit? Et dicit *Chrysost.* ad hoc, quòd in hoc ad paria iudicantur vir & mulier: sed propter dignitatem complexionis omnis legislator præcepta dat viris, vt per viros ad mulieres transeant. 1. *Cor.* 14. Si quid volunt discere, domi viros suos interrogent. Posset tamen dici, quòd tentatio maior est in viro, quàm in muliere, licet in muliere resistentia sit minor: & vbi maior est tentatio, ibi ponit Dominus instructionem. Sic etiam per visum prima peccati incepit tentatio. *Gen.* 3. vidit igitur mulier lignum, quòd esset pulchrum oculis aspectuque delectabile &c. *Psalm.* 118. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Sic Dauid vidit, quod malè concupiuit. 2. *Reg.* 11. Quia sicut dicit *Greg.* Non licet inuiti, quod non licet concupiscere.

Mulierem.

Ecce tertium, quod est forma, quæ per se mouet ad concupiscentiam; & hoc patet: quia statim imaginata forma mulieris, diffundiur calor concupiscentiæ, & lætantur membra ad coitum, siue homo dormiat, siue vigilet. Et dicit mulieris, & non fœminæ; vel virginis: quia mulier à molliendo dicitur: & hic limit eam secundum quòd emollit forma eius in concupiscentia. *Thren.* 3. Oculus meus deprædatus est animam meam, in cunctis filiabus vrbis meæ. *Iob.* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de Virgine. 1. Pet. 2. Oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas infirmas, hoc est, pulchritudine pellis decipientes.

Ad concupiscendum eam.

Ecce quartum, & in hoc notantur duo. Per præpositionem enim notatur finis: & quia finem non præcedit nisi ratio, oportet, quòd ratio in hac concupiscentia conferatur ad minus ad delectandum similiter in corde, si negetur perficiendi facultas in opere. Per hoc autem, quod dicit,

Concupiscendum.

Et non capiendum simpliciter, notat connexum

tum potentiarum animæ ad cupidinem, vt voluntas velit hoc, quod sensualitas suggerit. Vnde *glosa Augustini* dicit, quòd hîc loquitur de concupiscentia deliberata & volita, quæ passio & qualitas animi est; & non de illa, quæ prima titillatio est ante rationis iudicium & deliberationem. Sicut enim diximus in præcedentibus de ira, talis concupiscentia magis propassio est, quàm passio: & hoc vocatur post concupiscentias ire & intrare in concupiscentiam *Eccl.* 18. Fili, post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: si enim præstes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. *Exod.* 20. Non concupisces vxorem proximi tui.

Eam.

Ecce quintum, vbi tangitur materia concupiscentiæ: vnde sensus est, vt habeat eam, si potest ad fruendum concubitu eius. Et si non potest, ad minus vt habeat eam ad delectandum in ea: hoc enim fit, quando transit passibus suis concupiscentia ad perfectionem completæ voluntatis. *Dan.* 13. Videbant eam seniores quotidie ingredientem & deambulantem in pomerio: & exarserunt in concupiscentiam eius. Et *In eodem.* In concupiscentia tui sumus. Sic ergo describit concupiscentiam, quam excludere hic intendit.

Iam mœchatus est eam in corde suo.

Hîc ponit exclusionem peccati per aggrauationem: & tangit duo; vnum (quod primum est) est, quòd completa voluntas reputatur pro opere: & hoc est, quod dicit [iam mœchatus est eam] Aliud (quod credebat carnalis populus, quod est) mœchia spiritualis: & hanc tangit, cum dicit [in corde suo] Non enim putabant aliquam esse mœchiam, quæ in solo corde perficeretur. De primo 2. *Cor.* 8. Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est; non secundum id, quod non habet. *Osee.* 4. Ligauit eum spiritus in alis suis. *Glo.* dicit. Spiritus fornicationis ligauit cor intùs in alis dissolutè volantis concupiscentiæ. De secundo *Osee.* 7. Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente. Attende autem in hoc, quod dicit [mulierem] & prohibet, quod minus est, intelligitur prohibitio facta omnis innaturalis libidinis. In hoc autem, quòd dicit [mulierem non vxorem, vel coniugem, intelligitur prohibitio fornicationis, & non tantùm mœchiæ, siue adulterij. Aliter enim non totam à corde excluderet concupiscentiam: & sic lex non perfectè impleretur. Sic igitur à corde excludit concupiscentiam.

Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.

Hîc incipit secundum, in quo excludit concupiscentiam, quæ manifestatur in signo corporis, non operante ad perfectionem actus corporalis; sed ostendente concupiscentiam cordis: & dicit hîc tria; signum videlicet, in quo manifestatur concupiscentia, & Medicinam *Ibi* [erue eum] & rationem medicinæ, siue curæ, *Ibi* [Expedit enim tibi] Sed antequam aliquid de primo exponatur, oportet quærere, quare dicat Christus: Si dexter oculus offenderit, cùm sinister sit causa offensionis, sicut & dexter? Et ad hoc sciendum, quòd dextera, vt dicit *Philosophus in secundo de cælo & mundo*, est vnde motus, & sinistra trahitur in motu. Vbi enim virtus mouentis est, ibi incipit motus, & ibi est dextra: & secundum hoc prospectus cordis, vnde est ordo, & motus totius vitæ, est dexter oculus. Sinister autem, qui trahitur, & obedit, est prospectus corporis in organis sensualis motus. Sensualis autem motus ligari quidem potest; sed curari perfectè non potest, quia ille est animalis. Quia, sicut dicit *August.* Fertur dissoluta lasciuia in delectabilia sensuum: quia sicut dicitur *Gal.* 5. Caro semper concupiscit contra spiritum. Et *Rom.* 7. Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum: Et ideò de illo sinistro nihil dicitur: quia supponitur, quòd quantumcumque est de se, semper scandalizat. Sed de dextro, quia illius scandalum peruertit hominem, & cura scandali eius perfectè implet legem. Hoc habito dico, quòd circa primum dicuntur duo; Primùm, quòd commemorat oculum dextrum, qui in ordinem suum, vel suam inordinationem & peruersitatem trahit sinistrum: secundum est, quòd dicit sub conditione: Si ille scandalisat vos, dicit igitur.

Quod si oculus tuus dexter.

Hoc est, prospectus cordis, qui est principium totius motus vitæ, & qui secū circumtrahit, & circunducit sinistrum, hoc est, prospectū corporis. De hoc prospectu cordis dicitur *Eph.* 1. Deus Domini nostri IESV-CHRISTI Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, & reuelationis in agnitionem eius; illuminatos oculos cordis vestri: & isti sunt oculi dextri, quos maximè nititur excæcare diabolus 1. *Reg.* 11. In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.

Scandalizat te.

Ecce tertium: est autem græcè scandalon obex siue obstaculum, quod obiicitur in via plana, ad quod cùm pes impingit, cadit ambulans: & hoc ponitur pro forma concupiscentiæ carnalis, sicut est forma decipientis mulieris subuertens prospectum à via recta per casum libidinis. Et ideò vituperantur mulieres tales formas prospectibus hominum obiicientes: quia primò forma venit ad prospectum corporis, qui est oculus sinister, & hoc non multum nocet; sed quando transit ad prospectum mentis, tunc scandalizat. Vnde *August. in Regula.* Neque enim cum inceditis, fœminas videre prohibemini; sed appetere, vel ab ipsis appeti velle, criminosum est: Et præmittit dicens: Oculi vestri etsi iaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur. Et *Ibidem* iterum in *Regula* Impudicus oculus impudici cordis est nuncius. Et cùm se sibi mutuò tacente lingua corda nunciant impudica, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. Ideò, vt dixi vituperantur fœminæ, tales formas obiicientes. *Isai.* 3. Pro eo, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerint collo extento, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis, composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem

filiarum Sion: & Dominus crinem earum nudabit. *Prou.* 7. Ecce mulier occurrit iuueni illo ornatu meretricio præparata ad decipiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis; nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians, apprehensúmque deosculatur iuuenem. *Eccl.* 7. Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus eius: qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa. Ab huiusmodi ergo formis informatus visus dexter scandalizat & impingit ad ruinam totius hominis [Erue eum] Ecce medicina: quia cùm posuit scandalum primò, secundò ponit medicinam, & tertiò medicinæ rationem. In medicina autem duo dicit; morbi videlicet eductionem, & perfectæ sanitatis restitutionem. Morbi eductionem tangit, cùm dicit [erue eum] Quòd autem eruendus sit oculus corporis, secundum quòd est in via illiciti ad oculum cordis, probant quidam per simile in morbo corporis: quoniam si membrum putrescat in corpore, & timeatur per collimitationem destrui corpus, vel aliud membrum, præcipitur amputari membrum putridum. Cum igitur melior sit anima, quàm corpus, si ex membro corporali perdi timeatur anima, debet amputari membrum corporis. Adhuc: Origenes ex amore castitatis dicitur emutilasse seipsum: & similiter duo iuuenes in vitas patrum: Adhuc quidam Philosophus excæcauit se, vt magis haberet cor congregatū ad sapientiam. Et ex omnibus his concluditur, quòd oculus scandalizans corporaliter sit eruendus: & dicendum, quòd hoc est [illegible]: quia ex hoc non curaretur morbus: quia eruto oculo, non propter hoc cessat concupiscentia, nisi etiam imago eruatur, quæ erui non potest. Et ideò cùm Dominus doceat curare morbum, constat, quòd de erutione corporali non intelligitur: nec est simile de membro putrido in corpore: quia ex continuatione, & collimitatione illius cum aliis de necessitate putrescunt alia: & ideò non est cura nisi per amputationem: in anima autem non est sic, & est possibilis alia cura. Nec commendatur Origenes, quòd se emutilauit: imò tales sunt postea irregulares ad ordines Ecclesiasticos. De illis autem, qui se emutilauerunt in vitas patrum, dicitur ibidem, quòd propter hoc vsque ad condignam pœnitentiā fuerunt excommunicati. De Philosopho autem dicendum, quòd hoc in eo fuit [illegible]: Philosophi enim in multis errauerunt.

Attendendum igitur, quòd oculus dupliciter eruitur, materialiter, quando pupilla excutitur: & hoc modo non valet ad morbi curationem eruere oculum. Alio modo [illegible] formam: oculus enim sicut & [illegible] potentiæ animæ nihil omnino agunt, nisi [illegible] apprehensas: & illæ sunt perficientes [illegible] ad operationem. Et tunc oculus dexter eruitur, quando fœmina (aliàs forma) mouens illicitas concupiscentias amputatur. Ideò dicit [illegible] 1. *Corin.* 6. Fugite fornicationem: quia non est vincere nisi fugiendo tales formas. [illegible] 54. Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. *Genes.* 34. Hoc erit tibi in velamen [illegible] ad omnes, qui tecum sunt: & quocumque perrexeris, memento te deprehensam. *Prouer.* 30. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Oculus subsannans patrem est oculus lasciuiens in subsannationem Patris cælestis: & hic despicit partum matris Ecclesiæ, qui scandalizat eum. Corui autem sunt humiles, nigri exteriùs mortificati, in torrentibus pœnarum pœnitentiæ habitantes, & de torrente passionum in via cum viro beato bibentes, qui suffodiunt eum eruendo formas concupiscentiæ: & filij magnæ aquilæ, qui Christus est, comedunt eum sibi incorporantes. Sic ergo eruitur oculus in curam morbi concupiscentiæ.

Proiice eum abs te.

Ecce restitutio plenæ sanitatis. Abs te autem proiicere est huiusmodi species peccatorum à te elongare. *Prouer.* 30. Vanitatem & verba mendacij longè fac à me. Proiectio enim est motus ab eo, qui proiicit. *Osee.* 4. Dimitte eum: separatum est conuiuium eorum. *Isa.* 37. Proiecit te: despexit te, filia Sion. Hoc est ergo proiicere oculum: & patet, quòd loquitur de concupiscentia, quæ manifestatur in oculis; sicut dicitur *Eccl.* 26. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum eius.

Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.

Ecce tertium, vbi tangit curæ inductæ rationem: Et dicit comparationem, quæ in duobus consistit, de quibus hîc facit mentionem: Et in vtroque comparatorum sunt duo: in vna parte ponitur membrum cum perditione sua; In altera autem totum corpus cum interitu in gehennam. De primo dicit.

Expedit enim tibi.

Quantum ad vitam gratiæ,

Vt pereat vnum membrorum tuorum.

Secundum vitam voluptatis. De qua dicitur *Iob.* 21. Ducunt in bonis dies suos, & gaudent ad sonum organi, & infantes eorum exultant lusibus: secundum hanc enim vitam necesse est perire membrum: quia dicitur, 1. *Timot.* 5. In delitiis viuens mortua est. *Col.* 3. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, quæ sunt fornicatio, immunditia &c. *Gal.* 2. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Christus.

Quàm vt totum corpus tuum.

Hoc est, tota congeries membrorum spiritualium.

Mittatur in gehennam.

Æterni incendij. *Luc.* 16. Crucior in hac flamma, dicit is, qui sepultus est in inferno: eo quòd vnum membrum linguæ secundum formam [illegible] noluit emere.

Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, & proiice abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum [illegible]orum, quàm totum corpus eat in gehennam.

Hic incipit tertia pars, vbi docet excludere concupiſcentiam ſecundum hoc, quòd manifeſtatur in proximo opere ad coitum ordinato: & dicit tria; morbum concupiſcentiæ, medicinam, & medicinæ rationem. De morbo dicit: ſicut de oculo. Eſt autem dextera manus, vnde eſt motus operationis, & operandi principium: hæc autem eſt virtus cordis: quia ſicut probatur *in libro de principiis motus voluntarij ab Ariſt.* Motus omnium membrorum, & operatio principiatur à corde: & illa manu ſcandalizante, neceſſe eſt, quòd ſubuertatur totum regnum vitæ. Siniſtra autem eſt, quæ trahitur, & ſeruit, virtus operans affixa membris: & licet illa ſit de ſe ſemper ſcandalizans; tamen ex illa regnum vitæ non ſubuertitur: quia eſt in poteſtate alterius. Vnde in *Prou. 4.* Omni cuſtodia ſerua cor tuum: quia ex ipſo vita procedit.

Sed quare non facit mentionem de pede? Dicendum, quòd pes non eſt operans per ſe ad concupiſcentiam: quia etſi portat concupiſcentem ad locum concupiſcentiæ; tamen tactus præcedentes coitum pede non perficiuntur; ſed potiùs manu amplexante, & loca pudenda tangente. Vnde *Prou. 7.* Veni, inebriemur ab vberibus, & fruamur cupitis amplexibus. Et *Ezech. 23.* Dicitur: quòd ingreſſi ſunt amatores ad cubile mammarum propter contactus immundos vberum & pudendorum. Hoc eſt ergo, quod vult dicere.

Si dextra manus tua ſcandalizat te.

Manus enim organum eſt aptum in multas operationes: & tactus immundi præcedentes coitum magis manu quàm alio mẽbro perficiuntur. Vnde *Hiero.* Riſus & ſibilli, tactus & ioci morituræ virginitatis ſolent eſſe principia.

Erue eam & proiice abs te.

Ecce medicina: & exponendum eſt ſicut ſuperiùs. Vt eruatur dextera ſecundùm formam, per quam operatur: & longè per alienationem ſuam ab ea proiiciatur: quia tunc nec ſiniſtra ſcandalizat; ſed ſub potentia dextræ comprimitur, & trahitur ad ſeruiendum in operibus caſtitatis: & hoc ſignificatum eſt *Iud. 3.* vbi dicitur, quòd Aioth vtraque manu vtebatur pro dextera. *Pſal. 117.* Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem: non moriar, ſed viuam. Dextera enim Domini eſt dextera, forma Dei informata: & hæc facit virtutem per formam virtutis operis, exaltat per magnifica opera, & iterum facit virtutem, ſcandalum iniquitatis excludens: & ideò talis non moritur: quia proiecit à ſe dexteram ſcandalizantem. *Exo. 15.* Dextera Domini magnificata eſt in fortitudine: dextera Domini percuſſit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios meos.

Expedit enim tibi.

Ratio eſt medicinæ: & exponendum eſt, ſicut ſuperiùs *Mar. 9.* Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duos pedes, vel duas manus habentẽ mitti in gehennam. Hæc eſt ergo expoſitio literæ. Sunt autẽ aliæ expoſitiones multæ traditæ à ſanctis conſolantes locum iſtum, quæ ſunt per metaphoras diuerſas ad mores introductæ: quas in hunc modum poſſumus congregare. Quòd occaſio ſcandali aut ſit in nobis, aut in his, quæ nobis coniunguntur, vt oculus, & manus. Si autem eſt in nobis eſt duplex vita; vna oculi, quæ eſt theorica, ſiue contemplatiua; altera manus, quæ eſt practica, ſiue actiua: & tunc ſi oculus per tædium contemplationis ſcandalizat, eruimus oculum, & tranſimus ad actiuæ exercitium. Contemplatio autem æternorum per dextrum ſignificatur oculum: & ſi dextra manus per torporem bonæ actionis ſcandalizat, eo quòd in agendis multas inuenit difficultates, abſcindatur actio exterior, & tranſeamus ad quietem contemplationis. Si autem occaſio ſcandali eſt in his, quæ nobis coniunguntur, tunc oculus dexter eſt amicus, doctor, vel conſiliarius, vel procurator, qui nobis proſpicit ſicut dexter oculus. Manus autem eſt amicus miniſter ſubſeruiens œconomus, benefactor, qui nobis operatur ſicut manus dextera. Et ſi in his ſcandalum inuenitur, abſcindendi ſunt quantumcunque coniuncti, & proiiciendi: quia qui aliquem talium amat plus quàm Chriſtum, non eſt eo dignus *Matth. 10.* & *Deuter. 33.* Qui dixerint patri ſuo, & matri ſuæ neſcio vos: & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos: hi cuſtodierunt eloquium tuum & pactum tuum ſeruauerunt: iudicia tua, o Iacob, & legem tuam, o Iſraël *Mich. vl.* Inimici hominis domeſtici eius: tales enim dicuntur & oculi & manus, ſicut dicitur *Iob. 29.* Oculus fui cæco, & pes claudo. Hoc eſt ergo, quod dicit.

Sed ſecundum ſuperiorem expoſitionem, quæ literalis eſt, quæritur: quia ſupra de ira loquens non docuit tantùm excludere iram; ſed poſt excluſam iram præcepit reconciliari fratri, & poſt reconciliationem ad concordiam redire; hic autem nihil horum facit; ſed tantùm docet excludere concupiſcentiam. Et ad hoc dicendum, quòd concupiſcentiæ malum non vincitur niſi fugiendo: & ideò in hoc non eſt niſi excluſio facienda; ſed malum iræ non perfectè vincitur niſi beneficia inimico impendendo; & ideò ibi exiguntur plura, quàm hic. *Rom. 12.* Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: & ſi ſitit, potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.

dictum eſt autem.

Hic tangit impletionem prohibitionis mœchiæ, inquantum eſt contraria indiuiduæ vitæ conſuetudini, quæ eſt inter legitimos coniuges: Et dicit duo: ordinabile, & ordinationem. Secundum eſt ibi [Ego autem dico vobis &c.] Circa primum modo conſueto dicit duo: ſcilicet, modum Edicti, & Edictum legis. Modus edicti tangitur, cùm dicitur [dictum eſt autem] Et non addit, antiquis: quia hoc non ſonuit ad omnes; eo quòd non eſt naturale, ſed potiùs contra rationem. Nec dicitur, quod Deus dixerit; ſed ſicut dicitur *Matth. 19.* Ad duritiam cordis veſtri Moyſes hoc permiſit.

Et ideò quæritur, vtrum Moyſes hoc permiſit ſine peccato: quia videtur, quòd peccauerit: quia qui occaſionem damni dat, damnum intuliſſe videtur; ipſe autem per hoc occaſionem dedit multis mortaliter peccandi. Si dicas cum *Gloſſa*, quòd permiſit malum, ne eueniret maius malum, hoc eſt, occiſio coniugum, videtur hoc nihil eſſe: quia non ſunt mala facienda, vt eueniant bona *Rom. 3.* Non ſicut blaſphemamur, & ſicut aiunt

aiunt quidam nos dicere, faciamus mala, vt eueniant bona, quorum damnatio iuſta eſt.

Ad hæc omnia ſoluenda, nota, quòd aliud eſt in factis perſonalibus, aliud in legiſlatoribus: quia ſicut dicitur *Sap. 6.* Continere habet legiſlator populos diuerſarum voluntatum in vna pace communi. In factis enim perſonalibus non eſt faciendum malum, vt alius faciat bonum, vel euitet quantumcunque malum (quia ſimpliciter nullus debet facere malum propter aliquem) quia malum, quod facit, aut erit mortale, & tunc ipſe moritur, vt alium iuuet, quod eſt contra ordinem charitatis: aut erit veniale malum, & hoc eſt diſpoſitio ad malum, & remittit feruorem charitatis, & illo remiſſo & diſpoſitione ad malum poſita, pronus erit ad caſum, & ſic ponit ſe in diſcrimine: quod iterum ſtultius eſt propter alium facere; ſed in legiſlatoribus & Principibus ſecus eſt. Illi enim non malum faciunt, ſed continere non poſſunt multitudines, niſi tribus ſe modis habeant ad multitudinem populi: quædam enim concedunt & præcipiunt; & quædam indulgent, & volunt: & quædam permittunt & ordinant. Concedunt autem & præcipiunt omnia, quæ iuſtitiam ſapiunt, & beatè viuere faciunt ciues in pace cunctis mortalibus deſiderata, vt dicit Aſſuerus; Sed indulgent & volunt, quæ infirmitati ſunt adhærentia, quæ tamen iuſta non ſunt; ſed nec ita iniuſta, quòd lædatur ciuilitas. Permittunt autem & ordinant mala, quæ neceſſe eſt fieri propter malas multorum voluntates, ſicut eſt vſura in legibus mundanis, quam non præcipit legiſlator, ſed cùm gratis accommodare non vult, ordinat limitando quid (alias quòd) vltra ſortem accipiat. Similiter eſt in lege Moyſi: moralia enim & ciuilia conceſſit & præcepit, & infirma indulſit, & voluit ea fieri. Sic cùm homo ſit in concupiſcentia, quamuis non faciat intuitu fidei thori, vel intuitu iuſtitiæ reddendi debiti, tamen cognoſcat vxorem, & vult, quòd vxor conſentiat ei, cùm non moueat eum niſi libido; quia aliter concupiſcentia prona ad ruinam caderet, niſi honeſtate nuptiarum ſic exciperetur: vnde in tali caſu dicit *Apoſt. 1. Corint. 7.* Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, & non ſecundum imperium. Et dicit Auguſtinus in glo. Ibidem Quòd hoc, quod indulgentiam habet, peccatum eſt; ſed tantum non eſt peccatum, quod accuſatione ſit dignum: & ideò vult, quòd coniuges ſibi in hoc ſubſeruiant. Permittit autem lex Dei quæ ſunt mala, quæ propter multitudinem ad hoc inclinatam punire non poteſt: ſed cùm permittit ea, ordinat ea: Sicut aliquando lex imperatoria permiſit vſuras; ſed ordinauit eas, ſicut diximus, Ita propter duritiam cordium Iudæorum, qui ſemiægyptij fuerunt permiſit: & cum permiſit ordinauit, quòd quãdo dimitteretur, daretur ei libellus, in quo cauſa dimiſſionis poneretur, vt ſaltem aliqua ſeruaretur forma iuſtitiæ. Propter quod non legitur vnquam aliquis Sanctorum vxorem dimiſiſſe.

Dicit autem hîc quædam gloſſa Chryſoſtomi, Moyſes permiſit libellum repudij, ſicut Apoſtoli ſecundas nuptias. Et hoc non videtur: quia ſecundæ nuptiæ nõ damnantur 1. Cor. 7. Quando dormit vir eius, liberata eſt à lege viri: cui vult, nubat tantùm in Domino. Libellus autem repudij ſemper fuit damnabilis, nec à lege permittebatur, niſi quia non puniebatur, ſed lex non auferebat peccatum. Et dicendum ad hoc, quòd eſt ſimilitudo in cauſa in genere: quia ſicut libellus repudij permittebatur, ne propter concupiſcentiam mœchiæ occiderent coniuges: ita indultæ ſunt ſecundæ nuptiæ, ne propter concupiſcentiam ruerent in fornicationem.

Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij.

Ecce id, quod eſt ordinandum; tangit duo: primò enim tangit id, quod permiſit lex non vindicando: & ſecundò dicit ordinem legis, quæ circa permiſſum ordinauit. De primo dicit infinitè [quicunque dimiſerit vxorem ſuam] propria ſponte, non præcepto legis [det illi libellum repudij] Ecce id, quod ordinat lex in aliquod mali remedium: quia ſicut eſt, quando permittit Deus aliquod malum fieri, nunquam voluntas Dei eſt de malo, quod fit; ſed potiùs de bono, quod inde ordinatur, ſicut quando permiſit Martyres occidi, non voluit occiſionem actiuam; ſed voluit patientiam Martyrum, & conſtantiæ fidei relinquere exemplum, ita etiam lex nunquam vult id, quod permittit; ſed cùm ſine voluntate legis fit aliquid, vult circa hoc fieri, ne omninò appareat fœdum & iniuſtũ. Sicut etiã in arte non præcipiuntur fieri mala artis, ſicut quòd malè incidatur corium calcei; ſed cùm contingit hoc malum, ars quantum poteſt, ſubuenit & ordinat, ne omninò pereat. *Deut. 24.* Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudij, & dabit in manu eius.

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, eam mœchari facit: & qui dimiſſam duxerit, adulterat.

[Ego autem dico vobis] qui ſum noui populi Legiſlator, non modò per Angelum dico; ſed per meipſum [Quia omnis, qui &c.] Ecce impletio legis, quando tollitur, quod iniuſtè permiſſum eſt: & tangit tria, quorũ primum eſt, in qua cauſa, & non in alia poteſt fieri repudium: ſecundum eſt reatus dimittentis, ſi ex alia cauſa dimiſerit: tertium autem eſt peccatum ducentis dimiſſam, quod etiam permiſſum fuerat *Deut. 24.* Dicit ergo.

Omnis, qui dimiſerit.

A thoro, non à ſocietate matrimonij: quia illa inuiolabilis, quamdiu viuunt legitimi coniuges: & hoc notat, quando addit [vxorem ſuam] quia vxor non eſt, niſi ſit legitimè coniuncta: & huius cauſa eſt: quia omne, quod commune eſt plurium, oportet lege ordinari: quia aliter amor priuati boni induceret ad hoc, quòd vnus faceret iniuriam alteri: matrimonium autẽ commune eſt plurium, & ideò lege determinandum eſt, quæ ſit legitima coniunctio. Super priuatum autem bonum, inquantum homini eſt, nulla cadit legum ordinatio.

Excepta cauſa fornicationis.

Fornicationis dicit, cùm tamen ſit adulterium: quia tranſgrediens thoru non habet finem niſi fornicantis, cuius finis eſt delectatio, & nihil honeſtatis habet in intentione: & propter ſimilitudinem finis ponitur fornicatio pro adulterio. Qui autem di-

mittit propter causam fornicationis, non repudiat, nisi à thoro: quia aliam ducere non potest.

Et attende, quòd intelligitur de ea, quæ adhuc agit libidines fornicationis: in illa enim non est via correctionis: qui enim talem tenet: patronus est turpitudinis. *Prou.* 18. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens. Sic enim pro peccato dimittere, & non innocentem, neque pœnitentem innuit Dominus, loquens ad Synagogam *Isa.* 50. Quis est iste liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam: aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram; quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat, qui audiret. *Eccl.* 7. Mulier si est tibi secundum animam tuam, ne proiicias illam: odibili ne credas te. Pœnitens autem mulier debet esse fidelis viro secundum animam: & huius exemplum dat Dominus *Ierem.* 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te. Et ideò decretum est Sanctorum, quòd adultera recipienda est, sed non sæpè. Sed per ius non potest cogi alter coniugum, qui separat ob fornicationem coniugem à thoro, nisi ex pietate velit. Et hoc est, quod dicit. Hic autem dicit *glo.* quòd etiam propter fornicationem spiritualem, vt si cogat ad idololatriam, vel auaritiam, vel alias concupiscentias, potest dimitti à thoro. Sed hoc non videtur: quia tunc sæpe fieret repudium: & dicendum, quòd in talibus non potest dimitti coniux à thoro: quia non peccat contra matrimonium, sicut facit adulterium; sed à cohabitatione separantur: ita tamen quod soluat, & reddat debitum. Si enim alter est fur, vel raptor, vel aliquid huiusmodi, & ad vsum talium cogat coniugem, debet non obedire, & in vsu talium lucrorum non cohabitare. Hoc est ergo, quod dicit.

Facit eam mœchari.

Ecce secundum, vbi exaggerat peccatum: quia per hoc, quòd fraudat debito eum, qui propter timorem cõcupiscentiæ contraxit matrimonium, dat ei causam adulterandi: & hoc modo facit, quod non facit, qui propter fornicationẽ dimittit: quia tũc ille, qui dimittit, causa est suę dimissionis.

Et qui dimissam duxerit, adulterat.

Ecce tertium peccatum eius, qui ducit dimissam propter fornicationem. 1. *Cor.* 7. Præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptã, aut viro recõciliari. Et ideò qui ducit eam, adulteratur: mulier autem sic adulterans, vt dicit *Chrys.* quatuor peccata cõmittit, quæ sunt, exhæredatio verorum filiorum, fidei violatio, virũ dimittit, & adulteratur. Et hoc tria vltima facit etiam vir adulterans. *Eccl* 23. Omnis mulier relinquens virũ suum peccabit, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit: & secundò virum suum dereliquit: tertiò in adulterio fornicata est: & quartò ex alio viro filios hæredes statuit sibi. *Malach.* 2. Custodite spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

Iterum audistis, quia dictum est antiquis.

Hic inducit prohibitionem, quæ est in verbis, & implet eam: & ordo patet ex superioribus. Est autem ista prohibitio generaliter ordinata super omne, in quo cõmunicant sibi homines. Diuiditur autem in partes duas. Primò docet implere prohibitionem periurij: sed quia periurium omne, vel iuramentum cadit super omnes sermones, in quibus cõmunicant sibi homines: ideò in secundo docet implere illã partem, quæ est in sermone simplici. *Ibi* Sit autem sermo vester, est &c.] Adhuc in priori duo facit: proponit enim id, quod est implendum: & secundò ponit ipsam impletionem *Ibi* [Ego autem dico vobis &c] Adhuc modo superiori in primo facit duo: primò ponit modum prohibitionis, & postea proponit id, quod est ordinandum. Modum autem prohibitionis tangens tria dicit: quorum Primum est iteratio dictionis, cum dicit [Iterum] conformitas dicti ad materiam, cùm dicitur [dictum est] approbatio veritatis per auctoritatem antiquorum, cùm dicit [antiquis] circa primum nota, quòd ea, quæ in præhabitis sunt determinata, dictionem habuerunt rei tantùm: istud autem est inuocatio diuinæ veritatis super dictum hominis. Et ideo est hic alia manifestatio, vel alius modus quàm in præcedentibus: Et geminatio illa auditus rectitudinis in inuocatione immobilis veritatis super dictum hominis notatur per iterationem, quam importat, cùm dicit.

Iterum audistis.

Interiori aure [quia dictum est] in auditu totius mundi, & omnium hominum: omnium enim hominum (aliàs omni enim homini) dictat ratio, quòd diuina veritas (quæ immobilis, & indeflexa est) non debet inuocari in testem dicti hominis falsi: quia *Rom.* 3. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax. *Num.* 21. Non est Deus vt homo, vt mentiatur. *Tit.* 1. quam promisit, qui non mentitur Deus. Sicut ergo curuum, & rectum non adæquantur: ita etiam diuina veritas non adæquatur verbis falsis hominis. Hoc igitur dictum est omnibus [antiquis] non solum corruptioni proximis (quorum non sunt prohibitiones nisi super horribilia secundum se) sed etiam his, quorum experientia sapientiæ est multa, & plurima agendorum circunspectio: à quibus hoc (propter multum periculum, quod in iurando) est approbatum. *Iob.* 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Sic igitur istud [dictum est antiquis] Et hoc intus auditus dicit nobis.

Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua.

Hic tangit illud, quod est implendum, & dicit duo; prohibitionẽ periurij, & id quod indulgetur infirmitati *Ibi.* [Reddes autem Domino de periurio dicit [non periurabis] *Exo.* 20. Nõ assumes nomen Dei tui in vanum, *Leui.* 19. Non periurabis in nomine meo, neque pollues nomẽ Dei tui. Ad hoc quòd bene sciatur, quid sit periurium, oportet videre quid iuramentum, & quæ necessitas, à qua oritur iuramẽtum, & quæ exiguntur ad iuramentũ, & quod iuramentum sit licitum, & qualiter sit intelligendũ, & vtrum sẽper sit obseruandũ: Deinde qui sint modi iurandi, deinde quare à iure nominetur potiùs, quã ab alio; & ex omnibus dictis videndũ, quid sit periurium, & quare periurium est in prohibitione legis, & nõ iuramẽtũ: & de omnibus his diffiniẽdo potiùs, quã disputãdo dicemus.

Ad

Ad primum ergo dicimus, quòd iuramentum est inuocatio immobilis veritatis ad testificandum, & confirmandum veritatem mobilem, quæ est in dicto hominis, vt melius aliquis veritati dicti hominis inniti possit. Hoc autem accipitur ab eo, quod dicitur *Hebr.* 6. Homines per maiorem sui iurant, & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum.

Necessitas autem quæ cogit ad iuramentum, est, & à qua ortum est iuramentum, quòd homines necesse habēt communicare in contractibus & pactis: quia aliter cohabitare ciuiliter non possent. Contractus autem & pacta non possunt fieri nisi in actionibus voluntariis: & voluntates non sibi mutuò innotescunt nisi per verba. Verba igitur faciunt obligationes & pacta & contractus, secundum quòd indicia sunt voluntatis. Nihil autem mobilius & instabilius & dubitabilius & ignorantiæ permixtius est, quàm voluntas. Igitur de se verba nuncia voluntatis nihil habent stabilitatis, cui aliquis inniti possit: oportet autem inniti tam in iudiciis, quàm in contractibus & pactis & aliis obligationibus: Ergo veritatem dicti hominis oportet fulciri aliquo immobili: non est autem immobile aliquid (aliàs aliquod) quod ei applicari possit nisi exemplar eius, quod est diuina veritas. Illam ergo oportet facere fidem ad confirmationem dicti hominis. Et hæc duo simul tangit *Apost. Roma.* 3. Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax. Et quia sic mendax est homo, oportet, quòd firmitas dicti sui roboretur superiori veritate confirmante.

Illa autem, quæ exiguntur ad iuramentum, tanguntur *Ierem.* 4. Iurabis viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia; & hæc tria dicit *Hieronymus* esse tres comites iuramenti: & horum comitum vnus format iuramentum ex parte iurantis; alter ex parte rei, quæ asseritur: & tertius ex parte causæ, per quam iuratur. Iudicium enim iudicium rationis, quo discernere habet iurans quid & quando, & ad quid iurat, qualiter certificatus sit, & huiusmodi, & quàm discretè iuret. Et hic comes comitatur iuramentum secundum quòd est actus iurantis, vt diximus. Sed quia in eo quòd res est, vel non est, oratio vera, vel falsa est: & ideò veritas est comes, quæ informare habet iuramentum ex parte rei, quæ iuratur. Non autem facienda iusta semper quinimò iustè quod iustum est, exequendum est: & ideò causa, propter quam iuratur, debet esse iusta, & iustè postulata. Iuratio, vel coacta, vel non voluntariè oblata, nec spontè facta.

Exiguntur ergo ad iuramentum sex, quorum vnū est, quòd inuocatio non sit super rem vanam: secundum est, quòd testificatio fiat per diuinam veritatem, & non per aliud. *Deuter.* 6. Dominum Deum tuum timebis, & per nomen illius iurabis. Tertium est, quòd sit de his, in quibus incredulitas aduersarij, vel nobiscū communicantis expostulat: quartum est iudicium: & quintum est veritas: & sextum iustitia. Ex his accipitur quòd omne illud iuramentum sit licitum, sicut dicit *Beda*. quod obseruatum in deteriorem non vergit exitum. Quia hæc omnia sex habet, quæ sunt enumerata. Quòd autem sit de re illicita, vt de furto, vel adulterio, vel non manifestando crimine (cum *Augus*t. dicat, quòd qui crimen celat, consentit) est illicitum: vnde in omnibus talibus statim iurando homo efficitur periurus: Et ideò debet rescindere pactum & mutare decretum, vt dicit *Beda*.

Quia verò homo non iurat propter seipsum quia conscientia sufficit ei ad seipsum: Ideò oportet, quòd quacunque arte verborum vtatur, quòd iuramentū semper in illo sensu intelligatur factum, in quo accipit ille, cui fit, propter quem fit iuramentum. Ex his patet etiam, quòd iuramentum semper est obseruandum; quia non est iuramentum, nisi sit licitum; & tunc est obseruandum: Alioquin in iuratione esset periurium.

Modi autem duo sunt, quibus iuratur in genere; Modus testificationis, & modus execrationis. Modus testificationis est, quando simplex fit testificatio dicti per diuinæ veritatis inuocationem: & hic habet multos modos secundum consuetudines iuramenti: aliquando enim iurabatur, viuit Dominus; & hic erat per vitam infallibilis veritatis Dei: aliquando autē per Deum & aliquando testem inuocando in animam suam, sic 2. *Corin.* 1. Ego autem testem inuoco Deum in animam meam, quòd parcens vobis, non veni vltra Corinthum. Et aliis diuersis modis. Iuramentum autem execrationis fit per interminationem pœnæ, sicut si non faciam, mala mors me apprehendat: sicut iuramentum, quod fuit inter Iacob & Laban *Genes.* 31. Hæc autem pœna apponitur, quando homo iurat, quando (aliàs quia) in hominem cadere potest pœna, sicut *Iob.* 31. Si comedi buccellam meam solus &c. & subinfert, seram, & alius comedat, & pro hordeo nascatur mihi spina. Quando autem Deus iurat execrando, pœna determinari non potest; quia pœna non cadit in Deum, sicut *Psal.* 94. Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.

A iure autem denominatur; quia cum omne ius, vt dicit *Tullius*, à iudicio, vel pacto, vel à pari oriatur, iuramentum non nisi in indicio, vel pacto, vel pari, siue æquali (quod inter contractus facientes attenditur) exhibetur: in omni enim contractu attenditur æquale, quòd vterque contrahentium æquali gaudeat valore, & neuter decipiatur: & ita non præstatur iuramentū nisi super iuris originem. Et ideò à iure etiam iusiurandum, vel iuramentum appellatur.

Ex omnibus autem inductis, & præcipuè ab illis sex, quæ exiguntur, accipitur quid sit periurium. Sicut enim virtus constat ex vna tota & sola causa, quæ est omnes circunstantias in debito actu cum fine: Et si aliquid horum singulum corrumpatur, nascitur vitium: ita etiam iuramentum verum conficitur omnibus simul supradictis sex conuenientibus: periurium autem est, si vnum solum ex omnibus omittatur, sed tunc de multis dicitur periurium per prius & posterius & illud maximè nomen habet periurij, in quo omnia simul corrumpuntur: & post hoc illud in quo deest veritas: & post hoc, quod caret iustitia: & sic illo est, quod caret iudicio: & omnia alia habet: & sic de aliis quod plus habet deformitatis, habet etiā plus de nomine & ratione periurij. Hinc patet quare periurium in lege prohibetur. Iuramentum non præcipitur; sed cum fit, indulgetur infirmitati non credentis aliter proximo: & hoc fit ideò, quia licet iuramentum ex duobus

componitur, quorum vtrunque est bonum, quod est enunciatio veritatis in sermone humano, & inuocatio veritatis diuinæ; tamen coniunctio istorum duorum est periculosa propter incertitudinem dicti humani: quia homo est ignorantiæ permixtus & dubietati; & ideò periculum est suo dicto testimonium diuinæ veritatis inuocare. Et hæc est causa, quòd periurium prohibetur; sed iuramentum non præcipitur, sed indulgetur infirmitati, & ordinatur, sicut patebit inferiùs. Hoc est ergo, quod dicit.

Reddes autem Domino iuramenta tua.

Eccl. 23. Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Et *ibidem* subditur: vir multum iurans non erit immunis à delicto, & de domo eius non recedet plaga. Quamuis enim legatur *Psalm.* 109. Quòd iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Et quòd Sancti iurauerunt; tamen periculosum est iurare; Et assuescens iurare, antequam sciat, labitur in periurium aliquod de supradictis. *Iacob.* 5. Ante omnia frates, nolite iurare &c. Prohibet enim Dominus iurare, falsò sine veritate, dubiè, sine teste conscientiæ: superfluè, sine necessitate causæ: siue temerè, siue præcipitanter, sine iudicio deliberationis. Hac igitur de causa non dicit lex: iura, & cùm iuras [redde Domino iuramenta tua] Sed tacet de præcepto iuramenti, & relinquit tamen indultum. Et quando fit, præcipit, quòd reddatur Domino. Reddere autem Domino est referre Domino: & hoc fit, quando iuratur per Deum, & non per aliquem alium Deum, vel aliquam creaturam: quia illi creditur inesse immobilis veritas, per quod iuratur, inquantum est de ratione iuramenti, vt patet per antedicta. Non debet autem aliquis significare talem veritatem esse nisi in Deo: tamen huic videtur esse contrarium, quòd Ioseph iurauit per salutem Pharaonis *Genes.* 42, Et dicendum, quòd Ioseph non iurauit per salutem Pharaonis ibi sistendo, sed referendo illud, quod dixit, ad Deum saluantem, cuius salus in salute Pharaonis apparebat.

Ego autem dico vobis, non iurare omninò, neque per cœlum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est Regis magni: Neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester: est, est: non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.

[Ego autem dico vobis] qui per meipsum, non per Angelum loquor vobis [Non iurare omninò] Hic docet implendo perficere prohibitionem eo modo, quo alia docuit: & diuiditur in duos paragraphos. Primus loquitur de impletione prohibitionis, & secundus de impletione indulgentiæ iurandi, qua ad Dominum præcepit reddi iuramenta, *Ibi* [Neque per cœlum &c.] De primo attende, sicut ante dictum est, quòd non est impletio legis in addendo, vel minuendo; sed potiùs in reducendo eam, quòd inscribatur cordibus, & visceribus audientium, sicut in ante habitis expositum est. Et ideò dicit.

Non iurare omnino.

Et dicitur, quòd ista oratio duplex est; eo quòd signum distributionis potest à negatione respici formaliter, vel materialiter. Si formaliter, tunc negatio refertur ad totum: & est sensus: Dico vobis: non omnino iurare, hoc est non ex quacunque causa, vel leuitate iurare: & tunc non prohibet, quin ex aliqua causa iurari possit. Si autem respiciatur materialiter: tunc est sensus: dico vobis omnino non iurare, hoc est, ex nulla causa iurare: & in hoc sensu videtur accipere Chrysostomus, qui dicit, quòd iurare omninò sit illicitum: & arguit Clericos, qui Euangelia porrigunt & tenent iurantibus: & hoc non tenet Ecclesia.

Vnde notandum, quòd reuera sensus literæ est, quem dicit Chrysost. sed quia iurare est actus iurantis, cuius principium est voluntas, & non natura, prohibetur iste actus, secundum quòd erit à voluntate: & sensus est: nullam omnino voluntatem habeatis iurandi: sed semper sit vobis voluntas contraria iuramento: & ideò quando contingit propter necessitatem iurare, indulgetur: sicut quando contingit ex concupiscentia sola vxorem cognoscere: & talem indulgentiam dans lex vult in casu fieri, quod indulget; & non præcipit, vel suadet, sicut diximus in præcedentibus. Et hoc modo tunc prohibitio inscribitur cordi: quia qui nullam habet iurandi voluntatem, sed necessitatem: nullo modo peierat: & tunc completa est lex prohibitionis periurij. Et in eodem sensu dicit *Iac.* 5. Ante omnia fratres mei nolite iurare.

Neque per cœlum.

Ecce tangit impletionem iuramenti, quòd si iuratur, iuretur per eum, qui veritas est immobilis. Attende autem causam dicti: duo enim genera hominum iurabant per creaturas, videlicet, fideles, & infideles. Fideles simplices ideò per creaturas iurabant: quia putabant talibus iuramentis non obligari, eò quòd nulla in creaturis esset diuinitas, nulla esset testificata per eas veritas, cùm de omnibus dictum sit *Eccl.* 1. quòd cuncta subiacent vanitati. Et hi arguuntur ab Augustino, quia licet creatura in se vana sit; tamen veritatem habet exemplatam à diuina veritate, & hoc, quando iuratur ipsa intentione iuramenti, & refertur ad diuinam veritatem: sicut in veneratione adorationis, imago refertur ad sanctum, cuius est imago: & tunc sic relata ad Dei veritatem, obligat iuramentum, quod fit per creaturas. Infideles autem iurabant per creaturas: quia putabant aliquid numinis esse in creaturis, & attribuerunt eis venerationem immobilis veritatis: Et hoc arguit Chrysostomus; litera autem consentit vtrique expositioni, sicut patebit.

Attende ergo, quòd creatura, per quam iurare non debemus (& quæ non habens diuinitatem vt Chrysostomus dicit; & habet tamen veritatis Dei exemplationem) aut est imago, aut est vestigium: Et si est vestigium, aut imitatur

imitatur in gratia & sanctitate, aut in natura: Et si in natura, aut in repræsentatione imitatur pulchritudinis gloriæ, aut in vltima exigua similitudine: & si imitatur in repræsentatione pulchritudinis & gloriæ, tunc dicit [neque per cœlum] quia non Deus, sed thronus Dei est: & ideò repræsentans pulchritudinem gloriæ suæ, per quam iurans, exemplari illius pulchritudinis (quod est in Deo) obligatur.

Scias autem quòd sicut in naturis lux emittens lumen in purum & clarum aërem serenando eum, facit ipsum sedem & locum pulchritudinis lucis, quia omnes colorum species depuratæ & à fæce materiæ remotæ, stant in ipso, & repræsentantur in ipso, & agunt in oculos videntium ex ipso: & sic etiam luce increata, per candorem lucis suæ serenantur cœli per metonymiam dicti (qui sunt Angeli) & serenati candore lucis æternæ, locus efficiuntur omnium pulchritudinum veritatis diuinæ: & ideò dicuntur throni. Propter hoc attribuitur thronis à beato Dionysio esse eleuatos à scabellari subiectione propter depurationem & serenationem naturæ: & thearchici (hoc est diuini principalis) aduentus esse immaterialiter susceptiuos: sic etiam anima hominis lucem habet intellectus agentis. Cum infunditur lux increata, commiscetur, & emissione luminis serenat & immaterialem facit animam in ea parte, qua recipere habet veritatem: & hæc pars vocatur intellectus passibilis (aliàs possibilis) & tunc efficitur locus & thronus pulchritudinum veritatum diuinarum altissimarum. Sicut perspicuum serenatum lumine, efficitur locus specierum lucis, vt diximus: Et sic anima iusti sedes est sapientiæ: non enim recipit aliquid horum trium species pulchritudinis, vt materia, vel subiectum: quia si sic reciperet, tunc afficeretur illis, & denominaretur ab eis, & esset perspicuum aëris album, vel rutilum, vel aliquod huiusmodi, quod absurdum est. Recipiunt ergo ista sicut locus specierum, & non sicut materia; & hoc iam à nobis in philosophicis est demonstratum. Tales autem species pulchritudines vocantur propriè; quia nihil de fæce materiali retinentes in pulchritudine, qua in mente Dei candent, sunt in talibus thronis immaterialiter susceptæ, in perspicuo minus & particulariter, & in anima plus & vniuersaliter, in Angelis autem maximè vniuersaliter & simpliciter. Sic ergo cœlum Dei thronus est: & anima iusti sedes sapientiæ: & hoc modo sedet super Cherubin plenitudinem scientiæ, cuius plenitudo nusquam est nisi in tali pulchritudine veritatis. Tangens autem creaturam propter oppositum, quæ exigui vestigij per naturam est repræsentatiua dicit.

Neque per terram, quia est scabellum pedum eius.

Et non Deus. In scabello pedum non resultat nisi figura plantæ pedis, quæ est similitudo non sedentis, non pedis; sed vltimi termini pedis. Et hoc modo terrena materialia vltimam habent & minimam imitationem Dei, non in pulchritudine, sed materialibus formis in materiam deiectis: & calcatis quædam indicia repræsentant Creatoris, & non enarrant gloriam Dei, sicut cœlum. Tamen qui iurat per terram, non erit innocens: quia illa ipsa imitatio relata est in Dei veritatem, & per illam obligabitur. *Isa.* 66. Cœlum mihi sedes, & terra scabellum pedum meorum.

Neque per Ierosolymam.

Ecce tangit imitans in gratia; quia ab illa ciuitate processit regimen vtrumque, spirituale videlicet in sacerdotio, & mundanum in regno: quæ duo exemplata fuerunt à iustitia regente in sanctitate gratiæ, & regente in legum vrbanitatibus: & ideò non est iurandum per illam.

Quia est ciuitas magni Regis.

Non Deus, sed exemplum regni eius. Et ideò obligatur, qui iurat per eam. *Psalm.* 121. Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.

Neque per caput tuum.

Ecce tangit creaturam, quæ est imago; & tangit caput: quia ibi vigent operationes animæ, secundum quam homo est imago: & subiungit causam.

Quia non potes vnum capillum facere album, vel nigrum.

Q.d. quia non es Deus: si enim tu esses Deus, per quem iurandum est, omnia tua in tua caderent potestate: & hoc non est verum, quòd patet in minimis. Capillus enim minimum est, quod adhæret capiti, & albescit in canicie potius ex defectu, quàm ex virtute: & iste tamen defectus tuæ non subiacet potestati: imago tamen Dei est: & ideò obligatur, qui per ipsum iurat.

Sed attende, quòd Ecclesia iurando tenet modum istum, quòd iurat per Euangelia, & reliquias sanctorum: quod est iurare per creaturas, cùm hoc hic videatur prohiberi. Et dicendum, quòd Euangelium non habet veritatem nisi diuinam, & reliquiæ Sanctorum expressè demonstrant virtutem diuinam in eis miracula operantem: Et ideò per illas iuratur.

Sit autem sermo vester: est, est: non, non.

Ecce impletio alterius partis, quæ est, non falsum testimonium dicere, & non mentiri. Et [est, est] dictum est, quod si est affirmatio in corde, sit etiam in ore: & sicut est negatio in corde, sit etiam in ore. Vel melius dicatur, quòd per modum stipulationis accipitur. Quia enim sermo est ad alterum, cui pandere volumus intentiones nostras, si ille quærit [est] dicant simpliciter [est] si ita est in re. Et si petit [Non] dicamus [non] si ita se res non habet. 2. *Corin.* 1. Sermo noster, qui fuit ad vos, non fuit in illo est & non, sed est in illo est. *Iac.* 5. Sit sermo vester est, est: non, non. *Psalm.* 11. In corde & corde locuti sunt &c. *Isa.* 28. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.

Quod autem his amplius est.

In confirmatione, vel iuramento, vel mendacio [à malo est] tuo, vel alieno: tuo si vsum habes iurandi, vel mentiendi: alieno autem, si non credit tibi is, cum quo loqueris, nisi iures, vel confirmes ea quæ dicis. Hoc enim est malum

incredulitatis, quæ prouenit ex fallacia sermonis humani.

Audistis, quia dictum est : oculum pro oculo : dentem pro dente.

Hic incipit ordinare & implere iudicialia : & diuiditur in partes duas. Primò enim proponit id, quod implendum est : & deinde impletionem subiungit : *ibi*. Ego autem dico vobis, non resistere malo. Adhuc autẽ circa primum, modo consueto dicit duo; modum videlicet quod dictum est iudicium, & ipsum iudicium. Circa primum alium habens modum, quàm habuerat in præmissis. Quia in quibusdam naturalibus, dixerat : Audistis, quia dictum est antiquis. In quo & auditus rei sonabat ad omnes, & antiquitas sonabat inexcusabilitatem, & ad probationem & futuram impletionem propter corruptionem (aliàs correctionem) antiquæ gentis. Vbi autem nihil naturalium sonabat, non dixit de auditu aliquid, sed simpliciter : dictum est autem, sicut in libello repudij : hic autem medio modo vtitur inter vtrumque : quia dicit.

Audistis.

Eo quòd hoc sonat ad omnes : & non dicit : antiquis: quia hoc in iudiciis, & continenda iustitia semper seruari est necesse, nec antiquatur, nec senescit, neque est prope interitum : quia diu in mundo dominatur malitia. Vnde *Rom.* 13. Non sine causa gladium portat ; vindex est enim in iram ei, qui malum agit. Et hoc, vt 1. *Pe.* 2. dicitur, est ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Hæc igitur est causa, quòd in tali hoc vtitur modo loquendi. *Exo.* 22. Maleficos non patieris viuere.

Oculum pro oculo.

Hic incidit quæstio, cùm alia fuerint iudicia *in Exod.* 21. & 22. præter istud, quare de sola lege talionis hic ponit impletionem, & non facit mentionem de aliquo aliorum ? Sed ad hæc plana est responsio secundum ante dicta : quia nullum aliorum ordinabile est ad viscera & cor secundum naturæ ordinem, nisi istud : & cum ille solus modus sit perfectæ impletionis legis, sicut sæpe diximus, de isto solo hic facit mentionem. In lege autem talionis, cuius impletionem ponit hic, non facit mentionem nisi de duobus membris dicens. [Oculum pro oculo : dentem pro dente] Horum vnum est formalioris sensus organi, & quod plus habet de ratione sensus, & minus de ratione naturæ & hoc est oculus. Alterũ est, quod minus inter omnia membra aliquid sensus habentia participat : nullum enim ossium aliquid participat de vi sensus nisi dentes : secundum *Galenum*, qui dicit, quòd propter vicinitatem cerebri, & complexionem dentis aliquid est in dente de vi tactus. Per supremum ergo in sensu & infimum comprehendit omnia in medio contenta : vt tantum recipiat quisque, quantum intulit. *Deut.* 25. Secundum modum & mensuram delicti, erit & plagarum modus. *Isa.* 27. Mensura contra mensuram cùm abiecta fuerit, iudicabit eam : nisi enim ita fieret, cohabitatio & ciuilitas inter homines dissolueretur.

Ego autẽ dico vobis non resistere malo.

Ecce tangit impletionem, & tangit duo : auctoritatem dicti, cùm dicit [Ego autem dico vobis] qui sum fons misericordiæ in isto primo aduentu *Eze.* 18. Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius 2. *Cor.* 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi non reputans illis peccata ipsorum. *Isa.* 53. Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit. [Non resistere malo] Hic tangit impletionem, & tangit impletionem secundum duos ordines; contra malum, & in ordine ad bonum : *Ibi*. Qui petit à te, da ei &c. Contra malum ordinat dupliciter ; in vniuersali, & in generibus mali illati secundum materiæ diuersitatem : *Ibi* [Sed siquis percusserit] in vniuersali dicit [Non resistere malo] Et malum, de quo dicit, hoc est malum violentiæ, quod infert pœnam damni, vel sensus.

Sed contra : si nullus resistat malo, mali crescent in nocumentum bonorum : & hoc est Ecclesiæ destructiuum. Dicendum, quòd Christus non vetat hic iudicium debere fieri contra malos, quia hoc esset malum. *Eccl.* 8. Quia non citò profertur sententia contra malos, filij hominum absque vllo timore perpetrant mala. Sed legem benignitatis vult ponere in visceribus, & patientiæ in propriis iniuriis. Amor enim vindictæ in propria iniuria facit lites, & suscitatas lites non permittit reconciliari : & hunc patientia Christi, & benignitas omninò excludit, & tunc cessant lites : & hunc sensum confirmat *Apost. Rom.* 12. dicens : non vosipsos defendentes, charissimi ; sed date locum iræ. Scriptum est enim *Deut.* 32. Mihi vindictam, & ego retribuam. Auxilium iræ iudicis non prohibet Christus ; sed perfectionem docet, quæ est perfectæ pacis, non resistere malo ; sed potiùs mali desiderare correctionem.

Videtur autem & hoc ipsum inconuenienter dici ; quia vim vi repellere licet, vt dicit *Isa.* 5. Nulli vnquam non licuit : & est de lege naturali. Christus autem naturam, quam condidit, non venit subuertere : ergo videtur, quòd inconuenienter dicit malo non esse resistendum. Ad hoc dici potest, quòd licet quidem vim vî repellere cum moderamine talis tutelæ, quæ culpari non possit, quæ non sit ad inferendum, vel cumulandum malum ; sed ad repulsam mali, quod intendit infligere aduersarius ; sed hoc non vocatur resistere malo : resistere enim est contrapugnare : & hoc est plusquam malum repellere : quia Contrapugnare, est pugnando velle malum inferre, quod sonat appetitum vindictæ, & libidinem destruendi inimicum.

Sed tunc quæritur, vtrum quod hic dicit, sit præceptum, vel consilium : si est præceptum, tunc omnes tenentur ad istud, & hoc esset graue; Si autem est consilium, tunc videtur, quòd nullus ad hoc tenetur, nisi qui ad hoc consilium se specialiter obligauit : quia ex hoc, quòd homo obligat se ad vnum consilium, non propter hoc tenetur ad aliud, nisi specialiter se obliget ad illud : & tunc hoc non erit impletio legis, quia lex proponitur omnibus ; sed erit instructio paucorum. Responsio quòd est præceptum hoc modo, quo expositum est : quia etiam quando aliquis vim repellendo excludit malum, non facit

hoc

hoc resistendo malo secundum animum; sed potiùs, vt illi (aliàs ille) caueat qui malum inferre nititur, & sibi: illi specialiter, ne incidat in grande peccatum; & sibi temporaliter, ne amittat vel corpus, vel alia in obsequium Christi conseruanda. Sic igitur Christus dicit [non resistere malo] 1. *Mach.* 2. Si non pugnauerimus [aduersus gentes pro animabus nostris, & pro iustificationibus nostris; citiùs disperdent nos à terra. *Num.* 25. Hostes vos sentiant Madianitæ, & eos percutite quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos. *Rom.* 13. Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: si autem malum feceris, time: Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit.

Ex omnibus his accipitur, quòd aliud est resistere malo, & aliud repellere violentiam; quia resistere malo est ex libidine vindicandi se contrapugnare vsque ad perfectæ vindictæ consecutionem: vnde etiam sæpe pugnat posteaquam cessauit violentia aduersarij; sed vim repellere est nocumentum tam aduersarij, quàm proprium declinare ex compassione aduersarij & suiipsius: & ideò non contrapugnat (aliàs repugnat) nisi quando fit violentia, & non habetur alia nisi manus defensio.

Sed siquis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.

Hic tangit malum, quod inferri potest secundum triplicem differentiam, sicut dicit *Glo.* secundum læsionem corporum, secundum angariam seruitiorum, & secundum oblationem rerum. Et hæc patent per ordinem in litera. De læsione autem corporum dicit, quæ maior est.

Si quis te percusserit in dexteram maxillam.

Hic quæritur, quare in læsione corporis potiùs tangit percussionem maxillæ, quàm alterius partis corporis? Et dicendum, quòd monendo ad patientiam omnes, nominat maxillam: quia in facie est, & percussio est ibi, & probrum & pœna, & visa: quia si retrò percuteret, non videretur ictus. Sed modò percutitur ante oculos, & præuidetur ictus: & in illa præuisione componitur animus ad patientiam pœnæ & ad sustinentiam vituperij. *Thren.* 3. Dabit percutienti se maxillam: saturabitur opprobriis. *Iob.* 16. Exprobrantes percusserunt maxillam meam [præbe ei & alteram] *Isa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. 2. *Cor.* 11. Sustinetis, si quis in faciem vos cædit, siquis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur.

Sed contra. *Ioan.* 19. Non præbuit Christus alteram; sed corripuit percutientem dicens: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis? *Act.* 23. Princeps Sacerdotum præcepit astantibus percutere os Pauli, dixitque ad eum Paulus: Percutiat te Deus, paries dealbate. Cùm igitur Christi actio sit nobis instructio, & exempla sanctorum imitari debeamus, videtur, quòd non debemus præbere alteram sed corripere percutientem, & contra maledicere.

Ad hoc dicendum quòd ex æquanimitate animi semper debemus esse parati recipere ictum secundum & tertium, & sic deinceps; sed in exteriori exhibitione distinguendum: aut enim præualet malitia, aut non? si non præualet possumus excludere violentiam; si autem præualet malitia, ex charitate corripienda est: quia in hoc bene fit aduersario, sicut fecit Christus.

Ad hoc autem, quod de Paulo dicitur, dicendum, quòd ex reuelatione comminatus est iudicium futurum percutienti; quod etiam nos facere possemus, si reuelationem acciperemus. Et quod per modum imprecationis dixit: hoc fuit ex conformitate voluntatis cum iustitia diuina. *Psalm.* 57. Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam. & hoc non est, nisi quando desperatur de correctione: tunc enim velle debemus, vt de his fiat voluntas Dei iusta, qui nolunt subiici iustitiæ Dei.

Secundum literam autem videtur mirabiliter loqui Dominus: quia in maxillam nullus percutitur, nisi à contra se stante contra faciem. Contrà stantis autem dextera est contra maxillam sinistram, nec potest cum dextera manu percutere maxillam dexteram, nisi percutiat exteriori parte manus, quæ vocatur siluestre manus, & girando brachium contra latus sinistrum: & tunc dat ictum debilem; si autem cum sinistra percutiat, tunc non fortem dabit ictum.

Ad hoc dicendum, quòd Dominus non attendit hic dextrum, vel sinistrum in situ corporis: quia hoc nihil facit ad tolerantiam patientiæ & æquanimitatis; sed vocat dextram, sicut suprà, quæ semper exhibet sustinentiam ad hoc, quòd victus benignitate aduersarius reducatur ad pacem: & hoc notat, cùm dicit.

Præbe ei & alteram.

Non dixit, sinistram; sed [alteram] dextram: quia sicut dicit *glo.* Iustus totus est dexter, sicut *Iudic.* 3. De Aioth legitur, qui vtraque manu vtebatur pro dextera: dum tam interior, quàm exterior virtus Deo offertur 2. *Machab.* 6. Eleazarus gloriosam mortem magis, quàm odibilem vitam complectens voluntariè præibat ad supplicium: intuens autem quomodo oportet accedere, patienter sustinens destinauit non admittere illicita propter vitæ amorem. Quando enim videbit aliquis, quòd malitia præualente ita oportet accedere, cum deuotione & præparatione carnificem ad pœnas debet præire; & hoc docet Christus; quia tunc talia non quæritur rependere; sed iustitiam patientiæ conseruare, & sic aduersarium ad pacem reuocare.

Et ei, qui vult tecum in iudicio contendere.

Ecce tertium de damno rerum: & dicit duo; scilicet de iudicio contentioso, & de patientia contra opponenda. De primo dicit quatuor. Primò enim innuit aduersarij obstinatam voluntatem, cùm dicit [Qui vult] Non enim dicit; qui putat se iustam causam habere; sed potiùs ille, qui pro ratione vtitur voluntate, & non attendens iustitiam, voluntatem tua auferendi habet obstinatam. Secundò tangit apparentem formam iustitiæ: quia non aperta (aliàs aperte) vtitur violentia, sicut prædo; sed ad iudicium vadit iniustum, vbi legibus iniquis opprimuntur iusti, defensionem non habentes. *Isa.* 10. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias,

tias scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei. Et tale iudicium præcipuè fuit apud infideles contra fideles, & adhuc apud multos contra Deum timentes 1. *Cor.* 6. Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos, hoc est apud infideles, qui iniqui sunt fidelibus, quocumque modo possunt, quasi diceret: hoc est audacia facere. Et *Ibidem.* Frater cum fratre contendit in iudicio: & hoc apud infideles iudices. Tertiò tangit iudicij peruersitatem, cùm dicit [contendere] Non enim dicit discerni, vel ex ordine iustitiæ diffiniri: quia contentio, vt dicit Ambrosius, est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. *Rom.* 1. Repletos contentione, dolo, malignitate. Hoc modo mulieres meretrices quærunt iudicium 3. *Reg.* 2. Quartò dicit nocumenti, siue damni iniustam intentionem, cùm subiungit.

Et tunicam tuam tollere: dimitte ei & pallium.

Et in hoc tria notantur; ablati necessitas: Quia [tunica] est vestis interior, corpori tegendo necessaria, quam quilibet potest desiderare, acquirere, & retinere acquisitam. Secundò tangitur ablati proprietas, cùm dicit [tuam] quia proprium mihi iniuste auferitur. Tertiò tangitur iniusta ablatio, cùm dicit [tollere] Non enim dicit: repetere, vel petere vel adiudicatam per iudicium vendicare; sed [tollere] In quo notatur, quòd licet quædam apparentia sit iudicij, tamen ex toto est violentia. *Isa.* 59. Non est qui inuocet iustitiam, neque qui iudicet verè. Et *Ibidem infra.* Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit: quia corruit in plateis veritas, & aequitas non potuit ingredi [dimitte ei & pallium] Pallium est hic vestis exterior, non adeò necessaria vt tunica: & docet hic patientiam contra contentiosum & calumniosum & permixtum violentiæ iudicium opponere. *Hebr.* 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis, arbitrantes vos habere meliorem & manentem substantiam.

Sed ex prædictis quæritur, si aliquis potest sua repetere coram iudicio? Ad hoc bene dicit *Glo.* quòd infirmis indulgetur repetere sua. Sed tunc quæritur, qui sunt infirmi, & qui sunt perfecti, & an licet perfectis? Et dicendum, quòd infirmus est, qui adhuc timet cadere, si solatium subtrahatur bonorum fortunæ; ille enim tanquam infirmus nititur solatio temporalium, sicut sustentatus baculo. *Ca.* 4. 2. Læua eius sub capite meo, & dexera eius amplexabitur me. Illis ergo secundum quamdam glosam hic positam licet repetere sua in iudicio iusto modo & sine contentione; cum contentione autem eo modo, quo contentio diffinita est, nulli licet: quia scandalum præstat videntibus, & scandalum actiuum: scandalum enim actiuum nullus debet facere pro quacumque causa: & scandalum actiuum est dictum, vel factum minus rectum, quod præstat occasionem ruinæ: clamor autem, & contentio sunt talia facta minus recta. Propter scandalum autem passiuum non tenetur aliquis dimittere repetere sua: quia tunc non præstat scandalum; sed ille scandalizatur ex seipso.

Perfecti autem sunt dupliciter; facto, & signo: facto perfecti sunt, qui virtute perfecti sunt; & sanctitate: signo autem perfecti sunt, qui habitum perfectionis susceperunt: & illi sine contentione petere possunt sua, extra iudicium non contentiosum, & apud iudicium iustum & pium, & sine dispendio perfectionis suæ. Nec facio vim, vtrum habeant proprium nomine Capituli in communi, & non in singulari: vel nec nomine Capituli, nec singulari: quia videtur mihi deceptio & trupha esse de quibusdam, qui dicunt se repetere nomine cuiusdam, cuius sit proprietas, & eorum sit vsus: & est vmbra eius, de qua (alias quo) scriptum est: Protegunt vmbræ vmbram eius. *Iob.* 40. Et ideò cum contentione & clamore nulli licet. Sine clamore & contentione omnibus licet eo modo, quo habent proprium: qui enim suum reperit, nulli iniuriatur, nisi ex repetitione sciat prouenire maius malum: hic igitur iure suo vtitur. Quando autem contentio communis surgit, debet dimittere: sicut alia licitè dimitti debent propter hominum conturbationem, quæ scandalum vocatur. 1. *Cor.* 8. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem: dico autem scandalum commune passiuum, non singulare: quia aliter nunquam aliquid repeteretur: quia semper aliqui proterui & iniusti dicunt se conturbari.

Et quicumque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo.

Ecce tertium de angaria operum. Angaria est coactio ad seruilia opera, non peccati, sed seruitutis. Mille autem passus sunt iter Sabbati, quantum Sabbato ire licebat. *Act.* 1. Sabbati habens iter. Et est sensus; quicumque coegerit te ad seruitutem itineris Sabbati, non cures fregisse Sabbatum: quia patientia angariæ plus prodest tibi, quàm religio Sabbati. Et vt ostendas te esse patientem, & seruum Christi [Vade secum alia duo] Quia, sicut dicit Chrysost. si non vadis nisi quantum angariat, putatur esse ex timore seruili; sed vt exemplum des virtutis, per te vade alios mille. Et ad ostendendam perfectionem Christi, iterum vade mille, quæ sunt duo millia, & hoc prompto animo: & tunc impleuisti legem scriptam in visceribus. 1. *Cor.* 7. Seruus vocatus es, non sit tibi curæ, sed etsi potes liber fieri, magis vtere, supple seruitute 1. *Pet.* 2. Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis; sed etiam discolis: discoli enim sunt angariantes.

Qui petit à te, da ei.

Hic incipit instruere pacem inter homines secundam ordinem in bonum, & per duo: per gratis collatum beneficium, & per accommodatum. De gratis collato breuiter dicit duo: determinat enim petitionem indigentis, cùm dicit [Qui petit à te] Et loquitur indefinitè propter curiosos, qui scrutari volunt, quis sit, qui petit, vtrum fortis, vel sanus, vel indigens, si idoneus, si notus: Christus autem indefinite loquitur [Qui petit] hoc est, qui se indigentem demonstrat, qualiscumque sit. *Matth.* 10. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem prophetæ accipiet & qui recipit iustum in nomine iusti

iusti, mercedem iusti accipiet. *Lu.6.* Omni petenti te tribue [da ei]

Sed quomodo impletur hoc à pauperibus? Dicendum, quod est spiritualis eleemosyna, & corporalis: spiritualem omnes dare possunt. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, hoc ipsum libenter impertiri stude: detur autem munus de corde, quod est compassio. *Isa.* 58. Si effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et ab hoc munere vocatur eleemosyna. Cum hilaritate dandum 2. *Cor.9.* Hilarem enim datorem diligit Deus. Cum verbo dulci dandum. *Eccl.* 18. In omni dato non des tristitiam verbi mali. Sine imperio dandum. *Eccl.20.* Datus incipientis non erit tibi vtilis: oculi enim eius septemplices sunt. Exigua dabit, & multa improperabit & apertio oris illius inflammatio est. Citò dandum. *Eccl.4.* Non protrahas datum angustianti *Cant.5.* Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Multis dandum. *Psal.111.* Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. Cum iucunditate dandum *Eccl.* 31. Splendidum in panibus benedicent labia multorum. Sic ergo dandum est. Dandum etiam est manu aperta, largiter, & non contracta auarè. *Eccl.4.* Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum contracta, *Prou.vlt.* Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem *Deut.15.* Præcipio tibi hodie, vt aperias manum tuam egeno fratri tuo. Dandum etiam est opportunè: vt necessitatem bonorum maximè subleuet, *Rom.12.* Necessitatibus, Sanctorum communicantes. Dandum discretè 2. *Cor.8.* Non enim vt aliis sit remissio: vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate vestra abundantia illorum inopiam suppleat: vt illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. Indiscretè autem dat, qui se ipsum depauperat, vt alterius inopiam releuet.

Attende autem, quòd Lucas dicit: Quod superest, esse dandum. *Glo.* autem hic dicit, quòd omne illud dare debeo, quod honestè possum dare: & ille, cui do, honestè accipere. Et ex his duobus determinatur quæstio dandorum; Quia est considerare hominem in se singularem, Et est considerare hominem in gradu, vel statu, in quo est constitutus. Et multa, quæ supersunt homini secundum se, non supersunt homini secundum gradum, in quo est in regimine familiæ; & tunc curam secundum Apostolum, & prouisionem debet habere domesticorum. Aut forte est in prælatione & regimine magno vel paruo: & tunc oportet eum habere bona temporalia, quæ benignè regimini suo subseruiant; & hæc secundum conseruationem sui honoris non potest dare, nec alius potest ea honestè petere; respondeant enim taliter petentibus: Ne forte non sufficiat nobis & vobis *Matth.25.* Et ordo charitatis dicit: Vt mihi & meis primum; & tibi postea fac 3. *Reg.17.* Et illud, quod supra induximus. 2. *Cor.8.* Non vt aliis sit remissio, mihi autem tribulatio paupertatis. Et ex hoc terminantur omnia, quæcunque quæri possunt de hac materia.

Et volenti mutuare à te, ne auerraris,

Ecce secundum de accommodato docet optimam & pacatissimam conciuilitatem: & est sensus [Volenti mutuare à te] pecuniam, vel aliquid aliud [ne auertaris] in voluntate mutuandi, quod postulat, si poteris. Quia in omnibus hoc Apostoli verbum 2. *Cor.8.* subintelligitur: Non vt aliis sit remissio, vobis autem tribulatio. Et hoc, quod dicitur *Lu.6.* Quod superest, date. Et hoc quod dicit *glo.* Quod honestè dare possum, & alius honestè accipere. Et hoc, quod dicit *Apost.* 2. *Cor.8.* Vestra abundantia illorum inopiæ sit supplementum. Non enim vult Dominus, vt necessarium, cuius lucro viuo, & prouideo mihi, & commisso mihi regimini, accommodem alij: & ego subeam tribulationem indigentiæ, & destruatur domus mea, vel regimen mihi commissum. Nec ordo charitatis hoc vult: quia dicit *Apoc.1. Timot.5.* Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet infideli deterior est. His ergo ita suppositis accommodare debeo. *Psalm.111.* Iucundus homo, qui miseretur & commodat &c. *Deut.23.* Fratri absque vsura id, quod indiget commodabis. *Ezech.18.* Vir si ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit &c. vita viuet. *Psalm.14.* Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram; & munera super innocentes non accepit. *Lu.6.* Mutuum date nihil inde sperantes. Econtra de vsurariis dicitur *Isa 59.* Oua aspidum ruperunt; telas aranearum texuerunt. Secundum *Chry.* enim Vsura est venenum aspidis, quod latenter ad se omnes facultates domus, ad quam intrat, conuertit. Et lucrum est tela araneæ, quæ vento febris & mortis dissipatur.

Vtrum autem in vsura transferatur Dominium, vel non: & vnde competit repetitio vsurarum his, qui soluerunt eas: & vtrum de vsura possit fieri eleemosyna; & vtrum coniuncti vsurario, sicut vxor & nati, de vsuris viuere possint; quæstio est non pertinens ad istam intentionem.

Ex omnibus autem inductis hic est aduertendum, quòd lex talionis inuenta est pro pace: vt quietam & tranquillam vitã agamus vt dicitur 1. *Pe.3.* Sed quia non facit pacem nisi exterius tantum, Christus implet eam, quòd veniat in viscera & cor monendo, non resistere malo & impendere beneficium: hoc enim quietat corda, & pacem interiorem confert, ex qua procedit pax dulcis exterior. Sicut ipse dicit *Io.14.* Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Quia lex mundi & vetus lex Moysi non potest cohibere nisi manum: Christus autem cor ponit in tranquillo pacis, ex qua procedit etiam pax exterior & hoc est, quod intendit.

Audistis, quia dictum est: Diliges proximum tuum; & odio habebis inimicum tuum.

Hic post omnia moralia & iudicialia inducit de [illegible], quod est finis & forma omnium [illegible] & consummatio: & ad modum præcedentium diuiditur pars ista in partes duas: ita quod primum præmittit id, quod [illegible] est de lege veteri: & [illegible] congruentem [illegible]. Ego autem dico vobis & in primo [illegible] scilicet quod illud in lege propositum est: & id, quod

quod propositum est in lege. Modus autem, quo propositum est in lege; idem est cum præcedenti immediato. Quia licet auditum omnis habeat de dilectione proximi: tamen non est antiquis dictum, nec naturale, quod est odire inimicum, quia in lege non est scriptum: & ideò non additur hic, quòd dictum sit antiquis; & hæc est causa, quòd tali modo vtitur hic loquendi [Diliges proximum tuum] Ecce lex, quam proponit implendam: & continet duo, quorum vnum est auditum per naturam: alterum autem acceptum vt consequens ex illo. Auditum per naturam dicit tria; dilectionem, dilectionis obiectum & causam, & dilectionis priuationem. Et dilectionem dicit.

Diliges.

Est autem differentia inter amorem, dilectionem, & charitatem. Quia omnis quidem dilectio amor est; sed non conuertitur: & omnis charitas amor est & dilectio; sed non conuertitur. Amor enim est fluxus voluntatis, vel desiderij secundum velle bonum alicui: & est duplex concupiscentiæ, & amicitiæ. Amor concupiscentiæ, est quando aliquis vult bonum alicui propter concupiscentiam alicuius priuati & delectationis, quam sibi inde putat prouenire: sicut amantes cibi, vel mulieres propter concupiscentiam. Amor autem amicitiæ est, quando aliquis bonum vult alicui propter se, vel propter vtilitatem, vel delectationem, quam habet in societate sua. Dilectio autem & secundum nomen dicitur quasi dielectio, quando cum ratione aliquid eligitur ad diligendum propter causas, quæ in ipso ex ratione inueniuntur: charitas autem est, quando dilectum sub caro ponitur pretio. De amore proprie accipitur illud Dauid 2. *Reg.* 1. Super amorem mulierum: sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam. De dilectione propriè accipitur illud *Ecclesiastici* 24. Ego mater pulchræ dilectionis. De charitate illud *Cant.* 8 Si dederit homo omnem substantiam domus suæ ad mercandum dilectionem, siue charitatem, tanquam nihilum despiciet eam. Et *Ro.* 8. Quis nos separabit à charitate Christi. Tamen vnum accipitur abusiuè in scriptura sæpe pro alio: & tunc sic generaliter accipiendo amor est vis vnitiua voluntatum ad idem velle & idem nolle: tamen quia lex verus imperfecta est, & cum facto ponit hic [diliges] Quod causam quærit quare diligat, & non diligit gratis: Et ideò sequitur.

Proximum.

In quo notatur & obiectum & causa dilectionis. Obiectum, quia diligitur, & in ipsum transit dilectio: causa autem, est proximitas & coniunctio sanguinis, vel beneficij vel redilectionis secundum rem, vel secundum spem. *Lu.* 10. Quis tibi, videtur proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? Et ait: ille qui fecit misericordiam in illum. *Leuit.* 19. Diliges amicum tuum sicut te ipsum. *Mat.* 22. Diliges proximum tuum sicut te ipsum. *Ro.* 13. Dilectio proximi malum non operatur. Et ponit priuatum circa hanc dilectionem, quando dicit [tuum] Non enim dicit omnem hominem: & primus vni non est proximus alteri, & sic erit (aliàs erat) imperfectum, quinimo ex verbis Domini arguebant non proximum non esse diligendum. *Exod.* 13. Inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam. Vnde 1. *Reg.* 15. Abiecit Saul, quia pepercit Agag Regi Amalech, qui erat inimicus antiqui populi, & duxit ex eo prædam, cum exiret de Ægypto. *Exod.* 17. Et ideò cum nusquam scriptum sit in lege: arguebant tamen carnales, quòd Dominus corde licet non verbo præciperet.

Odio habebis inimicum tuum.

Et in suis traditionibus hoc posuerunt diuinum esse præceptum: dicebant enim Rab. Vasse, & Rab Iosue, & Rab. Ioanna, & alij scribæ, quòd Deus dedit duplicem legem; vnam scriptam in lapidibus & aliam scriptam in cordibus sapientum: & in illa quæ scripta erat in cordibus sapientum, vnum mandatum arguebatur ex alio: & secundum illam, quando Dominus dixit. Diliges proximum appropinquantem tibi per amicitiam: ex consequenti dixit [odio habebis] inimicum] recedentem à te, & elongantem per inimicitiam. Vnde approximantem diligere, opponitur elongantem se & longinquum odire: quia si vnum contrariorum est causa contrarij per se, alterum contrarium erit causa alterius contrarij etiam per se: sicut si album est causa disgregatiua visus, nigrum erit causa congregatiua eiusdem: sunt enim contraria album & nigrum: & contraria sunt similiter congregare visum, & disgregare. Et sic in lege sapientum dicunt esse, & tenebant, ac si scriptum esset, odio habebis inimicum.] Cùm tamen *Leu.* 19. scriptum sit. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et constat, quòd vltio non quæritur nisi de illis, qui inimica nobis agunt: & illi sunt inimici: & illi sunt, quos vocamus inimicos nobis: qui (aliàs quia) iniuriam nobis inferunt: & sic patet, quòd nusquam lex continebat de odio inimici. *Exod.* 23. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis; sed subleuabis cum eo. Ex hoc accipitur, quòd lex præcipit, quòd etiam inimicis benefaciamus.

Sed obiiciunt illud *Deut.* 7. Non inibis cum eis fædus, nec misereberis eorum. Sed hoc non valet: quia lex illa loquitur de inimicis Dei, qui, sicut dicitur *Sap.* 12. Illos antiquos inhabitatores terræ tuæ, quos exhorruisti; eo quòd odibilia tibi opera fecerunt: & illis numquam debemus fæderari, nec misereri eorum, quando sunt obstinati; sed exterminandi sunt tales. Nec valet, quod quidam obiiciunt de lege talionis: quia illa solis iudicibus gladium portantibus conceditur: istud autem dicitur omnibus. Constat igitur illam partem [Odio habebis inimicum tuum] lege non contineri.

Sed hoc fecit Iudæis errorem, quòd cùm dicebatur. [Diliges proxi.] proximum acceperunt, vt causam dilectionis: eo, quòd proximus nullus diceretur nisi propinquans secundum actum beneficij, vel secundum gradum naturæ: & hoc patet per responsionem, quam Domino fecerunt *Lu.* 10. Vbi dicunt, quòd proximus fuit, qui fecit misericordiam in sauciatum, & verum dixerunt quoad hoc: sed quia hoc non nisi ad corporalem propinquitatem retulerunt, & non

ad

ad spiritualem ; falsum dixerunt.

Vnde attendendum est, quòd tam in spiritualibus, quàm in corporalibus aliqui sunt coniunctiores nobis, quàm proximi : & hoc patet in corporalibus ; quia proximus est, qui est in proximo gradu coniunctus, & ille est frater & soror. Sed vicinùs quam in gradu sunt parentes: quoniam parentes sui aliquid habent in nobis : & ideò illi diligendi sunt plus quàm proximi. Ab illis accipitur omnis propinquitatis ratio : quia frater & soror non coniunguntur nobis lateraliter, nisi quia sunt ab eisdem parentibus : & sic est deinceps in omnibus coniunctis. Vnde etiam omnis propinquitas à primo stipite & trunco ramorum computatur : & sic proximus non diligitur vt causa dilectionis ; sed quia parentum, qui sui aliquid habent in nobis, aliquid est etiam in illis : Et tunc consequenter nostrum simile diligimus in proximis. Et ideò dicitur *Leui.* 19. Diliges amicum tuum sicut te ipsum : quia aliquid simile tuijpsius, & ab eodem vnde tu es, est in ipso : & quantò illud vicinius est, tantò plus secundum ordinem charitatis diligendum est : Et si hoc est secundum corporalem propinquitatem, multò magis hoc secundum propinquitatem spiritualem : genus enim sumus Dei, sicut dicitur *Act.* 17. Et Pater noster est Deus, formans nos ad imaginem & similitudinem suam : & consequitur ex hoc, quòd ipse sit nobis coniunctissimus, & maximè diligendus. *Malach.* 2. Nunquid non vnus pater est omnium nostrum?

Secundum proportionem (alias propagationem) igitur diuinæ imaginis est sumenda causa dilectionis : & tunc cùm omnis homo immediatè sit à Deo imaginem participans, omnis homo est proximus. Et consequitur ex hoc, quòd homo omnis sit secundùm naturam diligendus, & nullus odiendus. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Eodem autem modo est intelligendum de proximo secundum impensionem beneficij; quia beneficium non impenditur nisi ex benignitate & pietate : & illa non sunt nisi ex actuali imitatione Patris cælestis, sicut inferiùs ostendet Dominus. Similitudo ergo Patris cælestis causa dilectionis est : & non propinquatio per beneficium. Ratio enim non permittit, quòd cùm vna sit dilectio Dei & proximi, quod non vna & eadem sit ratio dilectionis. Nemo ergo odiendus est, similitudinem & gradum Christi in se repræsentans. Vnde *Deut.* 33. Dilexit populos: omnes Sancti in manu eius sunt. *Psal.* 18. Nec est qui se abscondat à calore eius.

Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.

Duo tangit in ista legis impletione, sicut in aliis ; auctoritatem dicti, & impletionem : auctoritatem dicti, cùm dicit [Ego autem dico vobis] qui hoc per exemplum ostendo : quoniam ego dilexi vos. Non priùs propinquantes mihi, sed gratis. 1. *Ioan.* 4. In hoc apparuit charitas Dei, non quasi nos dilexerimus Deum ; sed quoniam ipse prior dilexit nos. Quinimò elongantes à me per inimicitiam ego dilexi propter imaginem Patris mei in ipsis. *Ro.* 5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis : quoniam cùm adhuc inimici essemus, Deus pro nobis secundum tempus mortuus est. Si enim *Io.* 15. Mundo conceditur, vt quod suum est, diligat : multò magis conceditur Deo, vt quod suum est, diligat in omnibus : vnde etiam sepultum in inferno filium vocauit. *Luc.* 15. Sic ego dico vobis.

Diligite inimicos vest. &c.

Hic ponit ipsam impletionem : & diuiditur in partes duas, in quarum prima dat impletionem: & quia difficilis est, in secunda persuadet per rationem, quòd aliter lex ista non ducit ad perfectionem, quàm legislator intendit. *Ibi* [Vt sitis filij Patris vestri. Primam harum partium diuidit *glo.* in tres paragraphos : quia dicit, quòd contra Ecclesiam pugnatur tribus modis ; odio, verbis, cruciatu corporis : & econtra Ecclesia diligit, benefacit, orat. Et dilectionem quam opponit odio inimicorum tangit dicens [diligite inimicos vestr.] Quia iam ostensum est, quòd proximi sunt, & quòd causa dilectionis est in eis secundum naturam, licet non agant secundum illud ex peruersitate peccati superducta [Diligite] ergo quod Patris vestri est in eis, & non quod peruersitas superduxit. Vnde *glo.* dicit, quòd est nouum mandatum, *Io.* 13. Mandatum nouum do vobis. & 1. *Ioan.* 2. Dicitur mandatum vetus ; & mandatum nouum. Vetus enim est in causa dilectionis, quæ vna est in omnibus, qui diliguntur : sed nouum est in modo : quia gratis diliguntur, qui secundum antiquum populum non intelligebatur ; quia non habebant nisi mercenariam dilectionem in proximo, appropinquante eis per obsequium, vel munus. *Ro.* 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : & si sitit, potum da illi hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput illius. *Prou.* 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum : & si sitit, da illi aquam bibere : hoc enim faciens prunas congregabis super caput illius, & Dominus reddet tibi.

Benefacite his qui oderunt vos.

Ecce secundum, vbi Ecclesia docetur benefacere his, qui oderunt eam, exemplo. Elisei, 4. *Reg.* 6. Qui eos, qui venerant ad capiendũ eum magna præparatione ciborum, procurari præcepit, & conduci ad locum tutum. Exemplo etiam Dauid, qui Saul inimicum suum non occidit, sed ad vitam traditum in manibus eius reseruauit. 1. *Reg.* 24. Quando præcidit partem vestimenti eius in spelunca, &c. 1. *Re.* 26. Quando descendens in castra Saul inuenit eum dormientẽ *Io.* 31. Si non dixerũt viri tabernaculi mei : de carnibus eius quis det, vt saturemur ? Hos enim collegit in tabernaculo, & hospitalitate exhibuit, qui si carnes eius potuisset, deuorasset ex odio. Exemplo etiam Christi, qui sua cœna propria manu cibauit traditorem. *Ro.* 12. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

Et orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.

Ecce tertium, & dicit duo, orandum scilicet pro persequentibus, apertè lædentibus, & pro calumniantibus, qui sunt sub simulatione iniuriæ lædentes. *Iere.* 18. Recordare, quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & vt auerterem iram tuam ab eis. *Psalm.* 118. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant

trahebant mihi : ego autem orabam. *Psalm.* 34. Dum mihi molesti essent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam : & oratio mea in sinu meo conuertetur. 1. *Cor.*4. Blasphemamur, & obsecramus *Luc.* 23. Pater, ignosce illis : quia nesciunt, quid faciunt. *Act.*7. Ne statuas illis hoc peccatum.

Vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est.

Hic persuadet ex ratione, sicut docuit esse faciendum, & inducit primò duas rationes : & secundò inducit conclusionem intentam. *Ib.*[Estote ergo perfecti &c.] Duarum autem rationum prima est diuina, secunda est humana : & patent in litera. In diuina duo dicit; rationem imitationis nostræ ad Deum, & opus, in quo imitari debemus. Ratio imitationis est, quòd nos filij : Deus autem Pater noster est. Hoc enim probandum est per imitationem : vnde dicit,

Vt sitis filij.

Formati, & regenerati ex deformitate. *Iaco.* 1. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius : creati enim ab ipso sumus in operibus bonis imitando ipsum. *Ioan.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius [Patris vestri] *Ioan.* 8. Vnum Patrem habemus Deum. *Isa.* 64. Pater noster es tu; nos verò lutum : & fictor noster tu : & opera manuum tuarum omnes nos [qui in cœlis est] Et ideò non mouetur passionibus iræ, vel inimicitiæ. *Matth.* 6. Pater noster, qui es in cœlis. *Matth.* 23. Vnus est Pater noster; Patrem nolite vobis vocare super terram. *Hebr.* 12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos : nonne magis obediemus Patri spirituum & viuemus? & illi quidem in tempore paucorum dierum secundum suam voluntatem erudierunt nos : hic autem ad id, quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius.

Qui solem suum oriri facit super bonos & malos.

Ecce opus, in quo patrem cælestem imitari debemus, non quidem in specie operis, quia hoc non possumus; sed in genere, quod est prouidere omnibus lucra, & amicis & inimicis. Vnde in hoc opere tangit duo vnum, quod est effectiuum & manifestatiuum omnis boni, quo indigent mortales : quia non sufficeret facere, nisi manifestaretur factum : eo quòd occultum & inuisum nesciretur; & hoc est [Qui solem suum &c.] Sol enim in obliquo circulo veniens & recedens causa est generationis eorum, quibus nutrimur, & vescimur; & lumine suo manifestat ea, & ingerit etiam nolentibus & non petentibus. Alterum autem est pluuia, quæ est materia generationis, & nutrimenti omnium eorum, quibus cibamur, & potamur, & in aliis vsibus indigemus : & ingerit etiam si non petentibus. Dicit ego primò.

Qui solem suum &c.

Et dicit quatuor, quorum primum est vas vniuersaliter fundens beneficium : & hoc est, quod dicit [solem] Secundum est, vnde beneficij habet virtutem : Et hoc notat, cùm dicit [suum] quia nisi Dei esset, sterile haberet lumen. Tertium est fusionis beneficij modus : quod notat, cùm dicit.

Oriri facit.

Quia nisi oriretur tam in circulis æquè distantibus ab æquinoctiali : quam etiam in gradibus circuli obliqui, nihil faceret; quia si semper esset supra hemisphærium, dissolueret ea, quæ nascuntur : & si semper esset sub hemisphærio, frigiditas vinceret, & nihil oriretur : nunc autem ortibus suis venit mouendo & euocando; & occasibus recedit reprimendo, ne dissoluatur quod euocatum est, sed in interioribus repressa virtus confortata reuocetur ad amplius incrementum in ortu posteriori. Quartò tangit, quibus benefacit, cùm dicit,

Super bonos & malos.

De vase ergo, per quod fundit beneficium, dicit:[qui solem] Sol dicitur solus lucens : quia, vt dicunt præcipui philosophi, in cœlo nihil lucet, nisi ab ipso : & ipse est vas lucis in omnes stellas fundens & ex illis ad terram. *Eccl.*43. Sol in aspectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi. 1. *Reg.* 11. Cras erit vobis salus, cùm incaluerit sol. *Habac.* 3. Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ [suum] In hoc est omnis virtus solis, quòd Dei, sicut omnis virtus sagittæ est in sagittante, & omnis virtus securis est in ædificante (alias secante) *Psal.* 18. In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus &c. *Baruch.* 3. Luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit eas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius. *Genes.* 1. Fecit duo magna luminaria : luminare maius, vt præesset diei. Verbo enim Domini cæli firmati sunt : & spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Psalm.* 32. *Eccl.* 43. Magnus Dominus, qui fecit solem : & in sermonibus eius festinauit iter,

Oriri facit.

Ecce modus conferendi beneficium. *Eccl.* 1. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur : Ibique renascens, girat per meridiem, & flectitur ad aquilonem. Hic tangit vtrumque ortum solis suprà inductum : per vnum enim facit distinctionem diei & noctis : & per alium distinguit quatuor anni tempora. *Psalm* 103. Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum [super bonos & malos] Hoc est, ad vtilitatem bonorum & malorum; sed tamen propter bonos : quia licet temporalia dentur bonis & malis à Deo; tamen propter bonos dantur, sicut patet *Genes.* 19. Vbi parcitum fuisset multis malis propter paucos bonos, si inuenti fuissent in Sodomis. *Iacob.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. *Psalmus.* 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Psalm. eodem.* Oculi omnium in te sperant, Domine : & tu das escam illorum in tempore opportuno.

Et

Et pluit super iustos & iniustos.

Secundum opus est, vbi ministrat materiam fructuum nascentium, & nutrimentum sine labore hominum: & dicit duo; ministerium, & communitatem suæ charitatis. Ministerium est, quod pluit. *Isa.* 55. Quomodo descendit imber & nix de coelo, & illic vltrà non reuertitur; sed inebriat terram, & infundit eam, & dat semen seminanti, & panem manducanti. *Isa.* 45. Rorate coeli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. *Iob.* 37. Frumentum desiderat, & nubes spargunt lumen suum: quæ lustrant cuncta per circuitum, quocunque eas voluntas gubernantis direxerit.

Super iustos & iniustos.

Ecce beneficij communitas. *Iob.* 36. Per hæc iudicat populos: & dat escas cunctis mortalibus. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. *Ioel. vlt.* Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum, hoc est, habitationem malorum; fons enim de domo Domini veniens est pluuia *Iob.* 36. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Ex his accipitur quòd si Deus de muneribus suis tam nobilibus, & tam vtilibus sic dat manifestè & indistinctè bonis & malis: quòd multò magis nos de muneribus eius commune & manifestum & indistinctum debemus habere dilectionis effectum.

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt?

Rationes hic inducit humanas, & sunt duæ; prima penes communitatem affectus: & secunda penes communitatem effectus. Sumpta penes affectum est ista [Si enim diligitis &c.] Et tria facit, proponit enim antecedens, quod est diligere dilectione mercenaria, cùm dicit.

Si diligitis eos, qui vos diligunt.

Ita quòd nobis sit causa dilectionis, quia diligimur: secundò subinfert per interrogationem consequens, quòd hæc dilectio non habet mercedem in cælesti patria. & hoc est, quod dicit [quam mercedem habebitis] Tertiò probat hoc à simili per dilectionem secularem, quæ fundata est super vtile, vel delectabile, quando dicit [Nonne & publicani hoc faciunt] qui tamen vacui sunt à mercede.

Sed videtur, quod diligentes nos debemus diligere: quia de hoc est in *Prou.* 8. Ego diligentes me diligo. Ergo videtur, quòd hæc dilectio non careat mercede: & dicendum, quòd cùm de Deo dicitur, hoc intelligitur, quòd ipse diligit eos, quibus dat gratiam diligendi, & tunc quòd diligimus, venit à Deo, & non ab [illegible] *Osee.* 14. Diligam eos spontanee: quoniam auersus est furor meus ab eis. *Ierem.* 31. In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miserans. *Iac.* 4. Amicitia huius mundi inimica est Deo: quicunque ergo voluerit esse amicus huius seculi, inimicus Dei constituitur. Non ergo est diligendum sicut publicani faciunt: quia illi diligunt potiùs lucrum mundi, quàm homines.

Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

Tria dicit hic, sicut in præmisso: quia præmittit antecedens conditionale, cùm dicit [Si salutaueritis fratres vestros tantùm] Et fratres dicuntur hic homines appropinquantes ad gradum proximi; salutatio autem vocatur exhibitio beneficij: quia de isto dicitur *Prou.* 18. Donum hominis dilatat viam eius ante eum: hæc enim est salutatio, quam quærunt seculares [Quid amplius facitis] Hoc est, super naturam quid additis? Et est secundum, in quo notat talem beneficentiam non esse remunerabilem: & hoc tertiò probat de consimili, cùm dicit [Nonne & ethnici hoc faciunt?] hoc est gentiles notitiam Dei non habentes: natura enim hoc modo curua est in se ipsa, & diligit delectabilia & vtilia sibi, sicut & asinus & bos: & hoc non est commendabile: quia dicit *vnus*, quòd benefici est velle benefacere, & non recipere beneficium ab aliquo. 1. *Corinth.* 13. Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. 2. *Corinth.* 12. Libentissimè impendam: & ego ipse superimpendar pro animabus vestris. 2. *Reg.* 19. Non indigeo hac vicissitudine [Estote ergo perfecti] Conclusio est intenta ex omnibus inductis: & dicit duo; Primò mouet ad perfectionem, & secundò perfectionis dat formam. Primò enim mouens dicit.

Estote ergo perfecti.

Perfectum est, quod extra se nullo alio indiget ad agendum: & sic est charitas gratuita, quæ nec delectabile quærit, quo inuetur ad diligendum; sed in se gratuita dilectione sibi sufficit, & perfecta est. 1. *Corinth.* 13. Cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. Sic *Genes.* 6. Noe vir erat iustus, & perfectus in generatione sua: cum Deo ambulabat gratis diligendo, sicut Deus. *Ephe.* 4. Occurramus omnes in virum perfectum, & mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Sicut & Pater vester &c.

Quatuor dicit; proponit Patrem, subiungit [illegible] debitum, adiungit affectus serenitatem, [illegible] in his perfectionem, quæ nostræ perfectionis est forma, & exemplum. Ex hoc enim, quod dicit [sicut Pater] accipitur confidentia ad nos affectus, qui etiam [illegible] non prouocatur, neque beneficia [illegible]. *Hier.* 3. Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. *Luc.* 15. Dixit ad [illegible] prodigum, qui iam mercede. [illegible] Pater, vbi honor meus? [illegible] & post me ingredi non cessabis. *Hier.* 3. [illegible] Nonne [illegible] & [illegible]. [illegible]

dicit, subiungendo [cæleſtis] quia cæleſtia nulla commouentur turbulentia, ſicut & Pater Deus peccatis in ſe factis non turbatur ad inimicitias iræ, vt non benefaciat. 1. *Corinth.* 15. Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes. *Ioan.* 3. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. In his ergo [perfectus eſt] Quia ſemper in honeſtate quieti cordis permanens, largitatis beneficia non ſubtrahens. 2. *Timo.* 2. Si negauerimus, ille fidelis permanet: ſe ipſum negare non poteſt: nullus enim omninò perfectus eſt, quem iniuria prouocat, & extra ſui ipſius remouet poteſtatem.

CAP. VI.

Attendite.

HIc incipit pars illa, quæ eſt de modo iuſtitiæ impletæ & abundantis. Virtutis enim opus conſiſtit plus in modo, quàm in factis: ſecundum quod dicitur *Deut.* 16. Iuſtè, quod iuſtum eſt, exequeris. Omnis autem modus abundantis iuſtitiæ conſiſtit in recta operis intentione, ſecundum quòd intentio ſumitur pro ea, quæ tendit in finem: quia quantum eſt de natura operis, non tendit in finem, niſi ſubſtantialiter fini debitis circunſtantiis proportionetur; hoc autem in ſequentibus iſtius particulæ oſtendetur. Diuiditur hæc pars in partes duas, in quarum prima docet modum abundantis iuſtitiæ: & in ſecunda iſtius modi oſtendit vtilitatem *Ibi.* [Lucerna corporis tui eſt oculus] Anterior autem harum partium diuiditur in duas partes: Ita quòd in prima docet modum recti finis in iuſtitia abundante ſpecialiter: in ſecunda generaliter. *Ibi.* [Nolite theſaurizare vobis] Ibi enim hoc, quod dixerat de iuſtititia, ad omne docet referre opus virtutis. Vbi autem in priori loquitur de iuſtitiæ modo, duo dicit: ponit enim iuſtitiæ generalis modum primò, & ſecundò ponit modum partium iuſtitiæ ſatisfacientis. *Ibi.* [Cùm ergo facis eleemoſynam. Circa primum ergo dicit tria: monet enim attendere, ponit mali modi prohibitionem, & prohibitionis inducit perſuaſionem: & hæc patent in litera. Dicit igitur.

Attendite.

Cùm enim impleta ſit iuſtitia omnis, & inſcripta viſceribus, & in naturæ modum incipit operari iuſta [Attendite] hoc eſt, voſmetipſos ex toto tendite obſeruando: quia ſuperbia (quæ eſt in appetitu laudis) non ſolùm in malis operibus exercetur, vt fiant; ſed etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant, vt dicit Auguſtinus in *Regula. Pſalm.* 101. Qui me laudabant, aduerſum me iurabant: attentione ergo opus eſt, ne perfecta iuſtitia, cum de viſceribus prodire incipit, mox in ortu ſuo per inanem laudem deſtruatur. *Deut.* 27. Attende & audi Iſraël: hodie factus es populus Domini Dei tui: audies vocem eius, & facies mandata atque iuſtitias, quas ego præcipio tibi.

Ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

In iſta prohibitione tria dicit: ſupponit enim duo, & prohibet tertium. Primum, quòd ſupponit, eſt, quòd iuſtitiam ſuam faciant: ſecundum eſt, quod ſupponit, quòd coram hominibus faciendo exemplum oſtendant: tertium prohibet, ne oculo beneplaciti videri ab hominibus appetant. Dicit ergo [Iuſtitiam veſtram faciatis] Tria dicit, rectitudinem, rectitudinis voluntatem, & rectitudinis opus. Iuſtitia enim dicit rectitudinem. *Pſalm.* 18. Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda. *Iſa.* 26. Semita iuſti recta eſt, & rectus callis iuſti. Hæc iuſtitia veſtra eſt, quando de veſtro habet; Quod autem liberè veſtrum eſt, ſola voluntas cordis eſt, quando ex dilectione fit iuſtitia. *Cantico.* 1. Recti diligunt te.

Sed contra hoc eſſe videtur, quod dicitur *Phil.* 3. Vt inueniar in illo non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti. Et dicendum, quòd aliter dicitur recta iuſtitia, quæ ex lege eſt, quàm hìc dicitur iuſtitiam veſtram. Quia legi iuſtitia dicitur Pauli: ſed quòd ante conuerſionem confiderabat in lege, tanquam ſalus eſſet in ea. Hic autem vult, quòd iuſtitia Euangelij ſit noſtra per voluntatis liberæ applicationem: quæ tamen Chriſti eſt ſicut authoris & datoris. *Roma.* 10. Ignorantes iuſtitiam Dei & ſuam quærentes ſtatuere: iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Sic igitur iuſtitia Dei (non legis) dicitur noſtra *Iſa.* 58. Anteibit faciem tuam iuſtitia tua; & gloria Domini colliget te.

coram hominibus.

Matth. 5. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera. *Luc.* 12. Lucernæ ardentes in manibus veſtris [vt videamini ab eis] hoc eſt, ne faciatis hoc fine, vt videamini oculo beneplaciti; ſed potiùs vt Deus videatur, & laudetur, qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis. *Gal.* 1. Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. *Pſalm.* 52. Confuſi ſunt, qui hominibus placent: quoniam Deus ſpreuit eos.

Alioquin.

Hic prohibitionis inductæ inducit perſuaſionem. Quia opus relatum, vt ad finem, ad laudem, ad placentiam hominum caret mercede apud Deum. Et hoc eſt [Alioquin] ſi aliter retuleritis opus [mercedem non habebitis] in beatitudine apud Patrem veſtrum.

Qui in cœlis eſt.

Hoc eſt, in beatitudine: quia mercedem poſuiſti in linguis adulantium. *Rom.* 4. Habet quidem gloriam; ſed non apud Deum. *Matth.* 25. Receperunt mercedem ſuam.

Et attende, quòd notat tria ſ mercedis perditionem; Et ne aliquis credat, quòd hoc ſit ex ingratitudine Dei, cui non ſit acceptum, dicit [apud patrem] qui pro affectu, quem habet ad nos, libenter acceptaret, & remuneraret, ſi ad ipſum referretur: ſed ne adhuc credatur, quòd ex mutabilitate, paſſionum agitatus non accepter, dicit [qui in cœlis eſt] vbi nihil ſubiacet huiuſmodi immutabilitati paſſionum. *Num.* 23. Non vt homo mentiatur neque vt filius hominis, vt mutetur &c.

Cùm ergo facis eleemoſynam.

Hic incipit ponere de partibus iuſtitiæ ſatisfacientis, de commiſſis exteriùs bonis, & de ſpiritu, & de corpore. Et ſecundum hæc tria ſunt tres partes iſtius partis, & ordinantur ſecundùm quòd magis laus de ipſis quæri conſueuit. Circa primam partem dicit duo: primò enim excludit mali finis intentionem, & ſecundò inducit qualiter fiat bono fine. *Ibi* [Te autem faciente eleemoſynam] In prima harum ſunt tres differentiæ, in quarum prima eleemoſynam innuit eſſe voluntariam, in ſecunda malæ intentionis ponit prohibitionem, in tertia, vt melius vitetur, adiungit prohibitionis perſuaſionem. De prima harum dicit [Cùm ergo facis eleemoſynam] Tria dicit; innuit enim non ſemper fieri, cùm dicit [Cum] Q. di, non ſemper poteris facere: quia facultates non ſuppetunt, nec ſemper adeſt voluntas. *Io.* 12. Semper pauperes habebitis vobiſcum: & cum volueritis, poteſtis illis benefacere 1. *Corinth.* 8. Non vt aliis remiſſio ſit, vobis autem tribulatio, Tribulatio autem paupertatis fieret dantibus, ſi ſemper darent. Secundò Eleemoſynæ innuit voluntatem in effectu, cùm dicit [facis] quia non ſufficit verbum, ſi adeſt facultas: ſed oportet iuxta facultates oſtēdere in opere. 2. *Cor* 8. Nūc verbo & facto oſtendite, vt quemadmodū promptus eſt animus voluntatis; ita ſit & perficiendi ſecundum id, quod habetis. *Iac.* 2. Si frater, aut ſoror nudi ſunt, & dixerit eis, Ite in pace, & calefaciamini, & ſaturamini: non dederitis autem eis, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid* proderit vobis? Tertiò eleemoſynæ innuit cauſam & radicem, cùm dicit [*eleemoſynam] Dicitur enim ab ele, quod eſt miſericordia; quia ex miſericordia debet procedere, 1. *Iob.* 3. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem patientem, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo eſt charitas patris in eo? *Iob.* 30 Flebam quondam ſuper eo, qui afflictus fuerat; & compatiebatur anima mea pauperi. Hoc eſt communicare neceſſitatibus pauperum, *Rom.* 12. Neceſſitatibus Sanctorum communicantes.

Sed contra dicta obiicitur *Tob.* 4. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ergo ſemper & omnibus eſt dandum. *Luce.* 6. Omni petenti te tribue. Adhuc habentes huius mundi copias, Dei ſunt œconomi: ergo quoties venit filius patris cæleſtis: toties dare debent vel impietatis & crudelitatis vitio arguuntur. Adhuc præceptum eſt, vt dent: Ergo non dantes, cum petitur, tranſgrediuntur.

Reſponſio quòd non poteſt fieri, quòd ſemper & omnibus detur; quia vltra neceſſitatem non ſuppetunt copiæ facultatum; ſed cor omnibus dandum eſt, & indignatio nulli eſt oſtendenda. Et ideò non dicit Tobias, quòd omnibus det; ſed quod vultum non auertat indignanter ab aliquo. Et hoc eſt, quod Lucas dicit: Quòd omni petenti nos tribuamus, quando facultates non habemus. Ad aliud dicendum, quòd ita fidelis debet eſſe œconomus, quòd etiam ſit prudens: imprudens autem eſt, ſi de remiſſione aliorum ſibi tribulationem fecerit. *Matth.* 24. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? Ad Vltimum dicendum, quòd præceptum eſt affirmatiuum, & licet ſemper obliget; tamen non obligat ad ſemper faciendum; ſed in tempore opportuno, hoc eſt, cùm adeſt facultas ex copiis, & præſens eſt indigentia ſine aliquo alio ſubleuamine petentis.

Noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.

Ecce prohibitio, & dicit quatuor, quorum primum eſt ſonitus manifeſtati (alias manifeſti) operis: ſecundum modus falſæ & apparentis ſanctitatis: tertium locus opportunus humanæ laudis: quartum finis intentus humani fauoris: Et hæc patent in litera. In primo notantur quatuor, quorum primum eſt modus prohibitionis, cum dicit [Noli] In verbo enim nolo, non vis, per totum condeclinium actus voluntatis manet affirmatus; & negatio refertur ad volitum: vnde ſenſus eſt,

Noli.

Hoc eſt, velis non fieri. *Hebr.* 3. Ne fortè ſit in aliquo veſtrum cor malum recedendi à Deo viuo. Secundum eſt ſonus manifeſtati (alias manifeſti) operis, qui notatur, cum dicit.

Tuba.

Quicquid enim ex intentione propalat opus ad laudem, tuba vocatur. *Dan.* 3. Cùm audieritis ſonitum tubæ, citharæ & fiſtulæ, adorate ſtatuam. *Pſal.* 9. Periit memoria eorum cum ſonitu: ſonus autem tubæ ad communitatem pertinet. Tertium eſt placentia talis ſoni: & hanc notat, cum dicit.

Canere,

Quia delectatur in tali ſono, ſicut in cantu muſico. *Amos.* 6. Sicut Dauid putabat ſe habere vaſa cantici. *Iob.* 21. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad ſonitum organi. Quartum eſt reſpectus ad hoc, ſicut ad primum & præcipuum ſui operis fructum: & hoc notat, cùm dicit.

Ante te.

Si enim poſt ſe eſſet, quod videlicet tentaret, & non præcederet, humana hæc eſſet tentatio; ſed quando præcedit, diabolica eſt elatio. *Oſe.* 12. Ephraim paſcit ventū, & ſequitur æſtum tota die: mendacium, & vaſtitatem multiplicat. Ventum enim paſcere eſt auras laudis per dona muneris prouocare, & gloriam illam æſtu humanæ laudis ſitire. Et ſic multiplicantur adulantium mendacia, & vaſtantur bona in æternum (ſi non eſſet laus humana) valitura. *Iſa.* 23. Bene cane, frequenta canticum: vt memoria tui ſit.

Sicut hypocritæ faciunt,

Ecce modos falſæ & apparentis ſanctitatis: eſt enim hypocrita idem, quod ſubreſponſor, vt dicit Chriſoſtom. quia perſonas extraneas allegantes, reſponſa dabant reboantes in boatu: quia hypocrita fuit antiquitus dictus, qui in theatris ſibi heroum circumligabant lar-

uarias imagines, sonabant per illas: & dum spiritus sonans ab ore loquentis repercutiebatur ad laruam, fiebat boatus magnus, propter quem boatum, vt dicit Boëtius in lib. De duabus naturis & vna persona Christi: persona media syllaba circumflecti debet; cum tamen ex compositione mediam deberet habere correptam. Idem autem est hypocrita in græco, quod persona in latino, hoc modo dicta: & hoc modo translatum est vocabulum ad eos, qui reboant ex auctoritate dignitatis, vel prælationis alicuius, quos personas appellamus. Horum ergo magnorum facies alligant, qui boatum laudis ab hominibus desiderant. Dicunt autem quidam, quòd dicitur ab hypo, quod est sub, & chryso vel chrysis, quod est aurum, vel conuersione latet. Hoc tamen non videtur verum; sed potiùs ab hypo, quod est sub: & crita, quod est larua, vel facies. *Isa.* 33. Contriti sunt in Sion peccatores: possedit timor hypocritas. *Iob.* 20. Gaudium hypocritæ ad instar puncti. *Sap.* 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.

In Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.

Ecce loca laudi congruentia. Tangit autem duo; locum, in quo confluunt ad cultum Dei multitudines, & hæ laudant apparentem sanctitatem: & locum vbi confluunt ad negotia propria, & hæ laudant apparentem largitatem. *Mat.* 23. Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Et attende, quòd etiam si nullus interfit dationi; tamen dum hæc intendunt, non nisi multitudines imaginantur, & corde vident: & ideò etiam quando soli sunt, coram multitudine & turbis faciunt hoc, quod faciunt. *Sap.* 6. Placetis vobis in turbis.

Vt honorificentur ab hominibus.

Ecce finis intentus, laus & honor. Honor enim, vt dicit Philosophus in 1. Ethic. est præmium virtutis, & hunc quærunt fieri sibi, non tantùm dari: & ideò dicit, honorificari. Honor fit, quando ex hoc facto in honoris gradu ponitur: quia ideò seminant pecuniam vt amplius crescat multiplicato fructu in gradu honoris, quem assequi intendunt. *Ioan.* 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam abinuicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis. 2. *Corint.* 12 Si gloriari oportet, non expedit quidem: quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. 1. *Timoth.* 1. Soli Deo honor & gloria.

Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.

Et ideò in futuro nihil recipient. Hic enim inducit persuasionem, vt vitetur intentio laudis: qui enim intentione pietatis dat, habebit mercedem in æternum durantem. *Psal.* 111. & 2. *Corint.* 9. Dispersit dedit pauperibus; iustitia eius manet in sæculum sæculi. *Hebr.* 10. Arbitrantes vos habere meliorem & manentem substantiam. Hi autem receperunt, quod receptum perdiderunt: quia in ipsa receptione fugit aura laudantis. *Aggæi.* 1. Qui merces congregauit, misit eas in saccum pertusum. Hoc notatur *Eccl.* 31. Beatus vir, qui post aurum non abiit. Abit enim aurum in largitate munerum, & cum ipso abit, qui in dando quærit auram fauoris: sed permanet, qui sperat mercedem iustitiæ immortalis.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito.

Hic tangit verum modum faciendi eleemosynam: & dicit duo; eleemosynæ videlicet perfectionem, & eleemosynæ mercedem. In perfectione eleemosynæ sunt tria; opus, & spiritualitas, quæ est causa operis, & intentio: & hæc omnia patent in litera. De opere dicit [Te autem facient eeleemosynam] Et notantur tria, discretio facientis, perfectio facti, & compassio eius, cui fit. Discretio notatur, cùm dicit [Te] Quasi d. Non alio quodam; cum enim laude empta est, non facimus, sed vendimus: similiter cùm instantia petentis extorta est, non facimus, sed cogimur. Sed nos facimus, quando sola gratia facimus, & voluntariè: ideò etiam eleemosyna vocatur omnis gratia: quia gratis vult dari in causa, & in dato, & intentione. 2. *Cor.* 9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt abundetis in omne opus bonum.

Faciente.

In hoc notatur perfectio eleemosynæ. Est autem eius perfectio ex profusione, & largitate muneris, & lenitate sermonis, & expeditione collationis, & discretione eius, cui dandum est, pauperis. Et ab his quatuor operis istius resultat perfectio. De profusione muneris *Prou.* 3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus: non enim honorat, qui non Deo dignum dat; nec de primitiis offert, qui vilia dat. Vnde Abel *Genes.* 4. Obtulit de adipibus gregis sui. 2. *Corint.* 9. Præparent benedictionem vestram, sic quasi benedictionem, non quasi auaritiam. De lenitate sermonis, *Eccl.* 18. Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum meliùs quàm datum. De expeditione collationis *Prouerb.* 3. Ne dicas amico tuo: vade, & reuertere, & cras dabo tibi: cùm possis statim dare. De discretione eius, cui dandum est. *Eccl.* 12. Si benefeceris, scito cui benefeceris: & erit gratia in bonis tuis multa *Rom.* 12. Rationabile sit obsequium vestrum.

Eleemosynam.

Hic tangitur compassio: quia non est dandum ei, qui non habet indigentiam: quia misericordiam non impendit opportunam, qui non attendit eius, cui dat, miseriam. *Isa.* 56. Frange esurienti panem tuum: & egenos, vagósque induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum. Vnde etiam semini appropriatur eleemosyna: nec vnquam semen super semen seminatur, vel ager seminatus. *Psalm.* 125. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Flebant ex compassione, seminabant eleemosynæ collatione.

Nesciat sinistra, quid faciat dextera tua.

Ecce

Ecce eleemosynæ causa, siue spiritualitas. Si enim dextra est, vnde motus, sicut in præhabitis diximus: & sinistra defectus carnis damnosè sciret sinistra eleemosynam, quia retraheret ab ea. Vnde consulenda est dextra de eleemosyna, quæ secundum *Apost. Ro.* 7. Condelectatur legi Dei secundum interiorem hominem, & est conscia & condelectata operi virtutis. Sinistra autem est id non bonum, quod habitat in carne nostra, quod incendit (aliàs intendit) ad æstum & flammam vitiorum. *Mich. vlt.* Ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. *Genes.* 22. Expectate me hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes, cùm adorauerimus, reuertemur ad vos. Puer est spiritus, qui ab homine assumendus est; serui sunt curæ carnales: & asinus corpus: qui relinquendi sunt ad tempus: quia retrahunt à bono. Vnde etiam famulis erat occultum Patriarchæ sacrificium.

Vt sit eleemosyna tua in abscondito.

Ecce intentio. In abscondito enim debet esse quo ad intentionem. *Ecclesiast.* 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis: & ipsa exorabit pro te ab omni peccato.

Et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Ecce merces, per quam inuitat ad occultum intentionis; & dicit tria; Dei affectum propter assimilationes, & Dei acceptabilitatem, & eleemosynæ retributionem. Affectum ex assimilatione tangit, cùm dicit [Pater tuus] quem imitaris, qui etiam sine iactantia dona confert plurima. *Iacob.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat; & ideò dicitur Pater luminum *Ibidem*: à quo descendit omne datum optimum, & omne donum perfectum, éaque mera liberalitate dat, & non ob gratiam fauoris *Ephe.* 4. Dedit dona hominibus.

Qui videt in abscondito.

Ecce acceptabilitas. Non enim loquitur de simplicis notitiæ visione. De qua dicit *Prouer.* 4. Respicit Deus vias hominum, & omnes gressus illius considerat. Sed de visione beneplaciti, quando cordis amorem indicat oculus. *Psalm.* 33. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum 1. *Reg.* 16. Homo videt ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor.

Reddet tibi.

Ecce retributio. *Isa.* 3. Retributio manuum eius fiet ei. *Luc.* 14. Cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, cæcos, & claudos: & beatus eris; quia non habent vnde tibi retribuere: retribuetur enim tibi in retributione iustorum. Illud autem, quod dictum est supra, quod nesciat sinistra tua &c. *In lib.* qui intitulatur *Canones Apost.*: aliter exponitur ab ipsis Apostolis. Dicunt enim, quòd dextra sunt, qui erunt ad dextram in iudicio, hoc est, boni Christiani: & sinistra sunt qui erunt ad sinistram, mali omnes, & maxime infideles; & hi non debent scire de factis, eleemosyna, honorum Christianorum. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus: & margaritas nolite proiicere ante porcos. *Ioan.* 2. Ipse Iesvs non credebat semetipsum eis, eo quòd non erat necesse, vt quis sibi testimonium perhiberet de homine. Ipse enim nouit quid esset in homine. Sic ergo terminatum est de prima parte iustitiæ, quæ est in distributione eorum, quæ commissa sunt nobis.

Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ.

Hæc est secunda pars, quæ est de parte iustitiæ: quæ est oratio. Et obiicitur: Tullius enim, qui determinat partes iustitiæ, non ista ponit inter partes; sed potius obedientiam, veritatem, seueritatem vindicationem, & religionem, & cæteras huiusmodi partes. Sed ad hoc dicendum, quòd Tullius ponit partes formales iustitiæ, quæ sunt specificantes modos debiti, quod reddit iustitia; hic autem partes materiales, in quibus iustitia reddit vnicuique, quod suum est.

Sed tunc iterum quæritur, quia materialis multiplicatio non pertinet ad artem, quia infinita est; neque de talibus potest fieri disciplina, sicut dicit Plato. Et ad hoc dicendum, quòd non sunt materiales omnino partes illæ, sed sunt genera eorum, in quibus, & de quibus iustitia vnicuique reddit, quod suum est. Hoc enim (aliàs autem) non potest facere nisi aut de exterioribus pertinentibus ad nos, aut de exterioribus: & tunc eruit illa, aut spiritus, aut corporis: & hæc tria in litera exequitur. Tangens ergo rectam intentionem orationis duo dicit; intentionem videlicet in orando, & quid petendum *Ibi*, [Sic ergo vos orabitis] In prima harum adhuc duo docet; vitare videlicet malam intentionem; & cauere errorem *Ibi* [Orantes nolite multum loqui] Docendo autem vitare malam intentionem duo tangit; vitationem scilicet malæ intentionis, & qualiter orandum, vt excludatur mala intentio *Ibi* [Tu autem cum oraueris &c.] Adhuc in priori duo facit; prohibitionem enim ponit malæ intentionis, & persuasionem prohibitionis *Ibi* [Amen dico vobis: receperunt &c.] Circa primum horum dicit quinque, quorum primum est perfectio orationis, circa quam excludenda est mala intentio: secundum, est exclusio malæ intentionis ex forma malè intendentium: tertium est locus congruens malè intendentibus: quartum, est superba rigiditas sic orantium, quæ intelligitur ex positione corporis: quintum, est intentio humanæ laudis. De primo igitur dicit.

Et cum oratis.

Oratio, vt dicit *Damascenus*, est petitio decentium à Deo, & ascensus intellectus in Deum. Oratio enim dupliciter dicitur: aut enim est expositio & effusio precum, siue precum: aut est ea, quæ in oratione est inuocatio diuina. Et primo quidem modo, Oratio est petitio decentium à Deo: & dicuntur decentia, quæcunque Deus dat, quæ ad decorem regni pertinent. *Iuste.* Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis. Inuocatio autem orationis est potius secundum orationis [illegible], quando vocatur Deus in nos: non enim tunc ad nos, vt dicit *Dionysius*, attrahimus Deum, sed potius eleuamus nos in Deum: & hoc est, quando intellectus ab exterioribus separatus, & tota virtute interioribus coniungens ad-

 hærens

hærens Deo pietate & deuotione in Deum eleuatur, ſicut dicit ſecunda diffinitio. *Auguſtinus* autem conſiderans, quòd oratio declarat affectum, & non intellectum; dicit quòd oratio eſt pius affectus mentis in Deum directus: cum autem dicitur pius affectus, pietas notat tria, cultum, deuotionem, & dulcedinem liquefacti cordis ex calore charitatis ad cultum Dei, in quo eſt: affectus autem notat voluntatis affectionem (aliàs affectiuæ) deſiderium. Directio autem in Deum, rectitudinem intentionis, & aſcenſum cordis in Deum: hæc eſt enim virtus orationis. Et ſic dicitur *Luc* 18 Quoniam oportet ſemper orare, & non deficere: hæc enim orationis eſt perfectio. Per hoc autem, quòd dicit [Cum oratis] Notat, quòd non ſemper orare tenemur.

Sed ſi obiicitur, quod dicit *Apoſtolus* 1. *Theſ.* 5. Sine intermiſſione orate. Dicendum, quòd ſine intermiſſione orat, qui contrarium orationi nihil interponit. Hoc autem peccatum eſt mortale. *Act.* 1. Erant perſeuerantes in oratione vnanimiter. *Coloſ.* 4. Orationi inſtate: vigilantes in ea cum gratiarum actione.

Non eritis ſicut hypocritæ.

Quid ſit hypocrita, dictum eſt in præhabitis: & excludit formam falſam vanæ orationis. *Iob* 8. Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela aranearum fiducia eius. *Iob.* 9. Omnis hypocrita eſt & nequam.

Qui amant in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus.

Locum tangit ſimulationi congruum ex duobus; ex cultu, & ex ſimilitudine occultationis. Ad ſynagogas enim multi cauſa cultus Dei conueniunt, qui opera diuina laudant: & ibi oſtendit ſe hypocrita. Platea autem dicitur à græco platon, quod eſt latum: & ſunt latæ ſtratæ angulariter ſe interſecantes, vbi è diuerſis viis plurimorum eſt tranſitus: & angulus quidem ex hoc, quòd in puncto terminat lineas, & aſtringit, prætendit apparens occultum; ex hoc autem, quòd eſt ſuperficiei planæ inter lineas, patulum tranſeuntibus præbet aſpectum, habet locum obſeruatum. Vt videantur quidem ad laudem orationis: & videantur velle non videri ad laudem etiam falſæ intentionis. *Iob* 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa; intùs autem plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia. Oſſa mortuorum ſunt virtutes apparentes, quæ intùs fœtent in conſcientia.

Stantes orare.

Ecce ſuperba rigiditas ſic orantium, qui humiliari nolunt. *Iob.* 15. Cucurrit contra Deum extento collo, & pingui ceruice armatus eſt. *Lu.* 8. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Gratias ago tibi, Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabbato &c. Orans enim genua flectit, vel totum ſe proſternit in humilitate coram Deo 3. *Reg.* 8. Salomon cùm oraret, vtrumque genu in terram fixerat. *Exod.* 4. Hebræi adorauerunt proni in terram 2. *Paral. vlt.* Flecto genua cordis mei, precans ad te bonitatem, Domine.

Vt videantur ab hominibus.

Ecce intentio humanæ laudis. Attende autem, quòd eſt duplex viſio, rei ſcilicet & videntis. Viſio rei eſt, quæ à re cauſatur: & illa non eſt peccatum in bono opere; ſed potiùs eſt ædificationis exemplum. Alia eſt viſio videntis hominis & hæc eſt, quam deceptus habet homo de eo, quod apparet, & non eſt; & hæc eſt, quam deſiderant hypocritæ. *Iob.* 15. Congregatio hypocritæ ſterilis. *Iob.* 12. Dilexerunt gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.

Amen dico vobis: receperunt mercedem ſuam.

Perſuaſio eſt præcedentium: & tangit duo: confirmationem, cum dicit [Amen dico vobis *Prouer.* 12. Labium veritatis firmum erit in perpetuum. [receperunt mercedem ſuam] Mercedem quidem operis receperunt, quoniam perdiderunt; ſed mercedem peccati recipiunt in ſupplicis æternis. Ea enim merces operis, quæ eſt in verbis, perditur, quando recipitur in laude verborum: quia.

Semel emiſſum volat irreuocabile verbum,

Sicut dicit Ariſt, Quod ſemel dictum eſt, ampliùs reſumi non poteſt: Non enim habet aliquam in ſuis partibus permanentiam, ſicut aliæ quantitates. *Ro.* 1. Mercedem, quam oportuit, erroris ſui recipientes.

Tu autem cùm oraueris.

Hic dicit qualiter orandum, vt excludatur mala intentio: & dicit duo; qualiter orandum bona intentione, & qualiter cauendus eſt error gentium, *Ibi* [Orantes autem nolite multa loqui] In primo ſunt duo paragraphi, in quorum primo ponit ea, quæ faciunt ad bonam intentionem: & in ſecundo huic orationi coniungit mercedem. In primo horum ſunt quatuor, quorum primum eſt orationis perfectio in opere: ſecundum eſt id, quod facit ad orationis occultum: tertium quod dirigit orationem in Deum: quartum quod dat rectam orationi intentionem. De primo horum dicit [Tu autem cùm oraueris] Q.d. [Tu] qui non carnem, non aulam ſequeris [cum oraueris] verè in ſpiritu. *Ioan.* 4. Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate 1. *Cor.* 14. Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu pſallam & mente 1. *Timo.* 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus ſine ira & diſceptatione.

Intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Tangit Orationis ſecretum: & tangit duo: locum ſecreti, & cuſtodiam. Locum tangit per cubile, vbi in ſecreto mentis cum Deo cubandum eſt. *Cant.* 3. Introducam eum in cubiculum genitricis meæ, hoc eſt, ſapientiæ. *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquieſcam cum ſapientia.

Et clauſo oſtio.

Ecce

Ecce tutela ſecretorum cordium. Sicut autem cubiculum eſt ſecretum cordis & ſpiritus, ita clauſura oſtij eſt firmatio ſenſuum ab ingreſſu phantaſmatum. Licet enim ſenſus particulares quinque ſint; tamen ſenſus communis, qui in corde eſt, vnus eſt: & ille componendo phantaſias ſenſibilium turbat cordis ſecretum: & iſtæ phantaſiæ ſunt aues, quæ deſcendebant ſuper ſacrificium Abrahæ, quas abegit. *Gen.* 15. Et ſunt muſcæ morientes, quæ perdunt ſuauitatem vnguenti. *Eccl.* 10. Ab his ergo oſtium cordis firmandum eſt, & intra cubiculum manendum & hoc ſignificatum eſt *Iudith* 8. Vbi dicitur, quòd in ſuperioribus domus ſuæ, longe à ſtrepitu ſenſuum in altitudinem ſpiritus, fecerat ſibi ſecretum cubiculum & ibi morabatur mente cum puellis doni (aliàs domus) ſapientiæ & intellectus; contemplationi & orationi dedita. *Iſa.* 26. Vade populus meus, intra in cubicula tua & claude oſtia ſuper te, donec pertranſeat indignatio mea. Indignatio enim tranſit: & non niſi ſerenum ſe exhibeat, cum orat (aliàs orarur) in cubili.

Ora patrem tuum.

Ecce directio orationis ad patrem. Ad neminem enim alium dirigendus eſt pius orationis affectus. *Apoc.* 8. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini de manu Angeli. Et dicitur *Ibidem*, quòd ille fumus eſt orationes Sanctorum. *Pſalm.* 140. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo &c. *Cant.* 3. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris.

In abſcondito.

Ecce finis bonæ intentionis, quæ ab omnibus abſcondita, ſoli Deo ſe repræſentat. 1. *Reg.* 1. Anna loquebatur ad Deum in corde ſuo, & vox illius penitus non audiebatur. *Pſalm.* 34. Oratio mea in ſinum meum conuertetur 3. *Reg.* 7. Inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret te. *Tob.* 12. Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. *Tob.* 3. Sara perrexit in ſuperius cubiculum domus ſuæ, & tribus diebus & tribus noctibus non manducabat, neque bibebat, ſed erat perſiſtens in oratione.

Et pater tuus.

Ecce perſuaſio dictorum ex mercede: & dicit tria; affectum remuneratoris, cum dicit [pater tuus] *Luc.* 11. Pater veſter cæleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Acceptabilitatem orationis, cum dicit [qui videt in abſcondito] vbi excluſa eſt turbans & inquieta multitudo. Et ideo dicitur *Gen.* 22. In monte Dominus videbit, vbi ſolus fuit Abraham cum [illegible] (aliàs in Spiritu ſancto) *Exo.* 33. [illegible] ſtabis ſuper petram. Cumque [illegible] gloria mea, ſtabis in foramine petræ, & [illegible] dextra mea. Locus apud Dominum [illegible] veritatis ſpiritus, in quo oportet orare. [illegible] ſecretum intentionis, quæ ſoli Deo [illegible] tenditur. Et qui [illegible] [in abſcondito] [illegible] *Pſalm.* 30. [illegible] 3. *Reg.* 19. Non in ſpiritu [illegible] tente montes, & conterente petras Dominus: non in commotione Dominus, non in igne Dominus; ſed in ſibilo auræ tenuis Dominus. Spiritus, eſt ventus mundanæ ambitionis: commotio tumultus mundanæ turbationis: ignis, ardor concupiſcentiæ carnalis; & in nullo illorum eſt Dominus. Sibilus autem eſt ſancti Spiritus ſuſurrum, & ibi eſt Dominus. Et hoc videt Elias in ſpelunca ſuper montem Dei in abſcondito, vbi viſus eſt à Domino [reddet tibi] in futuro 2. ad *Tim.* 1. Scio cui credidi: & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem. Et 2. *Timoth.* 4. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem iuſtus iudex.

Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici faciunt: putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſſimilari eis: ſcit enim Pater veſter, quid opus vobis ſit, antequam petatis eum.

Hic ab orando excludit modum erroris ethnicorum. Et dicit tria, quorum primum eſt, quòd non in multiloquio confidamus: ſecundum quòd in errore illo ethnicis non ſimiles ſimus: tertium propter quid. Circa primum dicit tria, prohibitionem, exemplum, rationem erroris. Prohibitionem ponit, cùm dicit.

Orantes autem nolite multum loqui.

Aliud eſt multum orare, & aſſiduè, & diu: & aliud eſt in oratione multum loqui. Multum enim loqui eſt ad loquendi modos mulcentes, & [illegible] ſe per colores rhetoricos oſtendere: vt Deo tanquam homini, qui ignorans (ad quæ liber [illegible] poſſit) perſuadeatur 1. *Cor.* 2. Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus. *Prou.* 10. In multiloquio peccatum non deerit; qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. Gentiles enim habebant deos, quos ſecundum Epicurum [illegible] hominis [illegible] & [illegible] eſſe ſimiles, & illos [illegible] perſuaderi. 3. *Reg.* 18. [illegible] Deus enim [illegible] [illegible] Et hoc eſt, quod pro [illegible]

Sicut ethnici faciunt.

Omnes enim dij gentium dæmonia. Ethnici enim ſunt gentiles 1. *Cor.* 8. Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo. [illegible]

ad per uasionem inductarum [Nolite ergo assimilari eis, vt sic in multiloquio confidatis. *Eccl.* 9. Terribilis in ciuitate homo linguosus, & temerarius in verbo suo odibilis erit. *Psalm.* 139. Vir linguosus non dirigetur in terra. Huius autem in vltimo paragrapho subiungit causam, dicens.

Scit enim Pater vester &c.

Et dicit tria; præscientiam certam, affectum persuasione non indigentem, & præparationem exauditionis ante orationem. Dicit ergo [Scit enim] *Hebr.* 4. Omnia nuda sunt oculis eius, ad quem nobis sermo [Pater vester] Ecce secundum: Patri enim sufficit affectus, & non indiget persuasione. Vnde *Luc.* 15. Antequam loqueretur filius, pater cucurrit obuiam ei [quid opus sit vo.] *Ro.* 8. Quid oremus, secundum quòd oportet, nescimus: ipse autem spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc est, docet nos postulare: propterea non exaudiuit Paulum orantem, vt discederet ab eo stimulus. 2. *Cor.* 12. quia non expediebat ei [antequam pet. eum *Psalm.* 9. Præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Sed tunc quæritur, quare rogamus eum? Responsio cum *Gregorio*: quia sic præscit, vt hoc non fiat nisi per orationes Sanctorum. Et hoc modo quo ad appositionem effectus, prædestinatio iuuatur orationibus Sanctorum. Huius etiam alia causa est *in glo.* Quia oratores esse volumus, non narratores: & orando affectum nostrum coram Deo sibi seruientes exercemus. Sed multiloquium prohibens, longas orationes non prohibuit, quæ diu, & sæpe, & multum affectum pium coram eo effundant, & offerant in laudem suam. *Psalm.* 49. Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter, quo ostendam illi salutare meum. *Iaco.* 5. Multum enim valet deprecatio iusti assidua. *Lu* 6. Pernoctabat in oratione Dominus. *Lu.* 22. Factus in agonia prolixiùs orabat. Hoc est ergo, quod dicit.

Sic ergo vos orabitis.

Hic incipit pars illa, in qua docet qualiter & quid orandum sit: & tangit duo; generalem videlicet modum, & numerum & ordinem petibilium. Generalis modus tangitur, cum dicitur [Sic ergo vos orabitis] Et innuit quatuor, modum omnium orationum, dispositionem orantium, exclusionem modorum orationi contrariorum, & conditionem precum. Modus importatur, cùm dicitur.

Sic.

Quia sicut dicit *gla.* Licet non eisdem verbis, quæ hic dicuntur semper oremus in orationibus personalibus, vel ecclesiasticis; tamen sic oramus: quia sensum contentum in istis & modum orantes retinemus, & obseruamus. Et ideò dicitur *Iaco.* 5. & 3. *Reg.* 17. quod Elias orauit, vt non plueret super terram annos tres & menses sex: Et tamen sic orauit, quia sensum huius orationis non excessit: quia per hoc regnum & potestas Dei apparuit. Sic etiam *Gen.* 25. deprecabatur Isaac pro vxore sua: eo quòd esset sterilis: & tamen sic orauit: quia per illam orationem prædestinantis Dei, sicut in cœlo dispositum fuit, voluntas in terra facta fuit. Et sic est in aliis fidelium orationibus [vos] qui discipuli estis, & idonei ad exauditionem: quia *Ioan* 9. Scimus quia peccatores Deus non exaudit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. 2. *Macha.* 9. Orabat autem scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus. Et talibus dicitur *Isa.* 1. Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam *Amos* 5. Auferà me tumultum carminum tuorum: & cantica Lyræ tuæ non audiam. Per rationalem autem coniunctionem concludentem ex præmissis, cùm dicit [ergo] Excludit modum orationi contrarium, *Ierem* 12. Prope es tu ori eorum: & longè à renibus eorum. *Isa.* 29. Appropinquat populus iste labiis suis; & cor eorum longè est à me [orabitis] conditionem notat precum. Non enim dicitur hic oratio oris ratio, siue narratio; sed potiùs oratio est petitio supplex, & deprecatiua pro bonis impetrandis, & amouendis malis. *Phil.* 4. In omni obsecratione, & oratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum 1. *Timot.* 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus.

Sunt autem obsecrationes illæ preces, quæ fiunt cum adiuratione per aliquod sacrum, sicut cum dicimus: Per natiuitatem tuam adiuua nos. Orationes autem sunt præcipuè pietatis affectus in communi pro quocumque impetrando. Postulationes autem, quæ fiunt quasi ex debito diuinæ promissionis, vel largitatis. Licet hoc non sit debitum obligationis, sed congruitatis. Petitiones autem nominatim & expressè pro aliquo, quod desideratur. His additur deprecatio, quam ponit *Isa. vlt.* & Illa est pro amouendis malis. Gratiarum autem actio est de acceptis beneficiis.

Pater noster.

Hic ponitur numerus & ordo petibilium: & habet partes duas. In priori enim captando benuolentiam præmittit ad quem oratio dirigitur: in secunda petitiones ponuntur. *Ibi* [Sanctificetur nomen tuum] Adhuc autem in priori tria dicuntur, quæ dirigunt orantem, scilicet, quis orandus, respectus orantis ad eum qui orandus est, & in quæ petita dirigatur intentio petentis. Quis orandus, quia [Pater] Per hoc autem, quòd dicitur [noster] respectus est orantis ad patrem. Petitio autem omnis dirigitur ad Deum [Qui es in cœlis] Cum autem dicimus.

Pater.

Actus Patris sunt sex, quibus sibi facit filium: & tres, quibus perficit ipsum. Primò enim generationis dat semen, secundò trahit per illud, tertiò distinguit tractum, quartò format distinctum, quintò viuificat formatum, sextò confortat & educit viuificatum. Ex his facit filios; factos autem nutrit secundum indigentiam substantiæ; enutritos educat secundum formam disciplinæ; educatos in disciplina hæredat secundum formam suæ magnificentiæ. Et primum quidem horum facit Pater Deus per gratiam, quæ est similitudo suæ bonitatis; secundum autem, per amorem suæ charitatis; tertium, per lumen suæ cognitionis; quartum, per imitationem suæ imaginis; quin-

tum

tum per ſpiritum ſuæ adoptionis ; ſextum autem per confortationem ſuæ virtutis ; ſeptimum, per nutrimentum edulij cæleſtis ; octauum, per eruditionem caſtigationis ; & vltimum per poſſeſſionem & participationem dulciſſimæ beatitudinis ſuæ.

Aliàs diuiſſime Per primum igitur accipimus poteſtatem & generationem, vt filij Dei Deo generante (alias generati) efficiamur. *Io.1.* Quotquot autem receperunt eum, ſupple, per gratiam dedit eis poteſtatem filios Dei fieri : & ſequitur, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt. *Iſa.66.* Si ego, qui generationem aliis tribuo, ipſe ſterilis ero dicit Dominus. *Pſalm.109.* Ex vtero ante luciferum genui te in ſplendoribus Sanctorum. Vterus eſt fæcunda deitas, ſemen huius generationis ſemper emittens : ſplendor ſanctitatis eſt fulgens gratia, quæ ſimilitudo eſt, & virtutem habet bonitatis ſuæ. Sicut ſemen naturæ ſimilitudo eſt & virtus bonæ naturæ patris naturalis.

Per Secundum autem trahit, quod fit per amorem ſuæ charitatis. *Oſe.11.* In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis. *Ierem.31.* In charitate perpetua dilexi te : ideò attraxi te miſerans. Ideò dicit filius : Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum, *Io.6.* Sic verbum Dei fit caro quaſi trahendo incarnans ſe, & ſpiritualiter habitauit in nobis *Io.12.* Omnia traham ad me ipſum. *Cant.1.* Trahe me poſt te,

Tertium autem (quod fit per lumen ſuæ cognitionis) ſignificatur *Iob.38.* Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram. Diſtinctio enim fit ſpargendo & diuidendo 1. *Cor.12.* Diuidens ſingulis prout vult. *Sap.11.* Omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti. Quibuſdam enim dat coërcere paſſiones innatas ; aliis autem ſuſtinere illatas ; & aliis ordinare agenda ; & aliis diſtribuere recepta. *Pſalm.4.* Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui. Domine.

De quarto autem (quod fit per imitationem ſuæ imaginis) *Gen.1.* Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram 1. *Corinth.15.* Sicut portauimus imaginem terreni ; ſic portemus imaginem cæleſtis. *Eze.28.* Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia & decore in deliciis Paradiſi fuiſti. *Can.8.* Pone me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum, & ſuper brachia tua. 1. *Ioan.3.* Cùm apparuerit, ſimiles ei erimus.

De quintò (quod fit per ſpiritum ſuæ adoptionis) *Gal.4.* Quia eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem : Abba pater. Et ad *Ro.8.* Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore ; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus. Abba pater. *Eze.37.* A quatuor ventis veni, ſpiritus, & inſufflà ſuper interfectos, & reuiuiſcant. *Pſal.103.* Emitte Spiritum tuum & creabuntur : & renouabis faciem terræ. *Gen.2.* Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ *Iſa.57.* Spiritus à facie mea egredietur : & flatum ego facio.

De ſexto autem (quod fit per confortationem ſuæ virtutis) dicit *Lu.24.* Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. *Ephe.3.* Det vobis Deus ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum eius in interiori homine. *Iſa.40.* Dat laſſo virtutem : & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. In his ergo Pater cæleſtis magis proprie nos complet per gratiam, quàm compleat nos pater terrenus per naturam. Et ideò paternitas naturalis, & paternitas ſpiritualis, qua Angeli patres dicuntur eorum, quos paterno affectu diligunt, ſunt reſultationes & imitationes quædam paternitatis diuinæ. Vnde dicitur *Epu.3.* Flecto genua mea ad Deum patrem, ex quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur. Et ſicut videmus in naturis, quòd in ſemine eſt virtus patris, quæ per totam materiam filij diffunditur ſpiritualiter, & ſic complet ipſam, & deducit ad eſſe humanum : ita in ſemine gratiæ (quod virtutem habet Dei patris, & eſt ſimilitudo nobiliſſima ſuæ bonitatis, cum qua & ipſe habitat in filiis) ſpiritualiter diffunditur in Dei natis, & deducit complendo ad eſſe diuinum. Propter quod dicitur *Pſalm.81.* Ego dixi : Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Et ideò vtrumque ſemen tam corporalis patris, quàm ſpiritualis fermento comparatur. Quia calor fermenti vaporabiliter diffundit fermentum per totam paſtam, & ſic fermentatur tota, & in omnibus panibus virtus fermenti inuenitur per ſpiritualem euaporationem, & in nullo inuenitur per molem quantitatis : Ita etiam ſemen corporeum carnalis patris vaporabiliter in totum corpus, & omnia membra nati diffunditur, & nuſquam per quantitatem molis inuenitur. Et ſic infunditur (aliàs diffunditur) in nobis vapor virtutis diuinæ, gratiæ ſ. & vndique, ſpiritualiter nos complet & format. *Ro.5.* Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. *Matth.13.* Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermenteretur totum. Regnum cœlorum hic vocatur gratia, regnum conferens ; ſata tria ſunt tria, quæ ſunt in anima nobili, vis ſcilicet, intellectiua veritatis, vis diuinà capax diuinæ participationis, vis animatiua vitam operans : Mulier autem eſt ſapientia æterna : abſconſio autem eſt immiſtio gratiæ in hæc tria : & fermentatum eſt totum, quando totus intellectus leuatur in verum primum : tota vis diuina leuatur in Dei conceptum : & tota vis animæ impletur vita virtutis & gratiæ.

De ſeptimo (quod fit per nutrimentum edulij cæleſtis in verbo & ſacramento, in quibus paſcuntur parauli & fortes) 1. *Pe.2.* Quaſi modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis. *Deu.8.* Non in ſolo pane viuit homo &c. *Geneſ.* Domine, qui paſcis me à iuuentute mea, *Pſalm.14.* Iacta cogitatum tuum in Domino : & ipſe te enutriet. *Gen.45.* Saluator mundi, dum eris iuxta me, ibique paſcam te,

De Octauo (quod fit per eruditionem difficilem caſtigationis) dicitur *Hebr.12.* Quis filius, quem non corripit pater ? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes : ergo adulteri, & non filij eſtis. *Prou.3.* Diſciplinam Domini, fili mi, ne abiicias : quem enim diligit Deus, corripit : & quaſi pater in filio complacet ſibi, *Apoc.3.* Ego quos amo, arguo, & caſtigo.

De nono (quod fit per poſſeſſionem & collationem diuiſſimæ beatitudinis) *Pſalm.15.* Funes ceciderunt mihi in præclaris : etenim hæreditas

ditas mea præclara est mihi. *Num.*15. Ego sum hæreditas eorum. *Gen.* 21. Peperit Sara vxor Domini mei filium Domino meo in senectute sua: dedit ei omnia, quæ habuerat. Sara princeps interpretata, Ecclesia est: Filius æterni gaudij, flos & hæres, ille est, quem ex gratia per Ecclesiam Deus Pater generat: in senectute nouissimorum temporum: cui etiam omnia in hæreditate dat, quæcumque vnquam habuerat: quia se dando, omnia donat, quæ sua sunt *Heb.* 11. Non confunditur Deus, vocari eorum Deus. *Thren.*3. Pars mea Dominus, dixit anima mea: idcirco præstolabor eum. Hæc igitur sunt, quæ sunt actus paterni indicia, in his, quos Pater summus generat per gratiam.

Iterum autem adhuc, si attendantur ea, quæ conueniunt Patri, inquantum genuit nos, inueniuntur esse tria, notitia Patris; vnio eius ad natum, & hæc duo consequens affectus Patris in filium. Notitia quidem in sua imagine & similitudine, quæ est filius: vnio, in naturæ consanguinitate: affectus, in vinculo, siue nexu cordis ad id, quod suum esse videt in filio. Sic enim etiam homo pater noscitur à nato, per hic quod est eius similitudo: quia semen imprimit in natum similitudinem patris: & notamen (aliàs notitiam) patris facit in eo, propter quod etiam filius dicitur nomen patris, si naturæ nomen accipiatur. Et ideò etiam puer in principiis locutionis suæ nominat patrem, antequam multa alia sciat nominare: quia similitudo naturalis patris afficit eum ad nominandum. Secundum autem ostenditur, quòd natus delectatur esse in sinu patris, & abhorret sinum aliorum virorum. Tertium autem, quod ex his causatur, est feruens & constans affectus circa natum: quia licet in matre sit feruens & constans affectus circa natum; tamen in muliere vix inuenitur constans affectus: qui natum nullo modo metu, vel amore lucri alicuius derelinquat. De primo dicitur 1. *Pe.*1. Renati, non ex semine corruptibili; sed incorruptibili per verbum Dei viui. *Iaco.*1. Voluntariè genuit nos verbo, vt simus initium aliquid creaturæ eius: in hoc enim nobis suæ naturæ impressit notam, & per consequens notitiam: quia omne, quod cognoscitur, notâ & notitiâ suâ, quam in anima facit, cognoscitur. Hac enim de causa dicit *Ioan.*10. Cognosco oues meas: & cognoscunt me meæ *Exod.* 33. Te ipsum noui ex nomine. Quòd (aliàs quia) notamen noscit, quod ipse impressit, & cognoscitur ex illo. *Ierem.*31. Omnes scient me à maiore vsque ad minorem eorum. De secundo, quod est affinitas naturæ, qua pater de suo habet in filio; & ideò sine gradu coniungitur pater filio: & proximior est pater filio, quàm filius patri: quoniam pater de suo habet in filio, & filius de suo nihil habet in patre. *Act.* 17. Ipsius & genus sumus. 2. *Pet.*1. Maxima & pretiosa vobis promissa donauit: vt per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ: fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptelam 1. *Io.*3. Qui natus est ex Deo, non peccat: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est: hoc est dicere: Per naturam Dei generantis, quam habet in se, habet potestatem peccandi (aliàs non peccandi) & non peccabit, nisi degenerans naturam abiiciat: quoniam generatio, quæ est à natura Dei in ipso, quantum est de ipsa, conseruat semper eum. De constantia autem affectus dicitur. *Isa.*49. Si potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ideò tangitur dolore cordis intrinsecus, quando exorbitant filij. *Ierem.* 31 Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius.

Ex his autem tribus causantur tria in nobis, quæ fiduciam dant impetrandi ex ipso nomine Patris. Ex notitia enim causatur fides, quæ ad Patrem aperit oculos: ex coniunctione charitas, quæ in Patrem figit oculos: ex affectu, quem ad nos habet, spes, quæ ad alta petenda erigit oculos: Non enim sumus contenti paruis, sperantes in affectu Patris. Quia sicut dicit *glo.* Nec (aliàs nihil) negabit, qui iam quòd pater est, donauit. Fides ostendit veritatem: charitas stringit bonitatem; & spes patris attendit largitatem. Nec potest esse petitionis repulsa, vbi tot occurrunt pij patris pietatis & beneuolentiæ indicia. De primo dicitur *Sap.*16. Substantiam tuam & & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas. De secundo *Cant.*2. Dextera illius amplexabitur me. De tertio *Ro.*8. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Adhuc [Pater] dicit, non Dominus, non Deus, non Magister, vt videtur quædam glo. tangere. Quoniam si diceret: Domine, qui es in cœlis, non haberemus fiduciam nisi ad parua, quæ pertinent ad seruos. *Ioan* 15. Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius: Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Amicitia enim illa est maxima, quam naturalis coniunctio deitatis efficit. *Io.* 3. Pater diligit filium, & omnia dat in manu eius. Magister autem dicit etiam nomen timoris & auctoritatis: & deterret (aliàs deterreret) à petendo. Et ideò vtrumque istorum nominum habuit quidem Christus; sed neutrum exhibuit in actu. *Ioan.* 13. Vos vocatis me, magister & Domine &c. Deus autem non dixit: quia Deus est nomen cuncta videntis, & erubesceremus petere, si Deum præmitteremus in petitione 1. *Reg.*16. Deus intuetur cor. *Eccl.* 23. Oculi Domini lucidiores sunt super solem, intuentes & (aliàs in) omnes vias hominum. Vnde Theos græcum, quod latinè sonat Deus, dicitur à theoro theoras; quod est video vides: eo quòd dicitur *Heb.* 4. Non est aliqua creatura inuisibilis in eius conspectu. His ergo de causis dicitur [Pater] Nec potest non esse dulcis & familiaris oratio, quæ à familiarissimo incipit: propter hoc in præcedentibus dicitur esse nobiscum, & videre nos in abscondito, quia & familiaris est & dulcis: quia, aliter ad ipsum non haberemus accessum. Et ideò vnigenitus, cuius spiritu adoptamur, dicitur esse in sinu patris.

Noster.

Istud est secundum, in quo notatur respectus orantis ad eum, qui exoratur. Ante literæ expositionem quatuor occurrunt inquirenda, quorum primum est, quid supponit nomen patris, quando dicitur, Pater noster. Secundum autem quæritur, quare non ita bene dicimus, filius noster, vel Spiritus sanctus, vel Spiritus sancte noster, sicut

ſicut dicimus, Pater noſter: cum communia ſunt beneficia Trinitatis. Tertium eſt vtrum in modo & in ſignificato per pronomen, aſſociatur nobis in paternitate filius, vt dicimus, quòd communis Pater ſit nobis & Chriſto. Quartum eſt, quare non ponimus aliquas proprietates, vt diceremus: Pater miſericordiarum, vel Pater large, vel magnifice; ſed ſimpliciter dicimus: Pater noſter.

Ad primum autem horum dicendum, quòd nomen Patris ſupponit pro tota Trinitate: eo quòd opera creationis & recreationis ſunt communia: Et ideò cum notet effectum filiationis gratiæ in nobis, & hic effectus communis ſit; oportet, quòd nomen Patris pro tota ſimul ſupponat Trinitate. Quia tamen generatio filiorum per adoptionem imitatur generationem per naturam: ideò appropriatur Patri, quod tamen ſimul conuenit Trinitati. *Iſa.* 64. Nunc Domine Pater noſter tu: nos verò lutum: & fictor noſter tu; & opera manuum tuarum omnes. *Hebr.* 1. Ego ero illi in Patrem: & ipſe erit mihi in filium.

Ad aliud dicendum, quòd omnibus diuinis non poteſt alicui adiungi meus, vel noſter, niſi quod ipſo nomine importat reſpectum ad nos per effectum, quem ponit, & efficit in nobis: filius autem ipſo nomine non dicit reſpectum niſi ad Patrẽ, & non ad nos: quia filius non dicit reſpectum niſi ad eum, à quo procedit per generationẽ: à nobis autẽ non procedit per generationem: & ideò nõ poteſt dici Fili noſter, ſicut bene dicitur, Pater noſter.

Sed contra hanc ſolutionem videtur eſſe: quod dicitur *Mat.* 12. Si quis fecerit voluntatem Patris mei, qui in cęlis eſt: ipſe meus frater, ſoror & mater eſt. Si ergo matres ſui ſumus: tunc verè dicere poſſumus. Fili noſter.

Ad hoc dicendum, quòd licet matres metaphoricè Chriſti dicamur: quia Chriſtus formatur in nobis, ſicut dicitur *Gal.* 4 Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Tamen quia hæc formatio non dat eſſe Chriſto; ſed potiùs nobis: ideò propter hanc formationem Chriſtus non dicitur filius noſter. Aliud eſt informari Chriſtum in nobis: ſicut aliud eſt figurare ſigillum in cera: Chriſtus enim non figuratur per nos, quia in ſe à Patre figuram habet. *Heb.* 1. Cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius; ſed figuratur in nobis ſicut ſigillum in cera, quando nos figurat ad conformitatem ſuam. *Rom* 8. Quos præſciuit conformes fieri imagini filij ſui, hos & vocauit. Sicut etiam ſigillum non eſt effectus: vel, vt ita dicam: filius ceræ, ſed potiùs econuerſo: cera figurata eſt quaſi filius ſigilli: & ideò in tali formatione filius potiùs eſt Pater noſter, quã filius. Nec nomen matris habemus propriè: ſed tranſlatiuè, ratione eius, quòd talis formatio fit in nobis.

Similiter autem licet Spiritus ſanctus ſit perſona, per quem (aliàs quam) ſicut dicit *Aug.* dona gratiarum diſtribuuntur: tamen ipſo nomine non importat niſi reſpectum proceſſionis paſſiuæ. Et ideò non ad nos ſub hoc nomine; ſed ad Patrem & Filium ſecundum quod principium ſpirandi ſunt, referitur. Et ideò dicitur Spiritus ſanctus Patris & Filij ſpirantium Spiritus, & non Spiritus ſanctus. Cùm autem abſolutè dicitur Spiritus: tunc eſſentialiter dicitur, & tunc dicitur noſter ſpiritus, & Moyſi ſpiritus: quia tunc non ponit reſpectum niſi ad effectum ſuæ ſpirationis in nobis. Sed tamen non conuenienter tunc in oratione diceremus: Spiritus noſter, qui es in cœlis: quia tunc ſpiritus dicitur ſpirans in nobis opus virtutis & gratiæ, & non dicit nomine ſuo curam & regnum diuinum, quod habetur de (aliàs in) nobis: nec dicitur formans ſecundum primam rationem formantis; ſed potiùs dicit id, quod à primo formante nos in eſſe ſpirituali nobis immiſſum eſt, ſicut quo coniuncto nobis formemur & viuificemur. *Rom.* 8. Quòd ſi ſpiritus eius, qui ſuſcitauit IESVM, habitat in vobis, qui ſuſcitauit IESVM CHRISTVM à mortuis: viuificabit & mortalia corpora veſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in vobis. Ad hoc ergo redit ſolutio, quòd quia ſpiritus dicit illud, quod mittitur nobis ad formam & vitam ſanctitatis: dicit ſpiritus potiùs id, quod petitur, quam à quo petitur. Pater autem cùm a nullo ſit, non mittitur, ſed dicit principium totius diuinitatis: & ideò potiùs à Deo petitur ſub nomine Patris, quàm ſub nomine ſpiritus. Sic ergo dicitur: Pater noſter, & non ſpiritus noſter.

Ad id, quod quæritur, vtrum communis pater nobis & filio conſignificetur in pronomine? Dicendum, quòd aliquo modo ſignificatur, & aliquo modo non ſignificatur. Secundum proprietatem enim grammaticæ in pronomine ſupponuntur plures relati ad vnum: & hoc modo non veniunt in vnum pluraliter conſignificatum numerum, quæ non habent vnius communis modum. Vnde quia procedere à Patre per conformitatem imaginis & ſimilitudinis, ſicut dicit *Baſilius*, filius in genere commune habet cum hominibus, & præcipuè cum Sanctis: ideò dicitur *Rom* 8. primogenitus in multis fratribus.

Adhuc quia hoc ipſum procedere per imitationem veſtigij, habet etiam creatura quæcunque: ideò dicitur primogenitus omnis creaturæ. *Apoc.* 1. Si autem modus ſpecialis inſpiciatur: quia in identitate procedit eſſentiæ: Sancti autem & creaturæ in diuerſitate eſſentiæ: tunc dicetur vnigenitus à Patre. *Ioan.* 1. Primo ergo modo dicendo dicetur communis pater, & poſſumus dicere, quòd eſt pater noſter & ſuus. Secundo autem modo non poſſemus dicere. Et hoc dicit *quedam glo.* quæ dicit, quod meus pater non poteſt dicere niſi Chriſtus: quia ſingularẽ ad eum ſolũ habet paternitatem. Hanc conuenientiã paternitatis ſimul & differentiam notat Chriſtus *Io.* 20. dicens: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum &c.

Ad vltimum dicendum, quòd quæcunque talia apponerentur adiectiua ad Patrem, minus dicerent inclinantia ad impetrandum, quàm Pater noſter ſimpliciter: quia largitas & benignitas & miſericordia & huiuſmodi ſunt non ita profundãtia affectum, ſicut quòd eſt Pater noſter, de ſuo habẽs in nobis, vt patet ex his, quæ de proprietatibus Patris inducta ſunt. Dicit igitur [noſter] Notans in hoc ſuam, quam ad nos habet, communicationẽ, quam nos inter nos habemus communitatem, & qua nobis inuicẽ obligamur fraternitatẽ, eam, qua ſibi obligamur reuerentiã, & illã, quã habemus in ipſo cõfidentiã, & in quã nati ſumus dignitatẽ, & quã ad poſtulandũ habemus æquitatẽ, & quam ex ipſo habemus in ipſo, & cum ipſo commanſionẽ.

Suam autem, quam ad nos habet communicationem perficit per inhabitationis gratiam: ſed, quam ex hoc inter nos habemus, communitatem perficit per ſpiritus vnanimitatem.

Eam verò, qua nobis inuicem obligamur, fraternitatem facit per suæ paternitatis charitatem: eam autem, qua sibi obligamur, reuerentiam: ex hoc facit, quòd suæ paternitatis in nos tanquam in filios ostendit auctoritatem. Sed ea, quam in ipso habemus, confidentia causatur ex hoc, quòd suæ diuinitatis ex paternitatis benignitate habemus consortium: illam verò, in quam nati sumus, dignitatem accipimus per natorum ad generantem conformitatem: ex participatione autē profusæ in nos paternæ naturæ & gratiæ postulandi accipimus quandam æquitatem: ex profluxu nostri ab ipso sicut à principio naturæ & gratiæ, non alibi, quàm cum ipso habemus commansionem.

Noster ergo Pater est per communicationem inhabitantis gratiæ. *2. Cor.4.* Locus solij mei, & locus scabelli pedum meorū, vbi habito in medio filiorū Israël. *2. Cor 6.* Inhabitabo in eis & inambulabo. *Psal. 75.* Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion: pax autem est effectus Dei per inhabitantem gratiam.

Noster etiam est per eam, quam in eo habemus communitatem factam per spiritus vnitatem. *Act. 4.* Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. *Psal. 54.* In domo Dei ambulauimus cum consensu. *Psal. 67.* Vnanimes habitare in domo. *Aug. in Regula.* Sit vobis cor vnum, & anima vna in Domino. *Io. 17.* Omnes sint vnum, sicut tu Pater in me, & ego in te: vt & ipsi sint consummati in vnum. *Ephe. 4.* Vnum corpus, vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis veræ: vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus & Pater omnium, qui super omnes & per omnia & in nobis omnibus.

Noster est etiam per eam, qua nobis inuicem obligamur, fraternitatem, quæ fit per suæ paternitatis charitatem: fratres enim sunt, qui ex vno patre sunt nati. *Hebr. 13.* Charitas fraternitatis maneat in vobis. *1. Io. 3.* Nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres. *Ioan. 13* In hoc ergo cognoscent omnes, quia mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. *Ioan 17.* Vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. *Leuit. 19* Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Ideò dicit *glo* quòd dicitur Pater [noster] & non Pater meus: vt in orando fraternæ admoneamur charitatis, siue dilectionis.

De reuerentia autem, quam habere debemus ad ipsum, quæ fit propter paternitatis auctoritatem. *Heb. 12* Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: nonne magis obediemus Patri spirituum, & viuemus? *Exo. 20* Honora Patrem &c. *Malac. 1.* Si ego Pater, vbi honor meus? *Exo. 15.* iste Deus meus, & honorificabo eum. Secundum Lxx. Deus patris mei, & exaltabo eum. *Eccl. 43.* Magnificantes Dominum exaltare eum, quantū potestis: quia maior est omni laude.

De confidentia impetrandi, quæ resultat ex hoc, quòd dedit suæ deitatis consortium, dicitur *Heb. 4.* Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam inueniamus. *1. Ioan. 3.* Fiduciam habemus ad Deum: vt quicquid petierimus, impetremus. *1. Reg. 2.* Pete mater mea: nec enim fas est me quicquam negare tibi. Per eandem rationem dicit hic Pater ad filium: quia, sicut dicit *Chrys.* Filius non petit nisi quod est ad honorem Patris: quod non facit seruus. Vnde filius in persona eorum, qui verè dicunt Pater noster: dicit *Ioan. 11.* Ego sciebam, quia semper me audis: qualiter eius Pater non exaudiret viscera sua? sicut dicit *Chrys.* *Osee. 11.* Conuersum est in me cor meum: pariter pœnitudo mea conturbata est: non faciam furorem meum. Si ergo sic se habet ad peccantem, multò magis non auertit faciem à petente & obsequente. *Genes 43.* Commota sunt viscera Ioseph super fratre suo, multò magis commouentur viscera Patris pij super filiis petentibus.

De dignitate autem, in quam ab ipso nati sumus, vt iam non simus homines; sed dij quidem (aliàs quidam) in carne apparentes. *Sapi. 2.* Ipsius enim sumus factura creati in Christo IESV in operibus bonis, vt in ipsis ambulemus. *Exo. 4* Primogenitus meus. Israël. *Psal 88.* Ego primogenitum ponam illum excelsum præ Regibus. *1. Io. 3.* Videte qualem charitatem dedit nobis, vt filij Dei nominemur & simus. *Isa. 60.* Germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum. *Ierem. 31.* filius honorabilis mihi Ephraim, si puer delicatus.

De profusa autem gratia paternitatis in nos postulandi quandam accipimus æquitatem, de qua dicitur, *3. Reg. 3.* Postula à me quid vis, vt dem tibi. *4. Reg. 2.* Postula quod vis, vt faciam. *Matth. 7.* Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. *Luce. 11* Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater cælestis dabit spiritum bonum petentibus se: iam enim ex filiatione quodammodo nostra sunt, quæ postulauimus. *1. Cor. 3.* Omnia vestra sunt: vos autem Christi, Christus autem Dei. *Io. 16.* Non dico, quia ego rogabo Patrem de vobis, *Iac. 15.* Fili tu semper mecum es: & omnia mea tua sunt.

De commansione autem cum ipso, quæ debetur nobis ex hoc, quòd fluximus ex ipsius bonitate, sicut quæliber res saluatur, & manet in his, à quibus procedit. *por 21.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. *Ioan. 15.* Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. *Psalm. 64.* Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, Domine, habitabit in atriis tuis. *Psal. 25.* Dilexi decorem domus tuæ. *Mat. 17.* Bonum est nos hic esse: si vis, faciamus &c. *Mat. vl.* Ecce ego vobiscum suum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. *Ezech. vl.* Nomen ciuitatis à die illa, & deinceps Dominus ibidem *Isa. 62.* Et non vocaberis derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs desolata; sed voluntas mea in ea vocaberis, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te.

Sic igitur cum noster dicat plura supposita participantia; vnum participamus Patrem per gratiam, qua nobis se communicat: per communitatem sui, qua nos adiuuat: per generationē, qua nos omnes in fratres generat: per auctoritatē, qua nos sibi subiicit: per affectum, quo id, quod suum est, in nobis diligit: per similitudinem suam, quam in nobis, vt dij simus, gignit: per ius naturæ, quo se nobis & sua concedit: per conseruationē & collectionē, qua nos conseruans in se manere præcepit.

Noster etiam dicitur ad vsum, & ad fructum: ad vsum quidem in adiutorio gratiæ: ad fructum autē in

in exhibitione gloriæ: & sic sui vsum referimus ad sui fructū. Secundùm primum dicitur: Deus refugium nostrum, virtus, & adiutor in tribulationibus: quæ inuenerunt nos nimis. Secundùm secundum dicitur *Isa. 4.* quòd fructus terræ sublimis. *Isa. vl.* Vt fugaris, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.

Sed cùm sic dicatur vniuscuiusque nostrum, & oratio fit pro diuersis defectibus & singularibus, quia id quòd petit vnus, non petit alius: videretur debere dici: pater mi, vel meus. Sed ad hoc dicendum, quòd omnia, quæ impetrantur, ex charitate dantur: & charitas duplex habet mandatum, dilectionis Dei, & proximi: & dilectio Dei importatur in nomine Patris: dilectio autem proximi oportet, quòd importetur per noster: & ideò non potest dici meus. Sed secundum hoc peccator non potest dicere hanc orationem: & dicendum, quòd potest; quia natura est filius, & spe filius gratiæ, & sic dicit; vel dicit in persona Ecclesiæ, vt quidam dicunt, sed primum melius est.

Qui es.

Ecce tertium, vbi notatur intentionis directio ad id, quod solum est petendum. *Psal. 26.* Vnam petij à Domino, & hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Duo autem notantur in verbo, esse videlicet diuinum, quod omnibus desiderabile est: & verus illius esse locus. Primum intelligitur per hoc, quòd dicit [Qui es] Ita quòd verbum es, non sit tertium adiacens orationis; sed potiùs sit alterum extremorum: vt sit sensus [Qui es,] id est, qui habes entitatem veram.

Et secundum hunc intellectum in eo, quod dicit [qui es] quinque notantur; ens videlicet primum, simplex, fontale, immutabile, perfectissimum. Ex primitate est influentissimum, ex simplicitate communissimum & intimum, ex fontalitate causalissimum, ex immutabilitate conseruatissimum, ex perfectissimitate desiderarissimum omnium.

Primum enim influit omnibus, & à nullo influitur ei: & est liberalitatis & magnificentiæ profusæ. Influit enim nullo indigens: & nullum aliorum aliquid alicui influere potest, nisi per hoc, quòd accipit, & habet ab ipso: & hic Pater sic influens meritò est orandus. *Iaco 1.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio: non enim mutatur, vt quandoque fluat, & quandoque non: neque vicissitudinem donorum recipit. *Rom. 11.* Quis prius dedit ei & retribuetur ei? Esther. 2. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. *Ecclesiastici. 24.* Factus est mihi trames abundans, & fluuius meus ad mare appropinquauit. Infinitatem enim maris excedit influentia primi Patris. *Isa. 6.* Videbis & afflues: & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris: fortitudo gentium venerit tibi. Hic ergo Pater, qui tale esse est, meritò orandus (aliàs adorandus est) quia omnibus largiter influit, nullo indigens. Primum enim est, vt dicit *Philosophus*, quòd influit, non supposito quodam alio, quod sibi det influere. *Arist.* Causa primaria plus est influens, quàm secundaria.

Per simplicitatem autem est communissimum & intimum: quia sicut dicit *Philosophus.* Quantò aliquid simplicius est: tantò in pluribus inuenitur, & sui ad plura indigetur. Et per (aliàs propter) hoc inuocatur hic Pater: vt animabus illabatur, vt dicit *Bda. Kem. 10.* Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum. *Mal. 1.* Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus. *Isa. 49.* Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hæc est lucerna accensa, quæ sub nullo modio concludi potest. *Iob. vnde. imo.* Excelsior cœlo est, profundior inferno, latior terra, & mari longior. *Ephe. 4.* Super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. *3. Reg. 8.* Cœlum & cœli cœlorum te capere non possunt. *Iere. 33.* Cœlum & terram ego impleo. *Act. 37.* In ipso viuimus, mouemur, & sumus: & sic intelligitur, quod velociter currit sermo eius: omnia enim, & per omnia, & in omnibus, & ante omnia præueniens semper inuenitur. Et sicut dicit *Dion.* proportionabiliter expandit se per omnes intellectuales vultus, sicut sol materialis per omnes vultus corporeos se expandit. *Iob. 25.* Super quem non surgit lumen eius? *Sap. 8.* Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

De fontalitate causalitatis inebriat omnia bonis suis, & nunquam siccitatem patitur, vel arefactionem, & omnibus ministrat virorē & germen, & refrigerium & ablutionem, & infusionem. *Genes. 2.* Fons egrediebatur de loco voluptatis irrigans vniuersam superficiem terræ. *Ps. 35.* Domine, apud te est fons vitæ: fons autem fundens vitam est Pater. *Ezech. 47.* Aquæ egrediebantur de templo in latus dextrum templi: quia fluxus iste nihil habet facere cum sinistra. *Psalm. 45.* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, virorem ministrans virtutis, florem honestatis, fructum internæ dulcedinis. Hæc enim sunt ex humore, quem infundit his, qui plantantur super ipsum. *Ierem. 17.* Erit quasi lignum, quod plantatum est iuxta aquas: & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. In aquis autem, quas affluit, lauat sordes, & refrigerat tentationes, aduehit diuitias, reuehit ad ortum sui & ad patriam tendentes. *Isa. 66.* Ecce ego declinabo in vos, sicut flumen, pacem: & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis.

Immutabilitate fundat, & continet, & conseruat ea, quibus se influit: ideò dicitur *Sap. 3.* quòd iustorum animæ in manu Dei sunt: & non tanget illos tormentum malitiæ. *1. Ioan* Non rapiet eas quisquam de manu Patris. *1. Tim. 6.* Solus habet immortalitatem. *Glo.* hoc est, immutabilitatem. *Psal. 101.* Tu autem idem ipse es: & anni tui non deficient. In hoc enim Patre, vt dicit *Aug* manet æternitas, nulla mutabilitate concussa. Cupientes igitur interminabilem vitam, orare debent ad hunc Patrē, qui est: quia æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Sicut enim. *Exo. 15.* Dominus regnabit in æternū & vltrà: sunt æternū in æterno, quod filiis cōfert.

Perfectissimum autem est hoc esse, & ideò desideratissimum: Vnde dicit *Phil.* quòd omnia appetunt esse diuinum, & propter illud agunt quicquid agunt.

agunt. *Aug* 2. Veniet desideratus cunctis gentibus. Omnia enim istius Patris desiderant superaduentum. *Prou.* 8. Omnia desiderabilia huic non valent comparari: esse enim datur ab eo, quo accepto nihil desideratur amplius: eo quòd hoc est omnis naturæ bonum & optimum. *Exo.* 33. Ego ostendam tibi omne bonum: inuenisti enim gratiam coram me. In hoc est gaudium plenum, vt hoc comprehendamus, vt possimus. *Io.* 16. Petite, vt gaudium vestrum plenum sit. *Mat.* 5. Pater vester cælestis perfectus est.

In cœlis.

Hic tangit petibilium locum, & accipiuntur in cœlo quinque, ad quæ reducuntur expositiones Sanctorum. Primum enim est cœli natura, secundum est cœli species & forma, tertium est cœli vsus in contemplationis gloria, quartum est cœli proprietas in hoc quòd est quies regia, quintum cœli similitudo in significanda Sanctorum gratia, sextò etiam per metonymiam secundum Rabanum per cœlos hi, qui in cœlo sunt, pro orante intercedentes accipiuntur.

Quinque igitur sunt in ipso cœlo accepta: & primum est cœli natura, quæ est nobilis, & per naturam ingenerabilis & incorruptibilis, vt probat Philosophus. Et ideò omnes antiqui conuenerunt in hoc, quòd cœlum esset locus Dei, vt dicit Philosophus, tanquam primi generatoris (aliàs genitoris) & datoris omnis esse entitatis (aliàs entitatis, & esse) eorum, quæ quocunque modo esse accipiunt. Vnde *Psal.* 113. Cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum. *ob*, 22. Circa cardines cœli perambulat. *Ibidem.* Excelsior cœlo est, & super verticem stellarum sublimatur. Hoc igitur modo propter loci congruitatem in cœlis esse dicitur. *Dan.* 3. Benedictus est in firmamento cœli, & laudabilis & gloriosus in sæcula.

Cœli autem species & forma est pulchritudo, cui nihil potest admisceri fœdum: & hoc modo per cœlum pulchritudo accipitur cœlestium donorum; quia quæcunque de terris sunt, commiscibilia sunt & fœdibilia: Ita quòd *Isa.* 64. dicit. Sicut pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Sed de cœlis & in cœlis est pulchritudo pura. *Eccl.* 43. Species cœli gloria stellarum. Et *Ibidem.* Pulchritudinem eius admirabitur oculus. Hæc enim est pulchritudo, quæ laudatur *Cant.* 6. Pulchra vt luna, electa vt sol. Et *Ibidem.* 4. Tota pulchra es: & macula non est in te.

Vsus verò cœli est ad splendorem contemplationis in gloria: & laudem cælestis regis in hymnodia. Vnde de Angelis dicit Damascenus: In cœlis conuersantur, & vnum opus habent; hymnis laudare Deum. Vnde. 2. *Cor.* 12. Cùm Paulus vellet exprimere modum limpidissimum suæ contemplationis, dixit quoniam raptus est in tertium cœlum, hoc est, in contemplationis modum, qui est in tertio cœlo ascendendo, hoc est, in altissima Hierarchia. *Isa.* 6. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Ibi enim sine turbulẽtia huius mundi serenus apparet. *Isa* 18 Ego quiescam & considerabo in loco meo: sicut meridiana lux clara est. In cœlo enim inhabitat lucem inaccessibilem. 1. *Timo.* 6. *Cant.* 1. Indica mihi, vbi cubes, vbi pascas in meridie. *Eccl* 42. In meridiano exurit terram: & refulgens radiis suis obcæcat oculos. Meridiana enim linea est vnicuique homini altior linea: & circulus cœli, quem potest accipere, siue inuenire: & ibi lumen est in omnipotentia sua, totum implens orbem, & nusquam alibi. *Psalm.* 18. A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius. Quia calidum & incensiuum est lumen contemplationis, vt dicit *Dionysius*. *Eccl.* 43. Fornacem custodiens in operibus ardoris. *Isa.* 31. Dixit Dominus cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.

Cœlum etiam dicitur quies & sedes regia. Vnde *sup.* 5. Cœlum est thronus magni Regis. Et ibi expositum inuenies qualiter dicitur thronus, *Heb.* 1. *Psal.* 44. Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui. In cœlo enim, hoc est, cælestium vertice summæ resident pulchritudines suæ lucis & suæ veritatis. *Isa.* 66. Cœlum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. Alta enim sua insignit pulchritudine, & infirma non derelinquit, quin aliquid sui impertiatur in vestigij imitatione. Hoc igitur modo cœli dicuntur cælestes mentes, quietè & altè ab omni scabellari subiectione in cœli pulchritudines veritatis æternæ eleuatæ. Et ideò *Philosop.* dicit quòd intellectus est locus specierum intelligibilium: non enim sunt in eo sicut in materia: quia sic distinguerent & denominarent eum: & habens vnam non posset habere aliam. Nunc autem sunt in ipso vbique & semper sicut in loco, & non denominant ipsum: nec vna impedit aliam, cùm intellectus sit locus communis omnium. Et sicut generans locum dat ei, quod generat: ita intellectus agens generando veritates rerum, & locum dat eis vbi sint, & in quo fiant, & ad quem moueantur suo modo motus in intellectu. Et hoc modo veritas & lux prima sedem habet mentes cælestes: quia sicut dicitur *Sap.* 7. Anima iusti sedes est sapiẽtiæ.

Cœlum etiam habet similitudinem quandam in significanda Sanctorum gratia: quia cœli alti sunt, sicut Sancti per desiderium. *Psal.* 63. Accedet homo ad cor altum &c. *Isa.* 55. Sicut exaltantur cœli à terra: sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris &c. Stellati sunt sicut Sancti: præferunt stellas virtutum. *Phil.* 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. *Dan.* 12. Qui docti sunt, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & lucent sicut Sancti per sapientiam. *Sap.* 7. Hæc est speciosior sole & super omnem dispositionem stellarum luci comparata &c. Tonant laude (aliàs laudem) hymnorum, & pluunt lacrymis deuotionis. *Iob.* 38. Quis dedit vehementissimo imbri cursum: aut viam sonantis tonitrui? Rorant autem pinguedine deuotionis. *Osee.* 14. Ero quasi ros: & Israël germinabit quasi lilium. *Gen.* 27. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam.

De hoc autem, quòd dicit Rabanus per cœlum accipi Sanctos in cœlo contentos: vt habeat orans intercessores. *Hebræor.* 9 Non enim in manufactis Sanctis introiuit IESVS exemplaria verorum; sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Hinc est quòd dicitur: Lætentur cœli, quando cælestes lætantur obtinendo nobis gratiam à Deo, *Iob.* 5. Voca, si est, qui tibi respondeat: & ad

ad aliquem Sanctorum conuertere. Sicut enim obstupescunt in malis nostris: ita etiam inuant ad bona nostra, & gaudent, quando obtinemus ea. *Iere.* 2. Obstupescite cœli super hoc: & portæ eius desolamini vehementer. Duo mala fecit meus populus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas; continere non valentes aquas.

Resumentes igitur, quæ de cœlis dicta sunt [in cœlis] est [pater] hoc est, in cælestibus locis & sanctis refulgens; per incorruptionis æternitatem, per decoris purissimi & spiritualis gloriam, per continentiam spiritualium, & altarum (in quibus totus quiescit intellectus) veritatum, & delectationum, & contemplationum: per splendoris spiritualis in luce inaccessibili vsum & laudum hymnodiam; per omnis virtutis excellentiam: per Sanctorum cælestium frequentiam. *Dan.* 7. Millia millium ministrabant ei; & decies millies centena millia assistebant ei. In his omnia nostra continentur petibilia, quæcunque à Patre petere habemus.

Sed incidit quæstio, quare non dicit: Pater noster, qui es in cœlo: sicut, qui es in cœlis? Et ad hoc dicendum, quòd cœli hic vocantur continentiæ intellectualium & intuisibilium creaturarum, quæ sunt Sancti & Sanctorum splendores in gratia & gloria. Et quia hæ continentiæ sunt in tribus hierarchiis, & ter trinis ordinibus: & secundum illas continentias sunt etiam nostræ sortes & gratiæ & gloriæ in cœlis; Ideò meliùs dicitur [in cœlis] quàm in cœlo. Quia sicut dicitur. *Deut*, 32. Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei. Et quidam indigent & petunt, qui (aliàs quæ) sunt in cœlo inferiori: quidam autem ea, quæ sunt in medio: & quidam quæ sunt in summo (aliàs supremo) & licet Pater noster in cœlo sit Trinitatis per suæ maiestatis ambitum & continentiam; tamen in omnibus est cœlis per hoc, quòd est causa & obiectum beatitudinis omnium. *Iob.* 25. Nunquid est numerus militum eius: & supra quem non surget lumen eius?

Resumamus igitur ab initio & determinemus sermonem dicentes, quod hic sensus est. Pater noster, qui es [in cœlis] hoc est, in cælestibus verè es secundum omnem primi entis proprietatem. Ens enim in omnibus (aliàs ante omnia) est primum, & ante ens nihil potest intelligi. Sed quæcunque sunt, post ipsum intelliguntur. Et ideò est nomen Patris primi, qui principium est totius diuinitatis, & omnium, quæ sunt. *Exo.* 2. Hæc dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos [Pater] igitur est in esse spirituali, semẽ dans gratiæ, ad quod trahit omnia nostra, intellectum, affectum, libetum arbitrium per amorem, & tractum distinguit. Quia aliter pes staret in capite, & oculus in manu, & esset cõfusio in membris spiritualibus nostræ naturæ. Distinctum format in figura diuina, & viuificat, & corroborat virtute, educit ad opera, educat edulio suæ alimoniæ, erudiẽdo cõuertit ab errore, & litat hereditate [noster] autẽ est per hoc, quòd de suo dat, vt noster sit, nobis communicat. Et per hoc, quòd idem multis dat, nos communes in suo, & similes facit: per modum autẽ dandi efficimur fratres: per hoc, quòd suũ in nos, sequitur eius effectus generans confidentiam: & quia de suo habemus, iuris cuiusdam ad sua accipienda generatur æquitas: & per hoc, quòd ipse dat, & nos accipimus, nostra ad ipsum reuerentia: & quia de suo dedit, & suum vbicunque sit, secum manere debet, domus suæ acquirimus cohabitationem: & in omnibus his verè est [noster] quia pronomen hic plures dicit in vna re possessa participantes, ex cuius participio omnia causantur, quæ dicta sunt. Sic igitur dicitur [Pater noster, qui es in cœlis]

Sanctificetur nomen tuum.

Hic ponuntur petitiones, quæ secundum omnes Expositores (aliàs Doctores) sunt septem: quarum quatuor primæ pro adipiscendis bonis: tres autem vltimæ sunt deprecationes pro amouendis malis. Illæ autem, quæ sunt pro adipiscendis bonis diuinis, aut sunt de bono diuino adipiscendo, secundum quod pertinet ad vitam diuinam; aut sunt de bono conseruante & sustentante, aut confortante nos in illo. Et de bono quidem pertinente ad vitam diuinam sunt tres primæ: de conseruante autem nos in illo & sustentante & confortante est quarta: quæ petit edulium, siue viaticum ad sustentationem & confortationem. Tres autem primæ multiplicantur secundum ea quæ exiguntur ad vitam diuinam & perfectam: hæc enim sunt tria, esse videlicet diuinum in nobis perfectum & completum, posse & ordinatum agere. Ad esse autem petitur sanctificatio nominis, ad posse autem aduentus regni, & ad agere perfectio diuinæ voluntatis in terra, sicut fit in cœlo. Et ideò sicut dicit *Aug.* Prima regitur spiritu sapientiæ, qui est sapor diuinus ex esse diuino in nobis: & petitur pacificatione cordis, quando illi esse diuino nihil in nobis repugnat. Secunda autem regitur spiritu intellectus, qui regnum Dei mentis illustratione declarat; & perficitur munditia cordis, quæ scandala de regnõ Dei eliminat: tertia autem regitur spiritu consilij, qui agenda secundum Dei voluntatem persuadet; & perficitur misericordia, quę incipit à seipsa, miseriam omnis inordinati actus propellente: quarta autem regitur spiritu fortitudinis, spiritũ ad portanda onera confortante cum cibo sumpto; & perficitur esurie & siti iustitiæ, quæ magis in esse diuino sustentat, quàm panis, quem quotidie sumimus. Tres autem vltimæ sunt de amouendis malis: quæ mala aut transierunt actu & remanent reatu, & de his amouendis est quinta; aut sunt imminentia per causam, & futura per actum, & de his amouendis est: sexta aut sunt imminentia per causam & actum, & de his amouendis est vltima. Et ideò dicit *Aug.* quòd quinta regitur spiritu scientiæ, qui docet bene conuersari & ostendit quæ sunt debita, quibus tenemur; & perficitur luctu, qui lauat delicta commissa: sexta autem regitur pietate cultus Dei, qui (aliàs quæ) vitat tentamenta, ne inducatur; & perficitur mititate Christi, quę (aliàs qui) non permittit prouocari à tentatore ad inducendum in tentationem: septima autẽ regitur spiritu timoris, qui retrahit à malo; & perficitur paupertate spiritus in omnibus tẽporalibus humiliter se sentiente insufficientem, dicendo: quoniam sufficientia sua ex solo Deo est. Et sic petitionibus dona spiritus impetrantur, & donis virtutes & perfectiones beatitudinis acquiruntur. Et hæc est sententia glos. *Aug.* Nunc autem restat de singulis secundũ indictam diuisionẽ exequi petitionibus [Sanctificetur nomen tuum] Ex quo ista petitio diriguitur ad Patrem: nomen quod

quod petitur in ea sanctificari, nomen est Patris: est autem nomen duplex, personæ & naturæ. Personæ nomen est, quod personam quancunque demonstrat in esse personali distincto, siue illa persona sit diuina, siue humana, siue angelica: & hoc nomen non est communicabile alicui, sicut nec ipsa discretio personalis, à qua imponitur: & hoc vocatur nomen proprium vni soli conueniens: & in hoc nomine non communicant generans & genitus, nec communicare possunt propter causam inductam. Est autem nomen naturæ sub qua fit personalis discretio: & hoc est nomen communicabile illis, quibus datur natura per modum, quo datur eis: & hoc dicitur *Genes.* 5. Quòd masculum & fæminam creauit eos, & vocauit nomen eorum Adam, hoc est, homo: quòd (alias quia) Adam, homo interpretatur. Sicut enim mulier naturam de viro accepit: ita accepit & naturæ nomen, & rationem. Et ita in diuinis. Sic dicitur *Philippens. secundo.* Dedit illi nomen super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur. Pater enim gignendo filium dat ei naturam diuinam, & per consequens dat ei nomen naturæ & rationem, quòd vere Deus dicatur & sit: & ex hoc habet, quòd non rapinam se arbitratur æqualem Deo, & quòd non blasphemat, cum dicit se Deum, & quòd in nomine illo omne genu flectendum est ei sicut Patri, & quòd non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri nisi illud *Act.* 4. Sic ergo etiam dicitur (quoad naturam patris, quæ nobis in generatione spirituali confertur ad esse diuinum) patris nomen nobis datum. *Ioan.* 10 Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: sermo enim Dei est: sermo de communicatione Dei, qui (aliàs quæ) est nota, quam facit natura communicata: sicut omnis res à natura sua denominatur & determinatur: & hæc scriptura nullo modo solui potest, quia realiter inscripta est, & inscribitur continuè omnibus. Hoc igitur est [Nomen tuum] O Pater, qui es in cœlis.

Huic nomini statim in ipso fieri ante sanctificationem octo conueniunt, quæ sunt proprij huius nominis effectus, quorum primum est, rem notare & declarare, cui datur: secundum est super rem esse, cui datur: Tertium est hoc nomen non imponi, sed dari: quartum est hoc nomen innouare eum, cui datur: sextum est hoc nomen habere alietatem & differentiam ad alia quæcunque nomina: septimum est hoc nomine consequi benedictionem: octauum est hoc nomen facere communioné inter omnes ab vno patre genitos. Hæc autem planè inscripta inueniuntur, & ratione demonstrantur, & ipsa re etiam à parum scientibus denotantur. Cum enim nomen dicatur quasi notamen, nisi cadat à significatione, quam importat: oportet quòd notando declaret rem, cui datur: & ideò dicitur superscribi eis, quibus datur, vt in ipso nomine, sicut in scriptura legatur notitia eorum. Sic enim scribuntur in libro vitæ. *Malach.* 3. Scriptus est liber momenti. *Apoc.* 3. Scribam super eum nomen meum, & nomen ciuitatis nouæ Ierusalem. Et *ibidem ante* Nó delebo nomina eorum de libro vitæ, hoc est signaculum profundatum super nos, quo declaramur esse Dei. Propter quod nomen Domini fuit in lamina pendente in fronte Pontificis *Exo* 28. *Apoc.* 7. Seruos Dei nostri signemus in frontibus eorum. Et ibidem. Vidi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël. Sicut dicitur *Exo.* 33. Teipsum noui ex nomine: inuenisti enim gratiam coram me.

Declarans autem rem est super rem: & ideò inuocatur in eos, quibus datur. Semper enim eminet, & exaltat, & deprimi non potest, sed si deprimere aliquis conetur, nomen deletur: & tunc dicitur nomen eorum deleri de libro vitæ. *Ier.* 14. Tu autem in nobis es, Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos: ne derelinquas nos Domine. Et quando inuocatur hoc nomen, in nos vocatur: & cum fortius sit omnibus, tunc nos ad se trahit fortiter, & vnit sibi *Psal.* 88. In lumine vultus tui ambulabunt: & in nomine tuo exultabunt tota die. *Psal.* 74. Confitebimur tibi Deus, confitebimur: & inuocabimus nomen tuum. *Psal.* 115. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Hæc exaltatio notatur *Apoc.* 3, Vbi dicitur. Scribam super eum nomen.

Sic autem supereminens, & non depressum non potest imponi, sed dari: sicut & omne nomen naturæ datur, & non imponitur. Et hoc significatur *Lup.* 1. Vbi dicitur, vocabis nomen eius IESVS. Et glo. dicit: non impones. Vnde *Phil.* 2. dicitur. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Homo autem imponit nomina; Deus autem & natura dant ea. *Isa.* 56. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. *Act.* 4. Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri: & hoc est gloriosum. Si enim falsa hominum opinio imponeret, sæpius sine causa nominis nomen haberetur: nunc autem quando datur, semper datur cum causa: & sic nunquam est vacuum nomen. *Apoc.* 3. Nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.

Datum autem bono & optimo semper est coniunctum: causa enim nominis est optimi collatio, quo nihil melius excogitari potest, & quod solum per substantiam est bonum. *Lu.* 18. Nemo bonus, nisi solus Deus. Hoc significatur *Iac.* 2. vbi loquitur de infandis & malignis diuitibus, qui hoc nomé persequuntur dicens: Ipsi blasphemant bonum nomé, quod inuocatum est super nos. *Isa.* 56. Dabo eis nomen melius à filiis & filiabus. *Eccl* 41. Curam habe de bono nomine. *Isa.* 26. Nomen tuum & memoriale in desiderio animæ: non enim in desiderio animæ est nisi bonum. Dicit enim Philosophus, quòd bonum est quod omnia optant (aliàs appetunt) Vnde *Eccl. filij Sir.* postquá dixit: Curá habe de bono nomine, addidit: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni & pretiosi.

Sic auté bono coniunctum semper nouum est, & innouat. *Isa.* 62. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit: nouum enim est, quod principio est coniunctum, & vicinat ipsi. Et hoc semper facit nomen istud. *Apoc* 2. Vincenti dabo manna absconditum, & dabo ei calculum lucidum, & in calculo nomen nouum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Manna est dulcedo esse diuini, quod datur per gratiam filiis: quia ille est panis filiorum. Calculus autem candidus est solidum & candèns æternæ veritatis, quæ cognitioni imprimitur: & in hoc est no-

men nouum datum, quod vetustatem, in qua nati fuimus repellit. *Ap.* 3 Dabo ei nomen nouum. Hoc enim modo *Eccl.* 36. innouat in nobis sui nominis signa, & immutat mirabilia. Hoc modo Rex, qui sedet in thono *Apo* 21. dixit: Ecce noua facio omnia.

Hoc autem modo innouando distinguit, & differre dat ab omnibus in vetustate ambulantibus. *Gen.* 32. Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum; sed Israël. *Gen.* 17. Mutatur nomen Abram & Sarai, quando signum dedit circumcisionis, quod ab aliis distinguebat. *Isa.* 65. Vocabit seruos suos nomine alio. Vnde *Io.* 6. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus *Matth* 16. Tu es petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Iustum enim est, vt qui aliam & meliorem habent causam nominis, quòd non in nomine antiquitatis, sed in nomine differenti vocentur. Distinguuntur ergo per nomen ab infandis hominibus. *Isa* 49. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei.

Sic ergo distinguendo causam dat benedictionem his, quibus conuenit; & maledictionem his, quibus non conuenit, sed ab eis distinguit *Isa.* 65. Vocabit seruos suos nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo. Amen. *Gen.* 22 In nomine tuo benedicentur omnes gentes, hoc est, omnes gentes, quæ sunt in nomine tuo, tibi datæ à Patre cælesti; quia nomen est causa benedictionis. Vnde *Psalm.* 128. Non dixerunt, qui præteribant, hoc nomen, supple. Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini. *Tob.* 3. Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum. *Iob.* 1. Sit nomen Domini benedictum *Psal.* 112. Sit nomen Domini benedictum ex hoc, nunc, & vsque in sæculum.

Sic autem benedictionem conferens, communionem Sanctorum omnium cum vno Patre Deo genitorum facit: vt sicut in vniuocis est nomen vnum; ita sit & virtus nominis omnia bona communicans eiusdem nominis: & hoc est oleum effusum huius nominis *Cant.* 1. quod vidua Ecclesia, in omnia vasa domus suæ, & mutuata ab aliis infudit. 4. *Reg.* 4 Et se communicando commune meritum Sanctorum de creditoribus dæmonibus liberauit, cui proprium meritum non suffecit. Hæc est vnctio de qua *Psalm.* 32. dicit, quòd à capite vsque ad barbam, & in oram vestimenti distillans descendit, dum nullum relinquit, quem non penetret communicatio sanctæ charitatis. Hoc est igitur nomen secundum proprios nominis effectus.

Est autem [ô pater] hoc [nomen tuum] quia semper diuinum, & à nullo, nisi à te datum; & ab eo semper agnitum; & quia diuinum, igitur venerandum & adorandum. *Psalm.* 62. In nomine tuo leuabo manus meas. *Psalm.* 105. Confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua: ab eo datum. *Isa.* 45. Vocaui te nomine tuo. *Ioan.* 17. Pater, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos, hoc est, quos in nomine tuo, à te illis dato, dedisti mihi, qui expressi nomen tuum, quod à te accepi per generationem: & hoc est ab eo cognitum & vocatum. *Isa.* 40. Qui ordinat in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. *Ioan.* 10. Proprias oues vocat nominatim. *Exo.* 31. Vocaui ex nomine Beseleel filium Vri. Beseleel vmbraculum diuinum interpretatur, & significat Sanctos in vmbra alarum Dei sperantes. Hi sunt filij Vri, hoc est, ignis per incendium diuini ignis, qui micat in eis: quia *Hebr.* 12. Deus noster ignis consumens est: vnde græcè dicitur Achi, quod est ardere: sic ergo est tuum [Sanctificetur, ô pater, hoc nomen tuum] Quod enim sanctum est, sanctificetur adhuc, quadrupliciter sanctificando, per emundationem, per clarificationem, per magnificationem; per mirificationem: sicut è contra per malos polluitur, obscuratur, minoratur, & blasphematur. Per emundationem sanctificatur à contagione delictorum: per clarificationem ab offuscatione affectus terreni: per magnificationem ab infirmitate naturali: per mirificationem per hoc, quòd in mirabilibus accipiat assimilationem Dei. Hæc enim quatuor dicit sanctitas,

Dicit enim *Dionysius in libro de di. no. in ca. de Sancto Sanctorum*, quòd sanctitas est ab omni inquinamento libera & perfecta, & omnino immaculata munditia: & quoad hoc est sanctificatio prima. Dicitur etiam sanctum latine idem, quod agios græcè: & hoc est idem, quod sine terra, siue depuratio ab offuscatione terrena: & quoad hoc est sanctificatio secunda. Sanctum etiam idem est, quod firmum; & tunc idem est sanctificatum, quod in magnis, & ad magna confirmatum, & super omnia vincit: & quo ad hoc est sanctificatio tertia. *Aristotile* etiam *in lib. de speciebus & operibus virtutum* dicit, quòd sanctitas est scientia faciens fideles & seruantes quæ ad Deū iusta: & illa est mirabilis sanctitas per hoc, quòd est scientia primæ veritati inhærens, admirabiles delectationes habens, puras & firmas: & quoad hoc est sanctificatio quarta.

De prima harum sanctificationum est destructio peccati, & contagionis relictæ ex maculis peccatorum omnium & perfecta, & perpetua obliuio: & rememorationis delectantium malè deletio, ita quòd nec in actu, nec in reatu, nec in reliquiis, nec in concupiscentia remaneat: & de hoc dicitur *Isa.* 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem & germen, dicit Dominus. Et *Infra*: Et scopabo eam scopa terens, dicit Dominus exercituum. Nomen enim Babylonis est in actu, qui habet nomen confusionis immundæ; Reliquiæ autem peccatorum sunt relicta eorum, & illæ sunt reatus: progenies autem est id, quod nos reliquias vocamus, quæ sunt effectus peccatorum, sicut fæditas cogitationum, immunditia cordis, & huiusmodi. Germen autem est in concupiscentia: & hæc omnia perduntur per munditiam sanctitatis. Et quoad perpetuam peccati obliuionem scopatur disciplinis & exercitiis bonis, & teritur vsu virtutis, donec ad munditiam perfectam reducatur. *Hebr.* 12. Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum 1. *Thess.* 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt sciat vnusquisque possidere suum vas in sanctificatione, & honore; non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.

Secunda sanctificatio perficitur ex tribus, ex purgatione videlicet terreni amoris, vel affectus: ex purgatione imaginationis terrenæ, & ex purgatione terrenæ rationis: & hæc significatio fi-

gnificatur *Exod.* 19. Sanctifica populum hodie & cras, & sint parati in diem tertium: hodie enim sanctificatur, quando post caliginem terreni affectus lux surgit in sereno cordis: cras iterum quando excluditur phantasiæ & imagines terrenorum, & tunc præparati sunt in lucem tertiam (aliàs diem tertium) quando omninò abiiciuntur phantasiæ mundanarum rationum & cogitationum. *Levit.* 2. Sanctus Israël Domino primitiæ frugum eius. Quia dimissis his, tunc primò anima Deo primitias offert, emundata à contagione terrenorum. *Isa.* 58. Vocaberis sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, quando scilicet nihil adhæret terrenæ contagionis.

Tertia sanctitas perficitur confirmatione boni, sicut dicitur in *Psalm.* 6 Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: à templo sancto tuo, quod est in Ierusalem *Luc.* 24 In plenitudine Sanctorum detentio mea, hoc est, in plenitudine sanctitatis *Hebr.* 11 Sancti per fidem vicerunt regna: operati sunt iustitiam &c. *Heb.* 8. Melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est, hoc est, confirmatum.

De quarta dicit *Psalm.* 64. Sanctum est templum tuum: mirabile in æquitate. Templum est apparitio, quod patet in compositione contemplor. Quod sicut phanum dicitur à phanos, quod est apparitio: ita & templum à templor, siue contemplor, quod est visio per intellectum: & hoc admirabile est altitudine; quia ex tali annuntiatione altissimorum & tunc, & nunc, philosophari inceptum est, vt dicit *Aristot. Dan.* 2. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ. Et *Ibidem.* Benedictum nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum. *Exod.* 15 Quis similis tui in fortibus, Domine? Quis similis tui? magnificus in sanctitate. 1. *Reg.* 2. Non est sanctus, vt est Dominus. & non est fortis, sicut est Deus noster: & tangit duas sanctitates simul. *Isa.* 6. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth: hoc dicitur de tribus primis modis sanctitatis: Et de quarta additur: Plena est omnis terra gloria tua. *Ioan.* 17. Sanctifica nos in veritate: sermo tuus veritas est. Dicit enim *Dionysius* quòd fides est collocans credentes in veritate, & veritatem in ipsis credentibus. Et ideò verum est, quod dicit *Arist.* quòd admirabiles primæ veritatis Philosophia habet delectationes firmitate & puritate. Hæc enim veritas omnino pura est, cùm sit simplicissima: omnino firma, cùm omnis veritatis sit causa: omnino mirabilis, cum sit omnium altissima.

Prima harum sanctificationum præparatio est ad secundam: & secunda dispositio est ad tertiam; tertia autem omnino necessaria est ad quartam. & tunc impletur, quod dicitur *Sap.* 7. Per nationes in animas sanctas se transfert: amicos Dei Prophetas constituit. Per primam fit propriè sanctificatio nominis, siue munditia: vt se in nobis sigillare possit *Gen.* 17. Sanctificetur in vobis omne masculinum: & erit signum inter me & semen vestrum: & hæc sanctificatio est à præputio concupiscentiæ carnalis. Secunda autem clarificat à puluere & caligine terrenorum. *Ioan.* 17. Pater, venit hora: clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te. Hoc enim dicit filius de membris clarificandis à caligine terrenorum. Tertia autem magnificentia perficitur virtutum, quando ipsæ virtutes emundant se ab infirmis quibuslibet, & efficiuntur heroicæ vel heriles, non dignatæ ad parua respicere. *Ro.* 8. Quos iustificauit, illos, & magnificauit. Quarta autem perficitur æternæ sanctitatis illustratione, quæ splendet à Sancto Sanctorum. *Sap* 10. Ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, & honestauit illum in laboribus suis, & compleuit labores illius.

His ergo quatuór sanctificationibus quatuor sunt contraria, quæ Dominus conqueritur, scilicet, pollutio nominis, offuscatio, minoratio, & blasphemia. Polluunt enim nomen Dei, quod inuocatum est super eos, qui carnalibus subiacent concupiscentiis: offuscant, qui terrenis supponuntur pretiis; sed minorant qui detinentur actibus infirmis; sed blasphemant qui relicto nomine, surdis & mutis inhærent idolis, non quidem illis, quæ antiquitas vocauit idola lignea, vel lapidea; sed eis, quæ quilibet per amorem veneratur, & fingit pro Deo. De primo dicitur *Ezech.* 36 Nomen enim sanctum meum polluistis in gentibus. De secundo dicitur *Thren.* 4. Quomodo obscuratum est aurum: mutatus est color optimus: dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum Aurum enim splendor est deitatis in filiis gratiæ, qui nomen habent Patris in esse diuino secundum gratiam. Color optimus est color spiritualis verus (aliàs luminis) qui mutatur in fuliginem auaritiæ. Sicut & aurum obscuratur per caliginosum amorem terrenorum: & tunc lapides sanctuarij calculi veritatis, in quibus scriptum fuit nomen nouum, proiciuntur & sparguntur in compitis platearum, vbi terrenis lucris inhiatur. De tertio improperatur Moysi & Aaron *Num.* 20. Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Hoc enim comminatus est eis: quia infirmitate humana tentati in magnis; non enim magnum ostenderunt, sed minorauerunt nomen eius coram populo. De quarto dicitur *Isa.* 52. Tantummodo tota die nomen meum blasphematur inter gentes. Blasphemia enim est, quando honor diuinus ad res mutas, quæ iuuare non possunt, transfertur.

His habitis, quædam quæruntur in litera, antequam procedamus vlterius, de nominis sanctificatione? Et sunt duo, quorum vnum est, quare impersonaliter dicit, sanctificetur? & non dicit: Pater noster sanctifica nomen tuum; cùm tamen ipse sit sanctificationis perfector? aut dixisset: Da nobis sanctificare nomen tuum? Secundum est, quare dicitur [Sanctificetur] ac si continuè sanctificandum sit? & non sit peruenire ad terminum sanctificationis?

Et ad primum horum dicendum, quòd impersonaliter ponit ideò, quòd licet Deus sit auctor sanctificationis, tamen non sit sine nobis cooperantibus, & etiam sine adiutorio Angelorum: Et ideò ad certam personam referri non potest, propter quod impersonaliter pronunciat. Ad aliud dicendum, quòd sicut qui in sordibus est, sordescit adhuc: *Apocal.* 22. Ita nullus adeò sanctus est, quin inueniat, quo crescat adhuc accedendo ad sancta sanctorum. Et hoc notatur *Leui.* 19. & 20.

vbi

vbi dicit: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, qui sanctifico vos, Q. d. Ego sanctitatis formam exhibeo, ad quam continuè crescatis. *Psalm.* 76. Dixi, nunc cæpi: hæc mutatio dexteræ Excelsi, *Eccl.* 18. Cum consummauerit homo tunc incipiet. Et ita continuè oramus sanctificari. *Hebr.* 10. Accedamus ad eum in vero corde & plenitudine fidei: aspersi corda à conscientia mala: & abluti corpus aquâ mundâ. Sic ergo ab omni immunditia segregatum nomen sanctificatur, sicut dicitur *Hebr.* 7. Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus. Hic enim tanguntur ea, quæ dicta sunt, licet non eodem ordine: quia per impollutum tangit munditiam à peccati contagione: per segregatum autem à peccatoribus & innocentem tangit clarificatum à terrenorum offuscatione: per sanctum autem magnificentiam in virtutis confirmatione: & per excelsiorem cælis factum mirificum in diuinæ veritatis contemplatione.

Redit autem adhuc ex prædictis orta quæstio: nomen enim, quod sanctificatur, est naturæ Patris nomen, quod participamus, quando dat nobis filios Dei esse, dando nobis sui participium per inhabitantem gratiam. Quid ergo fiet de aliis nominibus, sicut quo Christiani à Christo dicimur, & de multis aliis nominibus?

Et dicendum ad hoc, quòd omnibus illis nominibus primum fundamentum est illud nomen diuinum, quod ex hoc, quòd filij Patris sumus, participamus. Ex hoc enim participamus vactionem Spiritus sancti, qua Christiani dicimur: & effectum omnium aliorum participamus nominum: & ideò isto sanctificato, omnia alia participamus. Et hoc est nomen, de quo dicitur 1. *Ioan.* 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. In hoc autem, quòd filij Dei sumus, scimus, quòd per spiritum adoptionis, & per paternæ claritatis participationem similes ei erimus, etsi non æquales. 1. *Ioan.* 3. Nunc filij Dei sumus, nondum apparuit, quid erimus: scimus autem, quoniam cùm apparuerit, hoc videlicet, quòd similes ei erimus, & videbimus eum, sicuti est. Quando autem remouetur peccati pollutio, terrenorum contagio, fragilitatis defectus, & prouehimur ad veritatis fulgorem: tunc apparet nomen filiationis in nobis, & tunc resplendet super nos Deus Pater in pleno lumine pulchrorum & verorum bonorum æternorum. Vt tunc in nobis egrediatur vt splendor iustus noster, & Saluator noster velut lampas accendatur: Vt ipse quidem Deus Trinitas Pater noster, qui verè est, sit in nobis lux candens & intellectuale animæ nostræ sicut serena dies ex lumine, quod fulget Patris maiestate: Et ipsa animæ substantia sit sicut sedes confirmata, in qua resident omnes pulchritudines contemplationis & veritatis & bonitatis diuinæ. Et tunc lux Dei increata fulget in nobis, à quo influitur nobis lumen spirituale, sicut lumen diei in aëre fluit à sole: & ex hoc fiunt & demonstrantur nostro intellectui pulchritudines veritatis, sicut dicitur *Rom.* 8 quòd creatura, quæ est homo, liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei: & tunc verè filij Dei naturale nomen deitatis participatiuè per gratiam accipientes apparemus: & tunc scimus illud, quod dicitur *Act.* 4. Quòd non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat eos saluos fieri, sicut dicitur *Isa.* 57. Dominus excelsus & sublimis habitans æternitatem: & sanctum nomen eius in excelso & in sancto habitans. Et tunc dicimus, quia fecit nobis magna, qui potens est: & sanctum nomen eius. Tunc enim non quærimus nomen eius: quia ipsum est mirabile. *Genes.* 32. Scimus enim tunc quòd à Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris: quando gloria vultus Patris sic manifestatur in vultibus filiorum, & cor efficitur aula summi Patris, & vestibulum æterni luminis: & ipsa mens nostra thronus omnis diuinæ pulchritudinis: & notamen nobis impressum resplendet ad vultum imprimentis: & quantum præualet, respondet imitando ipsa forma pulchritudinis, dicens, quòd imago hæc & superscriptio summi est Imperatoris, per Spiritum suum nos in filios adoptantis. Hoc est igitur, quod dicitur [Sanctificetur nomen tuum] secundum literalem intellectum.

Adueniat regnum tuum.

Sicut ad esse filiorum Dei pertinet præinducta petitio: Ita ad potestatem perfectam eorundem pertinet ista, quæ hoc secundo loco inducitur: sunt autem tria in ea notanda ad hoc, quòd bene intentio eius intelligatur: quorum primum est, quid sit regnum, quod hic ponitur (aliàs petitur.) Secundum qualiter hoc sit Dei Patris regnum, ad quem petitio dirigitur: tertium autem, qualiter petitur, & vnde aduenire.

Ad intellectum primi inter hæc notandum, quòd sicut tradit *Plato in democraticis.* Regnum nihil aliud est, nisi completa in vno potestas & dominatus, iustitia animata, legibus ordinata, vrbanitatibus sicut partibus determinata, armorum strenuitate roborata, ciuilitates optimas gubernans, & bonis exterioribus, siue copiis organicis (aliàs organicè) subseruientibus, quantum sufficit, superabundans. Et intellectus Philosophi est: quia si non esset in vno, sed esset potestas diuisa, posset fieri diuisio & schisma, & per consequens desolatio. Quia sicut dicitur *Matth.* 12. & *Luc.* 11. Omne regnum in se diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet: & monstruosa res est corpus, quod habet plura capita. Et adhuc, in omnibus naturalibus & disciplinalibus omnis multitudo reducitur ad vnum: cum igitur in quolibet regno sint de necessitate multæ particulares potestates, sicut Principum, Tribunorum, Proconsulum, Prætorum, Ducum, & Præfectorum, & huiusmodi, confusio inordinata esset, nisi reduceretur ad vnum: & nec naturæ congrueret, nec disciplinalibus concordaret, & in seipsa turbationem schismatis sustineret.

Hanc autem potestatem oportet esse per modum dominatus, & non per modum exercentis potestatem. Dominatus autem consistit in altitudine superpositionis, quæ ad inferiora non diguetur inclinari, quam in sublimitate honoris admirabilis teneat copia pulchrorum & bonorum laudabilium habitus prudentiæ & sapientiæ & virtutis: ita quòd diuitiæ Regis in talibus in omnium sint admiratione potius quàm imitatione, sicut dicitur 3. *Reg.* 10. quòd Regina Saba videns sapientiam & ordinem Regis Salomonis; non habuit vltra spiritum, & dixit: eo quòd dilexit

Dominus

Dominus Israël, in sempiternum te constituit Regem, vt faceres iudicium. Et oportet hunc dominatum, sicut altus est & copiosus in omni pulchro & bono, vt ita ex immobilitate longæ & consuetæ honestatis cadere, & nutare secundum opinionem sapientum non possit: quia decidente eo, qui totum tenet, necesse est omnium sequi ruinam, sicut dicitur *Isa.* 31. Subtrahet Dominus manum suam, & corruet auxiliator, & cadet simul is, cui præstatur auxilium. Vnde dicit *Dyonisius in li. de di. no.* quòd Dominus dicit etiam non subiectorum excessum tantùm; sed omnimodam pulchrorum & bonorum laudabilium perfectam possessionem & veram: & non cadere, vel nutare valentem fortitudinem. Propter altitudinem autem non decet Regem populo se immiscere, quia ex hoc vilescit. Vnde in regimine Dominorum dicit *Aristo.* quòd sapientissimi Reges Indiæ non nisi semel in anno ostenderunt se populo: & tunc cum gloria magna processerunt & sapienter concionabãtur & aliqua iudicia magna fecerunt: vt ex gloria essent in admiratione, ex conditione sapientiæ in veneratione, & ex iudiciis in timore malorum, & in amore bonorum & laude. Hic tamen Dominatus totus pertinet ad potestatem, qua continentur multitudines. Quia dicit *Amiro.* quòd Dominus est nomen potestatis.

Hæc autem potestas animata debet esse iustitia; quia Rex, animata debet esse iustitia: non tantùm iustus, vt vita, sensus, voluntas, intellectus, & esse, nosse, velle, posse, videre & agere suum sit: non torpens vel dormiens, sed viua & vigilans iustitia: Sicut eius, cuius voluntas auctoritas est ad omnium iustorum confirmationem, cuius verbum sententia est confirmans iudicium, cuius actus mensura est omnium iustorum, cuius nutus obedire cogit in omne præceptum, & cuius indignatio dissipat omne peruersum, cujus ratio lux est omnium, quæ iuris ordine sunt determinanda. Si autem alteriusmodi sit Rex, regnum eius est corruptum in tyrannidem. Vnde *August. in li. d. ciuit. Dei* dicit, quòd absque iustitia nihil aliud sunt regna quàm magna latrocinia. Hoc notatur *Isa.* 32. vbi dicitur: Ecce in iustitia regnabit Rex: & principes in iudicio præerunt. Et *Ibidem.* Non vocabitur vltrà is, qui insipiens est; princeps, nec fraudulentus vocabitur maior. Oportet autem hanc potestatem legibus ordinatam esse. Dicit enim *August.* in politiis suis, quòd ad rempublicam continendam non sufficit sermo instructiuus, qui sufficit tamen ad ignorantium doctrinam: neque etiam sufficit sermo persuasiuus, qui sufficit ad bonorum & studiosorum informationem. Sed propter eos, qui nolunt iustitiam colere, & pietatem amare, oportet esse sermonem coactiuum: & ille est sermo edicti legum, propter quod leges sanctæ sunt pœnis sanguinis confirmatæ: sicut etiam lex à ligando dicitur. Vnde Esther 3. Optimè nosti, quòd non expediat regno tuo, quòd insolescat per licentiam. Et illud Esther. 13. Iussisti, vt nefarij homines ad inferos descendentes reddant pacem imperio nostro, quam turbauerant. Lex enim, vt dicit *Tullius ante finem primæ Rhetoricæ*, est ius scriptum ascifcens honestum, prohibensque contrarium: & pœnam ei, qui transgreditur interminans. Et licet Rex supra legem sit, tamen non est contrarius legi: & est supra legem, eo quòd ipse est viua forma legis, potiùs formans & regulans legem, quàm formatus & regulatus à lege. Lex enim nihil aliud est quàm Iuris forma, ex forma, quæ in mente Regis est educta, & ad regulandum populum scripto mandata. Et hoc modo dicitur. 1. *Tim.* 1. Scimus, quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur: scientes hoc, quia lex iusto non est posita; sed iniustis. Licet ergo lex iusto non sit posita; tamen à iusta mente posita est secundum formam iustitiæ, quæ est in mente. *Isa.* 26. Semita iusti recta est: & rectus callis iusti ad ambulandum.

Vrbanitatibus autem sicut partibus potestas regni est determinata sicut suis partibus. Cum enim omnes vrbanitates tres sint, sicut in democraticis dicit *Plato.* Monarchia, Aristocratia, & Thimocratia. Monarchia est ipsum regnum, nec vrbanitas dicitur, nisi quia vtilitates vrbanorum & vrbium considerans optimè continet vrbes & vrbanos. Et est ipsa tota simul in vno stans potestas Sed quia nulla potestas vna æqualiter potest esse immediata in multis, ita quòd æqua sit virtus eius & prouidentia in omnibus: ideò oportet ipsam habere particulares potestates, quæ prospiciant inferioribus. Sic enim motor orbium habet particulares motores sphærarum: sic anima in corpore particulares habet vires membrorum: & sic est in omnibus aliis videre. Sic ergo etiam regni potestas habet duo genera potestatum, quæ in plurimas diuiduntur: & vna quidem pars eius est Vrbanitas virtutis, & alia diuitiarum, Ad gubernandum enim partes regni vocantur viri virtutum præcipuarum, qui corrumpi non possint, nec circumueniri, sicut dicitur *Exod.* 18. Prouide de populo viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones, & quinquagenarios & decanos, qui iudicent populum omni tempore: quicquid autem maius sit, referant ad te: & ipsi tantummodo minora iudicent, leuiásque tibi sit, partito in alios onere. Potestas igitur talium Aristocratia vocatur, ab aris, quod est virtus; & cratos, quod est potestas. Et ex his primo cæpit senatus Romanus. Esther 1. dicitur, quòd sapientes ex more regio semper Assuero adhærebant & eorum faciebat cuncta consilio, scientium leges & iura maiorum.

Quia verò gubernatio ciuitatum & multitudinum indiget copiis, quæ si semper extorqueri debeant à pauperibus, corrumpitur regni iustitia: & si pauperes ponantur in talibus potestatibus, timetur quòd ex indigentia corrumpant iustitiam; ideò inuenta est Thimocratia, quæ committitur diuitibus: quæ dicta est à thimos, quod sonat diuitias; & cratos, quod est potestas; ita tamen quòd hæc potestas sub regimine sit senatus & Aristocratiæ: Et illis committuntur officia publica, sicut præfectura, ducatus, & huiúsmodi, qui necesse non habeant in lucrum conuertere officium, cum sibi ex suis sufficiant. *Eccl.* 27. Propter inopiam multi deliquerunt: qui quærit locupletari, à iustitia auertet oculum suum. Istæ sunt ergo partes, quibus potestas communis regni determinatur.

Armorum etiam & electæ iuuentutis strenuitate roborata est. Vnde dicit *Plato in Timeo.* Ad militiam

militiam electa scribebatur iuuentus, nec vxoribus vtens, nec filiis, sed omnes ciues tanquam parentes venerans. Et si vxores aliquando habebant, nunquam eas videre permissi sunt, ne filios suos cognoscerent, & illis magis quàm aliis impenderent defensionem. Sed in tenebris admittebantur, & in tenebris separabantur ab eisdem. Et hi vltimas sedes, vbi regnum magis timuit, acceperunt: & ibi stabant in munitionibus, & sustinebant ibi insultus, & reuellebant: & si vltra vires eorum creuit insultus: tunc demum ciues omnes & Rex & potentes armis accingebantur: vt vel honestè & liberè viuerent, & hostes seruos acciperent, vel morerentur. Quia erat eis, vt dicit *Arist. in 3. Ethic.* mors eligentior (aliàs elegantior) quàm vita sub barbarica seruitute, quæ iustitia legum non vtebatur. Hi ergo milites semper erant accincti, quibus duo erant officia continua, quando non pugnabant: vnum erat exercere arma tormentis, & cursibus equorum & telis. Sicut dicitur 2. *Reg.* 1. quòd Dauid præcepit populo, vt filios suos docerent arcum, hoc est, artem sagittariam. Post exercitium autem erant dediti musicis dulcibus: & hoc fuit idèo, quòd duas facies in corde acquirerent; seueritatem ex armorum vsu contra hostes: & ne hæc seueritas efficeretur crudelitas in ciues, exercebantur musicis, vt mitescerent, & dulcescerent ad ciues. 1. *Machab.* 3. Accingimini, & estote filij potentes, & estote parati in mane, vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt disperdere nos, & sancta nostra: quoniam melius est nobis mori in bello, quàm videre mala gentis nostræ & sanctorum: sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Hoc modo legiones erant ordinatæ in Romano Imperio, & in regno Dauid erant Cerethi, Pheleti legiones, qui erant positi, vt occiderent, & viuificarent: turbatores quidem occiderent, & ciues pietatem & iustitiam colentes viuificarent. Vnde Phelethi interpretantur viuificantes: & Cerethi occidentes: quia sicut in præhabitis diximus, duas habebant facies, seueritatis, & pietatis, sicut dicit egregius miles Mauritius. Dexteræ istæ pugnare aduersus hostes sciunt, laniare pios nesciunt.

Hoc regnum est ciuilitates optimas gubernans, & est modus gubernandi secundum æquissimas leges: ius suum vnicuique tribuere: & per hoc pacem & gaudium & libertatem & felicitatem populo confirmare, sicut dicitur *Isa.* 16. Præparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud, in veritate iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est. Quòd enim dicitur in misericordia præparari solium, intendit, quòd Princeps non lucro, vel gloria, sed in misericordia populi, & patriæ sedet in throno: & quòd in veritate iudicat, significat, quòd iudicat secundum æquissimas & verissimas leges: & quòd dicit quærere iudicium, significat examinare diligenter merita causarum: & tunc velociter sine dispendio moræ & protractionis reddere ius suum vnicuique, sicut dicitur *Rom.* 13. Non sine causa gladium portat: Dei enim minister est vindex in iramei, qui malum agit. 1. *Pet.* 2. Ad vindictam malefactorum; laudem verò bonorum. Hæc enim est optima gubernatio ciuilitatum tam in communicationibus, quibus sibi in contractibus communicant, quàm etiam in meritis, quibus vel præmia, vel pœnas merentur: quàm etiam in distribuendis, si aliqua aliquando pro dignitate vniuscuiusque sunt distribuenda.

Ad hæc autem omnia exigitur, vt copiis abundet sufficienter: quia exteriora bona licet malè à quibusdam expendantur: tamen in vsu regni sunt sicut organa, siue instrumenta quædam, quæ subsetuiunt ad regimina: quia & expensas administrant stipendiorum, & ad decorem & commodum faciunt eorum, qui pietatem colunt & iustitiam, sicut dicitur 3. *Reg.* 10. quòd aurum & argentum nullius pretij erat, tempore videlicet Salomonis: & quòd magnificatus est diuitiis, sapientia, & gloria super omnes Reges vniuersæ terræ: hoc enim debet esse studium regni, quòd regnum sit abundans: vt si necessitas ingruerit, quòd copiæ stipendiorum habeantur: sic enim confirmatur pax cunctis mortalibus desiderata, Sicut dicitur 3. *Reg.* 4. Rex Salomon habebat pacem ad omnem partem per circuitum: habitauitque Iuda & Israël absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua. Hoc est igitur regnum.

In spiritualibus autem hæc accipiendo; tunc dominatum regui faciunt processiones diuinæ in nos: exaltantes & ditantes & confirmantes nos: & illæ processiones sunt sadij suæ gratiæ, qui cor eleuant ab omni eo, quod similiter deprimit: vt iam non dignemur ad talia respicere; sed in potestate super talia exaltari, & deprimere ea, & pulchris & bonis fontaliter repleri: ex quibus super vilia sublimamur, & in his nullo modo cadere. Sic enim dicitur *Luc.* 17. Quòd regnum Dei intra nos est: & hoc est indicari nobis & manifestari magnum nomen Dei Adonai. *Exod.* 6. Quia Adonai Dominus interpretatur. Hoc facto oportet, quòd iustitia sit vita nostra perpetua, sicut & ipsa immortalis est, sicut dicitur *Sap.* 15. Nosse te est consummata iustitia: & scire iustitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis: & hoc modo dicitur *Roma.* 14. Non est regnum Dei esca & potus; sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Ex hoc autem sequitur, quòd leges diuinæ inscribuntur cordibus nostris inuiolabiliter obseruandæ, sicut dicitur *Isa.* 8. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis. *Psal.* 36. Lex Dei eius in corde ipsius & non supplantabuntur gressus eius.

Vrbanitates autem efficiuntur in nobis virtutum officiis, & gradibus potestatum virtutum: illis enim particulares potestates committuntur: quia & idoneæ per bona studia; & diuites ad continendum, sicut dicitur *Isa.* 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, hoc est, septem virtutes, fides, spes, charitas, prudentia, temperantia, fortitudo, & iustitia. Arma autem, quibus roboratur hoc regnum, sunt studia & sollertiæ & scripturæ, quibus excluditur hostis diabolus. 2. *Cor.* 10. Arma nostræ militiæ non sunt carnalia: sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. *Eph.* 6. Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere aduersus insidias diaboli, & in omnibus perfectè stare. Ista enim arma sunt sollertiæ & audaciæ obuiandi tentamentis diaboli. Habet etiam secum Sanctorum agmina, Angelorum quasi legiones, sicut dicitur *Cant.* 6. quòd terribilis

vt

vt castrorum acies ordinata. Et in his confidens Eliseus dixit plures esse secum, quàm cum hostibus 4.*Reg.*6

Sic ergo gubernat ciuilitatem suam, omnes animæ vires & societatem cum proximo habens pro ciuibus suæ interioris & exterioris ciuitatis, de qua scriptum est: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. *Psalm.* 86. quoad interiorem ciuitatem. Et de exteriore dicitur *Prou.*18. Frater, qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma: non deficit in meritorũ copiis. 1.*Cor* 1. In omnibus diuites facti estis in Christo in omni verbo, & in omni sciẽtia: sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil desit vobis in vlla gratia. Sic ergo Deus Pater regnum suum confirmat in nobis, vt primò det dominij sui participationem in gratia, qua nos exaltat, & assimilat Regi filio suo, vbi est in dextera sua sedens: vt faciamus semper quæ dicit *Apost. Cor.* 3. Quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: & hoc pulchritudine bonorum suorum, quæ nos ad cœlum eleuant, nec amplius sinunt nos sub istis terrenis & humilibus deprimi: & voluntate & intellectu per omnia congruamus primæ & diuinæ rectitudini, sicut *Isa.*60. dicitur populus tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram. Legum etiam diuinarum in nobis habeamus regulam: Attendentes, quòd lex Domini immaculata conuertens animas *Psalm.* 18. Et illud *Prou* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ. Et si increpat aliquando, quòd hæc est increpatio disciplinæ.

Aristocratiam autem quandam spiritualem habemus in virtutibus magnis & heroicis, quæ sunt continentia, quæ est mora in mente quando omnia irrationalia nostra infra mentis bene dispositæ metas continemus, attendentes illud *Eccl.*14. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

Thimocratiam autem habemus per alias communes virtutes ciuiles in omni honestate & in domo cordis nostri pacem facientes, sicut quædam gladiatæ potestates, quæ seueritate vindicant in omnem insurgentem mali appetitum, sicut dicitur *Eccl.*44. Homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes & pacificantes in domibus suis.

Acies autem militum multarum legionum nobis acquirimus per participationem Angelorum: Cum his enim, qui dona eorum participant, semper armata militia proficiscuntur, vt cum Seraphin ignem spiremus cum (aliàs in) charitate & deuotione: cum Cherubin illuminationem scientiæ diuinorum omnium intellectus nostri illustratione: cum Thronis in tranquillitate cordis Dei fieri: cum Dominationibus alti quæcunque humilia contemnentes: cum Virtutibus firmissimi (aliàs fortissimi) cum Potestatibus contra vitia seueri: cum Principatibus in omnibus diuinis officiis ordinati: cum Archangelis omnium diuinorum operum conscij, & in eis habentes facultatem: cum Angelis cauti, ne aliquando offendatur ad lapidem scandali pes animæ nostræ.

Gubernemus etiam ad pacem & felicitatem totam vitæ nostræ apud nos & apud alios ciuilitatem, attendentes illud *Ephe.*2. quòd sumus ciues Sanctorum & domestici Dei: & in omnibus abundemus auro sapientiæ & argento modorum (aliàs morum) sacræ scripturæ eloquentiæ, & lapidibus pretiosis bonorum operum. Hoc enim est regnum, quod diffiniens *Dionysius in li. de diu. no.* dicit: Regnum est omnis finis bonæ legis & ordinis distributio, quando videlicet ex potestate nobis concessa vnicuique parti animæ nostræ scimus, & facultatem habemus distribuere finem suum optimum, & coniungere vnumquodque ad suum bonum lege ligante quodlibet: ne aliquid sit dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Sic enim lex signatur, siue sigillatur in nobis: omnia facientes secundum ordinem sapientiæ & charitatis in nobis, sicut dicitur, 1. *Cor* 14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis. Hoc enim verissimè est regnum, quod nobis aduenire petimus: hoc enim conducit ad pacem & gaudium in Spiritu sancto, sicut dicitur *Roma.*14. Sic dicunt Sancti *Apoc.*5. Fecisti nos Deo nostro regnum: & regnabimus super terram. Sic Christus Rex eorum regnat in domo Iacob in æternum. Et patet quòd in hoc regno perfectio est potestatis, sicut dicitur *Dan.*7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Stat enim ista potestas per omnem habitum complentem potestatem, in nullo, quod ad potestatem pertinet deficiens.

Rex autem in hoc regno regnans Deus est. De quo dicitur, quòd est Rex magnus super omnem terram. 2. *Machab.* 1. Solus es bonus Rex, solus præstans, solus iustus & omnipotens: & hæc quasi baiulus est ratio *Esther.*13. Tu Rex noster es solus. Et hoc est, quod sequitur.

Regnum tuum.

Patris enim dicitur hoc regnum: quia in ipso regnat, quia hoc filio dedit, & quia in ipsum adoptionis filios ducit, & à filio Rege cum omnibus, in quibus est, & qui in ipso sunt, in fine tradetur. De primo *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster: ipse saluabit nos. *Psalm.*92. Dominus regnauit, decorem indutus est &c. Quod autem dedit filio, quem misit ad nos *Iere.*23. Suscitabo Dauid &c. *Psalm.*71. Deus iudicium tuum Regi da &c. *Dan.*7. Cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat: & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum: & dedit ei potestatem & honorem & regnum: & omnis populus, tribus, & linguæ seruient ei. Quòd autem in ipsum filios adoptionis ducit *Col.*1. dicitur, quòd eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum filij dilectionis suæ. *Matt.*20. Sedere mecum non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Quod autem regnum à filio Patri offeratur, vt in perpetuum cum ipso regnent Sancti, dicitur 1. *Cor.* 15. Cum tradiderit regnum Deo & Patri. Tunc enim regno pleno perfectum erit omne propositum Patris, pro quo misit filium *Baruch.* 5. Adducet illos Dominus ad te portatos in honorem sicut filios regni. Hoc igitur est [regnum tuum] habens æterni Regis insignia: decorem in veste lucidissimæ conuersationis, phibulam claudentem

claudentẽ ſinum per incorruptionẽ ſecreti cordis: quia ad hoc phibula Regibus dabatur, quòd ſcirent ſinum ſecreti cordis clauſum retinere: habens etiam ſceptrum diuinæ rectitudinis omnia rectè dirigendo per iudicium rectum: & habens diadema ſpeciei in capite, quod ſignificat in ipſo totum circuitum orbis: quia quicquid pulchritudinis in orbe cœli eſt, totum ambit mentem, quæ eſt in capite eius. *Sa.5.* Accipient regnũ decoris: quoad veſtem lũminis, & diadema ſpeciei de manu Domini: Quoad coronã pulchritudinis totius ornatus cæleſtis, qui ambit capita eorum. De ſceptro *Dan.3.* Benedictus es ſupra ſceptrum ſanctum regni tui. *Pſ.44.* Virga æquitatis virga regni tui. *1. Mach.10.* Miſit Ionathæ Alexander phibulam auream, ſicut eſt conſuetudo dari cognatis Regũ. Phibula hæc ſignificat abſconſionem conſilij, quę pręcipuè neceſſaria eſt filiis Regis, ne reuelent cuilibet ſecretum conſcientiæ ſuæ *Prou. 31.* Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum. *Tob.12.* Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.

Tuum.

Igitur, ô Pater, eſt hoc regnum decoris: in tuo diademate fulget tota pulchritudo cęleſtis per circuitum orbis: in cuius manu ſceptrum eſt rectitudinis, éaque omnis rectitudo eſt, certiùs verbis & ſententiis: in cuius conſcientia ſacramenta conſiliorum ſunt abſcondita: in cuius conuerſatione fulgens & regalis præfulget conuerſatio virtutis.

Hoc igitur Regnum tuum.

Adueniat.

Et non dicit, quòd nos veniamus ad regnum: quoniam virtutem non habemus ex nobis, vt veniamus ad ipſum. Sed ſi ipsũ primò venerit ad nos: tunc virtute ipſius veniemus tandẽ ad ipſum. Propter hoc *infra.6.* dicit, quòd quæramus primò regnum Dei & iuſtitiam eius; quia virtute regni & iuſtitiæ ipſius tracti veniemus ad regnum. *Pſal.44.* Specie tua & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna. Species enim virtutis, & pulchritudo conuerſationis, quæ ſunt de regno, faciunt intendere, & procedere ad regnandum (aliàs ad regnum Dei) Nec dicit, veniat regnum tuum: quoniam regnum Dei per cauſam & per ſeipſum sẽper venit in multis. Sed non prodeſt nobis, niſi adueniat ad nos. Vnde *Mat.12* & *Lu.11* dixit quibuſdã. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei, hoc eſt, inter vos venit per cauſam, quæ eſt gratia Euangelij. Sed non profuit eis, niſi ad eos veniret. Non enim nouit me (aliàs veniet in me) niſi quod ſociatur mihi. Et ex quo regnum Dei, poteſtas eſt perfectæ iuſtitiæ, ad nos venit regnum Dei, quando quidem nos præueniens vendicat ſibi, & poſtea nobis ſociatur in opere, vt cooperemur eidẽ ad iuſtitiam regni perficiendam. Et ideò *Math. 21.* dixit quibuſdam Chriſtus: Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.

Et attende quòd dicit [Adueniat] quaſi continuè optemus ipſum venire: quia non eſt adeò iuſtus, quòd totũ regnum Dei ſibi aduenerit. Vnde etiam ſuprà tertio & quarto dixit, quòd appropinquabit regnum cœlorum: paulatim enim & paulatim venit regnum Dei, donec tandem totum obtinet hominem. Et hoc eſt, quod dicit. *Pſ.2.* Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram: apprehendite diſciplinam: ſeruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore. *Sap.6.* Si delectamini in ſedibus & ſceptris, ô Reges populi, diligite lumen ſapientiæ, vt in perpetuum regnetis: diligite ſapientiam omnes, qui præeſtis populis. Ideò *Mat. 20.* Cum mater filiorum Zebedæi oraret, & peteret, vt duo filij ſui ſederent, vnus ad dexteram & alter ad ſiniſtram in regno Chriſti, & regnum eis non adhuc adueniſſet per iuſtitiam, dixit Chriſtus: Neſcitis quid petatis. Non enim ad honorẽ regni perueniet, niſi cui primum regnum aduenit per obſeruationem legum, & virtutum, & iuſtitiæ, & poteſtatis ſecundum modum, qui prædictus eſt.

Fiat voluntas tua.

Poſt petitionem de poteſtate ſubiungit petitionem de perfectione operis: & circa hanc dicit duo, Operis ſcilicet perfectionem, & perfecti operis formam. Operis perfectio notatur in hoc, quòd dicit [Fiat voluntas tua] Et circa perfectionem tria dicit, cauſam veram operis, quæ eſt [voluntas] Rationem operis, quando dicit [tua] quia hæc nobis præcipua eſt ratio operis, ſi Dei eſt voluntas quod facimus. Et tertiò ſubiungitur operis perfectio, quando dicit [fiat] Sicut autem volunt *Ariſto. & Dam.* Voluntas eſt appetitus cum ratione: & in hoc differt à concupiſcentia, quæ irrationabilis eſt. Et niſi impropriè pro concupiſcentia & appetitu irrationabili ponatur voluntas, tunc habet in ſe quatuor, quorum vnum & primum eſt libertas naturæ & conſilij & complaciti. Secundum eſt, quòd eſt motor omnium virtutum rationalium & ad eius imperium agunt, aut ceſſant ab actione, ſicut dicit *Aug.* Si enim volò, & quando volo: intelligo: & ſi volo, quando volo, video: & ſic de aliis: vnde voluntas motor eſt in omnibus in toto regno intellectualis naturæ, quæcunque ſit, ſiue creata, ſiue increata. Tertium eſt, quòd voluntas poſt omnes impetum facit ad opus, & eſt cauſa operis. Quartum eſt, quod dicunt *Ariſto. & Dam.* quòd voluntas eſt in ratione. Dicunt enim, quòd in ratione voluntas ſit: In irrationali autem parte deſiderium, ſiuẽ concupiſcentia & animus ſiue ira, ſiue iraſcibilis.

Ex iſtis quatuor proprietatibus quatuor accipimus in voluntate attendenda: Omnium enim libera eſt, non vult opus ſeruile, omnium autem generalis omnium aliarum potentiarum motor eſt, non vult ſecundum partem, ſiue imperfectum: omnium autẽ impetũ ipſa ſola facit ad opus, vult opus promptum & paratum: & quia cum ratione eſt, vult opus ex rationis inquiſitione ordinatum.

Primum autem horum (quòd libertas eſt) ad hoc, quòd perficiatur, tres concurrunt libertates, à coactione videlicet, quæ eſt libertas naturæ ipſius voluntatis: & libertas conſilij, quæ eſt ne obligetur peruerſitati: & libertas complaciti, quæ eſt ne indeuotioni & inſipiditati obligetur. Non enim liber eſt, qui cogitur: nec liber eſt, ſicut dicit *Tul. in li. de locis iibet.* qui ſubiacet peruerſitati: Quia ſicut dicit Aug. qui poteſt ea, quæ ſibi non proſunt, nec expediunt, quantò magis poteſt illa, tãtò magis aduerſitas, & peruerſitas poſsit in illũ. Similiter, qui non habet totũ cõplacitũ in hoc, quod agit, & nõ ſapit ſibi neque paſcitur in hoc, quod facit, nõ perfectè liber eſt & aliquo modo nolens facit; vellet enim hoc non facere, eo quòd hoc non placet: & ideò ſeueritatis (aliàs ſeruilitatis) aliquid habet, vel ex timore, vel ex alterius amore, quòd cũ iſto ſtare *ſequens linea redundat.*

pascitur: in hoc,quod facit,non perfectè liber est, non potest. Quia sicut dicit *Phil.* Liberũ dicimus, qui causa sui est,& nõ causa cuiusque alterius. Sic etiam libera est volũtas in opere,vel volito,quod causa sui,& non causa cuiusque alterius facit.

Adhuc dicit *August.* quòd libertas voluntatis triplex est, naturæ,gratiæ,& gloriæ. Libertas gratiæ adiuuat voluntatem naturæ,& libertas gloriæ perficit libertatem gratiæ, libertas naturæ liberat à coactione, Libertas gratiæ liberat à culpa,libertas gloriæ liberat à miseria. Multas ei obligationes habet natura: quia dicit *Arist.* quòd multipliciter humana natura ancilla est, & nihil est in ea liberum nisi voluntas,quæ facit hominem causam esse suorum actuum. Libertas autem gratiæ tangit formam,quæ liberaliter & liberis intendit actibus. Liberè enim facit, quando non coactionis, sed amoris causa voluntas fertur ad actum. Liberiùs autem, quando non nisi honestis intendit, quæ sola libera sunt: quia sola propter se appetuntur. Sed libertas gloriæ coniungit liberrimè: cui cum coniuncta fuerit voluntas, libertatem habet volendi & agendi quod vult: eo quòd tunc nunquam aliquid seruiliter, vel seruile vult ex immobilitate æternæ libertatis, quæ format (aliàs informat) eam.

De his igitur differentiis voluntatis loquentes ostendemus, qualiter debet fieri voluntas Patris: quoniam sua voluntas non fit nisi per nostram voluntatem: sicut etiam nostra voluntas causata & exemplata est à sua voluntate. Dicamus igitur primò de voluntate secundum quòd informatur libertate naturæ & à coactione, quòd hoc facit, quòd sumus Domini nostrorum actuum. Tunc autem facimus liberè, quando nullo cogente extra, nulla necessitate extorquente, solo amore Patris facimus eius voluntatem:nõ commodi,vel timoris alicuius causa. 1. *Pe.* 2. Quasi liberi,nõ quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei,q.d. licet sitis serui Dei: tamen quasi liberi facite bona: non sicut illi, qui libertatem commutant (aliàs conuertunt) in velamen, dicentes, quòd si liberi sint, quòd possunt agere quod volunt. *Eccl.* 31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala & non fecit. Sicut Dominus dat nobis formam benefaciendi. *Matt.* 20. An non licet mihi fa,quòd volo: An oculus tuus nequã est,quia ego bonus sum? Non enim placent Deo coacta seruitia. *Eccl.* 15. Deus ab initio constituit hominem & reliquit eum in manu consilij suiadiecit mãdata & præcepta sua si volueris mãdata seruare,seruabunt te:& ita apposuit tibi aquã ignem:ad quod volueris, porrige manum tuam. Item *ibidem.* Antè hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi. Hæc enim est causa, quòd sumus arbitri nostræ voluntatis; vt si bene faciamus, ex nostro aliquid sit ibi: Et si malè facimus, hoc etiam non sit impune. Cum ex nobis quod volumus, facere possumus. *Isa.* 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; Si autem nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis,gladius meus deuorabit vos: hoc enim iustum est, cum Domini sumus actuum nostrorum.

Libertas autem consilij est, qua homo habet in potestate suum consilium sequi, vel non: Vel melius dicatur, qua homo liberè sibi consulit, & libera opera ex consilio suo sequenda determinat: ratio enim hominis semper aliquid consulit, & quando liberè, libera sequitur consilia: tunc libertatem sequitur consilij, non illectus concupiscentia & abstractus. *Psal.* 110. In consilio iustorum & congregatione. *Eccl.* 32. Omnia fac cum consilio: & post factum non pœnitebis. Quando enim homo auertitur à proprio consilio non ex libertate, sed potiùs ex obligatione concupiscentiæ, vel infirmitatis. *Prouer.* 11. Salus vbi multa consilia. *Prouer.* 13. Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. Hæc igitur est libertas consilij, quando homo nulla obligatione recedit à consilio recto. *Ecclesiast.* 32 Fili, sine consilio nil facias,& post factum non pœnitebis: Si enim consularur conscientia, consulet melius: Sic igitur liberè fit & consultè.

Libertas autem complaciti est: quando ideò facit,quia in bono pascitur & delectatur. *Ps.* 36. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui. *Ps.* 62. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum. De his tribus dicit *Ro.* 12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. Perfecta enim est ex consilio, beneplacens ex complacito, & bona ex libertate. Et efficitur his tribus laudabile bonum. Primum enim auferr ab opere timorẽ seruilem,secundum peruersitatem,& tertium indeuotionem. Quoad primũ dicit *Ps.* 53 Voluntariè sacrificabo tibi. Quoad secundum *Tob.* 4. Omnia consilia tua in ipso permaneãt. De tertio *Deut.* 33. In eo quasi in thalamo tota die morabitur,& inter humeros eius requiescet. *Ps.* 76. Memor fui Dei & delectatus sum. Non enim debet credi,quòd aliqua voluntas in hoc sit libera, quòd ad malum potest flecti,vel peruersum consilium sequi, vel indeuotè facere obsequium Dei. Libertas enim hominis est ex hoc,quòd homo causa sui incipit esse: bonum autem hominis totum, Deus. Et quando in illum liberè & consultè & placitè mouetur,tũc liber est: aliter autem se habens,seruus est. Similiter est de aliis libertatibus naturæ,gratiæ & gloriæ. Naturæ enim libertas est, quãdo natura nulli se subdit seruili,sicut quando homo tenet naturã in dignitate naturali, non permittens quòd bestialiter vilescat & seruiat,sic liberos præcipuè decet esse filios Dei: sicut dicitur 3. *Reg.* 9. Quod Salomon de filiis Israël neminem seruire constituit, *Gen.* 21. Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac, dixit Rebecca, quæ libera fuit. Vnde *Tullius* dicit: Quòd non est liber, qui inferioribus se ancillatur. Liberum enim in homine intellectus est:& illum sequẽs sequitur libertatem. Sequens autem subiugalem bestialitatem sensualitatis non habet naturæ libertatem. *Gal.* 4. Non sumus ancillæ filij, sed liberæ,qua libertate Christus nos liberauit. Et *Gal.* 5. Vos in libertatem vocati estis fratres: tantummodo ne libertatem vestram in occasionem detis carnis. De libertate gratiæ *Io.* 8. Si mãseritis in sermone meo, verè liberi eritis,& cognoscetis veritatem,& veritas liberabit vos. Hæc autem libertas est,quando homo liberè secundum libertatis formam prosequitur gratiam,non inclinatus in aliquam peccati seruitutem. Libertas gloriæ perfectè erit in patria. Sed etiam hic habentur primitiæ eius,quando homo in gaudio spe gloriæ facit hoc quod facit,sicut dicitur *Bar.* 4. Veniunt collecti ab oriente vsque ad occidentem Sancti gaudentes in honorẽ Dei. & *Isa.* 61. Gaudens gaudebo in Domino: & exultauit

exultauit anima mea in Deo meo. Secundum ergo hunc modum ex prima libertate efficitur opus voluntarium, ex secunda consultum, ex tertia deuotum, ex quarta humanè liberum, ex quinta meritorium & bonum, ex sexta iucundum & gloriosum: & tunc est Deo acceptum: quia tunc est diuinæ voluntati consonum. Hæc igitur est libertas, in qua debet fieri voluntas Patris, sicut dicit *Apostol. Ro.* 8. Quòd creatura ingemiscit, & parturit, & liberatur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. In hac enim libertate Dei fulgent, & voluntatem Patris perficiunt hi, qui veri sunt filij Dei.

Secundum autem est, quòd est motor omnium virtutum intellectualium, rationalium, & sensitiuarum, & etiam membrorum: ita quòd omnis talis motus vocatur motus voluntarius: & sic voluntas est vniuersaliter motor in regno animæ: in hoc etiam similitudinem habens voluntatis,Patris quæ omnia mouet,sicut dicitur *Estheri.* 13. In ditione tua cuncta sunt posita; & non est, qui possit resistere tuæ voluntati. Hoc autem ideò Deus fecit, quòd omnium potentiarum, & membrorum motum concessit liberrimè, vt per illud omnia in suam voluntatem peragendam ordinaret: & nullum esset ex omnibus, per quod voluntas Dei non compleretur. *Rom.* 6. Exhibete vos Deo tanquam viuentes ex mortuis, & membra vestra arma iustitiæ Deo. *Psalm.* 34. omnia ossa mea dicent,Domine,quis similis tibi? sicut dicitur. 1. *Corinth.* 15. Quòd erit Deus omnia in omnibus. Hinc est quòd *Deut.* 6. & *Matth.* 22. Præcipitur Dominus diligi ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima, & ex omnibus viribus: quia omnia, quæ voluntati subiiciuntur, ad voluntatis nobilissimum affectum sunt redigenda: qui affectus est dilectio. Cor autem omnium est principium motuum, & omnia membra ad cor reducuntur & commouentur ab (aliàs ex) ipso per voluntatem. Vnde *Cant.* 8. Pone me super cor tuum & super brachium tuum. Super cor propter vniuersalem voluntatem: & super brachium propter vniuersalem operis potestatem & virtutem. Adiiciamus igitur istam operis perfectionem, & dicamus: cum voluntariè, consultè, deuotè, humanè, meritoriè, & gloriosè fit voluntas Dei: tunc fiat generaliter, & tunc est accepta. Non enim potest esse,quòd in vno fiat voluntas, & non in alio: sed in omnibus oportet quòd fiat. *Exod.* 24. Omnia quæcunque præcepit nobis Dominus, facimus & erimus obedientes.

Tertium est, quòd voluntas est,quæ in omnibus imperum facit ad opus, & in hoc notatur promptitudo & velocitas ad opus 1. *Paral. vlt.* Populum tuum, qui repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Item *ibidem infrà.* In æternum custodi hanc voluntatem cordis eorum:& semper in veneratione tui mens ista perseueret. 2. *Corinth.* 7. Quemadmodum promptus est animus voluntatis: ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis. *Ti.* 3. Deo obedire ad omne opus bonum paratos esse. *Phil.* 2. Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus: & sitis sine querela simplices filij Dei. *Psalm.* 17. In auditu auris obediuit mihi. 2. *Cor.* 9 Scio promptum esse animum vestrum, pro quo de vobis glorior. *Psal.* 117. Paratus sum, & non sum turbatus *Psalm* 56. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Sic igitur promptè & parate fit voluntas Dei Patris.

Quartum est,quòd omnis voluntas est in ratione & significat ordinem voluntatis: rationis enim est ordinare voluntatem. *Ro.* 12 Rationabile sit obsequium vestrum. *Exo.* 28 præcipitur fieri rationale super vestes Sacerdotis, vt ordo rationis in omnibus operibus conuersatione cuncta componat & ordinet. *Ecc.* 2 Sapientis oculi in capite suo:stultus nescit vbi ambulat. Si ergo vniuersa colligantur à principio, quæ sunt de modo voluntatis Patris, oportet, quòd voluntas fiat incoactè,consultè, & deuotè,ex diuisione prima libertatis eius;fiat etiam liberè,nobili & humana libertate, meritoriè & gloriosè, ex secunda diuisione:fiat etiam vniuersaliter,promptè,siue paratè,ex rationis ordine: & istæ sunt propriæ conditiones voluntatis. Dicitur autem,ô Pater [voluntas tua] quæ est quinque modis tua: auctoritatis, antecedens, consequens, beneplaciti, & signi.

Auctoritas est voluntas reuerenda,quæ semper omni creatæ voluntati debet anteponi. *Matt.* 26. Non sicut ego volo;sed sicut tu. *Isa.* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Contra hoc peccant,qui voluntatem suam diuinæ anteponunt voluntati,vel contraponunt aliquando.

Voluntas antecedens dicitur,quæ antecedit opus nostrum sine opere nostro,sine qua tamen non fit opus nostrum,nisi illa antecedat, & cum qua non necessariò fit opus suæ voluntatis: sicut quando dedit naturam intellectualem, voluit eos:quibus intellectum dedit, se cognoscere & colere: quia aliter talem naturam non dedisset. De qua dicitur. 1. *Timo.* 2 Vult omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem sui nominis venire:nisi enim hæc vellet, naturam cognoscendi se non dedisset. Hac aburuntur, qui naturam non ad hoc applicant,ad quod Deus dedit eam: Etiam hoc modò dat gratias scientiæ & sapientiæ, & alia bona fortunæ,vt in laudem suam expendantur: & qui non facit, increpationem sustinet. *Matth.* 25. & *Luc.* 19. Dedit vnicuique secundum propriam virtutem, & dixit negotiamini, dum venio. Sic etiam dat tempus per donum antecedens, significans, quòd vult, quòd vtamur illo ad pœnitentias. *Iob.* 24. Dedit eis tempus in pœnitentiam: at ille abutitur eo in superbiam.

Voluntas autem consequens est, quæ est ex opere nostro, sicut vult iustorum gloriam,& malorum pœnam. Et pœnam quidem malorum non vult nisi ex opere nostro, & non simpliciter. *Ezech.* 18. Nolo mortem peccatoris; sed vt magis conuertatur, & viuat. Cum autem malum facimus, vult pœnam nostram ex opere nostro, & gloriam nostram vult simpliciter,& ex opere nostro. *Ioan* 17. Volo Pater, vt vbi ego sum, illic sit & minister meus.

Voluntas autem beneplaciti est, quam sic vult, quòd ex consilio æterno stabiliuit eam. *Psalmo* 113. Omnia quæcunque voluit, fecit. Esther. 13. Non est, qui possit resistere voluntati tuæ. *Roman.* 9. Voluntati eius quis resistet?

Voluntas autem signi est quintuplex, præcepti, prohibitionis, consilij, operationi, & permissionis. Præcepti voluntas Dei est, quod implere tenemur: prohibitionis,quam oportet cauere: consilij,

consilij, quod si implemus, remuneramur: Si autem non implemus, non obligamur, nisi voluerimus (aliàs vouerimus.) Operationis est exempli suorum operum. Permissionis autem est id, quod permittit, & vult aliquod bonum, quod ex illius ordinatione resultat. De voluntate præcepti *Psal.* 15. Mirificauit omnes voluntates meas in eis. *Psal.* 39. Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui: & legem tuam in medio cordis mei. Prohibitio autem est de hoc, quod vult Deus non fieri: quia non vult malum fieri: & hoc significat prohibitione. *Habac.* 1. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; & respicere ad iniquitatem non poteris. *Sap.* 12. Odibilia tibi opera fecerunt, & in talibus voluntas Dei est de contrario, sicut dicitur. 1. *Thes.* 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos ab omni fornicatione: & sciat vnusquisque suum vas possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes; quæ ignorant Deum. De voluntate autem consilij, *Isa.* 56. dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum; dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus. Eunuchi enim illi sunt, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum: & hoc est consilium & voluntas Dei; sed non obligat nisi eligentem ex voto. De operatione dicitur *Ioan.* 13. Exemplum dedi vobis: vt quemadmodum ego feci; ita & vos faciatis. De permissione autem *Rom* 1. Tradidit illos in reprobum sensum, vt faciant quæ non conueniunt. *Apoca.* 22. Qui in sordibus est, sordescat adhuc, *Exo* 4 Ego induraho cor eius, & non dimittet vos. Et circa hoc non vult Dominus actum, quem permittit; sed potiùs bonum, quod inde elicitur, sicut ex indurationе Pharaonis elicita sunt signa plagarum cogentium, cum dimittere populum: ex quibus signis confirmata est fides filiorum Israël, & accensa deuotio ad Deum, qui in tam valida manu eripuit eos de manu Ægyptiorum. *Exo*, 10. Ego induraui cor eius & seruorum eius, vt faciam signa mea hæc: & narres in auribus filij tui & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & signa fecerim in eis, vt sciatis, quia ego Dominus. De omnibus istis voluntatibus simul *Aug.* exponit illud *Psal.* 110. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. *Heb.* 10. Voluntatem Dei facientes reporteris repromissiones: Non enim est vna voluntas, quæ facit reportare promissiones; sed omnes.

Colligamus ergo dicentes: ô Pater [voluntas tua fiat] ex auctoritate reuerenter, antecedens autem sapienter, consequens acceptabiliter, beneplaciti cum tremore suscipiatur, signi autem obedienter & discretè impleatur: Vt sic reuerenter, sapienter, acceptabiliter, humiliter, & obedienter omnis voluntas tua fiat. *Act.* 13. Inueni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.

Hæc igitur [voluntas tua fiat] Non dicit: Iuua, vt faciamus: quoniam aliquando oportet non facere voluntatem Dei, sicut in promissione. Aliquando etiam implenda est, non à nobis; sed à Deo: & ideò, non potest peti, vt semper faciamus suam voluntatem; sed potiùs, vt fiat. Licet autem voluntas Dei, quia beneplaciti, semper fiat; tamen oramus, vt fiat: quia aliquando ita præordinata est fieri, vt effectum iuuent orationes Sanctorum, sicut suprà diximus, quòd & prædestinatio iuuatur Sanctorum orationibus. Hæc igitur est causa, quòd ad nullam certam personam referentes impletionem diuinæ voluntatis, dicimus orantes: fiat voluntas tua. 1. *Malach.* 3. Sicut fuerit voluntas, sic fiat. *Isa.* 46. Omnis voluntas mea fiat. Hoc modo etiam vtitur beata Virgo *Luc.* 1. Fiat mihi secundum verbum tuum. *Mat.* 15. Fiat tibi, sicut petisti.

Sicut in cœlo & in terra.

Hic ponitur forma, quòd eo modo fiat in terra, sicut est, & fit in cœlo: & quæritur, quare talem formam non adhibuit aliis petitionibus, vt dixisset: Sanctificetur nomen tuum sicut in cœlo & in terra. Et adueniat regnum tuum, sicut in cœlo, & in terra. Et dicendum ad hoc, quòd nomen non sanctificatur nisi ex cœlo, & regnum non aduenit nisi ex cœlo: sed voluntas Dei fit etiam in inferno, & in mundo. Quoniam sicut diximus suprà, voluntatem Dei nullus hominum effugere poterit; quia aut ipse facit eam deuotus & spontaneus: aut de ipso inuito fiet voluntas Dei iudicantis & vindicantis. Quòd ergo nobis proficiat ad salutem oratio, oportet, quòd in nobis impleatur, & à nobis voluntas Dei, sicut fit in cœlo. Et hoc est in tribus. In cœlo enim Trinitatis est voluntas præordinatiua & causatiua eorum, quæ fieri habent ad salutem: in Angelorum autem ministerio est voluntas ministratiua salutis: in Sanctis autem beatis est voluntas, quæ est forma nostræ salutis. Et omnibus his modis oramus, quòd fiat in terra, sicut in cœlo: vt simus consonantes præordinationi sicut causæ & exemplari, non obdurantes corda contra voluntatem, quæ est in cœlo Trinitatis: & simus obedientes Angelorum ministerio, non resistentes, vel repugnantes eorum purgationi, & illuminationi: & simus imitantes voluntatem sanctæ Trinitatis Dei de nobis.

De prima dicitur *Act.* 9. Domine, quid me vis facere. 1. *Reg.* 3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Mali autem de hoc arguuntur *Mat.* 23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? De secunda habetur *Iudic.* 2. quòd ascendit Angelus Domini in locum flentium & dixit: Noluistis audire vocem meam: & hoc significatur *Ioan.* 1. Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis: descendentes enim ponunt in nobis voluntatem Dei & suam: ascendentes autem offerunt Deo vitam, & orationes nostras. Hoc etiam significatur in scala Iacob *Genes.* 28. Per eundem modum. De tertio dicitur. 3. *Reg* 8. Exaudies in loco habitaculi tui in cœlo; & cum exaudieris, propitius eris. Locus enim orationis & exauditionis nostræ est in cœlis duplici ex causa. Vna est, quia ibi sunt nostri intercessores; vt suprà diximus: & sicut dicit Ptolomeus, intercessor est petentis ala. Alia est, quia de cœlo data sunt iuuantia bona: terrena enim parum prosunt. *Psal.* 122. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. *Ps.* 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde

veniet

veniet auxilium mihi. Item *Psalm.* 17. Exaudiuit de templo sancto suo vocem meam: & clamor meus introiuit in aures eius. De omnibus his simul dicitur *Iob.* 38. Numquid nosti ordinem cœli: & rationem eius pones in terra?

Attende autem quòd suprà dictum est, qualiter hi, qui sunt in cœlo, quatuor modis conformant voluntatem suam voluntati diuinæ; & hoc si similiter fiat in nobis, tunc fit voluntas Patris sicut in cœlo, & in terra: sed hoc non oportet hîc repetere. Sed qui hoc modo rectitudinis facit voluntatẽ Patris, ille est, qui dicere potest illud *Phil.* 3. Nostra conuersatio in cœlis est, vnde & Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum. Hoc modo petit Dauid dicens *Psal.* 144. Domine, inclina cœlos tuos, & descende. Hoc modo *Ezech.* 1. Firmamentum est imminens capiti, hoc est menti animalium Dei. Hoc modo tapimur cum Paulo ad tertium cœlum, rectificati ad formam Sanctorum ad intentionem mysterij Angelorum: ad exẽplar diuinarum rationum, quæ in mente diuina sunt descriptæ. Hoc modo dictum est Moysi *Exo.* 25. Vide, omnia facito ad exemplar, quod tibi in monte monstratum est: sic enim terra plenitudinem cœli suscipit, cum dicit *Psalm.* 23. Domini est terra, & plenitudo eius, &c. Sic veritas de terra oritur: & iustitia de cœlo prospexit *Psalm.* 84.

Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

Hæc est secunda petitio, in qua secundum præinductam diuisionem petitur sustentatio in bonis impetratis in præinductis petitionibus tribus. Sed sciendum à principio, quòd vbi dicit quotidianũ, in Hebræo, sicut *Hieronymus* dicit: habetur sogolla. Et vbicunque Lxx. interpretes in Hebræo inuenerunt, in Græco interpretantes, transtulerunt epision: quod Latinè sonat supersubstantiale. Et ideò etiam *Hiero.* hic supersubstantiale transtulit: *Symmachus* autem sogollà vbicunque transtulit, egregium: *Origenes* autem transtulit secundum significatum, quotidianũ: Omnes autem istę translationes in idem concurrunt. Quia supersubstantialis est, qui super substantiam sustentandam tanquam necessarius petitur: & ille est etiam egregius: quia tẽpus necessitatis facit ipsum esse egregium nobis. Vel dicitur egregius, quia cum quatuor sint optimè nutrientia, sicut dicit *Auicenna.* panis, vinum rubeum, oua recentia; & brodia carnium. Panis solus ex soliditate plus confortat, & ex viscositate plus adhæret, & ex temperamento plus conuenit; & ex puritate plus nutrit. Caro enim & vinum inflammant; & oua sunt conuertibilia in (aliàs ad) omne, quod inueniunt, siue bonum, siue malum. Et ideò ad nutriendum panis est egregius. Hic etiam est quotidianus, quòd quotidianæ necessitati releuandę est accommodatus.

Sic igitur intellectà literà: dicimus, quòd sex continentur in petitione: quorum vnum & primum est, nos in bonis Dei sustentans: Et hoc significando dicimus [Panem] Secundum autem est quale dicit esse id, quod sustentat: quia non de rapina, vel illicitè acquisito, sed de nostro: Et hoc significamus, cum dicimus [nostrum] Tertium autem est causa potentis necessitatis nos inducens ad petendum: & hoc inuenimus, cum dicimus [quotidianum] Quartum est, quòd de largitate hunc panem petimus expectatum: & hoc est, quod dicimus [da] Quintum est, quòd [nobis] petimus, non canibus, vel aliis vilibus deputandum. Sextum est, quod non petimus in longum, sed huic præsenti necessario (aliàs necessitati) in solatium: & hoc innuitur, cum dicitur [hodie] Cum autem homo sit compositus ex spiritu & corpore, sicut dicit. *Dam.* Edulium eius erit triplex: edulium sustentans spiritum, & edulium sustentans corpus, & edulium sustentans vtrumque & animam & spiritum. Edulium autem sustentans spiritum est duplex: vnum quidem secundum intellectum: alterum autem secundum affectum. Secundum autem intellectum panis sustentans est verbum Dei; secundum autem affectum panis sustentans est gratiæ bonum. Verbum enim per hoc, quòd est continens veritatem, pascit intellectum, qui sui est capax, & sine ipso quasi consumptus inediâ destituitur intellectus. *Deut.* 8. Non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Sap.* 16 Non nativitatis fructus pascunt homines: sed sermo tuus hos, qui in te confidunt conseruat. Vnde *Plato.* etiam in Timeo loquens ad Socratem & Timeum & Tricium, dicit: Qui hesterni quidem epuli conuiuæ fueritis; hodierni præbitores imitatoresque ex conditione (aliàs condicto) resideatis. Et notat conuiuium sermonum sapientiæ pasturam. *Psalm.* 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Hic est panis Angelorum, quem manducauit homo *Psalm.* 77. Vnde *Prouer.* 9. dicitur: quòd Sapientia posuit mensam. Hic est panis, qui comedetur purus in regno Dei, vbi verbum ab ore Patris dicentis ipsum auditur, & intra intellectum purum recipitur, vt ex ipso ad æternam vitam vegetetur. Ex fundo enim, in quo crescit hic panis, virtutem sumens, vegetat ad vitam æternam: fundus autem est cor. Dei Patris, & subuehens ipsum ad nos est spiritus veritatis. *Psal.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Hic autem panis purus est, nihil habens de palea; sed totus oliquatur ex veritate prima. *Psal.* 147. Adipe frumenti satiat te.

Dicitur autem verbum Dei panis propter proprietates panis tres, quarum vna est, confortare, secunda delectare, tertia nutrire. Confortat autem ex adhærentia, & delectat ex conuenientia, & nutrit ex connaturalitate. De confortatione *Psal.* 103. Panis cor hominis confirmat. *Act.* 9. Cùm accepisset cibum, confortatus est. *Genes.* 18. Ponam buccellam panis, & confortetur cor vestrum. De delectatione dicitur *Genes.* 49. Aser pinguis panis eius: & præbebit delitias Regibus. *Sap.* 16. Paratum panem de cœlo præstiristi illis sine labore, habentem in se omne delectamentum & omnem saporem suauitatis. De nutrimento dicitur *Genes.* 27. Frumento, vino & oleo stabiliui eum. *Isa.* 30. Panis frugum tuarum erit vberrimus & pinguis.

Sic ergo est panis spiritualis, qui pascit mentem beatorum; de quo dicitur *Luc.* 14. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Est etiam panis materialis, qui datur ad sustentationem corporis. *Genes.* 28. Si Dominus Deus fuerit mecum in via, qua ambulo, & dederit mihi panem

nem ad vescendum, & vestimentum ad induendum. Et hic debet esse arctus quantitate secundum necessitatis mensuram, subcineritius humilitate, asper per abstinentiam: & tamen saturans propter corporis sustentationem. *Isa.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum & aquam breuem 2. *Paral.* 18. Date eis panis modicum & aquæ pauxillum, donec reuertar in pace. De subcineritio per humilitatem dicitur 3. *Reg.* 19. Ecce ad caput Eliæ subcinericius panis & vas aquæ. *Genes.* 18. Tria sata farinæ commisce, & fac subcineritios panes. In signum autem abstinentiæ asper debet esse. Et ideò *Mar.* 6. & *Ioan.* 6. dicuntur hordeacei panes, quos Dominus distribuit. Similiter Eliseus distribuit filiis Prophetarum panes hordeaceos. 4. *Reg.* 4. *Eccl.* 33. Panis & disciplina & opus seruo. 3. *Reg. vlt.* Sustentate virum istum pane tribulationis, & aquâ angustiæ. *Psal.* 79. Cibabis nos pane lachrymarum. De saturitate *Exo.* 16. Dabit nobis Dominus panes in saturitate. *Psal.* 21. Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. *Isa.* 23. Comedant in saturitatem, & vestiantur vsque ad vetustatem. Sic ergo panis iste paruitate, siue arctitudine refrænat luxuriam crapulæ; Per cocturam cineris admonet de mortalitate huius vitæ, per asperitatem dat eruditionem disciplinæ, per saturitatem dat solatium vitæ sustentandæ: & sic vnum panem habemus intellectus, & alterum corporis.

Sed quia anima duplicem habet faciem, intellectus, & affectus: sicut habemus panem intellectus: ita habemus panem affectus, qui est dulcedinis gratiæ: & hic est septiformis gratia Spiritus sancti, de qua dicitur *Isa.* 4 Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, & dicent: panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur. Vnde ista significantur per septem panes, de quibus habetur *Mat.* 9. Hoc est manna, quod in modum roris de cœlo descendit. Isti sunt tres panes, quos is, qui de via venit, noster amicus à nobis expostulat. *Luc.* 11. Pabulum veritatis quærens intellectui, sustentationem corporis necessitati, & gratiæ confortationem petens affectui. De his panibus dicitur *Isa.* 21. Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. Panis enim gratiæ calore Spiritus sancti, decoquitur igne charitatis, conficitur ex puritate bonitatis, & commiscetur de humore pietatis & deuotionis, Et hoc totum significatur in præinducta auctoritate: quia terra Austri calida est, & pura siue luminosa, & flatus eius humidus est. Et tempore quidem primo accepimus à Deo panem sustentationis corporalis: & deinde petimus panem agnoscendæ veritatis; & demum perficiendæ in opere panem quærimus primæ bonitatis. Dignitate autem prima, est bonitas: secunda, veritas: tertia, necessitatis sustentatio. Sed secundum modum accipiendi à Deo prima, est perceptio veritatis: secunda, infusio bonitatis: & vtrique deseruiens sustentatio necessitatis. Quia tamen veritate pascuntur multi, qui non pascuntur bonitate; & media est sustentatio corporis, vtrique deseruiens: propter hoc in medio rationabiliter ponitur. Isti igitur sunt tres panes, qui petuntur.

Quia verò homo, sicut dicit *Dam.* compositus est ex anima & corpore; & homo est coniunctum ex his: ideò oportet per congruitatem ipsum habere edulium compositum; & illud est panis Eucharistiæ, qui efficaciam habet ex virtute Deitatis: dulcedinẽ ex condimento gratiæ: vitam ex anima coniuncta cum corpore: & connaturalitatem ex corpore & sanguine. De quo dicitur *Sap.* 16. Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore: habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & voluntati vniuscuiusque eorum deseruiens, ad quod quisque volebat, conuertebatur.

Hic panis origine cælestis est, substantialiter deificus est, causaliter viuificus est, sacramentaliter vnitiuus, effectu viaticus est, specie tenus æternæ fruitionis designatiuus. De primo *Ioan.* 6. Ego sum pânis viuus, qui de cœlo descendi. *Psal.* 77. Panem cœli dedit eis. De secundo dicitur *Ioan.* 6. Qui manducat me, viuit propter me. 1. *Cor.* 10. Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est. De eo quòd causaliter sit viuificus *Ioan.* 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Quòd sacramentaliter vnitiuus. 1. *Cor.* 10. Vnus panis multi sumus in Christo, quotquot ex vno pane participamus. Quòd effectu sit viaticus 3. *Reg.* 19. Surge, comede: grandis enim restat tibi via. Et ideò filiis Israel, dum erant in via, non defecit: cum autem fuerunt in terra promissionis, tunc defecit. Quòd specie tenus æternæ fruitionis sit designatiuus. *Mat.* 26. Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque dum bibam illud nouum in regno meo *Lu.* 22. Edatis & bibatis super men. m. in reg. m.

Ad huc iste panis quadruplicis gratiæ est effectiuus, quæ apparuerunt, in discipulis: feruorem enim effecit in Petro: Vnde dixit: Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire. Refectionem in aliis discipulis. *Lu.* 22. Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum. Quietem in Ioanne. *Ioan.* 21. Qui & recubuit in cœna supra pectus Domini. Memoriam autem abeuntis Domini in omnibus. *Lu.* 21. Hoc facite in meam commemorationem. 1. *Corinth.* 11. Quotiescunque panem Domini sumetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.

Adhuc sumitur hoc sacramentum stando, renes succingendo, calceamenta in pedibus, baculos in manibus tenendo, festinando, vorando, in sapore amaritudinis sumendo. Et de omnibus illis est *Exo.* 12. simul. Status, vt dicit August. rectitudinẽ significat confortatæ conscientiæ: succinctio renum luxuriæ coarctationem (aliàs coërtionem) calceamenta in pedibus in memoria Christi mortem: baculus in manibus crucis Christi baiulationem: festinantia famis caliditatem ex igne charitatis causatam: voratio autem per deuotionem, sumptionis auiditatem, *Eccl.* 24 Qui edent me, adhuc esurient. Sic igitur, o Pater, da panem.

Sed quæritur: Cum panis solus sustentare non possit, quare non docet petere panem cum potu, præsertim cum hæc in multis scripturæ locis posita coniungantur: non enim potest proficere esca sine potu: sicut & *Prouer.* 9. Sapientia posuit mensam, & miscuit vinũ: & *Eccl.* 15. Vbi dicitur, quòd cibat suos pane vitæ & intellectus. Et subiungitur, quòd aqua sapientiæ salutaris potauit illum. Et in aliis ista coniunguntur pluribus locis.

Adhuc

Adhuc cum homo non bene viuere possit de simplici pane, quare non plura quàm panem docet petere? præcipuè cum 3. *Reg.* 17. ministrauit Eliæ panem & carnes, & aquam bibendam de torrente. Si dicas quòd initium vitæ hominis aqua est & panis, vt dicitur *Eccl.* 29. Et hic docet ea petere, quæ pertinent ad necessitatem: Aqua autem communis est, quam non oportet petere. Contra *Ibidem* dicitur quòd initium vitæ hominis est aqua & panis & vestimentũ protegens turpitudinem, & domus. Videtur ergo quòd omnia illa debeat nos docere petere, Et ad hoc videtur concordare *Apost.* 1. *Timo.* 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus Adhuc licet primum initium vitæ hominis ante diluuium fuerit de terrænascentibus panis, qui secundum naturam è granorum generibus melius conuenit homini & magis confortat eum; tamen procedente tempore, & conualescente infirmitate; plura facta sunt necessaria vitæ hominis. Vnde *Eccl.* 39 Initium necessariæ rei vitæ hominum aqua, & ignis, & ferrum; sal & lac & panis similagineus, & mel, & botrus vuæ; & oleum, & & vestimentum. Hæc omnia Sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala conuertentur. Ergo ex quo omnia hæc necessaria sunt: omnia hæc petere debuit docere sicut videtur. Adhuc ipse Dominus *Matt.* 25. improperat auaris, quòd non dederunt bibere, & quòd non dederunt hospitium, neque indumentum? & plura alia. Cum omnia igitur hæc Sanctis conuertantur in bonum; vt dicit *Ecclesiast.* omnia hæc videntur esse petenda.

Adhuc nihil horum videtur esse petendum: quia dicetur *infra eodem*: quòd si petiersimus regnum Dei, & iustitiam eius; omnia hæc adiicientur nobis.

Respondeo dicendum, quòd in veritate per panem hic petitum intelligitur omne esculentum necessarium ad vitam secundum omnem hominum diuersitatem: quia nec ipse Dominus simplici pane contentus, licet conuiuia magna habuit, sicut dicitur *infra* 9. & *Lu.* 5. quòd fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua, & vinum bibit, & pisces, & alia esculenta & poculenta. Esculentum autem, & non poculentum, nominat: quia poculentum non desideratur à natura nisi propter esculentum: & ideò sicut in illo necessarium; in illo peti intelligitur.

Quod autem obiicitur de *Ecclesiastico*: Dicendum quòd totum ad mensuram necessitatis intelligitur in illo. Ad id quod de domo dicitur, & vestibus & huiusmodi: Dicendum, quòd hæc extrinsecùs deseruiunt corpori, vbi homo sibi prouidet; & ideò hæc relinquuntur solicitudini hominis procuranda: Sed esculentum deseruit interiùs, vbi homo sibi prouidere non potest ita sicut exteriùs: Et ideò petitur hoc à Deo sicut necessarium substantiæ, cùm alia sint ad bene esse extrinsecùs ordinata. Siquis tamen dicat, quòd omnia necessaria corpori in pane intelliguntur, ego non contradico.

Sed tunc quæritur, quare nomine panis istius necessitatis sublenamen nominauit? Et ad hoc dicendum, quòd hoc fit propter tres causas, quarum vna est panis communitas: quia vbique & omnibus est necessarius ad vitam hominis. Et si obiicitur quòd quidam panem non habent, aut non vtuntur, sicut quidam barbari. Dicendum quòd vita illorum est mala, & deuians à recto nutrimento: quia cætera, quæ nutriunt, aut nimis sunt humida, nisi misceantur; aut nimis sicca, sicut casei aut carnes salsæ; & quoad hoc per panem melius petitur vitæ sustentatio, quàm per aliquid aliud. Secunda causa est, quod nutrimentum, quod accipitur de pane, magis adhæret membris quàm id, quod accipitur de aliis: & hoc apparet in pasta, quæ cohæret sicut gluten: Vnde etiam quando conuertitur in carnem, tenacior est caro illa, quàm alia, Tertia causa est, quòd panis nutrimentum temperatius: quia caro magis inflammat & excitat libidinem, herbæ autem magis vt in pluribus sunt phlegmaticæ, vel melancholicæ: & fructus sunt inflatiui: sed panis soliditate sua roborat satis & temperamento complexionis congruit & complexioni hominis; & non fouet libidinem. His igitur de causis sub nomine panis intelligitur omne (aliàs esse) vitæ sustentamentum.

Ad hoc autem, quod obiicitur quòd peti non deberet: Dicendum quòd dupliciter accipitur panis; Refectio absolute videlicet, aut prout est sustentatio in bonis petitis in aliis petitionibus, & absolutè quidem non petitur, sed adiicitur: sed prout est sustentatio in bonis Dei, & ad obsequium Dei pertinentibus, petitur: & sic reducitur ad iustitiam regni, quod quæritur principaliter. Sic igitur per panem; omnis vitæ necessaria intelligitur sustentatio: quoniam ad panem oportet haberet cocturam, sine qua panis non fit; & granum ex quo est; & domum, in qua refectio fit (aliàs fit) vitæ commodâ; & vestimentum ad calorem corporis continendum, vt digestio panis enalescere possit: & sicut est in officiis publicis & priuatis quòd cui committitur principale, illi committitur & accessorium: & sicut est in artibus, quòd in arte attenditur finis, & omnia ad finem illum ordinata conceduntur arti eidem: & sicut est in naturæ operibus, quòd natura intendit formam, & præparat omnia, quæ illi formæ sunt conuenientia ad inducendum, vel tenendum, vel resistendum alterationibus sequentibus; & tamen ab illis nec in officiis, nec in artibus, nec in natura fit denominatio; ita etiam est in petitionibus Domini, quòd nominat quidem illa, ex qua est sustentatio: & omnia præcedentia & concomitantia & sequentia illam petitionem, vult cointelligi: quia aliter frustra esset, quod petitur. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita *Neem.* 8. Comedite pinguia & bibite mulsum, & mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi, *Isa.* 25. Faciet Dominus conuiuium pinguium, & conuiuium vindemiæ, conuiuium medullatorum pinguium, & vindemiæ defæcatæ. Et sicut dictum est supra, quòd hæc omnia Sanctis in bonum conuertuntur.

Tamen fuerunt quidam hæretici, qui propter istud & similia, petere nolunt nisi terrenascentia dicentes quòd Dominus hic non determinat quis, vel cuius grani panis sit petendus. Et cùm oleum & farina sit in omnibus seminibus terrenascentium: dicunt quòd panis & oleum & ipsum semen, vel olus accipitur in pane: & alia à Deo nolunt petere, nec sumere in cibum, dicentes, quòd ex coitu generantur. Mella enim & vina sumunt, eo quòd ad fontium (aliàs seminum)

 reducuntur

reducuntur humores. Et hos condemnat *Apost.* 1. *Timot.*4. dicens: Spiritus autem manifestè dicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide: attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, & abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona, & nihil immundum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Sic igitur dicimus panem esse petendum, & intelligentes per panem omnem corporis necessariam sustentationem. Huic autem adiungitur qualis esse debeat, cùm dicitur.

Nostrum.

Raptus enim, vel furatus, vel aliter contra legem vsurpatus, non est noster; sed alterius. *Tob.* 2. Non licet nobis ex furto edere aliquid aut contingere. *Isa.* 3. Rapina pauperis in domo vestra.

Duo autem exiguntur ad hoc, quòd sit noster. Vnum quidem, quòd ex licito sit acquisitus, & sic condemnatur omne turpe lucrum: Quia turpe lucrum vocatur, quod quidem lucrum est; sed per turpe factum est lucrum: sic meretrix elocatione corporis, vel leno procatione mulieris, vel histrio adulatione diuitis, vel lusor opere luforis, vel aliter quouis turpi actu. Iste enim panis non ex nostro noster est: quia tales actus non sunt humanæ necessitatis, aut humanæ perfectionis. Humanæ necessitatis sunt mechanicæ, sine quibus hæc vita non ducitur: humanæ autem perfectionis sunt liberalia, sicut doctrinæ exercitia libera, propter quæ inuenienda & discenda & docenda (sicut dicit *Arist.*) Sacerdotum gens in scholam intrare concessa est, & liberos habere reddita. Ex talibus igitur acquisitum, & lucrum est, quod acquiritur, & ex humano acquiritur: & ideò nostrum est illud, & ex nostro. Secundum autem est, quòd in nostro sit Dominio, & secundum rem, & secundum legem. Aliquid enim nostrum est secundum rem & legem, sicut quod de possessionibus est acceptum, vel iusto lucro acquisitum, vt dictum est: Aliquid autem nostrum est, non secundum legem, sed secundum rem, sicut vsurarium, vel ex superabundantia acceptum: Aliud autem est nostrum non secundum rem, sed secundum legem, sicut quod in contractibus emptionum & venditionum non vltra dimidium iusti pretij est fraudatum. Omnes igitur hos modos non nostri colligendo & excludendo breuiter dicit [Panem nostrum] hoc est de nostro & nostrum [da nobis]

Sed oritur quæstio, quare dicitur nostrum, & non meum: quia ex quo quilibet non petit nisi sibi necessarium, potius debet dicere meum, quàm nostrum. Adhuc: quod nostrum est non petimus, sed accipimus: sed dari nobis petimus, quod non est nostrum, vt per donationem nostrum efficiatur: Ergo potiùs deberemus dicere panem tuum da nobis: vel, de pane tuo da nobis.

Ad hoc dicendum, quòd nostrum melius dicit, quàm meum, duabus de causis, quarum vna est: quia homo non semper sibi soli habet petere, sed aliis multis sibi commissis, qui sunt de familia sua, vel alicui sibi naturæ gradu, vel officio charitatis coniuncti. Omnis enim petitio in charitate fraternitatis debet fieri. Et ideò melius dicit nostrum. Alia causa est: quia petit panem sibi & indigenti communicandum, si superuenerit. Vnde *Iob* 31. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit alienus ex ea. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, hoc ipsum libenter impertiri stude. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagósque induc in domum tuam. Hac igitur de causa dicit iterum melius nostrum quàm meum.

Ad aliud dicendum, quòd nihil est nostrum, si agitur & inter nos & Deum: quia nec nos nostri sumus, nec ea, quæ nostra esse videntur. 1. *Paral.* 29. Tua sunt omnia, & ea, quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te, & aduenæ, sicut omnes patres nostri. 1. *Cor.*4. Quid habes, quod non accepisti: si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Si autem agitur inter nos & homines; tunc aliquid est nostrum, sicut dicitur ad *Hebr.*10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis. Hoc igitur modo coniuncto ex vtroque istorum conficitur ista petitio: vt à Deo suum petatur, quod hoc modo non est nostrum: & hoc modo (aliàs nobis) concedatur, quod iure illo, quod discernit inter homines, nostrum nobis detur, & non alienum: quia illius concupiscentia prohibita est. *Exod.*20. Non concupisces rem proximi tui: Et ideò peti non debet. Sic igitur dicit [panem nostrum] Huic autem addit causam necessitatis nos inducentem, cum dicit.

Quotidianum.

Dicitur autem quotidianus dupliciter: vno quidem modo, qui diuisim quotidie est necessarius: & alio modo, qui quotidie est petitus. Si autem primo modo quotidianus dicatur: tunc videtur, quòd nihil prohibeat, quin vna die pro multis diebus petatur; sed huic sensui repugnat, quod sequitur [da nobis hodie] Vnde secundo sensu intelligitur petitio. Quotidianus ergo quotidie petitus dicitur esse propter quatuor simul concurrentia, quorum vnum est naturæ quotidiana necessitas: secundum autem iterata omni die ad Deum Patrem prouisorem postulata pietas: tertium est, quòd in hoc excluditur superabundantiæ cupiditas: Quartum autem, quòd condemnatur insatiabilis quorundam voracitas.

Quotidiana enim necessitas est naturalis: quia ex motu caloris in mundo, cognoscitur & causatur motus caloris digestiui in corpore: hic enim secundum naturam à medio cœli incipit: quem angulum medij cœli rectum vocant Philosophi, & declinando perficit angulum vsque ad occasum: & hæc est caloris remissio. Secundus angulus est ab occasu vsque ad medium noctis, qui vocatur angulus rectus mediæ terræ, in qua frigidum vincit exterius. Tertius motus est ab angulo mediæ noctis vsque ad ortum: & hic est qui propellit frigidum, & resoluere incipit corpora exterius: & ideò in mane sunt venti frigidi frequentius. Quartus autem angulus est ab ortu vsque ad medium diem, qui euocat de interioribus humidum & educendo distribuit & exsiccat. In primo igitur motu est acceptio cibi: quia exsiccato iam cibo destrueretur corpus nisi iterum ingeratur: & tunc

tunc declinante calido exteriùs, non ita euocatur spiritus, & calor ab interioribus ad exteriora: & incipiunt stare circa locum digestionis. Et si in sero aliquid comeditur, hoc debet esse secundum naturam; aut quòd ex humido temperet cibi priùs sumpti siccitatem: propter quod in sero præcipuè bibendum est temperatè: aut quòd cibum ante sumptum deprimat in fundum stomachi, sicut si comeditur caseus: aut quòd viscositatem cibi dissoluat, sicut calida & incisiua & abstersiua in speciebus & electuariis in sero comedi præcipiuntur: aut quæ stomachum superiùs constringant, & per consequens inferiùs aperiant. Sic præcipiuntur stiptica in cœnis præparari, aut quæ sunt somnifera: quia in somno propter clausuram sensuum calor digestiuus confortatur. Quæcumque autem præter hæc sunt, nocturnas inducunt repletiones & nocent, si impediatur ieiunium præcedens, aut labor exercitij, vel infirmitatis. In talibus enim non possunt custodire (aliàs custodiri) leges naturalis motus. Sic ergo cibo in primo angulo motus cælestis accepto, sex horæ expenduntur, secundùm diuisionem graduum circuli solaris: in aliis autem sex, quæ sunt in angulo, cui subtenditur quarta circuli (quæ inter occasum est & punctum mediæ noctis) bullit: quia in illo per frigus extrinsecùs comprimitur calor, & spiritus ad interius ad locum digestionis. In angulo autem, cui subtenditur arcus, qui est à puncto mediæ noctis vsque ad punctum orientis, quando frigus depellitur, & corpora resoluuntur, à stomacho incipit moueri cibus: & ideò dicit *Galenus*, quòd in bene se habente corpore cibus post sedecim horas descendere debet à stomacho. In angulo autem, cui subtenditur quarta circuli, quæ est ab ortu vsque ad punctum mediæ diei, per membra cibus distribuitur: quia tunc per calorem exteriorem ab interioribus calor & spiritus secum ducentes sanguinem, euocantur, & (aliàs quia) tunc ad iteratam acceptionem cibi stomachus vacuitate sua prouocatur: & hoc quotidie fit: & ideò necessitas hæc quotidianam petit corporis sustentationem. Hoc significatum est *Exod.* 16. vbi manna præcipitur colligi quotidie: & quando incaluit sol liquefiebat, nec poterat seruari vsque mane, nisi pro die Sabbati, quando feriabant. Et præcipitur ibidem, quòd pro numero animarum, quas quilibet habuit in tabernaculo, colligeret gomor, hoc est, quantum sufficit necessitati quotidianæ, & non amplius: Manna enim significat panem quotidianæ sustentationis.

Secunda causa est, vt quotidie petatur Patris cælestis pietas: hæc enim prodest deuotioni. *Psalm.* 144. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Tempus enim opportunum est quotidianum vt iam dictum est. *Act.* 6. Factum est murmur Græcorum: eo quòd despicerentur viduæ eorum in ministerio quotidiano: Hæc autem erat distributio ciborum quotidianorum.

Tertia causa est exclusio humanæ cupiditatis, quæ ex cupiditate congregat vltra necessitatem quotidianam: vnde *Lu.* 11. Panem nostrum quotidianum da nobis. Non dicit annuum, vel mensurnum, vel septimanarium: quidam enim habent panem multorum annorum apud se reconditum, sicut ille diues, de quo dicitur *Lu.* 12. Cuius agri protulerunt fructus vberes: & cum deliberasset non dare pauperibus dixit: Anima, habes multa bona reposita in annos plurimos: comede ergo & bibe & epulare.

Sed obiicitur contra hoc *Prou.* 3. Et implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia redundabunt. Adhuc commendatur Ioseph. de prouidentia contra tempus futuræ famis *Gen.* 41. Ad hoc dicendum, quòd prouidentia in omnibus commendatur; sed suffocans solicitudo cupiditatis condemnatur: vnde quotidianus dicitur, qui prouidentia Dei per hominem facta, quotidianis vsibus sui & familiæ & pauperum ministratur: non vnde per auaritiam crumenæ ditantur. Vnde super *Lu.* 11. Vbi dicitur quotidianum panem nostrum, dicit *glossa*: quotidianus dicitur, qui hîc necessarius.

Quarta causa est, quia per hoc condemnatur nimia voracitas: aliqui enim in vno die consumunt panem vnius anni, vel mensis, vel septimanæ. Sicut *Lu.* 16. Diues purpuratus, qui epulabatur quotidie splendidè, *Dan.* 14. An non vides, quanta comedat & bibat quotidie; non enim dicunt: panem annuum da nobis hodie; sicut dixit filius prodigus *Lu.* 15. Et habitam substantiam totius vitæ consumpsit, viuendo luxuriosè cum meretricibus.

De largitate etiam muneris Dei Patris hunc panem petimus expectatum: & hoc significat, cùm dicit.

Da.

Largus enim est Pater cælestis in filios: quia largitas est sibi connaturalis & consubstantialis. Dat igitur largè, prudenter, & vtiliter, & sine improperio. Quòd largè dat *Iaco.* 1. Dat omnibus affluenter: hoc enim sibi connaturale est: quia primus est, & per naturam suam diues in omnes. Vnde *Sap.* 16. Substantiam tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas. Prudenter etiam dat; quia tempore opportuno dat, & secundum indigentiam. Vnde *Matt.* 24. præcipit dari tritici mensuram: & dat vnicuique secundum propriam virtutem, vni plus; & alteri minus; ita tamen quòd nullus recedit vacuus à munere. Vtiliter dat: quia ad salutem proficientia. *Lu.* 11. Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quantò magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se. *Eccl.* 20. Datus insipientis non erit tibi vtilis. Sine improperio dat. *Iaco.* 1. Non improperat, non sicut homo insipiens. *Eccl.* 20. Exigua dabit, & multa improperabit. Sic ergo, ô Pater, substantiam tuam in filios ostendens [da] Aperi manum inopi, & palmas largiter extende ad pauperem. Da autem.

Nobis.

Nostris vsibus, non malis vsibus deputandum, sicut faciunt, qui vitam pauperum aut spargunt in plateis in pompa seculi, aut auibus, aut canibus, aut histrionibus, deputant. Contra quod ipse dicit *Matt.* 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum. *Matt.* 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite spargere ante porcos: dicitur enim panis egregius, vt suprà diximus, quia non

nisi

nisi egregiis conceditur filiis. Sed reprehenduntur quidam, quia talibus dant copiosiùs, quàm bonis sibi à Deo commissis. 1. *Reg.* 25. Tollam panes meos & aquas meas & carnes pecorum meorum, quæ occidi tonsoribus meis: & dabo viris, quos nescio vnde sint: & dum pauperes petunt ad ostium, negatur panis: & histrio interiùs consumit multas dapes, & absorbet vina pretiosa. *Thre.* 4. Paruuli petierunt panem; & non erat, qui frangeret eis. Paruuli enim sunt humiles pauperes, fragmentum panis petentes. sic igitur, ô Pater, da nobis.

Hodie.

Huic præsenti necessarium. *I sa. eodem.* Nolite soliciti esse in crastinum. Et iterum *Lu.* 21. Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis: & corpori vestro, quid induamini: considerate corvos, quia non seminant, neque metunt: quibus non est cellarium, neque horreum: & Deus pascit illos. *Psalm.* 54. Iacta cogitatum tuum in Domino: & ipse te enutriet. *Hebr.* 13. Sint mores sine auaritia contenti præsentibus: ipse enim dicit: Non te deseram, neque derelinquam *Phil.* 4. Ego didici, in quibus institutus sum, sufficiens esse. Sic ergo Panem nostrum quotidianum ô Pater noster, qui es in cœlis, da nobis hodie.

Et dimitte nobis debita nostra.

Positis orationibus, in quibus executus petitiones decentium à Deo, ponit hic deprecationes, quæ sunt pro amouendis malis: & ordo petitionum istarum scitur ex superiùs inducta diuisione. Petitur autem hic amoueri malum, quod iam præteriit actu, & manet reatu, & causa communi, quæ est concupiscentia, siue fomes peccati. Dicit autem duo in deprecatione ista: vnum quidem, quod est ipsa deprecatio: & alterum, quod est ratio obtinendi, *Ibi* [Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris] In deprecatione ista quatuor dicuntur: vnum quidem, quod petitur: dimissiuum peccati ex parte remittentis, cùm dicit [dimitte] Secundum autem, quod est recognitio debiti in eo, cui dimittitur, cum dicit [nobis] Tertium est recognitio debiti in se ipso, cum dicit [debita] Quartum est recognitio debiti in debitorum vera causa, cum dicit [nostra] Et primum horum facit fides & charitas in Deum: secundum autem contritio & spes: tertium humilitas & confessio: quartum autem accusatio sui, & propositum satisfaciendi: & ista sunt, quæ exiguntur ad peccati remissionem. Est autem sensus: ô Pater, qui es in cœlis, da decentia, & ne impediamur à decentium consecutione [dimitte debita] Et quia hoc transit ab orationibus ad deprecationes, quæ sunt alterius ordinis & generis: Ideò hic interponitur copula, quod non est factum in aliqua præcedentium petitionum.

Secundum hunc igitur modum primum in his quatuor est, quòd dirigitur petitio ad remittentem. Ad primum quatuor exiguntur, quorum primum est visceroſa, quam Pater habet ad filios charitas, siue pietas: secundum tangens intùs & inclinans misericordia: tertium super malitia præstabilis clementia: quartum autem est penitùs emendans iustitia: hæc enim quatuor in Deo remittunt omne peccatum. Visceroſa quidem charitas inclinat affectum: misericordia mouet, & turbat, & fluere facit benignè ad miserum: clementia deponit rigorem, & inducit præstandi veniam propositum: iustitia autem vt stabilis sit remissio, quandam exigendo emendam perficit peccati purgationem.

De primo *Ose.* 11. Puer erat Israël, & dilexi eum: & de Ægypto vocaui filium meum. Puer enim dicitur, quia puerilia commisit peccata; cùm tamen dilectione Patris ex Ægypti tenebris & mœrore sit vocatus *Deut.* 33. Dilexit populos: omnes Sancti in manu eius sunt. Dilectio enim Sanctos (aliàs Sanctorum) facit esse in manu eius *Ose.* 4. Diligam eos spontaneè: quia auersus est furor meus ab eis. Charitas enim, qua diligit nos sponte, non ex meritis, auertit furorem. *Ierem.* 31. In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miserans. *Ose.* 11. Traham eos in vinculo charitatis. Hoc oculo dilectionis vidit Nathanaëlem, cum adhuc esset sub ficu, hoc est, sub peccati dulcedine, *Ioan.* 1. De secundo dicitur *Lu.* 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos. *Ose.* 11. Conuersum est cor meum in me: pariter conturbata est pœnitudo mea: non faciam furorem meum: non conuertar, vt disperdam Ephraim: quia Deus ego, & non homo: in medio tui sanctus. Q. d. Misericordia mea vincit hominis crudelitatem: & ideò fluo misericordiæ visceribus & benignitatis. *Rom.* 2. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. *Habac.* 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Ierem.* 31. Conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius, ait Dominus, *Lu.* 10. Videns eum misericordia motus est: & appropians alligauit vulnera eius. De tertio remissiuo dicitur *Tone.* 4. Tu Deus clemens & misericors, patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. *Isa.* 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum: & miseribitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est, ad ignoscendum. *Ioel.* 2. Benignus & misericors est patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. De quarto *Psal* 10. Iustus Dominus, & iustitias dilexit; æquitatem vidit vultus eius *Iu* 10. Infundens oleum & vinum; oleum misericordiæ, & vinum alicuius iustitiæ, 2. *Timot.* 2. Ille fidelis permanet: se ipsum negare non potest *Ierem.* 23. Hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. *Hebr.* 12. Quis filius, quem non corripit pater? *Psalm.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. *Iere.* 10. Corripe me, Domine, sed non in furore tuo: ne fortè ad nihilum redigas me. Hæc omnia supponuntur in Patre, ad quem dirigitur oratio. Ex natura enim diligit: proprium habet misereri & parcere, vt dicit *Gregor.* Lex autem clementiæ in lingua eius; vt dicitur, *Prouer. vlt.* Et quia Pater est, per verbera filium erudit, vt dicit *Apost. Hebr.* 12. Sic ad dimittentem orabat Manasses. 2. *Paral. vlt.* dicens: Peto rogans, Domine, remitte mihi, remitte mihi: ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum reserues mala mea: quia indignum saluabis me secundum misericordiam tuam,

Huic

Huic remissiuo ex parte remittentis addit recognitionem debiti ex parte debentis. Et hoc faciunt spes veniæ, & contritio in peccati dolore: sine spe enim non valet cognitio debiti. Bene enim recognouit se esse debitorem Cain, quando dixit; maior est iniquitas mea, quàm vt veniam meream; & tamen non valuit, quia cum desperatione: & ideò est eiectus à facie Dei Patris. *Gen.* 4. Ecce eiicies me hodie à facie terræ: & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus. Similiter quòd recognouit se debitorem sine spe, non valuit Iudæ. *Matt.* 27. cùm dixit: Peccaui tradens sanguinem iustum: & ideò laqueo se suspendit, & crepuit, & diffusa sunt omnia viscera eius, sicut dicitur *Act.* 1. Et causa huius assignatur *Prou.* 18. vbi dicitur: impius cum in profundum venerit, contemnit. Quando enim impius sine spe in profundo vitiorum se esse considerat, de spe veniæ non præsumens, contemnit veniam, & tradit se immunditiæ, nec cogitat de reditu ad Patrem. *Eph.* 4. Quiil desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. *Ierem.* 30. Desperabilis est fractura tua, insanabilis est plaga tua. Ergo in spe veniæ recognoscamus nos debitores: dicentes illud *Matt.* 18. Patientiam habe in me: & omnia reddam tibi. Hoc enim est spei verbum, & compuncti cordis, *Ioel.* 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Conuersio enim est per spem: quia licet eius, qui se recognoscit debitorem, non sit mera conuersio ad iudicem; tamen cum spe veniæ in compunctione delicti tuta, & secura est ei conuersio ad Patrem. Præcipuè si delectabilia, quæ causa peccandi fuerunt: per ieiunium in afflictionem conuertit: & fletu & planctu præterita deplangit, & cordis voluntatem à proposito peccandi scindit, & vestimentum virtutis, ne nudus ambulet per dissolutam conuersationem, de cætero non scindit. In hoc affectu conuersi (aliàs conuersus) ad Patrem dixit *Psal.* 6. Lauabo per singulas noctes, hoc est, peccati tenebras, lectum meum, in quo in peccati mollitie turpiter iacui: lacrymis meis stratum meum rigabo. Vel secundum aliam translationem, natare feci, stratum enim est, vbi prostratus sub dæmonum pedibus cecidit. Sic ergo dimitte [nobis] quoniam nos debitores esse in spe veniæ & dolore debiti recognoscimus. 2. *Reg.* 24. Ego sum, qui peccaui: ego iniquè egi. *Psalm.* 30. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. 2. *Paral. vlt.* Excitaui iram tuam, & malum coram te feci. *Isa.* 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

Sic ergo in spe veniæ dolentibus dimitte nobis [debita] Ecce in vera confessione humilitatis & verecundiæ recognitio debiti. Præsumptuosus enim quamuis recognoscat debitum, tamen non recognoscit se debitorem: eo quòd omnia misericordia Dei condonauerit. Hic autem docet nos Christus recognoscere nos debitores, & recognoscere debitum: diminuentes enim peccata sua cognoscunt se quidem debitores, sed non sufficienter recognoscunt debitum, desperantes & debitores se esse recognoscunt, & debitum, sed non sunt in proposito soluendi: Et ideò fredunt quantum possunt super pignus. Non enim cogitant super anno Iubileo, qui est annus remissionis, quando quilibet solutis & remissis debitis, ad suam reuertitur possessionem. *Le.* 25. Et *Deut.* 25.

Postquam igitur cognoscimus nos debitores in spe remissionis, & affectu compunctionis, expedit, vt supputemus debita. Et dicit [debita] in plurali numero: quia est quadruplex debitum: de nobis scilicet, & de commissis nobis donis, & perpetratis, & de omissis. De nobis, quia serui sumus, & totum esse, posse, & posse, debemus Domino & Patri cælesti, Ad *Philem.* Et te ipsum mihi debes. *Lu.* 17. Cùm omnia feceritis, dicite: serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus. De commissis nobis donis, sive gratuitis sive naturalibus, sive etiam bonis fortunæ, *Mat.* 18. Simile est regnum cœlorum homini, qui posuit rationem seruis suis: & cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat decem millia talenta: dicit enim Grego. Cùm crescunt dona virtutum, etiam crescunt donorum. *Lu.* 16. Quantum debes Domino meo? centum choros tritici. *Matt.* 25. & *Lu.* 19. Tradidit illis bona sua, & dixit: negotiamini, dum venio. De debito de perpetratis, hoc est, perpetratis factis in transgressione mandatorum. *Lu.* 7. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat quingentos, & alius quinquaginta. Vnde *Lu.* 11. dicitur. Dimitte nobis peccata. De debito autem omissionis 4. *Reg.* 4. Ecce venit creditor, vt sollat duos filios meos ad seruiendum sibi. Et *Ibidem* Vende oleum, & redde creditori: tu autem, & filij tui viuite de reliquo. Omnia ista computanda sunt in vera & humili confessione: vera, vt neq; addatur, neq; minuatur; sed sicut se habet veritas, enarretur: Humili, vt sit cum verecundia turpitudinis delicti, ne improperetur ei illud *Isa.* 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt, *Ierem.* 31. Confusus sum & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Et contra de aliis dicitur *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. *Dan.* 9. Tibi Domine, iustitia; nobis autem confusio faciei, sicut est hodie. *Daniel.* 3. Non possumus aperire os, supple, ad exscusandum: quia confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & his, qui colunt te. De vera autem confessione habetur *Ios.* 7. Fili, da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris. *Suprà.* 3. Exibant ad eum confitentes peccata sua. *Psalm.* 31. Dixi: confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. *Isa.* 43. Narra si quid habes, vt iustificeris. *Rom.* 10. Ore confessio fit ad salutem.

Nostra.

Ecce recognitio causæ debitorum: nostri (aliàs nos) enim sumus causa: Et ideò nostra sunt & nobis imputanda. Et notatur in hoc accusatio sui cum emendationis proposito. Non sicut Adam. *Genes.* 3. Qui peccatum retorsit in mulierem, & in Deum, qui mulierem fecit. *Prou.* 18. Iustus prius accusator est sui. *Psalm.* 50. Iniquitatem meam ego cognosco. *Iob.* 13. Peccaui, & verè deliqui: & vt eram dignus, non recepi. Sic dicit Dominus. *Osee.* 13. Perditio tua Israël: ex me auxilium tuum. *Isai.* 64. Facti sumus

mus vt immundus omnes nos: quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ: cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Sic ergo, ô Pater, dimitte nobis debita [nostra] non aliena.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Inducere docet rationem obtinendi, quod petitum est in deprecatione: & in hoc tria notantur: Dimissionis inter nos & Deum Patrem similitudo, cùm dicit [Sicut & nos dimittimus] Dimissionis promptitudo: quia dicit [debitoribus] & non dicit rogantibus. Et debiti, quod debent, certitudo, cum dicit [nostris] Q. d. de quibus certum est, quòd nobis debent, ita quòd nihil habuerunt aduersum nos: quia nos in nullo tenemur eis. Primum astruit Dominus. *Sup.* 5. quando dixit: Estote perfecti sicut & Pater perfectus est, qui solem suum facit oriri &c. Vnde *Lu.* 11. Siquidem & ipsi dimittimus omnibus debentibus nobis *Lu.* 6. Dimittite, & dimittemini. *Coloss.* 3. Estote inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit nobis [debitoribus] Ecce secundum, in quo notatur, quòd gratis & promptè donandum est *Matt.* 5. Esto consentiens aduersario tuo. *Matth.* 18. Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? *Eccl.* 28. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata soluentur: homo homini seruat iram; à Deo quærit medelam [nostris] ad quorum debita nihil credidimus eis: quod vix contingit; tamen hoc est in Sanctis. Sicut Stephanus. *Act.* 23. Ne statuas illis hoc peccatum: quia *Lu.* 7. Pater ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt. Econtra *Isa.* 58. improperatur illis, qui non sunt exauditi, quòd percutiebant pugno impiè, & omnes debitores suos reposcebant.

Et attende, quòd sicut dicit *gla. Chrysostomi.* non intelligitur de debito pecuniæ: Hanc enim iuris ordine possumus repetere; sed de debito eorum, qui in nos peccauerunt. *Rom.* 12. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Sic ergo dimitte nobis debita nostra, sicut & nos &c.

Sed hic quæritur, quia secundum hoc non dimittens debitoribus non potest dicere istam orationem. Ad hoc dicunt quidam quòd potest, & debet dicere in persona Ecclesiæ: potest etiam dici, quòd in parte prima deprecationis duo continentur, quòd scilicet Pater debita dimittat, & quòd sicut ipse dimittit, nobis det gratiam dimittendi: & hoc modo quilibet potest de veritate dicere istam orationem: Dimitte nobis debita nostra &c.

Et ne nos inducas in tentationem.

Hæc est sexta petitio, quæ est de amouendo malo, quod secundum causam inductiuam est præsens, sed reatu & actu est futurum: & quia secundum causam est præsens; ideò petitur amoueri.

Est autem hic quæstio ante (aliàs ad) literam, vtrum Deus inducit aliquem in tentationem.

Videtur autem quòd non: quia sicut dicitur *Iaco.* 1. Deus intentator est malorum; ipse autem neminem tentat. Sed peius est inducere in tentationem, quàm tentare: ergo multò minus Deus Pater aliquem inducit in tentationem. Si autem concedatur hoc, tunc frustrà petitur, ne in tentationem inducamur. Adhuc *Infra* 26. dicit. Orate, vt non intretis in tentationem: & ibi significat, quòd homo per se ipsum intrat in tentationem: qualiter ergo hic videtur significare, quòd Deus inducat in tentationem. Si fortè dicatur, quòd intelligitur de tentatione, qua tentat Deus homines. Contrà: Deus tentat homines, vt inducat eos in experimentum eius, de quo tentat eos, sicut patet per ea, quæ dicta sunt *supra* 4. Ergo frustrà rogatur, ne inducat in tentationem quia malum esset, si exaudiret.

Vlteriùs etiam hic quæritur, quid sit tentare: & quid in tentationem induci: & quid sit intrare in tentationem; & quid sit esse in tentatione: & vtrum hæc sint eadem vel non?

Adhuc autem frustrà videtur fieri ista petitio: quia dicit *Apost.* 1. *Corint.* 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere: ergo nunquam permittit induci in tentationem.

Adhuc videtur esse contra Deum ista petitio; quia *Psalm.* 25. dicit. Proba me, Domine, & tenta me: vre renes meos & cor meum: & vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna. Præterea 2. *Timot.* 2. dicitur, quòd qui certauerit in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit: Ergo bonum est certare.

Responsio. dicendum ad primum, quòd Deus bene ducit aliquem in tentatione; sed neminem inducit in tentationem: in tentatione enim ne (aliàs vt) non seducantur, conducit, & ducit omnes bonos. Sicut dicit *Psal.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. Et sicut dicitur *Dan.* 3. quòd apparuit cum tribus pueris in fornace Babylonis. *Sap.* 10. In fraude circunuenientium illi affuit: & honestum fecit illum. Custodiuit illum ab inimicis, & à seductoribus tutauit illum. Et certamen forte dedit illi, vt vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. Sic ergo ducit & conducit Sanctos in tentatione; sed nullum omnino inducit in tentationem: & ideò cõcedenda est ratio primò inducta. Ad aliud dicendum, quòd hominem intrare in tentationem est malum: & ideò inferiùs iubet orare, vt Deus hoc non permittat: & est concedendum, quòd non loquitur hic de tentatione, qua Deus tentat hominem, vt inducat eum in suipsius experimentum.

Ad id, quod quæritur, quid sit tentare, & quid induci, & quid intrare in tentationem. Dicendum quòd sicut dicit Magister *Hugo de sancto Victore*: Tentare est callide experiri quod dubium est: suggerendo, vel explorando, vel blandiendo, vel violentia quadam impellendo ad illicitum: Inducere autem in tentationem dicitur duobus modis; vel potiùs dicendum, quòd ex duobus constat, vno quidem, quòd tentatus inducatur ad hoc, quod tentatori consentiens, vel non resistens cooperetur: sicut etiam quando aliquis seducitur ab aliquo, dicimus, quòd inductus est ab eo: & sicut dicimus, quòd aliquis inducitur per rationes ad credendum quod ante non credidit.

Aliud

Aliud est, quòd cum tentatio habeat gradus, suggestionem, cogitationem, delectationem, moram in mente, siue occupationem, consensum, voluntatem perfectam, impetum, & operis perfectionem, & huiusmodi, quòd tentatus in his gradibus tentatori cooperetur: vt non modò patiatur in his tentatoris malitiam; sed coagat cum ipso ad illiciti perfectionem. Vnde quando aliquis inducitur in tentationem, tentator præit inuitando, & gradus sternendo: & tentatus quasi illectus sequitur, & inducitur. Intrare autem peius est: quia hoc est per seipsum vltrà (vltrò) per gradus tentationis proficere in peius: & ideò præcipit orare, vt gratia detur, ne intremus; & docet hic orare, ne potestas detur tentatori, ne inducat: quia licet potestas iusta sit, & ordinata, & sic eam Dominus iustè concedere possit; tamen voluntas tentatoris mala est, & sæpe inducendo primo modo seducit, & inducendo secundo modo præcipitat..

Sed secundum hoc melius diceretur: Ne nos permittas in tentationem induci; quàm, ne nos inducas. Et ad hoc dicendum, quòd hoc non: quia prima potestas tentantis Dei est, & iusta, & fit ad probandos bonos, vel ad ostendendos, & conuincendos malos: & ideò sicut dicitur facere, cuius auctoritate fit: ita Pater dicitur inducere in tentationem recta potestate: tentatum autem seduci, vel præcipitari contingit iniqua voluntate tentatoris. Rogandus ergo est Pater, vt quod iustè facere potest, non faciat propter nostram infirmitatem. In tentatione autem esse, est esse in probatione, & in tentatione, vel experimento: & hoc non est malum.

Ad aliud dicendum, quòd Deus quantum de violentia tentatoris non permittit hominem tentari vltra vires, sed sæpe antequam resistant secundum possibilitatem virium, cadunt: eo quòd non vtuntur armis virtutum ad defensionem: & ideò oratio est vtilis & bona, fragilitati nostræ expediens.

Ad aliud dicendum, quòd sicut dicit Augustinus, quòd non docet rogare, ne homo tentetur: quia hoc malum esset; sed potius, ne in tentationem inducamur, sicut habitum est.

His igitur sic habitis, tria sunt consideranda in ista deprecatione: quorum primum est, quod pluraliter loquens dicit: Ne nos: secundum autem de inductu quoad potestatem docentis: & tertium est, quod dicit tentationem & non dicit: in peccatum. Primum attendit communem omnium, quasi sibi commissam et charitatis sollicitudinem: secundum ordinationem Dei [illegible]: tertium tentationis [illegible]. [illegible] autem solicitudo deprehenditur in quatuor: primum est in condolendo tentatis, secundum in portando infirmitates tentationum, tertium in orando pro eis, quasi in tentatione simus pro eis, quartum in tenendo Deum, ne deserat in violentia tentationis.

De primo: quod est condolendo tentatis. 2. *Corinth.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Ideò etiam dicit *Rom.* 12. Idipsum inuicem sentientes, gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. *Ioan.* 16. Mulier cum parit, tristitiam habet; quia venit hora eius. Vnde *Apocalips.* 12. Mulier amicta sole clamat parturiens. Parturit enim cor Sanctorum, quando in tentatione primò filios enititur. *Galat.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. In parturitionibus enim in doloribus est mater, & partus in angustiis. *Isa.* 26. Sicut quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus. A facie tua, Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. *Isa.* 37. Dies tribulationis & angustiæ: correctionis & blasphemiæ dies hæc: quia venerunt filij vsque ad partum: & non est virtus pariendi. Dies enim tribulationis est, quoad cor Sanctorum in matris affectu diligentium: dies angustiæ quoad dolorem tentatorum: dies correctionis quoad intentionem Dei, dantis potestatem tentatori: dies blasphemiæ quoad malam voluntatem tentatoris. Sic veniunt filij ad partum: & inducendo in tentationem quassatur vterus matris, & coarctantur paruuli: & vix aliquando est virtus pariendi. *Psalm.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. Quoad hoc igitur tota simul fraternitatis charitas se tentatis connumerat dicendo [ne nos]

De secundo autem (quod est deportando cum ipsis tentatis infirmitates eorum) dicitur *Ro.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. *Isa.* 53. Vere languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. *Gala.* 6. Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi. *Rom.* 14. Infirmum in fide assumite, & non in disceptationibus cogitationum. *Osee* 11. Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: & nescierunt, quòd curarem eos: quia hoc est Sanctorum, quod etiam nescientibus prosint tentatis, & [illegible] omnis. Hoc igitur modo [illegible] communiter dicunt orantes [ne nos]

Tertium est, quòd in orando pro eis, quasi in tentatione cum ipsis [illegible] debemus: quòd nisi socios eos habeamus consolationis: [illegible] Dei [illegible] *Luc.* [illegible] *Genes.* [illegible] *Ad Philem.* Si autem aliquid tibi nocuit, hoc mihi imputa. *Isa.* 7. [illegible] *Rom.* 9. Optabam ego ipse anathema esse pro fratribus meis. [illegible] [ne nos]

Quartò autem in [illegible] Deum [illegible]

[illegible]

d mittam te, nisi benedixeris mihi. Timuit enim, vt ibidem dicitur, ne veniens pietate accepta Esau tentator percuteret matres cum filiis. *Osc.* 12. In fortitudine sua directus est cum Angelo, præualuit ad Angelum, & confortatus est: Fleuit & rogauit eum. Duobus enim brachiis, vt ait Hieronymus, tenuit eum; fletu scilicet & oratione. Sic ergo iterum instantes pro eis connumeramus nos eis dicentes [Ne nos]

Sequitur [inducas] Hoc est, ô Pater, ne des potestatem tentatori, quam iuste dare potes, inducendi nos in tentationem: & ideò plus est hoc dictum, quàm ne nos permittas induci: quia dans potestatem per aliquem modum inducit, hoc est, ducit intùs. Sed ad hoc intelligendum, oportet scire, quòd sicut cum dicitur: Iste claudicat, duo dicuntur in ambulatione, quæ est claudi gressus: quorum vnum est ambulatio, quæ est virtutis ambulatiuæ: alterum autem est distortio & diuaricatio ambulationis, quæ non causatur à virtute ambulatiua; sed à defectu: qui est curuitas in tibia, vel in crure ambulantis. Ita cum dicitur [inducas] duo dicuntur; ductio per gradus tentationis, & hæc est causata à virtute dantis, & ordinantis potestatem tentatoris: alterum autem est seductio & præcipitatio tentati, quæ non causat nisi iniquam voluntatem tentatoris, & defectum voluntatis tentati. Et horum exemplum in equitatione militis in equo claudo, cuius cespitatio reducitur ad claudicationem in equo. Rectus motus autem, quo perficit viam, reducitur ad regimen militis sicut ad causam. Hoc igitur modo Pater [ne inducas] Quia licet tua sit bona & ordinata potestas; tamen iniqua est tentatoris voluntas & magna nostra infirmitas. Magis enim nobis expedit à tua voluntate in bonis deduci, quàm in tentationibus exerceri, licet gloriosius sit in tentatione exerceri, quàm in bonis virtutum sine tentationibus deduci.

Secundum hunc intellectum potestas tentatoris admonet nos de quatuor: Primum quidem est de patientia subiectionis potestati; secundum de humilitate, quam experimur in nobis: tertium de constantia non cedendi (aliàs credendi) tentatori: quartum est de profectu per exercitium tentationis. De primo huius, hoc est, de patientia in tentatione propter eum, qui dat potestatem *Apocalyps.* 2. Patientiam habens, & sustinuisti multa propter nomen meum, & non defecisti. *Iacob.* 1. Patientia opus perfectum habeat: vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes. *Heb.* 10. Patientia vobis necessaria est: vt voluntatem Dei facientes reportetis repromissiones. *Iac.* 5. Patientes igitur estote & vos; quoniam aduentus Domini appropinquabit: & hic est aduentus consolantis.

De secundo, hoc est, de humilitate: quia in tentationibus nostras experimur infirmitates. *Michea.* 6. Humiliatio tua in medio tui: Et ideò dicitur, quòd tentatio colaphizatio est. 2. *Cor.* 12. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Sic dicitur *Isa.* 2. Quòd oculi sublimes hominis humiliati sunt; & incurvabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus solus in die illa: quia dies Domini super omnem superbum & arrogantem, & humiliabitur. Et *Infra eodem.* Incuruabitur omnis sublimitas hominum: & humiliabitur altitudo virorum: & exaltabitur Dominus solus in die illa. Quicunque enim de se aliquid præsumit, inclinatur per tentationes.

De tertio, hoc est, de constantia perseuerandi, & non cedendi (aliàs credendi) tentatori. *Gala.* 2. Nec ad horam cessimus subiectioni. *Eccls.* 10. Si spiritus pietatem habentis ascenderit super te locum tuum ne dimiseris. *Luc.* 22. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis &c. *Eccl.* 2. Accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. *Mat.* 10 Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

De quarto, hoc est, de profectu, qui per tentationem accipitur ex intentione dantis potestatem tentandi, qui nullo modo daret illam nisi propter profectum tentationis. Vnde 1. *Corinth.* 10 Faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. *Tob.* 12. Quia placuisti Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te, hoc est, probatum te redderet. *Eccl.* 34. Qui non est expertus, qualia scit. *Sap.* 3. Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se. *Rom.* 5. Gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio verò spem: spes autem non confundit. *Iac.* 1. Omne gaudium æstimate, fratres, cum in tentationes varias incideritis. Et *in eadem,* Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Hoc est igitur: Ne nos inducas [in tentationem] Et in hoc vltimo notabile est, quòd non dicit: in peccatum; sed in tentationem: quia licet aliquo modo det potestatem inducendi in tentationem: tamen nullo modo dat potestatem inducendi in peccatum.

Et in tentatione quidem tria vtiliter notantur, primum est tentationis ordo, siue gradus, per quos inducitur, qui inducitur: secundum est tentationis experimentum: tertium est tentationis finis. Primum reuelat hostis vias, secundum hominis tentati vires, tertium est dilectio liberatoris & gratitudo. De primo dicitur 2. *Corinth.* 2. Non enim ignoramus cogitationes eius, hostis videlicet, quæ tamen difficulter cognoscuntur: & ideò dicit Salomon in *Prouer.* 30. Quòd inter ea, quæ sunt incognita sibi, est via colubri supra petram, & petra est frigidum & durum cor tentatorum. *Iob.* 41. Quis reuelabit faciem indumenti eius; in medium oris eius quis intrabit? Portas vultus eius quis aperiet? Quasi diceret, Faciem agnitionis Leuiathan in tentatione, quando multis se velat (aliàs vestit) operimentis, nullus reuelabit, nisi ego tentatus per experimentum tentatoris. Hi enim, qui intrant per tentationes in medium fraudis eius, illi sunt, qui aliis detegendo aperiunt portas vultus cognitionis eius.

De secundo (quod est experimentum virium propriarum) 1. *Corinth.* 10. Qui se æstimat stare, videat, ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Sic expertus fuit Petrus, qui dixit se paratum

in

in carcerem & in mortem ire cum Christo: & postea negauit ad allocutionem puellæ. *Matth.* 26. *Luc.* 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Hoc enim experimentum propriarum virium valet ad cautelam: quòd si infirmus sit, subtrahat se ab occasione tentationum: & si se fortem inuenit esse, meliùs de se præsumens, altiora in Dei obsequio attentat. *Ecclesiastici.* 6. Si possides amicum, in tentatione posside illum, & ne facilè credas ei te ipsum.

De tertio, hoc est, de fine tentationis, qui est liberatio, & per consequens amor & gratitudo liberantis. *Tob.* 3. Hoc pro certo habet omnis, qui colit te: quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: & si in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in corruptione fuerit ad misericordiam tuam venire licebit. *Eccl.* 33. Timenti Deum non occurrit malum; sed in tentatione Deus eum liberabit, & conseruabit à malis. *Eccl.* 44. In tentatione inuentus est fidelis: Ideò iureiurando dedit illi gloriam in gente sua. Quando enim homo experitur tam desideratam liberationem, non potest esse non gratus liberatori, cantans & psallens: Liberasti nos Domine ex affligentibus nos: & eos, qui nos oderunt, confudisti. *Psalm.* 43. Et hæc est causa, quòd petit non tentari, nec in tentatione non conduci, vel reduci; sed potiùs ne inducatur in eam per modum, qui dictus est, suprà. Conductus enim & deductus in ea super aspidem & basiliscum ambulat, & conculcat leonem & draconem: & hoc est gloriosum & bonum. Sic enim Dominus ductus est à spiritu, vt tentaretur à diabolo: & per omnes vias tentatoris & tentationis ingressus est; sed in ipsam tentationem nullo modo est inductus: in quo nobis dedit exemplum, vt sequamur vestigia ejus.

Sed libera nos à malo.

Ecce vltima petitio, quæ est de amotione mali, quod præsens est secundum causam & actum, à quo petitur hîc liberatio. Et est hic dubitatio grauis: quia cum malum fiat omnifariam, vt dicit *Dionysius*: virtus autem vno modo tantùm ex vna tota & sola causa: videtur amplioris diuisionis esse malum quàm bonum: & sic plures petitiones deberent esse de amotione mali, quàm de adeptione boni: & hoc non est: quia quatuor sunt de adeptione boni, & tres tantùm de amotione mali.

Vlteriùs quæritur; quia videtur, quòd ista petitione posita, duæ præcedentes superfluant: quia si perfectè liberamur à malo: & debita sunt dimissa, & in tentationem non inducimur.

Adhuc quæritur vlteriùs, de quo malo intelligitur, cùm dicitur [libera nos à malo] Aut enim intelligitur de malo culpæ, aut de malo pœnæ: si de malo culpæ, contra malum culpæ sufficienter petitur remoueri per duas præcedentes petitiones: quia culpæ malum perpetratum petitur remoueri per primam: & quod est in tentatione futurum, petitur remoueri per secundam: & sic ista non est necessaria. Si autem de malo pœnæ petitio ista intelligitur. Contra: malum pœnæ multum promouet ad beatitudinem: ergo si docet nos petere liberari ab illo, docet nos petere contra nos ipsos. Adhuc Paulus gloriatur in illo malo. 2. *o.* 11. ergo non est petendum amoueri.

Adhuc, hoc facit nobis consortium crucis Christi, & ab illo non debemus petere liberari. Adhuc, impossibile est consequi hanc petitionem, & non complebitur, nisi postquam mortale hoc induerit immortalitatem. Sicut dicit glo, ergo frustrà petitur, vt videtur. Si autem dicatur secundum aliam glo. quòd petitur hic liberatio à malo tentationis, quæ nondum est: tunc hæc petitio non videtur differre à præcedente, nisi tantùm materialiter: quia in præcedente petitur liberatio à tentatione, quæ iam instat: & in ista, liberatio ab ea, quæ nondum est: & illæ non nisi materialem habent differentiam. Si autem aliquis velit dicere secundum *Chrysost.* quòd sic intelligitur petitio, quòd in priori quidem petitur: Ne nos inducat in tentationem; sed quia vix contingit propter infirmitatis humanæ fragilitatem, quòd non inducamur in tentationem: ideò sequitur, quòd si inducamur in tentationem, quòd nec tunc deferat; sed liberet nos à malo, hoc est, ab illius, in quam inducti sumus, tentationis periculo. Sed hoc videtur omninò superfluum: quia non inducimur in tentationem nisi per peccati aliquem actum; & tunc hoc est debitum, quod ante petebamus nobis dimitti: & tunc tota ista petitio est superflua. Si enim dimittitur debitum, liberati sumus à periculo tentationis, in quam sumus inducti.

Responsio, ad hoc dicendum, quòd secundum diuisionem nostram superiùs inductam intelligitur de malo, quod imminet secundum causam & actum: & hoc est malum pœnæ cuiuscunque, secundum quòd est causa imminentis culpæ, præcipuè tale malum est fomes peccati. Sunt autem & aliæ pœnæ secundum quòd sunt causa periculi peccati. Et hoc modo petuntur amoueri: præcipuè à nobis, qui infirmitate depressi, de facili per pœnas labimur in peccatum. *Matth.* 26. Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma.

Ad id ergo, quod primò quæritur de diuisione, dicendum, quòd licet secundum species, & indiuidua malum sit amplioris diuisionis, quàm bonum; tamen secundum genera, bonum est pluris diuisionis, quàm malum. Bonum enim & malum generalissimè sumpta non sunt in genere, sed sunt genera aliorum existentia; sicut dicit Philosophus: quando autem magis contrahitur bonum ad bonum gratiæ, & malum ad id, quod adimit bonum gratiæ: etiam bonum amplioris diuisionis, quàm malum in generalibus suis differentiis; quia bonum variatur ad formam similitudinis diuinæ, & ad perfectionem potestatis, & ad perfectionem operis, & ad bonum conseruans in istis. Malum autem non attingit ipsum nisi ea parte, qua adimit ipsum in perfectione operis: & ideò non est tantæ diuisionis in genere sicut bonum: & ideò etiam pauciores penes ipsum accipiuntur petitiones, sicut patet in diuisione. Malum enim non possumus accipere per similitudinem contrarij ad id, cui assimilatur bonum: quia nullius est similitudo; sed potius priuatio. Non possumus ipsum accipere propter imperfectionem potestatis, cum non sit in actu, & potestatem infirmat: hoc non fit, nisi per

per actum deficientem. Et similiter dicimus de conseruatione.

Ad id, quod vlteriùs quæritur, dicendum, quòd non superfluunt petitiones præcedentes: quia debitum, quod iam est, petitur dimitti in prima; secundum, quòd in causa est, & in actu non est, petitur dimitti in secunda. Pœna autem non secundum quòd pœna: secundum autem quòd est in multis inductiua & causa culpæ, petitur amoueri in tertia. Ad id autem, quod in contrarium obiicitur, dicendum, quòd in veritate pœna multùm promouet: & secundum hoc non petitur liberatio eius; sed potius secundum quòd est inductiua mali culpæ, vel impedimenti eius, quod non est bonum (aliàs quod est bonum) Sic enim fit in (aliàs à) multis, & secundum hoc petitur amoueri.

Ad hoc, quòd dicitur, Paulus in ea gloriatur: dicendum est, quòd dupliciter liberamur à tali pœna, aut enim liberamur in toto à pœna, quæ instat: aut liberamur à periculo, in quod præcipitat, quando contemnimus, & gloriamur in ea: & hoc est perfectorum Sanctorum: sed id, quod ante dictum est, est infirmorum.

Ad hoc autem quod dicitur, quòd in hac vita hoc non consequimur; dicendum, quòd simpliciter quidem & vniuersaliter non consequimur; sed secundum modum in aliqua pœna consequimur: secundum modum autem dico, secundum quem impellit in culpam. In aliqua autem pœna: quia ab hac & illa pœna sæpè liberamur. Dixit tamen *Christianus Beluacensis*, quòd aliquando in ista petitione Ecclesia exauditur: quia ante finem mundi Sancti erunt sine originali: & Christus cum eis corporaliter comedens & bibens: liberi ab omnibus malis per mille annos. Sed iste error ab ipsomet, & à nobis, & ab aliis multis condemnatus est.

Sic igitur intellecta petitione quærimus adhuc, quare dicit [libera nos à malo] & non, salua nos à malo: aut fac nos vincere malum. Et ad hoc dicendum, sicut dicit *Chrysost.* quòd petitiones istæ formantur secundum quòd omnibus congruunt: non omnium autem est in potentia virtutis vincere malum; sed hoc est perfectorum: nec omnino saluamur à malo, quandiu viuimus, sed sufficit vt liberi & immunes simus à mali contagione; & sic intelligitur petitio.

Secundum hunc igitur modum intellecta, dicendum quòd homo liberatur à malo tribus modis propriè, & per tria adiutoria: vnum est à contagione mali, secundum est à mali causa, tertium est à mali defectu. A mali contagione liberatur, qui licet in illo malo sit; tamen malum non relinquit in ipso peccati contagionem: à mali causa liberatur, qui à pœna liberatur, quæ mali est inductiua: à mali defectu liberatur, cui malum instans circa rem & potestatem operandi bonum, nullam notabilem inducit infirmitatem. Et contrariis modis tribus succumbunt malo, illi qui succumbunt.

De prima liberatione dicitur. *Rom.* 6. Exhibete vos Deo tanquam ex mortuis viuentes; & membra vestra arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur, quasi diceretur, licet insit causa peccati; tamen dominari non potest, quandiu estis sub gratia Dei. *Genes.* 4. Subtus te erit appetitus eius, quasi diceret, licet insit causa peccati; ad peccatum non venis, nisi velis: quia Deus dedit tibi libertatem & subter illam libertatem est appetitus peccati: quia aliter peccatum esset necessarium, & non voluntarium.

De secunda liberatione dicitur *Deutero.* 33. Dominus eiiciet à facie tua inimicum tuum, dicetque conterere: hoc enim fit, quando & malum & causa mali tollitur. *Rom. vl.* Dominus conteret satan sub pedibus vestris velociter.

De tertia liberatione dicit *Apostolus.* 2. *Cor.* 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis: vt inhabitet in me virtus Christi; cum enim infirmor, tunc fortior sum & potens. Et est mirabile, quia sicut dicit *Dionysius in Lib. de. Diui no.* Malum est infirmitas modi, & commensurationis, & harmoniæ. Sicut enim videmus, quòd membrum corporis infirmum, est destitutum aliquando in modo speciei, sicut oculus destitutus claritate humoris crystallini: aliquando autem destituitur, in commensuratione partium componentiũ ipsum, vel figuræ continentis ipsum in excessu, vel diminutione totius, vel partium: vel ex hoc, quòd vna alteri non proportionatur: aliquando autem destituitur in harmonia: quòd (aliàs quando) non est habens harmoniam ad visum rectum: & ideò quidam prope, quidam autem longè vident. Ita etiam destituitur bonum animæ: quia aliquando non habet modum suæ speciei secundum virtutem congruum: aliquando autem non habet commensurationem ad (aliàs secundum) actum sibi debitum in partibus animæ: quia affectus non proportionatur bono, sicut intellectus vero, & sic de aliis: aliquando autem non habet harmoniam debitam: & in quibus nihil horum est, & omnia contraria ex pœnis proueniunt: illi sunt perfectè à malo liberi & liberati: & illi sunt verè liberati: & de his dicitur *Idithum.* 5. Conculca anima mea robustos: vngulæ equorum ceciderunt fugientis impetu: & per præceps tuentibus fortissimis hostium. In virtute enim concepta contra malum, conculcantur mala hostium, & vngulæ superbiæ (quibus vestigia infirmitatis imprimere & infigere quærunt bonos) cadunt: fugientibus eis à facie iustorum. *Malach.* 4. Calcabitis impios, cùm fuerint velut cinis sub planta pedum vestrorum.

Tribus autem infirmitatibus destituuntur hi, qui non liberantur: vna est destitutione voluntatis, secunda est pusillanimitatis, tertia autem est diminutione boni naturalis. Voluntatis infirmitas incidit in mali actum, pusillanimitatis nimis deiicit in pœnæ sensum, sed destitutio naturalis boni de peccato facit ruere in peccatum: & sic homo in seruitutem mali deiicitur, qui non liberatur. De prima dicitur *Ieremiæ. decimotertio.* Si potest Æthiops mutare pellem suam, aut pardus varietatem suam: potestis & vos bene facere, cum didiceritis malum? Postquam enim malum longa consuetudine in vsum trahitur, voluntas ad boni (aliàs bonum) actum languens infirmatur. *Thren.* 1. Abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis. *Prou.* 8. Fugit impius nemine persequente. *Psalm.* 13. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

De secunda infirmitate dicitur 2. *Paral. vlt.* Incuruatus sum multo vinculo ferri; & non est respiratio mihi. *Luc.* 13. Hanc filiam Abrahæ incuruauit satanas, ecce decem & octo anni sunt. *Psalm.* 40. Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. De tertia infirmitate dicitur. *Luc.* 10. quòd spoliauerunt illum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto. Iste est filius prodigus, qui abiit in regionem longinquam: ita quòd vix cogitauit de reditu. *Lu.* 15.

Contra hæc sunt tria adiutoria: & contra primum est virtus confortans voluntatem, contra secundum bonum gratiæ perficiens sanitatem, contra tertium, antidotum sacramenti reddens integritatem. De virtute autem confortante voluntatem dicitur *Iosue.* 1. Confortare, & esto robustus. *Iob.* 4. Manus lassas roborasti, & genua debilia roborasti: vacillantes confirmauerunt sermones tui. *Iudith.* 13. Confirma me, Domine Deus Israël, & respice in hac hora ad opera manuum mearum. *Psal.* 67. Confirma hoc, Deus: quod operatus es in nobis. De secundo, hoc est, de bono gratiæ, quod perficit sanitatem, *Iere.* 17. Sana me Domine, & sanabor. *Psal.* 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. *Eccl.* 38. Vnguentarius facit pigmenta sanitatis, & vnctiones conficiet sanitatis. De tertio, hoc est, de reintegratione *Iac.* 1. Sitis perfecti & integri, & in nullo deficientes. 1. *Thes.* 5. Vt integer spiritus vester, & anima, & corpus seruetur in aduentu Domini nostri IESV CHRISTI. *Act.* 3. Fides, quæ per Christum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Sic ergo liberamur à malo; hoc est, liberi efficimur à malo nos detinente & instigante ad malum.

Huic autem orationi subiungitur,

Amen.

Quod est, verè, vel fideliter, vel verum fiat, Quia pro certo quicunque hanc orationem in eo modo, quo exposita est, dixerit: quicquid petierit, impetrabit. *Matth.* 18. & *Mar.* 11. Amen dico vobis, quicquid orantes petitis: credite, quia accipietis, & fiet vobis, vel in ipso petito, vel in alio, quod vobis melius est: quia nescimus quid melius sit nobis: sed ipse Pater prouidet nobis, & dat nobis id, quod magis expedit.

Dicitur tamen, quòd quatuor exiguntur ad hoc, quòd oratio exaudiatur: quòd fiat pro se, piè, & perseueranter, & ad salutem. Pro se; quia licet vnus possit alij mereri primam gratiam, sicut Stephanus dicitur impetrasse primam gratiam Paulo; tamen sæpe non auditur orans pro alio; eo quòd peccata alterius impediunt orationem, sicut 1. *Reg.* 16. Quousque tu luges Saul, cùm ego abiecerim eum. *Iere.* 11. Noli orare pro populo isto, & ne assumas pro eis laudem & orationem: quia non exaudiam te. *Iere.* 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc, & non assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi: quia non exaudiam te.

Piè etiam orandum est, si exaudiri debeat. *Ioan.* 9. Scimus quoniam peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit: *Amos* 5. Aufer à me tumultum carminum tuorum; & cantica lyræ tuæ non audiam. *Isa.* 1. Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. *Threnorum.* 3. Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.

Perseueranter etiam debet petere, vnde *Luc.* 11. Si perseuerauerit pulsans, dico vobis, etsi non surget, eo quòd amicus eius sit: propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios. *Iacob.* 5. Multùm valet deprecatio Iusti assidua. *Luc.* 2. Quæ non discedebat à templo ieiuniis & obsecrationibus seruiens die ac nocte. 1. *Tim.* 5. Speret in Domino, & instet obsecrationibus & orationibus die ac nocte.

De eo autem, quod debet esse ad salutem. 2. *Corinth.* 12. Ter Dominum rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi Dominus: sufficit tibi gratia mea: quia enim non petiit ad salutem, non fuit exauditus. 3. *Reg.* 19. Obsecro, Domine, tolle animam meam; orauit Elias, & non fuit exauditus. Similiter *Ionæ.* 4. Tolle, quæso, animam meam à me: quia melior est mihi mors, quàm vita. Et multa alia talia sunt in sacra Scriptura. Quando autem est ad salutem, semper exaudit Deus suos. *Heb.* 5. In omnibus exauditus est pro sui reuerentia: hoc enim dictum est de Christo gratia membrorum: quia pro se exorare non indiguit. Hoc igitur est, quòd dicit [Amen] Quia si ita fiat oratio, semper exauditur à Patre, qui est in cœlis.

Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra.

Ecce ponit hîc conditionem ad vnam de septem petitionibus: & hæc est prima inter eas, quibus petitur amotio mali. Causa autem huius est, quæ accipitur ex præcedentibus secundum *Chrysostomum.* Quia *Sap.* 6. dicitur, Quòd pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus: & ideò Patri nostro cœlesti æqualiter omnes sumus coniuncti, & vnum audit sicut alium: & ideò non potest vnum audire, contra quem clamat alius. Vnde *Iacob.* 5. Clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit. *Psalm.* 98. Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos. Alia ratio est huiusquia taliter orans non est similis Patri cœlesti, sicut dictum est superiùs.

Diuiditur autem hæc pars in duas partes; ita quòd in prima ponit conditionem affirmantem; & in secunda, negantem *Ibi.* [Si autem non dimiseritis] In primo horum duo sunt paragraphi, in quorum primo tangit quatuor, quorum primum est dimissio: secundum autem est infirmitas inclinans ad dimissionem ex parte eius, cui dimittitur, cum dicit [hominibus] ab humo dictis & infirmis: tertium est, quid dimittitur, quia [peccata] Nec vnum, nec duo; sed quotquot in nos peccauerint, & ideò numerum non determinat: quartum est culpabilitas eorum, quibus remittendum est, cùm dicit [eorum] Quasi diceret. Quantumcunque sint culpabiles: quia eorum sunt peccata, quæ nullo merito vos fieri procurastis. In secundo paragrapho etiam quatuor tangit, remissiuum, videlicet ex parte remittentis

nobis, cùm dicit [Pater vester cælestis] Secundum est remisso perfecta, cum dicit [dimittet] tertium est infirmitas nostra, quæ inclinat, vt faciliùs remittatur, cùm dicit [vobis] Quartum & vltimum est accusabilitas, & generalitas, cùm dicit.

Dicit igitur [Si enim dimiseritis] Videtur autem inconueniens quod dicit: quia factum Dei non debet dependere à facto hominis: & ideò factum Dei debet præcedere factum hominis, & esse antecedens ad ipsum. Adhuc homo non potest dimittere, nisi Deus det gratiam dimittendi: quid est ergo, quòd dicit: Si enim dimiseritis? Et dicendum ad hoc, quòd factum Dei non dependet à facto hominis; sed homo bene ponit obicem Deo, ne operetur circa ipsum: & hoc notat, cum dicit [Si enim dimiseritis] Si enim odium deponit: tunc Deus obicem non inuenit, & tunc dimittit. Et ad aliud, dicendum, quòd gratia nobis nunquam deest ex pietate Patris cœlestis; sed nos aliquando ex iniquitate propria desumus gratiæ, sicut dicitur. *Heb.* 12. Videte, ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

Hominibus.

Ecce secundum primi paragraphi & est sensus [Hominibus] qui ex humo infirmi sunt, & de facili prouocabiles ad offendendum: & ideò faciliùs est eis ignoscendum. *Iob.* 13. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam: & stipulam siccam persequeris: scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. 1. *Cor.* 3. Cum sit inter vos zelus & contentio: nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?

Peccata.

Quæ facta sunt in vos. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me [eorum] hoc est, quorum ipsi causa sunt, etiam si nihil nos meruimus mali apud ipsos.

Dimittet & vobis.

Hoc patet per ante dicta: quia si dimittamus, assimilamur Patri cœlesti: & tunc operatio indulgentiæ suæ locum habet circa nos.

Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Iste est secundus paragraphus per oppositum prioris: & planus est tam ad diuidendum quàm exponendum. *Mat.* 18. Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Hæc igitur dicta sunt de oratione & conditione, quæ additur à Domino.

Cum autem ieiunatis.

Executis duabus partibus iustitiæ: eleemosyna videlicet & oratione, tangit hic de tertio, hoc est, de ieiunio, per quod fit iustitia de corpore: & habet hæc pars duos paragraphos, in quorũ primo malũ modum ieiunij excludit: & in secundo includit bonum *Ibi.* [Tu autem cum ieiunas] In primo horum paragraphorum tria continentur, quorum primũ est mali modi circa ieiunium inhibitio: secundum autem mali modi descriptio: tertium autem inutilitatis in tali ieiunio confirmatio: & hæc patent in litera. In primo horum duo continentur, quorum primum est ieiunij suppositio: secundum autem mali modi circa ieiunium suppositum exclusio.

De primo dicit [Cũ ieiunatis] Et in hoc notantur tria, quorum vnum, quòd non semper ieiunatur: & hoc notatur innuendo distinctionem temporis, cũ dicit [Cum] Q. d. non semper ieiunatis, quia nõ potestis, quia nimis exsiccaretur corpus per abstinẽtiam tam temporis quàm etiam qualitate nutrientium; sed quando ieiunatis, cuitate malum modũ. Secundò innuit ieiunium nobis debere esse voluntarium: illa enim dicimur facere, quorum per liberam voluntatem Domini sumus: & hoc innuit per subintellectum suppositum verbi: tertium autem est ipsum ieiunium, quod per rem verbi intelligitur.

De primo horum nota, quòd præceptum de ieiunio est præceptum affirmatiuum: & ideò non ad semper obligat; sed ad quædam tempora ab Ecclesia determinata. *Zac.* 8. Ieiunium quarti, & ieiuniũ quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iudæ in gaudium, & in lætitiam, & in solẽnitates præclaras. Ista autem diuisio temporis ieiunij fit ideò; quia intentio Dei & Ecclesiæ est, non vt ieiunio extinguatur natura, siue calor naturalis, sine quo non est vita; sed vt dometur pestis libidinis: & ideò præcipit abstineri à facientibus libidinem, sicut à carne, & his, quæ vicina sunt carni, quę sunt oua; quia cõuertibilia sunt in carnẽ. Et ab his, quæ eliquata sunt ex sanguine bene digesto animalium, sicut est lac & lacticinia: & permittit nutriri his, quæ sunt remotiora à carne. Sicut seminibus & his, quæ fiunt ex semine. Et licet concedat vinum, quod cãlidum est; tamen hoc est magis potus quàm cibus: & ideò cum miscetur frigidis, quibus tempore ieiunij reficimur, est temperatus calor & in hoc condescenditur homini, ne nimis infrigideturPisces autem, qui conceduntursunt frigidi & viscosi, & non libidinem accendentes. *Dan.* 10. Trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedi: & caro & vinum non introierunt in os meum. Licet autem species concedantur: hoc fit ad dissolutionem viscositatis & subtiliationis ciborum: quia aliter morbos graues, & humores graues ex melancholico sanguine generarent: & ideò etiam tales species magis sunt medicina quàm cibus. Hoc igitur dictum sit de tempore.

Tempus autem duplici consideratione determinat Ecclesia; generalis scilicet Quadragesimæ, in quo (aliàs quà) est anni decima, accipiens formam à Christo & Moyse & Elia, sicut in superhabitis dictum est: & ponit hoc tempus in principio veris, quando humores humore hyemis multiplicati, & frigore hyemis repressi, calore veris fluere incipiũt in humore inuari. Tunc enim humores libidinem magis nati sunt facere & morbos: & tunc congruit & naturæ & gratiæ corpora deficcari per longum ieiunium & macerariuum. Alia consideratio est generalis Ecclesiæ secundum quartas anni: quia tunc secundum quartas anni etiam mouentur humores, & moti indocunt libidinem. Et quia tunc particulariter mouentur, per parua ieiunia: obuiat Ecclesia ieiuniis quatuor temporum. Vnde *Leu.* 16. dicitur de talibus ieiuniis. Affligetis animas vestras, & *Leuit.* 24. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit, peribit de populis suis. Hoc igitur dictum sit de tempo-

tibus ieiuniorum. Alia enim ieiunia diuersis de causis particularibus fiunt: & à diuersis diuersimodè obseruantur.

Debet autem ieiunium nobis esse voluntarium, sicut dicit *Psalm.* 24. Humiliabam in ieiunio animam meam. 1. *Esdræ.* 8. Ieiunauimus, & rogauimus Deum; & euenit nobis prosperè. *Esther.* 4. Ego ieiunabo: & tunc ingrediar ad Regem.

Tertium est ipsum ieiunium, quod est maceratio carnis ex duobus, scilicet, ex tempore, & qualitate ciborum. Ex tempore, quia cum suprà dictum sit, quòd tempus comestionis est in sexta, protrahitur ieiunij tempore vsque ad nonam, & tunc corpus exsiccatur. Ex qualitate autem ciborum, sicut paulò ante diximus: vnde *Actor.* 10. dicit Cornelius. Ieiunans eram orans hora nona in domo mea. *Psalm.* 108. Infirmata sunt genua mea à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum, hoc est, pinguedinem amissam ex maceratione. Hoc est ergo quod dicit [Cum autem ieiunatis] Sequitur

Nolite fieri sicut Hypocritæ tristes.

In ista mali modi inhibitione tangit tria, primũ est inhibitio eius, quod in nobis est, cum dicit [Nolite] Hoc est: voluntas sit contrarij, etiamsi tristitia sit ex maceratione. Secundum est id quod prohibet, hoc est [fieri tristes] Tertium est malus modus, dicendo [sicut hypocritæ] Non enim voluntariè talia nobis signa procurare debemus: licet enim necesse sit hominem destitui in maceratione longa ieiunij: tamen voluntas non debet esse huius, sed potiùs gaudium de obsequio Dei 2. *Cor.* 6. Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in ieiuniis multis. Ministerium enim Dei debet esse voluntarium, & non tristitia afflictionis. *Isa.* 58. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi per diem affligere hominem animam suam, & contorquere quasi circulum caput?

Fieri tristes.

Ecce secundum: & est aliud esse tristes, & aliud fieri tristes. Necesse est enim per longum ieiunium esse tristem: quia hoc est consequens naturæ destitutionem: fieri autem tristes, est effectus eius, quod est, nos facere tristes per impositures, cum non simus: quia quod fit, non est, vt dicit Aristo. Et hoc est, quando nobis facimus signa tristitiæ: cum tamen ex natura per ieiunium destituta non habeamus. *Eccl.* 12. Et si humiliatus vadat curuus: adiice animum tuum, & custodi te ab illo.

Sicut hypocritæ.

Ecce tertium, in quo remouet malam formam hypocritarum: hypocrisis enim semper mendax est, & aliud simulat, & aliud est. *Prou.* 12. Simulator ore, hoc est; vultu, decipit amicum suum; iusti autem liberabuntur scientiã: scientia enim est conscientia bene conuersans.

Exterminant enim facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes.

Hic describit modum hypocritarum, qualiter se faciunt tristes: & dicit duo primum est qualiter se tristes efficiunt: secundum est, quare hoc faciunt. De primo dicit [Exterminant enim facies suas] hoc est, extra terminos coloris & consistentiæ naturalis faciunt, & ponunt per impositures quasdam. *Iob.* 8. Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium, qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit. Hypocrita enim est in flore non destitutæ naturæ in occulto, nec carpitur manu asperæ pœnitentiæ, sicut alij virores Sanctorum, qui per herbas significantur: & tamen simulata pœnitentia arescit. *Psalm.* 128. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit. Tectorum enim est, quia longè & in propatulo volunt videri.

Vt pareant.

Ecce quare faciunt, vt pareant, hoc est, appareant [hominibus ieiunantes] Bene dicit [hominibus] quia de Deo non curant: nec ille facie decipi potest, sicut homines. 1. *Reg.* 16. Homo videt ea, quæ sunt foris; Deus autem intuetur cor. *Infra* 7. Veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.

Amen dico vobis: receperunt mercedem suam.

Hic tangitur per confirmationem assertio vacuæ mercedis: vnde præmittit assertionem in confirmatione, cùm dicit [Amen] & in dicto veritatis, cum dicit [dico vobis] Et subdit vacuitatem mercedis, cum dicit [receperunt mercedem] quia laudem quærebant: ideò laudantibus hominibus, mercedem habuerunt, quam voluerunt. Et dicit [suam] Quia adhuc expectabunt mercedem iustitiæ vindicantis, quam non voluerunt. *Sap.* 2. Non speruerunt mercedem iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum.

Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.

Ecce secundus paragraphus, in quo exclusa forma mala includit formam debitam ieiunij; & dicit tria: primum est quod pertinet ad abiconsionem coram hominibus: secundum est quod facit placere Patri spiritus, & in occultis: tertium est de remuneratione mercedis; & hæc patent in litera. In primo horum dicit tria: primò enim supponit ieiunium debito tempore debere fieri: secundò, ponit occultantia ieiunium; & tertiò, subiungit causam.

Quod autem ieiunium debet fieri, innuitur, cum dicit [Tu] in quo notat debere esse voluntarium, non sicut Simon crucem portauit in angaria, sicut ieiunant tria genera hominum, scilicet, repleti, ne suffocentur; auari, vt ditentur; hypocritæ, vt laudentur, quia aliter non laudantur: & illi per deuotionem non sunt causa sui ieiunij: nec ieiunant Deo. *Zach.* 7. Cum ieiunaretis & plangeretis in quinto & septimo mense per hos septuaginta annos, nunquid ieiunium ieiunastis mihi? Q. d. Non, sed vobismetipsis. Et cum comedistis & bibistis, nunquid non vobismetipsis comedistis & bibistis? Q. d. Sic, & non mihi: quia non comedistis & bibistis, vt fortiores essetis in obsequio meo; sed potiùs, vt ali-

quid vobis inde commodi, vel laudis proueniret. Propter medicinam enim abstinens vult consequi sanitatem: quia dicit *Eccl.* 31. Vigilia & tortura & cholera viro infrunito: somnus sanitatis in homine parco. Dormiet vsque mane: & anima illius cum ipso delectabitur *Eccl.* 37. Noli auidus esse in omni epulatione & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad cholerum. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adiiciet vitam. Hoc quidem ieiunium est bonum, sed non est satisfactiuum, quamuis sit virtutis actus aliquando: quæ (aliàs qui) medium considerat quoad sufficiens naturæ, Ieiunium autem auari est, vt plus habeat: quia de bonis suis non audet saturari. *Eccles.* 6. Aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines: Vir, cui dedit Deus diuitias & substantiam & honorem: & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo; sed homo extraneus vorabit illud, hoc est vanitas & magna miseria. Hypocrisis autem mendax necessitatem habet iuppositionis: quia nisi ieiunet, non habebit laudem, quam intendit, sicut dixit Pharisæus *Lu.* 18 Ieiuno bis in Sabbato. Egens etiam ieiunat ex necessitate: quia non habet 1. *Cor.* 11. Alius quidem esurit; alius autem ebrius est. De his ieiuniis est versus,

Ieiunat iustus, medicus, simulator, auarus,
Vel sic
Abstinet eger egens, cupidus, gula, simia, virtus.

De his omnibus dicitur simul *Isa.* 58. Quare ieiunauimus & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ad hæc ergo excludenda dicit. [Tu autem] Distinctionem autem temporum ieiuniorum tangit, cum dicit [cum] Et dictum est suprà, quæ tempora conueniunt ieiunio afflictiuo generaliter, speciali autem ieiunio conueniunt duo tempora emergentia, licet plura sunt numero: aliquando enim emergit necessitas tribulationis: & tunc vt faciliùs impetretur venia, indicitur ieiunium. *Ioël.* 2. Sanctificate ieiunium, vocate cætum, & congregate populum. *Ione.* 3. Homines & iumenta, boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament in fortitudine ad Dominum. Aliquando autem est emergens causa lætitiæ spiritus, lætitia omninò abstrahente à carne: & tunc iterum indicitur ieiunium, in signum quòd tale gaudium facit obliuisci corporaliter delectantium, & vt spiritus à suo gaudio per delectabilia corporis non abstrahatur, sicut est ieiunium, quod indicit Ecclesia in septimana Pentecostes in aduentu Spiritus sancti, in quo alleluia cantatur, & nihil omnino luctus est, nisi lugeatur in desiderio cælestis patriæ, in qua gaudium spiritus est plenum & per consequens pro incolatu miseriæ, per quem retrahimur à gaudio illo: & de illo dicitur *Matt.* 9. *Marci* & *Lu.* 5. Non possunt filij sponsi ieiunare, quamdiu cum illis est sponsus supple secundum (aliàs per) præsentiam corporalem: venient autem dies, quòd auferetur ab illis sponsus: & tunc ieiunabunt, quando scilicet vinum nouum, gaudium sancti Spiritus mittetur in vtres nouos, confortatos & innouatos per Spiritum, qui *Apocal.* 21. sedens in throno dicit: Ecce noua facio omnia: Tunc enim, vt dicit Greg. Gustato spiritu desipit omnis caro & carnalis delectatio. Sic ergo dicit [Tu autem cum ieiunas]

Tertium autem, quod in verbo dicitur, est res verbi, cum dicitur [ieiunas] Et licet superiùs dixerimus de qualitate ciborum sumendorum in ieiunio: tamen adhuc notandum est: quòd sicut dicunt Philosophi, tria sunt facientia libidinem, calor faciens, & humidum materiam subministrans, & ventosum membra extendens: legumina autem ventosa sunt, ita quòd *Auicenna* dicit, quòd faba tenet ventositatem vsque ad tertiam digestionem. Et *Constantinus*, quòd hordei potus prouocat libidinem ex ventositate. Tamen licet ita sint ventosa: fuerunt tamen semper cibus ieiunantium: quia ventositatem illam habent, antequam carni socientur & vniantur, & ideò transitoria est: sed illa, quæ calida & humida adduntur carni, faciunt libidinem permanentem: & ideò illa vitari præcipiuntur. *Daniel.* 1. Tenta nos obsecro seruos tuos per decem dies, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum. Et ita dabat eis legumina. Pueris autem his dedit sapientiam, disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Licet autem biberint aquam hi pueri; tamen hoc non potest trahere in consequentiam nostra fragilitas; sed potiùs nobis conceditur vinum propter fomentum caloris naturalis. Hoc igitur modo dicit [Tu autem cum ieiunas,

Deinde subiungit ea, per quæ ieiunium occultatur: & sunt duo, vnctio capitis, cùm dicit [vnge caput tuum] & lotura vultus, cùm dicit [faciem tuam laua.] Et sicut dicit *Chrysostomus*: Ridiculum est, vt ista ad literam accipiantur: quia licet moris fuerit Palestinis multis vti vnguentis & odoribus; tamen hoc non erat apud alias gentes: Euangelium autem generalis est doctrina omnium gentium: & ideò per vnctionem capitis omne exhilarans accipitur: per loturam autem faciei accipitur omnis depositio sordium. Vnde *Glo.* dicit. Faciem laua à luctuosis sordibus, in quibus etiam iactantia est, & magis sub specie religionis decipit: vnde prohibet, quòd quidam cinerem in capite sparserunt, & cinerem sibi substrauerunt, vt luctum ieiunij ostentarent. Hoc enim antiqui tempore tristitiæ & afflictionis suæ fecerunt, sicut dicitur *Iob* 2. Et quod illi laudabiliter fecerunt, postea hypocritæ in venatione laudis alias sibi personas alligantes assumpserunt. Dicamus igitur, quòd oleum nitore, quem confert, spirituale significat gaudium, & iucunditatem, quibus abstrahitur animus, ne sentiat corporis in ieiunio rationabili afflictionem, sicut dicit *Psal.* 44. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Eccl.* 31. In omni dato fac hilarem vultum tuum: in exultatione sanctifica decimas tuas. *Prouer.* 27. Vnguentis & variis odoribus delectatur cor. Et hac delectatione abstrahitur, ne inclinet vultum ad tristitiam.

Et faciem tuam laua] *Eccles.* 9. Omni tempore sint vestimenta tua candida: & oleum de tuo capite non desiciat. *Gene.* 41. Lota facie continuit se Ioseph, ne tristis esse videretur. De omnibus his simul dicitur *Isai.* 61. Vt ponerem consolationem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium

lium laudis pro spiritu mœroris.

[Ne videaris hominibus] Ecce tertium, vbi ponitur finis, siue causa finalis eorum, quæ dicta sunt: videri enim hominibus vanum est. *Sap.* 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; hoc est, quòd solum sciant & approbent, Deum. *Apost.* 1. *Cor.* 4. Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer: aut ab humano die.

Sed Patri tuo, qui est in abscondito.

Hoc est secundum, quod diuiditur contra præcedens totum: & hoc est studium, quòd placeas Patri spirituali in occultis: & tangit duo affectum Patris, & veritatem spiritualitatis. Affectum quando dicit [Sed Patri tuo] qui tibi dulcis est: & ideò placet ei, quod aliquo modo placere poterit. *Prou.* 3. Quasi Pater in filio complacet sibi [qui est in abscondito] hoc est in conscientia: & hæc est spiritualis: quia nihil illabitur conscientiæ nisi Pater cœlestis. *Isa.* 45. Verè tu es Deus absconditus 1. *Pe.* 3. Qui absconditus est homo cordis in incorruptibilitate quietis (aliàs quieti) & modesti spiritus, qui est in conspectu Domini locuples.

Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Ecce tertium, in quo dicit tria, affectum Patris, beneplacitum videntis & approbantis, & iustitiæ æquitatem retribuentis. Primum notat, cùm dicit [Et Pater tuus] Secundum notat, cùm dicit [qui videt] hoc est, visionem approbat [in abscondito] Quia placet ei cordis secretum in intentione, qua sibi soli placere desideramus. *Psalm* 7. Scrutans corda & renes Deus. *Iere.* 17. Ego Dominus scrutans cor & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam & iuxta fructum adinuentionum suarum [reddet tibi] Ecce iustitiæ retributio. *Apoc.* 2. Sciant omnes Ecclesiæ: quia ego sum scrutans renes & corda: qui do vnicuique iuxta opera sua.

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur; & vbi fures effodiunt & furantur.

Postquam Dominus docuit verum finem iustitiæ specialis per partes suas, quæ est iustitia satisfaciens, consequenter hic docet finem iustitiæ generalis in omni facto bono, qui reponitur in cœlo tanquam in Domini gazophylacio: & tangit circa hoc duo, exclusionem videlicet mali finis & inclusionem boni *Ibi* [Thesaurizate vobis] In priori horum dicit duo, prohibitionem scilicet thesaurizandi in terra, & rationem prohibitionis *Ibi* [Vbi ærugo & tinea]

In priori horum quinque continentur: primum est prohibitio eius, quòd maximè in nobis est, ne possimus nos excusare, cùm dicit [Nolite] hoc est, velitis non thesaurizare: voluntas enim in verbo manet affirmata, & negatur volitum: & hoc facit Deus, vt ipse cor habeat 1. *Paral.* 22. Præbete corda vestra & animas vestras: vt quæratis Dominum Deum vestrum. *Prou.* 23. Præbe, fili, cor tuum mihi: & oculi tui videant vias meas, & custodiant. Secundum est accumulatio diuitiarum, cùm dicit [thesaurizare] *Eccl.* 5. Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris mihi, sufficiens est vita: Nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis [vobis] Ecce tertium ad vtilitatem vestram: Sanctis enim, & nobis possumus aliqua thesaurizare, sicut fecerunt Sixtus & Laurentius 2. *Cor.* 12 Non debent filij parentibus thesaurizare; sed parentes filiis: ego autem libentissimè impendam: & superimpendar ego ipse pro animabus vestris [thesauros] Quartum est congregatio pretiosorum & incorruptibilium [in terra] hoc est, qui est locus non tutus, vbi totum perditur, quod impenditur. *Baruch.* 3. Vbi sunt Principes gentium, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines: & non est finis acquisitionis eorum? qui argentum fabricant & soliciti sunt: & non est inuentio operum illorum? exterminati sunt & ad inferos descenderunt, & alij in locum eorum surrexerunt. Omne enim, quòd in terra thesaurizatur, perditur. *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Et subiungit huius prohibitionis rationem *Ibi* [Vbi ærugo]

Attende autem, quòd aliud vocatur terrenus thesaurus, & aliud annui redditus: scitur enim, quòd annui redditus deuoluuntur ad hæredes; Sed thesaurus ad hoc accumulatur, vt homo in se sibi ex eo sufficiat: & ille thesaurus non potest esse nisi aut de metallis, aut de pannis & vestibus, aut lapidibus pretiosis: & si est de metallis, consumitur ærugine, quia ærugo dicitur æris rubigo; si autem est de pannis, consumitur tinea: Si autem de lapidibus, suffoditur, & à furibus tollitur; & sic dicit *Theophrastus*: Non tutè possidetur, cui ab omnibus insidiatur. Vel dicamus secundum *Chrysost.* Quòd omnes diuitiæ congregatæ thesaurus dicuntur: & illæ triplici subiacent obnoxietati: aut enim de ipso thesauro consumptio nascitur, aut non de ipso, sed aliunde: si de ipso, hoc contingit dupliciter; aut enim est ex ipsius rei thesaurizatæ destitutione simplici; aut de destitutione simul & generatione consumentis ipsum. Et primò consumitur per æruginem: quia ærugo non est materia alicuius generationis propter amaritudinem sulphuris & frigiditatem argenti viui: ex quorum destitutione fit ærugo; alia autem molliora sic corrumpuntur, quòd ex alteratione generantur vermiculi, qui consumunt residuum. Quæcumque alia sunt maiorum patent auaritiæ. Et suffossio furum vocatur quæcumque alienatio rei, quæ fit fraude, vel rapina, vel furto, vel quocumque alio modo perditionis eorum. De duobus primis *Iac.* 5. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, vestimenta vestra à tineis comesta sunt, aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis. *Prou.* 10 Non proderunt thesauri impietatis. Iustitia verò liberabit à morte. *Psal.* 38. Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.

Thesaurizate ergo vobis thesauros in cœlo, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur: & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est

est & cor tuum.

Tria dicit in hac parte : ponit enim admonitionem, vt in cælo thesaurizemus : & ostendit ibi reconditi thesauri securitatem : & tertiò omnium dictorum assignat rationem. Circa primum tangit tria : thesauri accumulationem, cum dicit [Thesaurizate] Thesauri vtilitatem, cum dicit. [vobis] Thesauri locationem, siue securitatem. Cum dicit [in cœlo]

De primo dicit [Thesaurizate autem] per gratiæ & meritorum accumulationem 2. *Cor.* 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas non sit ex nobis ; sed ex virtute Dei. *Iob* 3. Cum his, qui possident aurum, & replent domos suas argento. *Psalm.* 118. Bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti.

[Vobis] hoc est, ad vtilitatem vestram, *Deut.* 33. Inundationes maris quasi lac sugent thesauros occultissimos arenarum. Thesauri enim illi sunt, qui de temporalibus & de fluctibus huius sæculi congregantur [in cœlo] *Gen.* 43. Deus vester & Deus Patris vestri dedit vobis thesauros in sacculis vestris.

[Thesauros in cœlo] Ecce locus securitatis : & hic est thesaurus sapientiæ. *Eccl.* 1. In thesauris sapientiæ, & intellectus, & scientiæ religiositas. Dicitur autem thesaurus sapientiæ, qui per saporem æternorum congregatus est in cælestibus. *Sap.* 7. Sapientia infinitus thesaurus est hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei. Et de hoc dicitur *Prou.* 21. Thesaurus desiderabilis & oleum in habitaculo iusti : habitaculum iusti est cœlum. Sic thesaurizare docuit *Apostolus* 1. *Timoth. vlt.* Præcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere, nec sperare, in incerto diuitiarum : sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futuro, vt apprehendant vitam æternam.

[Vbi neque ærugo] Ecce ratio securitatis. Et exponenda sunt ista sicut priùs. 1. *Pe.* 1. Regenerauit nos in spem viuam, in hæreditatem incorruptibilem & immarcessibilem & incontaminatam conseruatam in cœlis. *Matt.* 12. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Ibi enim non erit ærugo rearus peccati, neque tinea vermis conscientiæ, neque fures dæmones. Et horum contraria erunt in inferno. *Eccl.* 14. Omne opus corruptibile in fine deficiet : & qui operatur illud, ibit cum ipso. *Iob* 13. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea. *Osea.* 7. Fur ingressus est spolians, latrunculus foris. *Matt.* 24. Si sciret pater familias, qua hora fur veniret vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Effoditur autem homo per occultam suggestionem. Et furantur dæmones per concupiscentias homines, ne damnum aduertant, soporantes.

[Vbi enim est thesaurus] &c. Ratio est omnium præcedentium : quia vbi posuit homo labores longos & expensas, ibi fixum est cor eius, & non de facili vult amittere. Vnde qui multa habet in cœlo, non de facili perdit, quod ibi diu reposuit. *Iob* 3. Quasi effodientes thesaurum gaudent vehementer, cum inuenerint sepulchrum. 2. *Timo.* 1. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Hoc est ergo, quod dicit.

Lucerna tui corporis est oculus tuus.

Post opera iustitiæ, ad quæ exigitur intentio recta, de qua docuit quò intendere & pergere debet, quia in cœlum : docet hic in vltimo isto capitulo simplicitatem intentionis : ne vna pars eius tendat in cœlum, & altera in mundum. Ideò enim Dominus ascendit in cœlum, vt illuc, vbi est ipse, nostræ mentis intentio semper intendat : & quò fide pergit, conuersatione perueniat. Dicit autem hic tria : primò enim tangit intentionis proprium vsum : secundò tangit intentionis diuisionem penes malum & bonum adiungendo vtriusque proprium consequens *Ibi.* [Si oculus tuus fuerit simplex] Tertiò elicit inde conclusionem comparatiuam *Ibi* [Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt. In primo autem dicit tria, naturam intentionis, vsum, & ad quid refertur vsus ille.

Naturam intentionis innuit per oculum, quando dicit [oculus tuus] Et dicitur [oculus] quoad naturam [tuus] autem quoad Dominum : quia inter ea, quæ sunt in potestate nostra, est intentio, vnum ex his, quæ maximè sunt in potestate nostra. Quoad primum horum attende, quòd secundum *Platonem*, oculus videns (qui dirigit opera omnium membrorum corporis, & ostendit) componitur ex igne claro, & tunicis perspicuis circumpositis : per quas egreditur radius luminis interioris, & incidit in res visas. Ignis autem clarus & caliditate tenet naturam, ne rigescat, & sic efficiatur immobilis. In puritate manet impermixtus, ne efficiatur vmbrosus & claritate multiplicat lumen, & bene ostendit id, super quod cadit : & vt ista facere possit, interiùs custòditur. Et quoad hæc accipiuntur proprietates intentionis, quæ à diuersis Sanctis assignantur.

Vult etiam dicere *Chrysostomus*, quòd intentio est oculus dexter, hoc est, spiritualis. Et hæc est ratio finem determinans : lumen autem, quod est in ea sicut ignis clarus & purus, est fides operans per dilectionem, ex lumine fidei habens illuminationem, ex calore charitatis habens mobilitatem & vsum : quia sicut organa sensuum destituta calore naturali rigescunt & immobilia efficiuntur, & ad literam obtenebrantur oculi ex contractione tunicarum : ita etiam refrigescente charitate congelatur cor, & efficitur tenebrosum. *Psalm.* 147. A facie frigoris eius quis sustinebit ? *Eccl.* 43. Frigidus ventus aquilo flauit : & gelauit crystallus ab aqua. Lumine (aliàs lumen) autem fidei illuminat intentionem, vt videat, quò intendendum est, & vbi debet ponere finem *Psalm.* 12. Illumina oculos meos &c. *Ephe.* 1. Illuminatos oculos cordis vestri. Antequam enim sit fides in corde, homo non nisi nihil videt, hoc est ea, quæ sunt materia peccatorum. *Act.* 9. Apertis oculis nihil videbat : qui cum instructus esset de fide, audiuit ab Ânania : Dominus misit me IESVS-CHRISTVS, qui apparuit tibi in via, vt videas, & impleatis Spiritu sancto.

Quidam etiam Sancti ad hoc addunt lumen contemplationis, quo amplius oculus illuminetur : de quo dicitur. 2. *Cor.* 4. Deus, qui dixit

de

de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ Euangelij Christi. Sic ergo illuminata ratio & purificata per fidem, sicut dicitur *Act. 15.* Fide purificans corda eorum: scit quò pergendum est, & verum statuit finem operum nostrorum.

Tamen *Augustinus in alio loco* dicit, quòd intentio est voluntas cum fine. Sed ad hoc intelligendum sciendum, quòd est intentio præstituens finem, & est intentio tendens ipso opere in finem. Sicut etiam alicui quærenti viam, quæ dirigit in finem, quò intendit peruenire, dupliciter via monstratur. Ille enim, qui secum non pergit, monstrat digito; alius autem, qui per eandem viam pergit, monstrat pergendo secundum actum per viam. Et primo quidem modo ratio præstituens & indicans finem dicitur intentio: & secundo modo voluntas quasi pergens per affectum in finem: ad hoc ergo redeunt dicta Sanctorum de intentione.

Huius intentionis vsus est sicut lucernæ, quæ dirigit gressus, & ostendit quò sit pergendum. *Prou. 31.* Non extinguetur in nocte lucerna eius. *Lu. 12.* Lucernæ ardentes in manibus vestris. Emittit autem lumen lucerna per aliquod perspicuum, sicut pellem, vel vitrum, vel cornu lucidum; sic etiam intentio lumen conceptum fidei & scientiæ contemplationis & naturalis rationis emittit per perspicuitatem sensuum & membrorum; quia per illa operatur circa ea, circa quæ operandum est. Sic enim dicitur *Ioan. 5.* Quòd Ioannes erat lucerna ardens & lucens.

Est autem iste vsus relatus ad corpus. Et hoc est, quod dicitur [corporis tui] Et ad (aliàs de) hoc sunt multæ expositiones Sanctorum; Et ad hoc, quòd illæ in vnum colligantur, attendendum est, quòd corpus dupliciter dicitur: vno modo dicitur carnale corpus absolutè sumptum; & hoc modo non sumitur hîc corpus. Alio modo dicitur corpus organum virium animæ, per quod operatur anima: & sic corpus habet legem membrorum, quæ fomes est, per quam offuscatur, & indiget illuminatione dirigente: & hoc modo sumitur hic corpus, & ad illud reducitur tota congeries omnium operum nostrorum (aliàs omnium virium nostrarum) quæ corde corporeo, vel ore, vel aliis membris fiunt cogitando, imaginando, loquendo vel exteriùs operando. Et sic dicit *Chrysost.* quòd corpus est corporeus actus: & alij Sancti dicunt, quòd tota congeries operum vocatur corpus. Sicut etiam propter tenebras fomitis nescimus qualiter proficiat nostrum opus, & circa quem operetur, & quem exitum habeat: & ideò dicitur [illegible] corporeus tenebra, sicut dicunt glo. Augustini. *Iob. 3.* Viro, cuius abscondita est via; & circundedit eum Deus tenebris.

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.

Ecce geminatio vsus oculi per bonum & malum: bonitas autem oculi est simplicitas, & malitia eius est duplicitas. Et de simplicitate quidem dicit duo, vnum quod est causa, & [illegible], quod est causatum ex illo. De primo dicit [Si oculus tuus fuerit simplex] sine plica duplicitatis & erroris. *Matt. 10.* Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. *Cant. 1.* Oculi tui columbarum. *Cant. 4.* Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, hoc est, in vnitate & simplicitate: & hic est oculus, qui respicit æterna per intentionem rectam [totum corpus tuum lucidum erit] Iam hoc expositum est per præcedentia. *Lu. 11.* Si corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te. *Prou. 4.* Semita iusti quasi lux splendens & crescens vsque ad perfectum diem. *Psalm. 4.* Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo. *Sap. 18.* Sanctis autem tuis maxima fuit lux.

Si autem oculus tuus nequam fuerit] Nequitia oculi est, quòd strabus auertitur à via recta. *Eccl. 31.* Memento quia malus est oculus nequam. Nequius oculo quid creatum est? Quicquid enim peruersitatis incidit in toto corpore & opere: oculus ostendit nuntiando: ducit peruertendo viam rectam: & coniungit cum ipso fruendo peccato. Vnde *Gen. 3.* Principium peruersitatis fuit oculus. Dicitur enim. Vidit igitur mulier lignum, quòd esset pulchrum visu &c. Dicitur autem [nequam] quod in malo vltra nequit; quia totum, quod potest, facit oculus malus. Idem (aliàs ideò) omnino dicitur *Lu. 11.* Totum corpus tuum tenebrosum erit. *Tob. 5.* Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? *Iob. 3.* Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine. *Sap. 17.* Ignis quidem nulla vis, nec siderum lympidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam. *Prouer. 4.* Via impiorum tenebrosa; nesciunt, vbi corruunt.

Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Ecce criterium, vbi ex præmissis conclusionem ponit comparatiuam spiritualis tentationis ad corporeos actus: & dicit duo: & primum est causa secundi. De primo dicit [Si ergo lumen] spiritualis intentionis, quod lumen est patriæ; quia in ipsa est lumen agendorum descriptum in ratione [quod in te est] in spiritu, & quoad potestatem tibi commissam, vt vtaris eo ad directionem operum [tenebræ sunt] Tenebræ dicuntur à tenendo: quia tenent oculos: & ita facit intentio terrenorum, vel carnalium, quæ (aliàs quia) tenet oculos, ne videant lumen. *Psalm.* [illegible] Fiat via illorum tenebræ, & lubricum: & Angelus Domini persequens eos. *Eccl. 21.* Via peccantium complanata lapidibus & in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.

Ipsæ tenebræ quantæ erunt] Ecce secundum [illegible] quod est, si intentio, quæ in te est, & tibi [illegible] corporalis actus, qui in se tenebra est, [illegible] *Sap. 17.* [illegible] corpus tenebrosum [illegible] lumen [illegible] sicut patet per antecedentia.

Micha. 7.

Miche. 7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est *Psalm.* 1,8. Nox sicut dies illuminabitur. Et nox illuminatio mea in delitiis meis. *Isa.* 58. Orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.

Nemo potest duobus Dominis seruire.

Postquam docuit Dominus opera perfectionis, & debitum modum circa opera, subiungit hic in tertia parte remotionem impedimentorum ab operibus perfectionis: hæc autem impedimenta aut sunt in nobis, aut sunt in aliis: & ideò duæ sunt partes illius doctrinæ, in quarum prima remouet impedimentum, quod est in nobis: in secunda autem remouet impedimenta, quæ sunt in aliis. *Ibi.* [Nolite iudicare] in prima autem harum duo continentur, in primo quorum quandam proponit similitudinem, ex qua sumit doctrinam: & in secundo iuxta similitudinem propositam & expositam format doctrinam, *Ibi* [Ideò dico] In primo horum duo continentur, scilicet, similitudinis propositio, & similitudinis expositio. *Ibi* [Non potestis Deo seruire &c.] in priori istorum duo sunt paragraphi, in quorum primo proponit similitudinem de humanis acceptam, dicens [Nemo potest duobus Dominis seruire] In secundo autem probat hoc per rationem.

Circa propositam autem similitudinem tria notantur, quorum primum est seruientis indiuisibilitas: secundum autem dominij diuersitas: & tertium seruitutis qualitas. Primum horum tangit, cùm dicit [Nemo potest] Q.d. Nullus homo (cum sit vnicus, & omnia sua tam in anima, quàm in corpore reducantur ad vnum) potest esse diuisus in duos Dominos. 1. *Cor.* 10. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 2. *Cor.* 6. Quæ conuentio Christi ad Belial: aut quæ societas lucis ad tenebras? Sicut enim vnum membrum non est duorum corporum, nec vna auis facit duos nidos, nec vnus bos in duobus trahit iugis: sic nec vnus indiuisus homo duobus Dominis seruire potest, Contra 1. *Cor.* 7. Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, & diuisus est: ergo vnicus homo potest diuidi in duo seruitia. Responsio, quòd non diuiditur in duo dominia; sed in duos actus vnius Dominij: & hoc est bene possibile; quia matrimonij vinculum est de dominio bono Christi: licet ergo in actu honestiori, non semper, sit matrimonio ligatus; tamen est in actu aliquo Christi officiorum, quæ dispensantur inter fideles, vt vnus sit in vno, & alius in alio. *Psal.* 47. Distribuite gradus eius, vt enarretis in progenie altera. 1. *Cor.* 15. Vnusquisque in ordine suo. 3. *Reg.* 10. Mirabatur Regina Saba ordines ministrantium Salomoni. Si aliquis autem velit diuidi omnino in duo dominia, perdit dominium boni Domini, qui nec dignatur, nec potest habere dimidium seruum: & ideò dicit *Apost. Ephe.* 4. Nolite locum dare diabolo.

Duobus Dominis] Ecce secundum, in quo notatur dominij diuersitas: vnde vterque terminus formaliter est accipiendus: duo enim formaliter acceptus principium est alteritatis, sicut dicit Pythagoras: eo quod primus recessus est ab vnitate [Dominis] autem formaliter, sunt Domini forma dominationis differentes; & horum vnus non est sub alio: quia quorum vnus est sub alio; materialiter sunt plures; & secundum formam dominij sunt vnus solus: duo ergo formaliter Domini non conueniunt in legibus & præceptis: & si vnus est vrbanæ potestatis in præceptis: alter est tyrannus: & ideò dicit glo. de contraria imperantibus dominiis. Forma enim dominij non multiplicatur à vero Domino; sed corrumpetur in tyrannidem *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium: & Rex fortis dominabitur eorum. *Isa.* 26. Domini possederunt nos absque te: tantùm in te recordemur nominis tui. Tyrannidem talem conqueritur *Isa.* 63. Facti sumus sicut à principio, cum non dominareris nostri, nec inuocaretur nomen tuum super nos. Econtra consolans nos *Ierem.* 23. dicit. Hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster [seruire.]

Ecce tertium, seruitij qualitas: quod est per modum propriæ seruitutis, non cuiuscumque obsequij. Si enim aliquis seruus est, totum esse, nosse, & posse expendere habet in seruitio eius, cuius est: licet ergo aliquid parui obsequij possit aliquando exhiberi alteri Domino; tamen seruitus alteri non potest impendi *Rom.* 6. An nescitis, quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam. 3. *Reg.* 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum; Si Baal est Deus, sequimini illum.

Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.

Hic inducta probat per rationem: & est ratio super diuisionem: quasi disiunctiuus sit syllogismus: & habet duas disiunctiones, quarum vna prima est de dominio, siue seruitute voluntaria: & altera de coacta. De voluntaria seruitute dicit [Aut vnum odio habebit, & alter. diliget] Et odio quidem habitus est tyrannus; dilectus autem verus secundum vrbanitatis ordinem Dominus. Et ideò dicit *August. in glo. hic:* diabolus semper est odio habitus; Deus verò diligendus. Neque enim apertè vnquam aliquis Deum odio habuit; sed omnes se eum amare confitentur, & diaboli nomen execrantur, quamuis vitiosi eum dominantem super se sustineant; Deum verò odio non habent, sed contemnunt victi concupiscentia sua & persuasione diabolica.

Sed adhuc quæritur, Vtrum Deum aliquis odit, *Psalm.* 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper: ergo videtur, quòd aliqui odiunt Deum. Adhuc, Augustinus retractauit istud. Responsio; cum Deus sit principium dans esse, & continens in esse, & gubernans ad optimum suæ naturæ vnumquodque. Et cum omnia appetant esse sicut & bonum: constat quòd in ista consideratione omnia aut naturali, aut animali, aut intellectuali motu amant Deum. Cum autem iterum sit iudex per iustitiam reddens vnicuique quod suum est, nihil prohibet eos, qui odiunt iustitiam & iudicium, etiam odire Deum iudicem, & blasphemare, sicut dicitur in *Psalm.* 2. *Sap.* 1. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum. *Cant.* 1. Indica mihi, quem

quem diligit anima mea, vbi pascas &c. *Cant.* 2. Num quem diligit anima mea, vidistis? Ab altera parte de diabolo dicitur *Psal.* 138. Perfecto odio oderam illos: inimici facti sunt mihi. *Heb.* 1. Horribilis & terribilis est ex semetipsa: iudicium eius, & onus egredietur.

Aut vnum sustinebit] Istud est, quod de subiectione violenta: tunc enim violentè & tyrannicè subiicientem [sustinebit] Aut propter timorem mundanum: quia timet amittere quod sub eo habet; aut propter timorem humanum: quia timet separari à concupiscentiis suis. *Isa.* 14. Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter [& alterum contemnet] hoc est, dominium Dei. Est autem contemptus duplex; specialis, qui est peccatum speciale separatum ab aliis peccatis: & hoc est, quando aliquis cogitat actualiter de Domino suo, cui debet subesse, & vilipendit contemnens ipsum: alter contemptus est operis, & hic coniunctus est operi. Sicut quando aliquis non obediens Domino suo, non subiicit se præcepto Domini, & præcipienti Domino: & hoc est in omni transgressione præceptorum, & non est speciale peccatum. Et de hoc loquitur hic. *Psalm.* 49 Proiecisti sermones meos retrorsum. Liberari à contemptu hoc petit *Psalm.* 118. Aufer à me opprobrium & contemptum, *Isa.* 23. Qui spernis, nonne & ipse sperneris? *Isa.* 1. Ipsi spreuerunt me.

Non potestis Deo seruire, & mammonæ.

Ecce explanatio similitudinis [Non potestis Deo seruire] *Isa.* 19. Dominus ingredietur Ægyptum, & corruent sepulchra Ægypti. Cum Domino enim in vno habitationis templo non poterant stare. *Habac.* 3. Percussisti caput de domo impij [& mammonæ] Mammona Syra lingua sonat latinè diuitiæ, & significat dæmonem, qui per diuitias tentat. Et tunc quæritur, quare magis nominat hunc dæmonem, qui præest diuitiis, quàm qui præest alicui alij vitio, vel pluribus aliis vitiis? Et dicendum, quòd diuitiæ inter cætera bona conmutabilia promittunt sufficientiam, & habita sufficientia, habetur vnde exercentur omnia delectabilia vitiorum: & ideò potiùs nominat hunc dæmonem quàm alium.

Sed adhuc quæritur, vtrum diabolus possit dici Dominus alicuius hominis quantuncunque peruersi?

Videtur, quòd sic: quia dicitur aliquis seruus peccati. *Ioan.* 8. ergo multò fortiùs diaboli. Præterea antè vocauit duos Dominos: ergo diabolus est Dominus, vt videtur. Contrà diabolus non habet, vnde superponatur; sed potiùs vnde supponatur: quia suus casus est à deiformi intellectu; hominis tantùm à ratione: iterum suus casus est irremediabilis; hominis autem remediabilis: adhuc suus casus per se ipsum; & hominis per alium. Ex hoc autem, quòd peccator se ei subiicit, nihil acquirit altitudinis, quia subiectio illa est in vilibus, & potiùs deprimentibus, sicut si dicerem, quòd subiicit se aliquis purgatori, vel potiùs immundatori latrinarum in mundando latrinas: licet enim in talibus ille, qui se subdit, vilificetur; ille tamen, qui (aliàs cui) se subdit, non exaltatur ex hoc; sed deprimitur: ergo cum multò vilius sit peccatum, subdens se diabolo in peccatis, nihil dominij confert diabolo: & hoc puto esse concedendum: vnde licet homo seruus sit diaboli & peccati; non tamen diabolus est Dominus, nec peccatum est Dominus peccatoris.

Ad hoc, quod suprà dixit duos Dominos, dicendum, quòd hoc dominium est commutabilis boni, per quod tentat diabolus; & non ipsius diaboli, vel peccati: & hæc etiam est causa, quòd non dicit: non potestis Deo seruire & diabolo; sed ponit nomen pretiosiorum inter commutabilia bona, hoc est, diuitiarum, quia talia bona, ad minus secundum hic & nunc habent vnde superponantur: sic ergo nemo potest Deo seruire & mammonæ. 1. *Reg.* 5. Cum arca Dei poneretur in templo Dagon, cecidit Dagon, capite, & summitatibus amputatis super limen. *Isa* 28. Coangustatum est stratum: ita quòd alter decidat: & pallium breue vtrumque operire non potest.

Ideò dico vobis: ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis.

Hic iuxta similitudinem propositam format doctrinam, & dicit duo: primò enim præmittit id, quod intendit; & secundò probat illud *Ibi* [Nonne anima plus &c.] In prima vbi dicit id, quod intendit, dicit duo: primò enim dicti confirmat veritatem, cùm dicit [Ideò dico vobis] Q. di. Quia ita constat in humanis similitudinibus [Ideò dico vo.] qui solus scio veritatem eorum, quæ Deo bene placent: quæ nemo scit, nisi cui reuelo. quia *Ioan.* 1. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse reuelauit. Ego igitur, qui secreta Patris scio, dico vobis: [ne soliciti sitis] Ecce secundum, vbi prohibet solicitudinem victus & vestitus: victus, cum dicit [ne soliciti sitis animæ vestræ] Anima enim dupliciter dicitur, ab animalitate videlicet, & animeitate: dicta autem ab animalitate est brutalitas, in qua nihil vltra commune genus animalium manifestatur: & hæc anima indiget cibis. Non facit autem mentionem de poculento: quia potus est propter escam, & est vector eius, sicut superiùs dictum est.

Neque corpori vestro, quid induamini.

Ecce vestitus: quia de istis duobus est necessitas maior. 1. *Timoth. vl.* Habentes alimenta, & quibus tegamur: his contenti simus. Hæc enim duo sunt, quæ natura parat animalibus, quando nascuntur. Pellem enim pilosam, vel pennosam dat pro vestitu, & parat lac in mammillis, vel vitellis ouorum pro cibo. Et si obiicitur, quòd aues, & quædam animalia faciant domos, dicendum, quòd illas faciunt quasi pro vestitu.

Sed quæritur hic, de qua solicitudine dicitur, quod hic dicit: quia non omnis solicitudo vituperatur. *Luc.* 10. Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima & constat, quòd solicita erat circa frequens ministerium ciborum & vestimentorum. Adhuc *Gal.* 2. Qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis; vt nos in gentes, ipsi verò in circumcisionem tantum modo: vt pauperum Christi memores essemus: quod etiã solicitus fui hoc ipsũ facere. 1. *Cor.* 7. Adhuc, qui habet vxorem solicitus est, quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori suæ, & diuisus

est, & tamen talis solicitudo non condemnatur. Ad hoc dicit *glo.* quòd est solicitudo duplex, vna est suffocans, & hæc interdicitur, quia hæc mentem perturbat: & hoc est seruire diuitiis: alia est prouidentiæ, & hæc non interdicitur. Hæc autem fit, cùm timent homines; quòd aut possessa ab eis dispereant, aut elaborata non attingant: & amore præsentium, vel timore futurorum torpentes fiunt. Ad quòd intelligendum scire oportet, quòd suffocare secunda syllaba correpta idem est, quòd extinguere; idem autem secunda syllaba producta sonat guttur astringere: vnde versus.

Suffocat, extinguit; suffocat, guttura stringit.

Quocunque ergo modo sumatur, vitalis spiritus est in nobis lucens fide & calens charitate: qui si solicitudine præsentis seculi sic stringitur, vel omnino extinguitur, quòd ad Deum extendere se non possit, nec vehere virtutem ad obsequium Dei, nec sperare auras sancti Spiritus: tunc fit hoc, quod dicitur *Matth.* 13. & *Luc.* 7. quòd verbum inter spinas cadens à solicitudinibus & curis huius sæculi suffocatur, & non fert fructum. Et hæc solicitudo est, quando tanta cura habetur mundanorum, quòd lucra mundana præponuntur diuinis. Et hæc solicitudo hic interdicitur. Alia est solicitudo spiritum vitalem non stringens, neque operiens, vt extinguat; sed potiùs dilatans, vt ille, qui totus ascendit per deuotionem ad Deum, dilatetur etiam in prouidentiam commissorum: & hoc modo dicitur *Rom.* 12. Qui præest in solicitudine. Et hæc non interdicitur; sed conceditur, & etiam illis, quibus incumbit, præcipitur. 1. *Timoth.* 5. Qui suorum & maximè domesticorum curam non habet, infidelis est, & est infideli deterior. Intendere autem rebus supervacaneis non promouentibus ad salutem est damnabile. De qua in diuersis his appetibilibus disputat Ecclesiastes multum: de qua non oportet hic inducere, quia non est ad propositum.

Solicitudo autem, quæ est in spiritualium studio, est exercenda semper, sicut dicitur *Michæ.* 6. Solicitum te ambulare cum Deo tuo. Et hoc est, quòd dicunt quidam, quòd est solicitudo, laudabilis, vituperabilis, tolerabilis, miserabilis. Laudabilis quidem est in præcepto: & hæc est multiplex: est enim solicitudo regendi commissos *Rom.* 12. Qui præest in solicitudine. 2. *Corinth.* 11. Instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Alia est solicitudo obediendi quoad subditos. *Iosue.* 23. Estote soliciti, vt custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi. Alia est solicitudo pacificè viuendi quantum ad pares. *Ephe.* 4. Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Alia est solicitudo proficiendi quoad se: & hæc triplex est. Prima est memorandi præcepta de Deo. *Deutero.* 4. Custodi temetipsum solicitè & animam tuam: ne obliuiscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Secundò, fit hæc solicitudo declinandi malum. *Deutero.* 4. Custodite animas vestras solicitè: non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Oreb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem. Tertia est solicitudo feruoris faciendi bonum. *Rom.* 12. Solicitudine non pigri, spiritu feruentes, Domino seruientes. Hæc igitur est solicitudo laudabilis & in præcepto.

Solicitudo autem vituperabilis etiam est multiplex: est enim inordinata solicitudo sciendi vana & superflua. *Ecclesiast.* 3. Cum alius laboret in sapientia & doctrina & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit: Et hoc quoque vanitas & magnum malum. Alia est acquirendi diuitias cum cupiditate. *Eccl.* 2 Peccatori autem dedit Deus afflictionem & curam superfluam; vt addat & congreget & tradat ei, qui placuit Deo. Sed & hæc vanitas, & cassa solicitudo mentis. Alia est solicitudo auarè (aliàs auari) conseruandi diuitias. *Mat.* 13. Solicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Alia est solicitudo peccandi in adinuentione generis peccati. *Sap.* 14. Imaginem Regis, quem (aliàs quam) honorare volebant, fecerunt; vt illum, qui abierat (aliàs aberat) tanquam præsentem colerent sua solicitudine. Alia est in studio peccandi. *Dan.* 13. Volentes concumbere cum ea, obseruabant solicitam (aliàs solicitiùs) quotidie videre eam. Hæc igitur est solicitudo prohibita.

Solicitudo tolerabilis est multiplex: aliquando enim est dilectionis naturalis. *Tob.* 10 Cum verò moras faceret Tobias causa nuptiarum, solicitus erat Pater eius, dicens: putas quare moratur filius meus? Alia est solicitudo esse rei familiaris. 1. *Reg.* 9. De asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne solicitus sis, quia inuentæ sunt. Alia est solicitudo necessariæ prouidentiæ. *Luc.* 10. Martha, Martha solicita es, & turbaris &c. Alia est solicitudo infirmitatis humanæ. 1. *Cor.* 7. Solicitus est, quæ sunt mundi: & quomodo placeat vxori suæ. Alia est solicitudo curæ moderatæ. *Tob* 5. Rogo te, de qua tribu, vel de qua domo es tu? Cui Raphaël Angelus. Genus quæris mercenarij, vel ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat? Ne autem te solicitum reddam, ego sum Ananias Azariæ magni filius. Hæc igitur indulgetur.

Miserabilis autem solicitudo etiam est multiplex: alia enim est laboris in operando. *Eccl.* 2. Detestatus sum industriam meam, qua sub sole laboraui, habiturus hæredem post me, quem ignoro vtrum sapiens, vel stultus sit; & dominabitur in laboribus meis, quibus desudaui, & solicitus fui: nec est quicquam tam vanum. Alia est passionis. 1. *Macha.* 6. Recessit somnus ab oculis meis: & corrui corde præ solicitudine, & dixi in corde meo in quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus miseriæ. Alia est solicitudo præcauendi insidias hominum. *Ierem.* 38. Solicitus sum propter Iudæos, qui transfugerunt ad Chaldæos: ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi. Multi igitur sunt modi solicitudinum: & non interdicitur hic aliqua nisi ista, quæ est suffocans & perturbans spiritum mentis, qui ad Deum est conuertendus.

Nonne anima plus est quàm esca: & corpus plus quàm vestimentum?

Hic incipit inducere rationes ad probationem & persuasionem doctrinæ inductæ: sunt autem duo, quæ probat esse remouenda tanquam impedimenta

dimenta perfectionis : quorum vnum est solicitudo abundantiæ : secundum autem est solicitudo longi temporis *Ibi.* [Nolite soliciti esse in crastinum] In priori horum sicut bonus Doctor duo facit : remouet enim impedimentum perfectionis, & secundò ponit id, quod veræ perfectionis est secundum solicitudinem *Ibi.* [Quærite autem primum &c.] Adhuc vbi remouet impedimentum solicitudinis, duo facit : primò enim ostendit, quòd maiora data sunt nobis à Patre cœlesti absque nostra solicitudine & solertia: & secundò inducit ex hoc rationes, quòd etiam minora superaddentur ex eodem Patre *Ibi* [Respicite volatilia cœli &c.]

In primo horum inducit duo : relinquit enim ex iudicio omnium, animam, hoc est, animalem vitam esse meliorem, quàm esculentum, pro quo solicitamur : & hoc est [Nonne anima plus] hoc est melius aliquid est (quàm esca ?] In rebus enim, quæ non mole magnæ sunt, idem est maius esse, quod melius esse, sicut dicit *Augustinus.* Hoc autem à communi rei iudicio supponitur : quia esca quæritur propter animam : & ideò anima melior & dignior est. Eadem probatur ratione corpus melius esse, quàm vestimentum : & hoc est [& corpus plus quàm vestimentum] Constat autem, quòd animam & corpus habemus ex dono Patris sine labore nostro & solicitudine : ergo multò magis addet ea, quæ propter animam & corpus creauit. 2. *Macha.* 7. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis : neque enim ego ipsa spiritum vobis donaui, & animam & vitam, neque singulorum membra ego ipsa compegi : sed mundi Creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem. Hic igitur, qui hæc dedit, & scit, quia sine victu & vestitu esse non possunt, & omnia propter hominem creauit, adiiciet ex sua largitate victum & vestitum sine nostra solicitudine.

Sed quæritur hic, quare dictis suis adhibet rationem, cùm ex hoc ipso, quòd dicta sunt sua, maioris sint auctoritatis, quàm ex aliqua ratione humana? Et ad hoc dicendum, quòd non ponit rationem propter dictum, sed propter nos : quia familiarius coniungitur intellectui nostro, quod humana ratione accipitur, quàm quod simpliciter ponitur: ideò dixit parabolas, in quibus humanas proposuit similitudines.

Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, nec metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis?

Hic inducit rationes ad probandum, quod [illegible] propter nos sine solicitudine [illegible]. Et diuiditur hæc pars in tres, in quarum [illegible] inducit rationes de adiectione esculentorum [illegible] da de adiectione vestimenti *Ibi.* [Et de vestimento quid soliciti &c.] In tertia adducitur de [illegible] vtriusque simul *Ibi.* [Nolite ergo soliciti esse] In prima harum duo adducit, primum est de adiectione esculenti [illegible] [illegible] [illegible] *Ibi.* [Quis autem vestrum cogitans]

In primo horum quatuor facit : primò enim monet volatilia cœli respicere, cum dicit [Respicite volatilia cœli] secundò ostendit, quid in eis respiciendum [quoniam neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea] Et tangit tres solicitudines remotas, quarum vna est in generando & elaborando esculento, secunda est in congregando, tertia est in conseruando : & circa hæc tria maximè occupatur humana solicitudo. Tertio proponit benignitatem Patris cœlestis ad ea, cùm dicit [Pater vester cœlestis pascit illa] Et dicit [Pater vester] non illorum : quia non sunt ad imaginem eius, neque habent spiritum adoptionis filiorum : & ideò minor cura est ei de eis, quàm de Sanctis. 1. *Corinth.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique scriptura hæc dicit? Quartò hic de dictis facit comparationem, & concludit à minori. Quoniam si talia adiiciuntur creatis non filiis, multò magis adiiciuntur hæc filiis, qui multò pluris æstimationis sunt illis. Et hoc est, quod dicit [Nonne vos magis pluris estis illis ?] Hæc est ergo expositio literæ.

Sed quæritur, quare sumit potiùs similitudinem à volatilibus cœli, quàm a natatilibus, vel gressibilibus, vel reptilibus? Ad hoc sunt tres rationes: vna quidem est, quia cibus volatilium magis sparsus & incertus est, quàm aliorum animalium : propter quod etiam natura dedit eis & alas ad volandum, & pedes ad ambulandum : vt veloci motu vitæ cibum acquirant : & cum illa sint sine solicitudine, quòd multò magis nos. Alia ratio est, quòd nulla animalia minus conseruant quàm aues : Quoniam & gressibilia faciunt thesauros, sicut mus montanus : & reptilia, sicut formica : & natatilia, sicut habentia antra : sed volatilia omninò sunt sine solicitudine ; Et ideò de solicitudine tollenda melior & congruentior ab eis accipitur similitudo. Tertia ratio est *Ambro.* & est moralis, quia per altitudinem volatus, magis volatilia spiritualibus & contemplatiuis viris assimilantur. *Psalm.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ ; & vo. &c.

Videtur autem ista doctrina Domini contrariari sermonibus eius : quia *Genes.* 3. dicit, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. *Iob* 5. Homo natus ad laborem, sicut auis ad volandum. *Apostolus.* 1. *Corinth.* 4. Laboramus operantes manibus nostris. 2. *Thessalonicens.* 3. Si quis non laborat, non manducet. *Iacob.* 5. Agricola expectat pretiosum fructum terræ : patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Ad hoc dicendum, quòd est labor duplex, scilicet spiritualis, & corporalis : ad alterum istorum laborum suo iudicio, tenetur omnis homo: est autem vterque istorum laborum duplex, vniuersalis & particularis. Vniuersalem voco, qui fit circa populum vniuersalis Ecclesiæ, vel ciuitatis, vel [illegible] plebis alicuius : & tunc illi, qui circa [illegible], possunt accipere ab illis, aut per [illegible] debiti, sicut Prælati ; aut per modum eleemosynæ, sicut Prædicatores missi ; aut alij aliquid circa vtilitatem militiæ christianæ [illegible] [illegible]. Particularem autem laborem voco, qui est in vno solo simplex spiritualis, vel corporalis [illegible], hoc est [illegible], vel [illegible] in [illegible] & legendo ; & disciplinam

diſciplinam religionis portando: corporalis eſt autem, ſicut arando, vel ſuendo, vel lanas operando, vel aliquid tale: in omnibus enim talibus labor exercendus eſt, ſolicitudo ſuffocans tollenda, ſicut in antehabitis dictum eſt.

Quis autem veſtrum cogitans, poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum?

Ecce ſecundum: & intendit arguere ex ſuppoſito, quòd ponatur, quòd eſculentum noſtra ſolicitudine perquiratur, hoc non proficiet nobis niſi per Patrem cœleſtem, & ſic ſolicitudo noſtra caſſa & vana eſt; & hoc eſt, quod dicit [Quis veſtrum] potens, vel ſapiens, cogitans ſolicitè & ſolerter, poteſt ſua ſolertia & ſolicitudine [adiicere ad ſtaturam ſuam] per eſculentum, quod procurauit [cubitum vnum] vel aliquod quantumcunque paruum incrementum. Cum ergo ſoliciti ſumus de eſculento propter incrementum corporis, quod ex eo putamus accipere, & hoc non accipimus niſi virtute & cura Patris cœleſtis: incaſſum ſolicitamur de hoc, quòd non poſſumus conuertere in noſtrum profectum; ſed potiùs cura proiicienda eſt in Patrem, qui nos nutrit, & dat nobis incrementum. 1. *Corinth.* 3. Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid; ſed qui incrementum dat Deus.

Et de veſtimentis quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis: quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Si enim fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit: Quantò magis vos modicæ fidei?

Hic arguit de cura veſtimenti abiicienda; & dicit quinque; primò enim per modum interrogationis innuit remouendam eſſe ſolicitudinem veſtimentorum: & hoc eſt [Et de veſtimentis quid ſoliciti eſtis] Secundò dicit conſideranda eſſe lilia agri creſcentia, & ſumit ſimilitudinem à liliis: quia alta ſunt, & flore & candore ſuo munditiam ſignificant corporis Sanctorum. Agri autem vocat, non hortenſia: quia campeſtribus cultura non adhibetur [Conſiderate lilia agri, quomodo] ſine cultura [creſcunt] *Cantico.* 2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. *Pſalm.* Iuſtus germinabit ſicut lilium, & florebit ante Dominum. *Cant.* 2. Ego flos campi & lilium conuallium. Tertiò dicit, quid in talibus ſit conſiderandum: quia [non laborant] forti labore, ſicut viri [neque nent] lanam, vel linum operantes, ſicut fœminæ. *Prouer.* 31. Quæſiuit lanam & linum: & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Quartò tangit gloriam ornatus eorum, dicens [Dico autem vobis] qui non poſſum mentiri. 1. *Pe.* 2. Nec inuentus eſt dolus in lingua eius [Quoniam nec Salomon qui vltra modum, ſicut dicitur, curioſus fuit in veſtibus. 3. *Regum.* 10. Regina Saba mirabatur de veſtibus ſuorum ſeruorum [in omni gloria ſua] hoc eſt, in gloria veſtitus ſui [coopertus eſt] tam venuſto & tam vernanti colore [habitus ſicut vnum ex iſtis] Omnia ergo ſimul in diuerſitate colorum ſuorum incomparabilia ſunt habitui Salomonis. Attende autem, quòd innuit flores operiri coloribus: quia coloris natura de lumine perficitur, & in ſuperficie rei diffunditur propter quod & Pythagorici colorem epiphanium, hoc eſt, ſuperapparentem vocauerunt. Vnde terra veſtita floribus in quandam ſimilitudinem ſtellati cœli ornatur. *Iſa.* 61. Induit me Dominus veſtimento ſalutis: & indumento iuſtitiæ circundedit me: talis enim habitus habitum virtutis in Sanctis demonſtrat, in quo procedunt ſicut dies verni vernantes. Quintò tangit comparationem curæ Patris ad fœnum & ad filios adoptionis: & oſtendit curam Patris ad fœnum paruam ex tribus, ex natura, cùm dicit [Si enim fœnum quod] parui eſt momenti. Secundò ex loco, cùm dicit [agri] cui nulla cuſtodia adhibetur, ſed decerpendum omnibus exponitur. Tertiò ex vilitate: quia dicit [quod hodie eſt] breui apparens tempore [& cras] hoc eſt, poſt modicum [mittitur in ignem] quia ad minus ſarmenta comburuntur, ne agrum occupent: & nullius momenti reputantur. Vel [in clibanum] Alia litera: quia homines clibanum inde ſuccendunt, in quo coquant panes, vel aliquid aliud & incendit: & tanquam res parui momenti exiſtens quacunque conſumptione conſumitur, & æternæ vitæ non reſeruatur [Deus ſic veſtit] hoc eſt, exornat pictura colorum.

Et deinde tranſit ad Sanctos per comparationem, dicens [Quantò magis vos] Qui in natura eſtis ad Dei Patris imaginem, & in cuſtodia commiſſi Angelis, qui cuſtodiant vos in omnibus viis veſtris: & in præordinatione prædeſtinationis præordinati ad æternam vitam. Et ſubiungit increpationem, ſi talia non aduertant, cùm dicit [modicæ fidei] hoc eſt, modicæ fiduciæ: qui parua de Patre cœleſti præſumitis. *Matth.* 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti? *Rom.* 4. Confortatus eſt fide, pleniſſimè ſciens, quòd quæcunque promiſit Deus, potens eſt facere.

Sed contrarium eſt, quod dicitur, 1. *Corinth.* 4. Eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & inſtabiles ſumus vſque in hanc horam. *Hebr.* 11. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. *Matth.* 25. Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi bibere: nudus fui, & non veſtiuiſtis me. Ergo Sancti ſæpe in his habent indigentiam neceſſitatis: & ſic videtur, quòd non concludit ratio Domini. Ad hoc dicendum, quòd in veritate non placet Deo, nec intendit hic aſtruere, quòd aliquis ſequatur inertiam & otium; ſed exerceat aliquid militiæ chriſtianæ, ſicut dicit *Auguſtinus in lib. De operibus Monachorum.* Et ſi exercet hoc, dignus eſt cibo, & veſte, quam procurat ei Deus ex labore ſuo. Vnde etiam Chriſtus dixit iſta illis, qui prima fundamenta fidei ponere debebant: & propter multum diſcurſum inſtantiæ prædicationis non poterant cogitare niſi de pane quotidiano. Quibus etiam *Luc.* 10. dicit: Edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt: vnde etiam illis de domo nihil dixit: quia inſtabiles eſſe

eſſe oportuit. Quando igitur inſtanter ea, quæ ſunt militiæ chriſtianæ exercemus, & ſi tunc deſunt, neceſſaria diſpenſatio Patris cæleſtis eſt, vel ad probandam noſtram patientiam, vel ad purganda delicta, vel ad condemnationem eorum, qui iſta negant pro tempore, cum bonorum pauperum vident neceſſitates: quicquid horum fiat, piè Pater cæleſtis prouidet Sanctis. *Pſalm.* 36. Iunior fui, etenim ſenui: & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Abſque dubio enim credendum eſt, quòd ſi in talibus deeſt auxilium humanum, non deerit diuinum, dummodo homo nõ deſit gratiæ Dei. Multi enim ſunt, vt dicit *Aug.* qui interiore aure audiunt à Domino. *Pſal.* 40. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Et illorum granaria ſunt granaria pauperum ſanctorum.

Nolite ergo ſoliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt: ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.

Hic incipit ponere rationes de remouenda ſolicitudine de vtroque ſimul, ſcilicet, tam de eſculento, quàm de veſtitu corporis: & inducit duas rationes, quarum vna eſt: quia talis ſolicitudo nobis ignorantibus Patrem cœleſtem aſſimilat: ſecunda autem, quia hæc ſolicitudo fiduciæ filiorum ad Patrem præiudicat.

In prima ergo ratione concludens ex præmiſſis dicit [Nolite ergo ſoliciti eſſe] ſolicitudine vos à militia, in qua poſiti eſtis, reuocante [dicentes] Si ſequamur Chriſtum pauperem, occupantes nos Euangelio eius [Quid manducabimus, aut quid bibemus?] quoad neceſſitatem ſuſtentandæ vitæ [aut quo operiemur?] quoad operimentum corporis [hæc autem gentes inquirunt] quæ ignorant Deum, & putant hominem non ad aliud creatum, niſi vt ſua induſtria hic ad tempus viuat. 1. *Theſ.* 4. Sciat vnuſquiſque ſuum vas poſſidere in ſanctificatione & honore: non in paſſione deſiderij, ſicut & gentes, quæ ignorant Deum. His ergo in hoc non debemus aſſimilari, recogitantes, quòd manna ſequentibus Deum in deſerto non defuit, & veſtes eorum quadraginta annis non ſunt attritæ. *Deu.* 29. Hæc enim Pater cœleſtis mundo miniſtrat propter Electos.

Scit enim] Secunda ratio: quia [Pater veſter] ad vos habens viſcera pietatis [Scit] eo, quod nihil latet eum. *Iob.* 42. Scio, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio. Quis eſt iſte, qui celat conſilium abſque ſcientia? Quaſi diceret, ſtultus & deſpiciendus eſt, qui putat ſe celatum conſilium habere, quod Deus ignorat, & abſque ſcientia vera eſt talis [quia omnibus his indigetis] *Pſalm.* 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui &c. Qui enim nos talibus indigentijs creauit, ſcit nos talibus indigere: & pro certo non procurat niſi voluntati ſuæ militemus, ſicut *Luc.* 15. Filius prodigus recedens à patre in regionem diſſimilitudinis, cœpit egere & fame perire: & tamen quando redi-

uit, non ſolùm panes accepit, ſed abundantiam omnium bonorum.

Quærite ergo primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis.

Poſtquam ſufficienter excludit ſolicitudinem abundantiæ temporalis, hic docet, in quo militantes, & quid quærentes digni ſunt prouiſione Patris cæleſtis: vnde duo dicit, ſcilicet, quid quærendum, & qualiter nobis hoc quærentibus erit prouidendum. Circa primum duo dicit, finem, ſcil. quæſitionis, & id, quòd ducit ad finem illum.

De fine loquens dicit [Quærite autem primum] & locutio eſt duplex: eo quòd hoc ipſum [primùm] poteſt determinare hoc verbum quærendi: & tunc ſenſus eſt [Quærite primùm] hoc eſt, imprimis, vel priùs: & tunc ſic militantes digni eritis, quibus Pater cæleſtis prouideat. Poteſt etiam determinare hoc, quòd dico regnum Dei: & tunc ſenſus eſt, quærite autem primum regnum Dei: hoc eſt, quod primum eſt, & vobis congruum eſt quærere, qui eſtis filij Iſraël, probantes vos eſſe filios tanti Patris per hoc, quòd digna vobis quæritis, & indigna vobis non curatis, prouidebitur vobis in neceſſariis. Vterque ergo ſenſus congruit literæ, ſed primum puto eſſe literaliorem. Et attende, quod dicit *Chryſoſt.* quòd regnum Dei dicitur hìc retributio æterna: & hoc eſt verum, quoad vltimum finem intentionis. Sed regnum, quod iniungitur hìc quærendum, eſt quo regnat Deus in hominibus (aliàs omnibus) Et eſt ſenſus [primum] militando, prædicando, bene operando inſtanter [quærite regnum Dei] hoc eſt, quòd regnet confirmatò regno in hominibus. *Io.* 15. Ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis: & fructus veſter maneat.

Et iuſtitiam eius] hoc eſt, iuſtitiam, qua regnum iſtud confirmatur, & quæ ad regnum perpetuum conducit. *Sap.* 6. Concupiſcentia ſapientiæ conducit ad regnum perpetuum. *Pſalm.* 26. Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus &c. *Luc.* 10. Porrò vnum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Luc.* 1. In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.

Et hæc omnia adiicientur vobis] Non enim ſunt petenda, ſed tanquam parua adiicienda: non enim euangelizare debetis, vt manducetis: quia tunc quæreretis iſta: quia iſta non ſunt finis, ſed adiecta ſuſtentationi vitæ ad illa quærenda. 1. *Cor.* 9. Multum eſt de iſta materia. Inter cætera dicitur ibi: Dominus ordinauit his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere, ſed non propter iſta prædicare. Vnde de ſe ibidem dicit *Apoſt.* Vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium, vt non abutar poteſtate mea in Euangelio.

Nolite ergo ſoliciti eſſe in craſtinum.

Hic incipit remouere ſolicitudinem extenſam in longum & futurum: & circa hoc dicit duo: ponit enim primò inhibitionem, dicens [Nolite ergo ſoliciti eſſe] Et coniunctio illatiua continuationis

nota est ad præinducta. Quasi diceret. Sicut non expedit solicitos esse de abundantia temporalium, vel etiam de necessariis, solicitudine nos à militia christiana retrahente, eadem ratione prohibeo, ne soliciti sitis in futurum eadem solicitudine.

In crastinum] hoc est, in longum futurum. Licet enim prouidentia futuri concedatur, sicut & Dominus loculos habuit *Ioan.* 13. In quibus reseruabatur pro futura necessitate: tamen solicitudo deiiciens ab opere militiæ professæ & ex officio debitæ interdicitur [In crastinum] hoc est, in futurum. *Genes.* 30. Respondebit mihi cras iustitia mea, cum placiti tempus venerit coram te, hoc est, in futuro. Ratio autem huius tangitur *Hebr. vlt.* IESVS CHRISTVS heri & hodie ipse, & in secula. *Matth. vlt.* Ecce ego enim vobiscum sum omnibus diebus vitæ meæ vsque ad consummationem seculi. Cum igitur procurator nobiscum sit, non oportet solicitari. *Luc.* 22. Quando misi vos sine sacculo & sine pera & sine calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Vnde *Chrysostomus* dicit: quòd accedens ad fontem non solicitatur de bibendo: & tunc stultus est, qui secum habet Deum Patrem, & solicitatur de futuris: quia Pater cœlestis omni fonte magis manat. *Psal.* 77. Malè locuti sunt de Deo: dixerunt: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Nunquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua.

Hoc est secundum, vbi præinductæ prohibitionis inducis rationes, & inducit duas, vnam, quòd futurum habet onus suæ solicitudinis. Et sicut dicitur *Luc.* 11. Ignoramus quid futura pariat dies, & ideò cassa est solicitudò de ipsa. Sed, sicut dicit *Hieronymus*, præsentia gratè suscipiamus, & futura post prouidentiam ordinatam Domino committamus: sicut enim dicit *Apostolus.* 2. *Corinth.* 8. Prouidere possumus bona non solùm coram Deo; sed etiam coram omnibus hominibus: Et ideò *Prou.* 6. mittitur piger ad formicam, quæ in æstate congregat cibum sibi. Est ergo sensus, quòd gratè suscipientes præsentia munera Patris, & prouidentia ordinata, cauentes futuros malorum incursus, solicitudinem ampliorem Domino, qui futura nouit, committamus. *Hebr.* 13. Sint mores sine auaritia contenti præsentibus: ipse enim dicit: Non te deseram, neque derelinquam.

Aliam rationem eiusdem inducit, cùm dicit, quòd [Sufficit diei malitia sua] Et vocat malitiam pœnalem solicitudinem, quæ multi propter necessitates temporis huius inuoluuntur, qui multis solicitudinibus alligantur: qua *Apostolus* liberos esse voluit suos, suadens se matrimonio, & curæ domus non obligari. 1. *Cor.* 7. Volo autem vos sine solicitudine esse: & sic etiam Dominus hic suadet eos, qui militare debent sibi, ab omnibus animum occupantibus abstinere. 1. *Corinth.* 9. Qui certant in agone, ab omnibus se abstinent. 2. *Timoth.* 2. Nemo militans Deo, implicat se secularibus negotiis: vt ei placeat, cui se probauit. Cum ergo dicit, quòd dies solicitus est, prosopopœia vtitur, personam mutans, attribuens tempori, quod hominum est temporali necessitati se astringentium. Et cum dicit, quòd [Diei sufficit malitia sua] suam malitiam notat, non vt Mathematici dies infaustos, sed pœnam solicitudinis huius necessitatis vocat malitiam. *Exod.* 32. Placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. Pœna enim malum quoddam est & vocatur, eo quòd contrariatur naturæ bono, sicut dicit *Augustinus. Ephe.* 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. *Genes.* 47. Dies peregrinationis vitæ meæ parui & mali. Sic ergo malitiam vnius diei non oportet cumulare super aliam; quia sufficit vnicuique diei.

CAP. VII.

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.

HIc incipit remouere impedimenta perfectionis, quæ occasionantur ex aliis. Hæc autem impedimenta perfectionis apostolicæ præcipuè insidiantur iurisdictioni iudicij, & doctrinæ: & diuiditur ista pars in duas partes, in quarum prima docet, qualiter sine impedimento nos habeamus ad subditos: in secunda autem, qualiter ad eos, qui speciem habent pietatis, & virtutem eius abnegant *Ibi* [Attendite à falsis Prophetis] Adhuc anterior harum in duas diuiditur: ita quòd in prima docet, quales simus in iudicio: & in secunda quales simus in exemplo *Ibi.* [Petite, & dabitur vobis] In prima, tria continentur, quæ remouent impedimenta: in primo quorum remouet vsurparum iudicium: in secundo indignum *Ibi.* [Quid autem vides &c.] In tertio indiscretum *Ibi.* [Nolite sanctum dare canibus] Vel dicatur meliùs, quòd diuiditur in duas: ita quòd in priori remouet impedimenta iudicij à iudice: & in secunda docet, qualis debet esse iudex Prælatus in dispensando sancta sibi credita: quia Prælatus & iudex est, & dispensator sacrorum. Et tunc prior vlteriùs in duas diuiditur, in quarum prima remouet iudicium vsurparum: & in secunda indignum. In prima harum duo continentur: eo quòd primò ponit prohibitionem, & in secundo adhibet rationis persuasionem *Ibi.* [In quo enim iudicio] Adhuc in prima dicit duo, prohibitionem, & transgredientium pœnam.

De primo dicit [Nolite iudicare] Attendendum autem hic est, quòd est iudicium rationis, & iudicium iurisdictionis. Iudicium rationis licet sit de omnibus, de quibus inquirimus an sint, vel non sint: tamen hoc iudicium, quod hic quæritur, est iudicium, quod fit de actibus humanis, & de hominibus vtrum bona sint, vel mala. Et si est de actibus humanis, aut de actibus proprijs in propria conscientiæ discussione, aut de alienis, in alienarum conscientiarum curiosa inuestigatione. Et si est de propriis in suæ conscientiæ inuestigatione, nunquam est temerarium; quia propriam conscientiam habet testem,

testem, quæ non fallitur in factis propriis: quia sibi constat & factum, & causa facti, & intentio facientis: Et de hoc dicitur 1. *Cor.* 11. Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. *Iob.* 13. Vias meas in conspectu eius arguam: & ipse erit Saluator meus.

Si autem est de alienis, aut est de actibus humanis; aut de ipsis agentibus. Si est de actibus, considerandum est, vtrum sint de his, quæ iam iudicata sunt à Spiritu sancto in scriptura: & hæc sunt, de quibus dicit Philosophus: quòd mox nominata sunt mala: & iudicium condemnationis in illa non est temerarium; sed potiùs, si hæc non condemnabilia iudicantur, est error. *Iob.* 3. Qui non credit, iam iudicatus est. *Rom.* 1. Non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt ea; sed etiam qui consentiunt facientibus. Aut est de his quæ iudicata non sunt, nec mox nominata sunt mala: & ideo illa omnia possunt bono animo & malo fieri, & bono fine & malo, & bene & malè, quoad alias circunstantias: & ideò iudicare illa & condemnare illa temerarium est iudicium, sicut in exemplo, quod dicit *glo.* Quia licet expediat temporalia abiicere & sine solicitudine esse: tamen si hoc aliquis non faciat, non est iudicandus. In tali ergo iudicio sunt duo consideranda, vnum est indagatio causæ: quæ ex ipsa re est probabilis, & via ad veram causam inueniendam: & hæc est solertia, non temeritas. Aliud est adhibere causam, quam res ipsa non demonstrat, & in peiorem partem interpretari: & hæc est interpretatio facti potiùs, quàm verum de re iudicium: & si hoc fiat in sinistram partem, temeritas est; si autem in meliorem partem fiat, hoc boni animi signum est: quia de quolibet præsumendum est bonum, nisi probetur contrarium. De hoc dicitur *Iob.* 6. Id, quod iustum est, iudicate: & non inuenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit.

Si autem est de ipsis, qui agunt talia, qualia inducta sunt, hoc fit duobus modis; aut enim iudico de agente secundum præsentem actum, aut secundum perseuerantiam, siue permanentiam in illo. Si iudico secundum præsentem actum, à quo denominatur agens bonus, vel malus, tria sunt, sicut dicit *Tullius*, quæ informant iudicium accusandæ personæ, vel excusandæ; par, pactum, & iudicatum. Par autem est, quod æquitati & iuri est congruum: hoc enim totum in paritate & æqualitate consistit, sicut suprà diximus. Pactum autem est, quod licet æquum non sit, vel æquale; tamen ex libera voluntate conuenit inter pangentes (aliàs paciscentes) & non contrariatur ciuilitati, vel honestati. Iudicatum autem est, quod auctoritate legis est sanctum. Si ergo video aliquem, cuius factum, aut æquo, aut pacto, aut legi contrariatur, si iudico eum iniustum, non est iudicium temerarium: si autem nihil talium video in ipso, & iudico iniustum, non est iudicium ex ipsa re iudicatum; sed temerarium ex temeritate formatum, & tunc est temerarium: si autem iudico de permanentia in malo, quod agit, non potest esse nisi temerarium: quia qui hodie est bonus, cras melior erit: & qui hodie malus, cras potest esse, vel fieri bonus, & in vltimo instanti suæ vitæ potest esse bonus, sicut latro pendens in cruce: de nemine desperandum est, dum viuit. *Rom.* 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo Domino stat, aut cadit; stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. Et attende autem quòd in vtroque istorum iudiciorum, in quibus iudicat ratio, si occurrit rei necessitas, iudicium est verum; & oppositum iudicium est erroneum, sicut in his, quæ mox nominata sunt mala. Et si sequatur rei probabilitatem, solertia est, quam attendit Rhetor, qui ex signis probabilibus acclamationes (aliàs exclamationes) format ex accusationis, vel defensionis iudicio, sicut si video loquentem cum muliere hominem, & est homo honestus, & locus honestus, matrona honesta, sumitur exclamatio defensionis. Si autem iuuenis (aliàs inuenio) tonsorem diligens, comptus, politus, composito gradu incedens, molliter scapulas gestans, & gestiens placere lenitate (aliàs leuitati) & locus suspectus, & mulier non notæ honestatis: sumuntur ex talibus acclamationes accusantes, & præsumptionem contra eum facientes: hoc igitur est iudicium rationis, quod præponitur iudicio iurisdictionis: quia non debet constitui iudex, in quo iudicium rationis non est iustum; sed potius amoueri debet à solio iudicij, etiam si solium iudicis acceperat.

Iudicium autem iurisdictionis consideratur dupliciter, quoad præsentem partem lectionis: & tertia consideratio erit in parte sequenti, & in vltima parte lectionis. Vnus autem duorum modorum est in adeptione iurisdictionis; alius in executione iudicij. In adeptione iurisdictionis duæ sunt considerationes; vna est si præsumatur iudicium sine iurisdictione; & tunc potestas iudicandi & iudicium præsumptum est. *Gen.* 19. Ingressus es vt aduena: nunquid vt iudices? *Exo.* 2. Quis te constituit principem & iudicem super nos? Adhuc si ingerat se aliquis in cathedram; & solium iudicis propria voluntate, imprudentes, vel simoniacè; præsumit talis temere iudicium. 2. *Reg.* 15. Quis me constituat, vt iudicem super terram: vt ad me veniant omnes, qui habent negotium; & iustè iudicem? ita dixit iniquus & temerarius fratricida, & patris expulsor Absalon. *Hebr.* 5. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. *Iac.* 3. Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quia maius iudicium sumitis: & intelligit de magisterio auctoritatis iudicandi, quod habent Prælati. Hi ergo quoties iudicant, temerè se de iudicio intromittunt: quia non à summo iudice potestatem iudiciariam acceperunt. Vnde sicut in iudicio hominum, inferior iudex inuasor est, qui à Papa, vel Imperatore, vel Rege in suo regno non est institutus: ita inuasor est talis, qui à Deo non vocatur ad iudiciariam potestatem. *Deu.* 13. Constituti sunt duo senes iudices in illo anno, de quibus locutus est Dominus. Quia egressa est iniquitas in Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. Hoc enim tonat nomen: quia iudex debet esse constitutus; quia se ipsum non debet ingerere. Alius autem modus, qui est in iudicij executione, vnam solam habet considerationem. Si enim in tali executione voluntas præit; & ratio informata rationibus iuris sequitur: tunc est sicut dicitur in Prouerbiis.

Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.

Et tunc ſemper voluntas impia præualet contra iuris rationem : & ſemper egreditur iudicium peruerſum & temerarium. *Habacuc.* 1. Præualente impio aduerſus iuſtum, egreditur iudicium peruerſum. Nulla enim voluntas nititur præcedere rationem niſi impia : bona enim voluntas non eſt bona, niſi ordinetur à ratione : & illa ſequitur *Deut.* 16. Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quos Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas Tribus tuas : vt iudicent populum iuſto iudicio, nec in alteram partem declinent. Aliter tamen exponit *Chryſoſt.* Et hoc inferiùs proſequemur *Ibi* [Quid autem vides &c.

De omnibus igitur temerariis iudiciis loquens [Nolite iudicare &c.] Et dicit duo, prohibitionem & pœnam. Prohibitio eſt, quam ponit, dicens [Nolite] hoc eſt, velitis non [iudicare] quia ſi voluntas vult iudicare, temerarium eſt iudicium eiuſmodi : ſi autem non vult, ſed cogitur ab inſtitutione ad iuriſdictionem, & ab allegatis iuribus ad ſententiam : tunc non eſt temerarium. Quod autem dixit, quòd iudex debet cogi ab allegatis, non eſt intelligendum ab allegatis ab homine; ſed ab allegatis à iure. Et ideò non debet eſſe iudex niſi ſciens & potens diſcernere inter allegata, ne fraudem faciant aduocati. *Eccl.* 7. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates : virtute enim iniquitates irrumpit, qui habitu ſcientiæ & virtutis iniquitatem videt, & non ſuſtinet.

Vt non iudicemini] Vel [& non iudicabimini] Duæ literæ. Videtur autem factum, quod dicitur *Apoc.* 20. quòd mortui, puſilli, & magni iudicati ſunt ſecundum ea, quæ ſcripta ſunt in libro 2. *Cor.* 5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit. *Matt.* 25. Congregabuntur omnes gentes ante eum &c. Ergo omnes iudicabuntur, & iudices & alij. Ad hoc dicendum, quòd prohibet iudicium temerarium, ſicut & dictum eſt : & illud quaſi ſemper eſt ad condemnandum iniuſtè : & ideò etiam iſtud intelligitur de iudicio condemnationis. Vnde ſenſus eſt, [Et non iudicabimini] hoc eſt, non condemnabimini.

Sed tunc videtur, quòd ſine ratione hæc pœna adiungitur huic peccato : quia peccans quolibet peccato mortali condemnatur. Ad hoc dicendum, quòd ſicut dicitur *Sap.* 16. Per quæ peccauerunt, per hæc & dignè paſſi ſunt tormenta : Et ideò qui peccat iudicando, punitur immiſericordiori iudicio & duriori, quàm alius : quia licet Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. *Pſalm.* 24. Et licet miſericordia eius ſit ſuper omnia opera eius, ſicut dicit *Pſalm.* 144. Tamen duplex eſt miſericordia, liberans ſcilicet, & relaxans, vt dicit *Chryſoſt.* Sine liberante quidem miſericordia condemnantur omnes, qui condemnantur; ſed non ſine miſericordia, relaxante aliquid de pœna merita, condemnatur, qui condemnatur : quia nullus ad tantam pœnam condemnatur, quantam meruit. Sed iudices iniqui propter hoc, quòd iudicium eorum multis nocet, & generalem peruerſitatem inducit, minus experiuntur de miſericordia relaxante, quàm alij peccatores : & ideò pœna hæc adiungitur huic peccato potiùs, quàm alij. *Iac.* 2. Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non facit miſericordiam. *Sap.* 6. Exiguo conceditur miſericordia : potentes autem potenter tormenta patientur. Et *Ibid.* Iudicium duriſſimum in his, qui præſunt fiet.

In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini : & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

Hic inducit rationes ad prohibitionem inductam, & inducit duas; vnam ſumptam ex parte ſententiæ : alteram autem ex parte rei ſententiatæ, quæ eſt ſicut pœnæ inflictio : prima autem talis eſt, quòd ſicut iudicant & ſententiant, ita ſententiabuntur : & videtur falſum eſſe : quoniam iniquus iudex iniquam fert ſententiam; & tamen à Deo non recipit niſi iuſtam. Ad hoc dicendum, quòd ſimilitudo vocatur, non in qualitate iudicij, ſecundum quam procedit à iudice; ſed potiùs in proportione ſententiæ, ſecundum quòd procedit contra eum, contra quem fertur : & ſecundum qualitatem, qua fertur in eum : quia ſicut contra illum dant ſententiam; ita contra ſe recipient : & ſicut durè, & ſine miſericordia dant ſententiam; ita durè & ſine miſericordia illa, quæ aliis condemnatis ſit, contra ſe recipient. Et iſtæ ſunt formæ iudicij, ſecundum quas iudicia procedunt in innocentes condemnatos. *Dan.* 13. Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris priùs, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino : Innocentem & iuſtum non interficies. *Iudicum* 1. Sicut feci, ſic reddidit mihi Dominus. 1. *Reg.* 15. Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus : ſic erit abſque liberis inter mulieres mater tua.

Et in qua menſura &c.] Secunda ratio ſumpta penes proportionem pœnæ inflictæ : quia ſicut acerbas & crudeles pœnas ſecundum menſuram iniquæ voluntatis; & non ſecundum menſuram meriti eorum, quos iudicabant, infligebant : ita etiam ſecundum delicti huius proportionem, maiores aliis pœnas accipient à iuſto iudice Deo.

Videtur autem, quòd hoc ſit falſum : quia multò ampliori pœna condemnantur, & maiori damno, in æternum durante pœna, cum ea, quam iniuſtè afflixerunt, & minus ſit acerba, & minoris damni, & temporaliter durans. Ad hoc dicendum, quòd maiori pœna damni & ſenſus punit Deus : & hoc ideò eſt : quia dignitas eius, contra quem peccatur, aggrauat peccatum : peccatur autem in Deum, cuius dignitas, & honor infinitus : & ideò etiam in nihilum contemnendus eſſet peccator, ſi non miſericordia relaxans remitteret iudicium. Pœna autem æterna eſt ideò, ſicut dicit *Glo.* 70. quia voluntas peccandi eſt æterna. Cum enim aliquis cum finali impœnitentia, in peccato moritur, voluntas eius in malo obſtinatur, & in æternum propter hoc gratiæ inſuſceptibilis efficitur; Et ideò numquam peccatum aliquod ab eo ſoluitur : & cùm pœna peccatum inſequatur in æternum; conſequens eſt vt puniatur. Hoc eſt ergo; quod dicit 3. *Reg.* 21. In quo loco linxerunt canes ſanguinem Naboth; & tuum lingent. *Eſther* 7. Aman ſuſpenſus eſt in ligno, quod parauerat Mardochæo Iudæo. *Iſa.* 27. In menſura contra menſuram cum adiecta fuerit, iudicabit eam. *Deut.* 25. Secundum menſuram peccati

peccati erit & plagarum modus. *Luc.* 6. Menſuram bonam & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Hoc eſt ergo, quod dicit.

Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui; & trabem in oculo tuo non vides?

Hic incipit pars illa, in qua remouet iudicium indignum, Quia ſicut dicitur 1. *Cor.* 6. Sancti de hoc mundo iudicabunt. Et in *Pſalm.* 149. Vt faciant in eis iudicium conſcriptum : gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius, & non peccatoribus. Et ideò hic agit de dignitate eorum, qui eſſe debent Prælati & iudices aliorum. Dicit autem circa hoc duo, quorum primum eſt quòd probat ſine crimine iudicando debere eſſe iudicem : ſecundum autem eſt, quòd in criminoſum ponit inuectionem *Ibi* [Hypocrita eiice primum &c.] In prima parte, ponit duas rationes, quarum prima ſumitur penes Iudicij diſcuſſionem, & ſecunda penes peccati, quod iudicatur, & accuſatur, purgationem. In prima ratione tria innuuntur; Iudicantis videlicet maior criminoſitas : & iudicati minor criminoſitas : & iudicantis & iudicati per naturam paritas : & ex his relinquitur quartum, quod eſt diſcuſſionis per iudicium idoneitas.

Attende autem, quòd maius crimen in iudice duobus modis dicitur, ex genere videlicet, & ex nocumento. Ex genere; ſi ſimul ſubiacet iudex odio & iudicandus iræ : quia ira etſi fortè appetat, vel inferat vindictam verbo, vel verbere; tamen non repugnat reconciliationi. Odium autem eſt inueterata ira, quæ reconciliari non vult. Et ſic magis opponitur charitati, & ideò peior : & ſic accipit *glo. Auguſtini.* Vnde *Auguſtinus* in *Regula.* Melior eſt, qui quamuis ira ſæpe tentetur, tamen impetrare feſtinat, vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam : quàm qui tardius iraſcitur, & ad veniam petendam difficiliùs inclinatur. Similiter in alio genere fortè aliquis accuſatur de fornicatione, & fortè iudex ſubiacet inceſtui, vel adulterio; & ſic eſt de aliis. Alio modo quantitate nocumenti dicitur maius crimen iudicis : quia in plures redundat; & audaciam dat delinquendi : ſicut dicit *Gregorius in Paſtorali.* Hunc quippe peccantem nemo arguere præſumit, & in [illegible] culpa vehementer extenditur, cum pro [illegible] gradus peccator honoratur : & hoc modo [illegible] ſicut dicit *Pſal.* [illegible] Prodiit quaſi ex adipe [illegible] Peccatum enim iudicum [illegible] & [illegible] Hoc [illegible] modo trabs vocatur; & [illegible] modo peccatum ſubditi dicitur feſtuca. Non [illegible] ponit feſtucam in iudice, quia ſi feſtuca conſideratur ad impedimentum iudicij : nullus [illegible] iudex inuenitur. [illegible] autem dicitur quia natura æqualis eſt; & non eſt iudex niſi ſecundum quòd iuſtitia [illegible] per [illegible] & alterum deponit [illegible] [illegible] 1. Regum [illegible] noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex illis. Ex his colliges, quòd dicere [illegible] in iudiciis iudex non habet, [illegible] oculo iudicis ſic per trabem. *Rom.* 2. mus

In quo alium iudicas, te ipſum condemnas : eadem enim agis, quæ iudicas. *Lu.* 4. Medice, cura te ipſum. Nam

Turpe eſt Doctori, cùm culpa redarguit ipſum.

Vnde dicit *Chryſoſtomus.* Omne peccatum, quod crimen eſt in ſacerdote, trabs eſt propter ordinem, & in laico feſtuca.

Hoc eſt ergo, quod dicit [Quid autem vides] hoc eſt, per iudicium diſcutis & redarguis [feſtucam] hoc eſt, paruum genere, vel nocumento, vel gradus circunſtantia [in oculo] prouidentiæ operum, vel morum [fratris tui] tibi per naturam æqualis, etſi gradu alleuiante peccatum tibi inferioris : cui etiam propter gradum magis eſt ignoſcendum quàm tibi. Trabem autem : hoc eſt, maius peccatum genere peccati, vel nocumento, vel circunſtantia gradus, & ideò minùs ignoſcendum [in oculo] prouidentiæ tuæ [non vides] per diſcuſſionem & emendam, Vnde etiam *Chryſoſtomus* omnia hæc leniùs exponit, quàm *Auguſtinus*, & alij Sancti : Dicens, quòd ſicut in præhabitis docuit Chriſtus conſequentia ad eleemoſynam, quando voluit ſuos non eſſe ſolicitos, quo minus largè darent; ita hic docet conſequentia ad orationem, quando dicit; nolite iudicare, & non iudicabimini. Si enim quis vult non iudicari à Domino pro ſuis delictis, non iudicet in ſe delinquentem. Quia in quo iudicio illum iudicauerit, & in qua menſura ille menſurauerit pœnas ex iudicio infligendas, quo iudicat eum : eodem iudicio iudicabitur, & eadem menſura remetietur ei à Domino. Vnde *Lu.* 6. latiùs iſta proſequens dicit : Nolite iudicare, & non iudicabimini : Nolite condemnare, & non condemnabimini : Date, & dabitur vobis. Et ſubiungit : Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum : eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Si enim non iudicas [illegible] hoc iudicio, merito charitatis dimittet tibi Deus : & hæc eſt menſura bona. Si autem iudicans quidem, ſed non condemnans dimittis; iudicanti ſed non condemnanti dimittit tibi Deus; ſecundum literam Græcorum. Si autem iudicas & condemnas dicens : quoniam tantum meruit, qui mihi iniuriam fecit, & tamen donans ei iudicans & condemnans & tamen donans dimittet tibi Deus; & hæc eſt ſupereffluens menſura eo quòd Deus plura & maiora tibi dimittit, quàm tu proximo.

In hoc autem ſenſu etiam ſubiungit [Quid vides feſtucam in oculo fratris tui] qui te offendit : & non vides trabem offenſæ Dei in oculo tuo? Aut qualiter per iudicium & vltionem vis eiicere feſtucam de oculo fratris; qui trabem geris in oculo tuo, hoc eſt, offenſam Patris cæleſtis. Reuertamur autem ad literam ſecundum omnes iſtas expoſitiones in communi ſequentia proſequamur. Dicit igitur.

Aut quomodo dicis fratri tuo; Frater, ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo: & ecce trabs eſt in oculo tuo? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo: & tunc videbis eiicere feſtucam de oculo fratris tui.

Secunda ratio eſt, quæ eſt [illegible] delicti purgatio. Dicit igitur [Aut quomodo] omnis

omnis iudex, aut sacerdos, vel quilibet alius [dicis fratri tuo] trahendo eum in causam, vel citans coram te: si iudex es Ecclesiasticus, vel secularis [frater] æqualis per naturam & participationem diuinæ paternitatis [Sine] hoc est, dimitte absque defensione tui [eiiciam per vindictam, vel discussionem & purgationem iudicij [festucam de oculo tuo] sicut superiùs expositum est, paruum genere, vel nocumento, vel circunstantia gradus aleuiantis peccatum [& ecce trabs] peccatum magnum in genere, nocumento, & circunstantia gradus aggrauantis [in oculo tuo est] quo tua, vel aliorum prouidere habes. *Rom.* 2. Qui alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: qui gloriaris in lege, per præuaricationem legis Deum inhonoras.

Et ideò subiungit inuectionem [Hypocrita] laruate: quia iudicando alium laruam tibi alligas iustitiæ, & secundum viam propriam iustitiæ non tenes veritatem & formam [eiice priùs trabem de oculo tuo] hoc est, de prouidentia, qua tibi prospicere debes [& tunc videbis] claro lumine prouidentiæ, quo prospicere debes aliis [eiicere festucam de oculo fratris tui] Vnde: *Chrysostomus.* Quis audiet eum docentem, qui se ipsum non audit? 1. *Tim.* 3. Si quis domui suæ præesse nescit, Ecclesiæ Dei quomodo diligentiam habebit? *Eccl.* 14. Qui sibi nequam, cui bonus est?

Nolite sanctum dare canibus.

Hic incipit pars illa, quæ est de distributione sacrorum, quæ ministris & Rectoribus Ecclesiarum committuntur. Licet enim faciles velit eos esse ad indulgendum: eo quòd hoc facit ad lucrum animarum; non tamen vult eos esse improuidos & faciles ad sacra indignis communicandum. Et ista occasione etiam inducitur pars ista: quia possent credere, quòd ex quo non debent meminisse iniuriarum, quòd etiam in hoc benignitatem deberent ostendere, quòd facilè communicarent sacra talibus. Et dicit, quòd non: quia ex hoc non sequitur lucrum animarum; sed contemptus Sacramentorum: & hoc est [Nolite sanctum &c.] Dicit autem duo, primò enim ponit inhibitionem, & secundò adiungit inhibitionis rationem. Inhibitio autem duplex est: prima est [Nolite sanctum dare canibus] In qua tria notantur, scilicet, quid prohibet ex parte ministri Ecclesiastici, cùm dicit [Nolite] & quid non est communicandum, quia [sanctum] & quibus non est communicandum, quia [canibus]

In primo notatur, quòd ministri Ecclesiæ voluntatem habeant non communicandi sanctificationes canibus, quamuis aliquando rapiant eas de manibus eorum: quia publicè accedentem, de quo nesciunt caninum peccatum, nisi occultè, arcere non debent à communione Sacramentorum: quia per hoc proderent; sed occultè dissuadere, & inhibere: & in aperto non voluntariè, sed quasi coacti sustinere. Sicut ipse Dominus inter alios secum in catino intingentem non prohibuit, vt dicitur *Matt.* 26. & *Mar.* 14.

Secundum est [sanctum] quod non est communicandũ. Et distinguit *Chrysost.* inter sanctificatum & sanctificationem ea distinctione, quam ponit *August.* inter sanctum Sacrum [aliàs sacrans] & sanctum Sacramentum. Et vt hoc bene intelligatur, dicendum, quòd sanctificatio proprie est forma illa, quæ facit sanctitatem in omnibus, quibus imponitur: Sicut est benedictio & inuocatio Trinitatis in Sacramentis Ecclesiæ. Sanctificans autem & sacrum; est Sacramentũ Ecclesiæ inuocatione diuini nominis sanctificatum, & gratiam conferens ei, qui accipit. Sanctificatum autem non sanctificans, est id, quod benedictione aliqua sanctificatur, sed gratiam non confert. Et hoc non propriè sanctum vocatur: quia sanctum est, quod formam habet sanctitatis, sicut facientem sanctitatem in alio, cui confertur: & hoc modo aqua benedicta & prandium benedictum, & cætera huiusmodi sunt sanctificata. 1. *Timot.* 4. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Sanctum ergo, quod hic vocatur sanctum, est sanctum sacrans, quod est sanctum Sacramentum Ecclesiasticum, sicut Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, & alia huiusmodi: Vnde de figura Eucharistiæ dicitur 1. *Reg.* 21. Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, manducent. 1. *Cor.* 11. Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice illo bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Hoc igitur est sanctum.

Hoc dicit non esse dandum [canibus] Canis enim, vt dicit *Chrysost.* duas habet immunditias: quia nec vngulam diuidit in duo: nec ruminat. Et ego addo, quòd tres habet secundum proprietates moris: duæ autem immunditiæ, vt dicit *Chrysostomus*, significant immunditiam, ex infidelitate, & ex moribus, sicut sunt pagani, hæretici, & perfidi Iudæi. Tres autem immunditiæ secundum mores sunt, vna in latratu, & duæ in cibo. In latratu autem duas habet proprietates singulares, quæ sibi soli inter animalia conueniunt. Inter omnia enim animalia habet, quòd vix emittit voces nisi ad abigendum superuenientes: cum alia animalia ad hoc non vociferent. Secunda est, quòd cum clauso ostio deintùs latrat; statim latrat ad quẽlibet impellẽtem ostium, antequam consideret, vtrum blandimentum caudæ respiciendum sit, vel minantibus latratibus abigendus. In cibo autem duas habet: quia & vorax est animal vltra satuitatem se superimplens: propter quod etiam in hominibus talis appetitus vocatur caninus. Secunda est, quòd redit ad vomitum, & iteratò deuorat eum. Infideles igitur & corrupti in moribus significantur ex duabus immunditiis legalibus. Contentiosi autem & semper contra veritatem garrientes significantur ex hoc, quòd non nisi abigendo latrat. in 3. *epist. Ioannis.* Diotrepes non recipit fratres: propter hoc cum venero, commoneam eius opera quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quasi ei ista non sufficiant, neque enim ipse recipit fratres, & eos, qui recipiunt, de Ecclesia eiicit. Per hoc autem quòd latrat, non discernendo priùs vtrum amicus sit, vel non: significat iram, quæ oppugnat non discernendo quid oppugnet. Per voracitatem autem significat carnis & auaritiæ insatiabilitatem, quæ sunt duæ filiæ sanguisugæ. *Prou.* 26. *Isa.* 56. Canes impudentissimi nescientes satuitatem. Per reuersionem ad vomitum

tum ſignificat inconſtantiam pœnitentiæ & virtutis: quia ſi etiam aliquid boni aliquando inceperint, ſtatim ad priſtina mala relabuntur. 2. *Pe.* 2. Canis reuerſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti. His ergo ſacra non ſunt danda. Secunda inhibitio eſt,

Neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis: & canes conuerſi dirumpant vos.

Et hic vtitur alio modo loquendi quàm priùs, & quatuor hic notantur, quorum primum eſt, quòd non dicit, Nolite mittere; ſed dicit [neque mittatis] Innuens, quòd hoc in noſtro opere eſt cauendum, ne aliquo modo fiat. Secundum eſt, quòd dicit [margaritas] Margarita enim eſt id, quod inuenitur in oſtrearum conchis concluſum. Et hoc ſignificat ſanctarum Scripturarum ſacrum & pretioſum intellectum in litera ſicut in concha clauſum. Vnde *Pſalm.* 118. Dilexi ea ſuper aurum & topazion, & ſuper lapidem pretioſum multum. *Matt.* 13. Inuenta vna pretioſa margarita abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & comparauit eam. Tertiò notandum eſt, quòd dicit [veſtras] cum hoc de ſanctis ſupra non dixerit: quia licet ſpiritu reuelante percipiamus veritatem Scripturæ: tamen quia ſtudium adhibemus, noſtrum eſt, quod reuelatur. *Rom.* 2. In die, quo iudicabit Dominus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum. Quædam tamen *Glo.* hic ad idem refert & ſanctum & margaritam: & dicit veritatem Euangelij per vtrumque ſignificari: per ſanctum quidem; quia ſanctificatum eſt & inuiolabile: per margaritam autem proprietatem, quæ inducta eſt, Et quia propria corruptione non corrumpitur. Sed prima expoſitio eſt magis propria. Quartum, quod hic notatur eſt, quod dicit [ante porcos] quia veritas Scripturæ expoſita proponitur ante audientes potiùs, quàm detur eis: & magiſter vnus, qui in cœlis eſt, docet omnem illum, qui docetur.

Sed attendendum eſt, quòd porcus quatuor peſſimas habet proprietates, præter immunditiam legalem, quàm tangit *Chryſoſt.* Vna eſt: quia eſt animal inter omnia naturalia animalia monſtruoſum. Secunda eſt: quia nunquam eſt ſui capitis erectiuum; ſed ſemper depreſſiuum. Tertia eſt: quia cibi eſt ſordidiſſimi. Quarta autem: quia in luto ſemper quærit volutari. Monſtruoſitas autem eſt, quia coniunguntur in eo oppoſitorum animalium proprietates quaſi quædam membra monſtruoſa. Cum enim nullum animal in duo diuidens vngulam ſit, quod non tamen ruminet: porcus in duo diuidit vngulam, & non ruminat. Adhuc animal fiſſi pedis in multos digitos, habet multos filios, & diuidens vngulam in duo, tantum parit vnum, & rarò duos gemellos. Porcus autem conuenit cum vtroque: quia non habens in multa fiſſum pedem, ſed in duo diuidens vngulam, parit multos porcos ſimul. Adhuc animal in duo diuidens vngulam, habet in vno loco corporis mammillas: & animal in multa diuidens, habet multas per totam longitudinem ventris mammillas. Porcus autem diuidit in duo pedem, & per longitudinem ventris totam habet mammas. Adhuc animal diuidens vngulam, habet ſepum: porcus diuidit, & non habet; ſed ſagimen. Adhuc in pilis medium eſt inter hericium & piloſum quaſi compoſitum ex vtroque. Adhuc culmos habet in mandibula inferiori ad corrixandum, & ſimiliter in mandibula ſuperiori, licet ſint breuiores quàm elephas: cum culmos habeat, non habet niſi in inferiori mandibula: & ſic multa monſtruoſa deprehenduntur in porco. Propter quod etiam porcus dicitur quaſi ſpurcus (alias ſpurius) ex talibus compoſitionibus: quia cum conueniat diuerſis animalibus, ſemper retinet ex quolibet magis ſpurcam proprietatem: & quoad hæc ſignificat monſtruoſos homines ex diuerſis vitiis compoſitos. *Num.* 13. Monſtra quædam hominum vidimus ibi. Per hoc autem, quod eſt capitis depreſſiuum, ſignificat totos inhiantes terrenis. *Pſalm.* 16. Statuerunt oculos ſuos declinare in terram. *Dan.* 13. Euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos: vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. Cibi etiam eſt viliſſimi, ſignificans eos, qui paſcuntur immunditiis. *Iob* 30. Ecce ſub ſentibus delicias computabant. *Iſa.* 36. dicit Rapſaces, qui diabolum ſignificat, ſe eſſe miſſum ad eos, qui comedunt ſtercora ſua, & bibunt vrinam pedum ſuorum. *Thren.* 4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Quòd autem in luto volutatur, vt dicit *Petrus*, ſignificat tranſitum de peccato in peccatum: & non quieſcit niſi in fœtore. *Ier.* 48. Fertilis fuit Moab, ab adoleſcentia ſua requieuit in fæcibus ſuis. Immunditia autem legali eſt immundum: eo quòd non in toto eſt immundum, vt dicit *Chryſoſt.* quia diuidit vngulam: ſed in parte eſt immundum, quia non ruminat. Et per hoc ſignificat non errantes in fide, ſed in moribus: de quibus dicit *Apoſt. ad Titum.* 1. Confitentur noſſe ſe Deum; factis autem negant. His ergo margaritæ non ſunt proponendæ. *Eccl.* 21. Verbum ſapiens quodcumque audierit ſcius, laudabit, & ad ſe adiiciet: audiet luxurioſus, & diſplicebit illi, & proiiciet illud poſt dorſum ſuum. *Prou.* 23. In auribus inſipientium ne loquaris: quia deſpicient doctrinam eloquij tui.

Sed contra *Matt.* 1. dicitur. Quæ in aure auditis, prædicate in tectis. 2. *Timot.* 4. Inſta opportune, importune. *Mar. vlt.* Prædicate Euangelium omni creaturæ.

Reſponſio, quòd ſancta ſunt non talibus communicanda, quamdiu tales ſunt: & ſi prædicatur eis, hoc non eſt, quòd exponantur eis occulta & clauſa in ſcripturis profunda; ſed potiùs fidei rudimenta: & hoc non contrariatur ad ea, quæ ſunt hic dicta. *Ioan.* 2. Multi crediderunt in IESVM; ipſe autem non credebat ſemetipſum eis: eo quòd ipſe noſſet omnes: & non erat ei neceſſe, vt quis teſtimonium perhiberet de homine; ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine. 1. *Cor.* 2. Sapientiam loquimur inter perfectos; ſapientiam autem non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam.

[Ne forte] Iſtud eſt ſecundum, vbi dictarum prohibitionum aſſignat rationem, & ponit duas, vnam, quæ ſumitur ex parte Sanctorum, & margaritarum; Et aliam ex parte eorum, quibus iſta ſunt credita tanquam diſpenſatoribus. Prior eſt hæc

hæc [Ne fortè conculcent eas pedibus suis] Et dicit [fortè] propter libertatem arbitrij : quia possunt conculcare, si volunt. Et dicit [eas] Inuuens margaritas, quæ primò ante sancta præponuntur. Et non dicit : rumpent eas : quia verba Dei rumpi non possunt, licet possint vilipendi. *Eccl.* 29. Sagitta infixa in femore canis, sicut verbum in corde stulti. *Psalm.* 49. Proiecisti sermones meos retrorsum.

Et canes conuerti dirumpant vos] Secunda ratio sumpta ex parte ministrorum ; & est sensus [conuerti] contra vos [dirumpant vos] quia tales accepta potestate impugnant & occidunt Sanctos. *Psalm.* 8. Posuerunt morticinia seruorum tuorum escas volatilibus cœli. Dirumpunt etiam aliquando ad mala vitia pertrahendo. Hoc est igitur, quod dicit de impedimentis istis.

Petite, & dabitur vobis : quærite, & inuenietis : pulsate, & aperietur vobis.

Hic incipit pars illa, quæ est de exemplis, quæ monstranda (aliàs monstrantur) ab his, in quibus lex est perfecta, & intentio recta secundum superiùs inductum modum : & diuiditur in tres partes. Ita quòd in prima ostenditur, quales esse debeant in affectu pietatis : In secunda quales in operibus communicationis *Ibi* [Omnia ergo quæcumque vultis] In tertia quales in progressu, siue profectu virtutis *Ibi* [Intrate per angustam portam] In priori autem harum duo continentur, quorum primum est, quibus modis affectus pietatis ad Patrem ostenditur : Secundum autem de fiducia, qua id quod piè petimus, impetratur *Ibi* [Omnis enim, qui petit, accipit.

Continuatur autem primum ad præcedens secundum *Chrysost.* tribus modis : & secundum *August.* quatuor : & secundum quatuor continuationes quatuor recipit distinctiones. Secundum *Chrysost.* Prima continuatio eius ad omnia præcedentia : dictum enim est de Legis impletione, de Iustitiæ modo secundum omnes partes sui, de non iudicando aliquo : quæ omnia magna sunt, & supra hominis infirmi virtutem. Quia cum natura omnia armauerit animalia, aut robore corporis, aut armis vt cornibus, aut dentibus, aut vnguibus, aut velocitate, aut aliquo tali : homini fortissima imperantur, cum debilissimus sit : & hoc ideò est, quia Deus ipse virtus eius est. Vnde 2. *Reg.* 22. Dominus potentia mea & robur meum & Saluator meus, Deus meus fortitudo mea: & sperabo in eum. Et ideò ad fortitudinem suam post omnia inducta monet eum conuerti, dicens : non desperetis de imbecillitate vestra, quia magna impero ; sed [petite, & dabitur vobis] Et secundum hunc modum tria sunt necessaria ad implenda prædicta. Robur gratiæ, vnde possimus : quæsitio viæ per quam perficiamus (aliàs proficiamus) & perfectio, per quam ad statum perfectionis introeamus. Primò namque paupertatem, & destitutionem nostram cognoscentes, non quærimus, quia scimus, hoc quod deest, quod virtutem & robur implendi ministrat : & hæc est gratia virtutis à Deo danda : Sed hac habita, dubitamus de modo proficiendi, qui magis expedit nobis, & congruit secundum statum, & compendiosior est ad profectum : hoc enim ignoratur, & ideò quæritur : & hoc est, quod sequitur [Quærite] consilium ab expertis, & Scriptura, & scrutando in vobisipsis. *Deut.* 32. Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi : maiores tuos, & dicent tibi. *Ierem.* 6 State super vias vestras, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea. Sic autem inuento modo profectus peruenientes ad statum perfectionis, manu operis, & voce desiderij pulsamus ad mansionem æternæ beatitudinis. Ad quod tria exiguntur, scilicet, quòd immediatè simus coniuncti ianuæ, & quòd manu pulsemus, & vocem clamoris emittamus. Primum fit per statum perfectionis, qui est possibilis homini secundum modum viuendi, in quo est, sicut dicitur 3. *Reg.* 19. Sufficit mihi, Domine : tolle animam meam : neque enim sum melior quàm patres mei. Secundum fit per pulsationem magni meriti diu facti. Tertium fit intentione desiderij. *Cant.* 5. Vox dilecti mei pulsantis. Sunt autem tres gradus, quibus proficimus vsque ad ianuam. Primus est in ordinatione passionum, & operum, & electionum sub medio virtutis : & hoc per virtutes Morales, & intellectuales. Secundus est in ordinatione omnium animalium motuum, & virium sub mensura mentis : & hoc fit per virtutes heroicas. Sed quia adhuc in his mens respicit inferiora, non est ibi status perfectionis. Tertius ergo est in ordinatione intellectuum & omnium delectationum & voluntatum nostrarum, sub intellectibus & delectationibus diuinis, altis, puris, & firmis : & tunc stamus ad ostium felicissimæ mansionis. *Matt.* 17. Bonum est nos hic esse : si vis faciamus hic tria tabernacula, admirationis videlicet, delectationis, & quietis. Admirationis, in lumine veritatis : delectationis, in dulcedine bonitatis : quietis, in tota anima quietante aliàs quietantis) peruentione vltimi & optimi finis. Ibi : Sedet populus Dei in pulchritudine pacis, propter veritatem liberantem ab omni ignorantia & errore. In tabernaculis fiduciæ propter bonitatem excludentem omne genus malitiæ : & in requie opulenta, propter optimum quietis (aliàs quietans) desiderium, excludens omne genus miseriæ.

Alius modus continuationis secundum *Chrysostomum* est iste, quòd in præhabitis ponit consequentia ad partem Iustitiæ : quæ est oratio, quæ conditionem habuit hanc, quòd si dimittimus in nos peccantibus, quòd etiam nobis dimitteretur ; & quales essemus in dimittendo, quòd nec iudicaremus, nec condemnaremus : talis esset nobis Pater cælestis in dimittendo debita nostra. Si ergo omnia hæc obseruamus, libenter festucam non aduertentes, vt Pater dimittat nobis trabem : dicit nobis Dominus : si tales estis, exaudibilis est oratio omnis, quam facitis [perite ergo, & dabitur vobis] Et secundum hæc tria sunt ; vnum est finis, ad quem volumus peruenire : & hoc est bonum increatum : & duo sunt vniuersaliter ducentia ad illud, quorum vnum : bonum virtutis ; & alterum lumen veritatis : & secundum hoc petite quodcumque bonum virtutis. *Io.* 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. [Quærite] lumen veritatis. *Baruch.* 3. Disce, vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus : vt scias simul, vbi sit longiturnitas vitæ, & victus, vbi sit lumen cœlorum & pax. Pulsare ante

antè introitum ad increatum bonum æternitatis in coniunctione spiritus, in charitate affectus. *Phil.* 3. Sequar, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum. *Act.* 17. Diffiniens tempora & terminos habitationis hominum quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum. In ipso quoque viuimus, mouemur, & sumus. Sumus enim bono gratiæ, mouemur veritatis lumine ; sed viuimus coniunctione vitæ æternæ. Sic etiam Christus dicit *Ioan.* 14. Ego sum via, exemplo virtutis, veritas lumine veritatis : & vita, æternitate (aliàs æternæ) diuinitatis.

Tertius modus continuationis secundum *Chrys.* est ad immediatum præcedens. Dictum est, quòd sancta non sunt danda canibus, & margaritæ non sunt mittendæ ante porcos. Et possent quærere Apostoli dicentes : dicis, quòd mittis nos sicut oues in medio luporum, vt capiamus lupos : & prohibes, ne tua communicemus eis : qualiter ergo conuertemus eos ? Respondit Christus [petite, & dabitur vobis] Et secundum hoc sic distinguitur [Petite] animarum vobis commissarum salutem, [& dabitur vobis] *Iacob. vlt.* Orate pro inuicem, vt saluemini. Petiuit Stephanus, & datus est ei Paulus : petiuit & Christus, & multi dati sunt ei. 2. *Machab.* 3. Oniæ sacerdoti gratias age : nam propter eum tibi Dominus vitam donauit. *Iob vl.* Iob seruus meus orabit pro vobis : faciem enim eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia. Ne autem crederent, quòd sola oratione laborandum est : ideò addidit [quærite] eos ad salutem monendo, arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia & doctrina, instando opportunè, importunè 2. *Timoth.* 4. *Genes.* 37. Fratres meos quæro : indica mihi, vbi pascunt gregem ? *Lu.* 15. Accendit lucernam, & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat. Nec tantum sic quærendum est ; sed etiam manu solicitudinis continuæ pulsandum & excitandum ad profectum exemplo eius, qui dicit *Apoca.* 3. Ego sto ante ostium, & pulso : si quis aperuerit mihi, intrabo, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. *Cant.* 5. Aperi mihi, soror mea, columba mea, immaculata mea : quoniam caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Quia etiam si contingat rore perfundi & infundi imbribus, à pulsatione non desistamus : quia tandem intrabimus improbitate in corda eorum : sic enim intrauerunt Martyres tandem quasi fatigato diabolo deuicto. Hæc igitur dicta sunt secundum *Chrys.*

Beatus autem *August.* continuat ad mediatum præcedens sic : Dixisti non esse dandum sanctum canibus, & margaritas non esse spargendas ante porcos. Hoc diuitum est, habentium sancta & margaritas ; nos autem conscii nostræ paupertatis, & infirmitatis, vnde accipiemus sancta, quæ non debemus dare canibus ? Et vnde venient nobis margaritæ, quas non mittamus ante porcos ? Ad hoc per antipophoram respondet Dominus dicens [Petite] Et secundum hoc ista tria distinguuntur per similitudinem quandam ad fidem, spem, & charitatem. Si enim aliquis debens proficisci & peruenire ad patriam, virtutem ambulandi in pedibus non habeat : & etiam viam, per quam ambulet, nesciat, primum est, vt petat à medico sanitatem pedum, qua data, sibi quærat viam, qua inuenta, & peruento ad patriam, pulset ad ostium, & intret in domum, & maneat. Hæc ergo tria secundum quandam *Gl. August.* ita distinguuntur : vt petatur fides : quia *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. Et sic fides operans per dilectionem dat vires. Quæritur autem spes : quia sicut dicitur *Hebr.* 6. Spes ingreditur vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor introuit IESVS. Et sic anchora proiecta in litus æternitatis, nec permittit nos abduci per deuia erroris, & voluptatis seculi. Charitate autem pulsamus, & ingredimur : quia illa aperit ianuam regni. *Isa* 31. Dicit Dominus, cujus ignis in Sion, & caminus in Ierusalem.

Alia *gl. August.* sic distinguit sub eodem modo continuationis, quòd duo sunt necessaria ad vitam viæ, vires ad agendum, & demonstratio rerum : & ad primum exigitur robur sanitatis : & hoc petitur, & datur in bono virtutis : secundum autem quæritur, & inuenitur in cognitione veritatis, & vnum est secundum perfectionem actiuæ, alterum autem est secundum perfectionem contemplatiuæ, sed possessio non est nisi ex dono perseuerantiæ, & illa pulsat. *Luc.* 11. Si perseuerauerit pulsans : dabit ei quotquot habet necessarios. Et tunc redit ad hoc, quod petitur perfectione actionis : quæritur veritate contemplationis : pulsatur autem perseuerantia consummationis. Licet enim in humanis demonstratio veritatis sit ante perfectionem actionis ; tamen in diuinis est econuerso : quia sicut dicit *Gregor.* Per operationem venitur ad contemplationem, & per hæc duo ad perseuerantiam, quæ introducit ad æternitatis possessionem. Ad hæc ergo redeunt expositiones Sanctorum pro maxima parte. Petitur autem cordè, quæritur ore, pulsatur manu : vt plena oratio notetur conuersio ad Deum : vel quia in oratione tria sunt, ascensio intellectus in Deum, vt dicit *Damascenus* : Ascensio affectus in Patrem, vt dicit Augustinus & instantia lacrymis demonstrata : petitur affectu, quæritur intellectu, & pulsatur lacrymis. Sic orabat Iacob *Genes.* 31. *Osc.* 12. Et *Tob.* 3. Vnde *glo.* super Tob. Oratio Deum lenit, lacryma cogit : hæc vngit, illa pungit. Vel quia sunt tres gradus maximæ perfectionis in Ecclesia : perunt virgines : quærunt Doctores : pulsant Martyres. Aut quia oratio est petitio decentium à Deo : petitur triplex bonum, temporale infirmitatis solatium, virtutis ad meriti profectum, & gloriæ in præmium. Quæritur etiam triplex, viæ, veritatis, & vitæ : in via dirigit consilium : in veritate scripturarum studium, vitam largitur Spiritus sancti solatium. Pulsatur etiam ad triplex ostium, clementiæ ad peccati remissionem, intelligentiæ ad veritatis reuelationem, familiaritatis diuinæ ad Spiritus Dei societatem. His & aliis plurimis modis variari possunt ista.

Sed hoc aduertendum est, quòd cuilibet trium adiungitur proprium respondens ; petitioni enim adiungitur datio doni. Donum enim est datio irreddibilis, vt dicit Philosophus. *Rom.* 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei ? Quæsitioni autem adiungitur inuentio, hoc est, intus ventio per experimentum : quia cùm quæsitio fiat profectu virtutis, non potest esse, quòd virtutis actus & bonum exeat, & fiat ab anima viua & percepiuam vim habente, quin experimento gustus spiritualis percipiat

percipiat quid dulcedinis est in virtute. 1. *Pe.* 2. Si tamen gustatis, quia dulcis est Dominus. *Psal.* 33. Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Et sic per gustum intus venit: in fructus spiritus perficit. Pulsationi autem adiungitur apertio ad introitum quasi ad mansionem quietis, quæ status est quietissimus in optimo, totum desiderium quietante. Et Ostium illius est apertio præsentiæ remoto repagulo similitudinis vestigij, vel imaginis. Et introitus est sine medio perceptio summæ bonitatis. *Psalm.* 117. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam. Item *Psal.* 23. Attollite portas, Principes vestras: & eleuamini portæ æternales.

Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

Hic dat fiduciam impetrandi, & habet duas partes. Vna est sumpta ex parte orantium; altera ex parte eius, qui oratur *ibi.* [Aut quis ex vobis Patrem petit panem.] Prima dat fiduciam ex parte orantium: quia omnis siue iustus, siue iniustus fuerit, siue diues, siue pauper, qui orat in prædictis conditionibus, exauditur. Et ideò non oportet causari: quia peccatores Deus non audit. *Ioan.* 9. Et quia si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Ioan.* 1. Quia [Omnis qui petit, acci] *Ioel.* 2. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Nam vt dicitur *Ro.* 10 Idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum. 1. *Io.* 3. Fiduciam talem habemus apud Deum: quicquid petierimus, accipiemus ab eo. *Ioan.* 16. Petite, & accipietis.

Sed contra. 2. *Cor.* 12. Paulus: propter quod ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi Dominus: sufficit tibi gratia mea. *Mat.* 20. Nescitis quid petatis. Responsio, Quicquid petitur piè, pro se, perseuerantes, ad salutem, datur, sicut superiùs diximus. Vnde *Io.* 15. Si vos manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quod pertinet ad pietatem: quicquid petieritis in nomine meo, fiet vobis [petieritis] dicit. Quod est futurum coniunctiui, descendens à præterito & significat perseuerantiam ex præterito in futurum per præsens. In nomine autem IESV, est ad salutem petere: & hoc fiet vobis: quia hoc pro vobis est petere. Bonus enim aliquando malum sibi bene petit, sicut Paulus: & pessimus aliquando alicui bonum malè petit, sicut qui petunt tentari. *Iob Iac.* 4. Petitis & non accipitis, eo quòd malè petatis.

Et qui quærit, inuenit] *Sap.* 1. In simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his, qui non tentant eum: apparet autem his, qui fidem habent in illum. *Isa.* 55. Quærite Dominum, dum inueniri potest: inuocate eum, dum prope est.

Et pulsanti aperietur] Hic dicit in futuro [aperietur] cum petitioni & quæstioni reddiderit respondentia in præsenti: quia petitur gratia sanitatis & roboris, quæ in præsenti exhibetur: vt reducamur (aliàs deducamur) *Ps.* 42 Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Pulsatur autem ad relationem præsentem veritatis ac mansionem beatitudinis; & hæc in futuro plenè fient, & non nisi raptim & imperfectè in hoc præsenti. *Isa.* 22. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & claudit, & non erit, qui aperiat: & aperiet, & non erit, qui claudat. *Isa.* 26 Aperite portas: ingrediatur gens iusta custodiens veritatem. Sic ergo habetur fiducia ex parte orantium.

Aut quis est ex vobis homo, quem si filius suus petie it panem, numquid lapidem porriget ei?

Hic ostenditur fiducia impetrandi, sumpta ex parte Dei, qui oratur: & tangit duo. Primò enim tangit affectus humani ad filium hominis quandam similitudinem: & secundò arguit affectus Patris cælestis ad filios adoptionis maiorem esse benignitatem *ibi.* [Si ergo vos, cùm sitis mali &c.] Affectus autem humani similitudinem ponit in petitionibus duabus, panis scilicet, & piscis *ibi*] Aut si piscem petierit] in prima similitudine quinque notantur, quorum primum est eius, à quo in humanis petitur natura: secundum, affectus eius à quo petitur: tertium fiduciæ ratio eius, qui petit: quartum est petitum: quintum autem auditio eius, qui petitur.

Primum notatur in hoc, cum dicit [Quis ex vobis homo] Et tangit tria, vniuersalitatem per infinitatem eius, quòd dicit [Quis] Bonam dispositionem, cùm dicit [ex vobis] quia Barbari quidam aliquando filios suos deuorant. Nam cùm dicit [homo] qui imperfectæ est bonitatis & ex se ipso malus, *Psal.* 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt &c. *Ro.* 3. Non est iustus quisquam: tamen si aliquis est de Apostolis, & pietatem colentibus est. *Ecclesiastes* 7. Virum de mille vnum reperi, hoc est, pietatem naturæ colentem. Illi enim omnes faciunt istud, quod hic dicitur. Sicut enim dictum est, Barbari quidam feritatem belluarum excedentes, deuorant aliquando filios, & præcipuè filias, quando plus vna, vel duabus genuerunt, quod non facit aliquod animal: Quia etiam si ea, quæ sunt suæ speciei comedat: tamen natis parcit, quamdiu sunt parui. *Isa.* 59. Vidit Dominus, quòd non erat vir: & aporiatus est. *Gene.* 6. Omnis quippe caro corrupit viam suam. Hæc ergo est causa, quòd dicit [ex vobis homo] Naturam tangens in hoc, quòd dicit [homo] Cultum autem pietatis in hoc, quòd dicit [ex vobis] Qui enim nec nuptias custodiunt, nec filios vtrum sui sint, cognoscunt: faciunt illud *Sap.* 14 Filios suos sacrificantes, aut insaniæ plenas vigilias habentes: neque vitam, neque nuptias mundas custodiunt. Deinde tangit eum, à quo petitur: dicens [quem si petierit] patrem, qui suum habet in filio per naturam, & ideò coniunctissimus est ei: nec potest esse, quòd natura cultu pietatis innata, affectu non sequatur substantiam, quam habet in filio. Et deinde tangit petentem, dicens [filius suus] per naturam, imaginem & disciplinam. Et tangit petitum, cum dicit [panem] Per quod intelligitur sustentatio necessitatis & perfectio roboris [numquid lapidem por, illi] Affectus est exauditionis in necessariis.

Aut si piscem petierit: numquid serpentem porriget ei?

Similitudo est sumpta à secunda petitione, & exponenda est, sicut prior, nisi quòd piscis significat dulcoramentum naturalis refectionis. Attende autem, quòd in ista similitudine Deus excedit natura

natura hominem: quia non imperfectè, sed substantialiter (aliàs supernaturaliter) est bonus. *Mat.* 19. & *Mar.* 10. Nemo bonus, nisi solus Deus. Pietatis cultu excedit omnem hominis pietatem. *Isa.* 49. Numquid potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiscar tui. Filij autem sunt spiritum adoptionis ab ipso accipientes. *Rom.* 8. Quicunque spiritu Dei aguntur: hi filij Dei sunt. Panis autem, qui cor hominis confirmat, vt dicit glo. est charitas, quæ confortat. *Cant. vlt.* Fortis est vt mors dilectio: & sicut omnis mensa quicquid deliciarum habet, inops est sine pane: ita omnes virtutes inopes sine charitate. 1. *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorum: charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Piscis autem est fides, secundum glo. quia in aquis Baptismi nascitur, & de inuisibilibus profundis eruitur. *Hebr.* 11. Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Et per has duas virtutes intelligitur media spes, quam *Luc.* 11. significat in ouo, in quo nondum habetur pullus, sed expectatur: sicut in spe beatitudo non habetur, sed expectatur. *Rom.* 8. Nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quòd non videmus, speramus: per patientiam expectamus. Lapis autem significat cordis obdurationem charitati contrariam. *Iob* 41. Cor eius indurabitur quasi lapis. Serpens autem perfidiam errotis contrariam fidei. *Genes.* 3. Serpens decepit me. 2. *Corinth.* 11. Timeo, ne sicut serpens decepit Euam astutia sua: ita corrumpantur sensus vestri & excidant à simplicitate, quæ est in Christo IESV. Scorpio autem propter aculeum significat retrò aspicere, quod est causa desperationis. *Genes.* 19. Vxor Lòth aspexit retrò, & conuersa est in statuam salis. Secundum *Chrysost.* Omnia ista sunt sicut hic: nisi quòd dicit, quòd panis significat virtutem, quam confert robur Patris. *Psalm.* 147. Adipe frumenti satiat te: Piscis autem significat cognitionem filij, quæ accipitur in aquis scripturæ. Vnde *Io.* 20. Dedit Discipulis panem & piscem. Fortè non incongruè secundum præinductas expositiones dicetur, quòd cum in virtute duo sint, difficile & bonum: & bonum illud est honestum: quod, sicut dicit *Tullius*, sua vi nos trahit, & sua dignitate nos allicit: Et de quo (aliàs qua) dicit *Amb.* quòd fructus est, qui suos possessores delectat sancta & sincera delectatione (aliàs dilectione) Quòd virtus per hoc, quòd est circa difficile, significatur per panem: quia sic pro certo confortat. Vnde etiam virtus dicitur quasi vi tuens. Et hic est panis, quem Patriarcha *Genes.* 18. proposuit dicens. Ponam buccellam panis: & confortetur cor vestrum, quia buccella est caprum in cella oris: & virtutis difficile commensuratur capacitati hominis. Bonum autem, siue dulce virtutis significatur per piscem: propter quod & Dominus nunquam pauit turbas nisi pane & pisce: & ideò non facit mentionem de carne: quia inflamat ad libidinem; & piscis temperat ad sedationem libidinis. Et hæc est causa, quòd misit piscatores, qui docerent, & non carnifices. Et ideò Religiosi patres exemplum à Christo accipientes cōcedunt in suis Ordinibus pisces, & prohibent carnes. Turba enim Christi non est pasta in deliciis nisi pane & pisce. Aliquando etiam esuriunt: secundum hoc lapis significat duritiam ad virtutem. *Ezech.* 11. Auferam ab eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent. Serpens autem illecebrosus & repens, delectationem significat contrariam dulcedini virtutis: & venenum delectationis serpens in natura. 1. *Cor.* 10. *Num.* 11. Qui ex delectatione gastrimargiæ murmurauerunt, à serpentibus perierunt. Hoc igitur modo possunt non incongruè exponi prædicta.

Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?

Secundum est istius partis, in quo arguit à minori secundum similitudinem inductam: & ideò duo facit. Primò repetit notam minoris, hoc est, eius, quod minus videtur, ex quò arguit: & secundò inducit ex illo maius, siue hoc, quod magis videtur cum nota maioritatis *ibi.* [Quantò magis &c.]

Dicit ergo [Si ergo vos] homines, vel Apostoli, secundum *Chrysostomum* [cùm sitis mali] ad malitiam inclinati. *Genes.* 8. Proni sunt sensus hominis ad malum. Vel [mali] in malo originali nati. *Ephes.* 2. Omnes nascimur filij iræ. *Psal.* 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c. Malo fomitis subiecti. *Rom.* 7. Scio, quòd non habitat in me, hoc est, in mea carne bonum. Et *ibidem.* Volenti mihi facere bonum, video quoniam adiacet mihi malum. Vel [mali] hoc est, corruptibilitati, cui omnis creatura subiacet, inclinati. *Iob.* 4. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles: & in Angelis suis reperit prauitatem, quantò magis hi, qui habitant domos luteas, & qui terrenum habent fundamentum, consumuntur velut à tinea? Vel [mali] secundum *Chrysost.* Deo comparati. *Iob.* 25. Nunquid iustificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce enim luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis? Aut [mali] malitia veniali, quæ remittit feruorem boni. *Isa.* 64. Facti sumus vt immundus omnes nos: quasi pannus mensturatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Licet ergo *Genes.* 1. viderit Deus cuncta, quæ fecerat, & fuerint valde bona; tamen istis modis etiam hi, qui boni sunt in se, mali vocantur.

Nostis] per approbationem eorum, & beneplacitum filiorum, quibus datis. *Prouer.* 3. Pater in filio complacet sibi [bona] temporalia. *Isa.* 1. Bona terræ comedetis. *Genes.* 45. Dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ [data] vobis, quæ non vestra sunt. 1. *Paral. vl.* Quæ accepimus de manu tua, dedimus tibi. 1. *Corinth.* 4. Quid habes, quod non accepisti, [filiis vestris] quos non fecistis; sed qui ex vobis facti sunt. *Psalm.* 99. Ipse fecit nos, & non ipsi nos. *Iere.* 18. Sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea, domus Israël. A patre enim carnali non habetur nisi luti mixti materia.

Quantò magis Pater vester] per substantiam bonus. *Psalm.* 118. Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Non attendens aliquid in filiis nisi bonum filiorum.

Hebr. 12. Ad id, quod vtile est, erudit nos Pater spirituum in recipiendo sanctificationem eius [qui est in cœlis] Non sustinens mutationes effectuum, sicut terrena. *Num.* 23. Non est Deus vt filius hominis, vt mutetur. *Isa.* 55. Sicut exaltantur cœli à terra; Ita exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris [dabit] liberaliter, faciliter, & abundanter. *Cant.* 5. Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis: in manibus est abundantiæ potestas. In hoc, quòd tornatiles sunt dandi facilitas; in hoc, quòd aureæ, doni vtilitas: in hoc, quòd plenæ hyacinthis, qui sunt sereno cœlo similes, doni pretiositas: in hoc autem, quòd plenæ, abundantiæ copiositas [bona] omnia *Exod.* 33. Ego ostendam tibi omne bonum. *Luc.* 11. dicitur. Dabit spiritum bonum: quia vtraque dat & spiritum bonorum distributorem, & bona spiritus ipsius [petentibus se] filiis, quos ipse fecit. *Isa.* 60. Germen plantationis meæ, opus manuum mearum ad glorificandum, minimus erit in mille, & paruulus in gentem robustissimam.

Omnia ergo, quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hæc est enim lex & Prophetæ.

Hic incipit pars illa, quæ est de effectu communicationis ad proximum; & circa hoc dicit duo. Primò enim ponit effectum communicationis: secundò autem (aliàs ostendit) in hoc esse perfectionem legis *ibi* [Hæc est enim lex] Adhuc in priori duo dicit; primò enim dat formam mandati, & in secundo, mandatum communicationis proximi. Continuatio est autem ad præcedens. Quoniam dixit petendum &c. Sed si vultis omnia illa fieri [omnia ergo quæcumque &c.] Vel quia multa dixit de legis impletione & intentionis simplicitate. Sed si omnia hæc ad summum vultis implere [ergo omnia quæcunque vultis &c.] In forma autem huius mandati continentur quinque, quorum primum est acceptionis eorum, quæ nobis volumus fieri, vniuersalitas; secundum est forma, quæ est voluntatis acceptantis qualitas: tertium eorum, quæ nobis fieri volumus, in opere efficacitas: quartum eorundem apud nos vtilitas: & vltimum est eorum, à quibus hæc fierit volumus, rationabilitas: & de his dicemus per ordinem.

Vniuersalitas autem est hic duplex: quia dicit [omnia quæcunque] Et prima distributio distribuit pro generibus singulorum, in quibus communicant homines secundum legitimos actus: secunda autem distribuit pro singulis generum sub generibus illis acceptis: & est sensus: Omnia communicabilia secundum genera, & quæcunque sunt sub generibus illis accepta. Attende autem quòd ad communitatem vitæ ciuilis inter homines non pertinent, nisi quæ sunt secundum legitimos actus: similiter ad communicationem vitæ, quæ est ciuium Ecclesiæ, non pertinent, nisi quæ sunt legitima secundum ordinem legis diuinæ & statuta sanctorum Patrum. Sic enim dicitur *Ephe.* 2. Non estis hospites & aduenæ; sed estis ciues sanctorum & domestici Dei.

Secundò tangit formam & qualitatem eius, quòd (aliàs quia) hæc, in quibus nobis communicant homines, acceptat, cum dicit [vultis] Et dicit *glo.* quòd voluntas hic tantùm de bonis accipitur: vnde *Aug.* Voluntas namque non est nisi in bonis: Nam in malis, flagitiosisque factis non voluntas, sed cupiditas dicitur propriè: & hoc est, quod suprà diximus secundum *Dam.* & *Aristo.* (aliàs *Aug.*) Voluntatem omnem in ratione esse: de hoc autem in philosophicis in libro nostro de anima, plenè est determinatum. Hoc igitur modo acceptans id, in quo communicat nobis proximus, est formatum secundum rationis qualitatem, in qua sunt iuris rationes & ordines, & charitatis communicationes

Tertium (quod est operis efficacitas) notatur in hoc, quod dicitur [vt faciant] non enim satis est velle, si adsit facultas; sed oportet, quòd reducatur ad opus, 2. *Corinth.* 8. Quemadmodum promptus est animus voluntatis; ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis.

Vtilitas autem tangitur, cum dicitur [vobis] Hoc enim nobis fit, quod vtiliter nobis fit; Sed quod nocet, non nobis; sed contra nos fit.

Per hoc autem, quod vltimò tangit [homines] quorum est ratione gubernari, vult intelligere tantum hoc, quod fit rationabiliter.

Et per istam lecturam omnes obiectiones sunt exclusæ: quia secundum hoc non volumus nobis fieri concubitum, vel adulterium, vel iniustè, vel irrationabiliter fieri aliquid. Et ideò secundum hanc formam, qua volumus nobis communicare proximum, ponit præceptum communicandi proximo dicens [& vos eadem facite illis] Natura enim ordinata (aliàs ordinabiliter) præponit se: & hoc modo perficit eam charitas. 3. *Reg.* 17. Mihi primum fac de ipsa farinula; tibi autem, & filio tuo facies posteà. Cum enim omnis virtus sit in medio, quod quoad nos determinatur, oportet, quòd prima ratio modificandi omne opus virtutis accipiatur ex nobis. Et ideò etiam Dominus primo in mandato isto formam iubet accipi ex nobis: hoc autem idem est, quod dicitur *Leuit.* 19. & *Mat.* 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Negatiua autem pars huius mandati continetur *Tob.* 4. Quod ab alio odis tibi fieri; vide tu, ne aliquando alij facias. Et tunc sunt ista duo completa iustitia, cuius perfectam declinationem à malo dicit Tobias. Perfectam autem inclinationem ad bonum dicit hic Dominus.

Attende autem, quòd quidam dicunt in his duobus ius naturale contineri; quod nullo modo est verum. Quia illud, quod hic dicitur vtiliter de omnibus, præponitur illis, in quibus sibi mutuò communicant homines secundum formam vnius charitatis & iuris: & hoc est tam naturale quàm positiuum, quàm energetetiá de hoc nihil à legislatore est constitutum. Ius autem naturale, vt dicit *Tul.* est, quod non opinio genuit, sed innata quædá vis inseruit. Sicut enim intellectus speculatiuus apud se habet cómunes animi conceptiones, quas nó discit à magistro, sed mediantibus illis accipit scientia per doctriná; ita etiam intellectus actiuus apud se habet vniuersalia morú, quæ sunt communes animi cóceptiones, quas quilque probat auditas, per quas accipit scientiá & electioné moralia & prudentiam. Sicut non esse mœchandú, non esse furandum,

furandum, & huiusmodi. Vnde *Boëtius* in libro de consolatione Philosophiæ dicit, quòd intellectus naturalis summa retinet, & singula perdit: & dicit, quòd verba iuris scripta sunt in naturali indicatorio, & illa sunt ius naturale propriè loquendo.

Posito igitur huiusmodi præcepto communicationis, adiungit vtilitatem eius, cùm dicit [hæc est enim lex, & Prophetæ]

Attende autem, quòd non dicit: tota lex: quia non dixerat nisi quæcunque vultis, vt faciant vobis homines: & non dixit simpliciter, quæcunque vultis vobis fieri. Et ex quo, in modo loquendi non tetigit nisi communicationem & dilectionem proximi, non dicit tota lex: quia pars legis est de dilectione Dei. *Matth.* 22. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Possemus tamen dicere, quòd hic non loquitur nisi de communicatione proximi, cui communicamus in operibus; quod non facimus cum Deo: quia illi communicamus affectu & spiritu. In dilectione autem proximi, quando propter Deum proximum diligimus, includitur dilectio Dei: & sic cum dicit, Hæc est lex: intelligitur tota lex. *Rom.* 13. Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices: in hoc verbo instauratur: diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo legis est dilectio.

Sed quæritur quare addit Prophetas? Responsio. Per Prophetas notat omnes scripturas additas legi: quia in illis sunt promissiones, quæ etiam implentur merito communicationis iustitiæ, & merito communicationis charitatis. Hoc est ergo quod dicit de communicatione, quæ pertinet ad proximum, in qua est operis perfectio.

Intrate per angustam portam.

Hic vltimò inducit profectum virtutis quoad seipsum: quia enim aliquis diceret: omnia grauia sunt, quæ imperas: Ideò dicit, quòd hoc verum est: quia per angustam portam oportet ingredi ad vitam. Tangit enim duo; primò ponit admonitionem; & secundò inducit suæ admonitionis rationem *ibi* [Quia lata &c.] In admonitione tria sunt notanda, scilicet, quæ sit porta, qualiter angusta, & qualis introitus.

Porta autem est hic introitus ad vitam, sicut inferiùs dicetur: & multiplicatur porta, scilicet, introitus ad vitam. Est autem introitus ad vitam redemptionis Ecclesiæ: & est introitus ad vitam gratiæ: & est introitus ad vitam gloriæ. Et primus quidem introitus duplex est, vnus est per Christum redimentem; & alter est per Sacramenta, per quæ gratiam redemptionis accipimus. Primo modo dicitur secundum quandam *glossam* Christus porta. *Ioan.* 10. Ego sum ostium: per me si quis introierit, saluabitur. Secundo modo vulnus lateris, ex quo fluxerunt Sacramenta, aqua expiationis & sanguis redemptionis, dicitur porta: vnde *glossa* dicit: Quid angustius illo foramine, quod lancea militis fecit in latere Christi: per quod tamen fere totus intrauit mundus? *Psalm.* 117. Hæc porta Domini: iusti intrabunt per eam. Ad vitam autem gratiæ non intratur nisi per portam virtutis, de qua

dicitur in *Psalm.* 117. Aperite mihi portas iustitiæ. *Genes.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. *Isa.* 28. Erit Dominus fortitudo reuertentibus de bello ad portam. Introitus autem iste in vitam gratiæ specialiter est per charitatem: & ideò charitas dicitur porta. Hæc est enim porta orientalis, per quam oriens ex alto Princeps IESVS ad nos ingressus est, & per quam etiam egressus est in cœlum; & clausa omnibus non pertinentibus ad membra corporis eius; nec vnquam alicui nisi sibi in integritate membrorum suorum aperietur. *Ezechiel.* 44. Porta orientalis clausa est, & non aperietur: quia Dominus Deus Israël ingressus est per eam: eritque clausa Principi. Hæc dicitur arcta. Angustum enim est inimicos diligere, nullum iudicare, ad vnum contendere, nil nisi Christum amare, & huiusmodi. Introitus autem ad gloriam est per portam perseuerantiæ, quæ datur in fine omnium bonorum ad viam pertinentium: & inchoatur à principio eorum, in proposito permanendi cum Christo. Et hæc est porta, de qua dicitur in *Psalm.* 127. Beatus vir, qui implenit desiderium suum ex ipsis: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. Omnes istæ portæ angustæ sunt valde: ita quòd foramini acus comparantur. Sed litera specialiter videtur intelligi de porta virtutis, & antonomasticè de porta charitatis: & per effectum intrandi, de porta perseuerantiæ. Vnde fortè meliùs dicitur, quòd porta est virtus: apertura, charitas: introductio, perseuerantia. *Prouer.* 31. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.

Hæc porta dicitur angusta tribus de causis secundum *Chrysost.* vna est, propter præcisionem eorum, quæ adhærent intranti, cum quibus intrare non potest: altera propter paucitatem euntium eorum, qui cohærent intranti: tertia propter difficultatem transeundi per eam. Ea enim, quæ cohærent homini sunt, in quibus & natus & enutritus est contemporanea naturæ existentia: quæ sunt, gaudere in præsentia delectabilium corporis, & tristari in absentia eorundem: tristari in præsentia tristabilium corporis, & gaudere in eorundem absentia. Delectabilia autem corporis sunt, ad luxum pertinentia concupiscentiæ in gustu & veneris: & ad concupiscentiam oculorum in his, quæ auarè congregantur, & auariùs retinentur: & in his, quæ pertinent ad pompam seculi, superbiam vitæ, dignitatum ambitionem, & honorem primatuum, & vani applausus & laudes, in quibus gaudet humanæ vitæ concupiscentia, & tristatur in absentia eorundem. Tristatur etiam in præsentia ieiuniorum, orationum, humilitatis in veste, dimissione sociorum, asperitate vestitus, & huiusmodi, & in eorundem absentia gaudet & exultat. Quia sicut dicitur *Sap.* 2. Nihil aliud quærit talis populus nisi vino pretioso & vnguentis impleri se, in omnibus locis signa luxuriæ relinquere, & hanc esse sortem suam, quod in bonis præsentibus gaudeat, & non aeger vitæ, quin omnibus delitiis perfruatur. Virtus autem hoc habet, quod in præsentia talium delectabilium tristatur, in absentia gaudet: & præsentia parsimoniæ gaudet, & in absentia tristatur. Et ideò est arcta, & angusta dicitur esse, ex vna enim, &

sola, & ex tota causa constituitur, sicut suprà docuimus. Vitium autem fit omnifariam. Sic ergo oportet præcidi ab homine latitudinem & luxum vitiorum. *Ierem.* 4. Circuncidimini viri Iuda & auferte præputium cordium vestrorum. *Genes.* 17. Circuncidetur in vobis omne masculinum: & circuncidetis carnem præputij vestri: vt sit signum fœderis inter me & vos. *Rom.* 2. Circuncisio cordis non in litera, sed spiritu, cuius laus non ex hominibus; sed ex Deo est. Paucitas etiam comitantium (aliàs commeantium) in via & per portam ostendit, quòd angusta est: quia in via concupiscentiæ homo vadit cum vxoribus, filiis, cognatis, affinibus, & amicis, sicut dicitur *Iob.* 21. Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi: & infantes eorum exultant in lusibus: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferni nouissima descendunt: sed in via descendunt virtutis. Si quinque sunt in domo, duo in tres, & tres in duos diuidentur: si duo sunt in lecto, aut in agro, aut in mola, vnus proficiscitur, & alter remanet. *Deut.* 33. Qui dixerunt Patri suo & matri: nescio vos: & fratribus suis: ignoro illos: & nesciérunt filios suos: hi custodierunt pactum tuum, & eloquium tuum seruauerunt. Et *Matth.* 10. & 19. præcipitur vt Patrem & matrem & cæteros amicos relinquamus, si volumus esse digni, vt sequamur Christum per portam angustam. *Matth.* 19. Multi sunt vocati; pauci verò electi. Secunda causa est: quia pauci etiam incipientes proficiunt: & multi, qui profecerunt, deficiunt, & reuertuntur. Hoc optimè significat *Psal.* 74. vbi dicit: Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei: quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Quis enim considerans tantum commodum peccatorum, non zelat vitam eorum? videns, quòd in omnibus pacem habent, & plantati proficiunt, & Sancti impugnantur: vix est, cuius pedes non moueantur, & offendantur gressus; nisi quòd vnum est adiutorium, quod dicit *Psalm.* 77. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me. *Ioan.* 6. Multi discipulorum abierunt retrorsum; & iam non ambulauerunt cum eo. 2. *Timo.* 1. Scis quòd auersi sunt à me omnes, qui sunt in Asia. 2. *Timoth. vlt.* Demas me dereliquit diligens hoc seculum. His ergo causis dicitur angusta, & sic habitum est de porta & de angustiis eius.

Introitus autem est per inceptionem, profectum, & perfectionem: inceptio est per conuersionem, profectus per virtutum & meritorum accumulationem, & perfectio per cursus & status consummationem. Inceptio est angustissima, progressus latior, lætissima (aliàs lætissima) & iucundissima perfectio. *Psalm.* 17. Eduxit me in latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me. Eduxit me de angusto conuersionis in latitudinem profectus virtutis: & in perfectione saluum fecit. *Prouer.* 4. Semita iusti quasi lux splendens & crescens vsque ad perfectum diem. Sic ergo expeditum sit de admonitione.

Quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam.

Hic admonitionis inductæ subiungit rationem [Quia lata est porta] Et dicuntur duo, quorum primum est, quòd inducit oppositum, vt magis propositum manifestetur: quia oppositorum eadem est disciplina. Secundum est, quòd inducit (aliàs includit) propositum ex opposito *Ibi* [quàm angusta porta &c.] De opposito autem quatuor dicit, latam videlicet esse portam: spatiosam viam, quæ ducit ad portam: finem viæ & introitum portæ ducere ad perditionem: & multitudinem intrantium: & hæc patent in litera.

Porta autem ista dicitur introitus ad perditionem: & iste est hians & patulus ingressus mortis: & iste est duplex, vnus est ingressus mortis culpæ, & iste est vitium capitale: & alter est ingressus mortis, & iste est mors naturæ. Et diabolus est ostiarius in primo ostio, & carceris custos: In secundo vtraque istarum portarum est lata: quia licet mors naturæ sit arcta; tamen adminicula mundi in mollitie strati & multitudine fouentium, & aliis dilatant eam, quòd leuiùs ferrur, sicut patet *Luc.* 16. in diuite purpurato & Lazaro. De prima porta dicitur *Infrà.* 16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. De secunda dicitur *Iob.* 38. Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, aut ostia tenebrosa vidisti? De vrisque portis dicitur in *Psalm.* 106. Contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Suscepit eos de via iniquitatis eorum. Spatiosa autem dicitur via, voluptas, quæ licentiosa est ad omnia quæcunque vult. *Eccles.* 2. Omnia, quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ parauerat.

Hæc ducit ad perditionem] Prima quidem porta ad perditionem vitæ gratiæ, & boni naturæ: secunda autem ad perditionem gehennæ. De prima dicitur *Luc.* 15. Frater tuus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est. Mortuus priuatione vitæ gratiæ, & perditus in bonis naturæ, *Osee.* 14. Pereat Samaria, quia ad amaritudinem concitauit Deum suum: in gladio pereat: paruuli eius elidantur & fœtæ eius discindantur. Pereat, inquit, in bono naturæ & gratiæ; quia per peccatum amaricauit Deum, qui natura dulcis est. In gladio duro ancipiti pereat morte gehennæ; qui gladius procedit ab ore Dei *Apocalyps.* 1. Qui est sententia condemnationis æternæ. Paruuli eius sunt inchoationes peccatorum, fœtæ conceptiones malorum propositorum. De hac dicit [quia multi sunt, qui intrant per eam] Non enim hæc quæritur: quia spatiosè patet omnibus: & licet à principio lasciuæ iuuentutis lata sit omnibus, & spatiosam se exhibeat; tamen paulatim stringitur per senectutis grauedines, donec tandem ad punctum colligitur. fouea æternæ. *Isa.* 24. Formido & fouea & laqueus super te, qui habitator es terræ. Formido pœnalitatis, fouea carceris, & laqueus æternæ condemnationis.

Quàm angusta porta & arcta via, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt, qui inueniunt eam.

Hic incipit secunda pars huius rationis; in qua ex positionibus (aliàs ex oppositi dispositionibus) ostendit propositum. Et dicit quatuor, angustiam portæ, arctitudinem viæ, & finem vitæ, & frequentantium paucitatem. Et de angustia portæ iam dictum est supra. *Ecclesiastic.* 1. Ingressus sapientiæ mandata æterna. Arcta autem via est profectus per ardua opera. *Baruch* 4. Delicati mei ambulauerunt per vias asperas. Tamen hæc via dilatatur paulatim, vt suprà dictum est.

Ducit ad vitam] Ecce finis & ideò dicitur *Ecclesiast. vltimo.* Exiguum laborani, & inueni mihi multam requiem. Quia sicut dicitur *Gen.* 19. Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Et ideò in apocripho Esdræ dicitur quòd est ciuitas posita in sublimi, plena omnium bonorum, cuius introitus est angustus, à dextris ignis, & à sinistris aqua. Ignis concupiscentiæ & tribulationis, & aqua voluptatis & persecutionis Sanctorum. *Act.* 14. Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum cœlorum. *Psa.* 65. Transiuimus per ignem & aquam; & eduxisti nos in refrigerium.

Et pauci sunt qui inueniunt] quia stricta latet, vnica, & multis deuiis circumposita. Et pauci sunt, qui quærunt: pauciores, qui inueniunt: paucissimi, qui inuentam perficiant: quia multi, sicut suprà diximus, reuertuntur retrorsum. Hoc autem, vt *Timeus* (aliàs *Tullius*) narrat, optimè ostendit *Pythagoras.* Inuenit enim ad vitam hominis instruendam literam, quæ vsque hodie vocatur litera pythagorica: Et hæc est illa, quam nos vocamus Y quæ incipit ab imo per strictum lineæ, & ascendit per illam, & postea bifurcatur in duos ramos, quorum vnus directè ascendit, & alter ad inferiora reflexus incuruatur sic Y Volens, quòd infantia & natiuitas in omnibus stricta est, quæ ascendens per ætatis incrementa vsque ad vltimam ætatem, ramum rectum rationis mittit per gradus virtutis ad summum felicitatis: & alterum ramum concupiscentiæ recuruans per gradus vitiorum ad ima brutalitatis; & infidelitatis. Paucos autem esse dixit, qui difficiles altitudines velint scandere: plurimos autem per prona ad ima concupiscentiarum eligunt reflecti. Et de ascensu quidem est in *Psal.* 83. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. De descensu autem & reflexu *Isa.* 51. Dixerunt animæ tuæ incuruare, vt transeamus, & posuisti vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus, supple dæmonibus.

Attendite à falsis Prophetis.

Hic incipit pars illa, quæ est de impediente: sit non tantùm retrahit, sed potiùs peruertit per falsam speciem pietatis. Et diuiditur in partes tres secundum ea, quæ exiguntur ad speciem pietatis: quorum vnum est species pietatis vsurpata: alterum falsi nominis scientia præsumpta, quam tangit *Ibi* [Non omnis qui] Tertium est alta potestas ad iactantiam sanctitatis ostenta: & hanc tangit *Ibi* [Multi dicent mihi in illa] Prima autem harum diuiditur vlteriùs in tres, in quarum prima ponit inhibitionem cum declaratione eiusdem: in secunda ponit declarationis probationem, quadam inducta de vegetabilibus similitudine *Ibi* [Numquid colligunt] In tertia autem per omnia probat intentam conclusionem *Ibi* [Igitur ex] Adhuc in prima harum duo continentur, scilicet inhibitio & declaratio. Inhibitio est, quòd dicit [Attendite à falsis Prophetis] Est autem continuatio ad præcedens, quòd quidem nemo iudicandus est, & iustitia nostra coram hominibus faciendo non est: & quòd per angustam portam intrandum est. Sed in omnibus his quia species pietatis & exhibenda & attendenda est, & hæc est causa deceptionis etiam hæreticis: ideò ne decipiamur: dicit [Attendite] Et per hoc notat duo: quia vix cauetur: & quia multum nocet decipi. Vix cauetur: quia bonis valde sunt similes 2. *Cor.* 11. Huiusmodi Pseudoapostoli operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi: & non mirum: ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est mirum ergo, si ministri eius transfigurantur velut ministri iustitiæ. Quod autem multum noceat. 2. *Tim.* 2. Multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit. Et quia sic vix deprehenduntur, & multum nocent [Attendite]

A quibus autem attendant, subdit [à falsis Prophetis] Sed videtur, quòd cum *Matt.* 11. dicatur, quòd lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, quòd non oportuit post tempora Ioannis à talibus attendere: & hæc est obiectio *Chrysost.* Et soluit, quòd Prophetia omnis fuit de Christo, & Sacramentis eius: quia Prophetia propriè est diuinà inspiratio sub immobili veritate, tales rerum euentus denuntians, qui sunt de redemptore & Sacramentis eius: & hoc modo Prophetia finita fuit ad Ioannem, qui digito Saluatorem demonstrauit: & tunc inceperunt Apostoli in labores Prophetarum intrare, & regnum cœlorum vim pati, & violenti rapuerunt potens regnum, quod annunciabatur per Christum. Sed si Prophetia dicitur quæcunque enuntiatio futurorum, tunc fuerunt, & sunt Prophetæ post Ioannem, sicut Agabus & filiæ Philippi Euangelistæ, qui futuram famem & vincula Pauli prænuntiabant. *Actor.* 21. Sed hic, vt dicit *Chrysost.* Prophetæ dicuntur Doctores Ecclesiæ, qui diuina docere non possunt, nisi spiritu diuino intelligantur, quem habuerunt Prophetæ. 1. *Cor.* 14. Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent: potestis enim omnes per singulos prophetare, vt omnes discant, & omnes exhortentur. Et *Ibidem antè.* Æmulamini spiritualia; magis autem, vt prophetetis. Et *Ibidem.* Qui prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Veri igitur Doctores, veri sunt Prophetæ: falsi autem Doctores sub specie pietatis latentes, falsi sunt Prophetæ. *Iere.* 6. A Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. *Sophon* 3. Prophetæ eius velani viri infideles.

Est autem attendendum quòd non dicit, Attendite ab his, qui videntur falsi Prophetæ, vel à fallacibus hominibus, qui Prophetæ videntur, & non sunt: quia bene possunt verè prophetare, & etiam veri Prophetæ esse; & tamen falsi sunt per aliam modum. Dupliciter enim dicitur falsus Propheta, à falsitate doctrinæ scilicet, & ab intentione fallendi, vel seducendi, quamuis vera doceat. A falsitate doctrinæ. 3. *Reg. vlt.* Fuit Propheta falsus Sedechias, qui sibi fecit cornua, & enuntiauit, quòd Achab iret in Ramoth Galaad, & ventilaturus esset Syros: & sicut *Ibidem* dicitur

citur, Spiritus mendax erat in ore eius: & aliorum Prophetarum complicum suorum ! & decepit Achab, vt iret, vbi occidendus fuit. Ab intentione autem fallendi, quamuis vera dicerent, falsi Prophetæ fuerunt Balaam & Caiphas. Balaam *Num.* 23. & 24 qui vera & bona dixit; sed pergens ad populum suum dedit consilium, quid facturus esset Balach populo, vt deciperetur per idolum Phogor, hoc est, idolum tentiginis. Et Caiphas *Ioan.* 11. vera dixit; sed tamen malitiam intendit, delere scilicet nomen Christi: & sic est in multis aliis. Vtroque autem modo simul & diuisim dicuntur hic falsi Prophetæ. *Iere.* 23. In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterij, & iter mendacij. Adulterij similitudo, quando veritatem, quam docent, adulterantur per seductionis intentionem: iter autem mendacij, quando mendacia, vel falsa proponunt. *Iere.* 14. Falsò prophetarunt vaticinantes in nomine meo: non misi eos, & non præcepi eis, neque locutus sum. *Deut.* 13. Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius & somniatoris: quia tentare vult te Deus, vt palam sciat, vtrum diligas eum, aut non. Et *Ibidem Infra.* Propheta autem ille somniator occidatur: quia locutus est, vt auerteret te à Domino tuo. Isti ergo sunt falsi Prophetæ. Hos autem describit dicens.

Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.

Et dicit tria, speciem pietatis, qua decipiunt: ferocitatem lupinam, qua nocent: & signum, per quod cognoscuntur. De primo horum dicit duo, simulationem charitatis etiam vltronea ingestione, cum dicit [Qui veniunt ad vos] Non enim expectant, donec ab eis requiratur, sed ingerunt se hominibus, sicut de Domino supra 4. dicitur, quòd circuibat castella & ciuitates prædicans Euangelium. Secundum est exhibitio exterior ouinæ simplicitatis & innocentiæ, cùm dicit [in vestimentis ouium] 2. *Timo.* 3. Habentes speciem pietatis; virtutem autem eius penitus abnegantes. Propter blandimentum autem vestis *Apoca.* 9. significantur per scorpiones, quarum potestas nocendi fuit in cauda, & blandiebantur facies earum exteriùs.

Attendendum autem, quòd ouis, manente substantia eius, mutuat lanam, sine differentia eorum, quibus mutuat, & sine differentia colorum: omnes enim induuntur lanis ouium, & in omnes colores variantur: & in hac proprietate & boni verè, & apparentes fictè & mali Prophetæ apertè lanis ouium vtuntur, & abutuntur. Verus enim Propheta siue Doctor, qui & vitæ bonitate, & doctrinæ veritate, & potestatis perfectione, veruex gregis est, Domini locum tenens, & vitam & doctrinam agni immaculati; sed fictus est, qui specie vitæ intentionem falsæ ingerit doctrinæ, & potestatem vsurpat: apertè malus est, qui aliquando non habet nisi locum in potestate, & vita malus est, & doctrina nullus. Aliquando autem doctrinam habet, & potestatem, & vita est peruersus. Ficti gregem decipiunt, vt aberrare faciant: mali cornibus impingunt potentiæ suæ, & deuorant: quia licet cornua habeant, vt agnus; tamen efferati sunt, vt lupi. *Dan* 8. Vidi arietem cornibus ventilantem ad orientem & occidentem & aquilonem & meridiem: & omnes bestiæ non poterant liberari de manibus eius.

Intrinsecùs autem sunt lupi rapaces] Intrinsecos autem dentes habent lupinos per corrumpentem rationem in errore, & corrumpentem intentionem in malo fine, & corrumpentem voluntatem in nocumento, quod faciunt. Lupus enim non solùm habet dentes mordaces, sed etiam venenatos. *Ioan.* 10. Lupus rapit & dispergit oues. Isti enim ab ouilibus Ecclesiæ dispergunt, & dentibus venenatis diripiunt. *Act.* 20. Scio, quòd post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces non parcentes gregi. *Ezech.* 22. Principes eius in medio illius quasi lupi rapaces. *Habach.* 1. Leuiores pardis, velociores lupis vespertinis. Vespertini autem lupi magis rapaces sunt: quia per diem latentes magis esuriunt. Ista est ergo vera existentia rerum.

A fructibus eorum cognoscetis eos.

Hic dicit signum, per quod cognoscuntur: & quæritur, qui sunt fructus? Quia si fructus dicantur opera, per prædicta constat, quòd illa ouina: & sic per illa non possent cognosci. Si autem, vt dicit *Augustinus*, fructus dicantur filij & proselyti eorum, eo quòd illi permanent cum ipsis sicut fructus cum opera transeant; adhuc non videtur conueniens: quia filij eorum sunt sicut ipsi, & ita sunt latentes, & non cognoscibiles. Responsio: Videtur mihi, quòd fructus eorum dicuntur ea, in quibus quærunt refici, sicut in finibus suarum intentionum: quia si illos fines sub ordine Ecclesiæ collocant, non sunt lupi, sed veri Prophetæ: si autem in mundanis collocant, hypocritæ fuisse cognoscuntur: & si procurant scissuram eorum ab ordine Ecclesiastico, tunc hæretici esse cognoscuntur, & vsque ad illos fructus nó cognoscuntur. Omnis enim passer & omnis turtur inuenit sibi domum & nidum, vbi reponat pullos suos, altaria Domini virtutum, qui est Rex & Dominus: vnde quando nolunt subdi ordini Ecclesiastico, statim dignoscuntur: & hoc est, quod dicit *August.* quòd in filiis, hoc est, in obedientia filiorum cognoscuntur. Et ista etiam intenta per opera eorum, sicut dicit alia glo. *Sap.* 4. Fructus eorum inutiles & acerbi ad manducandum, ad nihilum enim apti. Sicut enim zizania non cognoscitur à tritico, quam diu similem cum tritico habet virorem in herba; sed statim cum seminat (aliàs format) folliculos ad fructum, cognosci incipit quia non sunt similes aristis tritici: ita est de hæreticis & falsis Prophetis, siue doctoribus, quamdiu prætendunt virorem virtutis, cognosci non possunt; sed quando folliculos faciunt ad fructificandum vel in temporalibus, vel conciliabulis in aristis Ecclesiæ non collocatis, tunc sunt vitandi, *Eccl.* 11. In filiis suis agnoscitur vir. *Sap.* 4. Ex iniquis omnes filij, qui nascentur, testes erunt nequitiæ aduersus parentes eorum in interrogatione sua. Si autem quis etiam velit aduertere modum operum suorum in circunstantiis operum,

operum, vt frequenter percipitur lupinum cor eorum. *Prou.* 27. Quomodo in aqua resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.

Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?

Hic per similitudines inductiuè manifestat propositum, & dicit duo. Primò enim inducit in particularibus duobus, secundò inducit generaliter in omnibus arboribus *Ibi* [Sic omnis arbor bona] duo autem inducit particularia malarum arborum, quæ ex peccato nasci dicuntur, primum est de spinis, secundum est de tribulis: similiter inducit duplicem fructum dictis arboribus denegatum. Oportet autem scire, quòd magna spina dicitur hic spina, & hæc est, cuius succus niger est, cortex nigra: spina crescens de centro ligni, longa, nigra, & acuti anguli, fructus acris, propter quod etiam acacia propter acumen vocatur, de qua dicit *Chrysost.* quòd non est habitatio nisi serpentium, qui repunt iuxta terram, & significat hæreticos nigros squalore, & præcipuè in cortice coram hominibus, quorum spina ex intimo procedit corde, fortis & longa, quæ est punctura obstinatis, & acutæ defensionis suorum dogmatum: succus doctrinæ amarus, fructus acerbus, dentes Ecclesiæ obstupescens. 2. *Reg.* 23. Præuaricatores quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus: & si quis tangere eas voluerit, armabitur ferro & ligno lanceato. Quia hæretici manu molli Ecclesiæ tangi non possunt; sed ferro domantur acutæ argumentationis & senectæ coërtionis. *Prouer.* 24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ & operuerant superficiem eius spinæ. *Cant.* 2 Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.

De tribulis] Tribuli sunt illa, quæ vocamus spinam albam: & hæc est extrinsecùs in superficie corticis; spinam habent albam, triangulam, breuem, valde acutam, aduncam versus terram, & fructus eius extrà rubeus, & intùs lapidosus: & significat credentes & adhærentes hæreticis, qui extrà in temporali potestate habent spinam breuem, quia non nisi in falsa opinione fundatam, & non in cor profundatam, nec extrà ad multos conuersos prolongatam, albam, quia Christianis sunt similes, triangulam, quia in abusu secularis potestatis, qua pungunt, abutuntur potentia, diuitiis, & amicis. Fructus rubeus in sanguine, & lapidosus in obstinatione. *Gen.* 3. Spinas & tribulos germinabit tibi. *Hebr.* 6. Terra proferens spinas & tribulos reproba est, maledicto proxima.

Vua autem est succus generatiua viris bonæ spei, vt dicit *Aristot.* & gaudij. *Psal.* 103. Vinum lætificat cor hominis, societate coniuncta racemo, qui palmiti adhæret, & hæc adhæret veræ viti, vincis repens sēper super ligna aliena, vt sustentetur: & in his proprietatibus significat verorum Prophetarum doctrinam, spem æternorum, & gaudium spirituale generantem, primatum non desiderantem, sed in congregatione Sanctorum palmiti ecclesiastici ordinis adhærentem, & per hunc viti Christo contiguam, non nouella & singularia ferens, sed potestatis rationum suarum & persuasionum repens super ligna in paradiso Dei stantia, hoc est, super auctoritatem Patrum. *Iudicum* 9. Dixerunt ligna ad vitem: veni, impera nobis. Quæ respondit; numquid possum deserere vinum meum, quòd lætificat Deum & homines: & inter ligna promoueri? Q.d. Non. Non enim desiderat primatum verus Doctor, sed rhamnus, siue spina lignis quæsiuit imperare, & combussit omnia. Talis ergo vua de spinis non colligitur. Hæc vua crescit in vite, de qua dicitur *Ioa.* 15. Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Et *ibidem.* Sicut palmes non potest facere fructum, nisi manserit in vite: ita nec vos, nisi in me manseritis. *Gen.* 49 Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. *Iere.* 2. Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. Hæc vua, & hoc vinum non crescat, nisi in vinea Domini sabaoth, quæ domus Israël est. *Isa.* 5. hoc est, Ecclesia. De spinis autem hæret. eorum non colligitur. *Isa.* 16. In vineis non exultabit, neque iubilabit: vinum in torculari non calcabit qui calcare consueuerat: vocem calcantium abstuli. Vinum enim spiritum dirigit sursum, lætificat mentem, bonam spem ingerit, calorem accendit, & spiritus facit feruorem: & hoc facit doctrina, quæ est succus de vite Christo in vinea Ecclesiæ: & ideò spiritum sursum bulliens Ecclesia læta mente celeuma iubilat, & calore charitatis accensa firmam spem concipiens æternorum, bibit, & inebriatur, oblita posteriorum, & ad anteriora se extendit. Sed licet hæresis vinum habere videatur: in colore quidem similitudo vini est; re autem vera est quod dicitur *Deutero.* 32. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus: fel draconum vinum eorum & venenum aspidum insanabile.

Aut de tribulis ficus] Ficus quatuor habet, quando bona est; multitudinem granorum in vnum collectorum, dulcedinem humoris, quæ granis infunditur, mollitiem pellis, & quod non floret inter arbores. Et granorum quidem collectio Sanctorum in Ecclesia significat communionem, dulcedo humoris dulcedinem significat charitatis in consolatione spiritus omnia grana infundentis, mollities autem pellis mititatem significat conuictus & societatis, carentia autem floris inter ligna significat non florere in mundanis. De quibus dicitur *Isa.* 18. Ante messem totus effloruit, & immatura perfectio germinauit. De primo dicitur in *Psal.* 110. In consilio iustorum & congregatione. *Psalm.* 132. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. *Psalm.* 54. Vnanimes habitare in domo. De secundo *Eccl.* 24 Spiritus meus super mel dulcis: & hæreditas mea super mel & fauum. De tertio *Matt.* 5. Beati mites &c. *Num.* 12. Erat Moyses mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram. *Matt.* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. De quarto *Isa.* 28. Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim & flori decidenti gloriæ exultationis eorum. *Ierem.* 24. Ficus: ficus bonas, bonas valde. Quatuor dicit propter quatuor inducta. Ficulnea autem Christus est, & hortus Ecclesia; & sufficit talibus dulcedo Spiritus sancti non quærens promoueri sicut hypocrita, nec quærens syluam hominum sibi subdere, sicut hæretici sibi conciliabula facientes. *Iud.* 9. dixit ficus: Numquid possum deserere dulcedinem meam fructusque suauissimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear?

promouear? De huiusmodi vite, & huiusmodi ficu dicitur. 3. *Reg.* 4. Habitabat Iuda, & Israël absque timore; vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua. Huiusmodi enim ficus non colligitur de tribulis suprà inductis; sed potiùs ea, quæ suprà dicta sunt: Et si similitudinem aliquando vsurpent ficuum, sunt idola ficus. Reuera autem sunt pestiferi & lapidosi, & acres fructus. De quibus dicitur *Iere.* 24. Ficus, ficus malas, malas valdè, quæ comedi non possunt: eo quòd malæ sunt.

Sic omnis arbor bona fructus bonos facit.

Hic transfert similitudinem in particulari sumptam: ad genus omnium arborum: & dicit tria, proprietatem arboris in fructu secundum actum: & proprietatem arboris in fructificando secundum potestatem, & consumptionem arboris nociuæ. Et hæc patent per ordinem in litera. In primo istorum duo continentur variata secundum proprietatem arboris bonæ & malæ. Et de bona quidem dicit [Sic omnis arbor bona] Et cum dicit [Sic] notat illationem ex prædictis. Ex quo enim vna ratio est de omnibus, quæ est de duabus inductis, vniuersaliter infertur de omnibus. Dicitur autem [arbor bona] Delectabilis, & salutaris, & vtilis in fructu. De vtilitate *Ezech.* 47. Erit fructus eius in cibum, & folia eius in medicinam. *Isa.* 37. Hoc anno pomis vescere. *Gen.* 2. Ex omni ligno paradisi comede. De delectabilitate *Cant.* 2. Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo. De salubritate *Apoc.* 22. Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, de quibus dicitur *Gal.* 5. Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax, patientia, & benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas: ex his enim arbor dicitur bona. Melior autem est ex plantatione super aquas, ex quibus non exsiccatur. *Psalm.* 1. Erit sicut lignum, quod plantatum est secus aquarum decursus, quod fructum suum dabit in tempore suo. *Iere.* 17. Erit quasi lignum viride, quod plantatum est secus decursus aquarum. Optima autem, si multoties fert fructum. *Ezech.* 47. Per singulos menses affert primitiua. *Apoca.* 22. per singulos menses reddens fructum suum. *Iere.* 17. In tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Hæc est igitur arbor bona, quæ facit bonum fructum [Fructus] autem eius sunt dulcedines sanctorum donorum & operum, & menses sunt illuminationes cælestes, quibus sibi rediuiui fructus lumen continuè ministratur.

Mala autem arbor fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere.

Hic per oppositum agit de mala arbore, quæ fructus malos facit: & est arbor mala, & arbor inutilis. Arbor mala est, quæ malos facit fructus; arbor autem inutilis, quæ nullos facit fructus. Fructus autem mali sunt indelectabiles, pestiferi, & inutiles. De primis dicitur *Ezech.* 18. Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. De secundis *Dan.* 4. Excutite fructus eius. Hoc autem dixit, quia non est salubris. De inutilitate dicitur *Iob.* 9. Transierunt sicut naues poma portantes Q. d. Inutiliter, nihil relinquentia nisi vanum odorem. Inutiles autem arbores sunt steriles. *H bac.* 3. Mentietur opus oliuæ, & arua non afferent cibum. Inde arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ. Hæc omnia de facili aptantur viris bonis, quorum vita arbor est, bonitas arboris bonitas gratiæ, & bonitas fructus bonitas operum, & refectio bonitatis Spiritus sancti informantis opera. Mala autem arbor mala vita, Malorum fructus mala opera, & refectio concupiscentiæ, quæ est in eis.

Neque arbor bona malos fructus facere.

Hic loquitur de fructu bonarum arborum secundum potestatem, & conuertit sermonem, comparans fructus bonos ad arborem malam, & è conuerso fructus malos ad arborem bonam. Videtur autem, quòd contrarium eius, quod dicit eueniat: quia sæpe videmus, quòd arbor mala fit bona per incisionem & cultum, & homo bonus malus fit, & è conuerso malus fit bonus. Ad hoc autem dicendum, quòd arbor bona vocatur hîc liberum arbitrium sub forma bonitatis gratiæ gratum facientis. Et hoc modo secundum potestatem formæ efficientis non potest arbor bona fructum malum facere: similiter arbor mala dicitur, secundum quòd est informata vitiis. Et hoc modo ex forma non habet potestatem fructus faciendi bonos: similiter in physicis. Quando per incisionem, vel insitionem arbor emendatur, tunc forma efficitur alia: quia in loco insitionis, vel incisionis efficitur nodus & tortuositas viarum, siue pororum inflexio. Et ideò diutiùs stat ibi succus, propter quod calore arboris & solis meliùs digeritur: in strictis etiam & multis poris subtiliùs diuiditur, & meliùs obedit digestioni: & aliter quod hîc dicitur, fieri non potest. De bona dicitur *Ezech.* In terra bona super aquas multas plantata est, vbi faciet fructum. De mala *Dan.* 4. Succidite arborem, & præcidite ramunculos eius, & excutite folia, & dispergite fructus. Sunt autem isti ramunculi mali fructus. *Rom.* 7. Passiones corporis, quæ per legem erant, operantur in membris meis, vt fructificarent morti.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

Ecce consumptio malæ arboris: & de hoc suprà. Tertiò multa sunt dicta. Excisio autem arboris est præcisio ab Ecclesia, vel vita, per sententiam, vel mortem. Missio autem in ignem est, quando aduersarius veritatis hic flammis exuritur: vel in inferno æternis incendiis mancipatur 2. *Reg.* 23. Spinæ igni succensæ, quia comburentur vsque ad nihilum. *Hebr.* 6. Cuius consummatio erit in combustionem. *Isa.* 9. Erit in combustionem & cibum ignis. *Ezech.* 15. Ecce igni datum est in escam: vtramque partem eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam.

Igitur ex fructibus eorũ cognoscetis eos.

Conclusio

Conclusio est intenta ex omnibus præinductis. Q.d. Ex quo sic est in omnibus naturalibus, quæ sunt exempla diuinæ & immobilis ordinationis, tunc similiter erit etiam in his, quæ ordinem hunc effugere non possunt. Ratio autem redditur *Luc.* 6. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. *Rom.* 6. Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis: nam finis illorum mors est. Qualiter autem, & per quem fructum cognoscuntur, in præcedentibus expeditum est.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.

De Prophetis, in quibus est species pietatis; habitum est iam in præmissis. Agit autem hic consequenter de falsis Prophetis, qui veri sunt in doctrina, & apertè falsi in vita, sicut sunt præcipuè modo in Ecclesia, de quibus dicit *Matt.* 23. Quæ dicunt, facite: secundum opera autem eorum nolite facere. Dicit autem circa hæc duo, in quorum primo ostendit, quod confessio fidei informis, & confessio prædicatæ veritatis non sunt efficaces ad salutem. In secundo autem dicit, quòd confessio perfectæ voluntatis & obedientiæ efficax est ad salutem. *Ibi*, [Sed qui facit voluntatem &c.]

De primo igitur dicit [Non omnis, qui dicit mihi] In quo quatuor notantur, scilicet, vniuersalis instantia, cum dicit [Non omnis] Duplex fidei & prædicatæ veritatis confessio, cùm dicit [qui dicit mihi; Domine, Domine] Finis & bonæ intentionis appositio, cùm dicit [mihi] Regni Dei non consecutio, cùm dicit [intrabit] De primo nota, quòd aliqui confessione fidei & veritatis prædicatæ intrant in regnum; quia fidem moribus probant, & faciunt quod prædicant. Nam aliter 1. *Cor.* 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum; charitatem autem non habeam: factus sum sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Sed contra *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit in salutem: ergo videtur, quòd plura non exiguntur ad introitum regni cælorum. Item *Ioel.* 2. Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Responsio. Sicut dicit *glo.* Perfecta inuocatio conficitur ex tribus; ex deuotione & fide cordis, & confessione oris, & operis attestatione; & tunc perfecta est inuocatio. Aliter est mendax. *Psalm.* 77. Dilexerunt eum in ore suo & in lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo; nec fideles habiti sunt in testamento eius. *Isa.* 29. Populus hic me labiis honorat; cor autem eorum longe est à me. *Iere.* 12. Prope es tu ori eorum; & longe à renibus eorum. Et hoc est, quod dicit [Non omnis, qui dicit mihi Domine, intrabit in regnum cælorum] Regnum cælorum, accipitur sicut suprà: & in illud non intratur, nisi per obseruationem iustitiæ & legum ad ipsum regnum pertinentium. Vsurpatio autem doctrinæ sine iustitia non est veritas regni, sed vanitas nudi sermonis. De quibus dicit Philosophus: Sunt qui opera non faciunt; ad rationem autem confugientes quærunt philosophari, & esse boni; aliquid simile facientes ægris, qui medicos quidem audiunt studiosè: faciunt autem operandorum nihil: & quemadmodum isti nunquam bene habebunt corpus sic curati; sic nec isti mentem sic philosophantes.

Sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.

Istud est secundum, vbi adiungit attestationem operis, cum confessione fidei & oris. Tangit autem tria simul, operis videlicet perfectionem, voluntatis Patris acceptationem, & regni cælestis consecutionem. Primum exigitur ex parte merentis; secundum ex parte præmiantis, & tertium ex parte mercedis.

Dicit igitur [Sed qui fecerit] quasi aduersando insufficienti confessioni. *Rom.* 2. Non enim legis auditores iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. 2. *Cor.* 8. Facto perficite, vt quemadmodum promptus est animus voluntatis; ita sit & perficiendi ex eo quod habetis [voluntatem Patris mei, qui in cœlis est] Tria tangit, voluntatem, quæ est mensura & norma omnis rectitudinis, quia iniusta esse non potest. *Abac.* 1. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Secundò notat affectum acceptantis, cum dicit [Patris mei] Et attende, quòd paulatim per hoc erigit ad notitiam suæ deitatis, vt credatur, quòd iustitia ab eo prædicata accepta sit ei, qui Pater suus est. *Ioan.* 3. Pater amat filium, & omnia dedit ei in manus. Voluntas enim Patris est id, quod docet filius. *Ioh.* 6. Quid faciemus, vt operemur opera Dei? Respondit IESVS. Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit. Sic enim fit voluntas Dei sicut in cœlo, & in terra. Per hoc autem, quod dicit [qui est in cœlis] tangit altam iustitiam, non pollutam terrenis; sed eam, quæ fulget in cœlis, de qua dicit *Psalm.* 88. In iustitia tua exaltabuntur. *Phil.* 3. Nostra conuersatio in cœlis est. *Ioan.* 6. Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam; sed voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.

Ipse intrabit] Tangit præmium, & dicit: intrabit: quia continuus semper est introitus in regnum; secundum quòd continuus est profectus. *Matt.* 25. Intra in gaudium Domini tui. *Gen.* 24. Ingredere, benedicte Domini; cur foris stas? Sic igitur de falsis Prophetis, hoc est, Doctoribus quoad falsi nominis scientiam sit determinatum.

Multi dicent mihi in die illa, Domine, Domine.

Hic tangit falsos Prophetas; officium prophetale, & actum; quibusdam diuinæ potestatis mirabilibus (aliàs miraculis) confirmantes: & diuiditur in duo, in quorum primo Pseudoprophetarum continetur inuocatio; in secundo Dei inuocati responsio. In primo horum tria continentur, quorum primum est inuocantium quædam per numerum & tempus descriptio; secundum est ipsa inuocatio, & tertium inuocantium allegatio: & hæc patent in litera.

Primum tangit, cùm dicit [Multi dicent mihi]

Et

Et tangit tria. Multitudinem confusam & inordinatam, cum dicit [multi] qui non conueniunt nisi in collectione ; sed non vnit eos charitas. *Eccles.* 1. Stultorum infinitus est numerus. Non enim est eis cor vnum & anima vna, sicut multitudini credentium *Act.* 4. Sed tantùm multi sunt, confusam habentes multitudinem. *Iudic.* 7. Multus tecum est populus: nec tradetur in manus eius Madian, ne glorietur contra me. Secundum est, quòd non sunt nisi in verbis, & non in virtute Spiritus : & hoc tangit dicens [dicent] *Matt.* 23. Dicunt enim, & non faciunt. 1. *Cor.* 14. Eritis in aëra loquentes verba, vt puta genera linguarum sunt in hoc mundo. Tertium est, quod tangit, tempus, quando conscientia testis, & opera requirentur, cùm dicit [in illa die] *Rom.* 2. In die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei. Nec vocat diem pro qualitate temporis, vel aëris tunc illuminata ; sed pro qualitate luminis, quod tunc conscientias singulorum perlustrabit. 1. *Cor.* 4. Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium : & tunc laus erit vnicuique à Deo.

Domine, Domine] Ecce inuocatio : & scitur expositio eius per præcedentia. *Isa.* 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. *Lu* 6. Quid autem dicitis mihi, Domine, Domine : & non facitis, quæ dico ?

Nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?

Hic ponitur allegatio. Fiunt enim isti de illis, qui in multiloquio putabant audiri, & per allegationes Deo volebant persuadere. Dicunt autem duo : allegant formam operis, & opus bonum. Formam tangunt, quando dicunt [Nonne in nomine tuo] Q. d. Te volumus habere testem, quòd non in nomine nostro, sed [in nomine] hoc est virtute tui nominis fecimus. Et isti ignorant, quòd ad hoc, quòd aliquid perfectè fiat in nomine Dei, quatuor exiguntur : quòd videlicet faciens sit in nomine, notam sibi sanctificati nominis habens impressam : & quòd virtus, qua operatur, sit nominis inuocatio : & quòd opus, quod facit, nota nominis informetur : & quòd non fiat nisi ad gloriam nominis. Sic dicitur *Ioan.* 16. Quidquid petieritis in nomine meo, fiet vobis. *Psal.* 113. Non nobis, Domine, non nobis ; sed nomini tuo da gloriam *Mar.* 6. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Specialiter autem de primo dicitur *Isa.* 26. Tantùm in te recordemur nominis tui. Primò enim ponit se in Deo : & tunc recordatur nominis iam in se transfusi. Hi autem fuerunt quidam exorcistæ virtute nominis diuini quædam mira facientes, quæ Deus propter gloriam nominis sui demonstrandam fecit, quamuis illi hoc non meruerunt. *Ezech* 36. Non propter vos ego facio, domus Israël, notum fit vobis ; sed propter nomen meum sanctum. Et *Ibidem infra.* Non propter vos ego faciam, ait Dominus, notum fit vobis : confundimini, & erubescite super viis vestris.

Prophetauimus &c.] Tria tangit, quæ fecerunt magna opera in genere. Opus enim aliquod aut est in spiritu factum, aut in corpore : si in spiritu, aut est secundum inspirationem spiritus spirantis ad bonum ; aut secundum repulsionem spiritus, qui bono contrariatur : & secundum hoc tangunt isti tria genera operum. Primum est secundum inspirationem spiritus spirantis ad bonum, & hoc est, quòd dicunt [prophetauimus] Quæ tamen propheria sine charitate, vt dicitur 1. *Cor.* 13. nihil prodest. Exemplum autem est de Balaam *Num.* 22. Et Caipha *Ioan.* 11. Et de Saul, de quo exiuit prouerbium : Num & Saul inter Prophetas ? 1. *Reg.* 10. [& in nomine tuo dæmonia eiecimus] Vel inuocatione solius nominis, vel virtutis exorcismorum. *Lu* 9. Vidimus in nomine tuo quemdam eiicientem dæmonia, qui non sequitur nobiscum. Et ideò etiam non magnum est ista facere. *Lu.* 10. In hoc nolite gaudere, quia dæmonia subiiciuntur vobis. *Matt.* 12 Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt ? Et loquitur de exorcistis [& in nomine tuo virtutes multas fecimus] Virtus est vltimum potentiæ in re. Hæc est igitur virtus, quòd ita stat in summo, quòd ad ipsum non potest ratio, vel naturæ facultas. 1. *Cor.* 13 Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam ; charitatem autem non habeam : nihil mihi prodest. *Iere.* 23. Ecce ego ad Prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narrauerunt, & seduxerunt populum meum in mendacio suo, & in miraculis suis, cùm ego non misissem eos.

Miracula autem mendacia dicuntur duobus modis ; aut quia falsa sunt & apparent tantùm sicut mira, quæ sunt in præstigiis necromanticis ; aut quia in se vera sunt ; sed veritatem vtilitatis miraculorum non habent, vt dicit *Chrysost.* sicut miracula Simonis, qui fecit latrare canes de aëre, & huiusmodi, in quibus nulla est vtilitas, nisi quòd in admiratione & gloria efficitur faciens ea ; & talia dicit esse miracula Pseudoprophetarum *Chrysost.* 2 *Thessa.* 2. Cuius aduentus est secundum operationem sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus. *Matt.* 24. Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia : ita vt in errorem, si fieri potest, inducantur etiam electi. 1. *Ioan.* 2. Nunc Antichristi multi sunt.

Et tunc confitebor illis : quia nunquam noui vos. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

Hic ponitur Christi inuocati responsio : & tangit duo ; confirmationem dicti, & pœnæ inflictionem. Dicti confirmatio est [Tunc confitebor] hoc est, firmitèr fatebor. Vnde & græcus sermo habet : tunc iurabo. *Psal.* 94. Quibus iurauì in ira mea, si introibunt in requiem meam [quia numquam] Ecce inflictio pœnæ : & est duplex. Vna & prima est priuatio luminis diuinæ notitiæ : & secunda est eiectio à contemplatione beatitudinis Sanctorum.

De prima dicit [quia numquam noui vos] Sed qualitèr hoc est verum ; cum omnia nouerit Deus. Præterea multi eorum aliquando fuerunt in gratia : ergo aliquando nouit eos : & ita non est

est verum, vt videtur: nunquam noui vos. Ad hoc dicendum, quòd intelligendum est de notitia beneplaciti Dei prædestinantis: quia illa non est gratiæ tantùm; sed est gratiæ ordinantis ad gloriam & illa nunquam nouit eos; sed notitia simplicis visionis nouit eos. *Matth.* 25. Amen dico vobis nescio vos.

Discedite à me] Secunda pœna est, & dicit duo, pœnæ videlicet inflictionem, & causam. Pœnæ inflictio est [discedite à me] sed contra: quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Responsio. Deus vbique est; sed disceditur ab eo, quando proiicitur aliquis à visione contemplationis eius, secundum quam obiicitur Sanctis in ratione summi boni. *Isa.* 26. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. *Matth.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo &c. *Mat.* 25. Proiicite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.

Causam autem tangit, cùm subdit [qui operamini iniquitatem] Non dicit: qui operati estis, ne tollat potentiam: sed qui operamini. Quia sicut dicit *Dam.* Quod est in Angelis casus, hoc est in hominibus mors: & ideò sicut Angeli remanserunt in obstinata voluntate eius, quod concupierunt: ita etiam homines obstinati efficiuntur in voluntate peccati, in qua moriuntur. *Ezech.* 32. Descenderunt in infernum cum armis suis: & posuerunt gladios suos sub capitibus suis: & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum. Et arma eorum, cum quibus in infernum descenderunt, sunt iniquæ voluntates: & gladij, quibus Deum impugnauerunt & Sanctos, sunt conatus eorum ad malum: & iniquitates in ossibus, sunt notæ peccatorum in viribus animæ: & hæc est causa, quòd ignis semper eos incendit: quia voluntates illæ perpetuæ erunt in eis, eo quòd non sunt susceptibiles gratiæ: quia cùm ceciderunt à statu merendi, impossibile fuit redire ad gratiam, & per consequens necesse est remanere in pœna. Anima enim rationalis, quæ, sicut dicit *Dionysius*, discussam habet disciplinam per signa vestigij & imaginis acceptam, sine sensu perfici non potest. Et casus ab vsu sensuum, est sibi impossibilitas resurgendi. Hoc est igitur, quod dicit de falsis Prophetis, triplicitèr describens eosdem.

Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.

Hic incipit pars, quæ diuisa est contra totum sermonem integrum. Expletis enim omnibus, quæ ad perfectionem vitæ humanæ dicere voluit, tangit & monet obseruandum ea, quæ dicta sunt: & tangit duo; quorum primum est de laude obseruantium, secundum de vituperio non obseruantium *Ibi* [Et omnis, qui audit verba mea, & non facit ea]. Adhuc prior istorum habet duos paragraphos, in quorum primo tangit hominem, quem assimilat: & in secundo tangit eum, cui assimilat *ibi* [assimilabitur &c.] Eum autem, quem assimilat, tangit vniuersaliter, cùm dicit [Omnis] Et per auditum disciplinalem describit eum, cum dicit [audit] Est autem auris non audiens idoli: & est auris audiens, sed non interiùs percipiens Stolidi, qui est quasi brutum: & est auris audiens, & disciplinam interiùs accipiens. De prima dicitur *Psalm.* 11. Aures habent, & non audient. Et de secunda in *epistola Iudæ.* Quæcunque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. De tertia *Apo.* 2. Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat Ecclesia. Et sic audiunt isti [verba mea hæc] Signanter & discretiuè dicit [hæc] quia alibi optima quidem dixit, & ex quibus ipse fuit in admiratione; hic autem ea dicit, & nusquam alibi tantum, quantum hic, ea, quæ sunt perfectionis hominis, tam in perfectione legis, quàm in simplicitate intentionis, quàm etiam in remotione impedimentorum. Hæc est enim veritas sanctificans totum hominem. *Ioan.* 17. Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Et hæc sunt, de quibus dicitur *Apoca. vlt.* Hæc verba fidelissima sunt & vera. Et licet omnia verba Domini optima sint; tamen ista præ aliis omnem in se habent modum perfectionis [& facit ea] *Roman.* 2. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. *Iacob.* 1. Estote factores verbi, & non auditores tantùm fallentes vosmetipsos.

Assimilabitur] Secundum est: & tangit duo, assimilationem, & assimilationis rationem. Et si quidem sumitur similitudo à corporalibus ad spiritualia, leuis est litera: quia ita videmus ædificare omnem sapientem in architectura. Sed hoc modo non exponunt glossæ tres Chrysostomi dicentis, quòd alium oportet esse eum, qui assimilatur, & alium, cui assimilatur. Qui autem assimilatur, est audiens audita interiori & faciens: cui autem assimilatur, dicit [viro] hoc est, Christo, qui fuit vir virens, à quo omnis viror est, & virilis. De primo dicitur *Iere.* 17. Erit quasi lignum viride, quod ad humorem mittit radices suas. De secundo *Iob.* 1. Erat ille vir magnus inter omnes orientales [sapienti] æternam habens cognitionem diuinorum. *Iere.* 23. Regnabit Rex, & sapiens erit. *Ecclesiastes* 2. Sapientia perseuerauit mecum super omnes, qui erant in Ierusalem. *Ecclesiast.* 9. Inuentus est in ciuitate vir pauper & sapiens, qui liberauit ciuitatem sapientia sua.

Et tangit, in quo assimilatur isti viro, dicens [qui ædificauit] ædificatione virtutis. *Ephes.* 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo IESV, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificabimini in habitaculum Dei in Spiritu sancto. 1. *Corinth.* 3. Dei ædificatio estis: Dei agricultura estis [domum suam] ecclesiam *Genes.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. *Isa.* 2. Erit mons domus Domini in vertice montium &c. [supra petram] hoc est, veritatis diuinæ soliditatem, quæ verbis exprimitur, fide in fundamento locatur, & per formam charitatis, per quam operatur, in summo confirmatur; spe autem erigitur, & virtutibus compaginatur, & meritis operum fulcitur. *Exod.* 1. Ædificauit illis domos. 1. *Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus IESVS, hoc est, fides IESV CHRISTI.

*Psalm.*86. Fundamenta eius in montibus ſanctis, hoc eſt, in ſummis altitudinibus articulorum fidei. *Mat.* 16. Super hanc petram, hoc eſt, ſolidum, confeſſionis fidei, ædificabo Eccleſiam meam. Hæc enim fuit confeſſio æternæ fidei, qua dixit Petrus. Tu es Chriſtus filius Dei viui. *Eccleſiaſtici* 26. Fundamenta æterna ſuprà petram ſtabilem.

Et deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti.

Ecce ratio, ſecundum quam fit aſſimilatio: & tangit tria facientia ad ruinam, quorum vnum eſt emolliens & reſoluens: & alterum impellens & remolliens: tertium autem violenter (aliàs vehementer) impellens, & ſubtiliter penetrans: & iſta ſunt hoſtis tentamenta. Emolliens & reſoluens eſt pluuia deſcendens, quæ ſicut dicit *Gloſſa*, ſunt aëreæ poteſtatis impugnatio: & addendum eſt quòd cum impugnatione eſt emolliens libido, per quam impugnat. *Iob.* 20. Immittet in eum iram furoris ſui, & pluet ſuper eum bellum. Hæc libido litigioſa mulier vocatur in *Prouer.* 19. Tecta iugiter perſtillantia, litigioſa mulier &c.

Venerunt flumina] Ecce impellens & emolliens ſimul, quæ ſunt, vt dicit *glo.* Potentum perſecutio, non tantùm tyrannorum, qui perſecuti ſunt Martyres; ſed etiam eorum, quæ potentiſſima ſunt in mundo: & hæc ſunt diuitiæ, deliciæ & honores. *Sap.* 5. flumina concurrent duriter. *Pſalm.* 68. Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam, *Pſalm.* 92. Eleuauerunt flumina vocem ſuam. *Iſai.* 8. Adducet ſuper eos Dominus aquas fluminis fortes & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius; & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & ſuper ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet. Syria enim interpretatur ſublimis, & ſignificat ſublimia mundi tria, quæ dicta ſunt.

Et flauerunt venti] Tertium eſt, quod eſt impetu violenter irruens, ſubtiliter penetrans: & ſignificat ſuggeſtiones & ſpiramina malorum, quæ fiunt modò blandiciis ſubtiliter penetrantibus, modò minis impetu irruentibus: aliquando ab aliis, aliquando ab homine ipſo contra bonum propoſitum, quod concepit. *Iob* 1. Ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus. *Sapientia* 5. Stabit contra eos ſpiritus tempeſtatis. *Ezech.* 1. Ventus turbinis veniebat ab aquilone: & nubes magna.

Et irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram.

Tangit impetum omnium horum ſimul dicens [Irruerunt in illam domum] *Pſal.* 26. Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum [& non cecidit] 2. *Timoth.* 2. Firmum fundamentum Domini ſtat, habens ſignaculum hoc, *Pſal.* 124. Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion non commouebitur in æter. Et ſubiungit tantæ firmitatis rationem di. [Fundata enim erat ſupra petram] *Iſa.* 54. Fundabo te in ſapphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua. Sapphiri coloris cæli, articuli ſunt fidei; Iaſpis autem viror fidei.

Et omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit ea: ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam: & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam: & cecidit, fuitque ruina eius magna.

Hic per contrarium comparat non obſeruantem viro ſtulto: & dicit duo. Deſcribit eum, quem comparat, & poſtea facit comparationem: & in ſecundo facit comparationem, & oſtendit in quo comparatus, tangit comparationis rationem, ſicut fecit in præhabitis. Dicit ergo [Omnis, qui audit verba mea hæc, & non facit] Ille non audit niſi more beſtiali extrinſecùs. *Iſa.* 6. Aure audietis, & non audietis. Et ſequitur: excæca cor populi huius. *Iaco.* 1. Comparabitur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit ſe & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. *Hebr.* 4. Non profuit illis ſermo auditus, non admiſtus fidei ex his, quæ audierunt.

Aſſimilabitur viro ſtulto] hoc eſt, diabolo: quia ſtultus dicitur ſtans in alto: quia altiùs ſtat, quàm ſit facultas eius. Hic eſt ſenex fatuus *Eccl.* 25. [qui ædificauit domum ſuam] corda malorum, in quibus habitat. *Iob* 8. Innitetur ſuper domum ſuam, & non ſubſiſtet. Non enim verè domus eſt diaboli habitatio: ſed potiùs parietina ſunt quædam ruinoſa, & ſimilitudinem quandam domus habentia. *Iob* 18. Habitent in tabernaculo eius ſocij eius, qui non eſt [ſuper arenam] Arena vocatur congeries peccantium, & Synagoga multitudine infinita & tumultuoſa, nullo glutino charitatis vnita; nulla fertilitate fæcunda, pondere terreni affectus grauiſſima. De primo dicitur *Eccleſ.* 1. Stultorum infinitus eſt numerus. *Iſa.* 3. Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. De ſecundo dicitur *Ezech.* 13. Liniunt parietem abſque temperamento: dic eis, quòd caſurus ſit. *Eccleſiaſtici.* 1. Arenam maris quis dimenſus eſt? Quaſi diceret. Nullus: quia non eſt continua in ſpiritu & glutino charitatis, ſicut ſancti. De tertio *Iob* 28. Terra, de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubuerſa eſt; ex terra autem incenſa, & in minima redacta naſcitur arena. De quarto dicitur *Prouerb.* 27. Graue eſt ſaxum, grauior eſt arena, & ita ſtulti vtroque grauior. Propter hoc dicitur *Apocal.* 12. Quòd draco ſtetit ſuper arenam.

Et deſcendit pluuia] Hoc exponendum eſt ſicut ſuprà. Curanda non eſt hic expoſitio *Chryſoſtomi*, quia non multum valet. Et ſi quæratur, qualiter tentamenta diaboli irruant in domum diaboli. Dicendum, quòd diabolus non habet domum, ſed potiùs ruinoſa naturæ & boni naturalis dicuntur domus eius; & hanc ipſam plus & plus continuè nititur ſubuertere ſemper & præcipitans de peccato in peccatū. *Ier.* 2. Filij quoque Mempheos & Taphnes conſtuprauerunt te vſque ad verticem. *Pſal.* 136.

Qui

Qui dixerunt: exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea. Et ideò pluuia mollientis concupiſcentiæ deſcendit in illam domum, & ſuffodit eam molliendo paulatim: & flumina tentantium à ſecularibus deſideratis irruunt, & ſuffodiunt à fundamentis: & tunc ventus ſuggeſtionis irruendo premit in deſperationis ruinam. *Iob.* 22. Sublati ſunt ante tempus ſuum: & fluuius ſubuertit fundamentum eorum.

Et irruerunt in domum illam, & cecidit] *Apoca.* 18 Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi. Cecidit enim per ſtillicidium concupiſcentiæ: & cecidit per tentamina ſecularis pompæ, & per flatum dæmonum facta eſt habitatio dæmonum.

Et facta eſt ruina eius magna] Et hoc eſt ideò: quia à fundamento concutitur: & tunc oportet, quòd ſimul totum ruat; ſed quando à fundamento fidei non cadit, non fit magna ruina: quia fortè per mortale peccatum aliquis decidit, & ædificatur per pœnitentiam. Sed quando fundamentum ſubuertitur, fides non remanet: & ideò tunc de pœnitentia non cogitatur, neque de reædificatione. *Apoca.* 16. Fracta eſt ciuitas magna in tres partes: & ciuitates gentium ceciderunt. In tres enim partes frangi, eſt in perfidiam contra fidem, per ſuffoſſionem fluuiorum: & in deſperationem contra ſpem, ex emollitione pluuiarum: & in deiectionem tecti contra charitatem, per odium & malam voluntatem ædificium diaboli. Magna autem eſt ruina: quia non poſſibilis reædificari, quia in toto cadit, & quia in infernum corpore & anima cadit, & quia profundè de vitio in vitium cadit: & ſic omnia patent ruinæ. *Apoca* 12. Non valuerunt, neque locus eorum amplius inuentus eſt in cælo. Sic ergo conſummatus eſt totus ſermo Domini in monte.

Et factum eſt, cùm conſummaſſet IESVS verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.

Hæc pars diuiſa eſt contra totum ſermonem præcedentem: quia hic ponitur ſermonis effectus in audientibus: & tangit tria ſermonis perfectionem: & eiuſdem in audientibus effectionē, & effectionis illius cauſam. Perfectionē ſermonis tangit per hoc quòd dicit [Et factum eſt] Sermo enim Dei non eſt dictus tantùm, vt ſermo hominis; ſed etiam factus: quia facit ſe inuiſibiliter in cordibus audientium. *Ioan.* 10. Illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt [cùm conſummaſſet IESVS verba hæc] hoc eſt, ad ſummam perfectionem deduxiſſet, & in illa concluſiſſet tam in perfectione legis, quàm in modo ſimplicis intentionis, quàm etiam in remotione omnium impedimentorum. *Deuter.* 32. Date magnificentiam Deo noſtro: Dei perfecta ſunt opera. *Eccleſiaſtici* 43. Conſummatio ſermonum ipſe eſt.

Admirabantur turbæ] Ecce effectus. Eſt autem admiratio ſuſpenſio & agonia cordis in magno aliquo apparente, quod cor nec concipere plenè, neque tamen negare poteſt. Vnde Damaſcenus dicit, quòd admiratio eſt ſtupor in magna phantaſia. Et eſt hæc admiratio hondum credentis, ſed tentantis venire ad fidem, & quærentis qualiter ſit, quod apparet. *Ioan.* 6. Admirabantur dicentes: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis. *Luc.* 7. Et quia viſitauit plebem ſuam. *Luc.* 2. Admirabantur ſuper doctrina & reſponſis eius.

Eſt autem obiectio de hoc, quòd dicit turbas admiratas fuiſſe: quia ſermo iſte, ſicut apparet in principio ſui, non eſt habitus ad turbas, ſed ad diſcipulos. Sed ad hoc dicendum ſicut ſuprà, quòd quædam ſermonis huius, primò in ſupercilio montis habita ſunt ad diſcipulos: & poſtea in campeſtri (quod erat in deuexo eiuſdem montis) ad turbas eadem per modum epilogi cum aliis additis ſunt perfecta.

Turbæ autem iſtæ admirabantur [ſuper doctrina eius] Doctrina propriè dicitur diſciplina quæ à docente per rationes tales proponitur, quæ generales ſunt audientibus, qualis eſt iſte totus ſermo. Ea enim quæ omiſerat lex, & in imperfectione remanſerant: propter carnales remanſerant imperfecta; ratio tamen naturalis probabat illa fore addenda: & ideò rationes iſtas audientes & in corde rationabili recipientes admirabantur ſuſpenſi ad doctrinam: omnis enim veritatis inquiſitio incipit ab admiratione, ſicut ſuperiùs diximus. *Can.* 4. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Vitta enim dicuntur labia ligantia corda audientium ad dictorum fidem, vel admirationem: Coccinea autem ſunt conuertentia ad amorem. Et dulce eloquium, quando eſt de ſuauitate gratiæ & morum honeſtate. *Pſalm.* 44. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. *Cant.* 4 Mel & lac ſub lingua tua. *Ioan.* 7. Nunquam ſic locutus eſt homo. Huiuſmodi autem admirationis ſubiungit cauſam dicens.

Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi.

Eſt autem alia poteſtas docentis, & alia poteſtas docentis mores, ſiue perſuadentis: & tertia eſt poteſtas docentis perſuadentis Prophetæ: quarta autem eſt poteſtas docentis & perſuadentis Prophetæ & legiſlatoris. De poteſtate enim docentis dicit *Ariſto. in* 1. *Metaph.* Signum autem omnino ſcientis eſt poſſe docere. Quando enim rationabiliter probantur dicta & incontradicibiliter, hoc eſt ſignum poteſtatis docentis; & quando balbutiendo, & ratione quaſi tremente dicuntur, ſignum eſt quòd qui dicit ea, non intelligit. Sed cum ignorans ſit in veritate, ſicut ſimia figuram docentis aſſumit: & illi ſunt magiſtri erroris. *Matth.* 22 Erratis neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. Poteſtas autem perſuadentis in moribus eſt in exemplo vitæ: quia talis doctrina, ſicut dicit *Ariſto. in* 1. *Eth.* non eſt contemplandi gratia; ſed vt boni ſiamus: Et de hac dicitur *Act.* 1. Cœpit IESVS facere & docere. *Rom.* 15. Non audeo loqui aliquid eorum, quæ per me non efficit Chriſtus. Poteſtas autem docentis, perſuadentis, Prophetæ, eſt in probatione per miracula: quia Propheta ſupernaturalia docet, quæ ratione probari non poſſunt, nec exemplo communium operum perſuaderi; ſed oportet, quòd

actibus supernaturalibus euincantur esse vera. *Lu.* 24. de IESV, qui fuit vir Propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo. *Deuter.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris: tanquam me audietis eum. His autem potestatibus Legislator, Doctor, persuasor & Propheta addit potestatem statuendi, statuta interpretandi, & eisdem addendi & minuendi prout statui, & tempori viderit expedire: quæ omnia Christus in hoc sermone exhibuit. *Iaco.* 4. Vnus est Legislator & iudex. *Isa.* 33. Dominus legifer noster. *Lu.* 6. Dominus est filius hominis, etiam sabbati, secundum potestatem mutandi. Sic enim in hoc sermone os suum aperuit sapientiæ: & lex clementiæ fuit in lingua eius. *Prouer. vlt.*

Et non sicut Scri. & Pha.] Scribarum enim impotentia fuit, qui tenentes Doctrinam legis errauerunt in dicendo quæ non intelligebant, & exemplis non ostenderunt: & loquentes de lege tanquam serui legis, legi nihil addiderunt gratiæ, & nihil ostenderunt de figuratum legis veritate. Contra quod dicitur *Ioan.* 1. Lex per Moysem data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Defectus autem Pharisæorum erat, traditionibus & humanis iustitiis legi velle addere; sed hoc per nihil omnino probare, & legis spiritum in nullo demonstrare. Contra quod dicitur de Christo *Io.* 1. De cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. De vtrisque autem dicitur *Ro.* 10. Testimonium perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habeant; sed non secundum scientiam: ignorantes enim Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: & ideò in nulla pietate doccbant, propter quod etiam non persuadere poterant, nec in admiratione esse sicut Christus. Propter quod etiam dixit *Lu.* 21 Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. *Psalm.* 70. Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini. Et hæc est causa, quòd . *Corinth.* 2. dicitur Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam: quia verba eius erant in potestate probata. Quia sicut in tactibus eius erat quidem humanitas tangens, deitas autem virtutem dans curandi: ita etiam in verbis eius semper virtus deitatis diffundebatur in audientium corda, quantum in se erat.

CAP. VIII.

Cùm autem descendisses IESVS *de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ.*

IN ista parte inducuntur ea, quæ faciunt ad doctrinæ confirmationem, sicut etiam virtus confirmans sermonem discipulorum. *Marci. vlt.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Hoc enim pertinet ad potestatem prophetalem, sicut diximus in antehabitis. Diuiditur autem hæc pars in duas partes, in quarum prima inducit ea, quæ faciunt ad suæ potestatis demonstrationem, per quam confirmatur veritas inductorum. Sed quia sicut dicitur *ad Titum.* 1. Prælatus debet esse potens exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere: ideò in secunda parte ponit ea, ex quibus arguuntur contradicentes in capitulo sequenti *Ii* [Et ascendens IESVS in nauiculam] Istud autem capitulum diuiditur in partes duas, quarum prima inducit ea, quæ ad potestatis faciunt demonstrationem: in secunda tangit ex hoc secutam credentium confirmationem *Ibi* [Videns autem IESVS turbas multas circum se] In prima harum fides generatur: in secunda confirmatur. Aut sic: Quæ fiunt in prima, fides expostulat: ne autem tanta fides destruatur, in secunda confirmat. Adhuc prior harum diuiditur in duas, in quarum prima quasi inducendo, inducit facta magna potentiæ diuinæ demonstratiua; inquantum magna est virtus: in secunda quasi vniuersaliter concludendo inducit in omnibus huiusmodi hanc virtutem operantem, inquantum vniuersalis est & diuina *Ioi.* [Vespere autem facto] Hæc enim duo debentur Christo, secundum quòd virtus est; & sapientia Patris: inquantum enim sapientia est, docuit sapientiam perfectorum: inquantum virtus est, probat dicta testibus miraculorum: & hæc non sunt perfectæ virtutis demonstratiua, nisi & magna possit & omnia: & ideò ad vtriusque istorum probationem procedit Euangelista.

Prima autem harum, in qua ostendit virtutis magnitudinem, diuiditur secundum ea, quæ virtutem probant esse magnam in reparando illud, quod virtus creatrix instituit: hæc autem sunt tria: aut enim est penes virtutem, quæ conseruat substantiam secundum materiam; aut penes ea, quæ per sensum vim motiuam ministrant; aut penes ea, quæ ministrant vitam. Quod, vt melius intelligatur, sciendum, quòd nutrimentum conseruat substantiam corporis. Animatum enim ab inanimato, vt dicit *Aristo.* duobus maximè differt, motu, & sensu; vita autem est actus animæ secundum ipsam suam essentiam: & ideò isti actus sunt principales. Aut enim est secundum id, in quo perfectissimè apparet vita; aut secundum id, quod in omnibus est principium vitæ ad omnia, quæ viuunt: secundum nutritionem enim primum apparet vita in omnibus corporaliter viuentibus: & ideò dixit *Dionysius Philosophus*, quòd vita est principium generis nutribilis naturam assequens, & penes hoc accipitur lepra: lepra enim omnis corruptio est nutrimenti ex corruptione venarum ad fontes membrorum deriuata: Et ideò etiam membra cadunt leprosis. Perfectissima autem est vita secundum sensum & motum, & illius dissolutio in instrumentis sensus & motus est paralysis. Principium autem vitæ in omnibus corporaliter viuentibus est cor: & accèsio extranei caloris à corde, per spiritum & sanguinem, per arterias & venas, per totum corpus diffusa, est febris. In reparatione ergo istorum trium est ostensio magnitudinis potentiæ diuinæ. Nec potest dici, quòd pluribus modis formaliter ista pars possit variari: quia intellectus, secundum quem etiam viuere dicimur, non est potentia, quæ sit actus alicuius organi: & ideò penes ipsam non accipitur ostensio potentiæ diuinæ secundum magnitudinem.

Horum autē primū, quod est de sanatione lepræ diuiditur in tres partes, secundū ea, quæ exiguntur ad miraculum, in quarum prima ponitur miraculi expostulatio,

expostulatio, in secunda exhibitio, & in tertia conseruatio sanitatis adeptæ, ne redeat infirmitas: & hæc patent in litera. In miraculi autem expostulatione tria exiguntur, vtilitas, idoneitas, & deuotio petens ipsum. Vtilitas est, quæ viso ex multitudine miraculo credit, & hanc tangit, cùm dicit [Cùm autem descendisset IESVS &c.] Idoneitas est in adoratione, deuotio in petitione. Signa enim non fidelibus, sed infidelibus sunt data: & ideò præsente turba fieri debuerunt: & de hoc dicit duo. Descensum Domini, & sequelam turbę. De primo dicit [Cùm autem descendisset IESVS de monte] Mons autem hic significat eminentiam spiritus & perfectionem doctrinæ: ad quem montē vilis plebecula nunquam valet ascendere: quia non ascendet in montem sanctum Domini, neque stabit in loco sancto eius nisi innocens manibus & mundo corde &c. Sed cùm descendit humilia dicens, tunc vilis turba sequitur eum: & hoc est, quod sequitur [Secutæ sunt eum turbæ multæ] *Eccl.* 23. Gloria magna est sequi Dominum. *Iob.* 23. Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodiui,

Quatuor autem causæ assignantur hic in *glo.* quare secuta est eum turba: alij enim propter charitatem, & alij propter curiositatem videndi miracula, & alij propter doctrinam, & alij propter curationem. *Aug.* super *Ioan.* 6. dicit quinque causas fuisse, quare sequebantur eum turbæ: vt videlicet curarentur quidam, & quidam vt signa viderent, alij vt instruerentur: & istæ tres causæ tanguntur hic. Quidam autem sequebantur, vt obseruarent eum, & accusarent: & quidam, vt vtilitatem victus acciperent ab eo & cum eo: Siue quando multiplicabat panes, siue cùm ab aliquo recipiebatur, siue & quia ipse data sibi egenis distribuere solebat: vnde versus,

Morbus, signa, cibus, blasphemia, dogma fuere
Causæ, cur Dominum turba secuta fuit

Vnde *Ioan.* 6. Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia comedistis ex panibus. Sic ergo dictum est de vtilitate miraculi; quia propter turbam fit istud miraculum.

Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

Hic tangitur idoneitas eius, in quo fit miraculum: & conficitur ex tribus, ex indigentia infirmitatis, ex accessu ad Christum conuersionis, & ex cultu adorationis. Indigentia infirmitatis tangitur, cùm dicitur [Ecce leprosus] Cuius lepra patenter erat demonstrabilis, & ex magnitudine lamentabilis: & ideò *Lu.* 5. dicitur iste plenus lepra. Et *Mar.* 1. dicitur, quòd IESVS fuit misertus eius. Accessus autem conuersionis notatur in hoc, quòd dicit [veniens] Ipse enim tales inuitauit. *Matth.* 11 Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Nec debet tamen istud intelligi de aduentu corporali, sed potiùs de eo, quem Dominus intuebatur de aduentu mentali. Cultus autem adorationis notatur *ibi.* [adorabat eum] Marcus autem dicit, quòd genu flexo ante eum rogabat. *Isa.* 45 Te adorabunt, teque deprecabuntur *Psalmo* 44. Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Dicens: Domine, si vis, potes me mundare] Hic ponitur deuotio petens miraculum: & conficitur ex quatuor, ex professione maiestatis, cùm dicit [Domine] Ex iudicio discretionis, cùm dicit [Si vis] Ex fide omnipotentiæ, cùm dicit [mundare] Dominus enim nomen est maiestatis, ex quo omne magnum in cęlo, & in terra exoritur. *Ierem* 32. Fortissime Domine, magne, potens, Dominus nomen tibi. Per hoc autem, quòd dicit [Si vis] Significat se non dubitare in aliquo; sed quia sciuit, quòd voluntas Dei est omnipotens, & non nisi bona est, & bonum cuilibet facit: & nesciuit, an sibi bonum esset, quia (aliàs quòd) mundaretur, vel non: ideò sub conditione locutus est. Quasi diceret Si bonum est mihi, tunc rogo, quòd velis. Et si non bonum est mihi: tunc scio, quòd non vis: & ideò [si vis] quia voluntas tua necessitati non subiacet. *Sap.* 12. Subest tibi, cum volueris, posse [potes] Ecce fides omnipotentiæ. *Esther.* 13. In ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. si decreueris liberare nos; continuò liberabimur. Sed quia multa potest Deus, quæ non efficit: ideò conungit cum potestate effectum dicens [me mundare] *Iob.* 23. Ipse solus est, & nemo auertere potest cogitationes eius: & anima eius quodcunque voluit, hoc fecit. *Psalmus.* 134. Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit in cęlo & in terra. *Romano.* 9. Voluntati eius quis resistet?

Et extendens IESVS manum tetigit eum, dicens: volo, mundare.

Hic tangitur miraculi exhibitio: constat ex quatuor, quorum primum est efficax virtutis operatio: secundum benignæ voluntatis electio: tertium munditiæ præceptio: & quartum ad iussum sanitatis perfectio. De primo dicit duo; primum est virtutis ad operandum protensio: & secundum modi operationis expressio. Dicit ergo [Et extendens manum IESVS] Manus est organum organorum, sicut diximus in antehabitis: & significat virtutem diuinam vniuersalem & expeditissimam ad opus: & extensio illius significat virtutis processum ad actum. Quòd autem nomen IESV interponitur, significat, quòd extenditur ad salutem. *Matth.* 9. & *Lu.* 8. Ego cognoui virtutem de me exisse. 1. *Esdræ.* 8. Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum. *Psal.* 137. Super iram inimicorum meorum extendisti misericordiam tuam: & saluum me fecit dextera tua. Modus autem operationis exprimitur, cùm dicit [tetigit eum] Non enim potuit esse, quin ad esse tangens eum deuotione operaretur deitas, quæ latebat in carne, sicut tactus carnis vim regenerariuam contulit aquis ex operatione deitatis.

Quæritur autem, cum Eliseus Naaman non vlu, nec tactu curauerit; sed verbo 4. *Regum.* 5. Quare Christus maioris existens potentiæ non solo verbo, vel etiam voluntate curauerit leprosum præcipuè hic, vbi potentiam suam demonstrare voluit? Et dicendum, quòd Eliseus suæ infirmitatis sibi conscius tactu curare non potuit; sed potiùs ad figuram misit Sacramenti, in quo curatio perfici

perficitur, quod talem habere effectum ex tunc Deus præsignare voluit. Christus autem sanitatem, quam dant Sacramenta, Sacramentis non alligauit: nec Sacramenta sanitatem propria virtute efficiunt: & ideò Christus, vt hoc significaret, hic virtutem protensionis (alias protensione) ostendit, & exhibuit: non enim in se aliter deitatem corporaliter inhabitasse significasset.

Sed adhuc obiicitur, quod *Leuit.* 13. dicitur quòd qui tetigerit leprosum, immundus erit vsque ad vesperam: & tunc lotus aqua ingredietur in castra. Christus autem *supra.* 5. dixit, quòd non venit legem soluere, sed adimplere, Responsio quòd sicut suprà docuimus, est iustus, & est superiustus, quem Græci epieixen vocant: Epieixes autem, siue superiustus tenet legem ad legislatoris intentionem: & sic tenet legem ipse legislator, qui lex est viua. Cum igitur causa inhibitionis de tactu leprosi fuerit, inficeretur sanus ex leproso, & sic plures fierent immundi (Cum lepra sit morbus contagiosus) Superiustus eo ipso debet, & potest tangere lepram, quà lepræ morbus effugetur, & sic natura iuuetur, & mundetur: & non soluit legem, sed potiùs superimplet legem, & sic est videre in omnibus factis Domini: & hoc est, quod ipse dixit *Ioan.* 5. Opera, quæ ego facio, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me. Sed hoc perfidia excæcati Iudæi non intellexerunt.

Sed adhuc contra prædicta esse videtur, quod dicit *Chrisost.* quòd non tactu, sed verbo hunc curauit leprosum; sed tactum fecit, vt se super legem esse demonstraret. Sed ad hoc dicendum, quòd non propter aliud eum leprosum tetigisse, nisi vt contra legem faceret, est omnino improbabile; sed potiùs ex causis suprà dictis tetigit: & ideò dictum *Chrysost.* sic intelligitur, quòd tactum exhibuit in operatione virtutis: & hæc virtus verbo dignitatis (aliàs benignitatis) perficit operationem sanitatis, dicens [volo]

Ecce verbum benignitatis diuinæ, cum dicit [volo] voluntas enim Dei est semper bonum nostrum. *Ierem.* 19. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. *Ezc.* 18. Non est voluntatis meæ mors impij, dicit Dominus. Qualiter enim posset esse nisi de bono nostro: quia *Ro.* 12. dicitur. Probetis, quæ est voluntas bona, beneplacens, & perfecta.

Mundare] Ecce præceptio, non modò præceptum sanitatis. Et bone dicit [mundare] vt intelligatur magis mundus anima, quàm corpore. 4. *Reg* 5. Restituta est caro eius sicut pueri paruuli, & mundatus est à lepra sua. *Mat.* 11. Leprosi mundantur. *Psalmus.* 102. Propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Hoc autem iussum consequenter sequitur sanitatis perfectio: vnde dicit.

Et confestim mundata est lepra eius.

Tria sunt hic dicta de perfectione miraculi, vnum quidem, quòd factum est subitò: & in hoc transcendit modum operis naturæ, cùm dicit [confestim] Alterum est finis integræ sanitatis, cùm dicit [mundata est] Tertium est huius sanitatis integritas in reparatione causæ, cùm dicit [lepra eius] hoc est, causa lepræ. Primum est virtutis infinitæ: quia probauit *Aristo. in 7. physicorum*, quod si tanta virtus mouet in tanto tempore, quòd dupla mouet in dimidio illius temporis, & decupla in decima parte temporis illius, & infinita mouebit in nunc temporis: & sic factum est hic. *Genes.* 18. Nunquid Deo est quicquam difficile? De secundo dicitur *Ioan.* 7. Totum hominem sanum feci in sabbato. *Ezech.* 36. Mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. De tertio nota, quòd, cum lepra est corruptio vasorum, quæ corrumpunt nutrimentum, & conuertunt ipsum in choleram nigram ex omni humore; & mundatio lepræ est curatio vasorum, ne corrumpant digerendo nutrimentum; sed potiùs ad statum sanæ digerant complexionis: & in hoc notatur, quòd tactus exterior, & verbum exteriùs sonans interiora penetrauit. *Hebr.* 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem corporis & spiritus, compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Sic ergo tactus factus est, vt Deitas in eo corporaliter habitare demonstraretur. Verbum autem dictum est: vt turbæ astanti potestas eius significaretur. *Ioan.* 12. Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Sanitatis autem præceptio facta est: vt Dominus & creator naturæ significaretur. Sanitatis autem perfectio secuta est: vt Dominus Redemptor hominum venisse probaretur.

Et ait illi IESVS: vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis.

Hic agitur de conseruantibus sanitatem adeptam, ne redeat infirmitas. Sicut enim natura quando dat sanitatem, confortat eam, ne alterationibus sequentibus destruatur: ita etiam facit hic auctor naturæ Dominus dans præcepta conseruandæ sanitatis. *Ioan.* 5. Ecce sanus factus es, iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Ad hoc autem tria dat præcepta, quorum primum est humilitatis & cautelæ, cùm dicit: [Vide, nemini dixeris] Secundum est diuini cultus & obedientiæ [sed vade, ostende te Sacerdoti] Tertium autem est gratiarum actionis & reuerentiæ [& offer munus] Primum est ergo præceptum humilitatis secundum *Aug* & cautelæ secundum *Chrysost.* Vt enim verè dicit *Augustinus* de bonis à Deo perceptis oportet gloriari, nec iactare ea in publico, sicut dicit *Apostolus.* 2. *Corinthio.* 12. Si gloriari oportet, non expedit quidem. Et Ezechias thesaurum ostendens perdidit eum, & regnum. *Isa.* 39. *Mat.* 13. Quem qui inuenit homo, abscondit *Iob.* 4. Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè recepit auris mea venas susurri eius.

Sed contra hoc videtur esse, quod dicitur *Mar.* 1. Quòd iste leprosus egressus cœpit diffamare, & prædicare sermonem, ita vt iam non posset intrare ciuitatem manifestè; sed foris in desertis locis esse: & conueniebant ad eum vndique. Et videtur benefecisse iste, quia dicitur *Tob.* 12. Opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est. Iste autem confessus fuit opera Dei, non ad laudem suam: sed ad gloriam Dei. *Isai.* 12.

Annun

Annunciate hoc in vniuersa terra. Responsio, Dicendum, quòd in veritate Dominus intendit, quòd iste gloriam propriam non quæreret de hoc, quòd dignus habitus esset à Domino præ multis aliis leprosis vt curaretur: quia hoc esset iactantiæ; sed opus diuinæ potentiæ ad hoc factum fuit, vt potentia innotesceret, & prædicaretur: & hoc fecit iste. Primum autem cauit, & ideò inobediens non fuit.

Cautelæ etiam fuit istud præceptum secundum *Chrysost.* & hoc notatur ex ordine istorum præceptorum: quia primum est: & ideò non tenebat, nisi donec se ostenderet Sacerdotibus: quia si ante prædicasset miraculum, cùm iam conceperint Principes Sacerdotum odium contra Christum, non recepissent eum ad iudicium emundationis; sed dixissent eum adhuc esse immundum: & tunc tantum non valuisset prædicatio leprosi: quia calumniam habuisset miraculum, Sacerdotibus dicentibus, quòd non esset verè mundatus; quia Lepra est morbus, qui non de facili cognoscitur, nisi multum processerit in destructionem membrorum. Sed postquam Sacerdotes eum iudicauerunt mundum, & munus testificans munditiam receperunt, incontradicibile fuit miraculum, & tunc valuit prædicatum (alias prædicatio) *Prouer.* 1. Vt detur paruulis astutia; adolescenti autem scientia, & intellectus, *August. in primo lib. de Trinitate.* Gratanter recipit osculum columbinum dulcissima charitas: dentem autem caninum vel retundit solidissima veritas, vel euitat cautissima humilitas.

Sed vade, ostende te Sacerdotibus] Ecce præceptum diuini cultus, & obedientiæ: hoc enim præceptum est *Leuit.* 14. Et pertinebat ad cultum Dei. Nec adhuc passus fuit Christus, vt ista essent mortua; sed adhuc in statu erant: & ideò oportet adhuc hæc tenere, quantum ad emundatum, licet Christus legi non subderetur, Præterea vtile fuit ad miraculum testificandum, sicut iam dictum est: & ideò dicit Marcus, quòd dixit ei. Vade, & ostende te Principibus Sacerdotum: quia ab illis magis valuit testimonium, Vnde *Ioan.* 11. dicunt. Quid facimus: quia hic homo multa signa facit. *Act.* 4. Quoniam quidem notum factum est signum omnibus habitantibus Ierusalem. Manifestum est, & non possumus negare. Hic etiam allegoricè accipitur, quòd etiamsi aliquis curatus sit à Deo à lepra peccati per compunctionem, quòd adhuc teneatur ostendere se Sacerdotibus per confessionem. *Iaco. vlt.* Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.

Et offer munus] Ecce tertium præceptum gratiarum actionis & reuerentiæ: tangit autem tria; oblationem muneris, iustitiam oblationis, & finem. Oblationem, cum dicit [Et offer munus] *Isa.* 19. Colent eum in hostiis, & muneribus. Iustitiam tangit, cùm dicit [quod præcepit Moyses] *Eccl.* 24. Legem mandauit vobis Moyses in præceptis iustitiarum. Finem tangit, cùm dicit [in testimonium illis] Et est constructio: Offer illis munus in testimonium tuæ curationis, hoc est, vt sint testes, quòd sis curatus. *Iob.* 10. Instauras testes tuos contra me. Testimonium enim ab aduersariis laudabile est. *August.* tamen legit istud [in testimonium illis] hoc est, cõtra eos, qui si non credunt, iustiùs damnentur, *Deut.* 31. Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis, vt sit ibi contra te in testimonium. *Num.* 17. Refer virgam in tabernaculum testimonij, vt sit ibi in signum rebellium filiorum Israël.

Cùm autem introisset Capharnaum:

Secundum est potentiæ diuinæ demonstratiuum: Quod factum est in restitutione duobus (aliàs duorum) in quibus animatum ab inanimato maximè diffinitur differre, & quæ sunt præcipua opera sensibilis animæ. Paralysis enim, quòd est emollitio neruorum: per hoc, quod replet neruos, impedit viam sensus, & insensibilitatem inducit: & per hoc, quòd emollit, inducit virtutis motiuæ detrimentum: quia illa vult habere viam siccam & duram, eo quòd non est receptiua formarum sensibilium, sicut vis sensitiua; sed potiùs actiua, & actio potentiæ actiuæ meliorat sicco: quia humidum non est instrumentum actionum; sed cedit in seipsum, & patitur magis à contrario. Per hoc autem, quòd humor paralyticus replendo distendit neruos in latum, contrahit eos à longitudine debita: & tunc virtus naturalis nititur eos distendere ad debitum situm: & sic ex lucta morbi & naturæ tremor membrorum inducitur, & aliquando tortura magna & valdè sensibilis afflictionis, præcipuè si humor dissoluens & emolliens calidus fuerit: & talem passionem iste paralyticus sustinuisse videtur. Hæc autem dicta sint, vt ex magnitudine morbi magnitudo appareat diuinæ potentiæ curantis.

Dicuntur autem hic tria, quorum primum est id, quod est ad miraculi perfectionem inclinatiuum: secundum autem laus fidei Centurionis *Ibi* [Respondens Centurio, ait illi &c.] Tertium est perfectio miraculi *Ibi* [Dixit IESVS Centurioni] In primo horum duo continentur, quorum primum est enumeratio eorum, quæ ad faciendum miraculum inclinabant: secundum autem promissio miraculi faciendi *Ibi* [Et ait illi IESVS &c.] Tria autem sunt ad miraculum faciendum inducentia; loci solennitas & intercedentium multitudo: quia ibi multos ædificare potuit: & secundum, personæ rogantis deuotio & dignitas: & tertium eius, qui patiebatur, miserabilitas: & hæc patent in litera.

De primo dicit [Cùm autem intrasset Capharnaum] in quo duo notantur, loci solemnitas, & intercedentium multitudo. Vnde *Lu.* 7. dicitur, quòd misit ad eum seniores Iudæorum, qui rogabant pro eo, dicentes: quia dignus est, vt hoc præstes ei: diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse nobis ædificauit. Quoniam, vt *Ptolomæus* dicit *in Almagesti principio*, quòd intergessor est pertentis ala. Locus igitur per metonymiam hic ponitur pro his, qui in loco intercedebant. Quod Christus voluit, vt solennius, & per consequens vtilius esset miraculum. Propter quod etiam *Luc.* 4. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. *Ioan.* 7. Nemo quippe in abscondito facit aliquid, & quærit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo.

Accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens:

Istud est secundum, vbi ponitur personæ rogantis dignitas & deuotio: & tanguntur hic tria; appropinquatio deuotionis, dignitas appropinquantis, & supplicitas exorantis. De primo dicit [Accessit] *Iac.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.

Sed contra *Lu.* 7. dicit. Meipsum non sum dignum arbitratus, vt venirem ad te. Et dicitur ibi, quòd misit ad eum Iudæorum seniores. Responsio. Dicendum; quòd primò non venit; sed accepta fiducia posteà venit per seipsum: & vnum narrat Lucas; alterum autem Matthæus.

Centurio] Ecce dignitas, qui centum milites sub se habuit; centurio cohortis vnius dicebatur. *Isa.* 45. Viri sublimes ad te venient, & tui erunt.

Rogans eum, & dixit] Ecce supplicitas orationis: & in hoc commendatur Centurio, quod tantum rogauit pro puero, hoc est, pro seruo. Commendatur autem de humilitate, & de affectu compassionis, & de fidelitate ad seruum. De humilitate, quia dicit *Chrysostomus*, quòd in corde recognouit eum esse fratrem, & apud Deum non esset distantia inter Dominum & seruum. *Ad Philemon. in.* Ideò ad tempus à te discessit, vt in æternum illum reciperes, iam non vt seruum; sed pro seruo charissimum fratrem. *Ephes.* 6. Vos Domini eadem facite seruis, remittentes minas, scientes, quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis: & personarum acceptio non est apud Deum. De compassione dicitur. 2 *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? *Rom.* 12. Flere cum flentibus, idipsum inuicem sentientes. De fidelitate dicitur *Lu.* 7. quòd seruus erat isti Centurioni pretiosus. *Ecclesiasti.* 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua Non fecit sicut Amelech 1. *Reg.* 30. Dereliquit me Dominus meus quia ægrotare cæpi nudiustertius: & nunc refocillauit Dauid: & ideò etiam vocat eum puerum suum.

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

Hic tangitur miserabilitas illius, in quo factum est miraculum: & tanguntur quinque; destitutio infirmi, cum dicit [iacet] Magnitudo langoris, cum dicit [paralyticus] Impossibilitas adiutorij, cum dicit [in domo] Sicut infrà patebit. Vexatio ad dolorem sensus, cum dicit [malè] Vexatio ad dissolutionem compositionis membrorum, cum dicit [torquetur] Ante præmiserat illud, quod sonat fidem potentiæ in Saluatore, cum dixit [Domine] Cuius velle facere est. *Exod.* 15. Dominus nomen est illi: habet enim in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. *Apocal.* In quo perfectum est posse per solum imperium faciendi, quod vult in creaturis sibi subiectis. Illa enim potestas Domini verbo & imperio faciendi, quod voluerit. *Psalm.* 134. Omnia, quæcumque voluit, Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis. Præmisit etiam de cura serui affectum dicens [Puer meus] Sed de hoc iam antè dictum est. *Isa* 8. Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Dominus.

Iacet] Ecce destitutio infirmitatis. Quidam enim adhuc non victi infirmitate ista ambulant, & stant: & quidam minus sustentati se trahunt potiùs, quàm ambulent: quidam autem magis victi sedent: iste autem omninò destitutus iacet. *Psalm.* 40. Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Vnde *Ioan.* 5. dicitur, quòd in his iacebat languentium multitudo.

Paralyticus] Ecce langoris difficultas: Quia quasi incurabilis est ista infirmitas. 3. *Reg.* 17. Erat langor pessimus; ita vt non remaneret in eo halitus. *Ecclesiasti* 10. Langor prolixior grauat medicum.

In domo] Ecce impossibilitas adiutorij. Iam enim desperans de adiutorio retraxerat se in domum, vbi nihil nisi mortem expectaret. *Eccl.* 30. Melior est mors quàm vita amara: & requies æterna, supple, in sepulchro, quàm langor perseuerans.

Et male] Quoad vexationem sensus. Simile *Matt.* 15. Filia mea malè à dæmonio vexatur.

Torquetur] in tortum contrahitur inordinatè & distenditur. *Thren.* 1. Attendite, si est dolor, sicut dolor, meus *Psalm.* 37. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar. Et attende, quòd tantæ est humilitatis iste, quòd petere non audet: & tantæ fiduciæ de misericordia Domini, quòd non nisi exponit ei miseriam pueri: & tantæ discretionis, quòd exaudire si expedit, vel non exaudire si non expedit, relinquit iudicio Domini: & his tribus de causis non format petitionem.

Et ait illi IESVS: Ego veniam, & curabo eum.

Ecce pars, in qua est miraculi perficiendi promissio: & tanguntur tria, quorum primum est Benigna allocutio Domini, quam Centurio meruit ex deuotione: secundum promissio personalis visitationis, quam meruit ex humilitate: tertium est sponsio curationis serui, quam meruit ex supplicatione.

Dicit ergo primò de allocutione. [Et ait illi IESVS] Quia enim deuotè alios miserat, seipsum venire reputans indignum, sibiipsi meruit loquentem audire Dominum. Num. 12. Loquebatur ei ore ad os. *Exod.* 33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.

Ego veniam] Ecce promissio visitationis. *Psalm.* 76. Excita, Domine, potentiam tuam & veni, vt saluos facias nos. Sed contra. Non legitur venisse personaliter. Dicendum, quòd personaliter venit: quando secundum præsentiam suæ deitatis per beneficium curationis se præsentem exhibuit *Osea.* 6. Veniet nobis sicut imber temporaneus, & serotinus terræ.

Et curabo eum] Sponsio est beneficij sanitatis *Osee.* 14. Sanabo contritiones eorum: diligam eos spontaneè quia auersus est furor meus ab eis. *Eccle.* 50. Curauit gentem suam, & liberauit eam à perditione.

Et respondens Centurio ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.

Hic incipit pars, quæ est de laude Centurionis: & diuiditur in duo, in quorum primo ponitur de causa

causa laudis: & in secundo ponitur ipsa laudatio *Ibi* [Audiens autem hoc IESVS] Et tanguntur duo, primum est accepta fiducia ex allocutione Domini, quæ ostenditur in verbis Euangelistæ, cùm dicit [Respondens Centurio ait illi] *Rom.* 9. O homo, tu quis es, vt respondeas Deo? Et ideò intelligitur, quòd præcedentia verba per intercessores proposuit; sed modò accepta fiducia per seipsum respondit. Secundum est ipsa responsio: & in hoc quatuor continentur, quorum primum est humilis suæ indignitatis recognitio: secundum est facilis & ad nutum virtutis Dei operatio: tertium creaturæ ad Creatorem secundum obedientiam plena & cum effectu subiectio: quartum huius per simile persuasio. In primo autem horum rursum duo continentur, quorum primum est suæ ad Dominum recognitio indignitatis: secundum est in vsu rerum huius mundi parcitas sustentationis.

De primo dicit [Domine non sum dignus] 1. *Pe.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis. *Iaco.* 4. Humilibus dat gratiam [vt intres sub tectum meum] Ecce quam parca sustentatio ex vsu rei familiaris. Princeps enim existens, habitationem non vocat domum, sed tectum, quod solùm est defendens ab incommodis aëris: nec palatium puto eum habuisse, qui apud Dominum, quem libenter honorasset, & quem nihil latere putauit, non nisi de tecto facit mentionem: iam imitans ipsum Dominum, qui reclinatus, cum nasceretur, fuit in præsepio: quia non erat ei locus in diuersorio. *Iere.* 22. Væ qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque synopide.

Sed tantùm dic verbo] Ecce recognoscit facilem ad nutum virtutis Dei esse operationem: ex plena fide sciuit iam illud *Sap.* 18. Omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo, à regalibus sedibus venit. Et *Ibidem* 16. Omnipotens sermo tuus, Domine, sanat omnia. *Psalm.* 148. Ipse dixit, & facta sunt.

Et sanabitur] Credidit iste tantum subiectionis quamlibet habere creaturam ad Deum, quòd verbo suo simplici omnis mutatio fieret in creaturis & ad vitam & ad mortem. *Iob* 5. Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. *Iere.* 17. Sana me, Domine, & sanabor: saluum me fac & saluus ero.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.

Ecce præsuasio per (aliàs secundum) similitudinem, & secundum *Chrysost.* attenditur similitudo inter potestatem Christi, inquantum homo est: & potestatem Centurionis. Quia sicut Centurio sub potestate erat Imperatoris, vel præsidis, vel alterius cuiuscumque secundum ordinatam potestatem: ita potestas Christi hominis erat sub potestate Patris. Et sicut non præiudicabat potestas superior in Centurione potestati inferiori, quominus militibus iubendo diceret: vade, vel veni: ita non præiudicaret potestas Patris potestati Christi, quominus posset præcipere Angelis, quibus dispenserat ministeria hominum, & per eos frequenter perficit corporales sanitates hominum, sicut *Ioan.* 5. Descendit Angelus mouens aquam: & tunc sanabatur, qui primus descendit in aquam. Adhuc ex superiori potestate non præiudicabatur Centurioni, quin præciperet seruis de faciendo, vel non faciendo: & similiter potestas superior Patris non præiudicabat Christo, quin ad nutum præciperet creaturis corporalibus de omni eo, quod vellet ad sanitatem & (aliàs vel) ægritudinem, & ad vitam, & ad mortem. Et in his notatur, quòd non solum magnam & humilem; sed valde habuit iste fidem distinctam. Quatuor ergo notantur in ista similitudine: in hoc enim, quòd dicit [Nam & ego homo sum sub potestate constitutus] Notat similitudinem potestatis Christi hominis ad eam, quæ super eum erat, potestatem Patris. In hoc autem, quòd dicit [habens sub me milites] notatur similitudo potestatis Christi super Angelos. In hoc etiam, quòd dicit [& seruo meo fac &c.] notatur similitudo potestatis Christi super creaturas corporeas.

Dicit ergo [Nam & ego] in humanis, sicut tu inquantum homo es in diuinis [homo sum sub potestate] altiori [constitutus] *Psal.* 65. Imposuisti homines super capita nostra. *Rom.* 12. Omnis anima potestatibus altioribus subdita sit. De Christo autem *Ioan.* 14. Pater maior me est. *Ioan.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est: nolite mirari hoc [habens sub me milites] Minimus centum militibus præerat, & maximus mille. Vnde etiam Centurio dicebatur. De Christo autem dicitur *Iob* 25. Nunquid est numerus militum eius: & super quem non surgit lumen eius?

Et dico huic vade, & vadit: & alij, veni, & venit] Notat similitudinem euntium & redeuntium Angelorum ad Deum cum votis hominum: & ad homines cum gratia & illuminatione diuina, sicut dicitur *Ioan.* 1. Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis, sicut patet in principio Zachariæ.

Et seruo meo, fac hoc, & facit] Notat qualiter seruilis creatura, quæ est corporea, subiicitur Creatori. *Psal.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues &c. *Esther* 13. Dominus vniuersorum tu es. *Psalm.* 122. Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum &c.

Audiens autem IESVS miratus est, & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israël.

Hic ponitur ipsa laudatio, & dicuntur hic duo, quorum primum est de admiratione auditus fidei: secundum autem est de ipsa laude *Ibi* [Amen dico vobis &c.] Sed de primo est obiectio, qualiter Christus audiens admiratus sit, qui omnia sciuit, antequam audiret, & de nullo admirari potuit: quia admiratio est stupor quidam in eo, quod ita magnum est, quòd vltra facultatem cognitionis & operis eius, qui admiratur: & nihil ita excedit Christi facultatem. Et dicendum ad hoc, quòd duplex scientia est in Christo, infusa sibi à Patre secundum hominem: & in qua natus est à Patre secundum Deum: & secundum neutram

neutra istarum ex auditu admirari potuit. Est autem adhuc in ipso scientia experimentalis, qua audiuit, quod ante per illum modum nesciuit, licet alio modo sciuerit; & de hac dicitur, quòd audiuit. Admiratio autem sua non fuit stupor cordis, vt in nobis; sed potiùs ostensio, qua aliis ostendit esse virum mirabilem in hoc, quòd ad modum mirantis se habuit. Simile huic dicitur 2. *Mach.* 7. Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna. *Isa.* 60. Mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris; fortitudo gentium venerit tibi. Iste enim Princeps gentilis de fortitudine gentium aduenit, sicut & tres Magi: & ideò subiungit de ipsa laude: & primò tangit apud quos laudauit dicens [Et sequentibus se dixit] Cum autem non dicantur eum sequi nisi discipuli, quæritur, quare non laudauit eum apud omnes, sed apud discipulos tantùm. Et ad hoc dicendum, quòd si hoc verbum in commune (aliàs communi) protulisset, multos turbasset Iudæorum, eo quòd fidem gentilis fidei eorum prætulisset: & hoc facere noluit. 1. *Cor.* 10. Sine offensione estote Iudæis & gentibus & Ecclesiæ Dei, sicut & ego vbique & in omnibus placeo non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.

Deinde ponit laudem, & dicit tria: primò enim tangit laudem istius de fide: secundo prædicit vocationem gentium futuram per Apostolos: tertiò prædicit futuram excæcationem & eiectionem futuram Iudæorum. De primo dicit [Amen dico vobis] Quod confirmatio est sermonis, sicut patet ex præhabitis [non inueni tantam fidem in Israël.] *Rom* 1. Gratias ago Deo meo per Iesum Christum: quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. *Eccles.* 45. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum: & elegit eum ex omni carne. Sed videtur dubitabile dictum: quia in Israël inuenit fidem Patriarcharum & Prophetarum, quæ maior fuit, quàm istius. Si autem dicas cum *glossa*, quòd loquitur secundum præsentem statum. Contrà: secundum statum præsentem inuenit fidem Apostolorum & gloriosæ virginis Mariæ. Ad hoc dicendum, quòd fides dicitur magna dupliciter, intensiuè scilicet & facilitate credendi. Et bene potest esse, quòd intensiuè maiorem inueneris in quibusdam Iudæis secundum statum præsentem; sed quoad facilitatem credendi non inuenit tantam: quia Iudæi inducti & edocti per scripturas crediderunt; iste autem non. Vel dicatur, quòd non includit eos, quibus loquebatur; sed alios de Israël, sicut consuetum est, cum dicimus quibusdam fidelibus Iudæis, non inuenta est tanta fides in Iudæis, quanta in gentibus. Et ideò Iudæi dicuntur fæces: quia eliquatis electis fidelibus, alij quasi nihil rationis, & omnino nihil fidei habuerint. *Isa.* 49. Parum est mihi, vt suscites mihi tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. De his ergo fæcibus hic loquebatur.

Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.

Ecce subiungit de futura gentium vocatione: dicit autem tria, multitudinem videlicet, vndecumque venientium, & quietem eorum in promissionibus Patrum, & collectionem eorumdem in vnum Christi regnum. Multitudinem autem venientium describit dupliciter, à multitudine, cùm dicit [multi] *Isa* 60. Leua in circuitu tuo oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. *Ierem.* 31. Inter quos erunt cæcus & claudus: prægnans & pariens: simul cætus magnus reuertentium huc. Deinde tangit aduersitatem locorum, de quibus veniunt, cum dicit [Ab oriente & ab occidente] *Isa.* 41. Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente congregabo te: dicam aquiloni, da: & austro, noli prohibere. *Iere.* 31. Ecce ego adducam eos de terra aquilonis; & congregabo eos ab extremis terræ.

Sed tunc quæritur, quare non nominat nisi duas plagas cæli, cùm alibi dicat, à quatuor ventis cæli esse congregandos. Ad hoc dicendum, quòd in cælo est duplex Oriens, & duplex Occidens, secundum motum rectum videlicet circuli æquinoctialis, & secundum motum obliquum circuli signorum. Secundum motum rectum circuli æquinoctialis oritur sol & quælibet stella super circulum horizontis, quãdo in mane emergit, & occidit in sero sub eundem, quando declinat ad occasum: & secundum hanc distantiam duorum punctorum tota terræ longitudo distinguitur. Secundum motum autem obliquum oritur sol & cæteræ stellæ, quando ascendere incipiunt à puncto capricorni, & continuè ascendunt à meridie in aquilonem super polos orbis signorum rotati, donec perueniunt ad punctum cancri in aquilone: Decidunt autem, quando descendunt à puncto cancri in aquilone continuè rotati vsque ad punctum capricorni in meridie: & secundum hæc duo puncta distinguitur cæli & terræ longitudo & latitudo: & secundum hoc in communi sumendo oriens & occidens intelligitur totius terræ longitudo. *Apoca.* 7. Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus & populis & linguis, stantes ante thronum. Aliter potest dici, sed non ita conuenienter, quòd tota terræ longitudo, quæ est inter oriens & occidens habitatur: sed non tota latitudo, quæ est inter meridiem & aquilonem, habitabilis est. Sed tantùm climatum latitudo, quæ septem & parum vltra tunc sunt deprehensa. Et ideò tangit puncta longitudinis. *Malach.* 1. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. *Psal.* 112. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.

Et recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob] Recubitus iste dicit quietem in promissionibus Patrum: quia in his tribus perfecta promissio de semine nascituro, sicut diximus in principio huius libri: quia in Abraham facta est promissio; in Isaac autem distinctio eorum, quæ ad promissiones pertinent: in Iacob autem pertinentium ad promissionem plena benedictio. Et quia hæc exiguntur ad promissionem: ideò hos tres commemorat præ aliis. *Eph.* 3. Reuelatum est sanctis Apostolis & Prophetis in spiritu esse gentes cohæredes & concorporales & comparticipes promissionis.

promissionis in Christo IESV per Euangelium. *Rom.* 15. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est. Lætamini gentes cum plebe eius.

Filij autem regni eiicientur.

Hic dicit futuram Iudæorum eiectionem: & hic dicit tria, naturam, eiectionem à præmissis, & miseriam loci, in quem proiicientur. Naturam tangit, quando dicit [filij autem regni] hoc est, nati in regnum ex hæreditate Patrum si non degenerassent. *Rom.* 11. Secundum electionem charissimi propter patres. Ab hac autem generatione degenerauerunt, sicut dicitur *Isa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, ab alienati sunt retrorsum [eiicientur] Ecce expulsio contra spem promissionum. *Psalm.* 5. Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te, Domine. *Iere.* 23. Vos estis onus Domini: proiiciam quippe vos, dicit Dominus, & Prophetas & Sacerdotes & populum.

In tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.

Hic determinat miseriam, in quam proiicientur: & sunt tres: & quarta præsupponitur tanquam harum trium causa. Tenebræ autem exteriores sunt tenebrosus carcer inferni: fletus significat fumum incendij: & stridor dentium algorem gelicidij. His præsupponuntur tenebræ interiores excæcati animi, siue cordis, de quibus dicitur *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. *Sap.* 17. Dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento, dispersi sunt pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati. Ab his ergo, & cum his, & in his tenebris [ad exteriores] æternii carceris [tenebras] proiicientur. *Isa.* 60. Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos. Hoc enim de terra infernali est dictum, vbi nec lux est corporalis, nec lux spiritualis. *Thren.* 3. Me minauit & adduxit in tenebras; & non in lucem. *Iob.* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine.

Ibi erit fletus] Contrà. Fletus lacrymarum non est sine corporis resolutione: corpus autem, quod resoluitur in parte, resolubile est in toto: & sic possunt consumi mali in inferno. Si fortè dicatur, quòd intelligitur de fletu spirituali. Contrà: *Glossa* dicit hic, quòd per hoc intelligitur vera resurrectio corporum. Ad hoc dicendum, quòd ad literam intelligitur de fletu oculorum. Sed in fletu sunt tria, quorum vnum est constrictio cordis ex tristitia & sensu pœnæ alterum est causatum ab illo, quod est constrictio panniculorum cerebri, ex cordis constrictione proueniens: quia panniculi cerebri per telas & nerues & arterias & venas concuruantur ad cor: & cum cor extremitates suorum ventriculorum constringit, tunc attrahit panniculos cerebri & comprimit cerebrum, & cætera membra, in quo (aliàs quo) panniculi & venæ & nerui diffunduntur: & ex hoc tertio consequitur inordinata distractio figuræ & situs membrorum in facie: & hæc tria sunt in fletu infernalium. Sed quartum (quod est lacrymatio, quæ prouenit ex hoc, quòd quando cerebrum comprimitur, exprimitur ab eo humidum aqueum, seu humor aqueus, qui distillat per oculos) hoc non erit meo iudicio in inferno. *Matt.* 13. Mittet eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. *Apoca.* 18. Flebunt & plangent se super illam omnes Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt.

Et stridor dentium] Stridor dentium prouenit ex frigore, sicut & aliorum tremor membrorum. Cùm enim frigus constringit neruos, & contrahit, virtus naturalis eosdem distendit: & ex pugna, quæ est inter contrahens & distendens, ex duobus moribus tremor accidit: & ille in dentibus est stridor, & in aliis membris est tremor. *Iob.* 24. Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium. Et sicut libidini debetur calor ignis: ita frigiditati destitutorum à charitate debetur frigus algoris per pœnam respondentem. *Matt.* 24. Refrigescet charitas multorum. *Iere.* 6. Sicut frigidam cisterna facit aquam: sic frigidam fecit malitiam suam.

Sed obiicitur, quia licet in excellentia duorum contrariorum fit afflictio: tamen in medio misturæ amborum est contemperatio & delectatio. Cùm igitur transeant ab excellentia vnius ad alterum, sicut dicitur *Iob* 24. in medio delectabuntur. Quod falsum est. Et dicendum ad hoc, quòd calor & frigus non affligunt in ratione qualitatum elementalium; sed potiùs in virtute iustitiæ vindicantis: & ideò virtutes illius habent in se; & ideò per extremorum excellentias intensas & exacutas ad acerbitatem tantæ vindicationi competentem, agit tam in animas, quàm in corpora damnatorum. Et exemplum huius est in calore digestiuo animalium, qui licet sit calor ignis, non tamen agit ad modum caloris ignis; sed ad modum animæ, quæ mouet ipsum tanquam instrumentum. *Sap.* 16. Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. *Sap.* 5. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.

Et dixit IESVS Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

Hic agitur de perfectione miraculi: merito enim tantæ fidei & humilitatis & deuotionis & curæ domesticorum & inferiorum suorum dixit IESVS Centurioni: vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Duo dicit, meritum sanitatis, & affectum. De merito sanitatis tria dicit, scilicet, profectum in fide incepta, fidem, & præceptum affectus futuri. De primo dicit [Vade] hoc est, in hac fide, quam habes profice: quoniam in corporalibus super spiritualia sunt accipienda. *Psalm.* 83. Ibunt de virtute in virtutem. *Luc.* 7. Fides tua te saluam fecit: vade in pace. *Psalm.* 88. In lumine vultus tui ambulabunt. *Isa.* 2. Ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem

tem Domini.

Sicut credidisti] hoc est, quòd absens curare possem præsentia deitatis. Non sicut ille Regulus, de quo habetur *Ioan.* 4 Qui nisi Dominus corporaliter descenderet, non credebat, quòd sanare posset. *Lu.* 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori: eradicare & transplantare in mare: & obediet vobis. Sed quæritur, quare effectus huiusmodi miraculorum non ita attributur charitati, vel spei, sicut fidei? Ad hoc dicendum, quòd sola fides est ex auditu: & ideò ex parte illa quærit persuasionem: cum autem auditus sit de supernaturalibus, oportet, quòd inductiuum & persuasiuum eius sit per supernaturalia: spes autem & charitas non sunt ex auditu; sed sunt affectiones simplices: & ideò persuasiua habere non possunt.

Fiat tibi] *Mat.* 15. ô mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut petisti. *Lu* 1. Beata, quæ credidisti: quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino.

Et sanatus est puer ex illa hora] Nescit enim tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia *Gregorius. Iere.* 30. Obducam cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te. *Iere.* 33 Ecce ego obducam cicatricem eorum, & sanabo, & curabo eos.

Et cum venisset Iesvs in domum Petri, vidit socrum eius iacentem & febricitantem: & tetigit manum eius & dimisit eam febris.

Hic incipit agere de ostensione magnitudinis potentiæ diuinæ in restitutione spiritus & caloris vitalis. Febris enim, calor extraneus accensus in corde procedens ex eo, mediantibus spiritu & sanguine, per arterias & venas in totum corpus, inflammatus ex corde inflammatione, quæ impedit operationes naturales. Vnde patet ex corde habere hunc calorem, inflammationem: & ita esse ipsum in membro principali & instrumentis eius præcipuis, quæ sunt calor & spiritus: & in principali nutrimento, quod est sanguis: & ita potentissimam (aliàs potissimam) oportet esse virtutem, quæ curat hunc defectum. Est enim hic defectus in eo, quod principaliter est sedes animæ, quod est cor, à quo fluit actus vitæ in totum corpus. Et ideò etiam anima diffinitur, quòd est principium & causa vitæ. Dicit autem ad ostensionem potentiæ Christi quinque circa hoc miraculum, quorum primum est opportunitas loci & intercedentium, secundum autem est consideratio molestiæ febricitantis, tertium est ad febricitantem cum effectu protensio virtutis, quartum est consecutus effectus sanitatis, quintum & vltimum per operationem demonstratio restituti vigoris naturalis: quæ omnia patent in litera.

Obiicitur autem de ordine istorum miraculorum, quia *Mar.* 2. *Lu* 4. istud de curatione socrus Simonis ordinatur ante duo inducta: & sic Euangelistæ non conuenire videntur in ordine. Ad hoc dicendum, quòd *Marcus & Lucas*, vt puto sequuntur ordinem historiæ, quia gratia familiaritatis probabile est, quòd primo intrauerit in domum Simonis, vt ibi instrueret & confortaret ad fidem verticem Apostolorum, cui commissurus erat Ecclesiam, qui præ omnibus aliis, priùs & honorandus & instruendus & confortandus erat. Sed *Matt.* respicit ordinem, quo magis Dei potentia demonstratur, sicut diximus superiùs. Nec hoc oportet hic repetere. *Glo.* autem *Augustini* leuem dat solutionem & simplicem, quæ patet in ipsa cuilibet: & fortè illa verior est omnibus aliis.

Dicit igitur [Et cùm venisset Iesvs] tanquam Saluator vbique circumferens effectum salutis [in domum Petri] *Lu* 19. Hodie huic domui salus à Deo facta est. Domus autem Petri dicitur: quia ibi fuit habitatio familiæ ipsius. Dicitur autem *Mar* 1. quòd erat domus Petri & Andreæ: & quòd introiuit cum Iacob. & Ioanne, qui iam ad familiaritatem eius vocati fuerant.

Vidit] Ecce secundum, & istud videre est oculo misericordiæ aspicere. *Gen.* 21. Tu Deus, qui vidisti me. *Exod.* 3. Videns vidi afflictionem populi mei [socrum Petri] & propter affinitatem discipuli esse iuuandam [iacentem] Ecce destituto [& febricitantem] *Luc.* 4. dicitur, quòd æstuabat magnis febribus, vt magis ad misericordiam moueretur, & magis appareret magni miraculi effectu potentia diuina: & ideò voluit Christus, quòd sic accenderetur febris. Quia autem omnia fecit ad instructionem discipulorum: ideò *Mar.* 1. dicitur, quòd dicunt ei de illa. *Lu.* autem 4. quòd rogauerunt eum pro illa: quia quantò beneficium magis est requisitum, tantò magis est gratum. Vnde Ptolomæus in Almagesti, Non differas nisi cum intelligente: nec des consilium nisi quærenti & auidè petenti. *Isa.* 38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. Et loquitur de magnitudine suæ infirmitatis. *Iob* 30. Interiora mea efferbuerunt absque vlla requie: præuenerunt me dies afflictionis.

Et tenuit manum eius] hoc est, eleuauit eam per manum. Et istud est protensio virtutis diuinæ cum effectu ad febricitantem. Vnde *Mar.* 1. dicitur sic: & accedens eleuauit eam apprehensa manu eius. *Lu.* autem 4 dicitur: Stans super eam imperauit febri. Et intelligitur, quòd tactu manus viuificæ salutis imperatum fuit vt discederet vmbra mortis, quæ est febris. *Act.* 9. Dans illi manum erexit eam &c.

Et dimisit eam febris] Ecce effectus salutis. *Lu.* 13. Mulier dimissa es ab infirmitate tua. *Ioan.* 4. simile est huic. Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit autem pater, quia illa hora erat, in qua dixit Iesvs: Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. *Hebr.* 11. Fide conualuerunt de infirmitate,

Et surrexit, & ministrabat eis. Vespere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes: & eiiciebat spiritus verbo: & omnes malè habentes curauit: vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portauit.

Ecce probatio restituti vigoris per ministerium operis: & tanguntur duo, quòd surrexit, contra hoc quòd dicta fuit iacere: & quòd illis ministrauit

uit, contra hoc, quòd febricitauit. Surrectio est sursum sui erectio, non tam corpore, quàm mente. Sic *Act.* 9. Æneas continuò surrexit: videbant eum omnes, qui habitabant Lyddæ & Saronæ, qui conuersi sunt ad Dominum. *Col* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Et ministrauit illis] Ministerium hoc, & vigorẽ in probationem diuinæ virtutis, & officium pietatis in obsequio Christi, & hospitalitatem in procurationem Apostolorum, & humilitatem in seruiendo Sanctis demonstrauit. *Hebr.* 6. Non iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis: quia ministrastis Sanctis & ministratis. 2. *Cor.* 9. Ministerium huius officij, quod fit in Sanctos, non solùm supplet ea, quæ desunt Sanctis; sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino. *Hebr.* 13. Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Sic igitur terminata est pars illa, in qua fit demonstratio diuinæ potestatis per hoc, quod est magna & super magna.

Secundum autem, quòd oportet eam esse vniuersalem, demonstratur consequenter in parte, quæ incipit *Ibi* [Vespere autem facto] & ad vtilitatem ipsius demonstrandam tria inducuntur, quorum primum est demonstratio potestatis vniuersalis super aduersantem spiritum vniuersaliter: & secundum est demonstratio ipsius vniuersaliter super imporens corpus *Ibi* [Et omnes malè habentes] Tertium probatio dictorum per Prophetiam *Ibi* [vt adimpleretur] Attendendum autem, quòd vniuersaliter potens demonstratur Christus secundum illum modum, quo secundum electionem voluntaris operans, potens demonstratur, hoc est, quòd curat quotquot & quoscunque vult: & si aliquos non curat, quòd illius non est causa, nisi quia non vult.

De prima harum partium dicit sic [Vespere autem facto &c.] Tangit quatuor, temporis congruitatem, astantium deuotionem, miraculorum potestatem, & operis facilitatem. De primo dicit [Vespere autem facto] quia in die occupatus erat verbi prædicatione, ex compassione ad ignorantiam populi: & in sero per miraculum confirmauit quæ prædicauerat, & excitauit populum ad laudem Dei. *Psal.* 41. In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius. Hoc etiam tempus congruit illi tempori, quo virtus dæmonum exclusa fuit, & virtus diuina exaltata, quando videlicet sol verus Christus Dominus noster in passione declinauit ad occasum. *Psal.* 67. Qui ascendit super occasum Dominus nomẽ illi. *Iud.* 16. Samson, qui fol fortis interpretatur, plures occidit occidens quàm ante fecerat viuens.

Obtulerunt ei multos dæmonia habentes] Ecce offerentium deuotio & astantium, propter quorum fidem generandam, vel confirmandam facta sunt miracula, *Act.* 5. Magis autem augebatur credentium multitudo virorum ac mulierum: itavt in plateis eiicerent infirmos in lectulis & grabatis: vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum; & liberarentur ab infirmitatibus suis.

Et eiiciebat spiritus immundos] Ecce miraculandi potestas: virtute autem præsentiæ suæ eiecit spiritus immundos. *Act.* 10. Pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo. *Mar.* 4. Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei. Eiecit huiusmodi spiritus immundos [verbo] Et in hoc tangit operis facilitatem & modum. *Psal.* 103. Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.

Sed incidit in (aliàs hic) dubium, vtrum aliquis sit à diabolo obsessus: & videtur, quòd non: quia in anima non potest esse obsessus: eo quòd, vt dicit Beda, nihil illabitur in animam nisi Deus Trinitas. Adhuc, in spiritualibus quando duo sunt eiusdem simplicitatis, neutrum est in alio: diabolus autem, & anima rationalis eiusdem sunt simplicitatis, quoad hoc, quòd vterque est creatus spiritus, & vterque ad imaginem Dei: & vterque creatus ad hoc, quòd sit capax Dei: & sic neuter est in alio, & neuter potest esse in alio. In corporalibus etiam quæcunque sunt eiusdem capacitatis nullo modo sunt in se inuicem: & proportionabiliter loquendo est hoc etiam in spiritualibus: anima autem rationalis eiusdem capacitatis est cum Angelo, ergo neuter istorum spiritum est in alio. Similiter videtur, quòd corporaliter aliquis nõ sit obsessus: si enim corporaliter aliquis esset obsessus, oporteret, quòd diabolus esset in corpore: & constat, quòd non inesset nisi sicut motor & operator sensuum & passionum & actionum corporis: & ad hoc, & secundum hoc inest anima in corpore. Neque potest intelligi, quòd duæ substantiæ formales ad idem & secundum idem insint in aliquo, præcipuè quando sunt æquè formales.

Si dicas, quòd vna operatur violenter, & alia naturaliter: hoc nihil est: quia operans violenter non est intra, sed semper extra. Adhuc, operans violenter nunquam operatur mouendo potentiam naturæ, sed semper contra huiusmodi potentiam. In his autem, qui dicuntur obsessi, videmus operari visum & auditum & alios sensus & opera & passiones & actiones, quas etiam secundum naturam operantur, sed inordinatè & sine regimine sunt in eis. Vnde dicunt antiqui, quòd anima implente corpus mirabile videtur, si in idem corpus dæmon possit ingredi: & licet videatur simplex dictum eorum; est tamen suffultum multa & forti ratione.

Ad hoc dicendum, quòd in veritate multi obsidentur secundum animam & secundum corpus à dæmone: & vtrunque eorum est possibile, natura ad hoc nihil contrariante. Sicut enim videmus in somno, quando spissitudo fumi eleuati spiritum animalẽ obscurat, & caliditas eius permiscet eum mouendo inferiora eius ad superiora: obscuritas eius facit eum terrũ & horribilẽ: & ideò anima in somno fit perturbata, quòd nescit iudicium suum, & non videt imagines, quæ sunt in obscuro, etsi quæ sunt, transeunt, de forma in formam propter spiritus permistionem: & quando adhærent, fiunt aliquando terræ & horrendæ, sicut in fumo melancholico: vnde fiũt timores inordinati & impeditur rationis iudicium ex clausura cellularũ lucis: sicut dicit Cestabon (aliàs Castabon) Sic etiam fit per dæmoniũ, & obsidet vias spiritus, & motus animalis: & confusione spiritus, & permistione, & denigratione aliquãdo, vel inordinata claritate ipsius, vel tenuitate & (aliàs vel) subtilitate nõ permittit

tit fieri iudicium rectum. Aliquando etiam cum dictus (aliàs dictis) oppilat transitum de cella in cellam : & tunc inordinatè reflectitur spiritus ad anteriora super partem aliam eiusdem spiritus, qui ascendit : & ex huiusmodi redundationibus & reflexionibus, &, vt ita dicam, refractionibus spiritus multæ fiunt Angelorum formæ & multæ claritates, si lucidus est : & multæ obtenebrationes, si est obscurus : & fiunt in ipso formæ horribiles retractæ secundum longum & latum : & sic obsidet animam in operationibus suis : & hoc sonat nomen obsessionis : quia obsessi sunt, qui conclusi vias liberas exeundi & intrandi ad operationes sibi congruas non habent. Et bene concedo, quòd non illabitur in animam.

Similiter dicendum, quòd obsidet corpus in propriis operationibus corporis. Sic enim eleuat, deprimit, ligat, & huiusmodi facit tam in toto corpore aliquando discerpendo, quàm etiam in membro vno, vel pluribus violentiam inferendo. Nec ratio inducta hoc remouet; sed probat, quòd non vnitur membris sicut interior motor eorum : & hoc est concedendum. Sed sicut nos videmus, quod humor innaturalis diffusus in membro impedit operationem membri, & aliquando facit hoc qualitas, siue materia humoris, sicut dicit *Galenus* : ita facit dæmon per operationes humorum, vel qualitatum, quarum nouit semina in corpore, impediens corporis operationes applicans membris & inuiscans (aliàs inuiscerans) ea talibus seminibus.

Si quis autem quærat, vnde dæmoni est hæc potestas. Dicendum, quòd aptitudinem habet ex natura : quia omnis potestas superior potest super corporalia mouendo & mutando, sicut patet in omnibus cælestibus motoribus, qui nullam habent virtutem organicam; & tamen in potestate habent mouere corporalia ad nutum. Et sicut nos videmus, quòd animæ nutum sequitur motus corporis : sic etiam ex gradu naturæ aptitudinem talia mouendi habet dæmon : sed potestatem operandi accipit à summa potestate Creatoris, cuius est dispensatio mundi totius: & hæc est causa, quòd eiecit eos verbo : ideò non oportuit eum solum verbum dicere, nisi vellet propter astantes, vt in fide suæ potestatis ædificarentur, sicut patet ex supradictis.

Et omnes malè] Secundum est superiùs inductæ diuisionis : & hic (aliàs hoc) probat vtilitatem suæ potestatis in corporalibus, quæ supra naturæ virtutem restituit sanitati. Nec est verum, quod quidam dicunt eum suam hic ostendere potestatem super spiritum humanum : eo quòd *glossa* facit hic mentionem de passionibus animæ, quæ sunt ira & odium : quia illa *glossa* est moralis. Intelligendum autem est, quòd generales in his curas habet tres, de quibus suprà facta est mentio: quosdam enim curauit verbo & tactu, sicut leprosum : & quosdam solo verbo, sicut paralyticum : & quosdam solo tactu, sicut socrum Petri : quosdam præsens, sicut socrum Petri : quosdam autem absens, sicut paralyticum. Et causa huius est, quia Christus est Dei virtus & sapientia: & potestas vtriusque debebat manifestari. Adhuc Christus verè erat Deus, & verè habuit deitatem vnitam carni: & hæc omnia voluit innotescere hominibus. Et cùm dicitur Christus sapientia, vel verbum : fuit verbum, quod est operatiuum, & factiuum eorum. Et ideo vt in hac potestate innotesceret, quod ipse est sapientia, per quam, & in qua Deus Pater fecit mundum, quosdam verbo curauit, sic patenter operabatur. Vnde dicit *Ambro.* quòd non est mirum, si sermo Dei creaturas mutat, quæ sermone Dei sunt creatæ & constitutæ : & vt innotesceret se esse virtutem operantem cum Patre omnia & vbique præsentem, quosdam curauit absens : vt autem innotesceret deitatem corporaliter in carne habitantem, quosdam curauit præsens & per tactum : in omnibus ædificans ad fidem, & dispensan salutem.

Vt adimpleretur] Ecce tertium, in quo ponit attestationem per propheriam. Et quia est gratia, quam accepimus ex sua plenitudine : ideò dicit [vt adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem] *cap.* 53. [Ipse infirmitates nostras accepit] hoc est, abstulit. Non enim accepit, vt haberet; sed vt nos ab eis liberaret. Et vocat defectus corporis & animæ, quæ remittunt firmitatem virium & operationum (aliàs operationem) naturalium absque calore innaturali [& ægritudines nostras portauit] hoc est, asportauit. Ægritudines autem dicuntur febres : & sic in his duobus omnem naturæ comprehendit defectum. *Exod.* 28. Aaron iniquitates eorum portauit, qui fuit figura Christi. *Psalm.* 40. Sana animam meam, quia peccaui tibi. 1. *Pet.* 2. Peccata nostra ipse portauit in suo corpore super lignum. Ad hoc enim abstulit infirmitates corporis, quòd sciremus, quòd ablaturus erat infirmitates, hoc est, peccata mentis. Sic ergo terminata est pars, in qua suæ potentiæ fecit demonstrationem, inquantum loquebatur, vt habens potestatem prophetalem, quæ fuit de supermundanis.

Moraliter autem leprosus corruptus nutrimento (aliàs corrupti nutrimenti) ex quo prouenit morpheosa varietas, & membrorum putrida corrosio : hæreticum hominem significat ex corruptis interioribus suis, corrumpentem verbum & gratiam sacramentalem : & ex hac corruptione varietas prouenit duplex vitæ & fidei, vna veri, & falsi alia. Hæc enim in talibus varia, dum quosdam articulos credunt, & quosdam non : & dum quasdam virtutes sequuntur, & quasdam condemnant: ex hoc etiam inordinata fit membrorum corrosio: & hos Christus verbo curat & tactu: quia & exteriùs oportet quòd confortentur per verbum, & interiùs tangantur per gratiam manus, hoc est, adiutorium Christi.

Paralyticus autem significat inconstantem ex longa peccati consuetudine & passionum insecutione, quòd in omnibus viis sensus & motus repletur delectatione consuetudinis & passionum, quas sequitur. Et ideò conante eo per rationem aliquando ad rectam virtutis operationem : tunc disponitur in partem vitij & delectationis in ea dominantis : & hic (aliàs hæc) est tremor capitis positus in Cain *Genes.* 4. De quo dicitur *Thren.* 1. Peccatum peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est. Hunc curat magnitudo fidei, & verbum Christi : quia nisi magna fide passionibus renuntiet, & verbum Christi efficax apprehendat, ratio ipsius (quæ est Dominus eius) non potest curari : & quia passionibus peccatorum sic subiacuit, Christũ intra domũ recipere nõ ausus fuit. Torquebatur malè: quia

Præ omni genere tormenti est rationem velle mouere ad vnam partem, & in delectationis vitium in alteram partẽ proiici. Super quo exclamat *Apostolus Rom.* 7. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Et *Ibidem.* Velle adiacet mihi; perficere autem bonum non inuenio.

Mulier autem febre æstuans designat carnem æstuante concupiscentia venereorum inflammatam: propter quod etiam mulieris calor est, quæ concupiscentiis est emollita in domo, hoc est, in secreto familiari in lecto mollitiei & lasciuiæ calens resoluta, pro qua rogatur Deūs & imperat febri, sanctorum intercessionibus effugans æstum carnis per gratiam castitatis. Sed quia difficile est superare hanc pestem: ideò manum porrigit adiutricem: & sic adiuta digna fit ministrare Deo & Sanctis, quæ priùs indigna iudicata fuit. Mulier enim fornicaria est quasi stercus in via: ab omnibus conculcabitur *Eccl.* 9. Et hanc non decet ministrare Deo & Sanctis.

Possessi autem à dæmonibus sunt sequentes dæmonum malignitates in spiritualibus vitiis, sicut in furore irrationabili, odio, malignitate, inuidia, superbia, traditione, & huiusmodi: de quibus dicitur *Sap.* 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte ipsius.

Malè autem habentes sunt diuersis & particularibus vitiis irretiti, quæ sunt auaritia, furtum, rapina, vsura, & huiusmodi: de quibus dicitur *Isa.* 1. Vulnus & liuor & plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo. Et iterum: omne caput languidum & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vulnus enim mali amoris, & liuor inuidiæ, & plaga tumens superbiæ: caput languens malè, & languentis in errore & ignorantia rationis cor mœrens malè, & secundum seculi tristitiam voluntatis, & vilis infirmitas (aliàs & vniuersales infirmitates) varietatem vitiorum designant. Et hæc omnia ille tulit, de quo dicitur *Ioan.* 1. Ecce Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et *Isa.* 53. Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit.

Videns autem IESVS turbas multas circum se, iussit discipulos ire trans fretum.

Hic incipit agere de conformatione discipulorum in his, quæ audierunt in sermone; vt sint dicta confirmata in se per potentiæ suæ declarationem, & sint confirmata in discipulis per fidem, ne euellantur ab eis per tentationes: & tangit duo: primò enim ostendit à quo recedendum est, & cui inhærendum: secundò ostendit qualiter cum illo permanendum in pugna tentationum *Ibi* [Et ascendente eo in nauiculam] In prima harum tria dicit: primum est, quid relinquendum sit his, qui Deo adhærent: secundum, qualiter à dolosè simulantibus se adhærere Deo, cauendum est: tertium quàm sincerè est Deo adhærendum. Secundum *Ibi* [Et accedens vnus Scriba] Tertium autem *Ibi* [Alius autem de discipulis] oportuit enim primò discernere confirmandos, & postea confirmare: & per hoc patet ordo ad sequens. Ad præcedens autem ratio ordinis est: quia prius est ostendere potestatem eius, cui adhærendum est, & posteà discernuntur, qui adhærent ei: quia potestas est causa adhæsionis. In prima harum partium duo tangit, tumultum videlicet seculi fugiendum: & quod inquietudo in solidum quietis sit commutanda.

De primo dicit [Videns autem IESVS turbas multas circum se] Et dicit quatuor ad nostram instructionem: primum est tumultus huius seculi consideratio, cum dicit [videns autem IESVS] Secundò tangit turbationem ex tumultu prouenientem, cum dicit [turbas] quia turba à turbando dicitur. *Isa.* 3. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. Tertiò tangit confusionem, cum dicit [multas] Multum enim non ordinatum ad vnum, sicut est multum turbæ, nihil aliud nisi confusio est inordinata. *Isa.* 17. Væ multitudo populorum, vt multitudo maris sonantis. *Num.* 14. Vsquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me. Quartò tangit intentionem, cum dicit [circum se] Non enim appropinquabant ad ipsum: sed in circuitu ipsius inquietè, vanè, & insidiosè ambulabant. *Psal.* 11. In circuitu impij ambulant, imitatores illius, qui dicit *Iob* 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. *Psal.* 139. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.

Iussit discipulos ire trans fretum] Istud est secundum, in quo, vt dicit glossa, significat, vt amaros seculi fluctus transeamus. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest: & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum: & non est pax, dicit Dominus, impiis. Attendendum autem hic, quod non eadem die iussit discipulos transfretare, qua curata est socrus Simonis: Quinimò in vespera eiusdem diei curauit multos, & eiecit dæmonia: in diluculo exiuit in desertum orare: & nunciante Petro, quia multi quærerent eum, iuit in proximos vicos, & villas Euangelizare, sicut dicitur *Mar.* 1. & *Luc.* 4. Sed *Matthæus* non sequitur hunc ordinem temporis: sed potius ordinem rerum, prout faciens est ad confirmationem sermonis, sicut patet per ante dicta.

Et accedens vnus Scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocunque ieris.

Secunda pars est, in qua ostenditur, qualiter cauendum ab his, qui dolosè se simulant adhærere Christo: & tanguntur hic duo: primò dolosi istius tangitur descriptio: secundò doli eius manifestatio *Ibi* [Et dicit ei IESVS] In quorum primo tanguntur duo, scilicet dolus in facto, & dolus in verbo. De dolo in facto duo innuit, scilicet, simulatam ad Christum in exterioribus appropinquationem, cum dicit [Accedens vnus] Quia si cum multis venisset, magis fuisset manifestum: nunc autem per hoc, quod vnicus venit, voluit videri, quod ab aliis esset sequestratus, vt sic magis deciperet. *Eccl.* 1. Accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia. *Psal.* 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo. Secundum est, quod tangit in eo falsi nominis scientiam, cum dicit [Scriba] Scribæ enim legis erant periti, qui semper Dominum tentare

quæsierunt *Matt.* 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines &c. *Luc.* 11. Væ vobis legisperiti, qui tulistis clauem scientiæ: nec vos intratis, nec sinitis alios intrare.

Aut isti] Ecce qualem dolum habuit in verbo [Magister] Tangit duo; professionem erroris, & promissionem insecutionis. Professionem erroris tangit, cùm dicit [Magister] Quia, sicut dicit glossa, non credebat esse nisi vnum de communibus magistris in astutia humana præcellentibus. Simili dolo dixerunt *Infra* 22. Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces: & non est tibi cura de aliquo. Insecutionem promittit, cùm dicit [Sequar te] Et addit præsumptionem dicens [quocumque ieris] qui tamen nec per vnicam viam sequi posset. *Iob* 11 Forsitan vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? *Ecclesiastis* 2. Quid est homo, vt sequi possit Regem factorem suum?

Et dicit ei Iesus: vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos.

Hic manifestatur occultè dolus istius: & tangit duo: simulatoris duplicitatem, & Christi simplicitatem. Duplicitatem autem simulatoris tangit dupliciter: in astutia dolosa, & superbia præsumptuosa. Astutiam enim dolosam percutit, cùm dicit [vulpes foueas habent] Est enim hoc animal dolosum, & insidiosum, & variatiuum & in latibulis habitatiuum. Ex quibus proprietatibus istum percutit, qui dolosè tentauit Christum. *Iere.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, & insidiabatur gratiæ. *Psal.* 9. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Et volebat per gratiam acceptam à Christo venari sicut Simon *Act.* 8. Pecunia tua sit tecum in perditionem. *Tim. vlt.* Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Volebat autem per scientiam, quam disceret à Christo, foueas astutiarum facere, in quibus habitans, homines deciperet, & ex eis lucra ageret, sicut faciunt, qui iura & leges æquissimas, & diuinæ iustitiæ congruas propter cauillationes causarum addiscunt. *Psal.* 56. Foderunt ante faciem meam foueam & inciderunt in eam. *Isa.* 29. Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera; & dicunt: Quis nos videt: & quis nouit nos? Peruersa est ista vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo non fecisti me: & figmentum dicat figulo: non intelligis. His proprietatibus dicitur vulpes volupes: quia citò pedem voluit de astutia in astutiam. *Thren.* 5. Propter montem Sion quia disperiit, vulpes habitauerunt in eo. *Psal.* 62. Partes vulpium erunt. *Cant.* 2. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.

Præsumptuosam autem superbiam & fastum cordis (quo per gratiam magisterij ab ipso Christo acceptam nitebatur in altis dignitatibus nidum ponere) percutit, cùm dicit [Volucres cæli nidos] Hæ enim volant ambitione, cælum petunt altitudine honore & nidificant, quiescere volentes in excellente dignitatis prælatione, habentes ad hoc pennas scientiæ, & simulatæ virtutis pietatem. *Baruch.* 3. In auibus cæli ludunt. Istæ sunt aues, quæ descenderunt super sacrificium Abrahæ *Genes.* 15. Quia totum Ecclesiæ oblatum sacrificium, tales hodie deuorant: & quomodo Patriarcha modò non abigit eas sicut fecit, hoc est, Pater patrum. Propter simile huiusmodi factum, quo dæmones excellere cupiebant, dicuntur dæmones aues. *Matth.* 13. Volucres cæli comederunt, quod de semine cecidit iuxta viam. Sed vna est consolatio, quam dicit Abdias Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.

Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.

Ecce quàm puram hic contra istius duplicitatem, suam & sui discipulatus proponit simplicitatem dicens [Filius autem hominis] Quasi diceret: Licet homo sim: non tamen hominum, sed hominis sum filius, vltra hominem habens vnde dolosos arguere possum. *Ioan.* 2. Non erat ei opus, vt quis testimonium ferret de homine. Ipse enim nouit quid esset in homine [non habet, vbi caput suum reclinet] Qui tamen habet perfectum posse, & perfectum nosse, & perfectam gratiam, & non vtitur ad lucrum. Et suis dicit *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date; quia alioquin iam non est gratia. Quia gratia ideò vocatur, quia gratis datur. In talibus etiam, qui sic lucris terrenis vendunt gratias sibi collatas, Christus non habet, vbi caput reclinet: quia non quiescit in cordibus eorum existimantium quæstum esse pietatem: est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. *Sap.* 15. Estimauerunt luxum esse vitam nostram, & conuersationem compositam esse ad lucrum, & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere.

Alius autem de discipulis eius ait illi: Domine, permitte me primum ire, & sepelire patrem meum.

Hic ostenditur quàm sincerè Christo sit adhærendum: & dicuntur hic duo, & tertium præsupponitur ante illa duo: hoc autem est, quod IESVS inuitauit eum, & vocauit eum ad sequendum, & sciuit eum puro corde audiuisse sermonem, & sanctificatum per verbum, sicut ipse dicit *Ioan.* 17. Sanctifica eos in veritate: sermo tuus veritas est. Et tunc ille dixit [Domine permitte me] Et hoc est primum duorum, quæ ponuntur in litera, quod prætendit officium pietatis duplicis, quo differatur insecutio Christi. Est enim pium sepelire mortuos, sicut dicit Angelus Raphael *Tob.* 12. Et secunda pietas est: quia hoc voluit facere circa patrem, cui ex ordine naturæ tenebatur, sicut dicit *Tob.* 4. ad filium loquens: Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: & hoc est, quod dicit [ire primum, & sepelire patrem meum] *Genes.* 30. Ascendam, & sepeliam patrem meum, ac reuertar. A simili non quidem pietatis, sed charitatis officio mouebatur Elisæus loquens ad Eliam, 3. *Reg.* 19. Vbi dicit; Osculer oro te primùm patrem meum, & sic sequar te. Tertium autem quod hic notatur, est obedientiæ discretio, per quam præponitur melius bonum minus bono. Nunquam, vt dicit *Greg.* per obedientiam præcipitur malum fieri; sed nonnunquam quod fieri posset, meliori bono præcipitur commutari. Et hoc tangit, cùm dicit:

IESVS

IESVS autem ait illi: sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Et notantur in hoc duo: primum est optimum quod discipulo præcipitur, cum dicit [Sequere me] Secundum est bonum, quod propter melius dimittitur: & hoc tangit *Ibi* [& dimitte mortuos &c.] De primo dicitur 3. *Philipp.* Sequor autem si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum. *Osea.* 6. Viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemurque, vt cognoscamus Dominum. *Dan.* 3. Sequimur te in toto corde nostro, & timemus te, & quærimus faciem tuam.

Dimitte mortuos] hoc est bonum, quod præcipitur intermitti: & in hoc notantur tria: primum est bonum, quod præcipitur dimitti propter melius: secundò innuitur hunc fuisse mortuum in culpa, & indignum exequiis Sanctorum: tertium est, quòd innuitur hic coniunctus peccatoribus, qui exequias suas in fastu celebrauerunt: & fortè ad illum fastum solennizandum aduocatus fuerat discipulus. Primum notatur in verbo dimittendi. 2. *Timo.* 2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: vt illi placeat cui se probauit. 1. *Corinth.* 9. Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Simili discretione dixit Petrus *Act.* 6. Non est æquum relinquere nos verbum Dei, & ministrare mensis, supple, viduarum & pupillorum. Secundum notatur in hoc, quòd dicit [mortuos suos] Non enim connumeraretur mortuis, qui dicuntur mortuorum mortui, nisi esset mortuus in peccatis: & ideò bis mortuus dicitur: alij enim dicuntur mortui in Domino, vel mortui Dei & Sanctorum, *Apoc.* 14. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Isa.* 26. Viuent mortui tui, Domine: interfecti mei resurgent. Iste autem dicitur mortuus mortuorum in peccatis, quamuis adhuc carne viuentium. *Eccl.* 22. Super mortuum plora: defecit enim lux eius. *Psal.* 36. Mors peccatorum pessima. Tertium notatur, cùm dicit [mortuos sepelire] Notatur enim plures ad exequias eius in culpa mortuos conuenisse. *Psal.* 9. Periit memoria eorum cum sonitu. *Leuit.* 15. Doce filios Israel cauere immunditias, vt non moriantur in sordibus suis. 1. *Timo.* 5. In deliciis viuens mortua est. *Iob.* 36. Morietur in tempestate anima eorum: & vita eorum inter effœminatos. Si ergo determinatum est à quo recedendum, & cui adhærendum his, qui commorati quærunt cum Christo in tentationibus: eo quòd tentatio est vita hominis super terram, sicut dicitur *Iob* 7.

Et ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius.

Hic incipit ostendere, in quibus periculis indigent discipuli confirmatione. Omne autem periculum aut est à mundo, in quo etiam intelligitur carnis tentatio, quia & ipsa de mundo est: & in hac tentatione confirmat primò. Aut est ab impetu & sæuitia dæmonum in spiritualibus: & in hac confirmat secundò *Ibi* [& cùm venisset IESVS trans fretum] Prima autem harum partium habet tres particulas, in quarum prima ostenditur, in quibus, & vbi habet fieri confirmatio. In secunda ponitur id, quod ad miraculi perfectionem exigitur *Ibi* [Et ecce motus] In tertia autem miraculi finis, & intentus effectus *Ibi* [Porrò homines mirati sunt] In prima harum tria notantur nos instruentia, quorum primum est motus ascensionis: secundum instrumentum nauigationis: & tertium, secuta eum illuc congregatio sanctitatis.

De primo dicit [Et ascendente] motus enim fuit sẽper ascendere: & per hoc ascensiones in cordibus nostris disposuit in valle lacrymarum. *Isa.* 2. Venite ascendamus in montem Domini, & ad domum Dei Iacob. *Matth.* 20. Ecce ascendimus Ierosolymam.

Instrumentum autem nauigationis fuit [nauicula] Quæ natura, lignea: vsu, super aquas vectiua: quantitate, parua fuit: & licet tunc ad literam, vteretur ea Dominus vltra mare Genezareth nauigans; tamen natura, lignum crucis: vsu, beneficium crucis (quod vehit vltra fluctus seculi) & quantitate, significat crucis humilitatem: & hæc est vita Ecclesiastica cruci conformata. Et de primo & secundo & de tertio simul dicitur *Sap.* 14. Vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc exiguo ligno credunt homines animas suas: & transeuntes mare per ratem liberati sunt. Ideò de Ecclesia allegoricè, & de persona Ecclesiastica moraliter dicitur *Prou. vlt.* facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum. *Luc.* 5. Ascendens IESVS in nauiculam vnam, quæ erat Simonis, dixit: Duc in altum, & laxate retia in capturam.

Tertium est secuta eum congregatio sanctitatis: & hoc notatur, cùm dicitur [secuti sunt eum discipuli eius] quia extra nauim non est salus. *Matth.* 12. *Luc.* 12. Qui non colligit mecum, dispergit: & qui non est mecum, contra me est. Vnde in persona Christi, & suorum dicitur ad Noe *Gen.* 7. Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me.

Et ecce motus magnus factus est in mari: ita vt nauicula operiretur fluctibus: Ipse verò dormiebat.

Hic incipit agere de his, quæ ad miraculi perfectionem exiguntur: & sunt quatuor: primum est, impetus tempestatis, secundum est dissimulatio defensionis, & tertium est interpellatio liberatoris, quartum & vltimum est efficax auxilium Saluatoris: & hæc patent in litera. In primo horum quinque notantur, scilicet, tempestatis impetus, & quantitas motus, violentia, locus, & periculum. Tempestatis impetus tangitur, cùm dicit [Et ecce motus] Motus enim hic est motus & impetus irruentis tempestatis, de qua dicitur *Ione.* 1. Dominus immisit ventum magnum in mari, & facta est tempestas magna, & nauis periclitabatur conteri. Vnde etiam illum ventum ad literam præcepit Dominus oriri ad probationem discipulorum. *Psalm.* 106. Ascendunt vsque ad cælos, & descendunt vsque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

Magnus] Ecce quantitas. Dicitur autem magnus, quia supra virtutem [illegible]. Quamdiu enim gubernator potest nauim regere; & per gubernaculum sine artemone mouere nauim, quò voluerit: tunc quamuis sit motus, non dicitur esse magnus: sed quando

vincit

vincit gubernatorem, & motum nauis per gubernaculum, & transuertit nauim in alteram partem: tunc motus dicitur magnus & superans. *Thren.* 1. Inundauerunt aquæ super caput meum, & dixi: perij. *Ionæ* 1. Remigauerunt viri, vt reuerterentur ad terram, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.

Factus est] Ecce violentia: non enim fiebat modo consueto; sed violentia quadam quasi confringebat mare: & ideò dicitur [factus est motus] *Iob* 27. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas. *Naum* 1. Dominus in tempestate & turbine viæ eius. *Ionæ* 2. Omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt. *Psalmo* 68. Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.

In mari] Ecce locus: Non enim erat iste ventus tantùm superiùs in superficie maris incidens; sed etiam de fundo maris spirans: quia lumine lunæ spirat fundus maris, & æstuat, & emittit vaporem continuè, qui sequitur motum, & incrementum luminis lunæ: & iste vapor eijcit mare in effluxu & refluxu maris: & ideò talis motus dicitur æstus maris. Sed cùm nimis spirat, nec ab vna parte spirat, sed à multis & contrariis situbus: tunc facit periculosè moueri mare de imo ebullientibus vndis & inordinatè ad contrarios situs refluentibus: & tunc confringit & absorbet naues: & belluæ marinæ tunc fugientes fundum, etiam inordinatè iactatæ aliquando impingunt in naues, & subuertunt eas, & symplegadarum concursus, hoc est, lapidum ex æstu à fundo ebullientium ex impetu vaporis & fluctuum aliquando percutiendo perforat (aliàs perforant) fundum nauis & destruit: & hæc vocantur à Poëtis actoceraunia. *Iob* 41. Feruescere facit profundum maris, sicut cum vnguenta bulliunt. *Eccl.* 43. Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: & audientes auribus nostris, admirabimur.

Ita vt nauicula operiretur fluctibus] Ecce periculum factum: est autem hoc: quia vndique venerunt fluctus contra se: & ideò nauicula dirigi non potuit contra fluctus: quia si super fluctus vadens exaltata fuisset cum fluctibus, & cum eisdem depressa, non fuisset periculum; sed cum vndique venerunt fluctus, oportuit ipsam concludi inter medios fluctus: & tunc fluctus nauem operientes submergunt: nec potest aliquid subuenire tunc artificio gubernationis, vel remigationis, *Ionæ* 2. Proiecisti me in profundum in corde maris: & flumen circumdedit me, & omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt. *Act.* 27. Misit se contra nauim ventus typhonicus, qui vocatur Euroaquilo: & cum arripta esset nauis, & non posset conari in ventum, data naue flatibus ferebamur. Ventus enim ille compositus erat ex pluribus: & ideò nauis in ventum dirigi non poterat: quia fluctus oppositi operuissent eam. *Psalm.* 68. Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me: & hæc omnia magis in spiritualibus, quàm corporalibus, fiunt.

Ipse verò dormiebat] Hic ponitur dissimulatio adiutorij. Et *Marci.* 4. [vbi ponitur eadem historia) dicitur, quòd erat ipse in puppi super cervical dormiens. Sicut enim dicit Philosophus, quòd anima aliquando est sicut somnus, & aliquando sicut vigilia. Ita etiam se exhibuit in Christo diuinitas. Quando enim non ostendit se extrà: tunc erat ad modum somni, in quo spiritus & calor vitæ in interioribus concluduntur: quando autem exteriùs suæ potentiæ, fecit indicia: tunc exhibuit se sicut vigilia, in qua spiritus & calor ad exterius procedunt, & sensuum operationes perficiunt. Sic enim dissimulans adiutorium, dormit qui nunquam dormit. *Psal.* 120. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Item. *Ps.* 43. Exurge, quare obdormis, Domine: exurge, & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis. *Can.* 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. In hoc autem, quòd Marcus eum super ceruical dormiuisse dicit, notatur, quòd aliquid commodi in via secum deferebatur. Et fortè lassatus tumultu turbarum, & instantia prædicationis quiete indiguit. Et hoc intelligitur ex *Mar.* 4 vbi dixit discipulis. Transeamus contrà & dimittentes turbam assumunt eum: ita vt erat in naui. Et in hoc intelligitur: quàm diligens & laboriosus fuit circa nostram salutem procurandam.

Et accesserunt ad eum discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos, perimus.

Ecce interpellatio discipulorum, & tria dicuntur: accessus per deuotionem ad Saluatorem: suscitatio dissimulantis, & interpellatio. De accessu dicit [Et accesserunt ad eum discipuli eius] Naturale enim est homini in periculis maris timere, & auxilium quærere: eo quòd ibi non pater effugium. Et ideò concurrerunt ad IESVM. *Iaco.* 4. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. *Deutero.* 4. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Et in hoc notatur quidam defectus fidei, quòd à propinquitate loci iuxta Saluatorem putabant meliùs saluari. *Psal.* 138. Si habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Et suscitauerunt eum] Ecce excitatio, in quo (aliàs qua) iterum defectus fidei notatur, quòd meliùs putabant saluari posse carne vigilantem, quàm carne dormientem, qui deitatę neque dormit, neque dormitat. Spiritualiter, dissimulans adiuuare Dominus suscitatur, quando instantia deuotionis & clamoris quasi manu quadam pulsatur. *Prou.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis. *Psal.* 77. Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino.

Dicentes: Domine, salua nos, perimus] Ista est interpellatio, & continet tria: professionem videlicet maiestatis, petitionem salutis, & allegationem necessitatis. Professi sunt enim maiestatem, cùm dicunt [Domine] qui omni creaturæ dominaris. *Ps.* 88. Tu dominaris potestati maris: motum fluctuum eius tu mitigas. *Naum.* 1. Dominus increpans mare, & exsiccans illud, & omnia flumina ad desertum adducens [salua nos] Ecce petitio salutis. *Naum.* 1. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se, & in diluuio præterenunte consummationem faciens. *Ps.* 143. Eripe me, & libera me de aquis multis [perimus] Ecce allegatio necessitatis.

tatis. *Thren.* 3. Inundauerunt aquæ super caput meum dixi, perij. Inuocaui nomen tuum, Domine, de lacu nouissimo. Item *Thren.* 3. Perijt finis meus, & spes mea à Domino.

Et dixit eis IESVS: Quid timidi estis, modicæ fidei?

Hic ponitur efficax auxilium Domini Saluatoris. Dicuntur in eo tria, quorum primum est discipulorum increpatio, secundum ventorum & maris sedatio, tertium autem tranquillitatis perfectio. De primo dicit. [Et dixit eis Iesus] Primò increpat discipulos propter paruitatem fidei, quam paruam habebant, credendo loco propinquiori meliùs saluari, & vigilantem maioris potentiæ esse Dominum, quàm corporaliter dormientem: & hoc est, quod dicit [Quid timidi estis? Q.d. Saluatorem & salutem vobiscum habentes quid timetis? Non est causa in hoc: nisi quia estis [modicæ fidei] *Isa.* 54. Noli timere: quia non confunderis, neque erubesces. *Ioan.* 14. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. [modicæ fidei] *Marci* 4. Quid timidi estis: nondum habetis fidem? *Lu.* 8. Vbi est fides vestra? *Matt.* 14. Modicæ fidei, quare dubitasti?

Tunc surgens imperauit ventis & mari.

Ecce tempestatis sedatio: & duo dicit: primò enim sedat ventos, auferendo causam tempestatis: & secundò imperat mari tanquam tempestatis subiecto & loco. *Lu.* 8. Surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ, & cessauit. *Mar.* 4. Et surgens comminatus est vento, & dixit mari. Tace, & obmutesce: & cessauit ventus. *Iob.* 38. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens: cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectes & ostia, & dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. *Eccle.* 43. In sermone eius siluit ventus.

Et facta est tranquillitas magna.

Ecce tranquillitatis perfectio. *Tob.* 3. Post tempestatem tranquillum facis, & post fletum & lacrymationem exultationem & gaudium infundis. Dicit autem Aristot, quòd serenum est quies in aëre, & tranquillum quies in mari: & secundum hoc ad magnitudinem miraculi facit, quòd tam cito magna quies facta est. Quia, sicut dicit Plato, cessante violenter mouente in humido aëris & aquæ, non statim cessat motus: quia violentia & impetus primi mouentis manet in humido: nec cessat motus, nisi violentia cessauerit. *Isa.* 51. Dedisti in mari viam, vt transirent liberati. *Iac.* 63. Eduxit eos per abyssos quasi equum in deserto non impingentem.

Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei?

Hic ponit miraculi huius effectum & fructum: & tangit duo; admirationem videlicet, & fidem, licet imperfectam. De admiratione dicit [Porrò homines mirati sunt &c.] Et quæritur, qui homines: quia non erant turbæ in naui, quas reliquerat; sed tantùm discipuli? ad hoc dici potest: quia ipsi discipuli bene homines hic dicuntur, quia adhuc humana de Christo senserunt. 1. *Cor.* 3. Nonne homines estis, & secundum hominem ambulatis? posset etiam dici, quòd nautæ, qui ista viderunt, hic homines appellantur, nisi fortè diceretur ipsos discipulos nautica arte fuisse præditos, qui piscatores fuerunt. Potest etiam dici, quòd stagnum Genezareth fuit, in quo nauigauerunt, nec tantæ latitudinis est, quin à ripa naues videri possint: & illi considerantes, quòd tam subitò omnia quieuerunt, & Iesum videntes surgere, & imperare mirati sunt. *Iob* 9. Facit magna & inscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus. *Ecclesiastì* 44. Illic, hoc est, in mari præclara opera Dei & mirabilia.

Dicentes qualis est hic?] sicut suprà diximus. Licet admiratio non sit fides: tamen ducit ad fidem potentiæ diuinæ. Et ideò isti dicunt: Qualis est hic? hoc est, vltra hominem est, qualis autem nesciunt: licet ergo nondum cognouerunt, quia Deus est, eo quòd etiam homines diuini miracula faciunt; tamen iam confitentur, quia vltra hominem est: & subiungunt rationem [quia venti] in aëre [& mare obed. ei] Omnis enim creatura sensum habet naturalem, quo imperium percipit, & perficit Creatoris, quamuis in se sit insensibilis. Et ideò distinguit Isaac Philosophus sensus naturales & animales; & dat sensus naturales etiam insensibilibus, *Mar.* 4. Timuerunt timore magno, & dixerunt ad alterutrum: Quis putas est iste, quia ventus & mare obediunt ei? *Lu.* 8. Qui timentes mirati sunt adinuicem dicentes: Quis putas est hic, quia ventis imperat, & mari, & obediunt ei? Sub eisdem autem diuisionibus eisdem concordantiis facile est ista exponere moraliter: si fluctus suggestio dæmonum; mare autem turbatum & amarum & inquietum, cor hominis: vel seculum præsens esse dicatur, quòd est hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus. Nauicula autem vel gratia, vel pœnitentia, vel hominis mensa accipiatur, in qua Christus per fidem & inhabitantem gratiam, Apostoli per doctrinam & exemplum: Suscitatio Domini per deuotionem spiritualiter efficiuntur. Et huiusmodi facere adaptationes est facile &c.

Et cùm venisset IESVS trans fretum in regionem Gerasenorum.

Postquam perfecit confirmationem discipulorum in periculis mundi, & erexit confidentiam eorum de virtute Christi: ostendit hic confirmationem eorumdem contra nequitias inuisibiles dæmonum: & quia apud carnales prius est, quòd est animale & visibile, quàm spirituale & inuisibile: Ideò etiam auctor ordinat præcedens miraculum ante istud. Circa verò miraculum istud tria inducuntur hic, quorum primum ostendit præsentiam Domini in loco miraculi; secundum autem ea, quæ faciebant ad miraculi perfectionem *ibi.* [Occurrerunt ei duo] Tertium autem de his, quæ à miraculo sunt causata *Ibi* [Pastores autem fugerunt]

De primo horum dicit [Cùm venisset IESVS] vt Saluator, omnibus apportans salutis effectum, & vbique inuisibilem salutem ex visibili osten-

dens [trans fretum] hoc est, vltra stagnum [in regionem Gerasenorum] vbi erant præsentes isti dæmoniaci. Sed quæritur, quare non fecit absens ista miracula, cùm hoc magis fuisset potentiæ diuinæ ostensiuum? Vnde *Ioan.* 4 culpauit Regulum: quia non credidit, quòd absens posset præstare salutem. Ad hoc dicendum, quòd si absens fecisset miraculum, fuisset ab infidelibus, & ab his, qui imperfectæ erant fidei, non sibi attributum: & ideò vt manuducens nostram infirmitatem, & paulatim instruens, fecit præsens, vt doceret sibi inesse potentiam: & sic manuductus aliquando eleuauit altiùs, curans aliquos absens: ita tamen, quòd verbum curationis præsentes audirent: ne casu, & non per ipsum putaretur factum esse miraculum.

Occurrerunt ei duo habentes dæmonia.

Hic ponit ea, quæ ad miraculi exiguntur perfectionem: & quia miracula duo sunt, scilicet, liberatio dæmoniacorum, & submersio porcorum, & vnum sequitur ad alterum: ideò duo hic dicuntur; vnum, quod est liberatio dæmoniacorum: secundum autem est submersio porcorum *Ibi* [Et illi exeuntes] In primo horum tria dicuntur, quorum primum est dæmoniacorum occursus, secundum descriptio, & tertium clamor: Et hæc patent in litera. De primo dicit, occursum, numerum, & miseriam. Occursum tangit dicens [Occurrerunt] Nec est putandum, quòd occurrerunt ei ad nocendum, vel inuadendum, sicut occurrerunt aliis: Quia etiàmsi non esset Deus, tantæ sanctitati occurrere non auderent; sed potiùs cum isti nullum pro se interpellantem, nullum etiam haberent adducentem, Dominus voluit, quòd ipsimet sibi occurrerent: & ipse in eadem via se ponens occurrit illis: quia copiosus est in misericordia.

Duo] Ecce numerus eorum. Et videtur esse contrarium: quia *Marci.* 5. & *Lu* 8. non dicitur fuisse nisi vnus. Et hoc soluit *Aug.* quòd in veritate duo erant; sed vnus clarior alio: & alter videbatur quasi adhærens alteri. Et ideò de vno faciunt *Marcus* & *Lucas* mentionem.

Habentes dæmonia] Ecce miseria. Dicit autem pluraliter [dæmonia] quia sicut dicunt *Mar.* 5. & *Lu.* 8. Multa dæmonia ingressa fuerunt in eos: ita quòd cum quæreretur nomen dæmonis, dixerunt: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. Et hoc quidem dixit vnus: & fortè de illo solo loquuntur alij *Marcus* & *Lucas*. Vtrum autem secundus etiam habuit multa dæmonia, non habetur nisi ex coniecturis: quia probabile est non habuisse nisi vnum: & ideò alios Euangelistas de eo mentionem non fecisse. Dæmonium enim latinum non est, sed in græco daimon idem quod intellectus. Et dæmonium, sicut dicit *Remigius*, est collectiuum dæmonum, sicut populus est collectiuum hominum. Alij autem dicunt, quòd dæmonium est quasi denominatiuum (aliàs denominatum) à dæmone: & cum græci secundum *Platonem* diuidant dæmones in calodæmones & cacodæmones: nos accipimus dæmonem pro malo dæmone semper: & tunc est apud nos in vsu significationis idem, quod nequam intellectuale: & hoc vlteriùs transferentes dicimus: nequam spirituale, sicut dicit *Apostolus* *ad Ephes.* 6. Contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Quòd autem dicit: habentes dæmonia, cùm potiùs dæmonia habuerint istos homines: hoc modo intelligitur, quo spirituale habetur à corporali, sicut corpus dicitur habere animam. In omnibus autem talibus spirituale habitum mouet, & regit corpus, & continet: & ita est hic. Dæmones enim mouebant, & regebant istos, & continebant infra terminos suæ potestatis.

Si autem quæritur, qualiter tot dæmones poterant esse in vno corpore? Quæstio est absurda: quia loco non circunscribuntur; & operari poterant in vno corpore etiam multò plures eo modo, quo superiùs determinatum est in isto eodem capitulo. Vnde *Lu.* 8. & *Mar.* 5. dicitur quòd porci, quos præcipitabant, erant circa duo millia. Legio autem consueuit ab antiquis appellari, quòd sex millia sexcentos sexaginta sex in armis habebat. *Lu.* 7. etiam dicitur, quòd septem dæmonia exierant de Maria Magdalena. Infrà etiam 12. dicitur, quòd dæmon aliquando assumit septem nequiores se: & ingressi in hominem habitant ibi Nec intelliguntur septem fuisse per numerum subiectorum: quia nulla esset ratio; sed potiùs septem per numerum malitiarum, sicut exponit *Greg.* Princeps autem vnius vitij in legione dæmonum non est sine sibi subiectis dæmonibus. Et ideò probabile est, quòd rarò in obsesso homine sit vnus dæmon; sed semper plures: & hoc significatur *Mar.* 5. Vbi dicitur, quòd occurrit ei homo in spiritu immundo; qui tamen postea legionem dæmonum sub se habere dictus est: quia tota illa legio vni Principi significatur fuisse subiecta.

Exeuntes de monumentis, sæui nimis: ita vt nemo posset transire per viam illam.

Hic ponit horum dæmoniacorum descriptionem: & describit à tribus; ab habitatione, à sæuitia, à violentia. Ab habitatione, cùm dicit [Exeuntes à monumentis] Monumenta autem dicuntur cryptæ subterraneæ, in quibus iacebant busta mortuorum: & ibi propter spurcitiam mortuorum, & similitudinem damnationis eorum, qui infideles obierant, congruum & similem inferno locum dæmones habebant, fortè à Deo ordinante: vt ex hoc malos instrueret, qui opera ibi sepultorum exercebant, vt à malis resipiscerent: ne habitatio tam malignorum efficerentur dæmoniorum. *Marcus* autem & *Lu.* dicunt eos habuisse in monumentis domicilium: & die ac nocte currere in montibus clamantes & cōcidentes se lapidibus: & fortè quando vltra modum fatigati erant, diuertebant ad monumenta, & alio tempore agitabantur in montibus & desertis.

Sæui nimis] Ecce descriptio à sæuitia: quia sæuiebant in (aliàs intra) se, & in alios. Vnde *Mar.* 3. & *Lu.* 2. dicunt eos sæpe rupisse catenas, & compedes comminuisse, & à nullo domari potuisse: & hoc fuit ex duabus virtutibus simul concurrentibus, vna quidem dæmonis, de qua dicitur *Iob* 41. Non est potestas super terram, quæ possit ei comparari: qui factus est, vt nullum timeret. Alia autem fuit quasi instrumentalis ad istam: quia ex cholerico in cholericis incensis conturbabat istos: & hæc spiritus acuunt & organa

gana, & virtutem etiam in valde debili corpore multiplicant, sicut apparet aliquando in iam morituris insanientibus, qui contra impetum duorum, aut trium se tenentium aliquando surgunt violenter. *Apoc.* 12. Propter hoc dicitur. Væ terræ & mari: quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam.

Ita vt nemo posset transire per viam illam] Ecce violentia, quam transeuntibus inferebant: diaboli enim voluntas semper est ad nocendum: & si aliquando prosit temporaliter, hoc non facit, nisi vt posteà ampliùs noceat. *Isa.* 10. Ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. Simile quid legitur *Act.* 19. quòd insiliens homo, in quo erat dæmonium pessimum in duos exorcistas Sceuæ Iudæi filios & dominatus amborum inualuit: ita vt vulnerati & nudi vix euaderent de domo illa.

Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis, & tibi, IESV fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos.

Hic describuntur à clamore: & per hoc, quòd dicit [clamauerunt] notat dæmonum malignam incitationem ad confusos, & quasi sine intellectu clamores. Propter quod & alij duo Euangelistæ dicunt, quòd die ac nocte clamabant in montibus, Hic autem plenos bono intellectu proferebant sermones, dolentes, quòd malignitatis eorum tempus erat finitum. Vnde tria dicuntur, quorum primum est, quòd allegant se nihil commune habere cum Domino, sicut cum omnibus aliis in peccato natis habuerunt: secundum autem est, quòd ex hoc profitentur potestatem torquendi eos esse in Domino: tertium est, quod petunt quendam minoris malitiæ sibi concedi effectum: & hæc patent in litera.

De primo dicunt [Quid nobis, & tibi] Supple commune est [IESV fili Dei?] Quasi d. Nihil. 2. *Cor.* 6. Quæ conuentio Christi ad Belial: & per hoc voluerunt, quòd de regno eorum non deberet se intromittere Dominus. Sed mentita est iniquitas sibi: quia Regnum Christi fuit; dæmones autem erant tyranni inuasores; quod tamen peccatis exigentibus iustè permisit Dominus ad punitionem malorum & probationem electorum. Quòd autem dicunt [fili Dei] Et *Lucas* dicit eos dixisse: Scimus, quia sis sanctus Dei, vt dicit *Ambrosius*, secundùm opinionem dixisse intelliguntur, quæ orta fuit ex coniecturis: & talem scientiam coniecturalem habuerunt, & non certam scientiam. Quia dicit *Apostolus*. 1. *Corinth.* 2. quòd si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent, Hoc est, crucifigi persuasissent. Vnde suprà 4. Omnis tentatio Satanæ composita fuit, & alteràm partem semper habuit explorationis. Dixit enim semper: Si filius Dei es &c.

Venisti ante tempus torquere nos] Ecce secundum, quòd (aliàs quo) profitetur potestatem; & attendè, quòd reputant se torqueri, si compellantur cessare à nocendo. Vnde *Marcus* & *Lucas* dicunt, quòd rogauerunt eum, ne mitteret eos in abyssum, vbi tentare non possent, & nocere hominibus. Et hic dicunt [ante tempus] Quod duobus modis intelligi potest: ante tempus videlicet tentationi deputatum, quod est vsque ad iudicium: Quia, sicut dicitur 2. *Pet.* 2. Rudentibus inferni detracti sunt de cælo in hunc caliginosum aërem, in locum tentationis reseruati vsque ad diem iudicij, quando in abyssum inferni cum omnibus suis condemnabuntur. Vel [ante tempus] passionis Christi, quando ex scripturis cognouerunt à parte potestatis se fore casuros. Vnde *Apoca.* 12. dicitur Draco habere iram magnam, sciens quia modicum tempus habet: licet enim esset longum; tamen appetitus suæ malignitatis reputat modicum.

Erat autem non longè ab illis grex porcorum multorum pascens.

Istud est tertium, vbi ponuntur preces permittendi sibi effectum minoris malitiæ: & dicit tria: primò enim facit parenthesim interponendo de grege porcorum, vt locum habeant sequentia: secundò innuitur dæmonum infirmitas: & in tertiò malitia. De primo dicit [Erat autem non longe ab eis grex porcorum multorum pascens] Qui sicut *Marc.* & *Luc.* dicunt, erant ampliùs quàm duo millia.

Sed quæritur, vnde venerunt porci, cum porcus sit animal immundum secundum legem, ad nullum vsum Iudæorum. Sed huic obiectioni occurrit *glossa Hieronymi*, dicens quòd Gerasa ciuitas est Arabiæ, non longè à monte Galaad, vbi Iacob & Laban fœdus percusserunt *Genes.* 31. Et non longè à stagno Tyberiadis, in quo, porci sunt præcipitati: & ibi Arabes habitabant, qui porcum comederunt.

Dæmones autem rogabant eum dicentes.

Ecce infirmitas dæmonum, quòd etiam in irrationale & immundum, & [illegible] animal potestatem non habent nisi permissi. Simile *Iob* 1. Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet, hoc est, [illegible] 1. *Corinth.* 5. Tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu-Christi.

Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

Ecce malitia voluntatis: & dicunt duo: primò enim ponunt sub conditione, in quo ponunt Christi potestatem, dicentes [Si eiicis nos hinc] Q. d. Hoc in tua est voluntate: quia hoc [illegible] viri fecerunt: & ideò per hoc non certam scientiam de Christo acceperunt. *Lucæ* [illegible] Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. *Psal.* 9. Inimici defecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum destruxisti [Mitte nos in gregem porcorum.]

Quæritur hic, quare petebant mitti in porcos potiùs quàm in alia animalia? Dicendum videtur, quòd hoc fuit Dei dispensatio: quia sicut in primis parentibus non potuit accipere diabolus formam animalis, quam voluit; sed potiùs suæ malitiæ congruentem, in qua facile deprehendi posset: ita & nunc non potuit [illegible] animal nisi sibi permissum, ex quo [illegible] homines, in quos dæmones [illegible] potestatem. Animal enim hoc immundum est & monstruosum, capitis non erectiuum, vt alia animalia. Immundum enim est secundum legem *Leuit.* 11.

Monstruosum

Monstruosum autem, quia componitur ex multis animalibus secundum conuenientiam, quam habet cum eis. Diuidit enim vngulam cum ruminantibus, & non ruminat cum habentibus pedem in multa diuisum. Adhuc pedem in duo diuidit cum his, quæ pariunt vnum animal, aut rarò duo; & parit multos fætus, sicut ea, quæ pedem in multos diuidunt digitos. Adhuc diuidit vngulam: & tamen habet per totam longitudinem ventris mammillas, sicut canis vel aliud animal in multa diuidens pedes. Adhuc diuidit vngulam cum sepum habentibus: & habet sagimen & non sepum cum his, quæ non ruminant: & ita componitur ex duobus animalibus vngulam videlicet diuidente in duo, & pedem in multa partiente. Quoad setas autem accedit ad naturam Ericij: & propter breuitatem colli numquam erigit caput, sicut aliud animal. Et tradunt Philosophi, quòd nullum aliud animal ita sæpe producit monstruosos partus, sicut porcus. Adhuc autem omni tempore est amans coitum, & tamen eum hoc corrixatiuum, & cœni appetitiuum: semper fœtores spargens, nihil etiam in voce habens delectationis. Ex quibus omnibus instruit, quòd nisi aliquis porcus efficiatur per malos actus, dæmon in eum potestatem non accipit. *Iob* 12. Nimirum interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi.

Et ait illis: Ite. At illi exeuntes, abierunt in porcos. Et ecce magno impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis.

Hic ponitur secundi miraculi perfectio: & tanguntur duo; permissio, cum dicit [Ite] & Nocumentum dæmonum, cùm dicit [Et exeuntes abierunt in porcos]

Sed quæritur, quare Dominus permisit tale damnum fieri hominibus, quorum erant porci. Et dicendum quòd magis valuit instructio facti, quàm nocumentum damni porcorum. Et ideò plus profuit, quàm nocuerit. Intelligitur autem, quòd isti etiam aliàs fortè peccauerunt per illicitas acquisitiones: & ideò in hoc puniti sunt, in quo deliquerunt: & hoc quoad eos, quia miserunt porcos. Quoad Christum autem nihil quæstionis habet: quia Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo. Dicitur autem, quòd per præceps gradiebatur & præcipitatus in aquas: quia voluit Dominus, vt sciretur, quòd ageretur à dæmonibus. Et cum omnis porcus naturaliter sciat natare in aquis: ex quod motus natationis in eis idem est cum moti ambulationis: non poterant ita subitò submergi, nisi vi dæmonum præcipitari. Et in hoc instruxit Dominus ferocitatem dæmonum ad nocendum, vt magis ab hominibus horreantur. Vnde *Abac.* 1. Horribilis est, & terribilis ex semetipso: iudicium eius & onus egredietur.

Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem nuntiauerunt hæc omnia: & de his, qui dæmonia habuerunt.

Hic ponitur effectus miraculi: & tanguntur duo; nuntium pastorum, & admiratio, & pauor audientium. De primo dicit duo; fugam videlicet pastorum ex timore, & nuntium. De primo dicit [Pastores autem fugerunt] humanum aliquid ex ignorantia passi: quia nec potestatem Christi, nec iras dæmonum localiter fugientes euadere poterant. [Et venientes] Duo nuntiant, scilicet submersionem porcorum, & liberationem oppressorum à diabolo. Vnde dicit [venientes in ciuitatem] Gerasæ nomine [nuntiauerunt omnia] miraculum circunstantia [& de his, qui dæmonia habuerant] hoc est, de liberatione eorum, vt darent eis audaciam exeundi, ne timerent inuadi ab eis.

Ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesv, & viso eo rogabant eum, vt transiret à finibus eorum,

Ponitur effectus in audientibus: & dicuntur tria, primum est honoris: secundum experientiæ miraculi: tertium autem timoris. De primo dicit, quòd [tota ciuitas] hoc est, ciuitatis nominati (aliàs nominatæ) habitatores [exiuit obuiam Iesv] eum in hoc honorantes, & præuenientes, ne in ciuitatem eorum intraret: sciebant enim se esse peccatores, & timebant, ne peccatis eorum exigentibus plagarentur in aliis, sicut plagauerat in porcis. *Lu.* 5. Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

Et viso eo] hoc est, experti eum. hæc *Matth.* breuiter transit; *Marcus* autem & *Lucas*, diligentiùs prosequuntur. Quia viderunt liberatos, vestitos, sedentes, & quietos ad pedes Iesv: & & sic experti sunt potentiam Iesv diuinam in miraculo: & hæc fuit eis causa timoris.

Rogabant eum, vt transiret à finibus eorum]. Tertium est, quod est timoris, sicut diximus. 3. *Reg.* 17. Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ: & interficeres filium meum. *Marcus* autem & *Lucas* dicunt, quòd liberati à dæmonibus rogauerunt, vt cum Iesv irent, & Dominus præcepit, vt in domum suam reuertentes nuntiarent omnibus, quanta fecisset eis Deus: & hoc est, quod dicit de perfectione miraculi. Sic ergo experti discipuli potentiam Christi super pericula mundi confirmati sunt contra mundi pressuras, & experti virtutes suas super spirituales nequitias: solidati sunt contra dæmonum malignitates, scientes se Dei virtute protectos contra persecutiones mundi, & Dei sapientia contra insidias inimici.

CAP. IX.

Et ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam.

Hic post confirmatam doctrinam veritatis quoad ea, quæ dicta sunt, reprimit eos, qui doctrinæ veritatis contradicebant: & hæc duo sunt necessaria: quia dicit *Hiero.*, quòd quantum sancta rusticitas ædificat Ecclesiam ex vitæ merito, tantum noceet, si destruentibus non resistat. Et ad *Titum* 1. Vt potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Et Philosophus dicit in Elenchis, quòd hæc sunt duo opera sapientis: non mentiri quidem eum, de quibus nouit: & mentientem manifestare posse. Propter hoc igitur & hic, vt perfecta sit doctrina confirmata veritate eius in deuotis, conuincit errorem contradicentium. In Christo autem legislatore, sicut suprà diximus, tria considerantur, quorum primum est potestas perfecta, secundum rectitudo legis in vita, tertium est autem principium potestatis: & ideò totum capitulum istud diuiditur in tres partes: ita quòd in prima parte conuincit derogantes suæ potestati: in secunda confutat detrahentes suæ vitæ rectitudini: in tertia autem confundit eos, qui hæc omnia malo attribuerunt principio. Secunda incipit *Ibi* [Et cùm transiret Iesvs vidit &c.] Et tertia *Ibi* [Et transeunte Iesv secutæ sunt]

Adhuc autem prima harum subdiuiditur in duas, in quarum prima tangitur reprehensio de potestate murmurantium: in secunda autem perfectæ potestatis probatio *Ibi* [Vt autem sciatis] In prima harum tria tanguntur, murmuris occasio, murmur, & reprehensio: & hæc patent in litera. Circa autem occasionem murmuris tres inducuntur paragraphi, scilicet, loci, in quo occasio murmuris accepta est, opportunitas: paralytici præsentialitas, circa quem accepta est occasio murmurandi: & dictum, quod murmurationem occasionauit. Circa primum tria dicuntur, modus veniendi, vnde venit, & quò venit. Modus veniendi tangitur, cum dicit [Et ascendens Iesvs in nauiculam] Rogatus subducere se finibus Gerasenorum exaltatus est à capacitate eorum: eleuata enim est magnificentia sua super cælos. Et sic intrans [nauiculam] qui terræ & maris habuit potestatem, vt verè homo cognosceretur. *Baruch.* 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Et parua naui contentus, vt humilitatis exhiberet exemplum [trasfretauit] Ecce vnde venit: quia de vltra fretum, siue stagnum Genesareth docens nos inquieta relinquere. [Et venit in ciuitatem suam.

Quæritur autem, quæ hic (aliàs quæ hæc) ciuitas sua vocatur. *Marci* enim 2. expressè dicitur, quòd istud factum est in Capharnaum, quæ non sua ciuitas dicitur: quia *Hiero.* dicit: In ciuitatem suam, non aliam intelligimus, quàm Nazareth, in qua conceptus, & nutritus est. Nec potest dici, quòd ciuitas sua dicatur Bethleem, in qua natus est; quia illa non fuit prope stagnum. Ad hoc dicit *Glo.* quòd Galilææ quæliber ciuitas dicitur sua: quia si Romano imperio diffuso per orbem omnis ciuitas Roma dicebatur, & ciues eius Romani: multò enim magis prouincia Galilææ dicitur ciuitas Christi. Sed hæc solutio non videtur esse conueniens: quia talis modus nusquam est in sacra scriptura, vel in aliquibus auctoribus. Quia licet in Romano degentes Imperio dicerentur Romani; hoc fuit propter ius & priuilegia & libertates, & non propter habitationem. Constat autem, quòd non sic hic loquitur: & ideò solutio videtur non comperere. Videtur autem mihi dicendum, quòd ciuitas sua, vel alicuius, dupliciter dicitur: vno quidem modo, sicut dicimus nostræ habitationis ciuitatem, nostram: alio autem modo, quo dicimus nostræ defensionis & munitionis ciuitatem, esse nostram: sicut *Isa.* 26. dicitur. Vrbs fortitudinis nostræ Sion, quod ratione totius Iudæ dicitur. Et ita illi, qui sedent in villis ad iurisdictionem alicuius ciuitatis pertinentibus, dicunt ciuitatem suam, ad quam tempore belli confugere possunt: & hoc modo Capharnaum ciuitas Christi dicitur: quia ad eam sicut ad metropolim omnes Galilæi tam Nazareni, quàm alij confugere consueuerunt. Dicit etiam *August.* quòd Capharnaum dicitur sua: quia ipsam coruscatione miraculorum multorum suam fecerat. Ad hoc ergo, quod dicit *Iero.* dicendum, quòd nulla ratione conceptionis, vel educationis sua dicitur nisi Nazareth. Sed alia ratione etiam Capharnaum sua dici potest, sicut prædictum est. Hoc etiam modo tota Galilæa secundum *Io.* vnus, & eiusdem ciuitatis est municeps. Est autem in Domino mirabilis attendenda pietas: quia rogatus recedere recedit, & aduenit non rogatus: vbi scit se ea, quæ ad salutem hominum pertinent, opportunè operaturum. Non enim consolatiatus est eos, qui eum à se recedere rogauerunt: nec expectat apud eos, quibus aduenit, donec cum processione turbarum & salutationibus & choris recipiatur; sed parcens illis se subducit: & diligens salutem nostram non rogatus se nobis ingerit. Ideò exclamat ad eum *Sap.* 12. O quàm bonus & suauis es! Domine, spiritus tuus in omnibus. Ideóque hos, qui exerrant, corrigis: & de quibus peccant admones, & alloqueris: vt relicta malitia credant in te Domine. Et illud *Mich.* 6. Populo meus, quid feci tibi: aut in quo molestus fui tibi: responde mihi?

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.

Hic ponitur paralytici pœnitentia vnde murmur est causatum. Et tangitur hæc historia *Mar.* 2. & *Lu.* 5. Et tanguntur hic quatuor. Primum est infirmi præsentialitas, quæ notatur in demonstratione, cum dicit [Et ecce] Secundum est obsequentium infirmo fidelitas, quæ notatur, cùm dicit [offerebant ei] Tertium est infirmitatis qualitas, cùm dicit [paralyticum] Quartum est infirmi debilitas, cùm dicit [iacentem in lecto] Primum horum quærit intuitus inclinationem, secundum exigit impetrationem, tertium compassionis miserationem, quartum autem adiuuantis attendit potestatem. De primo dicitur *Isa.* 64. Ecce, Domine, respice; populus tuus omnes nos. *Psalm.* 24. Respice in me, & miserere mei quoniam vnicus & pauper sum ego. De secundo *Hebr.* 11. Fides est substantia rerum sperandarum, hoc est, res sperandas facit subsistere in nobis. *Io.* 21. Credentes vitam habeatis in nomine ipsius. *Mat.* 18. Quidquid orantes petitis, credite: quia accipietis, & fiet vobis. Vnde etiam *Mar.* 2. & *Lu.* 5. dicitur, quòd tanta fuit horum fides ad Christum, & diligentia circa laborantem, quòd cum præ turba non valuissent eum inferre per ostium, ascendentes domum submiserunt cum funibus per tectum ante Dominum. De tertio dicitur *Psal.* 9. Tibi derelictus est pauper. *Isa.* 63. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum? De quarto *Ecclesiastic.* 36. Da testimonium, quia ab initio creaturæ tuæ sunt: & suscita precationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores.

Videns

Videns autem IESVS fidem illorum.

Ecce dictum, quod in cordibus infidelium murmur excitauit: & tanguntur duo; causa dicti, & dictum ipsum. De causa dicti, cùm dicit [Videns autem IESVS fidem illorum] s. offerentium. Vnde instruit quantum prodest fides propria apud (aliàs ad) Deum, vbi tantum profuit fides aliena: & secundum hoc quæritur, vtrum iste habuit fidem propriam. Et oportet dicere, quòd sic: quia infirmitas eius causata fuit ex infirmitate mentis, vt dicit *glossa*: & ideò vt totus curaretur, oportuit, quòd primò in mente inciperet cura: & hoc fieri non potuit, nisi per fidem. Vnde *Actor.* 15. Fide purificans corda eorum. Et tunc quæritur, quare non dicit: Videns fidem illius? Et ad hoc dicendum, quòd paralyticus non submitti se petiuisset, nec permisisset, nisi fidem habuisset. Et ideò per pronomen, & ipse cum offerentibus supponitur: sed tanquam de fide offerentium loquitur, vt instruat, quòd intercessio multorum multis impetrat salutem. Prædestinatio enim Sanctorum iuuatur orationibus. Dicit autem [illorum] tanquam de longè positis loquens: quia offerentes accedere non poterant præ turba; sed super tectum fuerunt.

Dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Ecce dictum, quod est murmuris occasio: ostendit autem tria, fidei confortationem (alias confirmationem) in infirmo, benignitatem in Domino, & causam infirmitatis in corporalibus membris destituto ex anima fuisse causatam. De primo dicit [Confide] Et notatur, quòd iste primò fuit debilis fidei: & tunc, vt *Lucas* dicit, non vocauit eum filium; sed dixit: homo, quasi qui peccasti. *Ierem.* 17. Beatus vir, qui confidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius.

Fili] Ecce benignitas, quæ filium vocat: & humilitas, quæ filium vocat, quem Sacerdotes tangere dedignarentur. *Ioelis* 2. Benignus & misericors est. *Eccles.* 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus.

Remittuntur tibi peccata tua] In hoc notatur, quòd propter peccatum fuerat infirmatus. Quinque enim modis, vt dicit *glossa* infirmitates & tentationes contingunt. Primò vt iustis merita per patientiam augeantur, vt *Iob.* 1. & 2. Secundò ad custodiam virtutis, ne superbia tentet, sicut Paulus 2. *Corinth.* 12. Tertiò ad corrigenda peccata, sicut Mariæ lepra *Num* 12. Et hic paralytico. Quartò ad gloriam Dei manifestandam, vt *Ioan.* 9. de cæco nato. Et *Ioan.* 11. de Lazaro. Quintò ad initium pœnæ æternæ, quatenus hic videatur, quid in inferno sequatur. Vnde *Iere.* 17. Duplici contritione contere eos. Vt *Act.* 12. de Herode.

Ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat.

Ecce hîc ponitur murmuratio: & tanguntur duo, qui scilicet, murmurabant, & murmuratio. Scribarum enim quidam murmurabant inflati humana sapientia, quæ non intelligit ea, quæ Dei sunt. *Abd.* Perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau. Dicit autem [quidam] ideò, quia non omnes fuerunt sicut Nicodemus & Gamaliel. Et fortè plures alij, qui magistri fuerunt in Israël.

Dixerunt intra se] Ecce modus murmuris, & murmuris species, & murmuris ratio: quæ tria dicuntur in litera. De modo dicit [dixerunt intra se] quia timuerunt reprehendi, si aperte dixissent. *Psal.* 13. Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. *Psal.* 35. Dixit iniustus, vt non delinquat in semetipso [Hic blasphemat] Ecce murmuris species: q ia blasphemia est, vt dicit *Ambro.* impositio falsi criminis in Deum, aut attribuendo ei, quod non conuenit: aut auferendo quod conuenit: aut secum attribuendo creaturæ, quod solius est Creatoris: & hoc genere blasphemiæ putabant Christum blasphemare. *Matth.* 26. Blasphemauit: quid adhuc desideramus testes? nunc enim audistis blasphemiam. *Marc.* autem 2. & *Luc.* 5. additur ratio: quia dixerunt: Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? *Isa.* 43. Ego sum Ego, qui deleo iniquitates tuas propter me.

Et cum vidisset IESVS cogitationes eorum, dixit. Vt quid cogitatis malum in cordibus vestris? Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge, & ambula?

Ecce murmuris reprehensio: & dicuntur tria, scilicet, manifestatio peccati, reprehensio, & irrationabilitatis eorum conuictio. De primo dicit [Et cum vidisset IESVS] vt Deus [cogitationes eorum] *Eccle.* 23. Oculi Domini lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. *Sap.* 1. Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest: & à detractione parcite linguæ: quia sermo obscurus in vacuum non ibit.

Dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris] Ecce reprehensio: & dicit [mala] quia cogitauerunt eum non esse Deum, & blasphemare, & soluere legem, & huiusmodi. *Isa.* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.

Quid est facilius] Ecce conuictio irrationabilitatis eorum: & est sensus: attendite, quid minoris potentiæ sit: curare corpus ex propria potestate; vel curare animam? Et videbitis; quòd vtrumque est eiusdem potestatis. Sed operatio visibilis circa corpus, probatio est inuisibilis potestatis circa mentem, vel animam. Et cum signa potestatis diuinæ sæpe videritis [vt quid mala adhuc cogitatis] Attende autem, quòd quoad id, circa quod potestas ostenditur, maioris est potestatis curare animam, quàm corpus secundum *August* quia anima habet peccatum, vnde obicem ponit, sed non corpus. Sed quoad ipsam potestatem operandi æqualis potestatis est vtrumque, licet vnum sit communicabile Sanctis, quod est curatio corporum: & alterum nulli sit communicarum, quod est curatio animarum: quod fecit Deus, ne spes ponatur in homine salutis, vel desperatio iustificationis. *Matt.* 1. Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

Vt autem sciatis, quoniam filius homi-

nis

minis habet potestatem dimittendi peccata in terra.

Pars, in qua est potestatis demonstratio, hic incipit: & dicuntur tria per verbum operatiuum; potestatis demonstratio, miraculi ex verbo perfectio, & eius, qui potestatem demonstrauit in confusionem detrahentium, magnificatio. Circa primum duo dicuntur: primò enim ponitur verbum Euangelistæ ad credentes, cùm dicit [Vt autem sciatis, quia filius hominis &c.] Sed tunc quæritur, quare hic in hoc miraculo addunt Euangelistæ tres potiùs, quam in aliquo aliorum? Et dicendum, quòd propter hanc potestatem declarandam totum scriptum est Euangelium. Et ideò Euangelistæ posteris hoc voluerunt inculcarè: hic enim fuit dubitatio de hac potestate, & hæc probata fuit *Ioan. vl.* Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia IESVS est filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine ipsius. Et quia dubitatio fuit de tribus in peccati dimissione, de remittente, & de potestate remittendi, & de loco: ideò contra tria dicit tria. De remittente dicit [filius hominis] secundum quòd est filius hominis: ita quòd ly secundum quòd, notat personæ vnitatem, non conditionem humanæ naturæ. *Actuum* 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius, qui credunt in eum. De potestate autem dicit [habet potestatem] *Rom.* 13. Non est potestas nisi à Deo. *Mat. vlt.* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Contra, locum dicit [in terra] *Sap.* 18. Stans in terra, vsque ad cælos attingebat. *Phil.* 2. Vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.

Tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit & abiit in domum suam.

Ecce miraculi perfectiuum. [Surge] tria dicit per imperium, scilicet, reuelationem infirmitatis, cùm dicit [Surge] Restitutionem valoris & vigoris, cum dicit [tolle lectum tuum] Quod facere non posset, nisi fortis: quia lectus fuit habens cum stramentis (aliàs straminibus) spondam, in qua ferebatur. Restitutionem vsus in prouidendis propriis cùm dicit [vade in do. tuam] In quo notatur Sanitatis permanentia: ne momentanea & phantastica esse credatur. Simile *Ioan.* 5. Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. [Et surrexit] Ecce miraculi secundum actum perfectio [& abiit] portans lectum, in quo antè portabatur consolidatis & conglutinatis neruis, consumpto humore resoluente ad verbum Domini. [Et abiit in domum suam] Consulens propriis continua sanitate perseuerante. *Ioan.* 7. Totum hominem sanum feci.

Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Ecce Christi facientis miraculum magnificatio: & dicuntur duo; admiratio, quæ notatur per timorem, cum dicitur [timuerunt] *Ierem.* 10. Quis non timebit te, Dux, & Rex gentium? Secundum est laudis perfectio, cum causa laudis Ibi [Glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus] *Eccl.* 43. Glorificantes Deum exaltate eum, quantum potestis; maior est enim omni laude. *Psal.* 144. Laudem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomen sanctum eius. Quòd autem in causa laudis dicunt [qui dedit potestatem talem, &c.] Contra murmur dictum est: quia murmurantes hanc potestatem nulli homini dandam. Nec intelligitur de potestate supra corpus tantùm; sed de potestate supra corpus, prout est indicium potestatis datæ supra animam. *Isa.* 6. Miserationum Domini recordabor: laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis: & super multitudinem bonorum domus Israël, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam.

Et cùm transiret inde IESVS, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.

Hic ponitur repressio murmuris facti contra vitæ veritatem. Est autem consideratio huius veritatis vitæ triplex, & secundum hoc in tres diuiditur partes. Consideratur veritas vitæ in seipso, & in subditis, & in auctoritate operis, quod facit: & in hac prima parte reprimuntur murmurantes contra vitam quoad primum: in secunda quoad secundum *Ibi* [Tunc accesserunt ad eum discipuli] In tertia quoad tertium *Ibi* [Hoc illo loquente ad eos &c.] In prima harum tria dicuntur, causa murmuris, & murmur, & repressio per responsionem. In prima harum tria dicuntur, scilicet, publicani vocatio, vocati secutio, & sequentis ministratio, qua Christo ministrabat, cùm à suis recederet. Circa vocationem duo inducuntur, vocantis videlicet miseratio, & vocandi descriptio. Miseratio vocantis in duobus consistit, in diligentia inquisitionis: & hanc notat, cùm dicit [Et cùm transiret inde] quærens videlicet peccatores. *Act.* 10. Pertransiuit benefaciendo [vidit] secundum est respectus miserationis. *Genes.* 16. Tu Deus, qui vidisti me. *Genes.* 22. In monte Dominus videbit.

Hominem] Describit vocandum à natura, cum dicit [hominem] A quiete in lucrorum studiis [sedentem] Ab iniusta acquisitione [in telonio] A nomine communi, cum dicit [Matthæum nomine] Natura vocat à peccati inclinatione ex fragilitate corporis & in sui recognitionem ex industria rationis. De primo dicitur, 1. *Cor.* 3. Cum sit inter vos zelus & contentio: nonne homines estis & secundum hominem ambulatis? *Genes.* 6. Videns Deus, quòd multa esset malitia in terra, & cuncta cogitatio intenta esset ad malum omni tempore. De secundo *Psal.* 4 Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. *Isa.* 46. Redite præuaricatores ad cor [sedentem] in quiete & pace peccatorum. *Psalm.* 126 Surgite postquam sederitis. *Isa.* 47. Sede in puluere, virgo filia Babylonis: sede in terra [in telonio] Telos græcè, latinè est vectigal: quia præfuit his, qui vectigalia accipiebant, quod consuetum cum exactione fieri, & plus debito. *Isa.* 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt. Econtra de conuersis dicitur *Isa.* 14. Quomodo cessauit exactor, quietuit tributum [Matthæum nomine] Ecce descriptio à nomine. Alij enim Euangelistæ vocat eum Leui; binomius enim fuit; sed nomen dignitatis fuit Leui, quod ponunt *Mar. & Lucas*; nomen

autem commune ponit ipse de se humilia sentiens. *Eccl.* 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Et ideò *infra.* 10. vocat se Matthæum publicanum pronuntians se esse peccatorem. *Proverb.* 18. Iustus à principio accusator est sui. 1. *Cor.* 15. Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus: quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei.

Et ait illi] Ecce vocatio [Sequere me] Bene dicit : Sequere : quia nullius hominis est comitati, impossibile autem præcedere secundum profectum virtutis. *Eccl.* 23. Gloria magna est sequi Dominum : longitudo dierum assumetur ab eo.

Et surgens] Ecce obedientia ad sequendum. Dicit autem præparationem ad sequendum, cùm dicit [surgens] hoc est, sursum se agens ad cælestia extendendo. *Baruch.* 5. Surge & sta in excelso. *Psal.* 3. Surrexi, & Dominus suscepit me [secutus est eum] imitando profectum virtutis. *Iere.* 17. Non sum turbatus te pastorem sequens, & diem hominis non desideraui : tu scis.

Et factum est, discumbente eo in domo : Ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum Iesu & discipulis eius.

Hic ponit ministrationem, quæ fuit causa murmuris : & dicuntur tria ; commodum infirmitatis per discubitum, locus familiaris per domum, & consocietas congratulationis & deuotionis per eos, qui cum eo discumbebant. De primo dicit [Et factum est discumbente eo] Simile *Lu.* 7. Ingressus domum Pharisæi discubuit. *Cant.* 1. Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem. Discubitus autem est positio corporis composita ex sedere & iacere, propter stramentorum ordinationem ad dorsi inclinationem : Et hoc commodum est lassatis ex itinere, sicut sæpe ipse fatigatus fuit Dominus. *Ioan.* 4. IESVS fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.

In domo] Ecce locus familiaris. Dicunt autem *Marc.* & *Luc.* In domo sua. Iste autem quia iam dimiserat omnia, non vendicat eam sibi ; sed reputat eam communem omnibus: & ideò simpliciter dicit [in domo] *Act.* 4. Nec quisquam quod possidebat, suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. *Luc.* 19. Hodie salus huic domui facta est. Vnde *Lu.* 5. dicitur, quòd relictis omnibus, secuti sunt eum. *Porphyrius* autem hæreticus arguit hic lenitate Matthæum, quòd ad vnius iussionis vocē ignotum hominem secutus sit: & huic obuiat *glo.* quia non lenitate ductus sequitur, sed potiùs virtute operum visa, intùs per gratiam tractus sequitur, cuius cognouerat deitatem. Post omnes alios iste suam recitat vocationem propter humilitatem : quia pro certo, sicut dicitur *Luc.* 6. Ante sermonem Domini in monte factum vocatus est. Sed post sermonem fecit conuiuium, cum de cætero animum non haberet ad propria reuertendi : & ideò vt simul poneret ea, quæ ad idem ordinantur, vocationem priùs factam per recapitulationem hic cum conuiuio indutit.

Et ecce multi] Ecce Societas congratulantium sociorum, & aspirantium ad eandem spem vocationis. Publicani autem sunt vectigalibus præpositi : peccatores fuerunt, alias criminosi & manifesti. *Lu.* 15. Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores vt audirent eum [discumbebant cum Iesu & discipulis eius] *Act.* 10. Mihi ostendit Deus neminem communem hominem dicere.

Sed quæritur, qualiter vocauit Matthæum, obligatum ratiociniis de susceptis vectigalibus : & qualiter comedit illicitè acquisita ? Dicit enim *Chrys.* quòd de illicitè acquisito comedit. Et ad primum dicendum, quòd vocatio ante conuiuium facta, significat eum à ratiociniis esse absolutum : quidam tamen dicunt, quòd Domini est terra, & plenitudo eius : & ipse eum potuit absoluere, sicut fecit spoliari Ægyptios *Exo.* 12. Sed secùs est de illis : quia filij Israel ipsis laborauerant, & nihil acceperant de mercede, & alias multa damna illata ab eis sustinuerant, pro quibus fecit Dominus accipi spolia : & ideò primum est probabilius. Ad aliud dicendum, quod hic innuitur, quod aliquis agens negotia eorum, quibus tenetur (ille igitur illicitè acquisita accipit) potest accipere victum ab eis in stipendium necessitatis, si non habet vnde viuat aliunde. 1. *Cor.* 9. Quis militat suis stipendiis vnquam ? *Deuter.* 25. Non alligabis os bouis triturantis. 2. *Timot.* 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.

Et videntes Pharisæi dicebant discipulis eius : Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester ? At IESVS audiens ait : Non est opus valentibus medicus ; sed malè habentibus.

Ecce murmuratio : & dicit tria ; qui, apud quos, & de quo murmurabant. Qui : quia [Pharisæi] de religione præsumentes. Apud quos ? quia dicebant discipulis suis : quia timebant confutari, si Christo dicerent. Vnde sicut serpens. *Gen.* 3. aggressus est Adam in debiliori parte : ita isti credebant decipere in discipulis, & reprehensibilem facere Christum. *Eccl.* 1. Sicut si mordeat serpens in silentio, nihil minùs habet, qui occultè detrahit [Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester] Videtur autem iusta esse reprehensio. 1. *Cor.* 5. Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut rapax, &c. cum huiusmodi nec cibum sumere. 2. *Ioan.* Ne dixeritis ei, aue: qui enim dicit, cōmunicat operibus eius infructuosis. Responsio, dicendum: quia dicta Apostolorum intelliguntur de apostatis impœnitentibus, de quibus non est spes conuersionis : & de præcisis ab Ecclesia, quamdiu præcisi sunt : & tales non fuerunt isti. *Matth.* 8. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, ipse in oculo tuo trabem non videns ? *Rom.* 14. Quid iudicas alienum seruum ? suo Domino stat, aut cadit.

Audiens ait] tangit repressionem murmuris. Audiuit autem aure zeli, de qua dicitur *Sap.* 1. Auris zeli audit omnia : & tumultus murmurationum non absconderur. [Non est opus, &c.] Dicit tria, primum pertinet ad falsæ iustitiæ irrisionem, secundum ad erronei intellectus legis confutationem, tertium ad finis sui

aduentus

aduentus ostensionem. De primo dicit [Non est opus medicus] quoad medicandum [valentibus] hoc est, vobis, qui vos valere reputatis. *Apoc.* 3. Dicis, quia diues sum, & nullius egeo: & nescis, quia miser es, & miserabilis, & pauper, & nudus, & cæcus. Vnde periculosissimè viuit, qui ægrotat lethaliter, & præsumit se sanum esse, quia medicum non requirit. Contra quod dicitur *Eccl.* 38. Honora medicum: propter necessitatem enim illum creauit Altissimus. *Iere.* 8. Nunquid resina non est in Galaad: aut medicus non est ibi? [sed malè habentibus] *Osee.* 14. Sanabo contritiones eorum: diligam eos spontaneè: quia auersus est furor meus ab eis. *Psal.* 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Euntes autem discite quid est: misericordiam volo, & non sacrificium: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

Ecce confutatio erroris in lege: & duo dicit primò irridendo vos, qui deberetis magistri esse legis propter tempus. Nunc demum [Euntes discite] Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. 2. *Timo.* 3. Quid est] quod scriptum est *Osee.* 6. [Misericordiam volo, & non sacrificium] Semper enim Deus voluit & facere, & fieri misericordiam; sed nunquam sacrificium cruoris immolatitij. *Isa.* 1. Holocausta arietum & sanguinem agnorum & hircorum nolui: *Glo ibidem.* Nunquam volui. *Psal.* 39. Holocaustum & pro peccato noluisti. *Prou.* 21. Facere iuuamen (aliàs misericordiam) & iudicium magis placet Deo quàm stultorum victimæ. *Michæ.* 6. Indicabo tibi, o homo &c. 1. *Timoth.* 4. Exercitatio corporalis ad modicum vtilis est: pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

Non enim veni] Ecce confutatio per finem sui aduentus. Dicit ergo: quia [non veni in mundum vocare iustos] hoc est, qui de iustitia apparente præsumunt: quia vocatio apud eos est inutilis. Sicut enim dicitur *Rom.* 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei iustificati gratis per gratiam ipsius. *Psalm.* 13. Non est iustus quisquam, non est intelligens, & non est requirens Deum. Sed contra *Ioan.* 1. Vidit IESVS Nathanael venientem ad se, & dixit: ecce verus Israelita, in quo dolus non est. Adhuc *Infra* 11. Vocat omnes dicens: Venite omnes ad me, qui laboratis. *Eccl.* 24. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. Propter hoc dicit *Glo.* quòd intelligitur cum determinatione, quam ponit *Lucas.* Non veni vocare iustos; sed peccatores ad pœnitentiam: Iusti autem vocati sunt ad societatem Christi & ad discipulatum. 1. *Ioan.* 1. Quod ergo vidimus & audiuimus, annuntiamus vobis: vt & vos societatem habeatis nobiscum: & societas vestra sit cum Patre & filio eius Iesu Christo [sed peccatores *Iaco.* 4. Emundate manus peccatores: & emundate corda duplices animo. *Act.* 3. Pænitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.

Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; discipuli autem tui non ieiunant?

Hic incipit pars illa, quæ est de murmure de vita discipulorum: quia peruersa vita discipuli redundat ad magistri infamiam: & diuiditur in tria. In primo tanguntur murmurantes, in secundo causa murmuris, & in tertio repressio. Murmurantes tangit, cùm dicit [Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis] *Marcus* tamen & *Lucas* innuunt, quòd hæc quæstio à Pharisæis facta sit. Vnde *Luc.* 5. sic dicitur: At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter &c. *Glossa* autem soluit hoc, quòd hoc à quibusdam Pharisæis est quæsitum, & quibusdam Ioannis discipulis, qui Christo inuidebant. *Ioan.* 3. Facta est quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione.

Quare nos & Pharisæi] Ecce causa murmuris & quæstionis: quia Ioannis exemplum & doctrina fuit de multa abstinentia; & Pharisæorum similiter. Vnde *Mat.* 6. Exterminant enim facies suas, vt videantur hominibus ieiunantes [ieiunamus frequenter] Quasi dicant: cum tam magister vester, quàm Pharisæorum secta videatur probatissimam tenere vitam: discipuli autem tui non ieiunant. Causa autem fuit; quia præsentia Christi plus abstulit ab eis libidinem, quam omnis afflictio corporalis. *Isaie.* 58. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi per diem affligere hominem animam suam, & torquere quasi circulum caput? nunquid hoc est magis ieiunium, quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes & *Nee.* 8. Comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes eis, qui non præparauerunt sibi: Sanctus enim dies Domini est, & non licet nobis contristari.

Et ait illis IESVS: Nunquid possunt filij sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.

Hic ponitur murmuris repressio; primò per temporis congruitatem, secundò autem per discipulorum dispositionem *Ibi* [Nemo autem immittit &c.] Circa primum dicit duo, primò congruentiam præsentis temporis ad ieiunium, vocans se sponsum, & discipulos filios sponsi. Christus enim veniens in carnem, sibi desponsauit nostram naturam, & Ecclesiam. Vnde *Psal.* 18. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. *Ioan.* 3. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat, & audit, & gaudet ad vocem sponsi & sponsæ. Sub quæstione ergo ponit Christus humanam præcedens similitudinem dicens [Nunquid possunt filij sponsi] *Isa.* 66. Si ego, qui generationem aliis tribuo, ipse sterilis ero, dicit Dominus? *Isa.* 60. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent [lugere] hoc est luctus opera exercere. Sicut est ieiunium, & cilicium & huiusmodi [quamdiu cum illis est sponsus] Et attende, quod apud Sanctos est triplex ieiunium: vnum quidem [illegible] rum autem contristantium & tertium [illegible]

Satisfactiuum est, de quo dicitur *Ioël.* 2. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum. 2. *Corinth.* 6. In multis ieiuniis per arma iustitiæ à dextris & à sinistris. Contristatiuum autem est, quando aliquis ex tristitia in tædium incidit & fastidium solatij corporalis (aliàs corporis) Et hoc ieiunio ieiunauerunt antiqui patres propter tristitiam absentiæ Christi. *Iob.* 3. Antequam comedam, suspiro: & tanquam inundantis aquæ, sic rugitus meus. Sic etiam ieiunauerunt Apostoli tempore passionis Christi. Vnde narrat *Hiero.* de Iacobo, quòd deuouit se non comesturum, donec vidisset Christum à mortuis resurrexisse. Sic dicitur *Dan.* 10. Ego Daniel panem desiderabilem non comedi trium hebdomadarum temporibus. *Leuit.* 10. Quomodo potui placere Deo in ceremoniis comedendæ hostiæ, supple, mente lugubri. Tertium est, cum ex plenitudine spiritus obliuioni traduntur & fastidiuntur delectantia corporaliter. Sicut dicit *Grege.* quòd gustato spiritu, desipit omnis caro, & carnalis delectatio. Et sic ieiunauit Moyses in monte cum Domino. Primum ieiunium est fidei, secundum spei, tertium Charitatis. Primũ pœnitentiæ, secundũ veritatis promissæ, tertium autem iucunditatis exhibitæ. Vnde de medio istorum ieiuniorum intelligitur hoc, quod dicit hic. Et hoc est initium nouæ vitæ: primum autem est purgatio vetustatis antiquæ: & tertium est perfectio felicitatis æternæ. Vnde sequitur.

Venient autem dies] passionis tempore [cum] ad horam [auferetur ab eis sponsus] *Matth.* 26. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis [& tunc ieiunabunt] tristantes & dolentes. *Ioan.* 16. Vos igitur nunc tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Hoc genere luctus & ieiunij luxit (alias ieiunauit) Iacob in figuram desiderantium Christi resurrectionem, & tristitiam habentium in traditione. *Genes.* 37. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt delinirent dolorem patris, noluit consolationem recipere; sed ait: descendam lugens ad filium meum in infernum.

Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vstimentum vetus: Tollit enim plenitudinem eius à vestimento: & peior scissura fit.

Hic incipit secundum, vbi idem probat ab infirmà dispositione discipulorum. Spiritus enim nouus, quem innouat Deus in visceribus nostris, duo operatur in nobis. Et secundum hoc hic duo dicuntur. Virtute enim (quam dat nouam) vestit nouo vestimento conuersationis sanctæ & gaudio, (quod infundit) inebriat domum voluptatis, Dei dulcedine. Et ideò inducit hic duas similitudines nouorum duorum ad duo vetera, hoc est, panni noui & vini noui, ad vestimentum vetus & vtres veteres: & circa primum dicit duo: primò enim generalem inducit consuetudinem: & secundò probat hanc per contrarij facti damnositatem.

Dicit ergo [Nemo] sapiens [commissuram] hoc est, noui adhuc non extra primam ruditatem positi [in vestimentum vetus] Innuens, quòd vetus vestimentum est conuersatio terrena carnalis, quæ licet non mala sit; tamen inexpertæ virtutis spiritus non habet delicias, nisi in præsentia corporali Sanctorum. In cuius signum dixit *Luc.* 24. Sedete hic in ciuitate, quousque induamini virtute ex alto. *Isaiæ.* 61. Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circundedit me. De vetere autem vestimento dicitur *Prou.* 23. Vestietur pannis dormitatio. Vnde etiam Dominus tenella carne indutus *Luc.* 2. Pannis inuolutus dicitur [Tollit enim plenitudinem] hoc est, integritatem [eius à vestimento] quia pannus nouus trahendo scindit vetus. Et ita nouitas spiritus communicata tenellæ & carnaliter fouendæ in bono, vitæ aufert integritatem [& fit peior scissura] quia nouitas non adipiscitur, & vetus bonum, quod corporali consolatione indiget, desperando relinquitur. *Ioan.* 6. Durus est hic sermo: & quis potest eum audire? 1. *Cor.* 3. Et ego fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis. 1 *Pet.* 2. Quasi modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo: lac concupiscite, vt crescatis in eo.

Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conseruantur.

Ecce secunda comparatio de gaudio noui spiritus: & dicit tria: primò enim quid non fit, & secundò probat per damnum, si contrarium fiat: & tertiò dicit, quid fieri debeat. Dicit ergo [Neque mittunt vinum nouum] hoc est, spiritum nouorum gaudiorum [in vtres veteres] hoc est, corpora adhuc corporaliter fouenda. *Psal.* 103 Vinum lætificat cor hominis. *Iud.* 9. Vinum, quod lætificat Deum & homines.

Alioquin rumpuntur vtres] Quia vinum nouum tres habet calores, vnum loci, & alterum circunstantis aëris, & tertium naturalem: & isti sunt adhuc in materia terrea ignita. Et sicut calor extraneus oppugnat naturalem in febre: ita in vino duo calores oppugnant tertium: & ideò vaporosum est mustum & bullit, & impellit vasa & rumpit, nisi fortia valdè sint: & sic faciunt concepta gaudia spiritus vitam veterem. *Iob.* 32. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. *Act.* 2. Dicebant, quoniam musto pleni sunt isti. 1. *Reg.* 1. Digere paullisper vinum, quo mades [& vinum effunditur] quoad eos: quia plerumque fit, quòd propositis spiritualibus his, qui eorum capaces non sunt, ex desperatione ad ea perueniendi etiam ea dimittunt, quæ ante minoris iustitiæ faciebant opera [& vtres pereunt] tunc quoad hoc, quòd nec noua suscipiunt, nec retinent vetera: & hoc significatur *in Cant.* 5. Messui myrrham cum aromatibus meis: bibi vinum meum cum lacte meo. Myrrha enim propter amaritudinem lamentum gementium ad præsentiam sponsi, qui eum cum aromatibus virtutum expectant, significat. Sed non vino statim se implent, sed lacte infantilis doctrinæ & gratiæ vtuntur Dei, vt paulatim crescant: & tunc purum & eliquatum internæ consolationis vinum recipiunt.

Hinc

Hinc etiam est, quòd *Prouer. 9.* Sapientia dicit se miscuisse vinum: quia incipientes nondum perfecti, vinum spiritus nouum non capiunt; sed inconsueti talibus, etiam ea perdunt, quæ prius habuerunt.

Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt] Istud est tertium, in quo ostendit, quid secundum ordinem prudentiæ fieri debeat. Et dicuntur vtres noui corda virtute sancti Spiritus solidata, quibus imponuntur fortia [& tunc conseruantur ambo] Sicut Petrus nondum solidatus ad vocem ancillæ negauit: cuius, posteaquam Spiritum sanctum ad robur accepit, etiam Principes constantiam admirabantur. *act. 4.* Videntes autem Petri & Ioannis constantiam, comperto, quòd homines essent sine literis & idiotæ: admirabantur, & cognoscebant eos, quoniam cum IESV fuerunt. *Can. 5.* Bibite, amici, & inebriamini, charissimi.

Hæc illo loquente ad eos, ecce Princeps vnus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens IESVS sequebatur eum, & discipuli eius.

Hic incipit pars illa, quæ est de repressione murmuris contra auctoritatem factorum, & dictorum facti. Nescientes enim suam auctoritatem deriserunt ea, quæ fecit, & dixit, putantes eum aliis hominibus similem. Diuiditur in tres partes, in quarum prima ponitur, qualiter IESVS inclinatur ad viam: secunda est de hoc, quod factum est in via *Ibi* [Et ecce mulier] Tertia de his, quæ in termino viæ sunt facta ad suæ auctoritatis ostensionem *Ibi* [Et cùm venisset IESVS in domum Principis] Ista autem diuisio sumitur secundum tria, ad quæ fuit talis auctoritati ostensio, quorum vnum fuit: fides eorum, qui de deitate dubitabant: & ideò præsentem requirebant, putantes, quòd inuocatione curaret sicut Sancti: quibus tamen ire consensit, vt eos ad fidem manuduceret. Secundùm autem fuit murmur de virtute, quam sensit exisse ab eo, quod fuit pusillæ fidei, quam construxit in via. Tertium autem perfectæ auctoritatis ostensio contra detrahentes & irridentes.

In primo horum quatuor sunt paragraphi, quorum vnus est sicut continuatio, cum dicit [hæc illo loquente ad eos] Et est obiectio: quia *Mar. 5.* & *Lu. 8.* eadem narratur historia, & non sic continuatur; sed potiùs ad reditum de regione Gerazenorum, vbi liberauerat eos, in quibus legio dæmonum habitauerat. In quo reditu cùm expectaretur, & exciperetur à turbis, dicit *Lucas* istum Principem accessisse, & rogasse, vt in domum suam intrare, & filiam suscitaret. Et ad hoc dicendum, quòd hic notatur continuatio, non tam facti ad factum, quàm doctrinæ sapientiæ ad confirmationem eiusdem per opera miraculorum. Præcedentia fuerunt argumenta & doctrinæ sapientiæ ad confutandos errores murmurantium. Et ideò, vt omninò obmutescant, & obstruatur os loquentium iniqua, quod dictum est sapienter, ex potentia deitatis accipit confirmationem. *Ioan. 5.* Opera, quæ ego facio in nomine Patris, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me.

Secundus paragraphus est de accessu Principis: & in hoc quinque dicuntur: primum est publicum propter multorum ædificationem quod notatur in demonstratione aduerbij [Et ecce] Secundum est descriptio à dignitate, cum dicit [Princeps] quod pertinet ad famam facti. Tertium est nota excellentiæ singularis, cum dicit [vnus] quasi vnicus inter alios magis dignus. Et ideò *Mar. 5.* & *Lu. 8.* nominatur per nomen, cui nomen Iairus. Vbi etiam innuitur, quòd principatus erat spiritualis, vt magis idoneus esse cognoscatur. Quia dicitur Archisynagogus tanquam Episcopus, vel Archiepiscopus. Quartò apponitur appropinquatio per deuotionem, cùm dicitur [accessit] Quintò professio maiestatis per adorationem, cum dicit [& adorauit eum dicens] Scitis enim scriptum esse *Deutero. 4.* Vos, qui adhæretis Deo, viuitis vniuersi. *Hebr. 4.* Adeamus cum fiducia thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Tertius paragraphus est de interpellatione, qua rogauit Dominum pro filia, in qua duo facit: exponit enim miseriam, & petit misericordiam. Exponendo autem miseriam quatuor inducit: profiteur enim potentiam, cùm dicit [Domine] Dolorem ex vinculo naturæ, cùm dicit [filia mea] Recentiam doloris, vt acerbior esse videatur, cùm dicit [modò] Magnitudinem doloris, cùm dicit [defuncta est] Et hoc habet obiectionem: quia *Mar. 5.* dicitur: In extremis est. Et *Lu. 8.* dicitur, quòd hæc moriebatur, & sic nondum defuncta erat. Responsio ad hoc, quòd *Matthæus* ponit verba, quæ habuit, cum peruenit ad Iesum. *Marcus*, autem & *Lucas* loquuntur de tempore, pro quo exiuit de domo. Vel dicatur secundum *August.* quòd *Marcus* & *Lucas* dicunt esse rem, sicut fuit: & *Matthæus* dicit id, quòd Princeps voluit & intendit: & forte hæc omnia dixit successiuè. Addit etiam *Lucas*, quòd puella erat ferè duodecim annorum iam pubes effecta: & hoc est tempus, quando iam patres magis gaudere de filiabus consueuerunt. Dicit etiam, quòd vnica erat ei: quæ omnia faciunt ad doloris exaggerationem.

Sequitur quartus paragraphus, in quo benignitas Domini exprimitur in tribus: in promptitudine, cùm dicit [Surgens IESVS] In humilitate, cùm dicit [sequebatur eum] docens nos exhibere honorem Prælatis. *Augustinus in Regula.* Honore coram vobis Prælatus sit vobis. In societate solennitatis, cum dicit [discipuli eius] hos autem secum duxit, vt per miracula confirmarentur, & instruerentur. *Isa. 8.* Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Sed quæritur quare istum non increpauit, qui præsentiam corporalem quæsiuit, sicut increpauit Regulum *Ioan. 4.* dicens nisi signa & prodigia videritis, non creditis: Præcipuè cum *Chrysostomus* dicat, quòd maioris fidei fuit mulier emorroissa, quàm iste Princeps: cum Princeps medicum duceret: mulier autem tactu crederet se sanandam? Responsio. Ex circumstantiis literæ dictis probabiliter accipitur, quòd non tam duxit eum, quòd præsentia corporali crederet eum meliùs posse propinquè quàm remotè, quàm vt ostenderet

deret sibi deuotionem & dolorem matris, & familiæ: vt sic magis ad misericordiam flecteretur: & ideò non reprehendit.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius: dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum eius, saluaero.

Hic incipit pars secunda, quæ ob duas vtilitates inducitur, quarum vna est repressio murmuris, vel contradictionis contra potestatem auctoritatis inuisibilis: & altera est confirmatio pusillæ fidei Archisynagogi, vt magis sperarat de salute filiæ. Et sunt hic tres paragraphi, in quorum primo continetur deuotio mulieris, in secundo consolatio per verbum perfectæ sanitatis operatiuum, in tertio effectus perfectæ sanitatis in termino viæ factus: & hæc patent in litera. In primo horum duo sunt, deuotio videlicet in factis, & deuotio in dictis intra seipsam. Deuotio autem in factis describitur à sexus fragilitate, à quo magis acceptum est quod facit, quò maior est infirmitas faciendi: & hoc notatur, cum dicit [Ecce mulier] Secundò describitur ab infirmitatis periculositate [quæ fluxum patiebatur sanguinis] quia nutrimentum vltimum est sanguis, & sedes animæ in sanguine est: & ideò periculum fuit: vnde *Marcus & Lucas* dicunt, quòd multa expenderat in medicos, & nulla poterat medicorum arte liberari. Dicitur autem fuisse emorroissa: emor enim sanguis est, & rois est fluxus persica lingua: quia fortè venæ, quæ emorroidæ vocantur, apertæ erant omnes, quinque enim sunt: & tunc est magnum periculum, & rarò valde accidit in muliere. Dicit enim Hippocrates quòd mulier rarò podagrizat, & rarò fit emorroida: & in hoc notatur, quòd fuit isti ex magna complexionis, vel compositionis corruptione. Tertiò describitur ex morbi diuturnitate, cùm dicit [duodecim annis] *Eccl.* 10. Langor prolixior granat medicum: breuem langorem præcidit medicus. Quartò describitur ab humilitate, cùm dicit [accedens retrò] reputans non esse dignam conspectu. *Luc.* 7. Et stans retrò secus pedes Domini. Quintò describitur à deuotione tangendi in vera fide, cum dicit [Et tetigit fimbriam vestimenti eius] Audierat enim à Dauid *Ps.* 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, & in oram vestimenti eius: & in hoc vnguento credebat sanari.

Sed quærit *Chrys.* Cum mulier esset & in profluuio sanguinis immunda, quomodo audebat tangere? Et dicit, quòd audiuit eum etiam mulieribus gratiam non denegare, & ad curationem fœminei sexus per semetipsum ire: & ex hoc fiduciam accepit. Licet autem esset immunda: tamen sciuit Christum tangere leprosos, & non inquinari, sed mundare & expellere immunditiam: & hac fiducia ansa fuit tangere. *Ambro.* videtur velle, quòd hæc mulier fuerit beata Martha soror beatæ Mariæ Magdalenæ.

Dicebat enim intra se] Ecce deuotio, quam pertractabat in corde [Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero] non dubitans, quin deitate æqualia posset vbique, sed sciens, quòd tactus deificæ carnis semper exerceret opera curationis. Miseria autem magna est, quòd tactu huic mulieri contulit sanitatem vilineris: & heu multis hodie in Sacramento sumentibus confert (aliàs infertur) vulnus æternæ damnationis. *Cor.* 11. Qui manducat, & bibit indignè, erit reus corporis & sanguinis Domini.

At IESVS conuersus, & videns eam: dixit: Confide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora.

Secundus paragraphus est, & omittit hic *Matthæ* hoc, quod dicunt *Marcus & Lu.* quòd quæsiuit: Quis me tetigit? Et quòd Petrus respondit pro omnibus: Turbæ te comprimunt: & quæris, quis me tetigit? & hanc quæstionem non ignorans fecit Dominus, sed vt factum diuulgaret, & vt à se non latere ostenderet, & vt ad fidem principem ædificaret, & detrahentes, & irridentes conuinceret. De tactu enim deuotionis quæsiuit, & non de tactu compressionis. In hoc autem paragrapho tria notantur; benignitas, misericordia, & data mulieri fiducia. Primum notatur, cum dicit [IESVS conuersus] Benignitas enim fuit, quòd ad eam se conuertit. Simile *Luc.* 22. Conuersus Dominus respexit Petrum. Secundum notatur, cùm dicit [& videns eam dixit] Visio enim Dei misericordia est, sicut sæpe in antehabitis dictum est. Tertium notatur in allocutione, in qua tria dicuntur, scilicet, data fiducia, cùm dicit [Confide] hoc est, in fide cresce, & perseuera, quam iam accepisti. *Psal.* 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion: non commouebitur in æternum. Secundum, charitas exhibita, per hoc, quòd dicit [filia] Tertium est laus fidei, cùm dicit [fides tua saluam te fecit] Meritoria enim causa salutis fides fuit: Christus autem causa efficiens. Nihil enim prohibet vnum effectum plures habere causas diuerso modo causalitatis. *Luc.* 7. Fides tua te saluam fecit: vade in pace [Et salua facta est mulier in illa hora] hoc est, salus ei confirmata est. Quia autem saluata fuit per tactum, cognouit virtutem à se exisse, sicut dicunt *Marcus & Lu.* Et *Ioan.* 4. Cognouit autem pater, quia illa hora erat, in qua dixit IESVS: Filius tuus viuit. Nescit enim tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. Narrat enim *Eusebius Cæsarien.* quòd mulier hæc fecit imaginem sibi fieri secundum figuram Saluatoris, & vestiuit eam similibus fimbriatis vestibus: & ob memoriam posuit eam in horto suo, & accidit, quòd omnes herbæ, quæ creuerunt sub fimbriis illis habebant idem curationis auxilium, quod fimbriæ habuerunt.

Et cùm venisset IESVS in domum Principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite; non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum.

Hic incipit tertia pars de perfectione miraculi in termino viæ facti: & sunt hic tres paragraphi, quorum primus est de turbæ exclusione, quæ indigna fuit, vt interesset Dei miraculis: secundus de suscitatione: & tertius de miraculi manifestatione: & patent in litera Primus autem horum continet quatuor; aduentum

Christi

Christi suscitantis, dispositionem turbæ tumultuantis, eiectionem indignæ multitudinis cum ratione eiectionis, & irrisionem plebeculæ vilis. Attende autem, quod *Matth.* hic omittit quod ponunt alij, quòd videlicet in via venerunt nuntij, vt non vexaret magistrum, quia mortua esset filia eius: & quòd confortabat eum Dominus, vt non timeret, sed tantummodo crederet. Et tunc demum [cum venisset IESVS] Saluator [in domum Principis] Archisynagogi. *Genes.* 30. Experimento didici, quòd benedixerit mihi Deus ad introitum tuum.

Et vidisset tibicines] Ecce turbæ descriptio. Tibicines autem fuerunt tibiis canentes carmina lugubria, vt alios ad lamentum prouocarent. *Ierc.* 9. Vocate lamentatrices, & venient: & ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, & properent, & festinent, & assumant super vos lamentum [& turbam tumultuantem] cui præcinebant tibicines. *Mich.* 2. Tumultuabitur à multitudine hominum.

Dicebat] Ecce turbæ eiectio: & dicit duo: imperat enim exire: & subiungit rationem. Primum notat in hoc, quòd dicit [recedite] *Mat* 7. Nolite sanctum dare canibus &c. Sed cum multoties miracula fecerit coram turba, quare modò non facit similiter? Responsio, quòd hæc turba non erat digna; quia signa exhibuit non creditæ resurrectionis in hoc, quòd inconsolabiliter lamentabatur. Vnde 1. *Thes.* 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.

Non est enim mortua puella, sed dormit.] Ecce ratio eiectionis: & intelligitur dupliciter; primò secundum potestatem loquentis verbum: quia non erat sibi mortua: quia vnico verbo poterat suscitare. Ipse enim erat Deus, cui omnia viuunt, & cui non pereunt moriendo corpora nostra. 1. *Reg.* 2. Dominus mortificat & viuificat. *Deut.* 32. Ego occidam, & ego viuere faciam. *Sap.* 16. Vitæ & mortis habes imperium *Ioan.* 11. Lazarus amicus noster dormit: eamus, & à somno suscitemus eum. Alio modo secundum *interl.* puella innocens fuit, & peccato non fuit mortua, sed in sinu Abrahæ spe felici quieuit: & ideò mors eius conuersio animæ fuit ad requiem. *Psalm* 114. Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Talibus enim bene fit, cum moriuntur: quia pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum eius.

Et deridebant eum] Ecce tertium, derisio turbarum, ad hoc tamen vtilis: quia signum est manifestæ omnibus mortis: licet ex infidelitate fuerit potentiæ suscitantis. *Iob.* 12. Deridetur iusti simplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum. *Iob* 30. Nunc autem derident me iuniores tempore, quorum patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei. *Prou.* 19 Parata sunt derisoribus tormenta: & mallei percutientes stultorum corporibus.

Et cùm eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius, & dixit: puella, surge: & surrexit puella: & exiit fama hæc in vniuersam terram illam.

Ecce suscitatio, & dicit quatuor: facit enim mentionem eiectionis turbæ indignæ, sicut Elias & Eliseus neminem adesse voluerunt, vbi mortuos suscitauerunt. Secundò [intrauit] ingerens effectum salutis. Nec potuit esse, vbi ingrediebatur fons vitæ, quin mors ab ædibus fugaretur. *Eccl.* 4. Sapientia vitam filiis inspirauit. *Ioan.* 10 Ego veni, vt vitam habeant. *Marcus & Lucas* dicunt, quòd introduxit Petrum & Iacobum & Ioannem & patrem & matrem puellæ [& tenuit manum eius] Tertium est, vt tactu diuinitatis effectum communicaret: & sic eam in se corporaliter habitantem demonstraret. *Psal.* 72. Tenuisti manum dexteram meam. *Iob.* 14. Operi manuum tuarum porriges dexteram. *Psalm.* 118. Dextera Domini fecit virtutem &c. Quartò Verbum salutis effectiuum emittit [& dixit puellæ: surge] Vt eodem verbo reuocaret ad vitam, quo vocauit eam ad esse non existentem. *Rom.* 4. Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. *Psal.* Dabit voci suæ vocem virtutis. *Ioan.* 5. Mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent.

Et surrexit puella] Ecce perfectio miraculi. *Lu.* 8 Continuò surrexit: & præcepit illi dare manducare: vt per opus vitæ, verus vitæ probaretur effectus.

Et exiit fama hæc in vniuersam regionem illam] Ecce miraculi manifestatio, & irridentium confusio. *Isa.* 29 Sanctificabunt sanctum Iacob: & Deum Israel prædicabunt: & scient errantes spiritu intellectum: & mussitatores discent legem. Sic ergo demonstrata auctoritate vitæ confusi sunt mussitantes de hoc quòd contra legem, vel bonam consuetudinem facerent in se, vel in subditis.

Et transeunte inde IESV, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid.

Ab hoc loco conuincit eos, qui hæc opera miraculorum calumniari non valentes, attribuerunt ea contrariæ virtutis potestati. Et hæc est etiam causa, quòd miracula præmittuntur detractioni. Diuiditur ergo hæc pars in tres, in quarum prima continentur duo miracula, quæ nullo modo calumniari possunt in opere. In secunda autem ponitur calumnia in principio, per quod fit opus *Ibi* [Pharisæi autem dicebant] In tertia inducitur finis istius totius partis, in qua posita est sermonis confirmatio, per quam etiam confutatur calumnia Pharisæorum *Ibi* [Et circuibat IESVS &c.] In prima autem harum secundum duo miracula sunt duæ partes, quarum prima est in reparatione naturæ: & secunda in liberatione hominis constituti ex natura, à contraria potestate opprimente *Ibi* [Egressis autem illis] In prima harum duo sunt, scilicet, miraculi perfectio; & ex perfecto miraculo nostra instructio *Ibi* [Et comminatus est illis IESVS &c.] In prima harum adhuc sunt tres paragraphi, in quorum primo continetur cæcorum instantia ad lumen impetrandum: in secundo fidei eorum experientia: & in tertio, miraculi perfectio. In primo tangit instantiam in facto, & secundò in dicto.

In facto tangit tria, instantiam sequendi, cum dicit [Et transeunte inde IESV] vt omnibus lucis suæ beneficium inueheret. Sicut sol ex transitu suo communis efficitur. *Eccl.* 43. Sol in aspectu annuntians

nuncians ex exitu, vas admirabile, opus Excelsi. *Psalm.* 18. A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius [secuti sunt eum duo cæci] inseparabiliter adhærentes. *Psal.* 79. Non discedimus a te, viuificabis nos : & nomen tuum inuocabimus. 4. *Reg.* 2. Viuit Dominus,& viuit anima tua : quia non derelinquam te. *Gen.* 32. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

Secundò tangit intensionem interpellandi [clamantes] Simile *Matth* 15. Dimitte eam, quia clamat post nos. *Lu.* 18. Ipse verò multo magis clamabat. *Abac.* 1. Vsquequo, Domine, clamabo, & non exaudies : vociferabor à te vim patiens, & non saluabis?

Tertiò ponit modum interpellationis in verbo [dicentes : Miserere, nostri fili Dauid] Vocant autem filium Dauid propter quatuor; quia Dauid fuit misericors etiam in illum, qui contra eum egit inimicitias : fuit Rex magnificus liberalitate: quia & ædificij Dei parauit copias : fuit compatiens, quando se obtulit Angelo percutienti pro populo : fuit pius in oppressos etiam cum suo periculo liberandos. Vnde percussit Philistæum. Liberauit Ceylam. Misericordia igitur Christum volebant affici circa suam miseriam, ex liberalitate dona gratiæ assequi, ex compassione cogi,& ex pietate vinci. *Matth.* 21. Osanna, fili Dauid. *Matth.* 20. Domine, miserere nostri, fili Dauid &c.

Cùm autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci : & dicit eis IESVS : Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : vtique Domine.

Ecce accipitur experimentum fidei : & tanguntur tria, quorum vnum est per modum meriti miraculum impetrans : & hoc est accessus per deuotionem in domum ad IESVM cum dicit [cum autem venisset do mum, accesserunt ad eum cæci] Et notatur in hoc cæcorum in præstolando perseuerantia : quia non defecerunt in via; sed secuti sunt in domum. *Lu.* 11. Si perseuerauerit pulsans, dabit ei quotquot habet necessarios. Et in eodem notatur deuotio per accessum. *Psalm.* 33. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur [Et dicit eis IESVS] Secundò fit inquisitio experientiæ fidei [Creditis, quia hoc possum facere vobis] Hæc autem quæstio non est ignorantis; sed quia professi sunt humanitatem, quærit, vt propter stantes confiteantur deitatis potestatem. Tertiò fit confessio fidei, cùm dicit [dicunt ei vtique Domine] *Mar.* 9. Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam.

Tunc tetigit oculos eorum dicens : secundum fidem vestram fiat vobis: & aperti sunt oculi eorum.

Ecce miraculi perfectio, ex parte facientis, & ex parte facti. Ex parte autem facientis primò ponitur factum, & secundò virtutis verbum. Factum autem tangit, cùm dicit [Tunc tetigit oculos eorum] vt tactu deitatem in se habitantem ostenderet. *Io.* 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Verbum tangit, cum dicit [dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis] Hæc omnia possibilia sunt credenti : attribuuntur enim miracula fidei : quia ipsa credendo extendit se ad omnipotentiam, credendo id, de quo non habet rationem nisi omnipotentiam diuinam; Spes autem non nisi expectat; & charitas diligit. In quibus licet gratia; quia hoc possumus, fit à Deo : tamen actus sub nostra est potestate, & non respicit omnipotentiam : & ideò opera omnipotentiæ non attribuuntur spei, vel charitati. Vnde *Heb.* 11. Fide vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, castra verterunt exterorum, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos. Et omnia miracula attribuuntur fidei. 1. *Cor.* 13. Si habuero fidem omnem, ita vt montes transferam.

Et aperti sunt oculi eorum] Miraculi est perfectio ex parte facti. *Isa* 35. Tunc aperientur oculi cæcorum. Et ex modo loquendi notatur, quòd pupillas habuerunt, sed ex aliqua causa clausas, vel ex velamine, vel ex oppilatione spiritus visiui, vel turbatione ipsius. Congruè autem dicit, quòd fiat eis secundum fidem eorum : quia sicut fides est lumen mentis; ita oculus corporis : & sic lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum infundit lumen menti, vt ex hoc per redundantiam meriti lumen accipiat etiam oculus corporis. *Baruch* 3. Disce, vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus : vt scias simul, vbi sit longiturnitas vitæ & victus : vbi lumen oculorum & pax.

Et comminatus est illis IESVS dicens: Videte nequis sciat. Illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa.

Hic vltimò ponitur instructio, ex miraculo facto consequens : & tanguntur duo; exemplum Christi hominis ad humilitatem, cum dicit [comminatus] hoc est, per minas prohibuit. *Lu.* 17. Cum omnia bona feceritis, dicite : serui inutiles sumus : quæ debuimus facere, fecimus. Simile *supra* 8. de leproso. Vide, nemini dixeris. *Prou.* 27. Laudet te os alienum, & non os tuum. *Io.* 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis : & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? Secundum est exemplum cæcorum illuminatorum gloriam Dei manifestantium : & hoc tangit, cum dicit [illi autem exeuntes] ab eo, & à loco, in quo illuminati sunt [diffamauerunt eum in tota terra illa [hoc est, famam suam vbique prædicauerunt. *Isa.* 12. Annuntiate hæc in vniuersa terra. *Psal.* 144. Laudem Domini loquetur os meum.

Sed nunquid non erant inobedientes? Videtur, quòd sic : quia directè fecerunt contra inhibitionem. Adhuc : prohibitio signum est voluntatis diuinæ : ergo facientes contra prohibitionem, fecerunt contra Dei voluntatem. Responsio. Dicendum est, quòd est præceptum obseruationis, & hoc tenemur implere secundum actum, qui præcipitur, vel prohibetur, sicut, Non fornicaberis. Et hoc cognoscitur, quòd ipse actus est volitus à Deo : quia præcipitur in eo propter volitum : & hoc est honestum virtutis. Est etiam præceptum instructionis, & ibi non præcipitur nisi aliquid circa actum, quod volitum est : & hoc

hoc est hic; quia circa hoc non voluit nisi occultum nostræ laudis. Ad aliud dicendum, quòd modi verborum sunt variæ inclinationes, animi: & in modo imperatiuo, vel prohibitiuo non importatur voluntas, sicut importatur in modo optatiuo; sed potiùs imperium, vel prohibitio cadit super aliquid circa actum, quod volitum est. Et hæc solutio confirmatur ex *Tob.* 12. Vbi dicitur : Sacrum Regis abscondere bonum est: opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est : Vnde præmittitur ibi : Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini illi; quia fecit nobiscum misericordiam suam. Attendendum autem est, quòd solus *Matth.* ponit de istis cæcis, licet enim *Infra* 20. dicatur de duobus aliis cæcis; tamen illi non sunt isti. Et de illis quidem dicunt *Marcus* 10. & *Lucas* 18. Sed de istis nullus Euangelistarum dicit nisi *Matthæus* & solus dicit de dæmoniaco muto, de quo consequenter subiungit dicens.

Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem : & eiecto dæmonio, locutus est mutus : & miratæ sunt turbæ dicentes : Nunquam apparuit sic in Israël.

Et istud est secundum miraculum, quod in facto nullam habet calumniam : & dicuntur hic tria; primò enim ponit continuationem dicens [Egressis autem illis] secundò autem dicit ea, quæ faciebant ad miraculum : & sunt tria; primum ex parte offerentium, cùm dicit [Ecce obtulerunt ei] Et in hoc notatur deuotio interpellantium. Et quia impeditus a dæmone, per seipsum accedere non sciuit nec potuit : ideò Dominus contentus est fide offerentium, sicut & supra per seipsum accessit ad eos, in quibus legio dæmonum habitabat. Secundò tangit miseriam & patientiam, cùm dicit [hominem mutum dæmonium habentem] & notatur non fuisse mutus ex impotentia loquendi; sed ex impotentia, quam dæmon procurauit, qui eum oppressit. Vnde iste non est ille, de quo dicitur *Luc.* 11. Erat IESVS eiiciens dæmonium, & illud erat mutum. Tertium est perfectio miraculi, cùm dicit [Et eiecto dæmonio, locutus est mutus] quia dæmon erat causa, quare fuit mutus. Et ideò eiecto dæmone, reserata sunt organa loquelæ *Lu.* 11. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus.

Sequitur autem tertium, quod est finis miraculi, qui est ædificatio præsentium : & ibi duo dicuntur vnum, quod est via ad fidem [Quia admiratæ sunt turbæ] Alterum autem, quod est laus facientis, cum dicit [Numquam apparuit sic in Israël] *Exod.* 15. Quis similis tui in fortibus Domine, magnificus atque laudabilis, & faciens mirabilia? *Psal.* 76. Quis Deus magnus, sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia. Et de isto dæmoniaco etiam solus narrat *Mat.* quia de quo dicitur *Lu.* 11. non idem est isti, sicut patet per multas differentias.

Pharisæi autem dicebant : In Principe dæmoniorum eiicit dæmones.

Hic ponit calumniam : & quia non potest calumniari factum, calumniantur principium & virtutem, à qua fiunt opera factorum dicentes; quòd [In Principe dæmoniorum] Beelzebub [eiicit dæmonia] Idem autem ponitur *Infra* 12. & *Lu.* 11. In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Sed ibi confutantur per rationem; hic autem obruuntur per factorum euidentiam, quæ non maligni spiritus, sed optimi spiritus ostendant virtutem. *Isa.* 5. Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum : ponentes tenebras in lucem & lucem in tenebras. *Eccles.* 11. Bona in mala conuertens insidiatur, & in electis ponit maculam. Accidit autem in Pharisæis spiritualiter, quòd in præcedenti capitulo corporaliter accidit : quia dæmones expulsi ab obsessis intrabant in porcos; hic autem expulsi intrauerant spiritualiter in Pharisæos de sua falsa iustitia præsumentes; & veram iustitiam diabolo attribuentes. Et dum sic excæcantur, Christus instat operibus iustitiæ virtutes perficiens & Euangelium prædicans; & ideò in vltima parte confirmationis sermonis quasi epilogando multa comprehendit dicens.

Et circuibat IESVS omnes ciuitates & castella docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni; & curans omnem langorem & omnem infirmitatem.

Et tangit verbum, & verbi confirmationem in genere. Circa verbum dicit duos modos verbi, quod proposuit; doctrinæ videlicet, & prædicationis. Doctrinæ tangit diligentiam, cum dicit [Circuibat IESVS ciuitatem] Vbi erant ciuilitates disponentes ad gratiam per virtutes ciuiles [& castella] Vbi erant munitiones diaboli : vt poneret in eis præsidia Dei : implens illud *Prou.* 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum. *Prouer.* 8. Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam. Docens rationalia, & naturalia, quæ per rationem accipiuntur, sicut in antehabitis expositum est *supra* 4. Et hoc est secundum, quod dicitur circa verbum doctrinæ. *Isa.* 30. Non faciet auolare à te Doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & audies verbum post tergum monentis. Et tertiò captatur (aliàs coaptatur) locus publici conuentus piorum ibi [in Sinagogis eorum] Non in angulis, vel cubiculis mussitans, sed palam ostendens id, quod dicitur *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum *Io.* 18. & *Matth.* 26. Ego semper palam locutus sum, & in abscondito locutus sum nihil.

Et prædicans Euangelium regni] Et hic est secundus modus verbi. Prædicantur enim quæ fidei sunt, quæ supra rationem existentia per infusionem in cor hominis descendunt : & prædicans dabat formam Euangelij boni nuntij, quæ forma est gratia. *Eph.* 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus est ad ædificationem, vt det gratiam audientibus. Et adhibuit optimum finem : quia prædicauit Euangelium [regni] hoc est, ducens ad æternum regnum. *Sap.* 6. Concupiscentia sapientiæ conducit ad regnum perpetuum. Sic ergo substantia dictorum, fuerunt credenda, forma, bona gratia; & finis, regnum perpetuum 1. *Reg.* 7. Simile quid dicitur de Samuele. Per singulos annos circuiuit Bethel, & Galgalam, & Masphath, & iudicabat

bat Israël. Dabat autem in hoc formam Prælatis, vt eadem solicitudine girantes gregem sibi commissum visitarent. *Act* 20. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et subiungit de confirmatione sermonis dicens [Et curans omnem langorem] magnum, quia Langor dicitur longus augor, qui est cum substantiæ & virium destitutione: & omnem infirmitatem minorem, quæ destituit vires ab operatione. *Eccl.* 10. Langor prolixior grauat medicum: breuem langorem præcidit medicus. *Iere.* 17. Sana me, Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. *Lucas* 13. Sanitates perficio hodie & cras: & die tertia consumor. *Act.* 10. Pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo. Nunc autem vicarij Christi sunt sicut arca Domini, & non Dominus: quia quocumque deueniunt, ibi plaga desæuit in homines. 1. *Reg.* 5. Exclamauerunt dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum. Sic igitur consummata est pars, quæ est de confirmatione sermonis.

CAP. X.

Videns autem Iesus turbas, misertus est eis: quia erant vexati & iacentes sicut oues non habentes pastorem.

POstquam produxit *Matthæus* faciem Christi per venerationem & regenerationem & vocationem regeneratorum & generantium: ad faciem hominis (quæ ratio vocatur in doctrina rationabili & confirmatione doctrinæ) consequenter attendens, quia facies non est completa sine membris, inducit hic corporis illius ordinationem, cuius faciem ante descripsit: vt omnes ostendat occurrere in vnum perfectum hominem in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et durat hæc pars vsque ad vigesimum sextum capitulum, vbi incipit agere de his, à quibus omnia Ecclesiastica trahunt virtutem & vigorem, & efficiendi causam, quod efficiunt. Est autem ordo huius corporis, cui facies illa imprimitur, duplex: & propter hoc sunt hic duæ partes, quarum vna est in ordine Prælatorum: & altera est in communi ordinatione corporis secundum dispositionem, qua Prælati ordinantur ad subditos, & econuerso: & secundum quod Prælati ad Prælatos, & subditi ad subditos sub vna humana & rationabili facie Christi degentes. Primò ergo in isto capitulo docet Prælatorum institutionem: & à sequenti capitulo docet totius mystici corporis ordinationem. De Prælatis autem in genere docet tria, scilicet Institutionis eorum necessitatem, & institutionis eorum sinceritatem, & institutorum secundum officia ordinem. Necessitatem autem ostendens dicit tria sub tribus paragraphis, quorum primum est populi destitutio à regimine bono: secundum, habilitas optima populi ad regendum: tertium est imploratio Dei de promissione regentium. Circa primum dicit tria, misericordiam Domini bona populi prouidentis, miseriam populi, & causam miseriæ.

Misericordia consistit in tribus, scilicet, in misericordiæ intuitu, cùm dicit [Videns autem IESVS] In multitudine miserandorum, cum dicit [turbas] quia Patris est magis moueri ad miseriam multorum quàm paucorum. Et tertiò consistit in miserationis affectu, cum dicit [misertus est eis] 2. *Cor.* 1. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. *Luc.* 10. Videns eum misericordia motus est, & appropians alligauit vulnera eius. Hoc enim fecit Samaritanus custos hominum generi humano.

Quia erant vexati & iacentes] Hoc est secundum: & tangit duplicem miseriam ex defectu Prælatorum, vexationem, & iacendi in peccatis positionem. Est autem triplex vexatio, vna, quæ est per errores diuersos iactatio ex defectu doctrinæ prouenienis. [illegible] 9. Populum tuum humiliauerunt, & hereditatem tuam vexauerunt *Thren.* 5. Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies. *Dionysius* dicit, quòd caput est mens, & corpus inferiores vires animæ, & ceruix (quæ continuat caput corpori) est opinio, & subiecta est errori: & ideò ceruice minatur, qui errore opinionum distrahitur. Secunda vexatio est inquieta de peccato in peccatum præcipitatio. [illegible] 5. Lassati sumus in via iniquitatis *Osea* 4. Mendacium & adulterium & furtum inundauerunt: & sanguis sanguinem tetigit. Et hæc prouenit ex Prælatorum mala vita. Tertia est ex iniqua oppressione & spoliatione. *Isa.* 3. Populum meum exactores sui spoliauerunt: hæc prouenit ex iniqua Prælatorum potestate [Iacentes] Secunda miseria, quæ positione corporis quietem & securitaté significat in peccatis: quæ prouenit ex Prælatorum torpore *Thren.* 2. Iacuerunt in terra foris puer & senex, Iuuenes mei, & virgines meæ ceciderunt.

Vnde tertio horum defectuum subiungit causam [sicut oues non habentes pastorem] Et per oues simplicitatem (& seducibilem & ad bonum conuertibilem) significat subditorum. Per pastores autem officium & affectum & actum significat Prælatorum 3 *Reg.* vlt Vidi cunctum Israël dispersum in montibus sicut oues non habentes pastorem. *Ezech.* 34. Factæ sunt oues meæ in deuorationem bestiarum agri: eo quòd non esset pastor. Defectus autem pastorum dupliciter intelligitur: aut enim nullus est pastor: & hoc modo non loquitur hic Dominus: aut quia non exhibet (alias adhibet) affectum & officium & actum pastoris: & hoc modo Pontifices habens multos & Sacerdotes, non habuit populus pastores. *Iere.* 50. Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos *Ezech.* 34. Lac comedebatis, & lanis operiebamini: & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.

Cum dixit discipulis suis: Messis quidem multa; operarij autem pauci.

Ecce secundum, vbi tangit aptitudinem populi ad conuersionem: & dicit duo. Populi scilicet aptitudinem, & Doctorum paucitatem. De primo dicit [Messis quidem multa] Quos primum dixit oues, propter simplicitatem & mansuetudinem, hic dicit messem, propter operum bonorum fructificationem: Et dicit [messis] Non semina: quia

quia diu antè promissionibus in Patriarchis, figuris in Patribus, præceptis in lege, doctrinis in Prophetis, satum fuit. Sed tempore collectionis in horreum Ecclesiæ & cæli, non fuit nisi reuelatæ gratiæ tempore. *Ioan.* 4. Videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem. Vnde quod priores Sancti in lacrymis de absentia gratiæ seminauerunt, Apostoli colligentes in gratiam cum gaudio messuerunt. *Psal.* 125. Euntes ibant & flebant mittentes sua semina: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. *Apoc.* 14. Mitte falcem tuam, & mete: quoniam maturauit messis terræ. *Ioel.* 3. Mittite falces, quoniam maturauit messis.

Operarij autem pauci] Operarios vocat, quos priùs pastores: quia plus attenditur operibus, quàm verbis. *Iere.* 3. Dabo vobis operarios secundum cor meum: & pascent vos scientia & doctrina. Scientia autem est habitus bene conuersandi, vt dicit *August.* *Matth.* 20. Voca operarios & redde illis mercedem suam. Non dicit: loquentes & concionantes. *Rom.* 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. Doctor enim verbis propriis se ostendit ad opera obligatum. *Prou.* 6. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Tales igitur Doctores operarij sunt pauci. *Matth.* 20. Multi vocati; pauci verò electi. Quia sicut dicitur *Ioan.* 6. Vnus de duodecim diabolus est.

Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

Ecce tertium: & dicit duo, quorum vnum est instructionis: vt in positione Prælatorum rogetur, vt quem scit expedientem. *Act.* 1. Orantes dixerunt: Tu Domine, qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris, vnum ex istis. Secundum autem est missio, non concionantium, sed operariorum [in messem suam] quoniam & semen suum est, & fundus. *Ioan.* 4. Ego misi vos metere, quod non seminastis. Et attende quòd dicit [vt mittat] Et non patiatur, quòd seipsos intrudant. *Hebr.* 5. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Quod enim aliquis seipsum ingerat, non potest fieri; sed tempore necessitatis vocanti se potest præsentare. *Isa.* 6. Domino dicente: quem mittam, & quis ibit vobis? dixit Isaias: Ecce ego: mitte me. Econtra autem Moyses, Ieremias & Ezechiel quantum potuerunt apud Deum (qui tamen vocans non errare potest) se excusauerunt: multò ergo magis apud hominem talis excusanda est missio.

Et conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos, & curarent omnem langorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem nomina discipulorum hæc sunt: Primus Simon qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Thomas, & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphæi: & Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum.

Hic incipit secunda pars, vbi ponitur institutio Prælatorum: & dicuntur duo, scilicet, potestatis collatio, & Prælatorum nominatio. De primo dicit duo, conuocationem, & potestatis collationem. De conuocatione dicit [Et conuocatis] Non dicit, vocatis: quoniam ante vocati sunt: nec dicit, electis: quia ante Apostolatum electi, sicut dicitur *Lu.* 6. Sed [conuocatis] Vt hi, qui electi sunt in vnum concordiæ prædicandorum, tenderent & in vnum concordiæ charitatis, 1. *Cor.* 1. Obsecro vos, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. *Psal.* 55. In domo Dei ambulauimus cum consensu. *Ioan.* 14. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionē habueritis ad inuicem [duodecim discipulis] tanquam capitibus, à quibus vnguentum in alios descendere debuit. Sunt autem duodecim apertè: quia duodenarius non habet partes nisi vnum, duo, tres, quatuor, sex. Vnum verò competit doctrinæ vnitati: duo autem competit præceptis geminæ dilectionis, quæ est forma vitæ: tres autem Trinitati personarum, quæ sunt subiecta (aliàs substantia) in prædicanda fide: quatuor virtuti in ordinanda omni passione; sex autem perfectioni in opere. Significatur ergo in 12. filiis Iacob *Gen.* 35. quoad auctoritatem, in duodecim fontibus in Helym repertis, quoad Doctrinæ fusionem *Exod.* 15. In 12. lapidibus vestis Sacerdotalis *Exod.* 28. quoad exempli fulgorem. In 12. panibus propositionis *Leui.* 24. quoad gratiæ virtutis refectionem. In duodecim lapidibus positis in ripa Iordanis *Iosue.* 4. quoad constantiæ stabilitatem. In duodecim bobus 3. *Reg.* 7. quoad maturitatem. In 12. stellis in corona sponsæ *Apoca.* 12. quoad cælestium contemplationem & lucem. Et ideò etiam murus ciuitatis Ecclesiasticæ habet duodecim fundamenta, & duodecim portas, & Apostolorum nomina & agni inscripta, *Apoca.* 12. Fundatur enim in ipsa Ecclesia, quoad veritatis fidei immobilitatem: & est per eos introitus ad regnum Dei, quoad vsus clauium collationem. *Matth.* 16. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et *Ibidem*, Et tibi dabo claues ligandi & soluendi regni cælorum.

Dedit illis] Ecce secundum de collata potestate: est autem data super contrariam potestatem. Et quoad hoc dicit [potestatem spirituum immundorum, vt eiicerent eos] quia illi incurabiles sunt: & data est eis ad curam corrigibilia defectus, qui impedit promotionem ad bonum. Et quoad hoc dicit [& curarent omnem langorem, & omnem infirmitatem] Et dicitur langor longus angor: & hic non potest esse grauiter affligens. Et plerumque causatur ex humore frigido. Infirmitas autem secundum suum nomen destruit virtutem, & hoc fit cum consumptione substantiæ: & ideò est acerbius affligens, sicut innuit hic *Gl.* Langor ergo est defectus conferendi [illegible]: & infirmitas inflammatio concupiscentiæ carnalis. De primo *Isa.* 1. Quiescite agere peruerse: discite benefacere. De secundo *Osea* 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente.

Duodecim autem discipulorum nomina] Deo nota

nota, in cælis conscripta [sunt hæc] *Hebr.* 12. Ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis [primus] dignitate, non vocatione, propter quod vertex dicitur Apostolorum [Simon] proprio nomine [qui dicitur] à Christo [Petrus] *Io.* 1. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur petrus [& Andreas] Non secundus: & sic deinceps: quia omnes subditi Petro sunt æquales [frater eius] Non tam carne quàm spiritu. In hoc autem notatur fraternum & mutuæ societatis emolumentum. *Prou.* 18. Frater, qui adiuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. *Luc.* 5. Innuerunt sociis, qui erant in alia naui, vt venirent & adiuuarent eos. *Lu.* 10. Misit eos binos in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus. Et attende quòd licet Petrus vertex dicatur primus: non tamen dicitur Andreas secundus, nec Philippus tertius, & sic deinceps: sed omnes secundi sunt Petro ad iurisdictionem: quia non vnus sub alio, sed omnes sub Petro [Philippus] conciuis Petri & Andreæ *Ioan.* 1. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri. Hunc autem Philippum *Io.* 6. quintum ponit post duos introductos, & post Iacobum & Ioannem: fortè coniungens quatuor ratione consanguinitatis & familiaritatis; *Matthæus* autem respicit ad modum vocationis: quia post Andream & Petrum fuit vocatus. *Ioan.* 1 In crastinum voluit exire in Galilæam & inuenit Philippum, & dixit ei: Sequere me. [& Bartholomæus] Hunc sexto loco ponit *Lucas*. *Marcus* autem, tertium post Petrum ordinat Iacobum & Ioannem; sed ipse simul ponit eos, quibus Christus nomina mutauit. Vnde dicit, quòd Iacobum & Ioannem vocauit Boanarges, hoc est, filios tonitrui propter sonum prædicationis, & miraculorum coruscationem. Et quarto loco *Marcus* ponit Andream: & illi ratione conciuilitatis & vocationis coniungit Philippum. Et subiungit huic Bartholomæum, sicut hic. Sed *Matthæus* ne videretur in ordine Apostolorum affectus carnalis attendi, inter consobrinos interponit Philippum: & ne videatur attendi amicitia mundana, quæ collactaneorum est & connutritorum, interponit etiam Bartholomæum [Iacobus Zebedæi] Supple filius [& Ioannes frater eius] Hi fuerunt consobrini Domini. Vnde ne iterum poterat consanguinitas attendi, interponit [Thomam & Matthæum] publicanum, Sed tam *Marcus* quàm *Lucas* præponunt Matthæum Thomæ: *Matthæus* autem se postponit propter humilitatem, propter quam etiam se publicanum vocauit. Et notetur in eo quanta sit vis gratiæ, sicut ostenditur in prologo istius libri.

In cæteris autem ordo idem est apud tres concordes Euangelistas [Et Iacobus] Alphæi, supple filius, & ille Iacobus minor, qui propter similitudinem vultus cum Domino, & imitationem religionis: & Episcopatus in Ierusalem successionem, frater Domini vocatus est *Gal.* 1. Aliunde Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini [& Thaddæus] qui Iudas Iacobi in Luca vocatur; quia Iacobi minoris fuit frater; qui ex primogenitura & dignitate Episcopali præfuit vt pater; & ideo ab eo denominatur sicut à patre [Simon Cananæus] hoc est, à Cana Galilææ natus, qui in *Luca* Zelotes dicitur; quia Cana zelus interpretatur. Et hi tres fratres fuerunt filij Mariæ, sororis beatæ virginis ex Alphæo, sicut Iacobus maior & Ioannes fuerunt filij Mariæ sororis beatæ virginis secundæ; quæ & Salome vocatur à patre suo. Vnde versus.

Anna tribus Ioachim, Cleopha, Salomeque Marias.
Tres parit, has ducunt Ioseph, Alpheus, Zebedæus.
Christum prima, Ioseph, Iacobum cum Simone, Iudam.
Altera, quæ sequitur Iacobum parit atque Ioannem.

Anna enim ex tribus viris peperit tres Marias. Ex Ioachim matrem Domini. Ex Alphæo matrem Ioseph, qui cognominatus est iustus, qui cum Matthia positus est sorte eligendis *Act.* 1. & Iacobum minorem & Simonem & Iudam Iacobi, siue Thaddæum. Ex Salome autem peperit Mariam, matrem Iacobi maioris & Ioannis. Harum trium Mariarum sponsi tres fuerunt. Ioseph Matris Domini, Alphæus quatuor fratrum pater sponsus secundæ, & Zebedæus pater duorum maritus tertiæ [Et Iudas Iscariotes] à vico, vnde natus erat [qui & tradidit eum] vt notetur, quòd locus altus non fructificat; sed fides & charitas & deuotio in Deum. *Ioan.* 6. Nonne ego vos duodecim elegi: & vnus ex vobis diabolus est?

Hos duodecim misit IESVS; præcipiens eis, & dicens:

Hic tangitur institutorum ordo secundum officia: & tangit duo, ordinis rationem, & officij actum. Ratio autem determinatur secundum duo, secundum auctoritatem, & secundum executionis necessitatem. Auctoritas tangitur, cùm dicitur [Hos duodecim misit IESVS] quoniam auctoritas est ex missione. *Rom.* 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? *Mar.* 3. Fecit, vt essent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare. *Lu.* 10. Misit illos binos ante faciem suam. Deinde tangit executionis necessitatem dicens [præcipiens eis & dicens] Et ex hoc accipitur, quòd necessitas doctrinæ incumbit subditis. Sicut semper incumbit, quòd Prælatus peccat mortaliter, si non prædicat: ergo per consequens mortaliter peccat, si non acquisiuit scientiam 2. *Tim.* 4. Testificor coram Deo & Christo IESVS & per aduentum eius, & regnum ipsius prædica verbum, insta opportune importune. Ex his vlterius accipitur, quòd prædicare debent per se ipsos, & si necesse est, dispensare iudicia & temporalia ad vsus pauperum per alios *Act.* 6. Non est æquum nos relinquere verbum, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres ex vobis viros septem boni testimonij, plenos Spiritu sancto; quos constituamus super hoc opus; nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus.

In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israël.

Ecce ordo; & habet duas partes: Primò enim ponitur ordo doctrinæ, & secundò ordo vitæ. Ordo doctrinæ determinatur secundum quatuor: dicitur enim cui prædicandum, & quid prædicandum, quomodo prædicatum confirmandum, & qua

qua prædicandum intentione & modo. In primo autem tangitur primò cui non prædicandum, & postea cui prædicandum. Duo autem genera hominum sunt, quibus non est prædicandum. Gentes. s. & Samaritani. De Gentibus ergo dicit [In viam Gentium] hoc est, in viam, quæ ducit ad Gentes [ne abieritis] Ire enim ad Gentes, erat abire illo tempore. *Act.* 10. Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. Vnde ista particulari & prima missione prohibuit Christus, ne irent ad Gentes; post resurrectionem autem misit prædicare omnibus Gentibus. *Mar. vl.* Ite, docete omnes Gentes. & *Mar. vl.* Prædicate Euangelium omni creaturæ Dei. Modò autem ante resurrectionem non misit nisi ad Gentem suam, hoc est, ad Iudæos, & hoc tribus de causis, prima est: quia promissio facta est Iudæis, & inter illos primum oportuit testificari gratiæ promissæ exhibitionem. *Act.* 13. Nos annuntiamus vobis eam, quæ ad patres nostros facta est repromissio. Secunda causa est: quia salus ex Iudæis est, & ex illis in totum mundum erat deriuanda. *Ioan.* 4. Salus ex Iudæis est, *Isa.* 27. Qui ingrediuntur impetu ad Iacob, florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine. Tertia causa est, ne rationabilem causam habere videantur Iudæi, quòd non recipiunt verbum Dei, si priùs irent ad Gentes. *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus. *Isa.* 49. Parum est mihi, vt suscites mihi tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Gentes autem cum nec legem recipiant, nec Prophetas, in toto immundæ sunt: vnde significantur per canes. *Su.* 7. Nolite sanctum dare canibus. *Mat.* 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum.

Et in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis] Quia si (aliàs qui) receperunt legem, & non Prophetas, significantur per porcos. *Sup.* 8. Porcus enim partim est mundum animal, quia vngulam diuidit: partim immundum, quia non ruminat. Sed tunc quæritur, quare non dicit: in viam Samaritanorum ne abieritis? Et dicendum, quòd hoc caueri non poterat: quia inter Iudæos commistim habitabant, & sæpe eos communis via duxit ad Samaritanos & ad Iudæos; sed suffecit, quòd non intrarent in ciuitates, vt habitarent cum eis. *Ioan.* 4. Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Sed contrà. *Ioan.* 4. Christus intrauit in ciuitatem Samaritanorum, & prædicauit ibi, & mansit cum eis. Ad hoc dicendum, quòd hoc fecit in transitu & parum, non quasi veniret ex intentione.

Sed ite potiùs ad oues] Hoc est secundum: & determinat, cui sit in prima missione prædicandum. Et vocat Iudæos [oues] propter simplicitatem & vtilitatem & mansuetudinem patrum: & hoc est, quod sequitur [domus Israël] hoc est, familiæ Israel. Decebat enim lucernam esse super candelabrum, hoc est, Euangelium super legem. Et decebat esse columnam, cui domus Ecclesiæ innititur super basim legis. Et tandem oportuit, vt ibi testimonium acciperet veritas, vbi testes eius cognoscebantur, & vbi testimonium illud intelligebatur. Et hoc ordine dicitur *Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in Iudæa & in Samaria & vsque ad vltimum terræ. *Mat.* 15. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. 1. *Pe.* 2. Eratis quasi oues errantes; sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.

Euntes autem prædicate dicentes: quia appropinquauit regnum cælorum: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite.

Hic tangitur quid est prædicandum dicens [Euntes &c.] Dicit autem hic quatuor; diligentiam, cum dicit [Euntes] *Mar. vl.* Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium. *Psal.* 125. Euntes ibant & flebant. Secundò modum docendi, cum dicit [prædicate] Prædicantur enim ea, quæ super nos sunt, sicut dicit *Christ.* 1. *Cor.* 2. Quod oculus non vidit, nec auris adiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Tertiò quid prædicandum [quoniam appropinquauit] quoniam cum regnum sit iustitia, & legum distributio: hoc continue appropinquat, quando iustitia exercetur. *Mat.* 3. Appropinquabit enim regnum cælorum. *Isa.* 14. Prope est, vt veniat tempus eius, & dies eius non longabuntur. *Heb.* 10. Adhuc autem modicum aliquantulum, & qui venturus est, veniet, & non tardauit. Quartò tangit quid appropinquat: quoniam [regnum cælorum] In quo differt Euangelium secundum finem à lege Moysi, quæ non promittebat nisi terrena *Deuter.* 33. Tantum modo occulus Iacob in terra frumenti vini & olei. Sed Euangelium promittit cælestia. *Sap.* 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei 1. *Cor.* 15. Qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cælestis, tales & cælestes. *Ioan.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur: & qui de cælo venit, super omnes est.

Infirmos curate] Ecce qualiter res prædicata confirmanda. Et attende, quòd omne, quod impedit ad bonum, aut est impediens secundum retractionem à bono; aut secundum priuationem boni. Adhuc, aut impediens intra, aut extrà distinctum à nobis. Adhuc, aut est secundum corruptionem humoris, aut vasis, quod corruptum corrumpit id, quod est intra ipsum, & propagat corruptionem ad membra. Et primò quidem est cura infirmorum: secundò suscitatio mortuorum: & hæc à principio nobis intraneo. sed à principio extraneo est eiectio demonum, quod est tertium: quartum autem est mundatio leprosorum. Infirmitas autem est ex multitudine venialium & impedimento secularium curarum. 2. *Paral. vl* Incuruatus sum multo vinculo ferri: & non est respiratio mihi. Mors autem est per peccatum mortale, vel desperationem. *Isa.* 26. Viuent mortui tui, Domine, interfecti mei resurgent. Eiectio dæmonis est per liberationem tentationis. *Tob.* 12. Dæmonium ipse ab ea conpescuit. Leprosus Morpheis & maculis plenus, hæresis est, quæ corrumpit verbi pabulum ex corruptione mali vasis, hoc est, cordis. *Ioan.* 29. Noli esse incredulus, sed fidelis,

Gratis accepistis, gratis date.

Hoc est quartum de modo proponendi verbum: & intelligitur tripliciter, gratis communicando, grate proponendo, & in sermone gratioso. Primum est liberalitatis, secundum charitatis, tertium discretionis. De primo *Isa.* 55. Absque vlla commutatione bibite vinum & lac. *ibi.* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia existimasti donum Dei pecunia possidere. De secundo *Gal.* 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos, qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris. De tertio *Colos.* 4. Sermo vester in gratia sale sit conditus. *Eph.* 4. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed siquis bonus est, ad ædificationem, vt det gratiam audientibus. Sic ergo [gratis date] quia in spiritu furoris spiritus sermo propositus non auditur. 3. *Regum* 19 Spiritus magnus conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio. Supple turbationis. Non in commotione Dominus, & post commotionem ignis, & post ignem sibilus auræ tenuis, ibi Dominus: quia sibilus ille dulcedinem significat lenitatis.

Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: Dignus est enim operarius cibo suo.

Ordinata doctrina hic ordinat vitam: & est duplex ordo, secundum virtutem videlicet, & secundum auctoritatem apostolicam. Secundum est *Ibi* Qui recipit vos, me recipit] In ordine, autem, qui est secundum virtutem, duo facit: tangit enim primò, qualiter se habeant ad concupiscibilia mundi: & secundò qualiter se habeant ad eiusdem mundi periculorum aduersa *Ibi* [Ecce ego mitto vos] Adhuc ad mundi concupiscibilia dupliciter ordinat, scilicet, secundum superflui abdicationem, & secundum vsus necessitatē *Ibi* [in quamcunque autem ciuitatem] In primo autem horum dicit duo: primò enim indicit abdicationem huius mundi concupiscibilium, & secundò ne desperent, infirmitatis concedit solatium *Ibi* [Dignus enim est operarius &c.

In primo autem horum inducit quinque, quæ sic accipiuntur. Cura vltra præsens necessarium extensa, aut est ad prouisionem temporalis boni, aut ad defensionem violenti mali. Si autem est ad prouisionem boni; aut hoc est boni, quod generaliter pro bonis omnibus est commutabile: aut boni, quod prouiderur in vsum vitæ; & generale quidem commutabile in omne, quod concupiscitur, est aurum & argentum, & pecunia in zonis. Et hoc distinguitur: quia aut est commutabile in potentia, vel in actu. In potentia quidem est aurum & argentum: in actu autem pecunia: & ideò ligatur in zonis, vt ad manum sēper parata habeatur: aurum autem est id, quod ad magnas est commutationes & argentum ad communes. Si autem est prouisum in vsum vitæ, aut est de ordinatis ad victum, & hoc significatur in pera: aut de ordinatis ad vestitum: & hoc est dupliciter: aut secundum vsum corporis, & hoc est duæ tunicæ: aut est secundum vsum membri spiritualiter fatigati in itinere, & hoc est calceamentum; sed ad defensionem violenti mali est virga. Nec credendum est, quòd Dominus curam necessitatis prohibeat: quia *Ioan.* 4 secum pecunia in zona deferebatur: quia ibi discipuli abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Et *Ioan.* 13. dicitur, quòd Iudas ea, quæ emebantur, portauit, & loculos habuit. Et *ibi.* 8 & 22. quòd mulieres ascenderunt à Galilæa, & de facultatibus suis Domino ministrabant. Sed potiùs, sicut dicit *Chrys.* Cum primos prædicatore mitteret, propter instantiam prædicationis non poterant cogitare de futuris abundantiis, nisi retraherentur ab instantia prædicationis: & cum in primis oportuerit instantissimè prædicare, & non retrahi: ideò futurorum interdixit illis solicitudinem. Cum autem instantia talis postea orbe conuerso necessaria non fuerit, ad talia non obligantur. Adhuc, sicut dicitur *Mar.* 3. Istos duodecim non adhuc in totum orbem misit; sed secum esse voluit, vt eos mitteret ad Iudæos, quibus dictum fuit, quòd peregrinos reciperent: & ideò in tali commissione minor fuit cura habenda futuræ copiæ. Postea autem cum ad Gentes, legem non habentes miserat; illud relaxauit *ibi.* 22. Quando misi vos sine sacculo, & sine calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Et Iesvs dixit eis: Et nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam, & emat gladium. Sic ergo intelligitur, quod hic inducitur.

Dicit ergo [Nolite possidere] Iurisperiti dicunt, quòd possessio dicitur quasi pedum positio. Hermes autem Trimegistus dicit, quòd possessio dicitur, quod post sedet, hoc est, in quo post, non simul, nec ante sedetur: & hoc est solatium infirmitati datum: quia id, quod sumus, diuinum est & imago Dei: quod cum illo sumus, infirmum est: & hoc infirmum, vt sustentetur, sedet in bonis fortunæ: eo quòd & ipsum fortunæ subiacet & casui: quod non facit diuinum, quod est in nobis. Et ideò possidere dicit quietem in eo, quod possidetur secundum Trimegistum, & immobilitatem secundum Iurisconsultum. Et hoc modo Doctoribus religionis christianæ interdicitur possidere aurum: & permittitur, vel conceditur habere ad vsum. *Tobiæ* 12. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna magis quam thesauros auri recondere.

Neque argentum] *Act.* 2 Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. *Act.* 20. Argentum & aurum nullius vestrum concupiui. *Phil* 4 Non quæro datum, sed fructum in ratione vestra. *Isa.* 13. Ecce suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint; sed sagittis paruulos interficiant. Medi adæquantes, & mensurantes interpretantur: & significant Apostolos, qui ad iustitiæ æqualitatem, & sapientiæ mensuram orbem redegerunt: nihil nisi salutem animarum quærentes. Sed acutis sagittis auctoritatum ab arcu scripturæ excussis, paruulos, qui ad Christum veniunt, interficiunt: vt iam non sibi viuant, sed Christo.

Neque pecuniam in zonis vestris? Hoc est, multū contra dogma eorum, qui in Prædicatoribus mendicitatem expugnant & condemnant vnde *Hiero.* qui diuitias detruncauerat prope modum, vitæ necessitatem

cessitatem amputat, vt Apostoli veræ religionis Doctores omninò Dei prouidentia gubernati ostenderent se nihil de crastino cogitare. *Eccl.* 10. Auaro nihil iniquius quàm amare pecuniam. Hic enim & animam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua.

Neque peram] Pera hic sumitur pro instrumentis, in quibus esculentum, vel poculentum in futurum præparatum deportatur. Vnde *Iosue* 9 Gabaonitæ; qui in peris & vtribus esculentum & poculentum portauerunt, deceperunt filios Israel. Gabaonitæ procliues iniquitate interpretantur: & significant eos, qui ventri dediti de officio prædicationis, quærunt implere peras voluptatis, & vtres vino, in quo est luxuria. *Ro.* 16. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentum. *Phil.* 3. Quorum Deus venter est, & gloria in confusionem. Peras enim tales non portant, nisi quibus apposita non sufficiunt; sed delicatiora procurant, quod non erat illis necessarium, qui tantum secum habuerunt procuratorem: & tempore pacis mittebantur, & inter eos, quibus præceptum fuit, vt peregrinos vocarent, & partes eis mitterent, qui non præparauerunt sibi *Neemiæ* 8.

Neque duas tunicas] hoc est, superfluas: duæ enim tunicæ dicuntur, aut duæ in numero, aut duæ in vsu vtentis: & secundo modo sunt superfluæ: quia, sicut dicit *Hiero* in locis Scythiæ glaciali frigore rigentibus vna sufficit tunica. 1. *Timoth. vlt.* Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *Iaco. vlt.* Agite nunc diuites: plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis, diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt: aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorũ erit vobis in testimonium, & mãducabit carnes vestras.

Neque calceamenta] Pluraliter dicit: quia calceamentum est necessarium, quod intelligitur habuisse Dominus *Ioan* 1. cum dixit Ioannes: Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius. *Marci* 6. Calceati pedes sandaliis. *Act.* 12. Calcea te caligas tuas. Caliga enim est dicta à calx & ligare: sicut & calceus à calce dicitur. Et si dicas, quòd sandalia sunt soleæ alligatæ, verum est: tamen in extremitate illæ soleæ habebant coria defendentia, ne lapilli arenarum infra pedem & soleas incederent: & hoc factum fuit ad commodum: quia terra calida est, & arenosa Palestina: & quia arenosa est, dantur soleæ: & quia calida est, & pes ex motu amplius calescit, vt refrigeratio custodiat pedis virtutem, permittuntur superiùs esse apertæ. *Exo.* 12. Calceamenta habete in pedibus. *Eph.* 6. Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis *Can.* 7. Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis. Fuerunt autem quidam hæretici, vt dicit *Aug. in li. de hæresibus*, qui vocantur discalceati: qui propter istud verbum dixerunt non vtendum esse calceamentis, inducentes hoc, quod dicitur *Exo.* 3. & *Iosue* 5. Ne appropies huc; sed solue calceamẽtum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et dixerunt: quòd non potest quis ad Deum accedere calceatus, errantes scripturas non intelligentes: quia hoc dictum est ideò, quòd morticina pellis non sit in affectu.

Neque virgam] Contrarium videtur *Mar.* 6. vbi dicitur, quòd præcepit eis, ne quid in via tollerent, nisi tantum virgã. Vnde *Exo.* 4. Virgam quoque istam tolles tecum in manu tua, in qua facturus es signa. Responsio *Augustini* est, quòd est virga directionis, quæ est in Prælato, de qua dicit *Isai* 44. Virga directionis, virga regni tui: & in hac virga potestas est sumendi ad sustentationem corporis. & hanc dicit *Marcus* tollendam. Est etiam virga impugnationis & defensionis mundani (aliàs humani) auxilij: & hæc non est tollenda; sed præsidio Domini committat se, qui debet studere conuersioni populi. Quia sicut dicit *Chrys.* qui prædicat infidelibus, studet, vt auferat ritus malos: & ex hoc indignantur homines, & commouentur & mala inferunt. Et si se Prædicator ab his defendit: auertit à se populum, & non cõuertit eum. Et ideò Martyres patientia & morte vicerũt. Vnde Gedeon castra Madian euertit complosis lagunculis & sonantibus tubis & micantibus lapidibus, clamantibus viris eius: gladius Domini & Gedeonis *Iudicum* 7. Complodere autem lagunculas est castigando confringere corpora & in seruitutem redigere, & micare lampadibus est miracula optimorum exemplorum adhibere: tuba sonare est verba prædicationis clarè proponere: & sic vincit gladius verbi Domini, & Prædicatoris. *Rom.* 12 Non vosmetipsos defendentes charissimi; sed date locum iræ. Hoc ergo modo præsidium mundanum non quærere, est baculum in via non tollere. *Isa.* 36 Ecce confidis super baculum istum confractum super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius & perforabit eam: sic Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo. *Iere.* 17. Maledictus, qui confidit in homine, ponit carnem brachium eius.

Sed contra hoc videtur esse, quod dicitur *Luc.* 22. Ecce duo gladij hic: & dixit Dominus: satis est. Sed ad hoc dicendum, quòd arma defensionis, non impugnationis contra eos, qui nituntur subuertere fidem in plebe postquam ad statum fidei deuenit. Et ad hoc habet duos gladios Christi vicarius; vnum, quo ferit, qui est spiritualis potestatis: & alterum, quo licet non feriat: tamen ad imperium eius exerendus est, vt feriat: & hunc habet Ecclesiæ aduocatus, vel officiatus. Sed his non potest vti, qui infideles studet conuertere, sicut ostensum est.

Dignus enim est operarius cibo suo] Ne omninò dura videantur & intolerabilia, quæ dicta sunt: ideò mitigat hic ostendens necessaria tali operario esse digna. Hic enim operarius esse dicitur duplici ratione, vna quarum est, quia hoc, quod dicit verbo, opere demonstrat: secunda est, quia in conuersione animarum Deo cooperatur, quod dignissimum est genus operum. Primo modo cœpit IESVS facere & docere *Act.* 1. Secundo modo operatus est salutem in medio terræ. *Ioa.* 36. Operatorem meum probabo iustum. *Prou.* 13. Anima operantium impinguabitur. Hic igitur est dignus cibo, non voluptatis, sed necessariæ sustentationis. *Deuter.* 25. Non alligabis os bouis triturantis. 1. *Cor.* 9. Ordinauit Deus his, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere. *Gal.* 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo eis, qui se catechizat in omnibus bonis. 1. *Cor.* 9. Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est, si carnalia vestra metamus? 1. *Tim.* 5. Qui bene præsunt presbiteri duplici honore habeantur digni, maximè qui laborant

laborant in verbo & doctrina. 2.*Ti.*2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.

In quamcunque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis: interrogate, quis in ea dignus sit: & ibi manete, donec exeatis.

Hic determinat vsus vitæ necessitatem: & quia hæc tota est in recipientium hospitalitate: ideò duas habet partes. Prima est de receptione, & recipientibus: & secunda de non recipientibus *Ibi* [Et quicunque non receperit vos] In prima harum sunt tria: primum est de honestate hospitis, secundum, vt dicit *Hiero.* de iure immobilis hospitij: tertium de benedictione hospitij, quam meretur hospitalitas suscipientis, & largitur sanctitas eius, qui recipitur. Primum est secundum decentiam virtutis Prædicatoris: secundum est secundum stabilitatem iam fixæ in æternitate mentis: tertium est de copia exuberantis sanctitatis.

Dicit ergo [In quancunque ciuitatem] Vbi ciuitas est, studium, & vrbanitas exercetur [aut castellum] Vbi est præsidium terræ ciuitatem sustentantis Et in hoc innuit, quòd & sapientibus & insipientibus sunt debitores: & multis, & paucis esse prædicandum, & hominibus esse ingerendum. Vnde dicit [intraueritis] Vnde *Eze.* 2. Veni, mittam te ad eos. *Ioan.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis [interrogate] à conuicinis, vel conciuibus noscentibus honestos: ne turpitudine recipienti verbum prædicationis maculetur [quis in ea dignus sit] *Hiero.* Dignus est, qui plus se reputat accipere quàm dare, cum suscipit: & hoc dictum est secundum largitatis proprietatem, de qua dicit *Phi.* 0.0. quòd largi & magnifici est vel facere beneficium, & non contrapati, eo quòd sibi reputat nihil melius posse fieri quàm beneficium facere, 1.*Timo.* 3. Oportet illum testimonium bonum habere ab his, qui foris sunt. 3. *Ioan.* Charissime, bene facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimonium perhibuerunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ: quos benefaciens deducis dignè Deo.

Sed contra, quia ipse *supra* 9. Intrauit ad publicanum. *Luc.* 19. Ad Zachæum. *Infra.* 11. Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. *Sup* 9. Non est opus valentibus medicus. Cum ergo medici sint, nuntij sui ad ægrotos peccatores interrogare debent. *Iosue.* 2. Exploratores excepti sunt in domo meretricis. Sed ad hoc dicendum, quòd in prima hospitalitate honestum quærendum est hospitium; sed cum innotescit Prædicator, ad hoc est studendum, vt de inhonesto honestum faciat, sicut fecit Dominus & exploratores, & tunc in illo possunt manere; sed in quo turpia fiunt commercia, non decet hospitari Sanctos.

Et inde ne exeatis] Ecce prohibitio curiositatis discurrendi per domos. *Eccl.* 29. Vita nequam hospitandi de domo in domum: & vbi hospitabitur, non fiducialiter aget. Sed ponamus, quòd non recipiat, aut diu tenere non velit. Et dicendum, quòd si dignus est, omnia recipit, præcipuè cum non quæratur nisi cibus. *Heb.* 13. Hospitalitatis nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis. Et hoc est dictum *ibi.* Posset etiam dici, quòd in ratione digni hospitis tria includuntur: honestas vitæ, cuius pars est largitas hospitalitatis: & facultas copiæ, vnde suscipere possit: & benignitas exhibitionis, quòd non amaro vultu recipiat. Si tamen aliquis exeat de hospitio in hospitium, non causa leuitatis, vel voluptatis, non facit contra Euangelium: quia cum pluribus hospitans plures lucratur Domino. Vnde filij Iob dies conuiuij circulariter duxerunt in orbem: & sanctificauit tunc eos Iob, ferens holocaustum hospitalitatis pro singulis.

Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.

Ecce tertium de collationes benedictionis spiritualis ab hospite suscepto: & dicit tria, pacis scilicet, eulogium à suscepto exhibendum: pacis quietem super dignum: pacis cum fructu reditum ad hospitem ab eo, qui est indignus. Dicit igitur [intrantes autem domum] ad hospitandum [salutate eam] hoc est, familiam [dicentes: Pax huic domui] *Rom.* 12. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum hominibus omnibus pacem tenentes. *Is.* 52. Quàm pulchri supra montes pedes Euangelizantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem. *Supra.* 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Sic ergo salutantes conferunt plus, quàm accipiant. *Psal* 75. In pace factus est locus eius. Et est ista salutatio secundum consuetudinem hebraici & syri nominis, in quo dicitur Salemilach, hoc est, pax tibi; latinè autem est acsi dicatur: Aue, vel salue.

Et siquidem fuerit domus illa digna] *Luc.* 2. Pax hominibus bonæ voluntatis. Et ideò dignus est, in cuius bonam voluntatem Prædicator intrat [requiescet super eam pax vestra] Qui pacem cum Deo vestra exhortatione accipientes, permanebit pax, quam promulgatis & propagastis in eos per salutationem. *Phil.* 4. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, *Isa. vl* Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis,

Si autem non fuerit digna] quia non recipiendo vos & verba mea, se facit indignum. *Isa.* 57. Non est pax impiis, dicit Dominus, [ad vos reuertetur pax vestra] hoc est, pacis fructus & merces. *Psalm.* 119. Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis &c. Propter hoc dicit *Is.* 48. Vtinam attendisses mandata mea: multiplicata fuisset quasi flumen pax tua. Flumen enim fluit de vno in alium: & ita facit pax per eulogium pacis & prædicationem.

Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris.

Hæc est pars de non recipientium condemnatione: &

ne, & dicit duo, scilicet, quid Prædicator debet facere non recipienti se patrifamilias & familiæ: & de intolerabilitate condemnationis ipsius. De primo dicit [quicunque] Duæ sunt receptiones: vna est prædicantis in exterius hospitium: altera verbi in cordis consensum: & de his dicit. De prima [Quicunque non receperit vos] in domum extra. *Iud.* 19. Nemo vult nos in hospitium recipere. *Sap.* 19. Ignotos non recipiebant aduenas. 3. *Ioan.* Nec oterpes suscipit fratres: & eos, qui suscipiunt, prohibet [neque audierit sermones vestros] *Ezech.* 3. Domus Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me. *Act.* 7. Cum loqueretur Stephanus: continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eiicientes eum extra ciuitatem lapidabant.

Exeuntes foras de domo] si domus est alicuius [vel de ciuitate] si omnes simul contradicunt. *Psal.* 54. Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate die ac nocte: super muros eius iniquitas: & labor in medio eius & iniustitia: & non defecit de plateis eius vsura & dolus. Non ergo maneatis in ea; sed [excutite puluerem de pedibus vestris] Puluis in pedibus signum est itineris vt dicit *Tullius.* Vnde sensus est. Fatigationem assumpti pro eis itineris contra eos ostendite in rationem maioris eorum condemnationis & Apostolorum liberationis. *Eze.* 3. Si annuntiaueris ei, ipse in peccato suo morietur: Tu autem animam tuam liberasti. *Act.* 20. Innocens ego sum à sanguine omnium vestrum: Non enim effugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Hanc expositionem puto literalem. Alia etiam est, quòd puluis significat temporalia parua, quæ excutienda sunt in eos, ne putent propter temporalia sibi ingeri verbum. *Apoc.* 18. Exite de illa, populi meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis: quia peruenerunt peccata eius vsque ad cælum. Et isti sunt tripliciter accusabiles: quia nihil adhæsit eis de pace Sanctorum, quæ peccatum deleret. Nihil remansit Sanctis de eleemosynis eorum, quòd pro eis interpellarent: & aggrauatus est contemptus eorum, cum Sanctorum verba non audirent, neque Sanctos susciperent. Et hæc etiam bona est expositio. Alia est expositio, quòd pulnis sunt minutæ negligentiæ, quæ contrahuntur ex solicitudine Prædicatorum: & quando solicitudo eorum non recipitur: etiam minuta, quæ occupati circa conuertendos contrahunt, in eos excutiuntur: quia eis imputantur. *Act.* 18. Contradicentibus & blasphemantibus Iudæis, excutiens Paulus vestimenta sua, dixit ad eos: sanguis vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad gentes vadam,

Amen dico vobis; Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.

Hoc est secundum, vbi tangit condemnationem eorum per comparationem ad Sodomitas. Dicit ergo [Amen dico vobis] hoc est, verè dico vobis [Tolerabilius erit] quoad iudicium condemnationis [terræ Sodo. & Gomorræorum] quæ (aliàs qui) principales erant in pentapoli subuersa per ignem & sulphur [in die iudicij] communis [quàm illi ciuitati.]

Videtur autem hoc esse falsum. *Genes.* enim 13. dicitur, quòd homines Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Non est autem accipere peius pessimo: ergo nulli sunt maiores peccatores quàm Sodomitæ, & per consequens in illis (aliàs nulla) damnatio erit intolerabilior. Ad hoc dicunt quidam, quòd non fit comparatio quoad omnia peccata; sed quoad quædam, quæ enumerantur *Eze.* 16. quòd manum egeno & pauperi non porrigebant. Et quoad hoc isti peccant plus: quia non tantùm non porrigunt ministris Dei: sed etiam volentes (aliàs nolentes) recipere sermonem abiiciunt. Et ideò quoad inhospitalitatem plus peccant isti, & plus puniuntur, quoad hoc peccatum. *Sap.* 16. Iustè enim patiebantur secundum suas nequitias. Etenim detestabilem hospitalitatem instituerunt. Sed hoc non videtur secundum *Glo.* quæ dicit, quòd ab eo plus exigitur, cui plus committitur: & ideò dicendum, quòd peccata multipliciter comparantur ad inuicem, & similiter pœnæ consequentes. Vno quidem modo peccatum secundum substantiam & actum comparatur ad alterum: & hoc modo, peccatum Sodomorum grauius est peccato istorum: quia illud est contra naturam & rationem & gratiam: istud autem non ita; sed est contra gratiam tantùm. Alio modo comparatur secundum circunstantiam: & secundùm hoc peccans contra gratiam & correctionem oblatam sibi à Deo, magis peccat & deformiùs quàm peccans simpliciter: & hoc modo peccatum istorum, refutantium verbum maius est peccato Sodomorum. *Thren.* 4. Maior fuit iniquitas mea peccato Sodomorum, quos subuertit Dominus in momento. *Leuit.* 26. Si non obedieritis mihi, addam contritiones vestras septuplum super peccata vestra, & conteram superbiam duritiæ vestræ. *Prouerb.* 1. Quia vocaui & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis, quod timebatis, aduenerit.

Ecce ego mitto vos.

Hic monet ad passionum tolerantiam. Hoc autem facit duobus modis, scilicet, describendo passionis qualitates ex tortorum diuersitate: & assignando rationem constantiæ in passione: & hoc facit *Ibi* [Non est discipulus supra magistrum] Adhuc in prima parte duo sunt in, quorum primo eos armat contra persecutorum sæuitiam: in secundo autem ne desperent, ponit quandam mitigationem *Ibi* [Qui autem perseuerauerit] In prima harum tangit adhuc duo: docet enim cautelam contra persecutionem tyrannorum primò, & secundò adiungit de persecutione proximorum *Ibi* [Tradet autem frater fratrem in mortem &c.] In prima harum sunt tres paragraphi, in quorum primo in communi determinat habitudinem discipulorum ad persecutores, & econtra: in secundo necessariam propter hoc ostendit esse cautelam ab omnibus: in tertio autem ostendit, quòd licet in seculari fortitudine tyranni præualeant, non oportet desperare: quia in spiritualibus, sancto spiritu docente, multò erunt in rationibus fidei fortiores & hoc interiùs dat securitatem patiendi, & moriendi: & hæc tria patent in litera. In Primo horum paragraphorum duo dicit, quorum vnum est legationis suæ difficultas: & ex hac difficultate concludit

duo e[illegible] necessaria legatis, sicut patet.

De primo dicit [Ecce ego] Quasi diceret. Sic ordinam de recipientibus, & non recipientibus vos, sciens hoc vobis esse necessarium; quia [Ecce ego mitto vos] Et in hoc tangit auctoritatē, legationē, qualitatem legatorum, & legationis difficultatem. Auctoritatem tangit in duobus, in demonstratione, in qua notatur, quòd publica est, non in silentio & occulto peragenda: & in dignitate iniungentis (alias peragentis) Cùm dicit [Ego] per meipsum. Publicum enim legationem oportet omnibus exponi: & cum contraria sit multis, magis impugnatur. De primo *Abd.* Auditum audiuimus à Domino, & legatus ad gentes missus est. Licet enim multi sint; tamen singulariter dicit propter vnitatem & consensum. De secundo 2. *Cor.* 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. *Lu.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.

Mitto] Ecce legationis iniunctio. *Genes.* 37. Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mitto te ad eos. Ibi enim missio hæc præfigurata est *Io.* 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. *Ioan.* 15. Non vos me elegistis; sed ego vos elegi, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Sic dixit se missum Moyses *Exod.* 3. Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Ideò dicit Paulus se Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem; sed per IESVM CHRISTVM. Ad *Gal.* 1.

Vos] Ecce legati & dicit [vos] Non vicarios vestros, vt notet, quòd per seipsos ea, quæ sunt Christi, agere debent. Sicut & Moyses egit per seipsum, non per alium. Sed nostri colligunt per seipsos temporalia, sed per alios agunt spiritualia. Contra quod dicit *Apostolus* 1. *Corinth.* 13. Charitas non quærit quæ sua sunt: sed quæ Christi IESV. *Phil.* 4. Non quæro datum, sed fructum in ratione vestra.

Sicut oues in medio luporum.

Ecce legatorum qualitas, mansuetudinis præcipuè, & vtilitatis, decentissimi & calidi habitus, fœcunditatis & lactis: quorum primum est necessarium contra persecutiones: secundum autem ad instruendas & instituendas virtutes: Tertium ad sanctæ conuersationis habitum, quo induendi sunt homines: quartum ad zelum animarum, quo concipiuntur & pariuntur hi, in quibus formatur Christus: quintum ad alimentum, quo nutriuntur, quasi modò geniti infantes. De mansuetudine dicitur *Matth.* 11. Discite à me: quia mitis sum &c. Dicit verum ex dux ouium Agnus Dei Christus. *Matth.* 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt ter. Sic enim illi legati lucrati sunt orbem terrarum. *Num.* 12. Erat Moyses mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram. De secundo, hoc est, de vtilitate, qua vtiles, non nociui depopulatores fuerunt isti Legati: quia ad hoc spiritum accipiunt mittentis. Dicitur. 1. *Cor.* 12. Vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. 1. *Corinth.* 10 Sine offensione estote Iudæis & gentibus & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia in omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. 2. *Cor.* 10. Secundum potestatem meam, quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram. De tertio, hoc est, de vestimento sanctæ conuersationis, quo (aliàs quæ) induere debet homines suo exemplo, dicitur *Iob* 37. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflauerit terra austro. Austro enim perflatur terra, quando lenis, & calidus spiritus procedit à Prælato. *Iob.* 31. Si non de vellentibus ouium mearum calefactus est. Sic etiam mulier Ecclesia quærit lanam & linum. Lanam quærit sanctæ conuersationis, & linum innocentiæ candoris, & operatur consilio manuum suarum, quæ sunt Prælati: & non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici sui vestiti sunt duplicibus: sanctæ conuersationis extrà prætendentes habitum & innocentiæ intùs in cōscientia, habentes coram Deo testimonium. De quarto, hoc est, de zelo fœcundante *Gal.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. *Cant.* 4. Dentes tui, hoc est, Prælati tui molentes cibum aliis, sicut grex tonsarum omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Concipiunt enim geminos semper, iustos fouendo, & peccatores conuertendo. De lactis alimonia. 1. *Cor.* 3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. 1. *Pet.* 2. Lac concupiscite, vt in eo crescatis. Modò autem legati veniunt in spiritu furoris, in nocumento deprædationis, in habitu secularissimæ peruersitatis, in conceptu concupiscentiæ carnalis, in alimento diabolicæ præsumptionis: quo homines (aliàs omnes) nutriunt in peccatis.

In medio luporum] Ecce Legationis difficultas. Et non dicit: iuxta lupos; sed [in medio] vt nusquam sit effugere nisi per capturam luporum: quia in hoc solo spes est, si lupi, natura lupina deposita, ab ouibus capi possunt. *Genes.* 49. Beniamin lupus rapax mane diuidet prædam, & vespere diuidet spolia. Tales enim lupi sunt, qui de lupis possunt fieri filij dextræ: & tunc prædam, quam mane, dum lupi erant, acceperunt, vespere conuersionis spolia diuidentes Domino reportant, sicut fecit Paulus. *Ioan.* 10. Lupus rapit & dispergit oues. *Psal.* 43. Æstimati sumus sicut oues occisionis. *Psal.* 43. Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus tanquam inter lupos dispersisti nos. In huius signum Rachel, quæ ouis interpretatur, enixa est Beniamin *Genes.* 35. De quo dicitur Beniamin lupus rapax.

Estote ergo prudentes sicut serpentes: & simplices sicut columbæ.

Hic ponit conclusionem ex prædictis quòd duo sunt necessaria legatis ad malos capiendos missis: quorum vnum, sapientia serpentina: & alterum simplicitas columbina. Et de primo dicit [Estote ergo prudentes sicut serpentes] Et attende, quòd sicut natura aliquando ex duobus componit vnum animal, quod ex vno habet insidias; & ex altero habet mansuetudinem: & quod insidiosum erat, mitigatur ex mansueto, sicut apparet in cuculo, qui componitur ex speruario & columba: & speruarius capit aues paruas, & deuorat eas: & hoc diminuitur in cuculo, qui non capit aues ipsas; sed insidiatur ouis, & comedit ea, sua reponēs: & ideò tempore nidificationis auium pugnat cum eo aues paruæ. Ita facit hic Dominus, ex diuersis componit hic vnum, vt quod bonum est, ab vno, & ab alio componatur: & vnum alij

temperetur

temperetur: & ideò prudētia serpentina ne in astutiam vergat, sed in prouisione bonorum se teneat, coniungitur cum simplicitate columbina. Secundum hoc igitur prudentia serpentina manet prudentia, & non efficitur calliditas, quæ in malum sonat. Et tunc prudentia serpentina est, quæ sagaciter intelligit & eligit ea, quibus humiliter potiùs, serpendo se rapit ad processum infusionis tyriacæ contra venenum antiqui serpentis. Et secundum hoc tria notantur in serpentis prudentia, quorum vnum est prudentia in cauendis fraudibus, & eligendis bonis: secundum in expoliatione vetustatis: tertium autem est in cura venenati humoris. De primo *Prou.* 1. Vt detur paruulis astutia: adolescenti autem intellectus & scientia: astutia in cauendis fraudibus: & scientia in conuersatione honesta: & intellectus in cognitione diuina & interna. Hæc est aspis surda aliquando obturans aures suas ad petram Christum, ne exaudiat vocem incantantium & veneficī incantantis sapienter. Fraudes enim circunuenientium minis, & blandimentis promissionum surda aure transeunt: ad petram Christum conuertentes auditum, constantiam suam in omnibus huiusmodi meditantes. Hanc autem prudentiam habet columbinus serpens, vt dicit *Arist.* ex humido subtili, quod etiam prolongabile est valde. Et hoc humore significat pietatem: & longitudine, spei protensionem: quia pietate beneuoli sunt in omnes, & spe æternorum: ne præsentibus malis, vel bonis moueantur. 1. *Tim.* 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & fu. De spe *Heb.* 6. Spem sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam: incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor introiuit IESVS. Pellem autem deponit, quia dura est & scabiosa: & efficitur intolerabilis, sicut & in auibus est mutatio pennarum. Et quia longus est, ad foramen proportionatum abstrahit, primò soluens eam in capite. Hæc autem est conuersatio vetus, quæ durescit consuetudine, scabescit hispiditate peccatorum, & est inutilis & nociua ex concupiscentiæ vetustate, & per foramen pœnitentiæ deponenda. *Eph.* 4. Deponite vos veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. *Cant.* 5. Expoliaui me tunica mea: quo modo induar illa? Iste etiam columbinus serpens infundit veneni medicinam per altitudinem desiderij æternorum, per conformitatem crucis, per fidei aspectum. Primum est charitatis, secundum mortificationis carnis, tertium autem deuotionis fidei per dilectionem operantis. *Num.* 21. Fac serpentem æneum, & erige ipsum in palo: & qui aspexerit ad eum, viuet. *Io.* 3. Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat; sed habeat vitam æternam. Sicut autem est prudentia in his, declinando fraudes incantantium, expoliando impedimenta virtutum, medicando morsibus venenatorum: & ideò est columbinus multum habens de columba. Ita est necessaria simplicitas serpentina: quia columba, quæ nihil serpentis habet, est facilè seducibilis. *Osea.* 7. Ephraim sicut columba seducta non habens cor.

Simplicitas igitur serpentina, siue columba serpentina osculum habet oris in dulcedine allocutionis, felle caret amaritudinis in hepate appetitionis, gemitum deuotionis pro cantu vanitatis, venustatem conuersationis pro pompa fastus secularis; simplicitatem intentionis pro duplicitate mundanæ deceptionis & hypocrisis mundanæ cautelam suæ præseruationis contra raptores & prædatores virtutis. Verbum enim dulce ad omnes, osculum ei est columbinum: verbum enim dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos *Ecclesiastic.* 6. Hoc enim verbo ista serpentina columba in verbis suis inonstra placauit *Eccl.* 45. Hoc etiam fel appetitus vindictæ iniuriis illatis non habuit. *Act.* 7. Ne statuas illis hoc peccatum: quia nesciunt quid faciunt. Istæ sunt columbæ, de quibus dicitur *Cant.* 2. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: quia in hoc habitant per imitationem in vulneribus Christi, qui petra est per constantiam, qua flecti non potuit, sed frangi. Cauerna autem maceriæ est foramen lateris, quod factum fuit in exangui & exanimi corpore, quando iam corpus fuit in congerie membrorum: sicut macer murus, qui maceria dicitur. Gemitus deuotionis est in modulatione orationis. *Isa.* 38. Meditabor vt columba *Isa.* 59. Quasi columbæ meditantes gememus. Columba enim in interioribus colli cantat: & ideò meditatio vocatur cantus eius: & hoc proprium habet inter aues; sed omne genus columbæ hoc habet: quia cantus deuotionis potiùs est in corde, quàm in ore. *August.* in Regula. Psalmis & hymnis cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Venustatem etiam habet blandæ cuiusdam conuersationis, nihil pompæ prætendens: Ideò *Cant.* 2. ista coniunguntur. Amica mea, columba mea, formosa mea. Ipsam enim vestit Spiritus sanctus, qui in columba super Dominum apparuit, nouum habitum tenatis exhibens *Suprà* 3. Simplicitatem habet intentionis, non hypocrisis duplicitatem, neque mundanæ deceptionis. Vnde *Cant.* 4. dicitur: Oculi tui columbarum. *Suprà* 6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: Hæc etiam simplicitas serpentina cautelam habet suæ præseruationis ab auibus rapacibus, ne rapiatur à diabolo. Et ideò dicitur sedere super aquas, vt vmbram speculetur in aqua, hoc est, super studium scripturarum, quæ per aquas significantur. *Cant.* 5. Oculi tui sicut columbæ, quæ resident super riuos aquarum.

Columba etiam ista bonæ alæ est in volando, & semper redit ad nidum: & hoc habet proprium inter aues, quòd si ducatur ad exteras terras, reuolat, & fertilis est valde. Et per primum significat circumuolatum in prædicatione, & reditum in contemplatione ad nidum sapientiæ. *Isa.* 6. Qui sunt hi, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. Per secundum significat multitudinem columbini partus in conuersione animarum, & hoc est sacrificium oblatum pro Domino. *Lu.* 2. Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum: & hoc sacrificium redemit multa sacrificia, quæ manus pauperum Christi inuenire non potuit, sicut patet in emundatione leprosi, & puerperæ in Leuitico.

Cauete ab hominibus: Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis,

Flagellabunt vos: & ad Reges, ad Præsides ducemini propter me: in testimonium illis & gentibus.

Hic in isto secundo paragrapho tangit luporum insidias, de quibus dicitur *Sophoniæ* 3. Iudices eius lupi vespere non relinquebant in mane. Tangit autem hic triplicem persecutionem, traditionis, & afflictionis verberum, & positionis Iudicum. Prima fit in conciliis per consilium, secunda in Synagogis per populi conuentum, tertia autem per Reges & præsides per iniquum iudicium: & his tribus persecutionibus vnam & laudabilem causam subiungit ex parte Apostolorum, & terribilem effectum ex parte persequentium: & hoc est, quòd dicit.

Dicit ergo [Cauete] per prudentiam serpentinam cauti estote dissimulando iniurias. *Prouer.* 12. Qui dissimulat iniurias, callidus est. *Daniel.* 1. Cautos scientia, & doctos disciplina [ab hominibus] Proprium habet serpens inter animalia cauere ab hominibus: quia in duobus peior est homo omni animali; & in vno est nociuior diabolo. Vnum, in quo peior est omni animali, est, quòd in vnoquoque animali est vnum malum, si malum est; in homine autem omnia. Alterum est, quòd homo habet ingenium nocendi, quod non habent aliæ bestiæ. Diabolo etiam est nociuior: quia diabolus non accedit ad Sanctum, sed victus fugit ab eo, & illum vincit & interficit homo malus. Et ideò homo malus membrum, & arma est diaboli. De primo dicitur *Matth.* 12. Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum: habet enim thesaurum malorum non vnum malum. De secundo *Prou.* 12. Dolus in corde cogitantium mala. Per dolum enim nocentiores fiunt. De tertio dicitur *Ioan.* 13. Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Schariotes. Hoc enim per se ipsum diabolus facere non potuit.

Tradent vos in conciliis] *Gen.* 49. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cætu eorum non sit gloria mea. *Io.* 11. Collegerunt Pontifices & Pharisæi Concilium [& in Synagogis suis flagellabunt vos] Si admoniti in consilio non desistatis. *Act.* 5. Conuocantes Apostolos cæsis denuntiauerunt Apostolis, ne amplius loquerentur in nomine IESV. 2. *Cor.* 11. Ter virgis cæsus sum & *Ibidem ante.* A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi [& ad Præsides] tanquam vicariam potestatem habentes in minoribus iudiciis, si nec flagellati desistitis, vt puniamini, sicut ipse Dominus punitus fuit ante Pilatum. *Matth.* 27. [& ad reges] ducemini tanquam ordinariam potestatem habentes, & in maioribus iudiciis. *Act.* 9. Vas electionis erit iste mihi: vt portet nomen meum coram Regibus, & Gentibus & filiis Israël. *Act.* 13. Misit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio &c. Sic enim processerunt Iudæi cum Apostolis: quia alienigenæ dominabantur eis, & non licuit eis interficere quenquam, sicut dicetur *Infra* 27. quòd flagellatos & correptos duxerunt ad Præsides & Reges puniendos.

Et subiungit gloriosam causam, di. [Propter me] hoc est, fidem in me & nominis mei confessionem. *Phil.* 1. Vobis donatum est pro Christo, vt non solum credatis in eum; sed etiam vt pro illo patiamini. 1. *Pet.* 4. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. Et *Ibidem.* Nemo virum patiatur sicut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem vt Christianus, non erubescat [in testimonium illis] hoc est, contra eos s. Iudæos, qui tradunt vos in conciliis, & flagellant vos in Synagogis [& gentibus] hoc est, contra gentes: quia præsides eorum & Reges nos puniunt: & quod eis est testimonium condemnationis, est nobis testimonium innocentiæ. *Lu.* 2. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël & in signum, cui contradicetur. 2. *Cor.* 2. Aliis sumus odor vitæ in vitam: aliis autem odor mortis in mortem. Et ad hæc quis tam idoneus?

Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.

Tertius est paragraphus, vbi tangit potestatem Spiritus in Sanctis: & hæc facit eos securè mori pro demonstrata & incontradicibili veritate, & facit triumphare tandem de interfectoribus: quia super omnia vincit veritas. Dicit autem tria. Primò enim prohibet in eis humanæ sapientiæ cogitationem, secundò promittit diuinæ sapientiæ facultatem, & tertiò subiungit vtriusque causam: & hæc in litera patent. Dicit ergo [Cum autem tradent vos] in conciliis, vel ad iudices [nolite cogitare] *Prou.* 12. Qui confidit in cogitationibus suis, corruet. 2. *Corinth.* 3. Non quòd sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. *Eccle.* 43. Multa dicimus & deficimus in verbis: consummatio sermonum ipse est [quomodo] hoc est, de modo humano, quomodo proponatis persuasibilibus verbis. 1. *Cor.* 2. Sermo meus & prædicatio mea non fuit in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritus & virtutis [aut quid] quoad materiam: quia nescitis de quo erit interrogatio tortorum. *Isa.* 38. Domine, vim patior: responde pro me, quid dicam, aut quid respondebit?

Dabitur enim vobis] *Psal.* 4. Iacta cogi. tuum in Domino, & ipse te enutriet. 1. *Pe* 5. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis. 2. *Timo.* 2. Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum [in illa hora] interrogationis. *Iob.* 7. Visitas eum diluculo, & subitò probas illum. *Iac.* 1. Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, & dabitur ei [quid loquamini] *Lu.* 21. Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. *Eccles.* 15. Cibabit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum. *Psal.* 80. Aperi os tuum, & ego implebo illud. Nec intelligitur istud sicut ignari nolentes studere, dicunt de hora prædicationis: quia ad illam exigitur instructio, & studium, & meditatio. *Apoca.* 8. Septem Angeli, qui habebant septem tubas, parauerunt se, vt tuba canerent. 1. *Tim.* 4.

Attende

Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis.

Non enim vos estis, qui loquimini] Ecce vtriusque promissorum causa, quasi dicat: Nolite cogitare, quomodo aliquid loquamini: non enim vos estis, qui loquimini: dabitur enim vobis in illa hora: quia Spiritus Patris vestri est, qui loquitur in vobis. *Psal.* 44 Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. *Iere.* 1. A a a, Domine, Ecce nescio loqui: quia puer ego sum. *Ezech.* 3. Linguam tuam faciam adhærere palato tuo: quia domus exasperans est. Sensus enim hominis & lingua non sufficiunt in talibus [sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis] Et quia Spiritus, crescit: & quia Patris, vult. *Sap.* 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis 1. *Cor.* 14. Spiritus loquitur mysteria. *Ioan.* 16. Quæcumque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. *Act.* 2. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis: seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis odio omnibus propter nomen meum,

Hæc est tertia pars, in qua determinat persecutionem à proximis futuram, quæ tantò est acerbior, quantò habet duplicem dolorem, scilicet, de inflictione pœnæ, & de amisso fœdere charitatis & propinquitatis. Tangit autem istam persecutionem dupliciter, scilicet, generaliter, & specialiter. Specialiter autem tangit eam in proximo gradu: & in ea, quæ est sine gradu: & hanc dupliciter secundum ordinem violatum eius naturæ, quæ sui aliquid habet in filiis: sicut cum pater tradit filium, quod innaturalissimum est, & nulli bestiarum conueniens: omnis enim bestia custodit partum suum ad minus, quandiu in cura sua est paruus. Et secundum ordinem violatæ naturæ, quæ est ortus ad principium originis: & sic filij morte afficiunt parentes. Dicit ergo [Tradet enim frater fratrem] quod est graue genus persecutionis [in mortem] quod est genus acerbissimum tribulationis. *Iere.* 9. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabitur. *Mich.* 7. Omnes sanguini insidiantur: vir fratrem suum venatur ad mortem, sicut Cain Abel occidit *Gen.* 4. [& pater filium] Zach. 13. Dicent pater suus & mater sua, qui genuerunt eum: non viues. *Ibidem* His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me [& insurgent filij in parentes, & morte afficient eos] *Mich.* 7. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui, quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem: & nurus aduersus socrum: & inimici hominis domestici eius. *Psalm.* 40. Homo pacis meæ, in quo speraui: qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem. Panes enim meos non comedit nisi filius suus; quia seruus panem comedit eius, cui deseruiuit. Frater autem non pascit fratrem [& eritis odio omnibus] Locus illationis est à partibus sufficienter enumeratis: quia Iudæis & gentibus & fratribus & parentibus & filiis: ergo omnibus, qui homines sunt ab humo dicti. *Ioan.* 15. Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Causa assignatur *Iac.* 4. Amicus huius mundi inimicus Dei constituitur. Distributio autem fit pro generibus singulorum, & non pro singulis generum: quia aliter essent odio Sanctis, nisi dicatur, quòd Sancti aliquid sint vltra homines: & ideò cum hominibus non supponuntur [propter nomen meum] *Iac.* 2. Ipsi opprimunt vos per potentiam: & ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super nos. *Suprà* 5. & *Luc.* 6. Beati eritis, cum vobis maledixerint homines, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis: gaudete &c.

Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Hic ponitur mitigatiuum huius tantæ tribulationis: & dicit duo, scilicet, mitigatiuum in pœnarum acerbitate: & mitigatiuum in corporis fragilitate. Mitigatiuum autem in pœnarum acerbitate est præmij consideratio: quia sicut dicit Greg. consideratio præmij minuit vim flagelli. Et de hoc dicit [Qui autem perseuerauerit vsque in finem] Non consumptionis, quo consumitur; sed consummationis, quo ad perfectum deducitur [hic saluus erit] æterna salute. *Infrà* 24. & *Lu.* 21. est idem per verba. *Leuit.* 3. præcipitur cauda hostiæ offerri, quæ donum perseuerantiæ significat. *Apoca.* 2. Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. *Ezech.* 9. Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium. Thau figura crucis est in alphabeto græcorum, & donum perseuerantiæ significat. *Sap.* 4. Consummatus in breui expleuit tempora multa. *Sap.* 10. Honestauit illum in laboribus, & complcuit labores illius.

Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis: non consummabitis ciuitates Israël, donec veniat filius hominis.

Secundum est mitigatiuum, quod conceditur infirmitati: & dicit duo: vnum, quod est solatium infirmitatis: & alterum, quod est solutio dubitationis circa solatium concessum exortæ. Dicit igitur [Cum autem persequentur vos in ciuitate ista] Iudæi, supple, in ista particulari missione, quando non mittimini nisi ad filios Israël [fugite in aliam] In hac autem fuga duo attenduntur: quia aut quæritur persona, aut fides, siue iustitia. Si non quæritur nisi persona, tunc semper potest fugere: si autem quæritur fides, siue iustitia: aut per mortem confirmari potest; aut non. Si potest confirmari per mortem, nequaquam est fugiendum. Si autem nõ potest per mortem confirmari; tunc est fugiendum: Et quia Apostoli ante passionem fidem confirmare non poterant: Ideò dictum est eis fugere de ciuitate in ciuitatem, exemplo Iacob, qui fugit Esau *Genes.* 27. & eiusdem exemplo, qui fugit Laban. *Gen.* 31. Et exemplo Dauid, qui fugit Saul 1. *Reg.* 21. Et exemplo Pauli, qui fugit de Damasco *Act.* 9. 2. *Cor.* 11 Damasci præpositus custodiebat ciuitatem

tem Damascenorum, vt me comprehenderet, & per murum a fratribus submissus sum in sporta: & sic euasi manus eius in nomine Domini.

Amen dico vobis] hoc est, fideliter dico vobis. Et est Solutio dubitationis: quia dixerat: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis: citò possent dicere: si fugiemus de vna ciuitate in aliam, nõ habebimus, quò de cætero fugiamus. Ideò respondet [non consummabitis] fugiendo in ista missione [ciuitates Israel] de vna ad alteram vos transferendo [donec veniat] post resurrectionem ad vos filius hominis] Et tunc erit generalis missio in omnem terram. Vel [donec veniat filius hominis] & assumat vos vocando ad regnum suum. Vel [donec veniat] in auxilium vobis succurrendo. 1. *Cor.* 10. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis; sed faciet cum tentatione prouentum, vt sustinere possitis. Et attende, quòd etiam in fuga est vtilitas, vt dicit *Hero.* quia ex hoc, quòd dispergiuntur, in pluribus locis prædicant, sicut expresse legitur *Act.* 8 quòd ex dispersione, quæ facta est in persecutione: quæ facta est in Stephano, tota adiacens regio verbo Dei est repleta. *Ioan.* 15. Idcò dispergit vos inter gentes, quæ ignorant Deum: vt vos enarretis mirabilia eius, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens nisi ipse.

Non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum. sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius: & seruo sicut Dominus eius. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt: quantò magis domesticos eius? ne ergo timueritis eos.

Hic assignat rationem constantiæ in passione: & diuiditur hæc pars in duas, in quarum prima assignat rationes, quare non timendum: in secunda tangit rationes, quare Christi veritas omnibus est præponenda Ibi. [Nolite arbitrari, quòd veni mittere pacem &c.] Adhuc prior harum si bdiuiditur in duas, in quarum prima tangit rationes ex consideratione suæ operationis acceptas secundum statum viæ: in secunda autem tangit alias, quæ sumuntur ex consideratione patriæ *Ibi* [Nolite timere eos, qui occidunt corpus] In prima harum sunt duo. Probat enim primò, quid non timendum: secundò, quòd propter timorem, quem euacuat, non est dimittendum *Ibi.* [Nihil opertum] In prima sunt tres Christi ad nos comparationes: secundum illuminationem videlicet mentis, secundum obedientiam operis, & secundum generalitatem generis. Et secundum primam est magister, secundum secundam est Dominus, secundum tertiam est paterfamilias, secundum quòd ipsius & genus sumus. Prima est secundum doctrinam veritatis, & in hac sumus discipuli: secunda secundum coertionem potestatis, & in hac sumus serui: tertia secundum bonitatem assimilationis & originis, & in hac sumus domestici. Hæc sunt secundum tria superesse, & secundum tria subesse. Primum quidem in auctoritate doctrinæ ad fidem. Secundum in maiestate ad debitam operationem, tertium autem in patris origine ad dilectionem. Hæc etiam sunt secundum tria, quæ exiguntur ad virtutem. Scire, si quid facias, facere quod debeas, & velle quòd liceat. Scire enim est à magistro, facere à Domino, & velle debetur patrifamilias. Primam dirigit ad veritatem, secundam ex timore auertit à vanitate & peruersitate, tertium trahit ad bonitatem. Primum docet, secundum incitat, tertium allicit.

De primo ergo dicit. [Non est discipulus] *Io.* 15. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. *Io.* 8. Signa legem in discipulis meis [super magistrum] sed potiùs sub ipso. *Matth.* 23. Vnus est magister vester Christus. *Io.* 11. Magister adest, & vocat te. *Deut.* 33. In dextera eius ignea lex: qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. *Ecclesiastic. vlt.* Appropinquate ad me indocti, congregate vos in domum disciplinæ. Et vult dicere: Si doctrinam veritatis in me persequuntur, multò magis in vobis: & hæc est impugnatio veritatis agnitæ & probatæ per miracula [nec seruus] *Psal.* 115. O Domine, quia ego seruus tuus &c. *Sup.* 9. Seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ [super Dominum suum] *Malach.* 1. Si ego Dominus, vbi timor meus? *Isa.* 42. Ego Dominus, & hoc nomen meum: & est sensus: si in me persecuti sunt opus virtutis, non est mirum, si etiam in vobis persequentur: & in his est locus à minori [Sufficit discipulo] quantum ad doctrinæ acceptionem [vt sit sicut magister eius] sicut enim in docendis, & modo confirmationis attingit magistri perfectionem: Ita & in his, quæ consequuntur doctrinam, ex hoc quòd contraria est mundanis: quia ideò oppugnatur. Et si discipulus non doceat contraria his, quibus magister contraria docuit non est discipulus sicut magister. Et si aliter doceat discipulus tunc à seipso, & non ex disciplinis magistri loquitur. *Ioan.* 8. Qui est ex Deo, verba Dei audit: proprerea vos non auditis, quia ex Deo non estis [& seruus sicut Dominus eius] hoc est, seruo sufficit, si sit sicut Dominus eius. Quia si propter reuerentiam Domini non timuerunt in eo persequi opus virtutis, non est mirandum, si & in vobis persequentur. Hæc est enim impugnatio diuinæ potestatis, quæ demonstratur in opere perfecto. *Ioan.* 13 Vos vocatis me magister, & Domine: & bene dicitis, sum etenim.

Si patremfamilias] Tertia est comparatio: & dicitur hic familia, multitudo ex vno exorta, & ab vno denominata, sicut à Christo filij Dei vocantur: Pater autem familias dicitur, ex quo multitudo hæc deriuatur, & à quo denominatur, & gubernatur, & à quo procreatur. *Malach.* 1. Si ergo ego pater, vbi honor meus? *Matth.* 23. Vnus est pater vester, qui in cælis est [Beelzebub] Bel pater Nini condidit Niniuem, cui idolum à filio statutum Bel dictum est, à quo gentes idola Bel Babylonij, Baal Palestini, Beelphegor Moabitæ vocauerunt: quod Iudæi in derisionem Beelzebub, hoc est virum muscarum vocauerunt: propter muscas, quæ in cruore immolatitij sanguinis insederunt. Et hunc dæmonem Christo attribuerunt, vt in eo signa faceret, sicut in præcedenti patet capitulo, & *Infra* 12. In Beelzebub Principe dæmoniorum eiicit dæmonia. *Io.* 8. Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? [quantò magis domesticos eius] *Ephes.* 2. Estis ciues Sanctorum, & domestici

domestici Dei ad domum Dei, & hæreditatem pertinentes; & hæc est persecutio diuinæ similitudinis, & diuini nominis.

Ne ergo timueritis eos] Ex quo scitis eos non nisi ista bona in vobis persequi: causa tam honesta euacuet timorem: quia sicut dicit Aristote. Mors pro virtute illata, forti salute est eligentior. *Isa* 8. Timore autem eum ne timueritis: Dominum autem sanctificate in cordibus vestris. *Isa.* 51. Nolite timere opprobria hominum & blasphemias eorum ne metuatis. *Machab.* 2. A verbis viri peccatoris ne timueritis, cuius gloria stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram. *Isa.* 51. Quis tu, vt timeas ab homine mortali, qui quasi fænum ita arescet?

Nihil enim est opertum quod non reuelebitur: & occultum, quod non sciatur.

Hic tangit, quid non est dimittendum propter timorem: & hoc est confessio, & prædicatio apertæ veritatis, & tangit duo, quorum primum est consolationis, secundum autem est debiti: & primum est veritatis fortitudo, & secundum est veritatis manifestatio: primum est Doctoris promittentis defensionem; secundum autem doctrinæ vtilitatem. Primum tangit, cùm dicit [nihil opertum] Et tangit duo, opertum esse & occultum. Opertum autem est, quod alio tegente absconditur; occultum autem, quod latet per seipsum: & ista sunt duo veritatis propalationem impedientia. Primum est per tegumentum sensus carnalis, qui est quasi velamen tegens: secundum occultum suæ altitudinis: quia dispositio nostri intellectus est ad eam, sicut visus noctuæ ad lumen Solis, sicut dicit Philosophus. *Psalm.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. His duobus redit: quia opertum reuelabitur tripliciter: in bonis quidem, ablato velamine cordis: in omnibus autem tandem, vincente fortitudine veritatis: in vltimo die iudicij, cùm omnia secreta ponentur in lucem claritatis: & quoad hæc tria diuersificantur expositiones Sanctorum. De primo dicitur. 2. *Cor.* 3. Cum conuersus quis ad Dominum auferetur velamen. Deus enim spiritus est. De secundo 2. *Esdræ* 4. Super omnia vincit veritas. De tertio *Soph.* 1. Scrutabor Ierusalem in lucernis. Et autem, quod absconditum est (hoc est in mysterio clausum) attribuitur sciri apertè tripliciter; apertè per seipsum acceptum: & apertè per famam omnium: & apertè per ostensionem conscientiarum in die iudicij. De primo *Ioan.* 16. Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus, quia scis omnia, & non est opus tibi, vt quis te interroget. De secundo *Io.* 8. Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. De tertio, 1. *Cor.* 4. Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. Est ergo sensus: habete fiduciam, & ne timeatis: quia quod modò est hominibus opertum, multis Sanctorum conuersis erit discoopertum: & hos habebitis socios fidei. Item confidentes estote; quia quod modò mundo opertum est, tandem vincente vbique veritate apertum erit: & hic fructus vos constantes faciat. Item quod modò opertum est, & ideò verecundum, in die iudicij erit omnibus honore dignissimum. 2. *Cor.* 4. quòd si opertum est Euangelium nostrum: in his qui pereunt est opertum, quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium: vt non fulgeat in eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei inuisibilis.

Similiter intelligendum est quod dicit [& occultum, quod non sciat] quia quod modò in profunditate mysterij est occultum post modicum multis, dato spiritu, erit scitum. 1. *Cor.* 2. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et quod modò mundo est occultum, propter mundi cæcitatem, prædicatione vestra, & spiritu confirmante, mundo erit manifestum & scitum: quia in omnem terram exibit sonus vestri: & in fines orbis terræ verba vestra: & tandem in iudicio extremo scietur Euangelij gloria: quæ modò ignorata confusio reputatur. *Sap.* 5. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem sine honore; Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est. Ergo ne timeatis, sed potiùs.

Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Hoc est, secundum, quod pertinet ad constantem veritatis manifestationem: & tangit duo, quæ sunt de modo diuinæ intelligentiæ; in tenebris esse, & in aure audiri. Primum est abscondens (aliàs absconditum) ab homine; & secundum à multitudine. Hominis enim intellectus ad diuina est timidus, & tremens, in tenebris inuolutus ex multo lumine diuinorum. Sicut enim oculus intuens solem, suis obuoluitur tenebris, sole claro manente; ita etiam oculus intellectus sua debilitate retunditur, & tenebris obuoluitur (aliàs inuoluitur) ex contuitu diuinorum: & hoc conueniebat Apostolis nondum accepto Spiritu ad intellectum mysteriorum: & quod sic acceperunt in lumine claro intelligentiæ, accepto Spiritu veritatis proposuerunt: & de hoc dicitur *Iob.* 37. Ostende nobis, quid dicamus. Nos quippe inuoluimur tenebris; & hoc completum fuit in Apostolis, cum Paulus dixit 2. *Cor.* 4. Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Euangelij Christi.

Et quod in aure auditis] Secundus modus est abscondens à multitudine. Auditur enim in susurrio sermo diuinus, & non in strepitu multitudinis. *Iob.* 4. Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius *Psal.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. *Osea.* 2. Adducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Est autem auris semper in multitudine, quæ patula est multitudini mundi: & in illa non loquitur Deus 3. *Reg.* 19 Sibilus auræ tenuis, vbi Dominus. Et huic opponitur [prædicate super tecta] Et loquitur more noto Apostolis; quia in Palæstina tecta plumbea, & pauimenta plana fuerunt desuper, in quibus congregabantur homines ad capiendum puriorem aërem; quia iuxta terram in terris calidis spissus est & vaporosus. Et intenditur per tecta manifestè omnibus facta prædicatio: & hæc facta est visibili signo dato Spiritu. *Act.* 10. Adhuc loquente Petro

verba

verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. *Ioel.* 2. Effundam de Spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ. *Isa.* 58. Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam. *Isa.* 41. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso. Quidam autem exponunt: in tenebris dici, in Iudæa dici: & in aure audiri, quosdam audire, sicut Christus docuit Apostolos. *Matth.* 13. & *Lu.* 8. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis. Sed primum est conuenientius secundum literam.

Et nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

Hic inducit rationes secundum statum patriæ, & sunt tres; prima ex consideratione pœnæ futuræ & iudicis per rationem timoris: secunda ex consideratione Saluatoris & salutis per rationem spei: tertia ex consideratione glorificatoris & gloriæ per rationem honoris, qui (aliàs quæ) expectatur in futuro: & istæ patent in litera. In primo autem tangit duo, scilicet prohibitionem timoris humani & mundani, & præceptum diuini timoris. De prohibito timore dicit [Nolite timere eos, qui occidunt corpus] permissione diuina. *Lu.* 12. Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs, quid faciant. [animam autem non possunt occidere] 2. *Macha.* 7. Tu quidem, scelestissime, in præsenti nos perdis; sed Rex mundi Dominus iterum suscitabit: tibi autem resurrectio ad vitam non erit. Non tamen excluditur hic timor naturalis, de quo *Mat.* 14. quòd cœpit Dominus timere & pauere.

Sed potiùs timete eum] hoc est, Deum [qui qui potest animam] post mortem [& corpus] post resurrectionem [perdere in gehennam] hoc est, in infernum. Hoc autem nomen gehenna (vt dicit *Hiero.*) in veteribus libris non legitur, sed à Domino est impositum inferno. Fuit autem quædam vallis iuxta Ierusalem, quæ Topher dicebatur, in qua filios & filias igni sacrificabant: & fuit cuiusdam filij Ennon qui dicebatur Topher: & quia ibi iniquorum fuit ignis, comminatus est Dominus, quòd in illa valle prosternendi essent in mortem. *Iere.* 19. Ecce dies venient, dicit Dominus: & non vocabitur amplius iste locus Topher, & vallis filij Ennon, sed vallis concisionis. *Ezech.* autem. 39. vocatur Poliandrum, hoc est, sepulchrum multitudinis: & ab illo Dominus futuras pœnas denominat. Hoc est ergo, quod dicit *Ierem.* 10. Quis non timebit te, O Rex gentium? *Psal.* 33. Timete Dominum omnes Sancti eius. *Prou.* 29. Qui timet hominem, corruet; qui autem sperat in Domino, subleuabitur. *Psalm.* 2. Seruite Domino in timore.

Nonne duo passeres asse veneunt, Et vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

Secunda ratio à Spe resurrectionis corporum sumpta: & dicit tria: curam enim Dei in rebus paruis proponit in spei argumentum: secundò tangit prouidentiam circa minimas partes corporis Sanctorum in spei solatium: tertiò tangit prouidentiæ reputationem & discretionem circa Sanctos, & quæ sub eis sunt ad spei securitatem: & hæc patent in litera. De primo dicit [Nonne duo passeres] hoc est, minutæ aues [veneunt] hoc est, venduntur [asse] *Luc.* 12. Nonne quinque passeres veneunt dipondio? quod enim in numero est vnum, hoc in ponderibus vocatur as, hoc est, minimum sensibile, à quo incipit pondus: & hoc est sicut granum hordei. Dipondius est sicut duo grana: vnde non multum distat, duos asse, & quinque dipondio vendi: quia cum quinque veneunt dipondio, vnus & dimidius veneunt asse: & sæpe contingit, quòd cum quinque veneunt duobus, propter indiuisionem vnius vnus asse venditur. Passer autem in Ierusalem vendebatur & in Iudæa, non modò in cibum, sed etiam in sacrificium: quia erat sacrificium pro leproso mundato. *Leuit.* 14. Et cum ita minuti pretij sint passeres tamen vnus passer non decidit in terram moriens casu sine eo, qui non pater est passerum, licet sit Creator eorum, sed est Pater vester: & ideò maior cura est ei de vobis, quam de passeribus. Sed contra. 1. *Cor.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo? Ad hoc autem respondet *glo.* quòd aliud est cura, & aliud scientia prouidentiæ: cura enim notat solicitudinem, quæ consistit in procuratione & ordine ad finem boni status secundum felicitatem: & hoc est in ordinandis legibus & dispositione vitæ secundum virtutem, & huiusmodi: qualem curam Deus de bobus non habet, licet habeat de ipsis scientiam qualiter oriuntur, & qualiter moriuntur: sic enim non modò sensibilia, sed etiam omnia secum sunt, vt dicitur in *Psalm.* 49 Pulchritudo agri mecum est. Cum autem imaginem eius habeat homo & in illa imagine imitetur eum homo sanctus; illius specialiter Pater est, sine cura & dispositione tanti Patris nihil agens, & nihil omninò patiens. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus.

Vestri autem & capilli capitis omnes numerati sunt] hoc est secundum quòd nec minimæ particulæ quamuis insensibiliter à corpore sint separabiles, possunt Sanctis deperire sine Patris custodientis dispositione. Attendendum, quòd capilli dupliciter se habent ad corpus; vno modo prout generantur à fumo superfluo corporis, eo quòd pilus nihil aliud est nisi fumus per poros de corpore expirans, & ad aërem exsiccatus: & hoc modo non habent se ad corporis constantiam. Alio modo considerantur prout sunt indicia complexionis cerebri, & cooperimentum ipsius, & decor corporis: & hoc modo sunt facientes ad contemplationem sapientiæ sic complexionantis, & sic ordinantis partes defendentes cerebrum, vel decoris pulchritudinem conferentes: & hoc modo conseruantur à sapientia & cura Patris, vt resurgant. Et tantum de eis resurget, quantum faciunt ad decorem & sapientiæ æternæ in dispositione hominis contemplationem. 1. *Cor.* 15. Mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. Est autem dubium de hoc quòd dicit [numerati sunt] quia rei, quæ numeratur, quantitas per

per numerum scitur. Sic autem non indiget Deus rerum scire quantitates; quia hoc est imperfectum. Et ad hoc dicendum secundum *glo.* quòd numeratum esse hic dicitur propter id, quod consequitur numerati. Numeratur enim aliquid ad hoc, quòd integre conseruetur: & sic accipitur hic. Non ergo Deus mensurat quantitatem ipsius; sed dicitur numerata, vt sciatur integrè conseruata. 2. *Macha.* 7. Postulatus linguam citò protulit, & manus constanter extendit, & cum fiducia ait, è cælo ista possideo: & propter Dei leges hæc ipsa despicio: quoniam me ea recepturum spero.

Nolite ergo timere] quasi desperantes de resurrectione & prouidentia [multis passeribus] hoc est, multitudini passerum [meliores] apud Patrem cælestem [estis vos.] *Mat.* 12. Quantò magis homo melior est oue?

Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Tertia ratio est sumpta ex consideratione honoris & præmij, & tãgit duo per oppositum sumpta, confessionem ordinatam ad præmium honoris: & negationem ordinantem in confusionem damnationis. De primo dicit [Omnis ergo] *Ro.* 1. Nõ enim est distinctio Iudæi & Græci [qui confitebitur me] simul fatebitur cordis deuotione, & oris annuntiatione. *Ro.* 10. Quòd si in corde credideris Dominum IESVM: & ore confitearis, quia Deus suscitauit illum à mortuis; saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. [coram hominibus] publicè ad hominũ ædificationem. *Act.* 1. Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ [confitebor & ego eum] Confessione laudis. *Prou.* 31. Laudent eam in portis opera eius. 1. *Co.* 4. Tunc laus erit vnicuique a Deo coram Patre meo, qui in cælis est] *Ps.* 55. Cõfessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius. Hæc autem confessio est, quam dicit *Io.* 2. Honorificabit eum Pater meus, qui in cælis est.

Qui autem negauerit me] propter amorem, vel illectus concupiscentia [coram hominibus] corde, vel verbo, vel exemplo prauo. *Titum* 1. Confitentur se nosse Deum; factis autem negant [negabo & ego eum] nosse. *Sap.* 7. Confitebor eis; quia nunquam noui vos [coram Patre meo, qui est in cælis] 2. *Tim.* 2 Si negauerimus: & ille negabit nos. *Lu.* 9. Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in maie. sua & Patris, & sanctorum Angelorum.

Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram.

Hic tangit rationes quare Christi veritas omnibus, quæ diligũtur, est anteponenda, & est etiam causa persecutionis: quia ex quo omnia alia præcedit diligibilia: ea, quę ante dilecta fuerunt, conuertũtur in odium. Diuiditur autẽ hæc pars in duas, in quarum prima ostendit, qualiter amor veritatis omnes falsos amicos conuertit in odium: in secunda autem ostendit, qualiter amor veritatis præponendus est omnibus secundum falsam amicitiã dilectis & diligentibus amicis. In prima harum duo sunt paragraphi, in quorum primo tangit, quid est separans inter falso modo diligentes: in secundo describitur hominum odi amicos separatos per proximiores carnalis amicitiæ gradus. In primo horũ duo tangit: remouet enim primò de sua amicitia suspicionem (alias suppositiones) carnalem dicens [Nolite arbitrari, quod veni mittere pacem] hoc est, quietem securitatis; in terram, hoc est, in terrenis affectibus. *Apoc* 6 Datum est illi, vt sumeret pacem de terra: & vt mutuò se interficiant. *Sap.* 14. In magno iustitiæ (aliàs inscientiæ) bello viuentes, tot & tam magna mala pacem esse arbitrati sunt. Sed contra *Ep.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Responsio. Pax ista, quies est in carnalibus affectibus: & hæc mala est & peccatorum, sed pax, quam Christus fecit, est pectoris, quæ est securitas conscientiæ ex hoc, quòd non remordet de peccato, & est reconciliatio ad Deum.

Non veni mittere pacem, sed gladium: Veni enim separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.

Secundum est vbi dicit, quòd huius pacis intendit facere præcisionem. *Ps* 72. Zelaui in peccatoribus pacem peccatorum videns [sed gladium] hoc est, precisionem, quę fit per verbum fidei operantis per dilectionem. *Ep.* 6 Gladium spiritus, hoc est, verbum Dei. *Heb.* 2. Viuus enim est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Deinde amicitiæ, quam intendit præcidere, ponit gradus. Est autem ista amicitia duobus modis determinata, vno modo per vnum, & secundo modo per gradus ex vno deriuatos. Per vnum quidẽ dupliciter, generationis. s. & commissionis; & secundum istas diuisiones hic loquitur. Dicit ergo [veni enim separare hominem] veritatis amore [aduersus suum] & hoc est in coniunctis in vno generationis & formę: & dicit. Nõ à Patre, sed [aduersus suum] quia nõ localem quærit separationem, sed disiunctionem affectuum. Et intelligitur de his, inter quos est affectus carnalis, carnaliter, & ad carnalia. Si enim diligantur carnales spiritualiter & ad spiritualia: tunc gratia perficit naturam: & præponendi sunt non coniunctis secundum ordinem charitatis. Sic enim dicitur *Exo.* 20. Honora Patrẽ & matrem, vt sis longæuus super terram [& filiam aduersus suum] Inter quas est vnio generationis secũdum materiam, quia ibi materia vincit, conuertẽs partum ad similitudinem parientis in generatione: & materiæ [& nurũ aduersus suum] Inter quas est vnio commissionis cum eo, quod vnum est cum socro. Et attende, quod secundum *Lu.* 12. Quinque erũt in domo vna, duo in tres, & tres in duos diuidẽtur: Pater in filium, è conuerso filius in Patrem; mater in filiam, & è conuerso filia in matrem, nurus in socrum & è conuerso socrus in nurum. Et istæ videntur sex personæ, tamen non sunt nisi quinque: quia eadem forma est mater filiæ, & socrus nurus, quæ habet filium eius.

Et inimici hominis domestici eius] Hic tangit cõiũctos per quoscũque gradus alios sãguinis, vel affinitatis, vel cuiuscunque alterius cõiunctionis. Idẽ est *Mic.* 7. Inimici hominis domestici eius &c. *Ps.* 44. Obliuiscere populũ tuũ, & domũ Patris tui *Can* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. *Gen.* 12. Egredere de terra, & de cognatione tua.

Qui amat patrem, aut matrem plusquã me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.

Hic incipit exponere, qualiter amor veritatis anteponendus est omnibus carnaliter coniunctis: & dicit duo, qualiter, & anteponendus est suis & sibiipsi. In prima parte adhuc duo tangit, primum est secundum relationem geniti ad originem, & secũdum conuerso. De primo dicit [Qui amat patrẽ, aut matrem] Qui licet amari possint; non tamẽ super Deum. Vnde dicit [plusquam me] hoc est, vt pro illis auertatur à me, quia tunc peccat: peccatum enim est auersio ab incommutabili bono ad bonum commutabile. Et quia sic talis est à me abstractus, & illectus amore commutabilis boni, ille est peruersus: quia fruitur vtendis. Et ideò [non est me dignus] secundum quòd ego sum merces Sanctorum. *Gen.* 15. Ego ero merces tua magna nimis: talis enim non tenet dilectionis ordinem, in quo primò ante omnia diligitur Deus. *Can.* 2 Ordinauit in me charitatem: & ideò talis non est dignus pane, quo vescitur Hic enim corrumpit semetipsum: quia nihil perficit mentem nisi Deus: & ideò alia diligi non debent, in quibus Deus non diligitur. *Can.* 8 Pone me sicut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum: quia fortis est, vt mors, dilectio.

Et qui amat filium, aut filiam super mẽ, non est me dignus] Conuersum est præcedentis: quia filius diligitur vt similitudo perfecta Patris, & filia vt similitudo matris: sed plus diliguntur, cum propter ipsos homo à Patre spirituali auertitur. 1. *Re.* 2. de Heli. Magis honorasti filios tuos, quàm me. Et sequitur: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Econtra de Abraham *Gen.* 2 . Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito propter me, benedicens benedicã te. *Deu.* 33 Qui dixerunt Patri suo, & matri suæ: nesciovos, & fratribus suis: ignoro illos: & nescierunt filios suos: hi custodierunt eloquium tuum, & pactũ tuũ seruauerunt.

Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.

Hic tangitur, qualiter amor Christi præponendus est amori sui ipsius. & tãgit hoc primò sub metaphora, & secundò explanat. In primo tangit tria, acceptionem crucis, cùm dicit [Qui non acci. cru. su.] Et circa hoc rursum tria notãtur. scilicet acceptio, & quid accipitur, & cuius. Acceptio sonat voluntatẽ in præsenti semper: non enim sufficit accepisse, vel accepturum esse, sed accipere, quasi semper præsenter (aliàs potentialiter) Vnde *Lu.* 9. Qui non accipit crucem suam quotidie: quasi sẽper in præsenti habens eam. *Gal.* 3. Ante quorũ oculos Christus proscriptus est in vobis crucifixus: & ideò dicit *Gal.* 6. Ego stigmata Domini mei IESV in cor. m. porto. Non dicit portaui, vel portabo: Quod enim est sẽper præsens, hoc semper nouum non conuersum in tædium, nec deficiens, nec expectatum in futurum. *Ps.* 76. Dixi, nũc cepi: hæc mutatio dexteræ Excelsi. Et hoc cõgruit æternitati, quæ semper in præsenti stat. Quia dicit *Boë.* quòd nunc stans & non mouẽs sese: semper æternitatis facit. Quid autẽ accipiendum est: quia crucem debemus accipere. *Heb.* 13. Exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes. *Ioan.* 19. Exiuit baiulans sibi crucẽ. Crux autem figura est Christi, qui in se, & pro aliis patiebatur, & mundo crucifigebatur: & ita in nobis caro crucifigenda, proximo cõpatiendo: & mundo crucifixi esse debemus: & de primo *Apost. Gal.* 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. *Gal.* 2. Christo confixus sum cruci. 1. *ctr.* 2. Christus pro nobis passus est, vobis relinquẽs exemplum, vt sequamini vestigia eius. Proximi autem compassio describitur *Ezech.* 9. Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium. *Mal.* 3. Si affiget homo Deum quia vos configitis me. *Lu.* 2. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Thren.* 1. Foris interficit gladius, hoc est, pro his, qui sunt foris. Et mundo crux vita nostra. *Gal.* 6. Mihi abiit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mũdus crucifixus est, & ego mũdo. *Isa.* 65. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem. Sequitur, cuius, cùm dicit [suam nõ alienam, sicut Simon in angaria *Mar.* 15. Nostra enim crux, est quæ nobis imponitur, non alienis humeris imponenda. 1. *Co.* 10. Sicut portauimus imaginem terreni, sic portemus imaginem cælestis. *Ro.* 6. Si complãtati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus [Et sequitur me] Ecce tertium, vbi ponit intentionẽ: & hoc est perfectionis, sequi Regem factorẽ suum. Sicut dicit *Eccl.* 2. *in.* 22. Paratus sum tecum & in carcerem & in mortem ire [non est me dignus] Tertium est, quia talis indebite conuertitur ad seipsum à me abstractus.

Qui inuenit animam suam, perdet illam.

Hic explanat modũ accipiendi crucem: & tangit duo, modum oppositũ cruci, & modũ crucis. Modũ oppositum cruci tãgit, quando dicit [Qui inuenit] hoc est, qui in præsentibus bonis inuenire quærit [animam suam] ab animalitate dictam, nihil nisi animalia quærentem, sicut bruta, quæ felicitatẽ cũ Epicuro in carnalibus ponunt. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, quia spiritualiter examinatur. Prona est hæc in terrena, non attollens vultum ad cælestia: sicut homo imaginem Dei contemplans [perdet illã] & hic & in futuro. 1. *Co.* 6. Esca vẽtri, & vẽter escis: Deus autẽ & hũc, & has destruet. *Io.* 12. Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eã.

Et qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Ecce modus conformis cruci: & dicit tria, perditionem animæ. *Eccl.* 18. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: & loquitur subtiliter: hæc enim anima potiùs est habitus, quã animæ natura, sed (alias vel) potentia naturalis. Et hæc dispositio inuenitur continuè ex passionibus, & actibus animalibus: & continuè ex passionibus & actibus crucis Christi rationalibus. Et dicit [propter me] notans intentionem, ne propter se, vel laudem faciamus. Et tertiò subiungit mercedem, cùm dicit [inueniet eam] Non vt animalem, sed vt perfectam optimæ rationalis animæ, sicut inferiùs inuenitur, cùm reducitur ad superioris felicitatẽ. *Heb.* 12. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, in dextra Dei sedet. *Ioan.* 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui me misit

Hic tangit auctoritatem commissam Discipulis; & quia recipiẽs & sustentans Apostolu collaborat cõtribuendo; ideò tãgit de mercede recipientium: & tangit receptos sub triplici differentia, scilicet

Prophetæ,

Prophetæ,qui sunt Doctores:& iusti,qui sunt perfectionis prædicatæ imitatores : & Discipuli,qui sunt per auditum ab eis fidem accipientes. Tangit etiam ea, quæ impenduntur talibus, & exemplificat in minimis, vt intelligatur de omnibus aliis. Et secundum ista diuiditur pars ista in duas, in auctoritatem receptorum,& beneficia recipientiũ. Beneficia recipientium sunt duo simpliciter intellecta secundum opera misericordiæ:vel in minimis propter eos,qui facultates non habẽt:& receptiones secundum opera misericordiæ intelliguntur maiora & minora secundum dignitates Prophetæ iusti & discipuli.Auctoritas autem describitur duplex, Filij.s.& Patris, qui est principium diuinitatis. De primo dicit [Qui vos recipit, me recipit] quia vt legati mei venitis. *Lu.*10.Qui vos audit,me audit:& qui vos spernit, me spernit.Et *Lu.*9.Qui me recipit, recipit eum,qui me misit. *Io.*10.Ego & Pater vnum sumus.*Io.*14. Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Ezech.*3. Domus Israel nolunt audire te : quia nolunt audire me.

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet:Et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet & quicunque potum dederit vni ex minimis istis,calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli,amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Hic tangit receptorum differentiam. Est autem Propheta eodem sensu & spiritu scripturas exponens,quo editæ sunt:& dicit [in nomine] Non in persona:quia etsi pseudo sit:tamen mercedem recipientis accipiet, quãdiu nomini dat sustentationem,& vitium non fuerit imitatus.*Ro.*12.Necessitatibus Sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes.*Heb.* 13. Beneficentiæ & communicationis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus.*Heb.6.*Non iniustus est Deus,vt obliuiscatur operis vestri, & charitatis, quam ostendistis in nomine eius: qui ministratis Sanctis & ministratis. Et hoc est [mercedem Prophetæ accipiet]Aut quæ debetur pro Prophetæ receptione : aut quæ ipsi Prophetæ debetur pro doctrina: aut etiam donum aliquando Prophetæ. Vnde 3. *Re.* 18. Abdias,quia pauit Prophetas,donũ meruit Prophetiæ.Et 3. *Re.*17.Vidua recipiendo Prophetam meruit farinæ & olei indeficientiam.2.*Cor.*9. Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementum frugum iustitiæ vestræ.

Et qui recipit iustum] non docentem [in nomine iusti] hoc est, sustentandæ in ipso iustitiæ [mercedem iusti accipiet] *Ecclesia.*12. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam:& si nõ ab ipso,certè à Deo vnde *Iosue* 2.Raab adiuncta est genealogiæ Domini:quia recepit exploratores. Sic enim. 1.*Re.* 30. Æqua est portio procedentium ad bellum,& remanentium ad sarcinas.

Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis] qui sua pro Domino reliquerunt nihil accipientes à contribulibus, & profecti sunt propter Deum sicut dicitur in 3.*Ioan.*[calicem aquæ frigidæ]vt nulli sit excusatio: aut etiam ipsam solã dederit voluntatem,sicut dicitur 2.*Cor.*8.Si voluntas prompta est secundum id,quod habet,accepta est, non secundum id,quod non habet[in nomine discipuli]Et si non in persona. Et discipulus est minor iusto, qui nuper accepit auditum, adhuc est imbuendus [Amen dico vobis] hoc est, fideliter dico[non perdet mercedem suam]triplicem, sicut dictum est *sup.* 1. *pr.*4 Hospitales inuicem sine murmuratione : sic enim Abraham cognitionem meruit Trinitatis,& futuram promissionem benedicendi in ipso seminis. *Gen.*18.Sic & Loth liberationem à Sodomis *Gen.* 19.

CAP. XI.

Et factum est, cùm consummasset IESVS: *præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde,vt doceret & prædicaret in ciuitatibus eorum.*

HAbita ordinatione Prælatorum tanquam nobilium membrorum corporis mystici, hic subiũgit ordinem corporis mystici secundum se in comparatione ad statum corporis, & in comparatione membrorum ad se inuicem:& ideò sunt hic duæ partes, in quarum prima proponit ordinem determinatum secundum statum corporis,& in secunda determinat ordinem secundum officia mẽbrorũ. Ordo autem status corporis determinatur secundum tres status, secundum.s.ordinem inceptionis, & hoc determinatur in isto capitulo:& secũdum ordinem progressionis,& officia personarum in corpore mystico:& secundum ordinẽ finis: & iste tertius status determinatur.à.21.ca.vsque ad 26.Istud autẽ capitulũ,in quo determinatur ordo secundũ initium corporis mystici,quod est corpus hominis Christi,diuiditur,in partes duas,in quarũ prima quasi continuat dicenda dictis,& vtitur trãsitu quodam:in secunda autem tangit proprietatẽ principij in principio Ecclesiæ *Ibi.* [Ioann. autem cùm audisset &c.]In prima harũ tria dicit,in quorum primo præcedentis instructionis notat consummationem per hoc, quod dicit[Et factum]hoc est, dicere: Et perfectum est hoc de instructione. *Deu.*32.Dei perfecta sunt opera,& omnes viæ eius iudicia. Determinat autem secundò quod factum est,cùm dicit[cum consummas.Ie.]hoc est,cum ad summam perduxisset IESVS sermones istos[præcipi.duode.disci.su.]Ergo videtur,quòd omnia,quæ dixit in præcedenti(aliàs præsenti)cap.sint præcepta. Et ad hoc dicendum, quòd ista in prima & particulari missione sunt præcepta eo modo intellecta,sicut in præcedentibus interpretata sunt.Tamen præceptum dicitur dupliciter, præceptum. s. magistri,& præceptũ legislatoris. Præceptum autẽ magistri est sicut regula morum, vel operis, quod exercendũ est;sed non obligat nisi sicut ars. Quia sicut dicit *Tul.* Ars est collectio multorum præceptorũ ad eundem finem tendentium:& de talibus præceptis loquitur hic. Et hoc præceptum dicitur quasi anteceptũ, vel captũ, vt teneatur, quasi ratio operũ. Aliter dicitur præceptum ex vi coactionis pœnæ obligatorium ad faciendum : & hoc modo potest dici, quòd non sumitur hic præceptum, sed in *Exo* 20.Non erunt tibi dij alij præter me.

Transiit inde] in demonstratione potestatis,bonitatis, & sapientiæ. In demonstratione potestatis *Lu.*4. Iesus autem transiens per mediũ illorũ ibat. Hic enim trãsitus factus est,cùm Dominum vellẽt de monte præcipitare. In demonstratione autem bonitatis *Act.*10. Qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo &c. In demonstra

monstratione autem Sapientiæ sicut dicitur hic, & *sup.* 4. Circuibat IESVS totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni. Adhuc autem aliquando transiuit per depositionem assumptæ infirmitatis. *Ioan.* 13. Sciens IESVS, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc modo ad Patrem. Sic ergo dicit [Transiit inde] Hoc est de loco, vbi Apostolos instruxerat [vt] sicut Apostolis dixerat, ita exemplum dans [doceret] rationalia [& prædicaret] supernaturalia, ad quæ fides illuminat. *Mat.* 4. Docens in Synagogis eorum & prædicans Euangelium regni [in ciuitatibus] vbi maior fuit conflux hominum propter vrbanitates: & vbi magis erant auditiones rationales ad discernendum audita [eorum] hoc est Apostolorum: non quæ suæ essent, vel inhabitarent, sed de quibus nati, & in quibus noti & conuersati, vt ibi eos ad omnia contemnenda instrueret. Vel per notitiam eorum alios etiam attraheret, & vt ostenderet aliis: quoniam fides primum Iudæis esset offerenda, vt inter eos, qui scripturas nouerant, probata iam certificata gentibus offerretur.

Ioannes autem cùm audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis ait illi: tu es qui venturus es, an alium expectamus?

Hic post transitum in quo dicenda dictis continuauit inceptionem Ecclesiæ describit. Diuiditur autem hæc pars in tres partes, in quarum prima ostenditur à diebus Ioannis finem esse Synagogæ & principium Ecclesiæ: in secunda ponitur ex, probratio eorum, qui principia fidei incipientis Ecclesiæ non recipiunt *Ibi* [Cui autem similè æstimabo] In tertia ponitur gratiarum actio ad Deum Patrem pro his, qui fidem nascentis Ecclesiæ per reuelationem Patris acceperunt *Ibi* [In illo tempore respondens IESVS dixit] Prima harum diuiditur in partes duas, in quarum prima per officium Ioannis describitur Ecclesiæ principium: in secunda describitur huius principij forma & modus *Ibi* [Qui autem minor est in regno cælorum] Adhuc prior harum duo continet, quorum primum est directio ad Christum, sicut ad Ecclesiæ caput facta per Ioannem; secundum autem est laus Ioannis in terminatione Synagogæ, & principio Ecclesiæ per præcursionis officium *Ibi* [Illis autem abeuntibus] Adhuc in primo horum duo continentur, directio. f. facta ad Christum à Ioanne, & certificatio directorum *Ibi* [Et respondens IESVS &c.] In primo horum tria sunt, opportunitas, siue occasio missionis, missio, & interrogationis iniunctio.

De primo ergo dicit [Ioannes autem] Baptista [cum audisset] referentibus discipulis, qui permittebantur ad eum accedere propter hoc, quòd Herodes tenebat eum [in vinculis] quibus procurante Herodiade vinctus fuit, sicut dicitur *Mat.* 6. Herodes enim tenuit & liganit Ioannem propter Herodiadem. *Lu.* autem 7. habetur idem [opera Christi] miraculorum. *Ioan.* 5. Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me: hæc igitur relatio discipulorum Christo inuidentium, vt *sup.* 9. diximus, causa est missionis: vnde sequitur.

Mittens duos] Vt in ore duorum, vel trium testiõ ster omne verbum etiam apud alios dubitantes *Deu.* 17. [de discipulis suis] Fortè magis æmulantibus, vt illis certificatis etiam alij certificarentur.

Ait illi] Ecce interrogationis iniunctio [Tu es, qui venturus es] Simile *Ioan.* 1. Qui post me venturus est, ante me factus est. Erat enim venturus Christus post Ioannem, non modo in persona, sed in efficacia Sacramentorum: & in constitutione Ecclesiæ, & officio Redemptionis [An alium expectamus] Innuit Ioannes alium expectari, cuius expectatione voluit Discipulos auerti, ne cum Iudæis excæcati Antichristum pro Christo præstolarentur, & susciperent, sicut dicit *Chrys. Ioan.* 5. Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine eius, & illum suscipietis.

Quæritur autem hic vtrum Ioannes dubitauit; videtur autem mirabile si de hoc dubitare potuit, quem intra materna viscera obstrusus cognouit, quem spiritus in deserto reuelauit, cui columba insedit, super quem vox Patris intonuit, sicut digito demonstrauit, cui testimonium, quòd mundi peccata tolleret perhibuit, de quo, quòd agnus immolandus esset, prædixit, ad quem Andream cum alio misit, cui detrahentes discipulos corripuit, cui Iudæis quærentibus testimonium perhibuit: quæ omnia *Lu.* 1. *Ioan.* 1. &c.] legimus fecisse Ioannem; propter hoc dicit *Gre.* quòd non dubitauit Christum esse Messiam in lege promissum, vel venisse in carne (aliàs carnem) sed potiùs, vtrum per se descensurus esset ad inferna, sicut per se venit in mundum: vel hoc per alium esset impleturus.

Sed cum descensus ad infernos sit de articulis symboli Apostolorum, qualiter Ioannes illuminatus & illuminator ad fidem de illo potuit dubitare: Et ad hoc posset dici, quòd non dubitauit de articulo, sed de modo articuli: descensus enim completur in liberatione eorum, qui in inferno sunt: de quo non dubitauit Ioannes, cum hoc scriptum sciret, *Zach.* 9. Tu in sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu, in quo non est aqua. Et *Ozee* 13. O mors ero mors tua: morsus tuus ero inferne. Sed quia hoc Christi completur passione & virtute, sicut per causam potuit dubitare (aliàs dubitari) de modo vtrum facta iam Redemptione per mortem alium missurus esset eductionis ducem, qui clausos iam liberatos educeret: vel per seipsum descendens inferna visitaturus esset. Et sic loquitur *Greg.* Et hoc quærebat Ioannes, vtrum prænuntiare in inferno ad lætitiam ibi detentorum deberet. Sed quia hoc in verbis Ioannis non exprimitur, ideò *Amb.* aliter soluere videtur, distinguens triplicem esse causam interrogationis, vnam quidẽ cæcitatis, sicut Iudæi de Christo *Ioan.* 10. Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Aliam autem dubitationis, sicut discipuli de Christo *Io.* 1. Rabbi, vbi habitas? Et hæc aliquando est dicta ad credendum tarditas *Lu.* 24. O stulti & tardi corde ad credendum. Tertiam pietatis. *Ioan.* 11. Christus quærit, vbi posuistis eum? Sicut etiam mater de filio in exilium eunti quærit sciens. Relinques matrem, fili, tã dilectam, & tam te diligentẽ? Et hũc modũ quæstionis dicit factũ esse à Ioanne propter teneritudinẽ dilectionis ex pietate quærente, quod tamen sciuit futurum: quia indignum vidit esse Domino maiestatis, licet ad redemptionem esset necessarium. Sed quia nec hoc in verbis Ioannis exprimitur: igitur cum *Aug.* & *Chrys.* videtur dicendum, quòd non sibi,

sibi, sed discipulis Christi gloriam zelantibus quæsiuit, acsi diceret. Sæpe vos commonui & non credidistis, quòd ipse esset: ecce mitto duos ex vobis, & dicite ei. Tu es &c. vt per vos ipsos certificati magis acquiescatis. Ego enim non sum Christus, sed ipse, qui spiritum non accepit ad mensuram, qui vt sponsus sibi exhibet gloriosam Ecclesiam non habentem maculam neque rugam *Eph.* 5.

Et respondens IESVS, ait illis: Euntes renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.

Ecce certificatio discipulorum de Ecclesiæ fundatione, & intermittitur causa breuitatis historiæ: qualiter venientes à Ioanne interrogationem apud Christum proposuerunt [Euntes renunciate Ioanni] Tria tangit, vt Ioanni amico, vnde gaudeat, renuncietur, & per quæ fides confirmatur, & vnde dubitantes reprehenduntur. De primo dicit [Euntes renuntiate Ioanni] qui congaudet de vestra certificatione *Ioan.* 3. Amicus sponsi stat, gaudet ad vocem sponsi & sponsæ [quæ audistis & vidistis] Præsentia enim vidistis, & præterita audistis. Et per hoc intelligitur, quòd aliquandiu fuerunt cum IESV. Et quia plures discipulorum IESV etiam fuerant cum Ioanne, sicut Andreas: ab illis tanquam à notis & fide dignis de non visis audierant: & sic per duos sensus discipulinales instructi, sufficienter fuerant certificati. *Iob vlt.* Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te: idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam. *Luc.* 10. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis &c.

Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.

Hic tangit duo, quorum est vnum reparatio corporum, & alterum pertinens ad reparationem perfectam animarum. Reparatio autem corporum aut est secundum totum, aut secundum partem. Si secundum totum, aut secundum corruptionem solius corporis, aut secundum conjuncti dissolutionem, ex hoc, quòd anima corpus non continet corpore corrupto: & priori quidem modo est leprosorum mundatio; secundo autem mortuorum resurrectio. Si autem est secundum partem, cùm duo sint, in quibus antiqui dixerunt animarum perfecta anima ab inanimato differre motu & sensu: aut est secundum motum: & sic est, quòd claudi ambulant. Aut secundum reparationem sensus: & duo sensus sunt, qui & maximè sensus habent rationem, & sunt disciplinabiles, qui sunt visus, & auditus: & secundum reparationem quidem visus est, quòd cæci vident; secundum reparationem autem auditus est, quòd surdi audiunt: & in his intelligitur omnis alia reparatio.

Cæci vident] *Isa.* 35. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cerus claudus, & aperta erit lingua mutorum *Ioan.* 9 In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant: & qui vident, cæci fiant. Et *ibi.* A sæculo non est auditum, quòd quis aperuit &c. *Soph.* 3. Sanabò claudicantem: & eam, quæ abiecta fuerat, reuocabo: & hæc duo nunquam accidentant, nisi à Christo [leprosi mundãtur] Hoc rarò, & si aliquando: tamen non virtute propria mundantis, sicut Christus per imperium. *Sup.* 8 Volo mundare. *ib.* 17. Occurrerunt ei decem viri leprosi [Surdi audi.] *Mar* 7. Bene omnia fe &c [Mortui resurgunt] Et hoc ante rarò accidit, & non propria virtute per imperium, sed per preces: sed Christus imperando. *Mar.* 5. Puella, tibi dico, surge. *Lu.* 7. Adolescens, tibi dico, surge. *ibi.* Lazare, veni foras [pauperes euangelizantur] *ib.* 14 Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Amos* 9 Suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit & reædificabo aperturas murorum eius: & ea, quæ corruerant, instaurabo: hoc autem, quod pertinet ad perfectum animæ complementum, est, quòd pauperes spiritu; qui, sicut suprà quinto notauimus, in omnibus huius mũdi bonis se insufficientes existimant [Euangelizantur] non diuites, qui in mundo se sufficere putant. *Iac.* 2. Nonne Deus elegit pauperes diuites in fide & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se.

Deinde subiungit, vnde reprehenduntur dubitantes, dicens [& beatus est] per certam speciem beatitudinis futuræ [qui] fide firmus [non fuerit scandalizatus in me] Occasionem ruinæ in me non acceperit, cum infirmitatem ostendam in passione *Lu.* 2. Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur, 1. *Pet.* 2. Vobis ergo honor credentibus; non credentibus autem lapis De quo *Isa.* 8. & *Ro.* 9. Quem reprobauerunt ædificantes, & lapis offensionis & petra scandali hi, qui offendunt in verbo: nec credunt in quo & positi sunt.

Illis autem abeuntibus, cœpit IESVS, dicere ad turbas de Ioanne.

Hic ponitur laus Ioannis eo quòd suæ præcursionis officio fecit ad Ecclesiæ inchoationem: vnde in hoc pars ista terminatur. Laus autem Ioannis est in tribus, in constantia virtutis, in austeritate rigoris, & in officio præcursionis; & hæc notantur hic per tres responsiones tribus interrogationũ: per quas etiã patet istius partis diuisio. Primò autẽ notatur, qualiter opportunitas inducitur istius laudis, cum dicit [Illis autem] discipulis Ioannis [abeuntibus] ne præsentibus eis adulatio videretur. *Psal.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum [cœpit IESVS dicere ad turbas de Ioanne] ne ex interrogatione facta per discipulos de Ioanne scandalizarentur, faciles enim, & proni erant ad scandalum, sicut & contra Dominum scandalizabantur de facili aliquando de sua prædicatione, sicut *infra* 15 Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt. Aliquando etiam de ipsis miraculis scandalizabantur *Mat.* 6. Vnde huic tanta sapientia, & virtutes, quæ per manus eius efficiuntur? Nonne hic est fabri filius? & scandalizabantur in eo. Discipuli autem etiam post visa miracula scandalizabantur de passione. Vnde *infra* 26. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte: & ideò multum præmunit à scandalo, & laudat Ioannem: quia scandalũ contra Ioannẽ redũdaret in totius Ecclesiæ cõcussionem.

Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.

In hac quæstione tria notantur, auiditas in exitu, & labor in progressu in desertum, admiratio in visu: Et hæc tria sunt in omnibus aliis quæstionibus. *Luc.* 3. Exibant ad eum, vt baptizarentur ab ipso. Et *Ioan.* 1. dicitur. Vox clamantis in deserto: quia cum labore sua relinquentes in desertum exibant. Pro miraculo autem aspiciebant pilis camelorum tectum, zona pellicea præcinctum, locustis pastum. Sicut habetur *ibi.* 3. Hoc est ergo, quod dicit [Quid] pro miraculo & prodigio [existis] vestra relinquentes [in desertum] tanti laboris viam assumentes [videre] Et hanc quæstonem soluit per aliam quæstionem dicens [Arundinem vento agitatam] hoc est, nunquid hominem leuem omni vento circulatum? Qui in prosperitate mihi testimonium perhibuerit: & modò in aduersitate victus de me dubitauerit? Qui in iuuentute plenus spiritu fuerit: & modò vacuus, sicut arundo? Qui sicut hypocrita foris exhibeat aliquid pulchritudinis, & intùs nihil habeat nisi inanitatem vacuitatis? Cuius generatio sit in humore concupiscentiæ, & habitatio quies libidinis? Qui tam fragilis sit & inconstans, cui nemo inniti debeat nisi cum periculo innitentis confringatur? quasi diceret Non: sed potiùs constantem etiam in carcere, non inclinabilem à veritate, & spiritu, quo repletus est ex vtero matris, nunc plenùs exuberantem in veritatis confessione: qui non in humore carnalis concupiscentiæ natus, sed Angelo nuntiatus: & in siccitate deserti nutritus: & ita fortis, quòd nec mortis metu & carceris deserit veritatem. Arundo enim flexibilis est vento, qui persuasionem significat 1. *Reg.* 14. Percutiet Deus Israël sicut moueri solet arundo in aqua: & euellet Israel de terra bona. *Eph.* 4. Non simus fluctuantes, & non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum. Arundo etiam vacua est intùs, & extra splendens & pulchra. *Iob.* 8. Nunquid virere potest scirpus, aut carectum sine aqua? *Sap.* 3. Tanquam scintillæ in arundineto discurrent Sancti, hoc est, in vacuis à gratia extendentes eos. Arundo etiam in humorosis crescit *Iob.* 40. Sub vmbra in secreto calami, in locis humentibus. Arundo etiam est fragilis. *Isa.* 36. Confidis super baculum arundineum confractum illum Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, confringetur, & perforabit manum eius.

Sed quid existis hominem videre, mollibus vestitum] Hoc accipitur dupliciter, literaliter, & metaphoricè. Literaliter quidem mollis duo importat, mollitiem videlicet resolutæ commoditatis, & nitorem pretiosæ vestis. *Luc.* 15. Induebatur purpura & bysso. Byssus enim dicit resolutæ mollitiei commodum, & purpura pretiosæ vestis indumentum. *Act.* 12. Herodes vestitus veste regali sedit pro tribunali: & post modicum consumptus vermibus expirauit. Et dicitur in Historia Ecclesiastica, quòd vestis erat ex splendore auri & argenti contexta: in quam dum inciderent solis radij, ex polito metallo reuerberatis & multiplicatis radiis splendorem prætendebat diuinum: & ideò populus acclamabat Dei voces: & tunc percussus consumptus vermibus expirauit. 1. *Pet.* 3. Quarum non sit extrinsecùs capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, *Ecclesiasti* 11. In vestitu ne glorieris vnquam. *August.* Fateor, de veste pretiosa erubesco. Non enim decet hæc membra, non hos canos, non hanc professionem. Metaphorice autem mollibus induitur, qui blandis adulantium sermonibus circumtectus peccatoribus adulatur *Psal.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Vnde *Supra.* 3. Genimina viperarum quis vobis demonstrabit fugere a ventura ira? *Ecclesiastic vlt.* Verba sapientum quasi stimuli & claui; sed compungunt acutè & in profundum. De his adulatoribus *Ezech* 13. Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus. Puluillus enim sub cubito consuitur; quando mollis sermo peccatori sub brachio peccati substernitur, quo in peccato suauiter appodiatus diutiùs retineatur.

Ecce qui mollibus] prædicto modo [vestiuntur in domibus] Non in carceribus [Regum sunt] Reges enim gentium tales, vt dicit *Arist.* gratiantur sicut Sardanapalus, qui in peccato eisdem adulantur. Hi sunt enim, de quibus dicitur *Isa.* 30. Dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ tecta sunt: loquimini nobis placentia: videte nobis errores. Talis igitur non fuit, cuius pro stupore aspexistis vestem de pilis camelorum, vilem & hispidam: & circa lumbos eius zonam pelliceam: & qui durè reprehendit Regem cum Herodiade de coniunctione adulterina stupri crimine cumulata.

Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te. Amen dico vobis: non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista.

Ecce commendatio ab auctoritate doctrinæ: & dicit tria, quorum primum est doctrinæ inspiratio diuina: secundum vtilitas doctrinæ in præparanda Redemptoris via: tertium autem est vitæ sanctitas eximia: & hæc patent in litera. Primum est ad Deum, secundum ad proximum, tertium ad seipsum. Item primum ex reuelatione contemplationis, secundum est optimæ actionis, tertium autem eximiæ virtutis. Adhuc primum est honoris, secundum vtilitatis, tertium autem sanctitatis; & primum horum secundo dat facultatem: secundum autem tertio dat meritorum perfectionem. Istam igitur quæstionem affirmando determinans dicit [Etiam] quasi dicat. Ipse est Propheta *Luc.* 1. Tu puer Propheta Altissimi vocaberis &c. *Iere.* 1. In vtero nouite, & Prophetam in Gentibus dedi te. Est enim [Propheta] diuinam habens inspirationem ad hoc, quòd rerum de verbi Sacramentis euentus existentium, sub immobili veritate denuntiet. Non solùm autem est Propheta, sed [plusquàm Propheta] quia cæteri tantùm cecinere varum corde præsago iubar affuturum. Sed Ioannes quidem mundi scelus auferentem agnum indice prodit. Prædixit enim & demonstrauit. Vel [plusquam Propheta] in hoc, quòd ante vsum vitæ motum ostendit prophetiæ *Luce.* 1. Exultauit in gaudio infans in vtero meo. Adhuc etiam sicut

sicut Propheta Christum prædicauit post se venturum: plus autem quàm Propheta baptizauit: per columbam, demonstrauit, & per vocem Patris.

Sed obiicit *Ioan.* 1. Dixit Ioannes. Non sum Propheta. Et *infrà eadem.* Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Responsio: dicendum, quòd Propheta propriè & strictissimè loquendo est qui procul in futurum fatur de verbo & Sacramentis verbi: & hoc per diuinam accipit inspirationem. Sed aliquo modo nō propriè dicitur Propheta nisi habens diuinam inspirationem & materiam: quia de verbo & sacramentis eius, sed non procul in futurum promittens, sed digito exhibens. Hoc enim est Apostoli: & sic Ioannes est Propheta. Primo autem modo putabant Iudæi Ioannem esse Prophetam, quando negauerat se esse Christum, & hoc negauit Ioannes; quia non fuisset præcursor Christi, sed promissor, vt alij Prophetæ. Et primo modo, dicti Prophetæ & lex currebant vsque ad Ioannem, sicut infrà dicetur.

Hic enim est, de quo scriptum est] *Malach.* 3. Et est commendatio ab officio, & sunt verba Patris ad filium [Ecce] q. d. in propatulo, & est publicum [mitto] in obsequium tuum, ô fili [Ange me.] Non natura sed officio, & Vitæ cælibatu, & actu illuminationis. Officio quidem, quia parabat viam sicut Angeli. *Lu.* 2, Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius *Isa.* 62. Transite per portas, planum facite iter, parate viam populo, & eligite lapides. Angelus autem vitæ cælibatu: quia virgo cælibatum duxit, *Matth.* 22. Neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. Illuminatione: quia docuit & illuminauit sicut Angeli faciunt. *Malach.* 3. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius. Angelus enim Domini exercituum est. *Iob* 38. Num producis luciferum in tempore suo. *Ioan.* 5. Ioannes erat lucerna lucens & ardens ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Via enim hæc fuit via regenerationis, quam prædicando Baptismum pœnitentiæ præparauit Ioannes. *Luc.* 1. Vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. *Isa.* 40. Parate viam Domini, Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

Amen dico vobis; non surrexit inter natos mulierum] Commendatio est à perfectione virtutis & sanctitatis. Dicit autem [Inter natos mulierum] quia mulier est molliens hominem, vel herum & emollita ab ipso & subacta: & sic nati mulierum sunt nati per coitum: & ideò non includitur virginis filius. Et hoc est, quòd dicit [maior] bonitate [Ioanne Baptista] *Eccle.* 14. Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi *Deut.* 33. Beniamin amantissimus Domini in eo tanquam in thalamo ingiter requiescit. Vel dicatur [maior] dignitate officio præcursionis: quia in hoc medius fuit inter legem & gratiam, terminando. f. legem & introducendo gratiam: ita vicinior est optimo quàm omnes vmbræ legis & Prophetarum, & sic maior est omnibus in lege & Propheris quoad officij dignitatem. Quòd autem vicinè se habeat ad gratiam *Ioan.* 1. Lex per Moysem data est; gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Et Ioannes ministerio suo medius maior omnibus legalibus: & hunc sensum ego puto esse literalem.

Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.

In parte istius principij Ecclesiæ describitur forma & modus: & dicuntur hic tria quorum primum est modus ministrorum; secundum autem modus gratiam Ecclesiasticam percipientium: tertium autem modus terminationis legis & Prophetarum: & hæc patent in litera. De primo dicit [Qui autem minor est] ministrorum [in regno] hoc est, in potestate Ecclesiastica, quæ est regnum cælorum, sicut sæpe supra determinatum est [maior est illo] quia ex quo medius est legis & gratiæ, minister gratiæ maior est eo per eandem rationem: quia ipse maior est omnibus ministris dispensantibus legem, vt patet per antedicta. Confert enim gratiam, qui est minister regni cælorum, quod non fecit Ioannes. Sic enim claues datæ sunt his, qui sunt in regno Christi, quod idem est cælorum regnum, quæ non sunt datæ Ioanni, vel ministris legis. Et hic est sensus literalis & planus: & hoc modo quilibet etiam malus homo minister regni cælorum maior est & Moyse & Prophetis & Ioanne; quia Christus in eo confert, quod non contulit in Moyse, Prophetis, vel Ioanne. Nos enim sæpius ostendimus, quòd regnum, potestas completa est ordinata ad vnum: & regnum cælorum nihil aliud est nisi potestas ordinata ad vnum Regem Christum legibus & gradibus & consiliis & vrbanitatibus cæli distributa.

Sunt autem diuersæ hic sanctorum expositiones non literam sequentes, sed aliter prout cuilibet competit verba ista verificantes. Et dicunt quidam quòd minor in regno cælorum in reputatione hominum fuit Christus quàm Ioannes; & hic maior est Ioanne, sicut ipse dicit. Post me venit vir, qui ante me factus est; quia prior me erat *Ioan.* 1. Alij hoc referunt ad miracula: quia minor in regno cælorum quicumque sanctus discipulus Christo adhærens, maior est Ioanne in potestate signorum: quia omnibus illis dictum est: ægros sanate, leprosos mundate &c. De Ioanne autem dicitur, quòd Ioannes quidem signum fecit nullum *Ioann.* 5. Alij referunt hoc ad eos, qui regnant cum Christo: qui propter securitatem maiores sunt Ioanne adhuc in dubiis huius vitæ agente: quamuis enim tunc in limbo, fuerunt tamen Abrahæ sinu recepti; securi spe felici aduentum Domini expectabant. Sic igitur determinatum est qualiter in ministro pro hoc, quòd maior est Ioanne regnum cælorum in potestate introducitur Ecclesiastica.

A diebus autem Ioannis Baptistæ vsque nunc regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem Prophetauerunt.

Hic tangit qualiter percipitur hoc regnum ab his, qui colliguntur in ipso. Dicit ergo quòd [A diebus Ioannis] hoc regnum introducentis [regnum cælorum] quoad iustitiam, & leges cæli, quibus ordinatur regnum; quoad distinctionem officiorum & vrbanitatum, & quoad finem beatitudinis

titudinis, quæ in ipso adquiritur [vim patitur] Vis est impetus fortioris continens id, quod vim patitur intra terminos alienos. Sicut dicit *Tullius*. Violentum autem est, cuius principium est in alio, conferente nihil aliquid eo, quod vim patitur. Sicut dicunt *Arist. & Damascenus*. Et hoc modo violenti spiritus se tenentes intra terminos cælestis iustitiæ sibi per naturam non debitos, dicuntur hic vim pati: & quoad primam gratiam nihil omninò conferunt nisi, quòd obicem non ponunt, sed totum facit Spiritus sanctus. Et sic violenti] virtute spiritus [rapiunt illud] quod non fuit legi concessum, vel Ioanni, qui talem spiritum non conferebant. Vnde *Lu. 16.* Sic habetur. Ex Ioanne Baptista regnum Dei Euangelizatur, & omnis in illud vim facit. Raptus enim & violentus est motus & subitus: quia vi superioris naturæ agit & subitò: quia nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia. *Gen. 49* Ad prædam ascendisti, fili mi. *Isa. 8.* Voca nomen eius, accelera velociter, spolia detrahe, festina, prædare *Isa. 59.* Cum venerit quasi fluuius violentus, quem Spiritus Domini cogit.

Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem Prophetauerunt] Lex enim vsque ad Ioannem statum habuit in vmbra futurorum; Ioanne autem Christum demonstrante promissa legis exhibita sunt, & figuræ veritate impletæ: & Sacramenta sunt impleta per gratiam. *Ioann. 1.* Gratia & veritas per Iesum Christum facta est: & ideò tunc lex habuit terminum, & perfectè terminata est, cùm Dominus in cruce dixit, Consummatum est *Ioan. 19.* Ea, quæ sunt de me finem habent. Similiter Prophetæ spiritu magno videntes vltima, (sicut dicitur *Eccl. 48.*) Non dicebantur propriè Prophetæ nisi quia de Christi gratiis prophetabant, sicut dicitur. *1. Pet. 1.* De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt: scrutantes quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones & posteriores glorias: & tales Prophetæ non fuerunt nisi vsque ad exhibitionem Sacramentorum Christi, quam introduxit Ioannes. *Ecclesiast. 36.* Da mercedem, Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur: & ideò licet posteà fuerunt, qui futura quædam prædixerint, vt Agabus, & filiæ Philippi Euangelistæ: & fortè adhuc sint quidam; tamen non sunt vero nomine Prophetæ vocati, sed secundum diminutam nominis rationem, sicut patet ex superiùs inductis. Tangens ergo inductionis nouæ gratiæ modum, dicit legem & Prophetias terminari ad Ioannem, & inchoare per ipsum nouæ legis exordium, in qua gratia & veritas præfiguratæ exhibeantur: de qua inchoatione subdit, dicens.

Et si vultis recipere: ipse est Elias, qui venturus est. Qui habet aures audiendi, audiat.

Tria tangit, quorum primum est significatio figuratæ locutionis, secundum locutio ipsa figuratè proposita, tertium qualiter debent intelligi. Quòd enim dicit [Et si vultis recipere] Figuratam innuit locutionem. Quoniam quando de rebus aliquis loquitur vera & propria, non est in voluntate audientis recipere, vel non recipere; sed in ipsa rerum veritate, quam recipi oportet: quia super omnia vincit veritas; quando autem figurate loquitur (quia in omnibus figuris quædam sunt similitudines conuenientes, quædam inconuenientes) est in voluntate audientis recipere, vel refutare sermonem; Et ideò de talibus tropicis (aliàs topicis) syllogismus non potest fieri: & in talibus locutionibus peccatum est in problematibus, sicut dicit *Aristo. 2. Topicorum*. Hac igitur de causa dicit [Si vultis recipere] proprietatem officij, & similitudinem attendendo potiùs quàm subiectum personæ [Ipse est Elias, qui] secundum prophetiam *Mal. vlt.* [venturus est in mundum] Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: vt conuertat cor patrum in filios, & cor filiorum ad patres eorum. *Luc. 1.* Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ: vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam. Quia autem hæc figuratiue dixit, subiungit [Qui habet aures audiendi] spiritualia in corporalibus accipiendi [audiat] hoc est, intelligat. *Apoca. 2.* Qui habet aures audiendi, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. *Eccl. 3.* Auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.

Videtur autem esse contrarium, quod dicitur *Ioan. 1.* vbi sacerdotes & Leuitæ quærebant à Ioanne: Elias es tu? & dixit: Non sum. Sed hoc intelligatur secundum veritatem personæ; & non secundum similitudinem officij. Sic ergo noua gratia introducitur per Ioannem: & lex vetus, quæ neminem ad perfectum deduxit. *Hebr. 7.* & etiam prophetiæ terminantur. Et hoc est, quod dicitur *Leuit. 26.* Nouis superuenientibus vetera proiicietis.

Cui autem similem æstimabo generationem istam.

Hic ponitur exprobratio eorum, qui principia fidei Ecclesiæ introducta non recipiunt: & diuiditur in duas partes, in quarum prima ponitur exprobratio generalis; in secunda autem specialis *ibi.* [Tunc cœpit exprobrare] Prior harum autem adhuc in duas diuiditur: ita quòd primò ostendit non recipientium peruersitatem: secundò autem paucorum recipientium laudem *Ibi* [Et iustificata est] In priori harum sunt tres paragraphi, in quorum primo notat peruersitatis istorum magnitudinem, in secundo per metaphoram describit modum, in tertio autem explanat metaphoram: & hæc patent.

De primo dicit [Cui autem] Interrogatio notat difficultatem inueniendi similitudinem ex magnitudine peruersitatis; & ideò etiam similitudo non inuenitur in vno; sed in duobus, & adhuc est imperfecta. *Iere. 2.* Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus [similem æstimabo] in malitia peruersitatis [generationem istam] *Marci 9.* Generatio mala, quamdiu patiar vos: quamdiu ero vobiscum? *Deut. 32.* Generatio enim peruersa, & infideles filij. Dicit autem [generatio] & non homines, vt notet, quòd contractâ per imitationem peccati hæreditauerunt consuetudinem, quam etiam nouis studiis peccando cumulauerunt, *Sap. 12.* Semen erat,

erat maledictum ab initio: & immutari non poterat naturalis malitia eorum. Contra quod dicitur in *Psalm. 77.* Ne fiant sicut patres eorum generatio praua & exasperans.

Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentauimus, & non planxistis.

Ecce per metaphoram descriptio modi peruersitatis istorum: Et non describitur nisi quantum ad solam incorrigibilitatem. Dicit igitur [Similis est pueris] hoc est, puerorum factis, & pactis puerilium ludorum violantibus [qui sedentes] hoc est, in lasciuis (aliàs lusiuis) actibus quiescentes [in foro] Non rerum venalium, sed in theatris vbi ad spectacula ludorum conueniunt homines. Vnde theatrum dicitur à theoro, quod est video, vel contemplor: secundum hoc enim forum, quod est locus publicus hic ponitur: quia etiam in publicis locis venalia exhibebantur [qui clamantes] intentè desiderantes consodales excitare ad colludendum [coæqualibus] conlactaneis & coæuis [dicunt: Cecinimus vobis] hoc est, læta tripudio repræsentabilia modulando cantauimus [& non saltastis] motu membrorum, & agilitate modulationem cantus imitantes [lamentauimus] hoc est, carmina lugubria de promptitudine [& non planxistis] hoc est tristitiæ signa exprimendo non respondistis.

Puerilia autem ista laudabilia sunt, & ludentes & ludi. Pueri enim à puritate laudantur hic, & à quiete, quia sederunt; & à publico, quia non concupiscentiis in obscuro; sed honestos ludos exercebant in publico. De pueris dicitur *Isa. 8.* Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus. Et ideò significat totum cœtum Prophetarum & Patriarcharum. *Isa. 11.* Puer paruulus minabit eos, quia humiles sunt & quia innocentes *Matth. 18.* Sinite paruulos venire ad me. Talium est enim regnum cælorum. Et quia Simplices *1. Cor. 14.* Nolite pueri effici sensibus; sed malitia paruuli estote; sensibus autem perfecti sitis. Et quia Mundi *1. Reg. 21.* Si mundi sunt pueri maximè à mulieribus, comedant panes propositionis. Sic ergo obedientes, puri, humiles, simplices sunt, & mundi. Et per hoc Sanctos significant, qui verbum Dei prædicauerunt. Laudantur etiam à ludi vtilitate & honestate: quia id, quod præcipuè facit conformes, & in pace viuere homines, & mutuò se diligere, hoc est, quòd exhibeant se, sicut dicitur *Rom. 12.* Gaudere cum gaudentibus: & flere cum flentibus, idipsum inuicem sentientes. Et hoc pueri ludere representauerunt, vt consodales ad hoc à iuuentute assuefacerent. Quod autem maximè laudandum est, hoc est, quòd cum illa ætas instabilis sit, & multorum motuum tam honestis exercitiis sederunt. Quia dicit *Arist.* quòd in sedendo quiescendo fit anima sciens & prudens. *Thre. 3.* Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit se super se. Laudabiliter etiam locum publicum elegerunt, vt plures ædificarent. *Prou. 1.* Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam.

In oppositis autem pacta ludi tam honesti violantes vituperantur contribules & coæui consodales istorum: qui fugientes ad latebras concupiscentiarum Indæos significant, de quibus dicitur *Act. 7.* Dura ceruice & indomabili corde, vos semper Spiritui sancto restitistis. *Isa. 65.* Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. Totum autem quod prædicabant Prophetæ fuit, aut cantus exultationis de Christo, vel gratia ipsius, vel præmij gaudiorum, per quæ excitabantur ad spem & amorem: aut fuit de comminatione excidiorum, vel maledictionum, aut pœnarum æternarum: & hoc fuit lamentum, sicut dicitur *Ezech. 2.* quòd in libro erant scripta, lamentationes, & carmen & væ: & hoc clamauerunt intentè (aliàs intensè) monendo, sicut dicitur *Isa. 58.* Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.

Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens: & dicunt: dæmonium habet.

Ecce ponit expositionem, & præmittit de lamento: quia in peccatis inuenit eos. Dicit ergo [Venit enim Ioannes] cuius tota vita lamentum fuit sicut patet *supra 3.* [neque manducans neque bibens] Non enim dicitur manducare, vel bibere: quia delectabilia non comedit, vel bibit. Vnde *Luc. 7.* dicitur. Non manducans panem, neque bibens vinum. *Lu. 1.* Vinum & sicerum non bibet: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. [& dicunt dæmonium habet] Per verba autem hoc dixisse non leguntur, sed per scriptum. *Io. 1.* Quid ergo baptizas, si tu non es Christus neque Elias, neque Propheta? Ac si dicant quid de purificatione te intromittis, cùm Spiritum purificationis principium non habeas, sed potiùs spiritu insaniæ videris agitari, vsurpans tibi purificationem, quæ ad te non pertinet *Iohan. 10.* Dæmonium habet & insanit: vt quid eum auditis? Hac enim de causa miserunt ad Ioannem, vt facerent quòd à populo non audiretur, & contumeliis vt insanus afficerentur.

Venit filius hominis manducans & bibens: & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanus, & peccatorum amicus: & iustificata est sapientia à filiis suis.

Ecce expositio de cantu lætitiæ: & dicit se filium hominis, propter fidem humanitatis contra Manichæum; & propter naturam consortuitatis, propter hominem, & propter formam seruj propter humilitatem. *Phil. 2.* Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens: ecce humilitas. In similitudine hominum factus: ecce familiaris, & fiduciam homini præstans conformitatis. Et habitu inuentus vt homo: ecce fides & erroris dissipatio [manducans & bibens] *Lu. 7.* Hoc est comedendo & bibendo: lætitiam veniæ & gratiæ & gaudij æterni præfigurans. *Nehem. 8.* Sanctus dies Domini est, nolite contristari; sed comedite pinguia, & bibite mulsum & sequitur: Gaudium enim Domini est fortitudo vestra. *Sap 9.* Non possunt filij sponsi ieiunare, quamdiu cum illis est sponsus. *Psal. 41* In voce exultationis & confessionis sonus epulantis: & Ideò tam Iudith, quàm Esther dies gaudij solemnizantes, in conuiuiis fuerunt.

[& dicunt. Ecce homo] quasi nihil deitatis ostendens [vorax] Sonat in auditatem gastrimargiæ, hoc est, insaniæ ventris. Gastris enim venter est, & margino, est idem, quod insanio [& potator vini] Acceperunt ex hoc, quòd *supra* : Leui fecit enim conuiuium magnum in domo sua. *Luc.* 7. Ecce homo deuorator & potator vini, quod sonat in coniuctudinem. Sunt autem quidam, qui exemplo Domini hic suam excusant edacitatem, qui non metas temperantiæ custodiunt ; nec piis epulis gaudia æterna spiritus lætitia prætendunt : nec conuictu homines ad Deum conuertunt ; sed ventri student volentes religionem esse edacitatem. *Rom.* 16. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. *Philip.* 3. Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis, & nunc flens dico inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusionem eorum, qui terrena sapiunt. *Prou.* 23. Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum *Nahu.* 1. Sicut spinæ se inuicem complecuntur ; ita conuiujum eorum pariter potantium consumetur. Nec reprehendunt tantùm actus Christi ; sed etiam societatem, dicentes [publicanorum] iniustis & crudelibus lucris studentium [& peccatorum] aliorum [amicus] 2. *Reg.* 19. Diligis odientes te, & odis diligentes te. Huiusmodi autem ipse rationem dedit *suprà* 9. Non est opus valentibus medicus ; sed malè habentibus.

Et iustificata est sapientia] Hic laudat quosdam paucos, recipientes fidei sanctitatem introductam: & est sensus : ita illi pariter si conuictum cum peccatoribus inuertunt: cum tamen hoc opus sit summæ sapientiæ, quæ præscit, quòd, vt dicit *Seneca*, generosus est animus hominis, & faciliùs amicitia, quàm violenter trahatur : & ideò, quod peruersi signum dicunt esse gulæ : filij sapientiæ per sapientiam formati, dicunt summæ sapientiæ esse rationem & ordinem. Et hoc est [& iustificata est] Id est, iusta & recta conprobata est [sapientia] quæ omnia ordinat optimè *Sap.* 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. 1. *Corinth.* 1. Qui factus est nobis à Deo sapientia & iustitia [à filiis suis] forma sapientiæ ex ipsa generatis : qui intentionem facti (aliàs factam) sapienter aduertunt. *Eccl.* 4. Sapientia vitam filiis suis inspirauit, & suscipit inquirentes se, & præibit in via iustitiæ. *Foan.* 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.

Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius : quia non egissent pœnitentiam.

Hic incipit exprobrare non recipientibus fidem specialiter, & sub nomine proprio ciuitatum : & diuiditur in partes duas, ita quòd in prima ponuntur verba Euangelistæ quasi continuantis dicta : & in secunda ponitur exprobratio. Dicit ergo [Tunc cœpit exprobrare] Exprobratio est probri in faciem obiectio propter meritum malum facta [ciuitatibus] Non ruricolis simplicibus ; sed ciuiliter dispositis : qui discretionem & intellectum ad discernendum habere poterant ex studio legis & auditu. 1. *Esdre.* 4. manus magistratuum fuit in transgressione hac prima. *Nahum.* 3. Væ ciuitas sanguinum vniuersa : mendacij dilaceratione plena. *Isa.* 1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? Causam autem exprobrationis ponit in genere, dicens [in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius] Virtus autem hic dicitur (sicut in primo de Cælo & mundo) vltimum potentiæ : quia hoc est eleuatum supra potentiam naturæ, sicut miracula excitantia ad admirationem, quæ est via ad fidem, & sicut opera virtutum per exemplum ostendentia mores. *Act.* 2. Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus & prodigiis & signis, quæ fecit per eum Deus in medio vestri, sicut vos scitis.

Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.

Hic incipit exprobratio, & habet duas partes, in quarum prima duabus ciuitatibus simul exprobrat, comparando eas gentibus, non nisi legem naturalem hominis (inquantum hominis naturam ordinantis) transgredientibus. In secunda autem exprobrat vni singulariter, comparando ad gentem legem naturæ (quæ lex generis animalium est) transgredientibus *Ibi* [Et tu Capharnaum. In priori horum sunt tres paragraphi, quorum primus est continens exprobrationem comminationis : secundus causam culpæ, comparatiuam ad transgressionem, & peccatum gentium : tertius aggrauationem pœnarum : & hæc patent in litera.

De primo dicit [Væ tibi Corozaim] Quæ est ciuitas super stagnum Genezareth, sita in Galilæa, ad quam sæpe deuenit Christus, cum circuiret ciuitates & vicos & castella, sicut *sup.* 4. dictum est, licet sub nomine proprio ciuitatis non legatur [Væ tibi Bethsaida] Hæc etiam iuxta idem stagnum in Galilæa est sita. *Ioann.* 1. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri : & secundum Chry. Iacobus & Ioannes etiam erant de eadem ciuitate : & ideò quia suprà dictum est, quòd docebat in ciuitatibus discipulorum : intelligitur, quòd sæpe fuit in ista ciuitate, ex qua tot Apostolos habuit. Est autem comminatio damnationis æternæ pro contemptu, quòd verbum Dei non receperunt.

Quia si in Tyro] Secundus paragraphus tangens causam exprobrationis, comparando ad duas ciuitates gentium, quæ non sunt transgressæ nisi legem rationis : & ideò contemptus earum est minor, quàm istarum, quæ transgressæ sunt legem rationis, & scriptam, & verbum prædicatum à Domino, & viam fidei, quam probabant miracula. Et attende, quòd fit comparatio tam pœnæ quàm culpæ, non nisi quoad contemptum ; & non quoad actum peccatorum: & secundum hunc contemptum etiam fit comparatio pœnarum. Est autem Tyrus metropolis Phenicis, sita in tribu Neptalim, vt dicit *Hieronymus*, licet filij Neptalim non potuerunt eam obtinere à Chananæis. Sidon autem vrbs est non metropolitana, sed secundaria eiusdem Phenicis terminos Chananæorum ad aquilonem respiciens : & fuit quondam insignis & magna [Quia si in Tyro & Sydone]

quæ

quæ sunt ciuitates gentium non nisi lege rationis vtentium [factæ fuissent virtutes] signorum & exemplorum [quæ factæ sunt in vobis] quæ habetis legem scriptam & testimonia Prophetarum. *Psalm.* 147. Non taliter fecit omni nationi; & iudicia sua non manifestauit eis [olim] hoc est, dudum [in cilicio & cinere pœnitentiam egissent] Deuotio hæc ostenditur *Infrà* 15. Ecce mulier Chananæa à finibus Tyri & Sidonis egressa &c. Et sequitur; O mulier magna est fides tua! fiat tibi sicut vis. Quod autem dicit [in cilicio & cinere] notat asperitatem pœnitentiæ ex cilicio, & humilitatem ex cinere. *Iob vlt.* Ago pœnitentiam in fauilla & cinere.

Sed hic incidit quæstio, quare Dominus his non prædicauit, quos præsciuit fore deuotos: & his prædicauit, quos indeuotos fore præsciuit: cum ex prædicatione sua indeuotis creuerit pœna: & ex subtractione prædicationis illis ablata sit salutis via? Ad hoc dicit *Hieronymus*, quòd in ciuitatibus indeuotis quidam erant vocandi, sicut discipuli, quos oportuit primò vocare, qui postmodum essent causa salutis gentium, præcipuè eo tempore, quo exhibenda erat veritas promissis legis, & omnia probanda erant Sacramenta per legem. Hoc enim non nisi in Iudæis fieri potuit: & ideò ante passionem, in qua Sacramenta consummata sunt, non fuit tempus declinandi à Iudæis ad gentes. Cuius etiam alia causa est: ne Iudæis occasio recusandi verbum Dei daretur. Apostoli autem cum non deberent prædicare pisi Sacramenta Christi, expectare oportuit vsque ad Sacramentorum complectionem. Ad quæstionem ergo dicendum, quòd Gentes neglectæ non fuerunt: quia temporibus illis salus erat in eis in lege naturæ & rationis. *Isa.* 46. Redite præuaricatores ad cor. *Rom.* 2. Eiusmodi legem non habentes: naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt; qui ostendunt opus legis scriptum esse in cordibus eorum. Ad aliud dicendum, quòd licet contemptus aggrauet peccatum in audiente & refutante verbum: tamen de officio tenetur Doctor exhibere verbum: quia ad latebras ignorantiæ velle fugere maius & periculosius est peccatum, quàm auditum non suscipere per opus verbum. *Osee* 4. Captiuus ductus est meus populus: quia non habuit scientiam. 1. *Cor.* 14. Ignorans ignorabitur.

Verumtamen dico vobis: Tyro & Sydoni remissius erit in die iudicij quàm vobis.

Hic subiungit pœnæ comparationem: & non intelligitur ista comparatio fieri secundum comparationem peccati in substantia, vel secundum comparationem idololatriæ ad malum, colentem tamen Deum; sed secundum solum contemptum, qui consequitur auditum [Tyro & Sidoni remissius erit] in pœna: quia non contempserunt nisi interiùs vocantem; vos autem vocantem & exteriùs etiam ostendentem signa probantia [in die iudicij quàm vobis] Aut in extremo & generali iudicio: aut in extremo particulari: quando de vnoquoque iudicatur post mortem. *Luc.* 12. Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis. *Iaco.* 4. Scienti, & non facienti peccatum est illi. *Io.* 15. Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum.

Et tu Capharnaum, nunquid vsque in cælum exaltaberis? Vsque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem.

Ecce exprobratio comparata ad gentes, quæ legem naturæ (quæ communiter animalibus indita est) sunt transgressi. Sunt autem hic tria, sicut antè, exprobratio videlicet, & causa exprobrationis, & pœna. Exprobratio autem continet duo: vnum, quod conguit miraculis: aliud autem, quod respondet contemptui. Dicit ergo [Et tu Capharnaum] in qua plura & gloriosiora operatus sum. *Luc.* 4. Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua [Nunquid vsque in cælum exaltaberis] sicut, supple, debetes fide & conuersatione exaltari, tot auditis, & tot visis miraculis. *Psalm.* 20. Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas. *Isa.* 2. Exaltabitur Dominus solus in die illa [Vsque in infernum descendes] propter contemptum. *Abdia.* Si exaltatus fueris, vt aquila, & inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. *Amos* 9. Si ascenderint vsque ad cælum, inde detraham eos. *Iob* 20. Si ascenderit vsque in cælum superbia eius: & caput nubes tetigerit: quasi sterquilinium in fine proderetur. Quidam legunt sic [Nunquid] tua reputatione [ascendes, vel exaltaberis vsque in cælum] Q. d. Non: Sed [vsque in infernum] merito præsumptionis [descendes] me contempto. *Luc.* 18. Qui se exaltat, humiliabitur. *Isa.* 14. Supra astra cæli exaltabo solium meum. Et sequitur. In infernum detraheris ad fundum laci.

Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes] operum, exempli, & miraculorum [quæ factæ sunt in te] Secundum est, in quo ponit causam exprobrationis, non in peccato contra naturam exeunte & naturali; sed tantùm in contemptu vocantis ad fidem & pœnitentiam. *Ezech.* 16. Iustificata est Sodoma soror tua ex te. Sodomitæ enim contempserunt Angelos in specie hominum nulla signa facientes; illi autem maiestatis Dominum plurima signa demonstrantem. *Iohn.* 10. Multa bona opera ostendi vobis in nomine Patris mei. *Ioan.* 5. Opera, quæ ego facio, ipsa sunt, quæ testimonium perhibent de me [fortè] dicit. Norans libertatem arbitrii in Sodomitis; non defectum præscientiæ Christi [mansissent] non subuertisse pœnitentiæ merito [vsque in hùc diem] sicut Niniuemansit *Ioan.* 3. & 6. 1. *Reg.* 21. Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.

Verumtamen dico vobis: quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quàm tibi.

Tertium est, quod est aggrauatio pœnæ sequens contemptum [quia terræ Sodomorum] quæ Angelos in specie hominis contempsit [remissius]

mitius erit in die iudicij] generalis [quàm tibi] *Hebr.* 12. Si enim illi non effugerunt recusantes eum, qui super terram loquebatur, multò magis nos, qui de cælo loquentem nobis auertimus. Sic ergo terminatur exprobratio infidelium ciuitatum.

Moraliter autem loquendo sunt tria genera hominum, quibus Deus propter ingratitudinem exprobrat: quia miracula suæ bonitatis illis maximè exhibuit. Sapientibus enim exhibuit dona intelligentiæ, propter quæ in admiratione mundi positi sunt: & illi significantur per Corozaim, quæ secretum meum interpretatur. *Rom.* 1. Quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis reuelauit. Diuitibus etiam & potentibus huius mundi contulit bona fortunæ, propter quæ & illi sunt in admiratione hominum: & illi significantur per Bethsaidam, quæ domus venatorum interpretatur, quæ dicitur *Eccl.* 13. Venatio leonis onager in eremo: Sic pascua diuitum pauperes. Religiosis autem contulit pulcherrimam quietem: liberas administrans possessiones, vt liberè vacent contemplationi: & propter illam sunt, vel deberent esse in admiratione: & illi significantur per Capharnaum, quæ villa pulcherrima interpretatur. Sed nunc de eis potest dici, quòd fallax est gratia & vana est pulchritudo: Quia ad concupiscentias abutuntur otio, quod contemplationi seruire debuit; & ad luxum diuitiis & possessionibus, quæ datæ sunt in sustentationem studentium virtuti & sapientiæ & laudantium Deum. *Thren.* 4. Filij Sion inclyti & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli.

In illo tempore respondens IESVS dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.

Hic incipit gratias agere pro his, qui veritatem introductam receperant: & diuiditur in duas partes; In gratiarum actionem videlicet: & ad bonum, de quo gratias agit generalem inuitationem *Ibi* [Venite ad me] Gratiarum autem actio continet tria, scilicet, ipsam gratiarum actionem: & quia in ipsa est reuelatio, de qua gratias agit: ideò secundò tangit reuelationis causam: & tertiò tangit modum, sicut patet in litera. Ipsam autem gratiarum actionem circunstant tria, præcedentia ipsam, scilicet, tempus, causa, & actio laudis.

De tempore dicit [In illo tempore] præfinitionis diuinæ, quo consilium æternum Dei patefieri cœpit per effectum, de quo dicitur *Isa.* 49. In tempore placito exaudiui te: & in die salutis auxiliatus sum tui. 2. *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. *Psalm.* 101. Misereberis Sion, quia venit tempus miserendi: & hoc innuitur. *Lu.* 10, vbi est ista litera: In ipsa hora exultauit in spiritu. Non quidem, vt dicit *Chrysost.* de execratione Iudæorum, sed de reuelatione mysteriorum. *Isa.* 46. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Vel exultauit de conuersione gentium: Et quia malo execrationis Iudæorum vsus est ad tantum bonum, quod est totius mundi conuersio. *Rom* 11. Cæcitas contigit ex parte in Israël, donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israël saluus fieret.

Respondens IESVS dixit] Causa est, quare tunc gratias egit. Et hoc notat responsio, quæ est antipophora: quia aliquis dicere posset, quæ est ratio, quòd Iudæus notitiam Dei per Prophetas & legem habens, filium in carne venientem reiecit, & gentilitas deuota recepit. Et huic respondet, vt dicit *glo.* Vel dicere possumus, quòd responsio ista est ad hoc, quod *suprà* dixit, quòd iustificata est sapientia a filiis suis: & est sensus: Ita exprobras reiicientibus gratiam oblatam: Nunquid omnes ita gratiam auditam & visam reiecerunt? [Et respondens IESVS dixit] Et istud est magis secundum literam: quia filij Sapientiæ iustificantes Sapientiam, causa sunt gratiarum actionis: de his enim dicitur *Ioan.* 17. Tui erant: & & mihi eos dedisti: & sermonem meum seruauerunt. Nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt.

Confiteor tibi Pater] Hæc est gratiarum actio: & tangit hic gratiarum actionis modum, & cui fieri debet, & de quo. Modum tangit, cùm dicit [Confiteor] Gratiarum enim actio nihil est aliud, quàm bonorum habitorum ab ipso, à quo habentur, relatio, & magnificentiæ & liberalitatis & virtutis eius propter hoc laudatio: & hoc vocatur confessio: quia & fatetur se habere gratè, & ad fontem, vnde primum bona effluunt, referre. *Eccl.* 1. Ad locum, vbi oriuntur flumina reuertuntur, vt iterum fluant. *Psal.* 108. Confitebor Domino nimis in ore meo &c. *Isa.* 12. Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuersus est furor tuus: & consolatus es me. Ira enim conuersa in consolationem, non in eo, quòd ira, sed in eo quòd ad consolationem irascitur, ira Patris est: & hæc habet confessionis laudem. Est tamen & alia confessio veritatis in prædicatione, de qua *Rom.* 10. Corde creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit in salutem. Et tertia confessio fit peccati. *Iaco. vls.* Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem, vt saluemini. *Iosue.* 7. Fili, da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum: & indica mihi quid feceris. Sed hic agitur de confessione laudis. *Isa.* 25. Domine, meus es tu: & exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quia fecisti mirabilia, cogitationes tuas antiquas fideles amen.

Tibi Pater] Ecce tangit cui confitendum est. Et quia tria sunt in omni, qui facit beneficium, vel præstat, scilicet, liberalitas, & affectus, & facultas: ideò [tibi] dicit. Liberalitatis enim magnificentiam notat in pronomine, cum dicit [tibi] Affectum, quo vult, notat in Patre, cùm dicit [Pater] facultatem, qua potest, notat in Domino, cum dicit [Domine cæli & terræ] Dicit igitur [tibi] qui omnium bonorum largitor es magnificus. *Exod.* 15. Magnificus in sanctitate. *Iaco.* 1. Dat omnibus abundanter: & non improperat. *Rom.* 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? *Psal.* 144. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. Item *Psalm.* 144. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt. Est autem magnificentia, vt dicit *Aristoteles*, liberalitas, siue largitas in magnis [Pater] Mei quidem per naturam

naturam; eorum autem, quibus te reuelas, per imaginem & gratiam. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre. *Ioan.* 20. Ascendoad Patrem meum, & patrem vestrum [Domine cæli & terræ] Non Pater: quia licet cælum & terra à te sint: non habent tecum (aliàs tamen) naturam vnam forma & specie, sicut ego. Nec te imitantur per imaginis & similitudinis conformitatem, sicut homo. Dicit autem, cæli & terræ Dominum, quantum ad propositam pertinet locutionem per metonymiam. Cæli enim dicit, propter cælestes, qui propter eos, quibus se reuelat, sunt missi in ministerium. Terram autem nominat, propter hominem, cui confertur suæ cognitionis beneficium. Dominum autem nominat, eo quòd dominatio (aliàs dominium) vt dicit *Dionysius*, non dicit subditorum excessum tantùm; sed insuper dicit omnium bonorum & pulchrorum veram & omnimodam possessionem: & etiam veram & non nutare valentem fortitudinem: & sic dicit altitudinem honoris & dignitatis, diuitias gratiæ & virtutis, & fortitudinem omnis vigoris & confirmationis. Hic ergo, vt dicitur *Act.* 17. Cæli & terræ, cùm sit Dominus: decorem honoris ostendens, ex diuitiis virtutum larga manu dat dona hominibus. *Ephes.* 4. Terræ conferens cælestia, vt ex cælestibus terrena subleuata locentur in cælestibus. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant eum. *Iudith* 9. Deus cælorum, Creator aquarum, & Dominus totius creaturæ. *Esth.* 2. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem.

Quia abscondisti hæc] quæ sunt de diuitiis reuelationis tuæ, de thesauris sapientiæ & scientiæ in me absconditis. *Ephe.* 3. Det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Absconsio autem hæc non fit aliquid agente Deo; sed vno modo offerente se Iudæis & Gentibus. Et excæcatis Iudæis, hanc lucem non videre contingit propter velamen literæ & carnalis sensus: quod positum est super corda eorum. 2. *Corinth.* 3. Vsque in hodiernum diem idipsum velamen manet non reuelarum. Sicut enim lux æqualiter se offert cæco & videnti: & tamen cæcus manet in tenebris; ita est de claritate notitiæ Dei. Oportet enim nos obicem remouere, si lux illuminare debeat: & hic obex est obstinata voluntas. Sic ergo abscondit. *Iob* 36. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat: annuntiat de ea amico suo, quòd possessio eius sit: & quòd ad eam possit ascendere: & dicit à quibus abscondit: quoniam [à sapientibus & prudentibus] Sapientes autem sunt mundi scrutatores Philosophi, qui causas rerum inquirunt, quod philosophari est vocatum. Sapientia enim est cognitio rerum altissimarum, quas difficile est homini (aliàs hominem) cognoscere. Prudentes autem sunt circunspecti & prouidi & vtiles in conferentibus ad vitam: & ideò est circa actus humanos & circa bona fortunæ ad vitam hominis ordinata. Prudentia enim est, vt dicit *Arist. in Ethicis*, cum ratione recta humanorum actiuus habitus. Sapientes igitur præsumunt de syllogismo; & prudentes de circunspectione commodorum. Et ideò abscondit ab eis lumen fidei. *Isa.* 5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. *Hie.* 29. Peribit sapientia a sapientibus: & intellectus prudentium abscondetur. *Iob* 9. Qui apprehendit sapientes in astutia sua, & consilium prauorum dissipat.

Et reuelasti ea paruulis] Per oppositum dicit veritatem fidei humilibus esse reuelatam: quia sicut dicit *Grego.* Tumor mentis est obstaculum veritatis: eo quòd dicitur *Iaco.* 4. & 1. *Pet.* 5. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Et non dicit stultis & hebetibus, qui opponuntur sapientibus & prudentibus: vt ostendat se non detestari sapientiam mundanam & prudentiam: quæ bona sunt, quando referuntur ad bonum vsum; sed potiùs detestatur vitium tumoris, de quo dicitur. 1. *Corinth.* 8. Scientia inflat: charitas Dei ædificat. *Eccl.* 1. In multa scientia multa fit indignatio: & qui addit scientiam, addit & dolorem. Et ideò tangit oppositum non sapientiæ & prudentiæ: sed eius, quod adiungitur ei, quod est tumor: & dicit [& reuelasti ea paruulis] Est autem paruulus minor paruo: & significat eos, qui nec paruis se anteponunt. Vnde *Ptolomæus Philosophus in proueribiis suis* dicit. Qui inter sapientes est humilior, est inter sapientes sapientior. Sicut humilior lacuna plures recipit aquas. *Psal.* 118. Intellectum dat paruulis. 1. *Cor.* 1. Quæ stulta sunt huius mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes. Vnde *Dan.* 2. & 3. tribus pueris se reuelauit.

Ita Pater] Ecce causa istius discretæ reuelationis, quòd quibusdam absconditur; quibusdam autem reuelatur. Dicit igitur [Ita Pater] qui habes boni affectum [quoniam sic placitum fuit ante te] hoc est, coram te. Suprà autem notatum est, quoniam placitum est pascens in volito voluntas: & est sensus, quòd iusta voluntas & bona & dulcis & discreta, causa est huiusmodi reuelationis, quæ vni conferitur & alteri absconditur: in qua Deus proculdubio antecedenter vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominisvenire, sicut dicitur 1. *ad Titum* 2. Et hoc in duobus intelligitur, quorum vnum est ex parte Dei: quia æqualiter se omnibus exhibet, sicut dictum est superiùs. Et quòd non omnes recipiunt, hoc est ideò: quia non omnes id, quod in se est, faciunt, quod vocatur obicem tollere. Deus enim fons bonitatis omnibus fluit vno modo quoad se. Et sicut dicit *Dionysius*: Æqualiter se expandit per omnes intellectuales vultus. Et sic intelligitur illud *Iaan.* 1 Qui illuminat omnem hominem venientem in hanc mundum. Lux enim iacet super non illuminatum: & quòd non omnes illuminantur, non est defectus lucis; sed defectus lucem percipientis. Vnde *Augustinus in primo de Trinita.* Si quis alij digito solem ostenderit, & ille solem ostensum non viderit; culpet potiùs oculi sui lippitudinem, quàm digiti ostensionem. Aliud, vnde id scitur, est ex parte nostra: quia omnibus naturam rationalem indidit,

indidit, per quam sua potest percipi reuelatio. *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, &c. Et si dicis, quòd præscit excæcationem: & sic ipsa est futura immobiliter. Dico, quòd hoc nihil facit: quia sua præscientia non est causa tuæ excæcationis, licet sit causa tuæ illuminationis. Et ideò nó imponit ei necessitatem: sicut si lumen solis haberet præsciétiam, præsciret quidem cæcum sibi obiectum non fore illuminandú; sed non causaret in eo cæco tenebras: sed in omnibus videntibus causaret illuminationem, quam recepturi forent ex ipso, sicut dicitur 2. *Pe.* 3. Non vult aliquem perire; sed omnes ad pœnitentiam reuerti, 1. *Reg* 14. Non vult Deus perire animam; sed retractat cogitans, ne pereat penitùs, qui abiectus est. *Eze.* 18. Nolo mortem peccatoris; sed vt magis conuertatur, & viuat. *Ose.* 13. Perditio tua Israël ex te; tantùm ex me auxilium tuum. Sic ergo Pater luminum reuelat paruulis, in quibus per timorem mentis non ponitur obstaculum veritatis. Et causa est reuelationis: quia sic placitum est ante ipsum; cum tamen non sit ante ipsum placitum de obtenebratis & excæcatis. Quia in ipsis fit hoc, quod dicitur *Io.v.* 1. Lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt.

Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et nemo nouit filium nisi Pater: neque Patrem quis nouit nisi filius, & cui filius voluerit reuelare.

Hic ponitur reuelationis modus: & duo tanguntur, quorum primum est modus, qui solus est reuelationis: secundò ostenditur omnis alius modus esse impossibilis. Dicit ergo [Omnia mihi sunt] per generationem æternam [tradita à Patre meo] consubstantiali & æterno, & sic sibi inquantum filio Dei, qui idem est hominis filius. [Tradita sunt] sed non secundum conditionem humanæ naturæ homo accepit; sed potiùs secundum proprietatem diuinæ (aliàs diuinam) Et signum vniuersale distributiuum distribuit, pro omnibus appropriatis, & attributis diuinis, siue sint in Deo, sicut omnipotentia & sapientia, & virtus & bonitas, æternitas & veritas, & omnia huiusmodi: siue etiam sint in subiectis per naturam, sicut mundus & in eo contenta: siue etiam sint secundum ordinem gratiæ in Sanctis: siue secundum ordinem gloriæ in Beatis: & quæcunque possunt alia cogitari. *Philip.* 2. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine IESV omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Et omnis lingua confiteatur: quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria est Dei Patris. *Io.* 17. Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. *Io.* 16. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt. *Luc.* 15. Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Et omnibus his in filio suppositis, quod ad propositum est, de sapientia est, quam totam accepit: & ideò per ipsum, & non per alium fit reuelatio.

Huius autem duo sunt pulchra similia: vnum in natura nobiliori corporum, imperfectum: & alterum in natura intellectualis animæ, perfectius; sed tamen non omninò completum. In corporibus est attendere solem, qui secundum naturam omnium nascentium in terra est pater & causa, vt dicunt Philosophi; sed non causat aliquid nisi per lumen, quod est perfecta similitudo suæ lucis, & exit ab ipso per conformitatem suæ formæ & virtutis. Et ideò lumen simul habet formam solis, & omnem virtutem eius secundum omnem diuersitatem generatorum & corruptorum in terra & aquis & aëre. Et ideò si lumen haberet cognitionem & interpretationem, dicere posset, quòd omnia sibi tradita essent à sole: & quod non infunderentur alicui nisi per ipsum ea, quæ sunt solis originaliter: & quòd in ista vniuersali virtute nemo nosset solem nisi lumen, & lumen in virtute vniuersali acceptum nemo nosset nisi sol, & cui lumen vellet reuelare: cum tamen in terra nihil inueniretur, quod omnium capax esset simul, quæ lumen accepit à sole: & ideò reuelatio fit secundum Patrem pro capacitate & præparatione eorum, quibus lumen se infundit. In quibus videmus, quòd aliter recipit carbunculus, & aliter sapphyrus, & aliter smaragdus, & sic de aliis, qui in profundum sui illuminantur. Et similiter diuersimode ea, quæ non illuminantur nisi in superficie exteriùs: quia aliter recipit album, & aliter viride, & aliter nigrum, quod stat in lumine quasi cæcum.

Aliud exemplum est in natura intellectualis animæ, in qua est intellectus omnis cognitionis pater, & verbum (quod est splendor eius) loquens & manifestans omnia, quæ sunt in ipso. Et tunc verbum solum scit intellectum, & è conuerso, solus intellectus scit in vniuersali virtute verbum natum ex ipso, & non fit reuelatio nisi ab intellectu: & homines verbum audientes non in tota virtute, quæ ab intellectu procedit, percipiunt: sed vnusquisque sibi percipit proportionabiliter secundum suam capacitatem: & hoc præcipuè est de verbo, quo intellectus practicus se dicit & manifestat in tota simul virtute suæ operationis: sicut si architectus in tota virtute ædificandi secundum omnem modum ædificij se vno & eodem manifestat verbo. Hoc enim ambit quicquid intellectus habet virtutis; & tamen pro capacitate discreta percipitur ab operariis.

Aliter etiam potest accipi de Christo secundum hominem: Ita quòd ostensio inducta non dicit modum reuelationis ex parte reuelantis; sed potiùs dicat causam ex parte eorum, quibus facta est reuelatio: & tunc signum vniuersale non distribuit nisi pro vocatis & electis paruulis, acsi aliquis quæreret, quare paruulis facta est reuelatio? Et responderet Dominus: quia his omnibus facta est reuelatio, quibus tradita sunt ei à Patre. Sicut dicitur *Ioan.* 17. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. Et hæc lectura est in *gio. Hegor.* & non est literalis: Quia non est ratio, quare tunc omnia dicat sibi tradita esse à Patre; sed potiùs quædam, vel magis quosdam: nisi diceretur, quòd omnia sint electorum, eo quod propter electos sunt facta. *Psalm.* 8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues. 1. *Co.* 15. Omnia subiecit sub pedibus eius. *Heb.* 2. In eo, quòd subiecit ei omnia, nihil dimisit non subiectum ei.

Hæc

Hæc autem omnia sunt impropriè dicta. Sed prior lectura *Ambrosij* est & vera: & ad illam reuertentes dicimus, quòd secundum illam ostendit impossibilem esse modum reuelationis alium, cùm subiungit.

Et nemo nouit] perfecta notitia [filium nisi Pater] à quo generatur. Quæritur autem, de qua notitia intelligitur. Aut enim de creata, aut de increata: & si de creata, illam etiam alij habuerunt de Patre; si de increata, tunc videtur, quòd illa non sit communicabilis, & sic videtur, quòd sine causa hic introducatur, vbi agit de modo reuelationis. Et ad hoc dicendum, quòd de vtraque non potest intelligi: quia Pater non habet notitiam creatam. Sed intelligitur secundum similitudinem inductam superiùs de notitia verbi secundum vniuersalem verbi virtutem, secundum quod ipsum est verbum, in quo sunt omnium simul rationes: quod est in quo est, vt fiant omnia: & est perfecta Patris similitudo, faciens & formans & portans omnia. Hoc enim dicit filius in eo, quòd verbum: & hoc nemo nouit nisi notitiam Patris habeat: & per hoc non excluditur Spiritus sanctus, qui filium in eadem cum Patre nouit notitia. Et ideò cum dicitur [Nemo nouit &c.] Negatio signi negat simpliciter & extra genus. Ita quòd sensus est: Nihil nouit Patrem &c. Sed quia notitia est essentialis, non personalis: ideò dictio exceptiua, quæ sequitur, cum dicitur [nisi filius] excludit respectum essentiæ. Et ideò Spiritus sanctus non excluditur: & est sensus: Nemo nouit, hoc est, nihil nouit filium, nisi id, quod Pater est. Et ideò dicit *Io.* 6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.

Et nemo nouit Patrem, nisi filius] conuersa est præcedentis, & eodem modo intelligitur: quia Patrem in vniuersali natura & virtute deitatis nihil nouit, nisi id, quod est filius. Sicut lumen solis, vbi totam solis attingit solùm, attingit solis virtutem & naturam: & ideò per filium solum accessum habemus ad Patrem *Romano.* 5. [& cui voluerit filius reuelare] Licet autem & Pater reuelet & Spiritus sanctus; tamen reuelatio omnis, quæ sine ænigmate & similitudine fit, fit per verbum, à quacunque fiat personarum: & verbum non est nisi filius. Et ideò filij propriè est quoad nos reuelare, hoc est, quòd per ipsum fiat reuelatio. Et ideo cuicunque aliquid notitiæ Patris infunditur, per verbum funditur. Vnde *Io.* 1. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. *Eccl.* 1. Fons sapientiæ verbum Patris in Excelsis. Et attendenda est similitudo: quia solem nihil manifestat nisi lumen: & intellectum nihil declarat nisi verbum. *Ioan.* 17. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam. Et in hoc actu declarationis dicitur *Sap.* 7. quòd est candor lucis æternæ & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis ipsius, & emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera. Hæc enim omnia sunt modi manifestationis Patris per verbum, quod est sapientia. Et quia sic suum est Patrem reuelare, cui voluerit: ideò *ibidem post pauca* sequitur, quòd per nationes in animas sanctas se transfert: amicos Dei & Prophetas constituit. Et iste planus & absque omni scrupulo est literæ intellectus. Ad hanc autem declarationem, quæ nullo modo fieri potest, nisi per eum (aliàs verbum) inquantum est verbum, vocat omnes dicens.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos.

Tangit autem duo, quorum primum est, quos, ad quem, & quo fructu vocat; secundum autem quid adnocati faciant *ibi* [Tollite iugum meum &c.] Vocans ergo primum dicit [Venite] *Ieremi.* 51. Qui fugistis gladium, venite, & nolite stare. Recordamini procul Domini: & Ierusalem ascendat super cor vestrum. Est autem venire fide & deuotione. *Isa.* 2. Domus Iacob, venite & ambulemus in lumine Dei nostri. *Psal.* 33. Venite filij, & audite me: timorem Domini docebo vos [ad me] Ecce ad quem: quia ad verbum, quod solum est via redeundi ad Patrem, & solum dans notitiam Patris. *Eccl. vit.* Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ. *Psalm.* 33. Accedite ad eum & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius: hoc enim est lumen ad reuelationem gentium, & gloriam tuæ plebis Israel. Via enim sine exemplo (aliàs impedimento) veritas reuelatione verbi, & vita per spiritum. *Ioannis* 14. Ego sum via, veritas & vita. Et subiungit, quos vocat [omnes] vt notetur vocatorum generalitas [qui laboratis] Vt notetur veniendi necessitas [& onerati estis] vt notetur veniendi vtilitas. Et sic vocat generaliter, necessitate & vtilitate persuadens. De generalitate *Eccl.* 24. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me: & à generationibus meis adimplemini. *Act.* 10. In omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. Cum enim homo generaliter capax sit Dei per intellectum & affectum: nunquam potest esse perfectus nisi capiat eum, secundum quòd est sapientia per intellectum, & secundum quòd est virtus per affectum: & ideò inuitat Christus ad se omnes: quia 1. *Corinth.* 1. dicitur. Prædicamus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Persuadet autem à duobus defectibus in nobis, vt veniamus: & his defectibus vnam subiungit refectionem. De primo dicit.

Qui laboratis] Labor causatur ex tribus: labor enim est ex contrarietate naturæ, & hoc modo naturæ infirmitas causat laborem, sicut dicimus ægros laborare. Ex contrarietate autem potentiæ ad opus aliquod causatur labor, qui est in contrario nobis onere, vel eo quòd est supra virtutem: vel ex eo quòd est contrarium. Tertio modo causatur ex impedimento virtutis ad opus, quando opus quidem grauat & consumit, & nihil restituens, vel conferens secum in laborante restituit, quod iuuet ad opus. Et primò quidem laborant, qui per errorem infidelitatis, idololatriæ, vel hæresis in contrariis suæ detinentur naturæ ægritudinibus, vel passionibus vitiorum ægrotare facientibus animam: illa enim adimunt naturale animæ bonum: & ideò naturæ bonæ sunt contraria.

Vnde. *Isai.* 45. Labor Ægypti, negotiatio Æthiopiæ & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt. Labor enim Ægypti fuit idololatria & hæresis, omninò laborare faciens intellectum: & negotiatio Æthiopum nigrorum est negotiatio & exagitatio passionum & inconstantiæ; & hi, vt quiescant, veniunt ad Christum. *Psalm.* 139. Labor labiorum ipsorum op. eos. Aliquando autem causatur ex contrarietate potentiæ ad opus. Sicut enim videmus, quòd ex conuenientia potentiæ ad opus fit adiutorium: sicut quantò aliquis frequentiùs studet intelligibilibus, fit meliùs & faciliùs intelligens: & quantò frequentius studet iustitiæ, vel castitati, tantò facilius operatur iusta & casta: eo quòd veritas connaturalis est intellectui, & iustitia & castitas connaturales sunt affectui, & ex connaturalibus iuuamur & expedimur ad opus. Ita fit etiam in dantibus se terrenis & vanis, quòd quantò plus se dant talibus, tantò magis impediuntur & laborant, nec ista operantem alleuiant, sed corrumpunt. Et si dicas, quòd consueti talibus minùs sentiunt laborem. Dico, quòd hoc non fit ex hoc quòd alleuient, sed potiùs quia auferunt sensum, & conuertunt in stuporem. Vnde *Ecclesiastic.* 10. Labor stultorum affligit eos, qui nesciunt in vrbem pergere. Labor enim eorum adducit in boni desertum, & non in castra & munitionem virtutis. Vnde tandem isti efficiuntur ita animales & terreni, quòd etiam non possunt intelligere, quid sit spiritus. *Sap.* 5. Lassati sumus in via iniquitatis. Tertiò causatur ex impedimento virtutis ad opus: & hoc fit in his, qui duobus semper student: in vna parte aliquando volunt ad Deum ire; in alia parte cupiunt mundo placere: & tunc in opere diuino iniacent eis formæ & curæ mundi, & retrahunt. Et sic ex duobus, quorum vnum impedit alterum, fatigati laborant, & tandem deserunt id, quod Dei in eis esse videbatur. *Sapientiæ* 3. Sapientiam qui abiicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & opera inutilia. Præter hos enim modos laborant quidam, qui vltra modum & posse naturæ student iniquitati. *Ierem.* 9. Vt minus agerent, laborauerunt.

Et onerati estis] hoc est, oppressi à pondere peccatorum, aut pondere carnalium legis, vel aliorum obseruationum, aut onere exactionum tyrannorum dæmonum. De peccati onere *Psalm.* 37. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Isa.* 58. Dissolue colligationes impietatis: solue fasciculos deprimentes. De onere obseruantiarum *Act.* 15. Hoc est onus, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. *Matth.* 23. Imponunt onera grauia in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere. De onere exactionum dicitur *Isa.* 58. Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos: & omne opus dirumpe. *Isa.* 10. In die illa auferetur onus eius de collo tuo. Sic ergo dicit [Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis] 1. *Reg.* 22. Venerunt ad Dauid omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum Princeps. In angustia constituti sunt malè, vel inutiliter laborantes: oppressi ære alieno sunt, quibus pondus legis, vel exactionum incumbit: amaro autem animo sunt oppressi sarcina peccatorum.

Et ego reficiam vos] Reficere est reparare deperditum ex labore, vel oneris grauitate: & restituere vires ex interno bono confortante. Et veritas reficit aspectum, & gratia virtutis reparat affectum: quæ sunt in Christo. *Ioannis* 1. Plenum gratiæ, & veritatis. Et *Ibidem.* Gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta est. *Ecclesiastici* 15. Cibauit illum pane vitæ, qui est veritas, & aqua sapientiæ salutaris potauit illum. *Prouerbiorum* 9. Comedite panem meum, & bibite vinum meum; quod miscui vobis. His addit cibum Eucharistiæ, confectum simila purissimi sanguinis Beatæ Mariæ Virginis, confectum manu sapientiæ deitatis, viuificatum anima plena gratiæ & veritatis, dulcoratum condimento diuinitatis, impinguatum omni adipe Spiritus consolationis. *Ioannis* 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis. *Sap.* 16. Habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. His etiam addit aginam & conuiuium internæ dulcedinis in spiritu. *Ecclesiastici* 24. Spiritus meus super mel dulcis: & hæreditas mea super mel & fauum: memoria mea in generatione seculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Aliquando autem his addit gustum gaudiorum æternorum. *Luc.* 22. Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt bibatis, & edatis super mensam meam in regno meo. Non est aliud ergo, nisi quod faciamus, sicut dicit *Apostolus Hebræorum* 12. Deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum per patientiam curramus ad oppositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem IESVM.

Tollite iugum meum super vos.

Hic tangit quid aduocati ad ipsum faciant: & dicit quatuor, obedientiam, & obedientiæ formam & obedientiæ fructum, & obediendi leuitatem, quæ patent in litera. De primo dicit [Tollite iugum meum super vos] Et accipite formam præcipientis & attendite affectum portantis, & leuitatem eius, quod portatis: hic enim est optimus modus seruitutis. In primo horum notantur quatuor, libertas scilicet voluntatis, per hoc, quòd non imponitur, sed ab ipsis tollitur portantibus: secundò vinculum suauissimæ charitatis in hoc, quòd dicitur [iugum] tertiò altitudo dignitatis, in hoc, quod dicitur [meum] quia ligat omnia ligantem Deum nobiscum, & nos cum ipso: quartò sublimitas perfectionis & honestatis ipsius, in hoc, quòd dicitur [super vos] Non sub vobis, vel iuxta vos, vel in vobis: hoc enim iugum est Euangelicæ charitatis, de quo dicitur *Isai.* 10. Computrescet iugum à facie olei. Quia tantum habet misericordiæ & gratiæ & amoris, quòd si in aliquo ligat, videtur nullum esse, & potiùs putrida vincula & dirupta, & vera libertas, de qua dicitur *Gal.* 5 Vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem vestram in occasionem detis carnis. De hoc igitur dicit [Tollite] ex

voluntate

voluntate propria sumite. *Ecclesiastici. 6.* Iniice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum: subiice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis illius.

Tollite autem, vt à iugo durissimo legis absoluamini. *Isai. 9.* Iugum enim oneris eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. *Genes. 27.* Erit cum excuties iugum eius de collo tuo. Tollite igitur [iugum] vinculi charitatis. *3. Reg. 19.* Elizeus cum vngeretur in Prophetam, arauit in duodecim iugis boum, hoc est, in iugo obedientiæ, duodecim Apostolorum, & ibi recipit charitatis vnguentum. *Colos 3.* Charitas est vinculum perfectionis, & deponit spiritum timoris, qui generat in seruitutem, & dat iugum seruorum. De quo *Ecclesiastici 22.* Iugum & lorum incurtuant collum durum. Et hoc iugum dicit esse suum, dicens: Iugum [meum] Charitas enim ligat Deum & hominem, sicut dicitur *Ioan. 14.* Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. *Threnorum 3.* Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Et hoc iugum propter hoc abiouit à iugo iniquitatis, de quo dicitur *Threnorum 1.* Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius impositum collo meo [super vos] quia semper exaltatur super nos, vt dicamus semper: Confortata est scientia tua ex me, & non potero ad eam; veruntamen imperfectum meum viderunt oculi tui. *Psalm* Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. *Isai. 13.* Cuius ignis est in Sion & caminus in Ierusalem: quia semper sicut ignis ascendit. *Torenorum 3* Leuanit se supra se.

Et discite à me: quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris.

Ecce obediendi forma per exemplum. *Io. 13.* Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Hebr. 12.* Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini, animis vestris deficientes [quia mitis sum] Duo dicit esse discenda ab ipso præcipuè, quorum vnum temperat mala, quæ patimur: & alterum custodit bona, quæ operamur [quia mitis sum] neminem lædo, & læsus vindictam non expecto. *Matth 5.* Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Multa de hoc notata sunt *Ibidem.* Et hoc facit æquanimiter & innocenter mala tolerare [& humilis corde] vt conseruentur bona, quæ operamur: & ne credantur exteriùs facta tantùm, propter hoc dicit: humilis [corde] quia dicitur *Eccl. 19.* Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo. *Is. 53.* In humilitate iudicium eius sublatum est *Eccl. 3.* Quantò maior es, humilia te in omnibus. *Iaco. 4.* Deus superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.

Et inuenietis requiem] non corporibus: quia illa ad laborem nata sunt. *Iob. 5.* Homo ad laborem nascitur; sed [animabus vestris] in internis gratiæ bonis. Sicut enim nulla res requiem inuenit nisi in loco naturali sibi, ad quem mouetur: ita anima & cor hominis non inuenit requiem nisi in Deo, ad cuius participationem factus est. *Aug. in. 10. confes.* In omnibus, quæ mente percurro, non inuenio tutum locum animæ meæ præter te, in quo colligantur sparsa mea. Hic est ergo fructus obedientiæ charitatis, quòd inueniatur requies cordis. *Ierem. 6.* State super vias vestras: & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona: & ambulate in ea: & inuenietis refrigium animabus vestris. *Eccl. 21.* Videte, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. *Iob. 36.* Requies mentis tuæ erit plena pinguedine. *Isa. 32.* Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Est autem hæc requies animarum in visione veritatis, in amore bonitatis, & in securitate æternitatis. Primum respondet fidei, secundum charitati, tertium spei. De primo horum dicitur *1. Regum 19.* Rex Dauid dixit ad Berzellai: Veni mecum, vt securus requiescas in Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur. De secundo *Deut. 33.* Beniamin ait, amantissimus Domini habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die commorabitur, & inter humeros illius requiescet. De tertio *Ecclesiastici 30.* Melior est requies æterna, quàm langor perseuerans. De omnibus his simul dicitur. *1. Pet. 4.* Quod est honoris & gloriæ & virtutis Dei, super vos requiescet. *Apocal. 4.* Amodò iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis.

Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Hic tangit obediendi leuitatem: & tangit duo; iugi suauitatem, & oneris leuitatem. Iugum autem hoc est obedientiæ Euangelicæ: & onus, quod portatur, est pondus præceptorum. Et suauitas pertinet ad connaturalitatem virtutis; leuitas ad alleuiationem amoris. Spiritus enim suauis suaue facit iugum, ne premat. *Sapientiæ 12.* O quàm bonus, & suauis est, Domine, spiritus tuus in nobis. *Canticorum. 5.* Guttur eius suauissimum: omne enim illud, quod connaturale est, suaue est, sicut est gratia & virtus Euangelij. Leue autem facit amor. *Genes 29.* Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. *1. Io. 5.* Mandata eius grauia non sunt. *Isa. 46.* Onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem contabuerunt. Et attende, quòd cum non præmiserit nisi de iugo superiùs; tamen hic addit de oneris leuitate, quia suprà dixerat: qui laboratis in iugo legis, & onerati estis multitudine præceptorum, in quibus omnibus requiritur opus, cùm in noua gratia non nisi voluntas. Propter quod dicit *Hieronymus* quòd virgo ibi etiamsi inuita corrumpatur; tamen repudiatur; in noua autem gratia, inuita corrupta suscipitur.

Si autem obiiciatur, quòd hic multa adduntur. Patet solutio per ea, quæ dicta sunt superiùs, vbi de impletione legis est determinatum: quia impletio legis est secundum veram virtutis determinationem: & hæc virtus est gratia, quæ intùs adiuuat ad implendum. Sunt præterea ibi multa valde & terrena promissa; & iudicia dura, & Sacramenta vacua, sacrificia sumptuosa, immunditiæ multæ & tædiosæ; & purificationes difficiles:

difficiles: & multa talia est considerare, quæ in noua gratia omnia alleuiata sunt.

CAP. XII.

In illo tempore Abiit IESVS *per sata Sabbato; Discipuli autem eius esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.*

AB hoc loco incipit ordo Ecclesiasticus. Secundum autem duplicem istius ordinis considerationem diuiditur in partes duas, in quarum prima promulgatur ordo iste, secundum quòd est communiter respiciens omnia membra corporis mystici sine distinctione. Secundò autem promulgatur ordo iste, secundum quòd est respiciens membra sub distinctione & respectu, hoc est, Prælatorum ad subditos, & econtra subditorum ad Prælatos: & hoc incipit *Infra ca. 16.* Adhuc autem promulgatio ordinis istius in communi sine distinctione membrorum accepti quatuor habet considerationes: aut enim consideratur secundum comparationem ad legem, quam terminat; aut secundum formam doctrinæ veritatis, quæ est in ipso; aut secundum communitatem gratiæ, quam præstat; aut secundum quòd est diuinus immobilis, omni traditioni humanæ superponendus. Et primum quidem inquantum est veritas vmbrarum, secundum autem inquantum hæc eadem veritas proportionatur intellectibus auditorum, tertium autem habet per generalem effectum, & quartum habet ex auctoritate legislatoris. Et primo quidem modo determinatur in isto 12. *capitulo*: secundo autem modo in sequenti 13. tertio autem modo in 14. & quarto modo in 15.

Istud autem capitulum diuiditur in partes duas, ita quòd in prima parte ostendit terminum legis per hoc, quòd maior est veritas, quàm vmbra. In secunda ostendit huius veritatis auctoritatem: ne possit calumniari terminus vmbrarum *Ibi* [Tunc oblatus est ei vnus dæmonium habens &c.] Adhuc in prima parte sunt duo, in primo quorum per auctoritatem suam ostendit solutionem ritus, templi, & figurarum. In secundò ostendit hoc idem per effectum gratiæ *Ibi* [Et cum inde transisset, venit in Synagogam &c.] Adhuc prior pars continet duo, scilicet, facti occasionem, & prædictæ solutionis ostensionem *Ibi* [At ille dixit eis: nonne legistis &c.] In primo horum duo continentur; occasio scilicet per factum, & occasio per obiectionem sumptam ex facto. De facto dicit quatuor, tempus commune, transitum Domini, tempus proprium, & factum.

Tempus commune dicit [In illo tempore] Nec tempus commune diceret, nisi præfinitionem Dei temporalia disponentis, designaret. *Gal. 4.* Quamdiu essemus paruuli, sub elementis huius mundi eramus seruientes: at vbi venit temporis plenitudo, misit Deus filium suum &c. Et vocat elementa mundi, primas figuras legis, quibus homo erudiebatur ad iustitiam. Solutionis ergo figurarum (vt dicit *Chrys.*) quærens occasionem [in illo tempore] præfinito, dat discipulis soluendi causam. Et hoc est, quod in antehabitis diximus, quòd videlicet *Matthæus* non ordinat historiam, secundum quod gesta est in tempore, quia istud factum est post mortem Ioannis, quæ tamen inferiùs narratur; sed quia dixerat de nouæ gratiæ introductione in capitulo præcedenti, & huic conuenit esse terminum legis. Ideò hic statim ordinat factum, quod legis ostendit terminum, licet tempore non immediatè secutum sit: propter quod etiam *Glo.* dicit, quòd nihil aliud hic intendit nisi legis solutionem.

Abiit IESVS] antequam sumeret cibum in domo: vt famescentes Discipulos relinqueret, & causam necessitatis soluendæ legis præberet [per sata] hoc est, per campos messium, in quibus solutionis acciperetur materia. Hoc significatum est pulchrè *Gen. 24.* Vbi dum sponsa Isaac adduceretur, egressus fuerat in agro ad meditandum in agro: quia dum sponsa Ecclesia Christo adducitur, abiit per sata quærens occasionem, vt nouam sponsam acciperet. *Io. 4.* Videte regiones, quia iam albæ sunt ad messem.

Sabbato] tempus est proprium, quod exprimitur: vt locum habeat reprehensiua interrogatio Pharisæorum, & ex hoc legis ostendatur solutio secundum sensum carnalem.

Discipuli autem eius esurientes] Famis huius causa non fuit tantùm necessitas; sed dispensatiua fuit secundum causas superiores diuinas: & secundum causas inferiores causabatur ex nimia frequentia turbarum, non dantium spatium ad manducandum. Vnde *Mar. 3.* Conuenit turba ita vt nec panem possent manducare: & in hoc notatur instantia prædicationis Domini. Simile *Ioannis 4.* Ego cibum habeo manducare, quem vos non scitis. *Tob. 12.* Ego cibo inuisibili vtor [Discipuli autem esurientes] adhuc carnales naturæ defectu victi [cœperunt vellere spicas] *Prou. 27.* Anima esuriens etiam amarum sumit pro dulci. *Iob. 6.* Quæ priùs nolebat anima mea tangere, iam præ angustia cibi mei sunt: & in hoc notatur austeritas vitæ Apostolicæ & Domini. Quòd autem vellebant spicas, non testas, & patres non habebant, nec aliquas præparationes: declarat victus simplicitatem ad reprehensionem eorum, qui sicut dicitur *Amos 6.* Comedunt agnum de grege, & vitulum de medio armenti, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento sunt delibuti, & nihil compatiuntur super contritione IOSEPH, hoc est, pauperum Christi [& manducare] *1. ad Timothe. 6.* Habentes alimenta, & quibus tegamur: his contenti simus. *1. Corinth. 4.* Vsque in hanc horam & esurimus & sitimus & nudi sumus. Hoc verificatum est, quod dixit *Su. 7.* Respicite volatilia cæli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater vester cælestis pascit ea. *Heb. 11.* Egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

Pharisæi autem videntes dixerunt ei; Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatis.

Ecce reprehensiua interrogatio: & dicit tria; superstitionem, suspicionem, & interrogationem. Superstitio notatur in nomine Pharisæorum; quia gloriabantur de religione superstitiosa, vnde *Infra 23.* assimilantur sepulchris, quæ à foris apparent

apparent speciosa, & intùs, sunt plena spurcitiis.

Videntes] suspicionis oculo. *Math. 20.* An oculus tuus nequam est: quia ego bonus sum. *Matth. 7.* Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: & trabem in oculo tuo non consideras? Et patet hoc: quia isti non sequebantur Christum, nisi vt inuenirent accusationem contra eum [dixerunt ei] Contra *Luc. 6.* dicitur: Quòd dixerunt discipulis; non Christo. Ad hoc dicendum, quòd primò dixerunt discipulis: & cum desistere nollent, dixerunt Christo: & sic vtrumque factum est. Sed iste narrat hic quod directè facit ad solutionis legis occasionem.

Ecce discipuli tui] Reprehensiua est interrogatio: vt aut prohiberet, aut legem accusaretur soluere, quasi dicant: Malus magister in discipulorum illegali ostenditur conuersatione. *Eccl. 10.* Qualis rector ciuitatis, tales & qui habitant in ea. Est autem istud derogatio & detractio discipulorum, & apparens Christi reprehensio. *Rom. 1.* Detractores Deo odibiles. *Sap. 1.* A detractione parcite linguæ: quia sermo obscurus in vacuum non ibit (faciunt quod non licet facere Sabbatis] Non enim accusare poterant factum: quia *Deut. 23* dicitur. Si intraueris segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres; sed falce non metes. Confricationem autem volebant esse præparationem: quia cibos non licebat præparare die Sabbati, quamuis liceret panem incidere, & mensam ponere & amouere, & huiusmodi. Et videtur Dominus supponere verum esse dictum eorum: quia respondet, acsi discipuli soluant Sabbatum: eo quòd licet discipuli in facto per (aliàs propter) necessitatem famis sint excusati; tamen quia intendit soluere, potiùs respondet ad intentionem Pharisæorum, quàm se conuertat ad facti excusationem. Facit tamen vtrumque in litera, sicut patebit, licet finaliter non intendat nisi solutionis ostensionem. Et sic hoc quod dicit *Apostolus Hebr. 7.* Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio verò fit melioris spei, per quam proximamus ad Deum.

At ille dixit eis; Nonne legistis, quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant?

Hic ponitur ostensio solutionis legis; & ponit tres responsiones, quarum prima facti ostendit excusationem & detrahentium retunsionem; secunda autem ostendit templi cultus solutionem; & tertia solutionem Sabbati: & hæc patent in litera. Prima sumitur ex prophetia, regno, & sacerdotio; secunda ex sacerdotio solo; tertia ex prophetia sola. In prima harum duo dicuntur, reprehensio Pharisæorum, & excusatio discipulorum. Reprehensio est in hoc, quòd dicit [Nonne legistis?] Q. d. contra conscientiam loquimini, habentes ex scripturæ auctoritate, vnde excusetis eos, quibus detrahitis. *Ecclesiast. 11.* Bona in malum conuertens insidiatur, & in electis ponit maculam. *Iob 16.* Suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam, contradicens mihi.

Quid fecerit Dauid] Ecce excusatio discipulorum. Tanguntur hic quatuor, scilicet, soluentis personæ solennitas, solutionis necessitas, solutionum (aliàs soluentium) comitas, & factum, per quod soluebatur. De primo dicit [quid fecerit Dauid?] qui tantus, ac talis erat Rex & Patriarcha & Propheta: & ideò nunquam soluens legem sine magna causa, & per solutionem suam, præsignans futuram solutionem legis, & docens in quibus casibus soluenda sit: hoc enim est officium Prophetæ & Patriarchæ: Regis autem est cogere ad legis obseruantiam, & non legem violare. Et si iustus Rex violat, exemplaris erit violatio & doctrinalis: quia superiustus in quibusdam casibus violando legem, melius seruat eam, sicut in antehabitis determinatum est. Et ideò dicit: Super senes intellexi: quia intellectum legis non ad literam, sed ad spiritum referebat. Cùm enim alibi diceret: Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ: oportuit, quòd omnia, quæ iustus fecit, essent custoditio legis: custoditio autem ista non potest esse nisi secundum spiritum, & non secundum literam. Sed quare Christus non facit mentionem suarum dignitatum, vt diceret quid fecerit Dauid Propheta & Patriarcha. Respondet *Chrysost.* Ne commendare se ipsum videatur: quia per lineam Dauid descenderat. Sed posset etiam dici, quòd hæc reliquit Christus tanquam notissima apud Iudæos, quibus loquebatur.

Quando esuriit] Ecce necessitas: nec intelligitur ista necessitas extrema fuisse, sed inducens, & non cogens: quod & significatur in verbis Sacerdotis *1. Reg. 21.* Vbi dixit: Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, comedant eos: quia si necessitas extrema fuisset, ita quòd immineret mors, nihil penitùs interrogasset; sed statim dedisset. Et hoc est contra eos, qui necessitatem extremam solam (aliàs solùm) dicunt esse, in qua aliquis tenetur esurienti subuenire. *1. Ioan. 3.* Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Patris in eo est?

Et qui cum eo erant] Ecce soluentium communitas, ne dicatur quòd Dauid Propheta inspiratione soluit, adducuntur in medium communes personæ, quæ secum soluerunt.

Quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus.

Ecce factum, & tangit quatuor. Primum est introitus, secundum comestio panum, tertium ratio illiciti, & quartum ratio consecrationis vsus panum. De primo dicit [Quomodo intrauit in domum Domini] hoc est, in atrium interius, vbi habitauit Sacerdos, quò non erat communis accessus laicorum hominum, sed ad ostium stabant, & ibi Sacerdotes hostias eorum accipientes offerebant: & tangitur historia *1. Reg. 21.* Et dicitur *Marci 2.* quòd intrauit ad Abiathar Sacerdotem. *Glo.* autem hic dicit, quòd intrauit ad Abimelech, qui pro eo consuluit Dominum. Et ideò dicit *Chrysost.* quòd binomius fuit iste Sacerdos. Sed melius est, quòd dicatur, sicut & verum

 est,

est quòd ambo aderant, & pater & filius: & vnum nominat Dominus in Marco; alter autem nominatur hic, & in historia Regum: multi enim aderant Sacerdotes: vnde & postea Saul propter hoc factum omnes interfecit.

Et panes propositionis comedit] Ecce secundum: quia intrauit propter Dei responsum quærendum, & comedit panes propositionis propter famis necessitatem: quia in necessitate omnia sunt communia. Dicunt tamen quidam, quòd præsentia Sacerdotum secum dispensauit. Sed hoc nihil omninò, & contra intentionem istius responsionis, quæ vult, quòd necessitas fecerit licitum, quod aliàs illicitum fuit. Si tamen dicatur, quòd per hoc verbum, quod dixit Sacerdos: Si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, comedant: Sacerdos dispensauit. Tunc hic accipitur, quòd dispensatio non debet fieri nisi causa publicæ necessitatis, vel publicæ vtilitatis: quia publica necessitas dispensationem excusat; publica autem vtilitas eandem commendat, vt dicit *Bern. ad Eugenium Papam.*

Quos non licebat ei edere] Ecce tangit rationem illiciti in facto: quia lex hoc factum prohibuit. Illicitum enim est, quod præcepto communi legis est prohibitum. *Leui.* 24. Accipies similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: quorum senos altrinsecùs super mensam purissimam coram Domino statues: & pones super eos thus lucidissimum, vt sint panes in monimentum oblationis Domini. Per singula Sabbata mutabuntur coram Domino suscepti à filiis Israël fœdere sempiterno: eruntque Aaron, & filiorum eius, vt comedant eos in loco sancto: quia Sanctum sanctorum est de sacrificiis Domini iure perpetuo. [neque his, qui cum eo erant] Q. d. Et si Dauid aliquam videtur habere in hoc prærogatiuam; tamen hi, qui cum eo erant, nullam penitùs habebant, nisi necessitatis causam: neque etiam (aliàs enim) Sacerdos sine causa ministrasset, cum lex Domini oppositum imperaret.

Nisi solis Sacerdotibus] Et etiam in loco sancto: signum enim hoc erat Eucharistiæ, quæ non nisi his, quos Deus sacrauit, administranda fuit. Et sic inducta est Dignitas Regalis & Prophetalis in comedente, & Dignitas Sacerdotalis in ministrante panes: & istæ personæ præcipuè positæ fuerunt ad legis custodiam, Sacerdos ad exponendum, & Rex ad cogendum. Sic ergo soluebat. Multò magis etiam præsentia mea in simili, & maiori necessitate, & præfinito tempore soluere potest: & hæc est intentio istius partis.

Aut non legistis in lege: quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis: quia templo maior est hic.

Ecce secunda responsio, in qua ostenditur solutio cultus templi: quia propter cultum templi Sabbatum violatur: & dicit tria, quorum vnum est reprehensio; alterum conuictio: & tertium argumentatio ex illis: Et hæc patent in litera. De primo dicit [Aut non legistis?] Q. d. Reprehensibiles de ignorantia legis estis: quia sicut dicitur 2. *Corinth.* 3. Cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. *Ioan.* 5. Si crederetis Moysi, forsitan crederetis & mihi: de me enim ille scripsit.

Quia Sabbatis Sacerdotes] Hic ponit conuictionem, & dicit quatuor, auctoritatem violantium, causam violationis, quid violant, & quàm impune. De primo dicit [Sacerdotes] quorum est custodia legis in se, & in aliis. *Malach.* 2. Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirunt de ore eius. Causam autem violationis dicit, cùm subiungit.

In templo] hoc est, in ritu templi, & obseruatione sacrificiorum: & hoc non posset esse, nisi ritus templi melior esset Sabbato: in mandatis enim & votis talis est regula: quòd quando duo sunt, quæ simul stare non possunt, fortiùs violat illud, quòd minus est forte: eadem enim est ratio mandatorum in hoc, quæ est vinculorum in oppositum stringentium: in his enim minùs forte soluitur per maius forte. Talis autem solutio fiebat tribus modis, vno modo ex obligatione præcepti, sicut *Leui.* 12. *Gen.* 17. dicitur, quòd infans octo dierum circuncidetur: & sæpe contingit octauum diem esse Sabbatum: & tunc oportebat circuncidi, & agnum offerri & mactari: quæ omnia corporalia erant opera. *Ioan.* 7. Si circuncisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Sabbati (aliàs Moysi) mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato. Simile quid sequitur ex præcepto puerperæ. *Leui.* 12. Cui præcipitur, quòd trigesimo die pro filio, & sexagesimo sexto pro filia puerum in templo cum sacrificiis occidendis & immolandis præsentet: quæ sæpe necesse fuit cadere super diem Sabbati. Similiter in ipso Sabbato Paschæ & Pentecostes & Scænophegiæ: multæ fiebant animalium occisiones. *Leuit.* 25. Et similiter in singulis Sabbatis: quæ omnia erant opera corporalia lassantia operantes. Ergo propter templi ritum, sicut maius & dignius aliquid Sabbato existens, soluebatur quies Sabbati. Secundo modo fiebat propter hominum necessitatem, sicut 1. *Macha.* 2. Matathias statuit pugnare die Sabbati aduersus gentes: ne ipsis deletis deleretur & & lex: ergo ipse homo etiam est aliquid maius Sabbato: quia Sabbatum est propter hominem; & non homo propter Sabbatum. Tertio modo fiebat huiusmodi solutio propter brutorum animalium necessitatem, *Infrà eodem.* & *Lu.* 13. & 14. Vbi dicitur, quòd adaquabant boues & asinos, & extrahebant eos de puteis die Sabbatorum. Sabbatum ergo soluere ex paruis etiam causis non videbatur esse magnum. Sequitur.

Sabbatum violant] Ecce quod violatur tribus modis inductis, sed hic intendit de violatione illa, quæ fuit propter ritum templi. Violatio autem illa est: quia (aliàs quæ) dicitur *Exod.* 20. Omne opus seruile non facietis in eo: & ista erant opera seruilia. Sed obiicitur: Quia opera templi ad cultum Dei erant pertinentia: ergo non erant seruilia, nec per illa violari videbatur Sabbatum. Responsio, quòd in veritate per illa violabatur Sabbatum: quia nec conueniebant causæ institutionis, neque fini, secundum quòd carnaliter & literaliter Sabbatum accipitur. Causa enim institutionis Sabbati fuit: quia illa die quieuit Deus ab omni opere exteriori: Quiescens in seipso. Ergo si institutio respondet causæ institutionis

ſtitutionis, Sabbatum eſt in hoc, quòd nullum penitus fiat opus exterius. Finis autem inſtitutionis exprimitur *Exod.* 20. Quieſcat homo & ſeruus, & ancilla eius: & bos & aſinus ipſius. Huic autem fini non concordat, quòd aliquid operis in eo fiat, quod laſſitudinem corporalem inducat. Si igitur talia opera in Sabbato fiant, oportet, quòd fiant propter aliquid maius Sabbato: Ita quòd merito religio Sabbati cedat illi tanquam maiori. Et ſic templum & neceſſitas animalium maior eſt Sabbato: & hoc intendit in litera.

Et ſine crimine ſunt] Ecce impunitas; cum tamen dicatur *Exod.* 31. Qui polluerit Sabbatum, morte moriatur. Sed attende, quòd alia eſt ſanctificatio Sabbati; & alia obſeruatio ſeptimæ diei. Sanctificatio enim Sabbati eſt ſanctificatio quietis: non enim quieſcitur, niſi in eo, quod diligitur: quies ergo cordis eſt in eo, vbi ponitur finis dilectionis: hæc autem non ſanctificatur niſi in Sancto ſanctorum, vt in eo quieſcatur finaliter: vt ſeparati ab operibus noſtris in nullo quietem inuenientes vltimæ dilectionis, permaneamus in ipſo; & hoc eſt morale in præcepto de Sabbato. Sed in determinatione diei duo attenduntur: vnum, quod eſt cauſa finalis: & hoc eſt, quòd cum homo in opere eſt, vel negotio priuatæ vtilitatis, occupatione ipſa trahitur cor ad obliuiſcendum quietis, quam per guſtum & dilectionem bonitatis eius in Deo debet habere: & ideò inſtituitur, & determinatus (aliàs determinatur) feriatus dies, in quo ab occupatione tali ſeparatus, diſcat redire ad Dei dulcedinem experiendam, quæ poſteà in eius remaneat memoria, quando eſt in negotio, & non abſtrahatur. Cauſa autem determinationis inducens ad hanc, vel illam diem determinandam, & inſtituendam eſt emergens aliquid diuinum, quod quietem illam in Deo oſtendit, ſicut in veteri teſtamento fuit quies ab opere conſtitutionis mundi: cui cum poſteà ſuccederet aliud diuinum, quod illam quietem melius oſtendit in octauo die, quando Chriſtus reſurgens felicitatem quietis æternæ oſtendit in plena gratia (aliàs gloria) corporis & animæ conſtitutam (aliàs inſtitutio) prima ceſſauit, & dies octaua præualuit. Et iſtæ dierum determinationes non cadunt ſub præcepto morali; ſed ſunt quædam inſtitutiones tenendæ, quamdiu cauſa mouet (aliàs manet) inſtitutionis. Et quoad iſta, dicit Dominus ſolui Sabbatum; & non quoad primum, quod ſimpliciter eſt morale. *Iſa. vlt.* Erit Sabbatum ex Sabbato. *Hebr.* 4. Qui ingreſſus in illam requiem, & ipſe requieuit ab operibus ſuis, quemadmodum & à ſuis Deus. Vnde ſubinfert.

Dico autem vobis] Qui ſum veritas, & cuius verbum effectiuum eſt. *Pſal.* 140. Audient verba mea, quam potuerunt [quia templo] propter quod ſicut aliquid maius Sabbato, ſoluebatur lex Sabbati [maior eſt hic] quia veritas figurata per templum, & omnem templi ritum, *Ioan.* 2. Soluite templum hoc: & poſt triduum reædificabo illud. Hoc autem dicebat de templo ſui corporis. *Aggei* 2. Magna erit gloria Domus huius nouiſſimæ, plus quàm primæ. Ergo multò magis diſcipulorum lex mihi adhærentium ſoluit legem Sabbati. Cum autem dicit [Templo maior eſt hic] Hæc dictio hic, aduerbium loci, & ſignificat, quòd præſentia ſui templi corporalis ſoluit Sabbati religionem in diſcipulis.

Si autem ſciretis, quid eſt: miſericordiam volo, & non ſacrificium: nunquam condemnaſſetis innocentes: Dominus eſt enim filius hominis, etiam Sabbati.

Ecce redargutio impietatis per prophetiæ intellectum: & facit tria: redarguit enim cæcitatem, confutat errorem, & ſuam oſtendit ſupra legem auctoritatem. De primo dicit [Si autem ſciretis] hoc eſt, intelligeretis. *Matth.* 22. Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei [quid eſt] quod dicitur *Oſee* 6. [Miſericordiam volo] voluntate finali, & per ſe. Proprium enim Dei eſt miſereri & parcere, *Ioel.* 1. Benignus & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitia [& non ſacrificium] Nunquam enim hoc volui, niſi per accidens, & propter aliud: per accidens quidem, ne illud idolis ſacrificaretur; propter aliud, vt ipſo aliquid in futurum ſignificaretur. Sed contra *Iere.* 2. Sacrificium & libamen Domino Deo noſtro. Reſponſio. Hoc intell gitur de ſacrificio cordis contribulati per ſe, & de ſacrificio corporali per accidens. Hoc tamen totum *ſupra* 9. notatum eſt.

Nunquam condemnaſſetis innocentes] hoc eſt, condemnandos iudicaſſetis. *Luc.* 6 Nolite iudicare, & non iudicabimini; in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. *Iac.* 2. Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non facit miſericordiam [innocentes] autem ſunt, qui nec miſerum faciunt, nec miſerum relinquunt, ſicut fuerunt Apoſtoli, qui omnibus profuerunt, & nulli nocuerunt. Tamen hic intelligit Innocentes de legis tranſgreſſione, *Pſal.* 23. Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vanum animam ſuam. 1. *Cor.* 10. Sine offenſione eſtote Iudæis & gentibus & Eccleſiæ Dei, ſicut & ego per omnia in omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Bene autem dico [innocentes] quoad legem Sabbati.

Dominus enim eſt] auctoritate. *Apoca.* 19. Habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum. Rex Regum, & Dominus Dominantium. 1. *Reg.* 3. Dominus, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat [filius hominis] hoc eſt, quamuis ſit filius hominis: paulo minus minoratus ab Angelis propter paſſionem mortis, *Hebr.* 2. *Io.* 5. Quia filius hominis eſt, nolite mirari hoc [etiam Sabbati] ſicut templi: quamuis Sabbatum ſanctificatum ſit non ex lege tantùm Moyſi, ſed ab inſtitutione mundi. *Hebr.* 4. Et quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis. Dixit enim de die ſeptima ſic. Requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere ſuo. Sic igitur oſtenſa eſt templi & Sabbati ſolutio per IESV-CHRISTI auctoritatem.

Et cùm tranſiſſet, inde venit in Synagogam eorum: & ecce homo manum habens aridam.

Hic incipit idem, quod ſupra manifeſtare videtur per effectum gratiæ: & diuiditur in partes tres, in quarum prima ponitur gratiæ faciendæ opportunitas: & in ſecunda, gratiæ exhibitio: & in tertia,

tertia, Pharisæorum excæcatio. Prima autem harum duo continet, scilicet, opportunitatem gratiæ in rebus, & opportunitatem in probatione & coniunctione sermonum. De primo dicit tria, transitum gratiæ fontis, cùm dicit: [Cum transisset inde] A Pharisæis, quibus tanquam indignis lucem suam subduxit. *Iob* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine. *Lu.* 4. Quia & aliis ciuitatibus oportet me Euangelizare regnum Dei: ad hoc enim missus sum.

Venit] Secundum est, quo tangit loci solemnitatem. Est autem hoc factum non eodem Sabbato, quo præcedens, sed in alio. *Lu.* 6. Factum est autem in alio Sabbato, vt intraret in Synagogam eorum: & hoc est, quòd dicit [in Synagogam eorum] quia locus fuit publicus, & solemnis, vbi multi conueniebant. *Ioan.* 18. Ego semper docui in Synagoga, in templo, quò omnes Iudæi conueniebant: & in occulto locutus sum nihil. *Supra* 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta.

Tertium est præsentia indigentis gratia: & hoc tangit, cum dicit [Et ecce homo manum habens aridam] Et sicut in Euangelio Nazaræorum legitur: iste fuit cœmentarius: & interpellabat Christum miserabilibus vocibus dicens: quoniam manu illa victum quærebat: & dixit: IESV Nazarene: manum victui meo necessariam restitue, ne turpiter cogar mendicare. Vnde *Luc.* 6. dicitur quòd manus erat dextra, quæ perficit diligentiam operis. Præsentauit autem se iste in Synagoga, vt ex religione loci & prophetiarum, quæ ibi de Christo legebantur, faciliùs inclinaret eum ad miserendum. *Gen.* 28. Dominus est in loco isto: non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.

Et interrogabant eum dicentes: Si licet Sabbatis curare? vt accusarent eum.

Ecce opportunitas ex coniunctione verborum veritatem probantium: & dicuntur hic duo, dolosa videlicet interrogatio Sacerdotum & Pharisæorum, & demonstratio veritatis, ex veritate Christi sermonum. De primo dicit [Et interrogauerunt eum dicentes] Contra *Luc.* 6, dicitur, quòd Christus eos interrogauit. Responsio, dicendum, quòd vtrumque factum est. Sed Christus eos interrogauit primò, vt daret occasionem demonstrandæ veritatis; & ipsi eum reinterrogauerunt secundò, vt accusationem acciperent malignitatis. [Si licet Sabbato curare?] Hæc quæstio aliter formatur *Marc.* 3. & *Luc.* 6. Si licet Sabbato benefacere, an male: animam perdere, an saluare? Sed in hac forma proposuit Dominus quæstionem. Quia sic formata in se habet rationem ostendentem tale opus non esse violationem Sabbati. Constat enim benefacere esse de quiete Sabbati: & cùm Deus perire nolit animas, quòd licet Sabbato animam saluare: quia Sabbatum propter animæ salutem factũ est. Pharisæi autem formant eam, secundum quòd sonat opus seruile: quia curare sonat solicitudinem, & quasi opus medicinale: vt ex hoc magis accipiatur accusatio. Vnde *Luc.* 13. Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his venite, & curamini; & non in die Sabbati. [vt accusarent eum] Peruersitas intentionis notatur. Non enim quærebant, vt addiscerent legis intellectum: nec misericordia mouebat ad pietatem; sed pertinaces in malitia potiùs eligebant derogare Christo, quàm legis, vel pietatis obseruantiæ studere: discipuli pro certo eius, de quo dicitur *Apoca.* 12. Proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos die ac nocte. Est autem idem, vt accusarent: quod est, vt crimen obiicerent.

Ipse autem dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habeat vnam ouem.

Ecce conuictio veritatis per sermones Christi: & dicuntur duo: primò enim præmittitur facti similitudo pro argumento: secundò autem concludtur generaliter pietatis intentio. In facti similitudine quatuor proponit, quorum primum comparationem inter Christum & Pharisæos innuit: secundum autem dicit comparationem hominis, & bruti simplicis & mansueti & vtilis: tertium innuit comparationem defectus hominis ad defectum bruti: quartum autem propositionem (aliàs proportionem) facti auari hominis, ad factum diuinæ pietatis. De primo dicit [Quis] Hoc notat generalitatem [erit] Notat propositi auaritiæ in futurum pertinaciam [ex vobis] Notat auaritiæ similitudinem in Pharisæis [homo] Notat auaritiæ fomitem: quia factus ab humo, sapit ea, quæ humi sunt. *Ioan.* 3. Qui de terra est, de terra loquitur. *Iob* 4. Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. Et est comparatio latens: quòd si homines ipsi nihil nisi humanam infirmitatem in operibus demonstrantes, vendicant sibi aliquid facere fieri in die Sabbati, multò magis, qui super omnes est per opera se demonstrans esse Dominum Sabbati, quod pietatis est, potest facere in die Sabbati.

Qui habet vnam ouem] Ecce comparatio inter hominem & brutum simplex: & tangit boni paruitatem & paucitatem: paucitatem in hoc, quod dicit [vnam] paruitatem in hoc, quòd dicit [ouem] Sicut ille vir pauper 2 *Reg.* 12. Qui non habebat, nisi oniculam vnam, quæ de pane illius comedebat, & de calice bibebat, & in sinu illius dormiebat, & erat ei sicut filia. Propter proprietatem simplicitatis & mansuetudinis & vtilitatis comparatur ouis homini sicut *suprà cap.* 10. notatum est. Et notatur hoc, quòd etiam vni misero exhibenda est misericordia, dummodo sit ouis *Psal.* 104. Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.

Et si ceciderit hæc Sabbatis in foueam.

Ecce comparatio miseriæ bruti ad miseriam hominis: & notantur tria, causa nocumenti, tempus, & nocumentum. Causa autem est casus, cum dicit [ceciderit] Et in hoc notatur, quòd per illicitum opus non dedit causam casui; sed in via simpliciter gradiens cecidit. Sabbato autem cecidit: quod propter salutem, & non ad mortem alicuius inuentum est [in foueam] quæ est qualitas nocumenti, ex quo impossibile est exire propria virtute. Sicut & homo manu contracta, operam dans rei licitæ cecidit in manus ariditatem, de qua se eripere non potuit. *Iob*, 6. Ecce non est auxilium mihi in me; necessarij quoque mei recesserunt à me. *Deutero* 22. Si videris asinum fratris tui, aut bouem cecidisse in via,

non

non despicies, sed subleuabis cum eo.

Nonne tenebit, & leuabit eam? Quantò magis melior est homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere.

Ecce comparatio facti hominis ad factum diuinæ pietatis: & tangit duo, factum, & comparationem. De facto duo dicit per modum interrogationis. Tenere enim est retinere ab ampliori nocumento, ne in fouea deficiat. Leuare autem est à nocumento eripere: & hoc melius fit in homine diuina pietate nos tenente, ne in totũ in præceps cadamus: & extrahente nos de lacu fæcis & miseriæ. *Sap.* 10. Descendit cum illo in foueam: & in vinculis non dereliquit eum.

Quantò magis] Ecce comparatio: & excessum notat per tria, infinitum quidem, cùm dicit [Quanto] eo quòd homo est ad imaginem capax Deo (aliàs Dei) quod non ouis; excessum autem virtutis notat, per hoc, quòd dicit [magis] Simplicitas enim & mansuetudo, & innocentia in oue sunt natura: & ideò non laude digna. Sed in homine sunt ex electione voluntaria: & ideò laudabilia. 1. *Corinth.* 9. Nunquid de bobus cura est Deo: an propter nos vtique hoc dicit? Excessum autem pretij, & valoris notat per hoc, quòd dicit [Melior est homo oue] 1. *Pet.* 1 Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis; sed pretioso sanguine Agni immaculati Christi. Ex his autem omnibus à minori sumens probationem concludit.

Itaque licet Sabbatis benefacere] Quia vos cum sitis homines mali, in subleuamine bruti, in quo vestræ consulitur auaritiæ: quia in vestro hoc facitis, & non in alieno: & ideò non ex pietate creaturæ simplicis hoc facitis; & tamen excusamini in die Sabbati hoc facientes. Itaque multò magis mihi (qui pius & misericors sum) licet generaliter ad omnes homines beneficentiam exhibere, & nullum in fouea perditionis derelinquere ex fide me inuocantem. *Eccl.* 9. Quodcunque valet manus tua, incessanter operare. *Ioan.* 9. Me oportet operari, dùm dies est. *Hebr* 13. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

Tunc ait homini: Extende manum tuam: & extendit: & restituta est sanitati sicut altera.

Hic tangit perfectionem miraculi: & sicut dicitur *Marci* 3. & *Luc.* 6. statuit eum IESVS in medio: vt omnibus pateret, quòd miser a hominis eum ad pietatem moueret: & vt etiam deuotio circunstantium magis promoueretur ad fidem: & vt malignitas Pharisæorum magis confunderetur. Dicit autem duo, vnum videlicet perfectiuum sanitatis, & sanitatis perfectionem. Primò enim dicit, [Extende manum tuam] Notatur autem ex modo loquendi, quòd infirmitas ex desiccatione neruorum, qui desiccati in musculis mouentibus cumuauerant rascetam (aliàs & ascellam) & digitos versus brachium. Quia, sicut *Hieronymus* dicit in Euangelio Nazaræorum (quo Hebræi quidam fideles vtebantur) dicitur, quòd iste cæmentarius fuit, & victum arte, & vsu manus quæsiuit, & ex moru forti, & frequenti, & siccitate calcis & lapidum passus est neruorum desiccationem. Vnde in eodem Euangelio dicitur, quòd huiusmodi vocibus interpellabat Dominum. IESV Nazarene, restitue mihi manum, per quam mihi & meis quæsiui victum, ne turpiter cogar cibos mendicare. Vnde etiam *Lu.* 6. dicitur hæc fuisse manus dextera.

Et extendit] Ecce perfectio sanitatis, & demonstratio. Dedit enim Christus voci suæ vocem virtutis, non per inuocationem, vt Sancti; sed per imperium, vt Dominus perficiens sanitates [& restituta est sanitati, sicut altera] vigorosa ad operandum effecta. Moraliter autem hoc miraculum perficitur in auaris, qui contractas habent manus ad dandum, cùm manus imperio Domini per gratiam liberalitatis aperiunt inopi, & palmas extendunt ad pauperem. *Prouerbiorum vltimo.* *Eccl.* 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum collecta.

Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant aduersus eum, quomodò perderent eum.

Hic tangitur excæcatio inuidorum Iudæorum: & innuit quatuor, confusionem malignitatis, consensionem, & pessimam eorum intentionem, & Christi patientiam. De primo dicit [Exeuntes ergo Pharisæi] confusi, & non sustinentes lumen rationum propositarum, & per ipsas res confirmatarum. *Iob* 24. Qui male agit, odit lucem. *Ioan.* 13. Iudas exiuit continuò: erat autem nox. *Iob* 1. Egressus est Sathan a facie Domini.

Consilium (vel consilium) faciebant aduersus Iesum] Ecce consensus malignitatis. *Iere.* 18. Tu scis omne consilium eorum aduersus me. *Isa* 1. Iniqui sunt cœtus vestri. *Gen.* 49. In consilium eorum non veniet anima mea: & in cœtu eorum non sit gloria mea.

Vt eum perderent] Ecce pessimum virus intentionis ipsorum. *Matth.* 26 Conueneruntt Principes Sacerdotum cum Scribis & Senioribus populi, quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent. Imponebant autem ei coram hominibus tria, blasphemiam, & Sabbati violationem, & timorem, quem de factis non habebat. Et de blasphemia quidem dicitur *Ioan.* 10. De bono opere nos non lapidamus te; sed de blasphemia: quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. De Sabbato dicitur *Ioan.* 9. Non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. De his duobus simul *Ioan.* 5. Propterea magis persequebantur eum Iudæi: non solùm quia violabat Sabbatum, sed quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. De timore verò dicitur *Io.* 11. Si dimittimus eum, sic omnes in eum credent, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Ab illo ergò die cogitauerunt eum interficere. Christus autem contra blasphemiam opposuit Dei honorem. *Ioan* 8. Honorifico Patrem meum: & vos inhonorastis me. Contra Sabbati violationem beneficentiæ opposuit ostensionem. *Ioan.* 8. Multa bona opera ostendi vobis in nomine Patris mei: propter quod illorum opus vos me lapidatis? Contra timorem eorum: opposuit eorum, quæ timebant,

comminatio

comminationem. *Luc.* 19. Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram proternent te, & filios tuos, qui in te sunt. Secundum veritatem autem causæ persecutionis fuerunt, inanis gloria, inuidia, & superstitio. De inuidia enim dicitur *Infra* 17. Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum. De inani autem gloria *Ioan.* 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non vultis? De superstitione *supra* 9. Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter; discipuli autem tui non ieiunant?

IESVS autem sciens recessit inde: & secuti sunt eum multi: & curauit eos omnes, & præcepit eis, ne manifestum eum facerent.

Hic tangitur Domini patientia contra mala inducta: & tanguntur duo, vnum est probatio patientiæ in opere: secundum autem probatio eiusdem per auctoritatem scripturæ. De primo tangit quatuor, signum scilicet, deitatis per omnium scientiam: signum bonitatis per sanitatum gratiam: & ante hoc exemplum nostræ infirmitatis per sui absentiam: & instructionem humilitatis per vitatam ex miraculis iactantiam. De primo dicit. [IESVS autem sciens] nullo referente *Ecclesiast.* 23. Circunspicit omnes vias hominum. *Iob vlt.* Scio, quòd vniuersorum memineris, & nulla te latet cogitatio [recessit] dans nobis exemplum declinandi rabiem persequentium, *supra* 10. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: quia in hoc etiam consulitur malitiæ aduersariorum [& secuti sunt eum multi] Supple, infirmi, & hi, qui ex fide & deuotione infirmos obtulerunt. *Luc.* 4. Omnes, qui habebant infirmos variis langoribus, ducebant illos ad IESVM: & curabantur [curauit eos omnes] vt signo bonitatis vinceret aduersarios: mira enim fuit bonitas, quòd quæsitus ad mortem vniuersale omnibus exhibuit beneficium. *Rom.* 12. Noli vinci à malo; sed vince in bono malum. [Et præcepit eis] præcepto non executionis, sed instructionis [ne manifestum eum facerent] vt signo humilitatis, quod *supra* 11. dixit, confirmaret. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Ioan.* 8 Ego gloriam meam non quæro.

Vt impleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ecce puer meus, quem elegi: dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum.

Ecce confirmatio per Prophetam (aliàs prophetiam) [Vt adimpleretur] quia in mensura gratiæ superaddit [quod dictum est de eo per Isaiam Prophetam dicentem] 42. Auctoritas autem inducta confirmat totum, quod ab initio dictum est in hac parte: Et non solum id, quod immediatè præcessit. Dicuntur autem in hac auctoritate duo de Christo, plenitudo videlicet, gratiæ, & actus. Plenitudo autem dicitur hic quadrupliciter, ab humilitate videlicet subiectionis, cùm dicit [Ecce puer meus] Et in hoc notatur subiectionis euidentia [puer] notat subiectionem [meus] notat consensum eius, cui subiicitur. *Heb.* 2. Quia pueri communicauerunt carni & sanguini: & ipse similiter participauit eisdem. *Phil.* 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem &c. Puer enim dicitur à subiectione & puritate naturæ assumptæ. Et ideò alia translatio habet [seruus meus] *Isa.* 49. Seruus meus es tu Israël: quia in te gloriabor.

Secundò tangit electionem ipsius ad officium, cùm dicit [electus meus] Non de massa perditionis separatus: quia in illa nunquam fuit; sed electus ad officium redemptionis. *Psal.* 64. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti. Hoc etiam modo dicitur *Rom.* 1. Prædestinatus in virtute secundum spiritum sanctificationis. *Cantic. cantic.* 5. Electus ex millibus [quem elegi] ad hoc opus ante mundi constitutionem. *Eph.* 1. Elegit nos ante mundi constitutionem in ipso.

Tertiò dicit dilectionem ex plenitudine gratiæ prouenientem, cum dicit [dilectus meus] Et dicit duo, dilectionem, quæ est causa gratiæ, & quia gratia gratum facit habentem eam, & opus ipsius: Ideò de gratitudine illa subdit [in quo bene complacuit animæ meæ] De primo dicitur *Ioan.* 3. Pater amat filium, & omnia tradidit in manus eius. Quod autem additur [in quo bene complacuit &c.] Tria notantur, optimus videlicet virtutis modus, qui magis notatur per bene, quàm per bonum: quies pascens volentis Patris, in acceptatione meriti Christi, quod notatur per complacitum: & medulla dulcedinis, quam habet ad ipsum; & hoc notatur per animam: quia humano modo loquitur: & est antropospatos: quia humana propassio transfertur in Deum. Idem autem est *supra* 2. & *Infra* 17. *Sap.* 4. Placita enim erat Deo anima eius.

Quartò dicit plenitudinem spiritus, qui omnia operatur, & distribuit dona, quæ per Christum sunt data. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me. Quod autem dicit [Ponam] sonat quietem. *Isa.* 11. Requiescet super eum Spiritus Domini: & hæc dicuntur omnia de Christo secundum assumptam humanitatem. Secundum primum horum iustè per obedientiam venit ad redimendum: per secundum idoneè: per tertium factum est opus vtile fini redemptionis: & per quartum efficax ad debellandum spiritus nequam redemptos in captiuitate detinentes. Primum est humilitatis, secundum perfectionis, tertium dulcedinis, quartum autem excellentissimæ sanctitatis. Attendendum etiam, quod omnia hæc conueniunt Christo, inquantum in conformitate naturæ caput est Ecclesiæ: sed per primum importatur habitus naturæ, qua Sanctis conformatur; secundum autem conuenit quoad gratiam, qua membra à non membris discernit: tertium autem dicit causam gratiæ; & quartum, spiritum, quo membra viuificat.

Et Iudicium gentibus nuntiabit.

Hic tangit Christi proprium actum; Dicit tria, scilicet, qualis est actus in ordinandis bonis, & qualis in sufferendis aduersis & pœnis & peccatoribus, & qualis in fine perfectionis. De primo dicit [Iudicium gentibus nuntiabit] Hoc est autem iudicium, quoties se ipsos hic discernunt,

&

& in futuro iudicabuntur : & hæc est doctrina Euangelica. *Psal.* 149. Vt faciant in eis iudicium conscriptum:gloria hæc est omnibus Sanctis eius. Hoc enim iudicio,& ipse vt Rex, & Sancti vt Senatores iudicabunt. *Sap.* 3. Iudicabunt nationes,& dominabuntur populis : & regnabit illorum Rex in æternum.Hæc enim est sapientia, quæ continetur in libris cordium Sanctorum, qui aperientur in iudicio. *Dan.* 7. *Colos.* 2. In ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Sed tamen contra hoc videtur esse, quod dicitur *Ioan.* 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum,vt iudicet mundum ; sed vt saluetur mundus per ipsum.Sed hoc intelligitur de Iudicio condemnationis, cùm nos hic loquamur de iudicio doctrinæ, quod est iudicium discretionis (aliàs discussionis) *Lu.* 12. Nunc iudicium est mundi : nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. *Ioan.* 9. Ego in iudicium veni in hunc mundum. Hoc autem iudicium nuntiat prædicando per discipulos [gentibus] quia *Mal.* 1. dicitur. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus.

Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.

Secundum est qualis fuit in tolerandis malis:& hoc tripliciter : & hoc haber duo : Ostendit enim qualis est in contradictione malorum,& qualis est in longanima expectatione peccantium. De primo dicit tria, quorum primum boni ordines ad contradictiones : secundum bonus modus in contradicendo : tertium autem optimus modus in vincendo contradictores. De primo dicit [Non contendet] Dicit enim *Ambro.* Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Sic enim non contendit, sed in doctrina spiritus & virtutis veritatem demonstrauit. *Prouer.* 29. Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue irrideat,non habebit requiem.2. *Timo.* 2. Noli verbis contendere : ad nihilum enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium. *Tit.* 3. Contentiones, & pugnas legis deuita. Sed contra *Iere.* 6. Ecce ego in iudicio contendam vobiscum. *Mic.* 6. Idem. Responsio:non contendit contentione iræ & rixæ, quamdiu fuit in mundo; sed posteà contentione increpationis contendet cum peccantibus.

Neque clamabit] Clamor est confusus sonus indignationis in contradicendo. 1. *Pet.* 2. Dum pateretur, non comminabatur. Nec est contrarium id, quod dicitur *Heb.* 5. Preces supplicationésque cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.Et *Io.* 7. In die magno festiuitatis stabat IESVS, & clamauit di. Si quis sitit &c. Quia primum intelligitur de clamore deuotionis ad Deum : secundum autem de clamore prædicationis. Et quod dicitur hic, est dictum de clamore indignationis,qui clamor nascitur ex ira & indignatione, vt dicit *Gre.*

Neque audietur in plateis eius vox] In plateis vox tumultus suscitantium auditur : & hoc modo Christi vox non est audita : nec etiam in iactantia in plateis facta, qualiter vocem dant in plateis inaniter gloriantes. Et ideò *Isa.* 8. dicitur, eo quod abiecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio. Siloa enim, quæ interpretatur missus, significat doctrinam Christi, quam abiecerunt Iudæi : ad quam tamen cæcus illuminandus missus est. *Ioan.* 9. *Isa.* 42. Tacui, semper silui, patiens fui.Sic ergo in mansuetudine mansuetis prædicauit. *Isa.* 61. ad annuntiandum mansuetis misit me. *Iacob* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.

Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.

Hic tangitur qualis fuit in sustinentia peccatorum, & expectatione. Sunt autem ista per metaphoram dicta. Arundo autem quassata cor fuit Iudæorum & Pharisæorum, vento iræ & indignationis commotum, & vento erroris sonans per blasphemias & indignationes& hoc non confregit Christus, licet hoc potuerit, sed patienter supportauit : cedens furori, & dans locum iræ. *Ro.* 12. Non vosmetipsos defendentes, charissimi; sed date locum iræ. 3. *Regum* 14. Percutiet te Dominus, sicut solet arundo moueri in aqua.

Linum fumigans non extinguit] Linum candore suo & munditia (vt dicit *Hilarius*) paucos Iudæorum significat deuotos, igniculum fidei concipientes, & quadam dilectione cum carne iuxta fumantes : quos etiam Christus non extinxit, sed fouit incendens in eis ignem perfectæ charitatis. *Remigius* autem dicit linum significare gentes amaro fumo erroris fumantes cum modica scintilla naturalis legis. Et sicut non contempsit paruam scintillam in parulis, sed fouit, donec accenderetur igne charitatis : ita etiam in gentibus modicum scintillam naturalis legis in magnum produxit ignem dilectionis. Sine præiudicio autem dicendum, quòd per istas expositiones non videtur induci auctoritas; sed potiùs videtur linum significare Pharisæos nitorem innocentiæ prætendentes in superstitiosa religione. Et fumus, qui est nuntius ignis, videtur significare amaras machinationes eorum ad nocendum absque aperta inflammatione iræ & rixæ. Et hoc Christus non extinxit : quia linum fumigans dum extinguitur, conculcatur : quia tales Christus pedibus suæ maiestatis non conculcauit. Vnde *infra.* 15. dicit. Sinite eos,cæci sunt, & duces cæcorum. *Heb.* 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit aduersus semetipsum à peccatoribus contradictionem : vt non fatigemini animis vestris deficientes. Hoc significatum est 2. *Regum* 16. Cum Semei malediceret Dauid, & vellet hoc vlcisci Abisai, præcepit dicens. Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus, & reddat mihi bonum pro maledictione hac. *Iob.* 41. Halitus eius prunas ardere facit : & de naribus eius procedit fumus.

Donec eiiciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius gentes sperabunt.

Donec eiiciat]Hic tangitur, qualis fuit Christus in fine perfectionis sui officij:& dicit duo,scilicet, victoriam bonitatis, in fidelibus : & spem æternæ remunerationis, & etiam terrenæ in Christo seruientibus. De primo dicit [donec eii.] hoc est,ita dissimulabit[donec]paulatim per prædicationē,& sanguinis

sanguinis sui virtutem [eiiciat] Eiectio proiectio est violenta ad exteriùs facta [iudicium] autem est id,quod informat iudicium : veritas prædicata : & hæc ad victoram eiicitur , quando extra fines Iudææ à Iudæis abiecta , in gentibus super errores vincit & triumphat : sicut maximè in die iudicij vincet omnes contradicentes. 2. *Esdræ.* 4. Super omnia vincit veritas. *Isa.* 63. Ego,loquor iustitiam,& propugnator sum ad saluandum. *Apoc.* 6. Ecce equus albus,& qui sedebat super eum,habebat arcum, & exiuit vincens, vt vinceret.Per equũ enim album potestas innocens & virtutes designantur: per sessionem quies iudicantis : per arcum significatur doctrina scripturarum emittens spicula auctoritatum, quibus vincit Christus omnem errorem.

Et in nomine eius] Hoc est , spes fidelium , in qua completur Ecclesia fidelium, & perficitur, & finitur Christi officium.Quòd autem dicit[in nomine eius] hoc est, in notamine:quia notæ Christi nobis inscribuntur. *Act.* 4. Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus , in quo oporteat eos saluos fieri [gentes] hoc est,Ecclesia ex diuersitate gentium congregata [sperabunt] omni relicta spe temporalium & relicta iustitia legis , quæ est factorum nihil adducentium ad perfectum. *Heb.* Et *Isa.* 11. Erit radix Iesse , qui exurget regere gentes : in eum gentes sperabunt:& erit nomen eius gloriosum.

Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, & mutus:& curauit eum,ita vt loqueretur & videret.

In superioribus probatæ veritatis hic inducitur auctoritas, ne possit calumniari terminus vmbrarum : & hic duo inducuntur, confutatio videlicet Pharisæorum , qui eam malo attribuerunt principio : & confutatio Scribarum , qui attentantes auctorem (aliàs auctoritatem) huius veritatis signum quærebant potestatis *Ibi.* [Tunc responderunt ei quidam de Scribis &c.]Prima verò harum partium tria continet , causam.scalumniæ auctoritatis miraculorum probantium terminum vmbrarum : & ipsam calumniam : & calumniæ confutationem: & hæc in litera patebunt. Causa autẽ calumniæ, siue occasio fuit miraculi in dæmoniaco perfectio:& in illo sunt tria:expostulãtia.s.fieri miraculum,perfectio miraculi,& effectio ipsius in astantibus.In expostulantia autem fieri miraculum duo sunt,fides offerentiũ inclinans omnipotentiã ad perfectionem ipsius : & passio obsessi trahens misericordiam ad voluntatem efficiẽdi. De primo dicit[Tunc]præinducta rabie declinata[oblatus est ei]fide & deuotione. *Iu,9.* Obtulerunt ei paralyticum in lecto iacentem.Vnus quidem subiecto,sed multiplex in effectu dæmonis : & notatur in hoc malitia dæmonis,cui in vno non sufficit vna læsio; sed multipliciter vexat vnum,& eundem. *Isa.* 38. Quasi leo sic contriuit omnia ossa mea. *Abach.* 1. Sẽper interficere gẽtes non parcet[dæmonium habẽs cæcus & mutus]Tria tangit impedimẽta.Quia in hoc,quòd dæmonium habuit, impeditũ habuit rationis ordinem:Extra autem nobiliorem destruxit actum sensitiuæ,& in hoc fecit cæcum:& nobiliorem actum rationis,qui est interpretatiuæ,& in hoc fecit mutum:& hæc est malitia dæmonis interius impediens visum veræ rationis , & exterius auferens visum veri luminis in coruscatione miraculorum : & laudem Dei, interpretatione sermonum ablata. *Lu.* 11. Erat Iesvs eiiciens dæmonium , & illud erat mutum. Et addit *Beda*, quòd erat etiam cæcum. 1. *Re.* 11. In hoc vobiscum feriam fœdus : vt eruam omnium vestrum oculos dexteros.

Et curauit eum] Ecce miraculi perfectio : & propter tres operationes dæmonum tria ponit antidota salutis. Contra enim defectum interiorem in impedimento vsus rationis dicit [& curauit eum] Contra defectum in interpretatione sermonum exteriùs dicit [ita vt loqueretur] & contra defectum cæcitatis exteriùs dicit [vt videret]Et de his multa in superioribus dicta sunt.

Et stupebant omnes turbæ & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid?

Ecce effectus miraculi in astantibus : & tangit duo , stuporem admirationis , & viam fidei luminis.

De primo dicit [Et stupebant omnes turbæ] Stupor est insensibilitas cordis systolen patientis ex ignorantia causæ prodigij,quod apparet in sensibus. *Lu.* 5. Apprehendit omnes stupor[& dicebant;Nunquid hic est filius Dauid?]Propter misecordiam dicunt eum filium Dauid,& propter promissionem,sicut patet 1. *Reg.* 21. Vbi non interfecit Saul. Et 2. *Reg.* 1. Vbi planxit inimicum. 1. *Machab.* 2. Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula.

Pharisæi autem audientes dixerunt:hic non eiicit dæmones , nisi in beelzebub Principe dæmoniorum.

Hæc est calumnia Pharisæorum, qui diuisi interpretantur:quia sicut dicitur *Isa.* 59. Iniquitates eorum diuiserunt inter eos & Deum suum. Audiuerunt enim turbam & non valentes calumniari factum,facti auctorem Spiritum sanctum calumniati sunt, ad contrariam & inimicam potestatem Dei miracula transferentes[hic non eiicit dæmonia,nisi in beelzebub Principe dæmoniorum]Huius autem negatiuæ affirmatiuam *Iu.* 9. dixerunt.Et quia illa minus dicebat,ideò Christus *Iu* non impugnauit,sed tacuit.Nunc autem confirmata malitia eorum, postquam conceperunt occidere eum, ponunt negatiuam , quæ nihil penitùs operum Christi reliquit,nisi dæmoni detur, & attribuatur; & hoc melius significatur *Mar.* 3. Vbi sic dicitur: Quoniam in furorem versus est,& beelzebub habet:& in Principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

Iesvs autem sciens cogitationes eorum dixit eis.

Hic incipit confutare:& dicuntur hic duo. Primò enim ante disputationem sapientiæ signum omniscientis , quem nihil latet , præmittitur ; & postea disputationem orditur.

De primo dicit [Iesvs autem] vt Deus omnia [sciens cogitationes eorum] *Psal.* 93. Dominus scit cogitationes hominum,quoniam vanæ sunt,simile est *Iu.* 9. quando dixit. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?dixit ad confutationem eorum.

Omne regnum contra se diuisum desolabitur:& omnis ciuitas , vel domus diuisa contra se non stabit.

Hic

Hic ponit rationes ad confutandam malitiam Pharisæorum : & diuiditur in partes quatuor. Ostendit enim primò dicti eorum falsitatem : secundò peccati eorum , quod in dicto commiserunt irremissibilitatem : tertiò intentionis peruersitatem:quarto iustissimam eorum condemnationem: & sic terminatur sua disputatio.Prima harum habet duo genera rationum.Primo enim inducit rationes deducentes ad inconueniens, quæ supposito dicto eorum inditectè probant propositum:secundò probat ostensiuè supposita veritate etiam concludendo propositum.In prima harum proponit generaliter in omni potestate : & assumit sub ipsa in potestate diaboli,& concludit propositum per inconueniens quod sequitur. Attende autem, quòd humana potestas , in qua per similitudinem proponit , non est nisi triplex, regionis.s.ciuitatis terræ,& domus, secundum quòd etiam regnum refertur ad tria,œconomicã videlicet , cui is gubernatio datur Patri familias;& ciuilem,cuius gubernatio datur proconsuli:& regalem,cuius gubernatio datur Regi. Plures enim ad vnum pluribus modis referri non possunt, nisi domestici,vel cohabitantes ciuitati, vel communicantes legibus eisdem:& in his tribus dicit solui potestatẽ regni,si diuisa sit potestas contra potestatem. Attende autẽ, quòd in toto potestatiuo(sicut est regnum, vel ciuitatis prætura,vel domus dispensatio)est potestas distributa exvno,& ad vnum ordinata,qui est Rex,vel Proconsul,siue Præfectus,vel pater familias:& tunc diuidi dicitur:quia contraria dispositione reluctans , nec ex vno distribuitur in officia plurium,nec secundum communicationem ad vnum ordinatur:& tunc fiunt duo Domini , quibus nemo potest seruire *sup.* 6.

De his ergo dicit [Omne regnum] quod est potestas Regionis ordinata ad vnum contra seipsum reluctando[diuisum]ad diuisa tendens : quia tunc destruit ordinem ad vnum [desolabitur] 2. *Paral.* 2.Filij Amon versi insediti onem in seipsos diuisi, mutuis concidere vulneribus[& omnis ciuitas In qua est etiam ordo potestatis ad vnum [vel domus] ad vnum patrẽfamilias ordinata familia, diuisa contra se]hoc est, in diuisa tendens contra sui motorem & rectorem [non stabit] Sed sicut dicit *Lu.* 11 Domus supra domum cadit. *Isa.* 3. Ruit Ierusalem,& Iudas concidit. Et huius causa ponitur ibidem : quia tumultuabitur puer contra senem,& ignobilis contra nobilem. *Osee.* 10. Diuisum est cor eorũ,nunc interibũt. *Pro* 28.Propter peccata terræ multi Principes eius,hoc est,ad multa tendentes. 1. *Mach* 1. Diuisit Alexander regnum suum,dum adhuc viueret:& imposuerũt singuli diademata in loco suo : & multiplicata sunt mala super terram.

Et si sathanas sathanam eiicit,aduersus se diuisus est: Quomodo ergo stabit regnum eius?

Hic assumit sub propositione generali:& est propositio falsa, supposita tamen vera secundũ dictũ Pharisæorum[Et si sathanas]aduersarius humanæ saluti regnum Dei impugnans [sathanam] alium aduersarium eidem regno[eiicit]in toto,ne dominetur secundũ aliquam posterarem inimicã saluti [aduersus se diuisus]quia etsi sathanæ sint legiones diuersis & diuisis vitiis principantes:in hoc tamen conueniunt, quòd regnum Dei, & salutem hominis impediunt;sicut *Iudic.* 15. Vulpes Samsonis facies habebant diuersas,& caudas colligatas[Quomodo ergo stabit regnum eius? , quod non stat in vno officio , sed multis officiis : & ideò oportet, quòd se inuicem inuent dæmones. Et attende, quòd quidam dicunt regnum diaboli esse mundum:& Saluatorem velle concludere,quod secundum dicta Pharisæorum soluendus sit mundus statim:quod Pharisæi non credebant.Et hoc non videtur esse intentio literæ : quoniam non sequitur ex dictis nisi destructio posteraris diaboli : hoc enim vocatur regnum , licet verè sit corruptio regni in tyrannidem. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu crudelium Dominorum : & Rex fortis dominabitur eorum. Cùm igitur sathan non intendat destruere suum regnum , sathan non eiicit sathanam:falsum est ergo me in Principe dæmoniorum eiicere dæmonia.Sed nonne necromantici in vno dæmone eiiciunt alium:& similiter fecerunt idola : sicut Astaroth,& quædam alia ? Ad hoc dicendum,quòd non eiiciunt ; sed à quadam operatione , vel læsione cessant, vt in alia fortiùs possideant. Christus autem loquitur hic de eiectione secundum omnem operationem , & omne dominium.

Et si ego in beelzebub eiicio dæmones, filij vestri in quo eiiciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt. Si autem ego in Spiritu Dei eiicio dæmones,igitur peruenit in vos regnum Dei.

Secunda ratio est ducens ad inconueniens : & ideò resumens dictum , ex quo sequitur inconueniens, quærit dicens [filij vestri in quo eiiciunt?] Dicuntur autem filij Apostoli,& Exorcistæ,& quidam etiam non sequentes Christũ. *Lu* 9 Vidimus quendam in nomine tuo eiicere dæmonia,qui non sequitur nobiscum. *Act.* 19. Etiam fuerunt,qui adiurabant in nomine Iesv, quem Paulus prædicat: omnes enim illi videtes efficaciã nominis Christi, adiurabant per nomen Iesv.Dicit autem[filij vestri]Non mei Discipuli;quia cùm de eis sint nati & conuersati,non essent testes contra eos,nisi à veritate secundum conscientiam essent conuicti. Et cum illi sint testes efficaciæ nominis & sanctitatis, & quòd nullis malis artibus vsus, eiicio dæmones [ideò ipsi iudices vestri erunt]vos primum de falsitate conuincentes , & posteà sua comparatione condemnantes. *Iob* 13.Priùs vos ostendam fabricatores mendacij , & cultores peruersorum dogmatum. *Mat.* 19. Vos sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel .*Infrà eodem* Regina austri surget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam.

Si autem ego in Spiritu Dei eiicio]Hoc meo iudicio est conclusio ex duabus inductis rationibus: sicut enim dicit *qto.* Complexio est per diuisionem assumpta istãiant in spiritu malo eiicio dæmonia; aut in Spiritu bono?Et iã illa perducta est ad plura inconuenientia:concluditur ergo ista,&assumitur: & hoc est[Si autẽ ego in spiritu Dei]hoc est,in virtute Spiritus Dei à me procedentis, sicut *sup* 9 & *Luc.* 8. dixit. Ego cognoui virtutem à me exisse [eiicio dæmonia] tam à corporibus , quàm ab animabus [igitur peruenit in vos] hoc est, inter vos quia regnum diaboli existentes non poterant intra se habere regnum Dei[regnum Dei]Iam superiùs diximus, quòd regnum primũ est, quod est

animata iustitiæ,& legum,& vrbanitatum potestas in anima Regis. Et ita hic sumit Christus,quia regnum hoc Dei distribuendum erat ex corde Christi in omnes ministros Ecclesiæ. *Io.* 1. Medius vestrum stetit,quem vos nesciris : hic est,qui post me venturus est &c. *Luc.*1. Regnabit in domo Iacob in æternum:& regni eius non erit finis,*Sup.6.* Adueniat regnum tuum &c.

Aut quomodo potest quisque intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi priùs alligauerit fortem ? Et tunc domum illius diripiet.

Hic ponit per ordinem tres rationes ostensiuas propositum ostendens : quarum prima sumitur à similitudine aduersariorũ in humana consuetudine:& est talis.Hi,qui se inuicem oppugnant:& alter vincens alterum,vasa confidentiæ alterius,qui victus est, diripit & dispergit : ne ampliùs in eis confidat : non sunt amici se inuicem iuuantes,sed inimici.Ego & diabolus nos ita habemus ad inuicem : ergo non sumus amici nos mutuò iuuantes: ergo in Beelzebub non eiicio dæmonia, sed in spiritu Dei inimico diabolo : & hoc est [aut quomodo]nota est interrogationis : quia in tota disputatione Christus non arguit, sed interrogat : vt ex mansuetudine magis trahens conuertat,& alliciat corda eorum[potest]excellenti potentia. *Psal,* 8 1.Non est,qui sit similis tibi in fortibus Domine: & non est secundum opera tua[intrare]potestatiuè [in domum fortis]quam magis defendit,quàm regnum, vel ciuitatem : quia nullo modo defendit regnum,vel ciuitates,qui propriam non præualet defendere domum. De fortitudine autem diaboli dicitur *Iob* 41.Non est potestas super terram, quæ possit ei comparari,qui factus est,vt nullum timeret [& vasa eius diripere] Sicut ego facio *Osc.*13. Ipse diripiet thesaurum omnis vasis desiderabilis. Est autem domus ista mundus & conscientia & infernus.Et Christus intrauit in mundum per carnem eiiciens dæmonem per fidei prædicationem. *Io.*14.Venit enim princeps mundi huius,& in me non habet quicquam.In cor autem intrat per gratiam,& eiicit dæmonem. *Lu.*11. Erat I E S V S eiiciens dæmonium.In infernum autem intrauit per animam deificatam,& eiecit dæmonis violentiam. *Psal:67.* & *Ephes.*4. Captiuam duxit captiuitatem. *Isa.* 49. Equidem à forti tolletur præda : & quod ablatum fuerit à robusto,saluabitur.Dicuntur autem vasa corda dæmoniacis operationibus plena. *Ro.* 9. Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum,vt ostenderet diuitias gloriæ suę in vasa misericordiæ. Idẽ vos quos & vocauit:non solùm ex Iudæis,sed etiam ex Gentibus.1. *Ti.*2.In magna domo Dei non solùm sunt vasa aurea & argentea,sed etiam fictilia:& alia quidem vasa in honorem,& alia in contumeliam[nisi priùs] *Lu.*11.Si autem fortior illo superuenerit. *Ier.*46. Fortis impegit in fortem : & ambo corruerunt.Christus in mortem dispensatiuè;diabolus autem in infernum amissa,quam habuit,potestate [alligauerit] potestatis ablatione. *Apo.*20.Vidi Angelum fortem de cælo descendentem:& habuit clauem abyssi,& catenam magnam in manu sua, & apprehendit serpentem antiquum draconem,& alligauit eum per annos mille [fortem] diabolum *Ier.6.*Fortis est & crudelis, & non miserebitur [& tunc domum illius] hoc est, contenta in domo inferni, vel mundi, vel cordis [diripiet] hoc est,ab ipso rapiet. *Isa.*8. Voca nomen eius,velociter spolia detrahe, festina prædari.1.*Io.*4.In hoc apparuit filius Dei,vt dissoluat opera diaboli.

Qui non est mecum, contra me est.

Secunda ratio est:& est per modum antipophoræ:quia aliquis posset dicere,quòd ex familiaritate intraret in domum fortis. Et ad hoc inducit rationem,dicens.[Qui non est mecum]consensu & opere.Et intelligitur:non est mecum:ita quòd violat omnem societatem ipsius[contra me est]Et patet per hoc,quòd distribuo,& diripio(aliàs eripio) vasa ipsius, quòd ipse non est mecum : quia præsentiam meam non sustinet, sed est sibi tormentũ, *Sup.* 8.& *Lu.*4. Venisti ante tempus torquere nos Ergo contra &c. Et attende,quòd non dicit : cum quo ego non sum : quia ipse cum omnibus est: & est cum dæmone, qui vbique, & in omni creatura est, sicut lumen est cum cæco. 2. *Corinth.* 6. Quæ conuentio Christo ad Belial. Sed contra, *Prou.* 21. Non est sapientia,non est prudentia,non est consilium contra Dominum. Responsio, Non contra Dominum, quòd se erigere & stare possit contra Deum ; sed tamen nititur, licet deprimatur. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robustissimus est.

Et qui non congregat mecum,spargit.

Tertia ratio est sumpta à(aliàs ex)contrarietate operum : quia Christi opus, & omnium secum operantium est congregare ; diaboli autem, & omnium ministrorum suorum est dispergere[congregat] enim Christus passiones in virtutis formam, actiones ad iustitiæ normam,electiones ad prudentiæ rationem, animales vires ad mentis mensuram,discursus(aliàs discursas)rationis disciplinas ad intellectus simplicem felicitatem, multitudinem credentium in cor vnum & animam vnam,Ecclesiam sub suæ protectionis alam, sicut gallina pullos dispersos per errores & desideria in Ecclesiam, & exules in patriam:& ita congregat ea, quæ sunt hominis in seipsum, homines ad seipsos,& omnes ad Patris regnum & gloriam. *Isa.* 40. Sicut pastor in brachio suo congregabit agnos. *Ezech.* 34. Congregabo oues meas de cunctis locis, in quibus dispersæ erant. *Isa.*11. Dispersos Israel colliget à quatuor ventis cæli. Et *ibidem ante*;Leuabit signum in nationibus,& congregabit profundos Israel. Quòd autem diaboli opus sit dispergere patet *Io.*10. Lupus rapit & dispergit oues, per affectus passionum, per iniquitates operum,per errores electionum, per brutalitates & animalitates mentium, per varietates errorum, per diuersitates cordium, per idololatrias & varietates perfidiarum, per similitudines exiliorum in longinquum. *Eze.*34. Dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non esset pastor:& factæ sunt in deuorationem.

Ideò dico vobis : omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiæ non remittetur.

Hic ostenditur peccati irremissibilitas, hoc est, quòd nõ habet in se, quare inclinet ad remissionẽ: & dicit duo:facit enim primo cõparationẽ peccati ad peccatũ penes conditiones peccantium:secũdò

autem

autem facit comparationem eorumdem penes ea, contra quæ peccatur. De primo dicit [Ideò] quia per rationem conuicti estis, quòd non ex ignorantia, sicut vilis plebecula turbarum hoc dixistis: nec ex infirmitate cogente per tentationem [Ideò dico vobis] fideliter contestans : quia [omne peccatum] ex infirmitate tentationis caussatum, sicut dicitur *Genes.* 8. Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines. Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Et ex illa infirmitate pallium habet excusationis [& blasphemia] quæ est per ignorantiam : & ideò habet pallium excusationis, & si non à toto, tamen à tanto. *Act.* 3. Auctorem vitæ interfecistis : & nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis : pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur vobis peccata. Est autem blasphemia, vt supra notauimus, impositio falsi criminis in Deum, propter quod enormius est, quàm periurium; quia in periurio testis falsi Deus inuocatur; in blasphemia autem falsum Deo imponitur : & hoc modo per ignorantiam sæpe in Christum vilis turbarum multitudo blasphemauit : Sed non Pharisæi eruditi in scripturis, & habentes operum Spiritus Dei, & spiritus maligni discretionem [remittetur homini] hoc est, habet in se causam impotentiæ vel deceptionis, quare remissibile efficitur: habens congruitatem quandam veniæ. *Eze.* 13. *Iere.* 38. Si pœnitentiam &c.

Spiritus autem blasphemiæ] Spiritus blasphemiæ differt à blasphemia : quia quod ex infirmitate procedit, quasi spiritum voluntatis non habet pro causa; sed coactionis violentiam : similiter quod ex deceptione prouenit voluntatis, non habet spiritum, sed ignorantiam; sed quod prouenit ex certa malitia, ex solo spiritu voluntatis procedit, nihil nisi odium Dei habens pro causa. *Psal.* 72. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis, non in infirmitatem carnis, vel in ignorantiam deceptionis. 1. *Timo.* 1. Ideò misericordiam consecutus sum: quia ignorans feci. Et ideò sequitur [non remittetur] i. causam remissibilitatis, & congruitatem secum non habet. Dicitur enim veniale peccatum venia dignum tribus modis, genere, euentu & circunstantia. Genere quidem, quod secundum totum genus suum venia dignum est, & non morte æterna, sicut verbum otiosum: euentu autem, sicut quod in se quidem est mortale, sed tamen per euentum sequentem factum est veniale, sicut peccatum omne post pœnitentiam fit veniale. Circunstantia autem dicitur veniale, quòd licet in se mortale sit; tamen habet circunstantiam, ex qua magis congruat ipsum remitti, sicut peccatum infirmitatis, vel ignorantiæ. Blasphemia autem istorum non processit nisi ex spiritu iniquitatis, & odij diuini.

Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei; qui autē dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.

Secunda est comparatio istius peccati penes id, in quod peccatur: tangit igitur, quòd cum duæ naturæ sint in Christo, contra vtramque potest quis peccare: natura autem humana ostendit se infirmis passionibus & operationibus, vt comedendo, & bibendo, & huiusmodi: Et hæc erat causa sca[illegible] plurimorum, sicut quòd dix[illegible]nt, quòd erat vorax & potator vini, [illegible] quod alias inductiuum erat infirmitatis occultæ, remissibilitatem secum habet & pallium excusationis. [illegible] est, quòd dicit [Quicunque verbum] blasphemiæ [dixerit] deceptus [contra filium hominis] occasionem ex filio hominis accipiens [remittetur ei] ex congruitate peccati, si pœniteat. *Luc.* 23. Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Act.* 7. Ne statuas illis hoc peccatum: quia nesciunt quid faciunt. Causa autem est *Isa.* 53. Quasi absconditus vultus eius, & despectus. *Abacuc* 3. Ibi abscondita est fortitudo eius. 1. *Cor.* 2. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Altera natura in Christo manifestatur actibus potentiæ, & sapientiæ, & bonitatis; non humanis, sed diuinis. Et cognoscens hos actus esse proprios Spiritui sancto, & diuinæ naturæ, & attribuens spiritui immundo non peccat ex infirmitate, neque ex ignorantia, sed contra conscientiam ex certa malitia : & hoc peccatum vocatur impugnatio veritatis agnitæ per proprium Spiritui sancto effectum : & ideò illud nullam remissibilitatē habet ex congruitate peccati. Et hoc est, quòd dicit. [Qui autem dix.] blasphemiam [contra Spiritū sa. [agnitum in propriis actibus & donis suis [non remittetur]. i. congruitatem remissionis non habet [neque in hoc seculo] congruitatem remissionis non habet [neque in futuro] quia [illegible]e congruitate peccati indignus est liberante misericordia. 1. *Io.* 5. Est peccatum ad mortem, non pro eo dico, vt roget quis. 1. *Re.* 16. Quousque tu luges Saul; cum ego abiecerim eum? *Iere.* 11. Noli orare pro populo hoc : & ne assumes pro eis laudem, & orationem: quia non exaudiam te in tempore clamoris eorum ad me. 2. *Machab* 9. Orabat autem scelestus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.

Attende autē, quòd tria exiguntur ad hoc, quòd peccatum sit in Spiritum sanctum : primum est radix, secundum genus peccati, tertium proprium. Radix semper est malitia, non infirmitas trahens, neque error, vel ignorantia decipiens. Genus peccati, quòd semper sit cōtra Spiritum sanctū manifestatum (aliàs manifestum) in actibus, vel donis. Proprium autem, quod non habeat aliquod palliū excusationis, nec à toto, nec à parte, sicut habent peccata ex infirmitate, vel ignorantia facta. In genere autē quinque sunt talia peccata, obduratio. s. præsumptio, finalis impœnitentia, inuidentia fraternæ gratiæ, & impugnatio veritatis agnitæ in diuinis. Obduratio autē hic non dicitur duritia cordis habitualis; sed propositum actuale cor non emolliendi timore, vel amore diuino : ita quòd proponit non frangi timore, nec emolliri amore, vel pietate: & quòd hoc non proueniat ex infirmitate, vel deceptione erroris : quia hæc radix exigitur in quolibet peccato in Spiritum sanctum. Et hoc peccatum peccat contra ea, quibus inclinatur cor ad remissionem consequendam ex parte peccantis. Præsumptio autem est, quando aliquis actuali fiducia sic innititur misericordiæ diuinæ, non deceptus, nec tentatione tractus, quòd sine omni satisfactione sperat veniam : & ideò tradit se impudentiæ & cæteris peccatis. Et hic peccat contra iustitiam Dei, quæ est remissiuum peccati in Deo. Impœnitentia autem

finalis est (non continuatio in peccatis vsque ad mortem) sed potius propositum non pœnitendi, ex hoc quod ponit quantitatem peccatorum suorum excedere Dei misericordiam, sicut fecit Cain *Genes.* 4. Cum diceret Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Et hæc peccat contra misericordiam Dei, quæ secundum est remissiuum peccati in Deo. Inuidentia autem fraternæ gratiæ est actualis tristitia affligens mentem in gratia, qua Spiritus sanctus dona, vel actus suos ostendit: & hæc est contra hoc, quod remissionem operatur ex parte Ecclesiæ, quod est Sanctorum communio, sine qua nullum omninò remittitur peccatum. Impugnatio autem veritatis agnitæ est contentio & blasphemia contra Dei veritatem perceptam in Sacramentis, vel verbo Dei, vel operibus miraculorum, postquam restituta est veritas: & hæc peccat contra effectum Sacramentorum: quod est secundum remissiuum ex parte Ecclesiæ. Et super ista quinque Spiritum sanctum impugnat: aut in his, quibus operatur remissionem ex parte peccantis, sicut primum: aut in his, quibus operatur remissionem in seipso, sicut secundum & tertium: aut in his, quibus operatur remissionem ex parte Ecclesiæ, sicut quartum & quintum.

Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Si quidem ex fructu arbor agnoscitur.

Hic incipit redarguere intentionem: quia sæpe mala fiunt bona intentione, licet stulta, sicut mendacium obstetricum *Exodi.* 1. Et tunc peccatum habet aliquam remissibilitatem. Sed quando accedit mala intentio ad malum, nec infirmitate, nec ignorantia excusatum: tunc omninò est habens incongruitatem ad remissibilitatem. Duo igitur inducit hic: primo enim probationem malæ intentionis inducit sub metaphora: secundò autem metaphoræ inducit explanationem. In metaphora autem duo dicit, metaphoram videlicet, & metaphoræ rationem. Metaphoram autem proponit sub disiunctione dicens [Aut facite arborem bonam] Bona autem arbor est, cuius calor potens est humidum fructuum terminare, & humidum subtile bene terminabile digerente calido: & tunc efficitur fructus dulcis: sicut cor calidum charitate, & dulce humore pietatis & bonæ intentionis bona habet verba & opera. *Ezech.* 47. In ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum: & non defluet ex eo folium, & non deficiet fructus eius. *Psalm.* 1. Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo. *Canticorum* 2. Sub vmbra illius, quem desiderabam, sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.

Aut facite arborem malam] Arbor mala dicitur, quæ in se habet formaliter causam mali fructus: & hæc est, cuius calor naturalis impotens est digerere, & humidum est inobediens digestioni Tunc enim manebit calidum humidum, & non cõplet decoctionem eius: & erunt fructus acerbi, dentes obstupescentes. Et hoc est, quod sequitur [& fructum eius malum] *Sap.* 4. Fructus eorum inutiles & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti: sicut etiam cor amarum malæ intentionis verba & opera profert mala. *Ezech.* 31. Ecce Assur quasi cedrus in Libano, cleuatum est cacumen eius: corruent rami eius, & confringentur arbusta eius. *Suprà* 3. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Si quidem ex fructu arbor cognoscitur] Ecce ratio metaphoræ, & proportionis, arboris ad fructum: quia ex sapore fructus cognoscitur arboris natura in bonitate & malitia. *Suprà* 7. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas: aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor fructus malos facit.

Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali?

Ecce metaphoræ istius explanatio: & dicit duo, explanationem, & explanationis rationem. Explanatio est, quod dicitur de mala arbore [Progenies viperarum] hoc est, venenati venenatorum filij, lingua virus effundentes mali cordis. *Iob* 20. Occidit eum lingua viperæ. *Matth.* 23. Testimonio vobis estis, quòd estis filij eorum, qui Prophetas occiderunt: & vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à gehennæ incendio? *Luc.* 3. Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? [quomodo potestis] pietate, quæ est ex habitu [bona loqui, cum sitis mali?] Quando enim malus ex habitu loquitur, mala loquitur. *Isa.* 32. Stultus fatua loquitur & cor eius perficiet iniquitatem: vt perficiat simulationem, & loquatur ad Deum fraudulenter.

Ex abundantia enim cordis os loquitur: bonus homo de bono thesauro profert bona; malus autem homo de malo thesauro profert mala.

Ecce expositionis ratio simul & probatio: & dicit rationem dupliciter, generaliter dicens [Ex abundantia] habituali [enim cordis] quæ pessima, vel optima semper in corde repræsentat [os loquitur] etiam sine præmeditatione. Et hoc est signum confirmati in bono, vel in malo habitus. *Iob* 4. Conceptum sermonem tenere quis poterit? *Iob* 32. Coarctat me spiritus vteri mei: loquar, & respirabo paululum: aperiam labia mea, & respondebo. Et subiungit hoc idem specialiter in bono & in malo. In bono quidem [quia bonus homo de bono thesauro cordis sui] hoc est, de habitibus bona longa consuetudine acquisitis [profert bonum] *Pro.* 18. Aqua profunda ex ore viri: & torrens redundans fons sapientiæ. *Infrà* 13. Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini Patri familias, qui profert de thesauro suo noua & vetera [Et malus homo de malo thesauro] habitiuum malorum [profert mala] *Prouerb.* 15. Os fatuorum ebullit stultitiam. *Infrà* 15. Et *Mar.* 7. De corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta. *Isa.* 59. Locuti sumus de corde nostro verba mendacij. *Michee.* 6 Adhuc ignis in domo impij, & mensura maior ira plena, & thesauri impietatis.

Dico autem vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: ex verbis enim tuis iustificaberis; & ex verbis tuis condemnaberis.

Hic

Hic post omnem malitiæ eorum ostensionem inducit iustissimam eorum condemnationem: & hoc facit arguens à minori. Quoniam si de otioso est reddenda ratio, relinquitur, quòd de tam pernicioso blasphemiæ verbo acerrima infligatur condemnatio. Dicit autem duo; primò à minori innuens argumentationem ostendit condemnandos: & secundò, quasi tacitè obiectioni respondens eius, qui diceret ex sermonibus neminem esse condemnandum: dicit, quòd ex verbis homo condemnatur, & ex verbis iustificatur. Dicit ergo [Dico autem vobis] qui sum veritas, quæ non mentitur [quoniam de omni verbo otioso] Est autem otiosum, quod caret ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis, vt dicit *Greg.* Et hoc est idem ei, quod repugnat ex deformitate veniali, ordini ad finem bonum necessitatis, vel vtilitatis: & ideò videtur differentiam habere ad indifferens, quod non habet huiusmodi repugnantiam; sed quòd non ordinatur, hoc est, ex defectu rationis ordinantis, & non ex deformitate propria veniali: propter hoc autem ad malum sunt. Scurrile quidem est, quod scurrarum: perniciosum autem, quod nocentium malorum [quod locuti fuerint homines] Pulchrè dicit homines, qui humum sapiunt: quia qui de terra est, de terra loquitur. [reddent rationem in die iudicij] Sed ratio, quæ redditur, est pro quantitate delicti, vt de paruo reddatur parua ratio: & de magno magna. *Eccl. vlt.* Cuncta, quæ fiunt, adducet Dominus in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum. 2. *Cor.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit [ex verbis enim tuis iustificaberis] si sunt bona. *Prou.* 12. De fructu oris sui homo satiabitur bonis [& ex verbis tuis condemnaberis] si sunt mala. *Prou.* 18. Mors & vita in manibus linguæ. *Prou.* 21. Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam. *Luc.* 19. Ex ore tuo te iudico, serue nequam. Et 2. *Reg.* 1. Os tuum locutum est contra te.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis & Pharisæis dicentes: Magister, volumus à te signum videre.

Hic incipit confutare tentantes: diuiditur autem in partes duas: primò enim ponit tentationem, & secundò confutationem. Circa tentationem autem dicit duo: describit enim tempus, & qui sint tentantes: & secundò modum tentationis. De primo innuit tria, scilicet, cùm dicit [Tunc] quando videlicet confutauerat contradictores [responderunt] Non ad oratione: quia ex illa insolubili vinculo constricti fuerant. *Iob* 9. Si voluerit contendere cum eo, non respondebit vnum pro mille [quidam de Scribis & Pharisæis] Ecce descriptio tentantium. Scribæ quidem ex præsumptione falsi nominis & scientiæ: & Pharisæi superstitiosa religione confisi [dicentes] Ecce modus tentationis incipiens ab adulatione sapientiæ, cùm dicit [magister] *Infrà* 22. Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam viri. *Ioan.* 3. Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister. Et subinferunt voluntatem, quando dicunt [volumus] Quasi ex deuotione hoc petant: quia voluntatibus bonis libenter satisfacit. *Lu.* 2. In terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et subiungit notam potestatis, cum dicunt: [à te] *Sap.* 9. Subest tibi, cum volueris, posse. Et demum ponunt curiositatem [signum videre] *Luc.* 11. Alij autem tentantes signum de cælo quærebant. 1. *Cor.* 1. Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: signum autem non petunt paupertatis. *Lu.* 2. Hoc vobis signum inuenieris infantem pannis inuolutum, & reclinatum in præsepio. Nec signum puritatis. *Isa.* 7. Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Neque signum infirmitatis. *Lu.* 2. Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël: & signum, cui contradicetur. Sed quærunt signum magnæ potestatis non curantes de vtilitate, persuasi à prophetia *Ioel.* 2. & *Act.* 2. Dabo signa de cælo sursum, & prodigia in terra deorsum: sanguinem & ignem & vaporem fumi.

Qui respondens ait illis: Generatio mala & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei.

Hic incipit confutatio: & ponit tria, culpæ videlicet obiurgationem, comparatiuam eorum condemnationem, & quod in eum retorserant, pessimorum dæmonum obsessionem: quæ patent in litera. In culpæ autem obiurgatione dicit tria, scilicet Generationis nequam, ad hoc, quod petit indignitatem, & incongruam sibi petitionem, & petiti ad intentionem eorum negationem. De primo horum dicit [Qui respondens ait illis] *Prou.* 26. Responde stulto iuxta suam stultitiam: ne sibi sapiens videatur [Generatio mala] in opere [& adultera] in infidelitate, quæ fide violata super virum suum admisit alienum. *Isa.* 57. Filij augutatricis semen adulteræ & fornicariæ, super quem lusistis, dilatastis os, & eiecistis linguam: nunquid non vos filij scelesti semen mendax? *Prou.* 30. Generatio, quæ patri maledicit, & matri suæ non benedicit: Generatio, quæ sibi munda videtur, & non est lota à sordibus suis: Generatio, quæ sublimes habet oculos, & palpebræ suæ in altum sunt surrectæ: Generatio, quæ pro dentibus habet gladios. Primum horum notat blasphemiam in Deum Patrem, & in Matrem sapientiam: secundum emundationem carnis in operibus legis: tertium superbiam simulatæ religionis, & falsi nominis scientiæ: quartum dolum mordacem machinationis occultæ. *Marc.* 8. Qui me confessus fuerit in generatione ista adultera & peccatrice, hunc filius hominis confitebitur in gloria Patris sui, & coram Angelis suis. *Ezech.* 16. Iudicabo te iudiciis adulterarum, & effundentium sanguinem. Sic igitur ostensa est indignitas petentium.

Signum quærit] Ecce petitio incongrua [generatio mala & adultera] gemitu & lacrymis stans retro pedes deberet quærere sicut peccatrix *Luc.* 7. Non præsumptuosè se & impudenter Christi aspectibus superbè se ingerens signum quærere. Quæsiuit autem signum, potestatis ostensiuum cælestis. *Infrà* 16. Rogauerunt vt signum de cælo ostenderet eis fortè inducti prophetia *Isa.* 6. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni,

ſiue in excelſum ſuprà. *Luc. 2. Act. 2.* Dabo prodigia in cælo ſurſum, & ſigna in terra deorſum: ſanguinem & ignem & vaporem fumi. Sed quare iſtos increpat: eo quòd petunt? Et *Iſa. 7.* Achaz etiam increpat, eo quòd non petiuit? Reſponſio, quòd in iſtis condemnat præſumptionem: & in impio Rege infidelitatem: & in Sanctis, quibus ſignum offertur, commendabilem oſtendit eſſe deuotionem. Iſti enim ex præſumptuoſa curioſitate indigni exauditione petebant; Achaz autem Deo laudem liberationis attribui (aliàs attribuere noluit) ſed idolis: & ideò noluit ſignum, quo Deus liberatorem (aliàs liberationem) oſtenderet. Sanctis autem, qui propter Dei cultum conculcabantur, ſignum liberationis de cælo oſtenditur.

Et ſignum non dabitur ei] *Marc. 8.* Si dabitur generationi iſti ſignum? hoc eſt, non dabitur ſignum de cælo, vel de ſublimi; ſed de infirmitate, hoc eſt, de imo. Sed contra *Mat. 15. Lu. 23.* Sol obcuratus eſt, & multa alia ſigna apparuerunt? Reſponſio quòd datum fuit, non eis, quia non fuit eis vtile: ſed potiùs datum eſt contra eos, quia iuſtè ex hoc fuerunt condemnati. *1. Cor. 1.* Iudæi quidem ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: Ipſis autem vocatis Iudæis, atque gentibus, ſiue Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Et eſt, quod ſignificat conſequenter dicens.

Niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.

Dicit enim tria, ſigni poteſtatis negationem, ſigni infirmitatis oblationem, & ſigni expreſſionem. In oblatione autem ſigni infirmitatis dicit tria, ſcilicet quòd ſignum eſt: cuius eſt, quia Ionæ: & quòd de futuris hæc prophetia eſt. Signum enim eſſe ſignificat, cùm dicit [niſi ſignum] Mors enim Chriſti ſuprà naturam fuit, in hoc, quòd propria poteſtate animam poſuit: & iterum, quando voluit, ſumpſit *Ioan. 10.* Signum autem fuit Ionæ: quia naufragio ſuo, & nomine Chriſti ſignificat paſſionem, & Spiritus ſancti effectum. Prophetia etiam fuit de profectu crucis Chriſti ad conuerſionem mundi; iniquitates enim multorum ipſe tulit, & pro tranſgreſſoribus orauit. *Col. 3.* Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondità eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem apparuerit Chriſtus, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria &c. *Rom. 6.* Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius: credimus, quòd ſimul & reſurrectionis erimus. Exprimit autem hic infirmitatis ſignum dicens [Sicut fuit Ionas in ventre ceti] Non tantùm figuraliter, ſed etiam ad literam. Et attende, quòd venter ceti locus eſt digeſtionis: & ideò circa illud, quod glutitum eſt, tria neceſſariò facit opera: alterat enim cibum, & per hoc corrumpit: attrahit ſubtile ex eo ad membra, & per hoc maſſam diuidit: deponit groſſiora inferiùs, & per hoc inferiùs traiicit. Et ideò mirum fuit in (aliàs de) Iona, quòd tandiu in ventre ceti viuus durauit, nec potuit eſſe niſi diuina virtute conſeruante, præcipuè in aquaticis, quæ cibos citiùs, quam alia digerunt animalia [tribus diebus, & tribus noctibus] Vtrum autem iſti dies fuerunt integri, aut per ſynecdochen pars pro toto computetur, ignoratur: ego autem puto partem pro toto computari: quia ſic reſponder ſignificationi. *Ionæ 2.* Præparauit Dominus piſcem grandem, & deglutiuit Ionam: & erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus.

Sic erit filius hominis in corde &c.] Adaptatio eſt, ſicut duo fuerunt in figura, ſcilicet, glutitio & tempus: ita duo fuerunt in veritate, ſepultura & tempus, quo in ſepulchro quieuit. De ſepultura dicit. [Ita erit] veritatem Sacramenti ſignificans [illius hominis] Notans ſecundum quid ſepultus eſt [in corde terræ] Notans virtutes ſepulchri. Cor enim terra non habet, ſed ſicut operationes animalis (aliàs animales) maximè ſunt in corde: ita etiam vbi ſunt maximæ terræ operationes, ibi dicitur cor terræ: & hoc eſt in loco poſt terræ ſuperficiem, vbi calor terræ conceptus ex ſolis radiis congregatur; & ideò ſicut ibi maximè radices plantarum facit pullulare: ita etiam ibi maximè putrefacit corpora ſepulta. Sed ſicut Ionas de loco putrefactionis cibi in piſce putrefactus & corruptus non eſt: ita Saluator in loco putrefactionis non eſt corruptus. *Pſal. 15.* Non dabit Sanctum ſuum videre corruptionem: notas mihi feciſti vias vitæ &c. Tempus notat, cum dicit [tribus diebus, & tribus noctibus] Cauſa autem tangitur ab *Auguſtino.* Nox enim mortis ſuæ, quando occidit in eo lumen naturalis vitæ, non omnino fuit nox: quia luxit in ea ſplendor deitatis (aliàs veritatis) & lumen gratiæ redemptionis. *Eccl. 24.* Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino. Et ideò ſua mors ſignificatur per diem Sabbati, quo quieuit perfectis operibus redemptionis; quemadmodum ab inſtitutione mundi perfectis operibus quieuit ab omni opere, quod patrarat ab inſtitutione mundi. Vnde nox mortis ſuæ eſt illa, quæ ſicut dies illuminabitur; & nox illuminatio mea in deliciis meis. Hæc ergo mors ſignificatur per diem. Hac autem morte duplicem noſtram mortem nihil lucis habentem deſtruxit, vnam præcedentem in culpa: & alteram ſequentem in pœna, quando proiiciebatur in tenebras exteriores, in quibus nihil omninò luminis fuit, ſicut dicitur *Iob 3.* de morte culpæ. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, & non illuſtretur lumine. De morte autem pœnæ *Sap. 17.* Ignis quidem nulla vis, nec ſiderum lympidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam. Et hæc ſignificatur per noctem ſequentem, quæ eſt inter Sabbatum & Dominicam. Has autem duas mortes nihil luminis habentes Chriſtus ſua luce, quæ in tenebris mortis ſuæ lucet, deſtruxit; & diſſipauit. *Mich. 7.* Cùm ſedeo in tenebris, Dominus lux mea eſt.

Colligite ergo rationem *Auguſtini*, quòd per ſynecdochen iſti tres dies, & iſtæ tres noctes computandi ſunt, ſecundum quòd congruit myſterio. Quia enim noſtræ mortes nihil lucis habebant: ideò in noctibus, quæ noſtras mortes ſignificabant, nihil fuit temporalis lucis. Et quia ſua mors tota lumine plena erat: ideò ſua mors ſigni-

ficatur

ficatur per diem artificialem duabus noctibus artificialibus interpositam. Vlteriùs, quia nox nostra à nostris tenebris inchoat, & in Christi luce terminatur: Ideò secundum istam computationem nox cum sequenti die computatur: ita quòd fiat vespere & manè dies vnus, sicut in primo ordine, quando lux innocentiæ luxit in mundo. Tunc igitur vespera Parasceues cum die artificiali præcedente & cum nocte præcedente, quæ nox est inter diem cœnæ & sextam feriam, quando iam efficaciter tractabatur, qualiter mitteretur ad inferos, computatur pro vno die. Tunc enim iam foderunt foueam animæ suæ, in qua in eadem die in vespera sepultus est, & nostram mortem culpæ produxit in lucem. Nox autem, quæ est inter Parasceuen & Sabbatum, cum Sabbato computabatur pro vna die, quando suam mortem naturæ produxit in lucem & quietem gloriæ: & nox, quæ est inter Sabbatum & diem Dominicam, computatur cum die sequenti pro vna die naturali, quando nostram mortem pœnæ & condemnationis produxit in lucem suæ redemptionis. Et sic tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ, & patet quid artificialiter accepti significant, & quid naturaliter accepti, & propter quam causam per synecdochen sunt computandi. Quia non congrueret mysterio, si totos fuisset in sepulchro naturales tres dies. *Osee 6.* Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos: & viuemus in conspectu eius, sequemurque, vt cognoscamus Dominum.

Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: Et ecce plusquàm Ionas hic.

Hic ostendit condemnationem comparatiuam generationis huius nequam; & cùm posset multa ponere exempla, sicut de Naaman Syro 4. *Reg.* 5. Et de Achior *Iudith.* 5. Non ponit nisi duo exempla de Salomone & Iona: eo quòd duo sunt in verbo prædicationis, quorum vnum est timoris ex comminatione, quæ inducit ad pœnitentiam, ad peccati expulsionem: Et hoc perfecit Ionas puer Dei, qui lamentatus est Niniuitis; & responderunt plangentes. Alterum est Sapientia, quæ in sensu verborum prædicatoris, cuius delectatio est felicitatis actus, & præcipuè in expositione cælestium promissorum &c. Salomon puer Dei cecinit; & respondit saltando à finibus terræ Regina austri: Et secundum hæc duo diuiditur hæc pars in duas partes, vt patet. Sed quia primum est expellere peccatum; ideò primum inducit lamentum Ionæ: & dicit tria. Niniuitarum exemplum surgentium in iudicio: rationem exempli, & rationem condemnationis: Et hoc est, quòd dicit.

Viri Niniuitæ surgent] non tantùm resurrectione corporum, sed ostensione deuotionis & pœnitentiæ ad Dei verbum per Ionam prædicatum [cum generatione ista] hoc est, comparatione huius generationis [& condemnabunt] comparatione sui. *Psal.* 49. Vt faciant in eis iudicium conscriptum &c. [quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ] Ratio est condemnationis duplex: ex parte condemnantium, & ex parte condemnandorum, *Ezech.* 16. Iustificata est Sodoma soror tua ex te, hoc est comparatione tui. *Osee* 2. Iudicate matrem vestram, iudicate quia ipsa non vxor mea: & ego non vir eius.

Et ecce plusquàm Ionas hic] inter eos, qui sunt de generatione ista plusquàm Ionas: non modò dignitate personæ; sed in inducentibus ad pœnitentiam. Quia diu prædicauit: die ac nocte instituit (aliàs instituit) miracula adhibuit, discipulos misit, Prophetis testabatur, quod dixit, institutis à lege diuina prædicauit. *Ezech.* 3. Non mitto te ad gentem ignotæ linguæ, cuius non possis intelligere sermones, & si ad illos mittereris, ipsi audirent te. Domus autem Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me. *Ibidem.* Omnis domus Israel attrita fronte, & indomabili corde.

Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & ecce plusquàm Salomon hic.

Eodem modo tria dicit hic, sicut in præmissis, scilicet propositum exemplum alienigenæ fœminæ, in iudicio condemnationem, & rationem condemnationis tam ex parte condemnantis, quàm ex parte condemnatorum. Dicit ergo [Regina, quæ tantæ fuit dignitatis & sapientiæ, vt Regina esse mereretur [austri] de Saba, quæ est in parte orientis vergente ad austrum, vbi propter positionem climatis habitant sapientiæ studentes: vnde & tres Reges venerunt. De hac habetur, 3. *Reg.* 10. Et 2. *Para.* 9. [surget] Non tam corpore quàm sui studij demonstratione [in iudicio] comparationis *Isa.* 5. Iudicate inter me & vineam meam. *Mich.* 6. Surge, & contende iudicio cum populo meo [cum generatione ista] *Deut.* 32. Generatio praua atque peruersa, hæccine reddis &c. Vocat autem generationem, & non homines, vt notet ex patribus prauis antiqua peccata hæreditasse, & ex se nota peccandi inuenisse studia. *Psal.* 77. Conuersi sunt, sicut patres eorum in arcum prauum. Propter hoc genimina viperarum dicuntur superiùs 3. [& condemnabit eam] sui comparatione *Sap.* 4. Condemnat autem iustus mortuus viuos impios [quia venit à finibus terræ] In aduentu, studium pulchritudinis: in finibus terræ, labor accipitur. *Isa.* 21. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam Iusti [audire sapientiam] Ecce finis. *Eccl.* 2. Sapientia perseuerauit mecum super omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem.

Et ecce plusquàm Salomon hic] Euidentiam notat, ne lateat occultum: quia thesaurus inuisus & sapientia abscondita, quæ vtilitas in vtrisque? Excellentiam autem in comparatione, cùm dicit [plusquàm Salomon] quia ille sapiens, homo tamen. In Christo autem sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi *Col.* 2. *Baruch* 3. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum: hic adinuenit omnem viam sapientiæ & prudentiæ. Per localem autem propinquitatem notat posse bona sui adipisci sine labore, cum Regina venerit per longinqua spatia viæ. *Baruch* 3. In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. *Act.* 17. Non longè est

ab

ab vnoquoque nostrum : in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Vnde potissimum in hoc est maior Salomone : quia exteriùs clamat per carnem assumptam, & interiùs docet per sui (secundum quòd verbum Patris est) sapientiam, & inspirat quod docet, per Spiritus à se procedentis gratiam. De primo *Prouer.* 1. Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam. *Psal.* 68. Laboraui clamans : raucæ factæ sunt fauces meæ. De secundo *Eccl.* 1. Fons sapientiæ verbum Patris in excelsis. De tertio *Ioan.* 16. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine.

Hic retorquet in eos, quod sibi blasphemantes imposuerunt, quòd videlicet in spiritu immundo resistebant veritati : duo autem dicit : ponit enim similitudinem liberati à dæmonio, & priùs posteà possessi, & huiusmodi ponit : Secundò adaptationem *Ibi.* [Sic erit & generationi &c.] Circa primum tria dicit, exitum immundi spiritus ab homine, discursum & regressum : & hæc patent in litera. Dicit ergo [Cum autem immundus spiritus] Non per naturam immundus est, sed per effectum malitiæ. *Matth.* 10. Dedit potestatem spirituum immundorum [exierit ab homine] ab aliquo, sicut Christus expulit à multis : quia sanauit omnes oppressos à diabolo *Act.* 10. Exire autem dicitur non tantùm per essentiam, vt diffinitiue non sit in corpore; sed etiam vt educatur per effectum gratiæ effectus suæ malitiæ. *Iob* 26. Obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus.

Ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit.

Ecce discursus : & tangit quatuor, discursum & loca, per quæ discursus; & intentionem; & intentionis frustrationem. De primo dicit [Ambulat] Ambulare dicitur ab an, quod est circum, & bulo, quod non est in vsu : nisi in composito, & est idem, quod vado. *Iob* 1. Circuiui terram, & perambulaui eam. 1. *Pet.* 5. Circuit quærens, quem deuoret &c. [per loca arida] ab humore concupiscentiæ desiccata : vel secundum aliam glo. fonte Baptismatis non irrigata : vel pœnitentiæ lacrymis non infusa. *Isa.* 19. Terram sine aqua confundam [quærens requiem] Ecce intentio mala. Est autem requies falsa, vt s. sic in malo hominis quiescat, vt totum hominem non tantùm in transitu visitet; sed etiam per finalem impœnitentiam possideat. *Isa.* 13. Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus; & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi [& non inuenit] quia frustratur intentione impœnitentiæ finalis. *Ezech.* 18. Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. *Eph.* 4. Nolite locum dare diabolo. *Iaco.* 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis.

Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui.

Hic tangitur reuersio : & tanguntur tria, scilicet, intentio reuersionis; dispositio eius, ad quam reuertitur; & omnis introitus (aliàs interitus) & hæc patent. Dicitur ergo [dicit] in corde suo: Vel, cum dæmonibus conferendo [reuertar] *Isa.* 37. Per viam, qua venit, reuertetur : & ciuitatem hanc non ingredietur [in domum meam] habitationem, quæ peccato (aliàs peccati opere) sua facta est. *Iob* 18. Habitent in tabernaculo eius socij eius. *Apoca.* 18. Facta est habitatio dæmoniorum. *Isa.* 13. Erit habitatio dæmoniorum [vnde exiui] per pœnitentem iustitiam compulsus.

Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam & ornatam.

Ecce dispositio eius, quam ingreditur : & tangit quatuor. s. quòd [inuenit eam] hoc est, locum habitationis suæ in eam. Quia si resisteret, non inueniret eam. Sic enim inuenit eam, sicut serpens Euam *Gen.* 3. *Ezech.* 16. Diuisisti pedes omni transeunti & *Ierem.* 2. Omnes, qui quærunt eam ingrediuntur ad eam, in menstruis suis inueniunt eam. Secundò tangit otij torporem, cum dicit [vacantem] *Ezech* 16 dicit: quòd iniquitatum Sodomæ vna fuit otiositas. *Matth.* 20. Quid hic sta. to. die oti. *Eccl.* 3. Multa mala docuit otiositas. Tertium autem est, quòd dicit [scopis mundatam] quæ significat munditiam corporalem nimis exhibentem, sicut Iudæi fecerunt *Matth.* 23. Mundatis quod à foris est calicis & catini [& ornatam] Ornatum in pompa mundi præferentem. *Ezech.* 16. Ornalti te regio vnguento &c. *Prou.* 7. Præparata ad capiendas animas.

Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes habitant ibi : & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Ecce reuersio : & tangit tria, scilicet, inuitationē sociorum, ingressum; & effectum malitiæ in eo, in quem ingreditur. De primo dicit [Tunc vadit, & assumit septem] dæmones [nequiores se] Dæmon enim vnus est, qui vno vitio principatur; septem autem, qui septem capitalibus : nequiores autem, qui ad nocendum efficaciores; & illi sunt dæmones veræ quidem iniquitatis, sed falsæ & mendacis simulationis. 3. *Reg. vlt.* Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius : & respondit Dominus : decipies & præualebis. Dicit autem *August.* quòd simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Quando autem verè superbus est tegit se falsa humilitate, & verè inuidus tegens se charitate, verè acediosus tegens se diuini cultus hilaritate, verè iracundus tegens se mansuetudine, verè auarus tegens se largitate falsa, verè gulosus tegens se exterminata facie, & luxuriosus protectus simulata castitate : tunc nequior est. 1. *Reg.* 16. Spiritus Domini recessit à Saul, & exagitauit eum spiritus nequam à Domino [intrantes] per consensum peccati [habitant ibi] per peccati permanentiam. *Ioan.* 13. Post buccellam, in qua simulauit sanctitatem, introiuit in eum sathanas [& fiunt] Hic tangitur effectus : & patet. *Matth.* 27. Erit nouissimus error peior priore. 2. *Pet.* 2. Melius erat illis viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitionem (aliàs agnitam) retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est illis à sancto mandato. *Iere.* 7. Peius

Peius operati sunt, quàm patres eorum.

Sic erit & generationi huic pessimæ.

Hîc adaptat quod dixit : Diabolus enim per sanctitatem fidei Patriarcharum, & legis obseruantiam exiuit, per gentes aridas discurrit, finaliter quærens ibi manere; sed non potuit propter fidem susceptam : ad Iudæos rediuit, quos in Ægypto, & in Chaldæa possederat. Septem assumpsit : quia septem nequitiis se armauit legem abiicientes, secundum spiritum verbis Prophetarum fidem non adhibentes. Erant Iudæi veritatem verborum Christi impugnantes, miracula maligno spiritui attribuentes, opera virtutis calumniantes, suam iustitiam exteriorem Dei iustitiæ præferentes, & tandem ipsum interficientes. Vacabant enim otio boni, & scopis mundabant exteriori munditia, & ornatum quendam, cuius virtutem non habebant, in cultu Dei præferentes. Vel exponatur sicut primum. Vel fortè, per septem dæmones vniuersitas dæmonum significatur & hoc puto esse probabilius omnibus aliis. Hoc est ergo quod dicit.

Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei : Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te.

Hîc incipit vltima pars, quæ est de commendatione deuotorum, & abnegatione carnaliter coniunctorum : & diuiditur in tria, in quorum primo huius historiæ, ex aduentu carnaliter coniunctorum, introducitur opportunitas : In secundo, per hoc tentantis eum importunitas : In tertio, intentionis suæ de negatione carnalis coniunctionis, & commendatione spiritualis coniunctionis ostensa spiritualis charitas. De primo dicit duo, tempus incongruum aduentui amicorum, & amicorum coniunctionem & intempestiuum desiderium. Dicit ergo [Adhuc eo loquente ad turbas] hoc est, dum instaret officio prædicationis, ostendens carnalia terminari per spiritualia. *Lu.* 8. Venerunt mater eius & fratres, & non poterant adire eum præ turba [Ecce mater eius] De qua *Tob.* 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius [& fratres] hoc est, consobrini filij materteræ. *Leuit.* 19. Diliges fratrem tuum sicut teipsum [foris stabant] quia præ turba intrare ad eum non poterant. Et notatur, quòd stabant in labore, & foris in æstu, vel pluuia, vt citiùs inclinaretur ad dimittendum spiritualem actum [quærentes loqui ei] *Luc.* 2. Fili mi, quid fecisti nobis sic? Ego, & pater tuus dolentes quærebamus te. Dixerat autem *suprà* 10. Qui amat patrem, aut matrem plusquàm me, non est me dignus. Et ex isto insidiosè quærens [Dixit autem ei quidam] tentans, an carnalia spiritualibus præponeret contra doctrinam suam. *Lu.* 8. Mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te videre. Et hoc est idem, quòd dicitur hic [Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te] Sed quæritur, quare hic non facit mentionem de patre, sicut *Luc.* 2. vbi dicit : Ego, & pater tuus dolentes &c. Responsio, quòd non facit mentionem de patre : quia cùm multum sermonem de deitatis suæ potentia habuerat, & spiritum de se procedere : per consequens ostenderat se non habere patrem carnalem : Et ideò iste timuit confutari statim, si de patre faceret mentionem. Sed carnalis affectus naturalis est : & ideò latenter illum prætendit, vt tentet.

At ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit : Ecce mater mea & fratres mei : quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est : ipse meus frater, soror, & mater est.

Hîc similis ponitur confutatio tentantis, & designatio approbationis obseruatorum nouæ gratiæ : & facit hic tria : primò enim quærendo confutat tentantem, secundò indicando dignitatem designat obseruantis gratiam nouam, tertiò perfectorum in gratia determinat ad se coniunctionem : & hæc patent in litera. Dicit igitur [Quæ est mater mea] Non abnegat matrem, cui reuerentia est exhibenda; sed innuit non esse præponendum carnalem affectum spirituali operi: in hoc enim non debemus agnoscere carnaliter coniunctos. *Ioan.* 2. Quid mihi & tibi est, mulier [& qui sunt fratres mei] Nec hos abnegat, qui quocumque modo fratres sunt; sed ostendens piis operibus esse intendendum, non modò plusquàm fratribus; sed etiam plusquàm sibiipsi. *Lu.* 2. Quid est quòd me quærebatis : nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse. *Ioan.* 4. Meus cibus est, vt faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est, vt perficiam opus eius.

Et extendens manus in discipulos dixit] Ecce designatio dignitatis implentium nouam gratiam, quòd in laudem digito Dei merentur ostendere (aliàs ostendi) multitudini : & hoc significatur *suprà* 5. Vos estis lux mundi. *Isa.* 6. Germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum [Ecce mater mea] In quorum visceribus per fidem & charitatem formam accipio, sicut in matre. *Gal.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 1. *Cor.* 3. In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui [& fratres mei] ex eodem Patre & ad eandem hæreditatem. De primo *Ioan.* 20. Dic fratribus meis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum. De secundo *Rom.* 8. Hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi. Et ne credatur de præsentibus tantùm loqui, subiungit [Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est] Non in terris. Hic enim voluntatem non perficeret, nisi ex Deo natus esset. Hic enim non peccat : quia generatio Dei conseruat eum. 1. *Io.* 3. [ipse meus frater] ex eodem Patre, & quia vtrunque acceptat sexum [& soror] Vel secundum similitudinem vocat fratrem; pro castitatis sanctitate sororem : & pro affectu charitatis matrem. Hebionitæ autem hæretici insurgunt dicentes, Christum fratres habere, sicut hic testatur Euangelium : errantes & nescientes scripturas, in quibus multipliciter dicitur frater, sicut patet in his versibus.

Dat dici natura, fides, & adoptio fratres,
Gens, lex, affectus, regula, sanguis, amor.

Collige

Collige igitur, quæ dicta sunt in hoc capitulo: & videbis Regem Christum se Dominum dicere principalis signi, quod est Sabbatum: & Dominum templi, & præponere se prophetiæ & Regi: & sic cessationem inducere veteris legis quoad signa, & cultum, prophetiam, & regiam vnctionem per noua gratiæ mandata, quæ inducit. Et omnia carnalia, quæ lex præcipiebat ad spiritualia esse ordinata: Et hæc est intentio.

CAP. XIII.

In illo die exiens IESVS *de domo sedebat secus mare.*

HIc agit de veritate Euangelica quantum ad formam doctrinæ proportionatam nobis: & est totus parabolicus. Intellectus enim hominis coniunctus continuo & tempori non bene intelligit, vt dicit *Diony.* quæ similitudinibus corporum non sunt adaptata: purè enim spiritualia non capit nisi perfectorum intellectus spiritualium: qui sicut dicitur *Hebr.* 5. Pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni, ac mali. Talis autem coaptatio vocatur lac, quod datur paruulis rationalibus: tamen vt in eo crescant, sicut dicitur 1. *Pet.* 2. *Cor.* 3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem poteritis: omnis enim nostra acceptio est per sensus, & intelligere non valemus diuina nisi sensibilibus coaptata, sicut dicit *Grego.* quòd regnum cælorum ideò terrenis rebus simile esse dicitur, vt ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita, quæ non nouit. Inducit autem hic parabolas septem; sed capitulum diuiditur in partes tres: ita quòd primò construit, qua de causa inducitur parabola, & quibus: secundò autem inducuntur parabolæ: & tertiò conclusio ponitur *Ibi* [Intellexistis hæc omnia] In Prima harum dicuntur quinque, scilicet, eorum, qui indigni sunt, exclusio & derelictio: & hoc est, quòd dicit eum exiuisse de domo: secundum est loci, in in quo docebat, figuralis dispositio: quia sedebat secus mare in nauicula: tertium est turbarum ad auditum verbi congregatio: quartum turbarum in loco auditus positio: quintum modus parabolicus in prædicationis verbo: & per hoc patet diuisio.

Dicit igitur [In illo die] Postquam sermone facto Iudæos confutauerat in domo, vel fortè veriùs, non pro spatio eiusdem temporis dies accipitur; sed pro claritate doctrinæ sermonis Christi. *Rom.* 13. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sic vt in die honestè ambulemus. *Isa* 60. Venit lumen tuum Ierusalem, & gloria Domini super te orta est. *Ioan.* 9. Me oportet operari, quandiu dies est: venit nox, in qua nemo potest operari [exiens IESVS de domo] & exitu suo blasphemos ostendens esse derelinquendos. *Num.* 16. Recedite de tabernaculis hominum impiorum, *Matth.* 23. Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta.

Sedebat] Tangit locum communem: & in hoc tangit duo, quietem. s. docentis cùm dicit [sedebat] sessio enim exterior quietem & sessionem significat motuum Doctoris, quandò motus concupiscentiæ & humorum recesserunt: & ideò conceptiones animi, & affectus stabiliuntur. Quia sicut dicit *Aristo.* quòd anima sedendo & quiescendo fit sciens & prudens. *Supra* 5. Dum sedisset, docebat eos dicens. Secundò tangit aptum per significationem locum, cum dicit [secus mare] Vt per mare seculum inquietum & amarum ostenderet. *Psalm.* 103. Hoc mare magnum & spatiosum manibus &c. Secus mare autem primò sedit, vt stabilitatem æternam verbi, quod docuit, demonstraret: quod licet fluctibus tunderetur, tamen non esset mouendum. *Supra* 5. Cælum & terra transibunt &c. *Matth.* 7. Omnis, qui audit verba mea, & facit ea; similis est homini, qui ædificat supra petram.

Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ: ita vt nauiculam ascendens sederet: & omnis turba stabat in litore: & locutus est eis multa in parabolis dicens.

Tria dicit, formam, intentionem finis, & materiam. Forma est in congregatione in vnam ciuitatem. *Gen.* 49. Congregamini, & audite Israël patrem vestrum. 1. *Esdræ.* 3. Congregatus est omnis populus quasi vir vnus ad audiendam legem. Finem tangit, cùm dicit [ad eum] *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. *Psal.* 23. Accedite ad eum, & illuminamini [turbæ multæ] Turba per se multitudinem innuit. Sed cum additur multæ, designatur, quòd de multis ciuitatibus, & prouinciis conuenerunt: & isti sunt materia. Vnde *Luc* 8. dicitur. Cum turbæ plurimæ conuenirent, & de ciuitatibus properarent ad eum. Et idem innuitur *Marc.* 4. [ita vt in nauiculam ascendens sederet] Dispositio est Doctoris Euangelij in loco proprio: & in litera innuitur humilitas & effectus vitæ prædicatæ: quia diminutione notatur humilitas: & vsus nauis notat effectum: quia omnes alij merguntur in vndis voluptatum sicut porci. *supra* 8. *Sap.* 14. Vt non essent vacua sapientiæ tuæ opera; propter hoc exiguo ligno credunt omnes animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt. Notat etiam in hac vita exaltationis profectus per hoc, quòd dicit [ascendens] Sic enim ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum: imo tristans & ad alta vocans non auditur. *Isa.* 40. Suprà montem excelsum ascende tu, qui Euangelizas. *Baruch.* 4. & 5. Sta in excelso & vide iucunditatem [sederet] Per hoc notat cor in æternis quietè resedisse, *Matth.* 19. Sedebitis & vos super sedes duodecim. *Psalm.* 121. Illuc sederunt sedes in iudicio.

Et omnis turba stabat] Generalitatem notat, cum dicit [omnis] Necessitatem doctrinæ, cum dicit [turba] Aptitudinem loci, cum dicit [in litore] De primo 1. *Cœinth.* 9. Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem. De secundo *Rom.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum. Turba enim non nouit legem: & ideò necessaria fuit eis doctrina. *Ioa.* 7. Turba hæc, quę non nouit legem, maledicta est [stabat] rectitudine corporis: parans se ad rectitudinem verbi auditi *Psalm.* 5. Mane astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. 2. *Paral.* 20. Confidenter state, & Dominus erit

vobiscum

vobiscum [in litore] stabilimenti virtutis & veritatis. *Psal.* 39. Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. *Psal.* 16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea.

Et locutus est eis multa in parabolis dicens] Multa dicit: quia multis multa sunt dicenda, vt pro diuersitate auditorum, quod vni non conuenit, alij conueniat. Sicut cibi multi diuersos in complexione stomachos habentibus præparantur. 4 *Reg.* 6. Allata vel apposita est eis ciborum magna præparatio. In parabolis autem loqui, est humano & rudi loqui intellectui. *Psalm.* 77. Aperiam in parabolis os meum &c. *Prouer.* 1. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientium & ænigmata eorum. *Osé.* 12. Ego visiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.

Ecce exiit, qui seminat, seminare.

Hic incipit secunda pars capituli, in qua septem inducit parabolas, quæ per tria distinguuntur: ita quòd primæ tres sunt in effectu verbi, secundum quòd fides est per auditum. Auditus autem per verbum Christi *Romano.* 10. Secundæ autem tres sunt de charitatis profectu: & vltima est de discretione electorum à malis, qui non profecerunt ex semine iacto. Tres autẽ primæ distinguuntur in duas secundum duplicem seminis operationem: Habet enim quandam ex suscipiente fundo: Et hæc explicatur in prima parabola. Et duas habet ex seipso: vnam quidem ex pullulatione naturali ad germen sui generis; aliam autem ad effectum naturalem in qualitate & quantitate virtutis. Et sic distinguuntur primæ tres inductæ parabolæ. Prima parabola est tripartita: ponitur enim primò parabolæ contextio per partes: & secundò parabolici sermonis causa ostenditur: & tertio parabola exponitur. In parabolæ positione duo sunt notanda: proprietas videlicet seminantis, & proprietas seminis. De seminante dicit quinque, euidentiam, exitum, officium, actum, & materiam.

Ecce] per hoc euidentia. *sup.* 10. Quod in aure auditis, prædicate super tecta. *Nee.* 7 Legit in libro distinctè & apertè: *Abacuch.* 2. Scribe visum, & explana eum super tabulas, vt percurrat, qui legerit. *Isa.* 8. Scribe in eo stilo hominis [exiit] In domo semina perduntur. *Can.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis. *Ioan.* 16. Exiui à Patre, & veni in mundum. *Isa.* 27. Qui egrediuntur à Iacob: florebit & germinabit Israel, & replebunt faciem orbis semine. Domi enim seminat, qui sibi & suis in carnalibus seminat. *Isa.* 52. Recedite, recedite: exite inde: pollutum nolite tangere [qui seminat] Ecce officium. Qui vel habet curam, vel professionem prædicandi, officium recipit seminandi. *Marc.* 4. Exiit seminans ad seminandum. *Psal.* 125. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua [seminare] Ecce actus. *Eccl.* 11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua: quia nescis, vtrum hoc, aut illud citiùs oriatur: & si vtrumque meliùs erit. *Osee* 10. Seminate in veritate iustitiam, & metite in ore misericordiæ.

Semen suum.

Ecce materia: & duo tangit, semen, & seminis discretionem, quando dicit [suum] est autem meum, quod in primo fructu prioris anni recepi & collegi. Homo autem tria habet tempora, innocentiæ, culpæ, & gloriæ, vel supplicij. Vnde dicit *Isidoro.* Quòd nostrum est semen, quod in prima conditione est inditum, quando dictum est *Genes.* 1. Faciens semen iuxta genus suum: quod *in Act.* 17. dicitur esse genus diuinum. Et ideò *Leuit.* 19. præcipitur. Non seres agrum tuum duplici semine. Possunt ergo notari in isto verbo quatuor, quæ faciunt naturam seminis, quorum vnum est seminis proprietas ex eo vnde generatur: secundum est eiusdem virtus in generando: tertium autem in trahendo potentia: quartum & vltimum in puritate naturæ purgatio sincera, & puritatis custodia. Primum dat semini generantium naturam: secundum autem veram secundum naturam generationis efficaciam: tertium autem materiæ, vnde generet, quandam naturalem ingerit prouidentiam: & quartum ne euacuetur, vel adulteretur præstat cautam custodiam.

Cum enim semen sit verbum Dei, generantis in se habet naturam, quando præfert diuinam potestatem in substantia & virtute. Verbum enim Patris ex Patre paternum est in (aliàs ex) natura: ex virtute Patris viuificum est in potentia Spiritus, quem spirat: & sic etiam est in semine. Hoc enim habet generantis substantiam, & spiritum, quo spirat ad vitam eius, quod generat. Iactum ergo semen verbi de Deo sit in substantia, & spiritus sit ostensiuum in potentia spirandi vitam. Sic implerur illud *Iere.* 23. Suscitabo Dauid germen iustum. Et illud *Genes.* 1. Cuius semen in semetipso sit. Propter quod dicit *Philosophus*, quòd sicut ouum congregat in se naturam generantium auium: ita semen plantarum omnium existens habet in se virtutes generantium. Effectus autem ipsius in generando est, quod producit non simile sibi, nec simile serenti; sed simile ei, à quo natum est: & multiplicatum illud simile producit. *Genes.* 26. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum. Qui enim se prædicant, volunt quòd semen seminati producat simile: & hoc est monstruosum; qui autem in multo ornatu prædicant, volunt, quòd solum verbum sibi simile in laude procedat: & ideò vtrumque cauit *Apostolus* 2. *ad Corinth.* 4. dicens, quòd non prædicauit seipsum. Et. 1. *ad Corinth.* 1. Non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux Christi. Tertium autem est, quod mirabiliter est tractiuum, intellectus quidem ad studium: & affectus per desiderium: & operis per profectum. *Ioann.* 12. Omnia traham ad meipsum. Vnde dicit Philosophus, quòd trahit sicut ventosa: quia aliter, cum superiùs emittit plantulam, non haberet inferiùs, vnde ministraret substantiam. *Cant.* 1. Trahe me post te. Quartò etiam purgat se, vt purum & sincerum sibi retineat: & ideò emittit calamum ex se, & folia palearia, & nodos facit, & aristam formando terrestria eiicit, & se in profundo inuoluit, vt sincerum [illegible]. Vnde *supra* 3. Paleas comburet igne inextinguibili. Palea enim est peccatum, & terrena cogitatio, vel intentio, omnino se à grano eiicenda. *Isa.* 28. Panis autem excutietur in baculo, hoc est, baculo pœnitentię conteretur peccati palea, vt granum sincerum habeatur. Nullus seminat paleas cum grano. *Io.* 12 Nisi granũ frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet Ita ergo est verbũ purificandũ, quod

non improperetur a Domino. *Psal. 49.* Peccatori autē dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas,& assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam &c. Sic ergo seminandum est. Sequitur:

Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam.

Tangit diuersitatem seminis ex parte fundi suscipientis: & tangit tres differentias mali fundi,& vnam solam boni: quia malum est omnifariam,& virtus ex vna sola & tota causa,sicut superiùs diximus: & per hoc patet diuisio [Aliud cecidit secus viam] Via est trita,dura,& frequentata: & significat sensum & imaginationem, in quibus discurrunt delectantia sensualitatem,& terunt concupiscentiam & frequentant pompam sathanæ. *Isa. 57.* Dixerunt animæ tuæ: Incuruare,vt transeamus:& posuisti corpus tuum, quasi viam transeuntibus. *1. Reg. 21.* Via hæc polluta est.

Et venerunt volucres cæli & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, vbi non habebant terram multam: & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem orto æstuauerunt: & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ & suffocauerunt ea. Alia verò ceciderunt in terram bonam & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Qui habet aures audiendi, audiat.

Tria notantur hic,vnum est,quod semen operari iuxta viam non potuit propter viæ duritiam:secundum, quod volucres venerunt per tentationis illecebram: tertium, quod deuorauerunt propter peccati consensum & malitiam. Volucres enim significant dæmones. Vnde *Apo. 18.* dicitur,quòd Babylon facta est custodia omnis volucris immundæ. Cor enim tritū peccati & delectationum consuetudine in profundum sui verbum nō recipit:sed in superficie quasi nō coopertu iacet:quia nec affectu, nec intellectu cooperitur; sed expositum in propatulo auibus deuorandum exponitur. Vnde *Eccl. 3.* dicitur. Cor durum malè habebit in extremis. Venit autē volucris,cum tētando circumuolat. Vnde *Iso. 4.* Accedens tentator dixit ei: Comedit autem, quando in se traiicit, & sibi incorporat. *Deut. 32.* Deuorabunt eos aues morsu amarissimo, *Ezec. 39.* Feris & auibus,omnique volatili cęli dedi te ad deuorandū. Et attende,quòd non dicit,quòd semināś alia proiecit secus vias,vel in spinas:quia seminans sine distinctione proiicit,ne personarum sit acceptor:& nunquā ex intentione proiecit in locū, vbi pereat;sed aliquando cadit ex fundi malitia ab intentione proiicientis: & hoc est, quòd dicit [cecidit] *Iaco. 2.* Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi gloriæ. Sic ergo comeditur, quod cadit iuxta viam. Quia aut in granis ab auibus colligitur, aut natum à bestiis transeuntibus decerpitur. *Oseæ 8.* Culmus stans non est in eis germen, nec faciet farinam; quòd si fecerit, alieni comedent eam. *Psal. 79.* Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.

Alia ceciderunt in petrosa] Secunda est fundi malitia, quæ est cordis duritia, quæ nec timore, nec comminatione frangitur: nec pietate, nec amore promissionem emollitur. Intētio autem istius partis est in sex proprietatibus mali fundi,ex petrosis. Prima quidem est,quod fundus subtus sit petra:secunda est,quod parum supra petram sit de terra:& quia radius incidens in petram reflectit radium; multiplicatur ibi calor, quem diu cōtinet dura petra, & ideò modica desuper terra sicca est; & incensa, conuersa quasi in puluerem. Venit autem aliquando humidum,& infundit incensam terram & ab illo alieno humido,quod fundo non est connaturale, continuò cadens ibi semen exoritur; eo quòd multam terram non habuit, in cuius profundo latens, paulatim coalescens in terra foueretur: & hoc est tertia & quarta; continuò enim exoritur, quia non protectum à sole tangitur, & ideò supra naturæ vires pullulare compellitur,altitudinem, siue profunditatem terræ non habens, quæ non in superficie, sed in profundo ferax esse dignoscitur, quam feracitatem parum terræ arefactæ non habet. Quinta, æstuatio solis, cuius radij reduplicantur & multiplicantur repercussi à fundo solido,& ideò calorem loci generant intensiuum, & ideò arent: & hæc quinta. Arida autem remanent non habentia radices fixas in profundum, à quibus sugant restitutionem humidi, quod ex calore solis & loci est arefectum. Et hoc est, quod dicit secundum literam.

Fundus autem lapideus cor lapideum est,vt suprà diximus. *Ezech. 11.* Auferam a vobis cor lapideum. *Iere. 5.* Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. *Isa. 22* Excidisti in excelso memoriale diligenter, in terra tabernaculum tibi. Pauca desuper terra, est species pietatis & religionis christianæ, quæ facit leuitatem animæ obedientis verbo, vt dicit *Glo. Zach. 2.* Possidebit Dominus terram Iuda partem suam in terra sanctificata. Quòd autem continuò oriuntur, potiùs est animi leuitas, quàm virtutis probitas. *Genes. 49.* Effusus es sicut aqua, non crescas. *Iob 24.* Leuis est super faciem aquæ. Sol autem æstuans est tribulatio angustians. *Iac. 1.* Exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius exaruit: & tunc æstuat per impatientiam. *Prouer. 26.* Sicut qui apprehendit auribus canem: sic qui transit & impatiens commiscebitur rixæ alterius. *Apocal. 16.* Datum est illi, scilicet, diabolo affligere homines igni: & æstuauerunt æstu magno. *Ionæ 4.* Percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat. Et quia non habebant charitatis radicem, aruerunt. Radix enim charitatis est ad bonum sugendum, & radix timoris contra malum: vna sugit ex promissis, & altera ex comminationibus. De prima *Eph. 3.* In charitate radicati & fundati. De secunda *Eccl. 1.* Radix sapientiæ timere Deum. *Iob 15.* Non mittet in terra radicem suam: & ideò dicitur *Isa. 15.* Aruit herba, defecit germen,viror omnis interiit. *Ioel. 1.* Aruit messis agri. *Apoc. 14.* Aruit messis terræ.

Alia ceciderunt inter spinas] Spina propter acutum calidum in terrestri sicco, quod in circuitu de cētro ad superficiem ebullit angulos in acutissimū acuens: Et ideò totum locum per circuitum spissa contegens vmbra, nec calorem luminis, nec humorem

morem roris loco dirigens, malitiam facit fundi. Frigidum enim vmbrę calorem impedit viuificum, & obscuritas tota luminis cæli impedit beneficiū. & sic est cor terrenis obumbratum solicitudinibus mundi spinosum & compunctum,in quo refrigiut charitas. Hoc est fundi huius allegoricum significatum. *Ier. 4.* Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas. Vnde sequitur [creuerunt spinæ] Profundiùs radicatæ. *Genes. 3.* Spinas & tribulos germinabit tibi. *Prou. 24.* Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ [suffocauerunt] extinguendo,quod in semine erat viuifici caloris. *Iere. 12.* Seminauerunt triticum, & messuerunt spinas. *Isa. 7.* In spinas & in vepres erunt.

Alia verò ceciderunt in terram bonam] Quarta differentia est boni fundi, qui intelligitur ex dispositione bona,quod sit carēs tribus inductis,pinguis,calidus,& humidus, temperatè,profundè fossus, planus, humilis, ad quem defluat pinguedo montium:quia valles abundabunt frumento. Pinguis quidem deuotione,planus mansuetudine,fossus sarculo disciplinæ,calidus charitate, humidus visceribus pietatis, & infusione lacrymarum, pluuia doctrinæ madescens,& rore gratiæ stillās. *Deu. 8.* Introducet te Dominus in terram bonam. *Ps. 36.* Inhabita terram,& pasceris in eius diuitiis. *Num. 14.* Terra, quam lustrauimus,optima est. *Genes. 4.* In optimo terræ solo pone eos. Et tangit fructus distinctionem.

Aliud centesimum, aliud sexagesimum &c.] Ad literam, terræ diuersitas in bonitate distinguitur multiplici redditione fructus;mala autem non solū diminuit, sed etiam naturam seminis in peius peruertit, siliginem pro tritico producens,& aliquando lolium. Est autem cētenarius numerus quadratus ex ductu denarij in seipsum in quadrum: quia decies decem sunt cētum:& hoc competit virginibus. Hæ enim delectabilia quinque sensuum exteriorum, & quinque interiorum,qui simul sunt decem,in decem præcepta ducunt. Interiores autem sunt,vt dicunt Philosophi,sensus communis, imaginum repræsentatiua,phantasia,æstimatiua,& memoria: ex quibus in sensu communi nihil carnale componunt in rebus:in imaginatiua nihil in corde prospiciunt rebus absentibus:per phantasiam nihil fingunt carnalium; per æstimatiuam nihil concupiscunt:per memoriam nihil recolūt de præterito. Et hæc ducunt in obedientiam mandatorum cētuplicato fructu germinantes. Viduæ propter sex opera misericordiæ in denarium mandatorum ducta,sexagesimum habent:& coniugati propter tria bona coniugij,quæ in obedientiam ducta mandatorum,habent trigesimum,quia non est salus(alias fructus)alicui statui nisi cum obedientia mandatorum:inferiùs tamē alias etiam huius assignabimus rationes. Quia autem parabola allegoricè spiritualia pronuntiat,ideò ad intellectum spiritualem inuitat dicens.

Qui habet aures] exteriùs, audiendi interiùs, ita quòd exterior auditus ad interiorē dirigat [audiat] *Eccl. 3.* Auris bona cum omni cōcupiscētia audiet sapientiam. *Ro. 10.* Fides ex auditu:auditus autē per verbū Christi. Et præcipuè dicit hoc de fructus distinctione. *Gen. 26.* Seminauit Isaac,& inuenit in ipso anno centuplum. *Io. 15.* In hoc clarificatus est Pater meus,vt fructum plurimum afferatis,& efficiamini discipuli mei. Spirituali enim auditu opus est in ista distinctione fructus. Continentiæ autem ideò inter virtutes fructus spiritualiter attribuitur: quia fructus est inhæsio propter se gustui & refectioni dulcedinis:continentia autē cohibet dulcedinem carnis:& ideò debetur ei dulcedo spiritus in fructu: & secundum quòd magis & minus continet;ita magis & minus debetur ei de fructu. Hæc est igitur intentio primæ parabolæ.

Et accedentes discipuli dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis?

Hic tangitur ratio,quare in parabolis loquebatur: & tanguntur tria,scilicet,Discipulorū quæstio,quę est causa redditę rationis:& ratio Saluatoris tangēs dispositionem imperitorum, quibus, loquendū est in parabolis: & ratio ostendens dispositionem discipulorum,quibus loquendum est sine parabolis. Dicit ergo [Accedentes discipuli] Causa familiaritatis ex benignitate magistri [Quare in parabolis loqueris eis?] Adhuc enim carnales discipuli nesciuerunt distantiam inter paruulos & perfectos,nescientes,quòd paruuli instrui nō possunt nisi manuducti per similitudines corporalium ad doctrinam spiritualium. *1. Cor. 13* Cum essem paruulus,loquebar vt paruulus, meditabar vt paruulus, sapiebam vt paruulus. Hæc enim est causa,quare homini rationali proposuit vestigium,& imaginationē (aliàs imaginem) vt ex his accipiat cognitionem Creatoris: & hoc est, quod respondet Dominus.

Qui respondens ait illis: Quia vobis datū est nosse mysterium regni cælorum; illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet,& quod habet,auferetur ab eo.

Hæc pars diuiditur in tres partes,in quarum prima dicit distantiam auditus spiritualis,& carnalis, qui adhuc ignorantia detinetur: secundò redit ad auditum carnalem ostendens, quoniam ille parabolis est instruendus: terriò cōfirmat hoc per prophetiam. Adhuc in prima dicit duo,differentiam.s. spiritualis & carnalis,& differentiæ rationē:& hoc est,quod dicit præmittēs de spiritualibus [quia vobis] qui habetis aures ad auditū sapientiæ patulas & reuelatas,vt possitis dicere cum Samuele *1. Re. 3.* Loquere,Domine,quia audit seruus tuus. *Prou. 22.* Inclina aurem tuam,& audi verba sapientiæ. Vos enim estis,qui in auditu auris obedistis mihi. Et vobis,inquam [datum est] per donum Spiritus & intellectus & sapientiæ, & non habetis ex vobis. *1. Cor. 2.* Nos non spiritum huius mundi accepimus; sed Spiritum, qui ex Deo est,vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis [nosse mysterium] Mystin græcū est,latinè occultum,non per similitudinem,sed per eminentiam de Deo dictū: Et ideò talibus occulta Dei nudè proponuntur. Et hoc est dictum de discipulis ratione perfectionis, & nō ratione inceptionis,quando adhuc carnales erant. Cum enim euacuauerant sensū paruulorū,tunc dixerunt illud *Io. 16.* Ecce nūc palā loqueris,& prouerbiū nullum dicis. Nunc scimus,quia scis omnia,& non opus est tibi,vt quis te interroget. *1. Cor. 2.* Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei. Discipulorum autē est habere eundem spiritū. *Io. 32.* Spiritus est in hominibus,& inspiratio Altissimi dat intelligentiam. Vobis igitur talibus per me factis [datum est nosse mysterium regni] Dei [illis autem] per oppositum

ſitum adhuc carnalibus [non eſt datum] quia Spiritum ſapientiæ & intelligentiæ non acceperunt. *Act.* 19. Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audiuimus. *Pſal.* 147. Non taliter fecit omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Cauſa autem, quare non eſt datum : quia carnales ſunt : & ideò Spiritum accipere non poſſunt. *Sap.* 1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & ſubtrahet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate. Et *ibidem.* In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis : igitur iſtis non eſt datum. Et ideò oportet, quòd paulatim ſimilitudinibus congruis à carne ad Spiritum manuducantur, & mos eis geratur ſecundum ipſorum facultatis analogiam. Et huius rationem aſſignat ex parte hominis ſumptam, oſtendens, quòd culpa eorum non eſt datum, & non ex perſonarum acceptione, quæ ſit in Deo donum diſtribuente: & hoc eſt, quod dicit.

Qui enim habet] Spiritum diſcernentem, & quo intelligat ſpiritualia [dabitur ei] nuda veritas proponetur : quia illi valet ad illuminationem. *Luc.* 8. Omni habenti dabitur [& abundabit] *Luc.* 6. menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluētem dabunt in ſinum veſtrum. Et tunc [abundabit] profunditate myſteriorum Dei. *Act.* 2. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. [Qui autem non habet] donum fidei & Spiritus : & hoc ideò, quòd ſe non præparauit ad accipiendum. *Ioan.* 14. Quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum ; vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit [& id, quod videtur habere] hoc eſt, donum rationis & cognitionis naturæ : hoc enim non verè habet, ſed videtur habere. Non verè habet, quia velatum ſenſu carnali habet. *Pſal.* 48. Homo cum in honore eſſet, non intellexit : comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Vnde *Dan.* 4. Cor Nabuchodonoſor ab humano mutatum eſt, & cor feræ datum eſt ei. Ecce quod verè non habet, ſed videtur habere : quia ad vſum carnalium apparenter habet, ad quem vſum rationem non accepit. Et ideò [auferetur ab eo] merito peruerſitatis tantæ. *Ro.* 1. Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum : dicentes enim ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt.

Ideò in parabolis loquor eis : quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.

Secunda pars, in qua redit, oſtendens, quoniam talibus competit parabola. Ad quod intelligendum, quòd iſti, qui ſic ad Doctorem veritatis veniunt, ignorantes ſpiritualia & dubitantes de doctrina ; ſed admirantes veniunt, & ſolam habent admirationem in ſe laudabilem, quæ tamen eſt ignorantis: ſed iam ignorantiam fugere deſiderantes (aliàs deſiderantis) Et ideò ſi illi ſpiritualia nudè proponantur, non eſt capax, & non credit (aliàs crederet) Sicut lippus excæcatur ad clarum lumen, Sed oportet, quòd in ſimilitudine corporalium, quæ viſus didicit, proponantur, vt ex corporalibus ſpiritualia probabilitatem, quòd ita ſit, vt Doctor dicit, accipiant: (alias accipiat Et ignorans & admirans faciliùs inductis (aliàs inductus) credat: & hoc eſt, quòd dicit [Ideò in parabolis loquor eis] hoc ſignificatur *Num.* 4. Vbi præcipitur, quòd interiora tabernaculi Caathitæ portent inuoluta, quæ tamen Aaron, & filij eius nuda tetigerunt & viderunt. *Exo.* 34. Eſto paratus, vt aſcendas in montem, & nullus aſcendat tecum, & oues & boues non paſcantur econtra. Et hoc eſt, quòd dicit [quia videntes] in ſimilitudinibus corporalibus ſpiritualia [non vident] eadem in veritate nuda ; ſed potiùs contemnerent ea ſecundum analogiam non propoſita. Perſuadet enim ſimilitudo corporalis ita eſſe, vt dicitur ex nobis poſſibilibus.

Et audientes non audiunt] De duobus facit mentionem diſciplinabilibus ſenſibus : quia & viſu ſigna viderunt, & auditu parabolas audiuerunt. Signa quidem in probationem deitatis & poteſtatis: & parabolas in probationem ſapientię & veritatis. Vt ſic à duobus iuuarentur, quòd à corporalibus ad ſpiritualia tranſirent. *Iſa.* 42. Qui vides multa, nonne cuſtodies ? Qui apertas habes aures, nonne audies ? Multa in ſignis viderunt, & multa in parabolis audiuerunt. *Iſa.* 43. Educ foras populum cæcum & oculos habentem, & ſurdum & aures ei ſunt. Qui enim nunquam manuducitur viſu ad poteſtatem, & auditu ad veritatem, eiiciendus eſt; quia ille penitùs eſt inutilis.

Neque intelligunt] hoc eſt, ſpiritualia non intùs legunt; ſcilicet oportet, quòd ſenſibili lectione proponantur eis, quemadmodum adhuc laicis ſpiritualia oportet proponi. *Iere.* 10. Filij tui exierunt à me, & non ſubſiſtunt: ſtultè egerunt paſtores eorum, & Dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt. *Pſal.* 35. Noluit intelligere, vt bene ageret. Hoc bene exprimitur *in Pſal.* 70. Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini : Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius: Deus docuiſti me à iuuentute mea & vſque nunc. Qui enim literaturam Spiritus nō intelligit, oportet, quòd admirandis potentiis miraculorum & parabolarum manuducatur: & in his iuſtitiam Dei meditetur. Et ſic à prima iuuentute ruditatis docetur vſque nunc, quando dicit *Pſ.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Iam non per ſimilitudines, ſed per veritatem nudam: & tunc pronūtiator mirabilium Dei efficiatur. Et tunc non eſt opus parabolis : quia tunc eſt imbutus ipſa veritate. *Eccl.* 6. In omni animo tuo accede ad ſapiētiam, & inueſtiga eam, & manifeſtabitur tibi. Sic enim acceditur, & non aliter : & in fine illius acceſſus implebit illud *Ioan.* 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo : & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Sicut etiam primò Moyſes ſoluit calceamentum pecorinæ pellis extendendo paulatim ſenſum carnalem & animalem : & tunc appropians vidit viſionem Dei reuelatam. Niſi autē iſte locus ſic exponatur, videtur ſequi inconueniēs: quia etiam parum intelligenti friuolum videtur, ſi Dei ſapientia proponat aliquid hominibus ad hoc, vt non videant, & vt ex hoc magis condemnentur.

Vt adimpleatur in eis prophetia Iſaiæ dicentis : Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, nequando oculis videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & ſanem eos.

Hæc

Hæc eſt tertia pars, in qua per *Iſa.* probat, quòd meritum excæcationis obſtinatorum ad ſigna & parabolas venit ex duritia cordis eorum, & non ex Deo aliquid operante ad cæcitatem: Et dicit tria, ſcilicet, qualiter ſe habuerunt ad ſigna & parabolas, & qua obduratione ſe à veritate percepta auerterunt per ignorantiam craſſam & affectatam ; & quid hæc obduratio effecit in eis iuſtæ damnationis. Dicit igitur ex *Iſa.* [Auditu] parabolarum [audietis] ſpiritualia propoſita in ſimilitudine corporalium [& non intelligetis] auertentes cor ab audita & demonſtrata veritate, hæc eſt litera LXX. *Iſa.* 6. Noſtra ſic habet : Audite audientes, & nolite intelligere. *Iſa.* 30. Populus ad iracundiam prouocans eſt : filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. *Iſa.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui : Iſrael autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. [& videntes] ſigna exteriùs [videbitis] eadem eſſe diuinitatis indicia, ſicut probatum eſt in præcedenti capitulo [& non videbitis] per intellectum approbantem : quia auertetis vos à demonſtrata veritate. *Iſa.* 44. Neſciuerunt, neque intellexerunt : obliti ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant in corde. Et ſubiungit cauſam dicens [Incraſſatum eſt enim cor populi huius] Craſſitudo prouenit ex frigido & aqueo ſanguine, & generat ſpiritum groſſum non valentem ſubtilia penetrare: quia quaſi congelatus eſt ſpiritus animali in talibus & tardus. Et hoc ſignificat infrigidationem à deſtitutione charitatis & tariditatem (aliàs raritatem) fidei, & inſipida ſibi eſſe ſpiritualia. *Pſal.* 72. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum. *Iob* 15. Cucurrit contra Deum extento collo, & pingui ceruice armatus eſt. *Deut.* 32. Cúmque commederint, & ſaturati, craſſique fuerint, conuertentur ad deos alienos, & ſeruient eis, detrahéntque mihi, & irritum facient pactum meum. *Deut.* 32. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit : incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.

Huius autem obdurationis ponit effectus tres per ordinem : primus eſt rebellio ad oſtenſam parabolicè veritatem : & hoc eſt, quod dicit [Et auribus grauiter] hoc eſt, impatienter, & cum contradictione [audierunt] *Act.* 7. Continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in in eum. *Zach.* 7. Aures ſuas aggrauauerunt, ne audirent : & cor ſuum poſuerunt, vt adamantem, ne audirent legem, & verba, quæ miſit Dominus in Spiritu ſancto ſuo. *Pſal.* 57. Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa, furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.

Secundus effectus eſt de rebellione contra viſam Dei poteſtatē, per quam in miraculis probata fuit veritas ſermonis : & hoc eſt, quòd dicit [Et oculos clauſerunt] ne lumen ſignorum conuinceret eos vera eſſe, quæ audierant. *Iſa.* 29. Claudet Dominus oculos veſtros: Prophetas & Principes qui vident viſiones, operiet: & erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati.

Et tangit effectum tertium, qui eſt obſtinatio contra gratiam conuertentem : & hanc tangit tripliciter, ſcilicet, per auerſionem ab inducentibus ad gratiam, & per auerſionem à gratia, & per auerſionem ab effectu gratiæ. Et de Auerſione ab inducentibus ad gratiam dicit [nequando videant oculis] demonſtratam poteſtatem. *Iſa.* 44. Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt. Secundò tangit auerſionem à veritate inducente ad gratiam, [& auribus audiant] congrua ſimilitudine veritatem propoſitam. *Iere.* 7. Locutus ſum ad vos mane conſurgens & loquens, & non audiſtis. Et *videm.* Non audierunt me, nec inclinauerunt aurem ſuam ; ſed indurauerunt ceruicem, & peius operati ſunt, quàm patres eorum. Tertiò tangit auerſionem à confeſſu veritatis, cùm dicit [& corde intelligant] *Iere.* 5. Audi, populе ſtulte, qui non habes cor : qui habentes oculos non videtis. *Deut.* 29. Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes & aures quæ poſſunt audire vſque in præſentem diem. Et poſteà tangit auerſionem à gratia conuertente dicens [& conuertantur ad me] qui auerſi ſunt. Et ſubiungit auerſionem ab effectu, cùm dicit [& ſanem eos] à langore culpæ & mortis æternæ. *Ezr.* 3. Si annuntiaueris impio, & conuerſus fuerit, vita viuet. *Iere.* 3. Conuertimini, filij, ad me recedentes, & ſanabo auerſiones veſtras. *Malach.* 2. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Sed quia non ſunt conuerſi dicitur *Amos* 2. Super tribus ſceleribus Iuda, & ſuper quatuor non conuertam eum, eo quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non cuſtodierit. *Iere.* 30. Inſanabilis eſt fractura tua, peſſima plaga tua : non eſt, qui iudicet iudicium tuum ad alligandum curationem tuam : vtilitas non eſt tibi. Et *ibidem infrà.* Inſanabilis eſt dolor tuus propter multitudinem iniquitatis tuæ, & propter dura peccata tua feci tibi hoc.

Veſtri autem beati oculi, quia vident: & aures veſtræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt : & audire quæ auditis, & non audierunt.

Tertia pars, in qua beatificat eos, quibus datum eſt noſſe myſterium regni Dei : & tangit duo: primum eſt beatificatio talium, & quia hoc habenti datur veritas : Ideò in ſecundo exponit ad nudum intellectum, quod dixerat aliis parabolicùm. Beatificatio autem talium in duobus eſt : abſolutè enim beatificat eorum ſenſus diſciplinabiles, & comparatiuè : & hæc patent. Dicit igitur [Veſtri autem beati oculi, quia vident] Iſta patent per antecedentia per oppoſitum accepta. Vident enim deitatem in operibus principaliter operantem. *Luc.* 10. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis [& aures veſtræ quia audiunt] propoſitam videlicet veritatem. 1. *Ioan.* 1. Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus noſtræ contractauerunt de verbo vitæ, annuntiamus vobis. Vnde *Act.* 4. dicunt: non poſſumus, quod vidimus & audiuimus, non loqui.

Amen quippe dico vobis] Beatificatio eſt ex comparatione [quia multi Prophetæ] *Iſa.* 64. Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes &

Dauid *Psal.* 143. Inclina cælos, & descende. Et alij multi. Moyses *Exod.* 3. Mitte, quem missurus es. [& iusti] *Luc.* 10 dicuntur Reges eo quòd Rex animarum est iustum. *Tob* 14. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Ierusalem. *Isa.* 38. In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Et multi alij [& non viderunt] Contra *Ioan.* 8. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. *Eccl.* 48. de *Isaia* dicitur. Spiritu magno vidit vltima: & consolatus est lugentes in Sion. Responsio, loquitur de corporali præsentia, in qua apparet præsentia deitatis secundum potestatem operum, & secundum veritatem sapientiæ sermonem. *Hebr.* 11. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quoniam peregrini & hospites sunt super terram.

Sed adhuc contrarium videtur, quod dicitur *Exod.* 20. Loquere tu nobis, & audiemus: & non loquatur nobis Dominus. *Iob vlt.* Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te *Genes.* 12. Vidi Dominum facie ad faciem. Responsio, illa omnia per ministeria Angelorum, & per inspirationem facta sunt, & non per corporalem præsentiam, in qua deitas agnoscitur. *ad Hebræos* 1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.

Vos ergo audite parabolam seminantis: Omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est, qui secus viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est: hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis. Facta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis: hic est, qui verbum Dei audit, & solicitudo istius seculi & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Qui verò in terram bonam seminatus est: hic est, qui audit verbum, & intelligit: & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.

Secunda pars, in qua explanat parabolam inductam eodem ordine, quo inducta est: & ideò patet diuisio.

Dicit ergo [Vos] quibus datum est nosse regni mysterium [audire] vestris auribus. *Prouer.* 20. Oculum videntem, & aurem audientem, vtrumque fecit Dominus [parabolam] hoc est, eius, qui rerum fator est omnium. *Io* 15. Pater meus agricola [Omnis, qui auditur verbum regni] auditu exteriori, & ponit tantùm in via sensus in propatulo [& non intelligit] in profundo cordis. *Agg.* 1. Seminastis multum, & intulistis parum: & qui congregauit mercedes, misit eas in saccum pertusum [venit malus] Antonomasticè. Malus dicitur diabolus, hic venit per suggestionem [& rapit] Violentiam sonat, & velocitatem raptus: quia etiam aliquando tentans rapit diabolus: quia vehementiam dilectionis aufert & subitò. *Iudic.* 6. Cum sæuisset Israel, venit Madian & Amalech & cæteri orientialium nationum, & sicut erant in herbis, cuncta vastabant. *Psal.* 7. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat [hic est, qui semi. est secus viam] Sed cùm dixerit de seminato semine, cur hic exponit de homine seminato? Et ad hoc dicendum, quòd in veritate istud semen seminatur in homine, & attrahit sibi hominem totum: & ideò homo totus efficitur cum semine seminatus. Et ita (aliàs ideò) subiungit hic. Præterea Dei verbum non potest colligere diabolus: quia illud perire non potest, sed colligit hominem, qui cum verbo deberet fructificare: & ideò dicitur cecidisse secus viam. *Io.* 10. Lupus rapit. Ideò autem raptum est, quia in profundum cordis non est contectum: sed parum tetigit secus viam delectabilium mundanorum. *Dan.* 7. Dentes ferreos habebat magnos comminuens atque comedens: & reliqua pedibus suis conculcans.

Qui autem semi. est su. petram] *Act.* 7. Dura ceruice & indomabili corde vos semper Spiritui Sancto restitistis [hic verbum audit] auditu exteriori [& continuo] ex leuitate potiùs quàm virtute [cum gaud. suscipit illud] propter dispersum loci calorem, qui in profundo non congregatur, & continetur; sed in superficie est dispersus, & dispergit terram. Potiùs enim primò erat suscipiendum cum gemitu pro peccato. *Isa.* 26 A timore tuo, Domine, concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. *Io.* 16. Vos contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium [non autem habet in se radicem] *Psal.* 51. Euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. *Isa.* 40. Et quidem neque plantato, neque sato, neque radicato in terra tritico (aliàs trunco) eius: repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos [Sed est temporalis] quia in lapide crescens non crescit nisi ad tempus modicum, quo durat humor superficialis. *Luc.* 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. *Psal.* 128. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priùsquam euellatur, exaruit [Facta autem tribu.] pœnarum [& persecutione] exiliorum. Vel [tribulatione] tentationum, & persecutione agitationum de vno in aliud sine quiete. *Threno.* 5. Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies. *Psalm.* 142. Persecutus est inimicus animam meam [propter verbum] *Io.* 15. Si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Apoc.* 6. Vidi sub altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, quod habebant. Sic Pharao persecutus est filios Israel propter verbum, quod mandauit ad eos Dominus [continuò scandalizatur] hoc est, impingit, & cadit. *Matthæi* 24. Scandalizabuntur multi, & inuicem tradent. *Iob* 4. Venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es. *Lenit.* 26. Terrebit eos sonitus folij volantis.

Qui autem seminatus est in spinis] *Heb.* 6. Terra proferens

proferens spinas, ac tribulos reproba est, & maledicto proxima [hic est, qui verbum Dei audit] auditu aliis præpedito [& solicitudo seculi istius] Hoc est, eorum quæ sunt in seculo: quæ sunt diuitiæ, deliciæ, & honores. 1. *Cor.* 7. Solicitus est, quæ sunt mundi, & quomodo placeat vxori suæ [& fallacia diuitiarum] quia decipiunt, non soluendo sufficientiam, quam promittunt. 1. *Timo.* 6. Præcipe diuitibus non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. *Eccl.* 34. Vana spes & mendacium homini insensato quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia. *Prou.* 10. Qui innititur mendaciis, hic pascit ventos [suffocat] hoc est, extinguit [verbum: &] ideò [sine fructu efficitur] *Sap.* 3. Vana spes illorum & labores sine fructu.

Qui verò in terram bonam seminatus est] *Num.* 14. Terram, quam circuiuimus, valde bona est [hic est, qui audit verbum] *Ioan.* 8. Qui est ex Deo, verba Dei audit. [& intelligit] intùs legit. *Psal.* 118. Declaratio sermonum tuorum illuminat, Domine, & intellectum dat parvulis [& fructum affert] *Ierem.* 17. In tempore siccitatis non erit solicitum: nec aliquando desinet facere fructum [& facit aliud quidem centesimum] Et hic fructus Sapientiæ in contemplatione Virginum. Quia, vt dicit *Augustin.* Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis diuinæ perpetua meditatio. *Prou.* 3. Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius [aliud autem sexagesimum] Hic est fructus Iustitiæ in operibus misericordiæ Viduarum. *Iaco.* 3. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem [aliud autem trigesimum] in pœnitentia coniugatorum. *Lu.* 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. Potest etiam primus referri ad Martyres. *Sap.* 3. Bonorum laborum gloriosus est fructus. *Eccl.* 39. Obaudite me diuini fructus, quasi rosæ plantatæ super riuos aquarum fructificate. Secundus, Prælatorum pro aliis laborantium 2. *Timot.* 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Tertius, Religiosorum. *Eccl.* 24. Flores mei fructus honoris & honestatis. Sic ergo terminata est parabolæ expositio facta ad discipulos, quibus datum est nosse veritatem nudam.

Aliam parabolam proposuit illis dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines: venit inimicus eius, & supersemina-uit zizania in medio tritici, & abiit.

Hæc est Secunda parabola, quæ est de effectu verbi significati per semen; quæ sumitur ex naturali pullulatione sui generis. Semen enim bonum pullulat in bonum, & stirps mala pullulat in malum. Scias autem, quòd cum verbum Dei virtutem in se habeat eius, à quo procedit, quòd quantum est de se non pullulat nisi in diuinum aliquid, sicut dicitur 1. *Ioann.* 3. Qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet. Hæc ergo parabola est de effectu proprio verbi Dei in corde hominis, vel in Ecclesia, vel in mundo, in comparatione ad mendax semen malum, quòd est verbo contrarium. Dicuntur ergo tria in hac parabola, quorum primum est seminatio duorum seminum: secundum autem distinctio stirpium, quæ apparuit in vtriusque germine: tertium autem distinctio, quæ facta est in messione. In prima autem harum dicuntur duo, scilicet, seminatio boni seminis, & superseminatio mali. In prima harum duo dicit, in quorum primo parabolicè loqui significat cùm dicit [Aliam parabolam] Non diuersitatem suscipientium verbum demonstrantem sed ostendentem diuersitatem iacti seminis [proposuit eis] Bene dicit [proposuit] quia parabola semper pro alio ponitur, quàm significat secundum vocis intentionem [dicens] *Mar.* 4. Docebat eos in parabolis multa, & dicebat eis in doctrina sua. *Isa.* 28. In loquela labij, & in lingua altera loquetur ad istum populum.

Simile est regnum cælorum] quantum ad verbum, quo regitur regnum, secundum illam regni significationem, quæ superius dudum est determinata. Et dicitur [cælorum] pluraliter: eo quòd non gubernat secundum vnum actum cælestium, sed secundum omnem actum regni illius; & prodit ratio gubernationis ex cælo, & regulat secundum cælum, & ad cælum dirigendo [homini qui] in negotio priuato [seminauit bonum semen in agro suo] Ita quòd ager regno, & verbum semini proportionetur. Seminare autem, sicut ante dictum est, actus est seminantis: & secundum ipsum semen ab eo, qui seminat, procedit (aliàs procidit) Et in hoc notatur processus verbi ex Patre, primo rerum seminatore: & hoc fuit, quando *Gen.* 1. dixit, fiat lux &c. hoc est verbum genuit, in quo verbo erat, sicut in arte & semine, vt fieret secundum formam quæ dat esse & bonum, quicquid factum est in rerum natura. Omnia enim illa in forma verbi vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Et sic semen istud in homine bonam dedit formam & virtutem innocentiæ & immortalitatis. *Prouer.* 11. Seminanti iustitiam merces fidelis. Et secundum hoc ager est mundus communiter, & specialiter natura humana. Sic enim semen vniuersaliter bonum fuit, virtutem bonitatis suæ naturæ humanæ infundens, & ipsam totaliter ad se conuertens. *Isa.* 60. Populus tuus omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram; germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum. Sic enim primò nostra natura seminata est. *Isa.* 6. Semen sanctum erit id, quod steterit in ea. De agro autem dicitur *Gen.* 27. Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. *Psalm.* 49. Pulchritudo agri mecum est. Optimus enim ager in nulla parte degenerans, Dei manibus formatus & excultus verbum (aliàs verbo) Dei, quod similitudo Dei est, in semen suscipiens: semen sanctum suscepit in germen diuinæ plantationis. Et erat tunc hortus, de quo dicit Sapientia *Eccl.* 34. Dixi, rigabo hortum plantationum, & inebriabo partus mei fructum.

Cum autem dormirent homines] Hæc est superseminatio; dormitio autem est torpor per negligentias duas, à verbi contemplatione, & à verbi virtute, ad quam homo in affectu & opere se non exercet, vt totum cordis agrum occupet, mente per contemplationem, cor per meditationem,

nem, voluntatem per amorem, vires omnes per virtutem, totum hominem per ſingulorum membrorum ad formam verbi congruam operationem. *Prouer.* 6. Vſquequo piger dormies? quando de ſomno conſurges? 1. *Theſ.* 5. Non dormiamus, ſicut cæteri; ſed vigilemus & ſobrij ſimus [venit] per ſuggeſtionem [inimicus] diabolus, qui omni inimicatur operi diuino. *Exod.* 15. Dixit inimicus: perſequar, & diuidam ſpolia. *Pſalm.* 142. Perſecutus eſt inimicus animam meam [& ſuperſeminauit] Bene dicit [ſuperſeminauit] quia vitium, profundum cordis non penetrat: eo quòd immateriale eſt ſicut ſemen Dei; ſed in ſenſibus illudit, & ſpargit radices: cui tamen fundus cordis ſynderelis ſemper contradicit. Hoc notatur *Prou.* 24. Vbi dicitur, quòd agrum pigri operuerant vrticæ, & repleuerant ſuperficiem eius ſpinæ *Rom.* 7. Conſentio legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et hoc eſt [zizania] Verba, ſenſus & rationem oppilans, & ad inſaniam conuertens: & ſignificat errorem contra verbi veritatem: inſaniam concupiſcentiæ carnis & mundi, contra verbi virtutem: & peruerſitatem contra verbi ordinem in opere bono. *Sap.* 12. Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia eorum: quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum: ſemen enim erat maledictum ab initio [in medio tritici] vt vndique triticum detineat, & impediat: ſemen enim malum vndique impedit bonum: quia totum agrum inficit. *Iob* 21. Quare impij viuunt, ſubleuati ſunt, confortatique diuitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in conſpectu eorum [& abiit] hoc eſt, ſe ad occultum retraxit: ita quòd id, quod eſt ſeminarium hoſtis, aliquando videtur eſſe partus proprij cordis, propter mali conſuetudinem. *Pſal.* 9. Inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua. Sic ergo quinque facit diabolus: clam enim venit; clam ſe abſcondit; inimicitias perpetuas gerit; ſuperficiem ſenſuum, per quos in opus pullulare ſeges Dei debuit, zizaniis operuit; vndique malum ſemen, impediens bonum ſemen, ſeminauit. *Hebr.* 12. Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet: tunc apparuerunt & zizania.

Secundum eſt vbi pullulantium ſeminum oſtenditur diuerſitas: & dicit tria, appropriationem pullulantium, admirationem intuentium, & iudicium patrisfamilias de non euellenda ſtatim zizania, ſed cum tritico ſinenda creſcere vſque ad meſſem. De primo horum dicit [Cùm autem creuiſſet herba] boni ſeminis. Hoc ſignificatum eſt *Gen.* 41. Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formoſæ: quæ ſeptem ſpicæ ſignificant omnes bonorum congregationes [& fructum feciſſet] hoc eſt, folliculos, & ariſtas, ſiue ſpicas, in quibus fructum faceret, formaſſet. *Act.* 5. Augebatur in Domino credentium multitudo virorum, ac mulierum. *Act.* 11. Loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum Ieſum: multúſque numerus conuerſus eſt ad Dominum. *Ioan.* 4. In illa autem ciuitate multò plures crediderunt in eum, & mulieri dixerunt: iam non propter tuam loquelam credimus: ipſi enim vidimus, & ſcimus: quia hic eſt verè Saluator mundi [apparuerunt ſimul & zizania] errorum & vitiorum. 1. *Corinth.* 11. Oportet hæreſes eſſe: vt hi, qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis. Et hoc ſignificatum eſt *Gen.* 41. Vbi cum pulchris ſpicis apppatuerunt ſeptem aliæ tenues ſpicæ & percuſſæ vredine, deuorantes priorum pulchritudinem. *Act.* 15. Deſcenderunt quidam à Iudæa, & docebant fratres: quia niſi circuncidamini ſecundum morem Moyſi: non poteſtis ſalui fieri. Et hoc ſignificat ſciſſura pallij Prophetæ *Abiæ* 3. *Reg.* 11. Qui ſcidit pallium ſuum nouum, quo opertus fuit in duodecim partes: & ait ad Ieroboam. Tolle tibi ſciſſuras decem. Decem ſciſſuræ ſignificant ſciſſam obedientiam Decalogi, quæ eſt zizania: duæ autem remanent in domo Dauid, quæ informatæ ſunt veritate & dilectione; veritate fidei, & forma charitatis.

Accedentes autem ſerui patrisfamilias dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania? Et ait illis: inimicus homo hoc fecit.

Ecce admiratio contemplantium & collaborantium ſeruorum: & ſunt duæ quæſtiones, & duo iudicia Domini. Vna quæſtio eſt de origine, & hanc ſoluit agri Dominus: alia quæſtio eſt de voluntate Domini de extirpandis zizaniis, vt patebit: quia tales diuiſiones leues ſunt valde. Dicunt ergo [Accedentes autem] per deuotionis orationem, & admirationis contemplationem, & zeli indignationem [ſerui] cuſtodes agrorum, hoc eſt, animarum [patrisfamilias] Dei Patris [dixerunt] *Iere.* 12. Iuſtus quidem tu es, Domine: & ſi diſputem tecum, veruntamen iuſta loquar ad te. Quare via impiorum proſperatur? bene eſt omnibus, qui præuaricantur, & iniqua agunt? Plantaſti eos, & radicem miſerunt; proficiunt, & faciunt fructum. Et hoc eſt [Domine] qui omni bonorum, & malorum es Dominus. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium [Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo] Non enim habes malum ſemen: quia non habes ſemen, niſi quod ex te procedit: quod diuinum verbum eſt, à quo procedit ſpiritus vitæ in omnes ſtirpes. *Iſa.* 65. Semen benedictorum Domini filij & nepotes eorum cum eis. *Eccl.* 44. Cum ſemine eorum perſeuerant bona: hæreditas & nepotum eorum ſemen in teſtamento ſtetit: & filiorum eorum hæreditas propter illos vſque in æternum manet. Semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Ex quo igitur ſic bonum ex bono oritur: & non poteſt arbor bona fructus malos facere, ſicut *ſuprà* 12. dictum eſt [Vnde ergo habet zizania?] Et hoc eſt quærere, vnde mali ſit ortus? *Sap.* 1. Deus mortem non fecit; ſed impij manibus, & verbis accerſierunt eam. Et hoc eſt, quòd dicit [ait illis inimicus homo hoc fecit] Diabolus inimicus homo dicitur: quia deuicit hominem. *Pſalm.* 139. Eripe me Domine, ab homine malo: à viro iniquo eripe me. Hic eſt inimicus. *Gen.* 3. Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & ſemen tuum, & ſemen illius. Vel dicitur [inimicus

micus

micus homo] hoc facere: quia diabolus non facit hoc, niſi in homine & cum homine. Vnde ex conſenſu eſt inimicus, & in facto eſt [homo malus] *Ioan.* 13. Cùm miſiſſet diabolus in cor, vt traderet eum Iudas Iſcariotes.

Serui autem dixerunt ei: Vis, imus, & colligimus ea? Et ait, non. Ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum.

Ecce ſecunda quæſtio de inquiſitione voluntatis de extirpandis zizaniis: & hoc dixerunt zelo indignationis [vis imus, & colligimus ea?] Intelligunt de collectione in faſciculos ad comburendum, ne ampliùs germinent. *Lu.* 9. Vis, dicimus, vt ignis deſcendat de cælo, & conſumat eos? [Et ait Non] *Lu.* 9. Conuerſus Dominus increpauit illos, dicens: Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare [ne fortè colligentes] hoc eſt, colligere intendentes [zizania] errantes, vel hereſi, vel vita [eradicetis ſimul & triticum] Eradicetis, dicit: quia cum homo occiditur, non ampliùs reuertitur ad ſtatum merendi. *Iob* 7. Non reuertetur oculus meus, vt videat bona. Argumentum eſt hic: quia potiùs ſinendi ſunt mali viuere, quàm timor ſit, quòd aliqui lædantur innocentes. *Gen.* 18. Abſit à te, Domine, qui iudicas omnem terram, vt perdas iuſtum cum impio: non eſt hoc tui iudicij, vt fiat iuſtus ſicut impius. Tamen *Auguſt.* vult, quòd triticum hic dicitur, qui poteſt fieri triticum. *Ioëlis* 2. Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & derelinquat poſt ſe benedictionem. Et hoc eſt verum, quandiu aliqua eſt probabilitas conuerſionis: & hoc eſt poſt trinam admonitionem. *Tit.* 3. Hominem hæreticum poſt primam & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quòd ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit proprio iudicio condemnatus. Certificat de voluntate ſua ſeruis hoc iudicium diſcretionis, dicens [Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem] Vel vltimam generalem ſententiam, vel vſque ad ſententiam hominis definitiuam, quando ſcitur eſſe ſubuerſus, & deſperatur de correptione. Et tunc lex implenda eſt *Exod.* 22. Maleficos non patieris viuere. *Leuit.* 24. Educ blaſphemum extra caſtra: & lapidet eum omnis populus. Et hoc eſt, quod dicit [& in tempore meſſis] hoc eſt, ſui iudicij, quando reatus vindicandus eſt [dicam meſſoribus] Angelis: vel iudicibus, qui etiam Angeli, hoc eſt, nuntij Dei ſunt. *Rom.* 13. Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. *Ioſue.* 7. Conturbet te Deus: quia tu turbaſti nos. *Apoc.* 14. Mitte falcem tuam, & mete: quia maturauit meſſis terræ [Colligite primum zizania] *Iſa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius faſcis in lacum. *Iſa.* 32. Conſummata eſt vindemia: collectio vltra non erit [in faſciculos] Quia licet omnes colligentur in vnum magnum faſcem; tamen pro qualitate culparum quilibet ſuam habebit colligationem. *Matth.* 22. Ligatis manibus, & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores [ad comburendum] *Deut.* 32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitque terram cum germine ſuo.

Videtur autem falſum, quòd dicitur [primum] Quia *Infra.* 25 primò dicet: Venite benedicti &c. Reſponſio. Primò vocabit ad ſe electos; ſed antequàm aſcendat in cælum in præſentia eorum, mittet ad comburendum reprobos: & tunc lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam: & tunc demum aſcendet Chriſtus homo cum bonis: & hoc eſt autem, quod dicit [triticum autem congregate in horreum meum] Hoc enim facient Angeli vt miniſtri, & Chriſtus vt caput & auctor. *Baruch* 3. O Iſraël quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis eius, quia licet in hac domo manſiones multæ ſunt *Ioan.* 14. Tamen vnum eſt horreum commune. Sic ergo perditur zizania ex toto, ſicut dicitur *Iſa* 14. Non conſurgat in æternum ſemen peſſimorum: præparate filios eius occiſioni in iniquitate patrum ſuorum: non conſurgent. Triticum autem colligitur ex toto. *Supra* 3. Permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum; paleas autem comburet igni inextinguibili.

Aliam parabolam propoſuit eis dicens: ſimile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo.

Propoſuit autem, vt ſimilitudinibus conſideratis, viderent, quantam fides haberet efficaciam [Simile eſt regnum cælorum] Tria ſunt, quæ accipit in ſimilitudine, ſeminationem ſeminis, incrementum, & perfectionem eiuſdem. In primo dicit quid, cui, & in quo aſſimilat. Quid: regnum cælorum. Non enim regnum cælorum eſt ſicut regna aliarum poteſtatum. Aliarum enim poteſtatum regna & leges coactiua obligant virtute: cælorum autem regna, virtute quadam amatiua nos alliciunt, & obtinendo nos vendicant ſibi: nec vni cæleſti rectitudini conformant, ſed omni. Ita vt dicamus: Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Sic enim dicitur *Iſa.* 32. Ecce in iuſtitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt. Et quia cæleſtia numquam inordinata ſunt, ſicut dicitur *Dan.* 7. Regni eius, quod non corrumpetur. Hoc autem ſimile eſt [grano ſinapis] Vt in grano notetur puritas, & fœcunditas fidei. Et in ſinapi notetur virtus eiuſdem. Sinapis enim proprietates ſunt, quòd valdè ſubtilis ſubſtantiæ: & ideò multum dilatatur, quando conteritur: & acuta, & per hoc penetratiua eſt: etiam diſſolutiua viſcoſitatum, & vaporatiua valde, & ideò ſtatim obtinet cerebrum. Eſt etiam mordificatiuum: & hæc habet verbum fidei, quæ ſubtiliſſimæ eſt ſubſtantiæ in articulis, qui omnes ſunt de Trinitate. Dilatatur autem ad æterna & temporalia & gaudia & pœnas. Conteritur autem per meditationem eorum, quæ creduntur. Et eſt acuta valdè per veritatem, quæ eſt ſubiectum & cauſa eius: per illam enim eſt acutior gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus. *Hebr.* 4. Et eſt diſſolutiuum concupiſcentiarum, & vaporatiuum per ſpiritus charitatem: quia ſpirat ſpiritum vitæ, & obtinet ſtatim altiora noſtri intellectus. Vnde dicitur *Mar.* 11.

Si

Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, tollere & mittere in mari: & omnia possibilia sunt credenti. Et tangit in quo simile, dicens [quod acceptum homo seminauit in agro suo] Acceptio autem sonat consensum: quia cætera potest non volens, credere non nisi volens. *Ioan.* 11. Si credideris, videbis gloriam Dei [homo] autem notat intellectum veritatis: quia fides illuminatio est intellectus ad æterna contuenda. *Psalm.* 35. In lumine tuo videbimus lumen. *Luc.* 2. Lumen ad reuelationem gentium &c. Seminatio autem notat dispersionem: quia fides vult spargi per verbum fidei, *Isa.* 27. Implebunt faciem orbis semine. *Isa.* 53. Videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur [ager] autem cordis notat optimam exercitationem per disciplinam. *Malach.* 3. Beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra desiderabilis.

Quod minimum quidem est omnibus seminibus: cum autem creuerit maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.

Tangit hic incrementum: Tangit autem tria; vnde crescit, quia ex minimo: & incrementum ipsum: & incrementi quantitatem. De primo autem dubium est secundum literam. Quia dicit [Quod minimum est] Et hoc non videtur: quia granum papaueris est multo minus: & semen rutæ & huiusmodi herbarum plurimarum. Responsio: minimum est non simpliciter, sed respectu eius, quod producit. Et ad hoc intelligendum sciendum est, quod aliud est herba, & aliud olus, & aliud gramen, & aliud frutex, & aliud arbor: & hæc differunt in eadem specie plantæ existentia. Primum quidem in genere quorundam est gramen: & hoc est, quando primum ex radice mergunt ad modum gladiorum folia per se ipsa, & non per coctilidones radici adiuncta. Herba autem quando habet multa folia: quæ non nisi coctilidonibus adiunguntur vni radici, sicut est in petroselino, quod postquam gramen esse desinit, fit herba: Et similiter sinapis: sed olus idem efficitur, quando stipitem non ligneum producit ex radice, & in illo stipite multos ramos & folia in ramis: sed frutex est, quando multos producit ex vna radice stipites, sicut Iuniperus, & hoc faciunt multa: sed arbor est, quando stipes in ligni duritiam conuertitur, & ex illo rami & virgæ in ramis, & in virgis sceptra, siue palmites, seu flagra quædam producuntur. Dicendum igitur, quòd proportione habita ad ea, quæ ex ipso producuntur, minimum est: quia licet papauer sit minus, tamen stipes eius non ligneſcit sicut sinapis: & licet rutæ stipes ligneſcat; non tamen sic in altum consurgit: & frutici magis quàm arbori similatur, quia multi in ruta stipites de vna radice egrediuntur. Ista minoritas fidei significat humilitatem, quæ est in cruce Saluatoris. *Luc.* 18. Qui se humiliat, exaltabitur. *Phil.* 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit autem semetipsum, factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. *Psalm.* Vide humilitatem meam, & laborem meum. *Suprà* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Omnibus enim minimis seminibus minus est verbum fidei: nulla enim doctrina tam humilibus innititur. 1. *Cor.* 1. Nos prædicamus Christum crucifixum. Iudæis quidem scandalum; gentibus autem stultitiam. Et *Ibidem.* Placuit Deo per stultitiam fidei saluos facere credentes. Nulla autem alicuius quantumuis parui Doctoris à tam humilibus confirmatur: quia ista sunt stultitia contra mundi sapientiam, & mortis probrosæ infirmitas contra mundi fortitudinem. Est ergo granum paruum in sapientia mundi, minus in potentia, sed minimum in superbia & astu seculi. Contra primum 1. *Cor.* 1. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes. Contra secundum 1. *Cor.* 1. Quæ infirma sunt mundi, elegit Deus, vt confundat fortie. Contra tertium 1. *Cor.* 1. Ea, quæ non sunt, quia confusione digna sunt, elegit Deus, vt ea, quæ reputatione mundi sola sunt, destrueret; vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ab hoc ergo minimo crescit: & hoc est, quod sequitur.

Cum autem creuerit] in deuotione vocatorum & electorum: tunc mutat herbæ humilitatem, paulatim exurgens in olus. Et ideò dicit [maius est omnibus oleribus] Est autem calidum, vaporatiuum vehementer, & multiplicabile: & quia calidum, fortissimè per radicem trahit succum: & quia vaporans, ascendit fortissimè in altum; & quia subtilis substantiæ multiplicabile fortiter extenditur in ramos, implens illud *Ezech.* 36. Vos montes Israël ramos vestros expandite, & florete & fructum facite populo meo Israel. Sic enim filius hominis in corde fidelium exaltabitur à terra, & omnia trahit ad se ipsum *Ioan.* 12. Sic gloriatur frater humilis in exaltatione sua; diues autem deprimitur in humilitate sua *Iaco.* 1. Sic *Isa.* 4. Germen Domini erit in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis. Sic stultitia conuertitur in sapientiam, quam *Paulus* 1. *Cor.* 2. loquitur inter perfectos. Sic infirmitas transit & in fortitudinem. *Isa.* 61. Vocabuntur in ea fortes iustitiæ. Sic dedecus transit in honorem; ita quòd dicat *Paulus Gal.* 6. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI. Sic enim omne genu flectitur in nomine Domini, & omnis lingua confitetur, quia IESVS CHRISTVS in gloria est Dei Patris. *Phil.* 2.

Et fit arbor] Hic tangit tertiò perfectionem; quia ligneo iam roborato stipite radici infixo multos profert ramos, & in ramis virgas & flagra totum mundum occupans, sicut arbor, quam in medio terræ stantem vidit *Daniel* 4. Extendit enim palmites suos vsque ad mare, & vsque ad flumen propagines eius: & est lignum vitæ in medio Paradisi *Gen.* 2. Lignum existens educens suos de Ægypto in manu legislatoris *Exod.* 3. & 4. Virga enim, in qua fiunt signa, & non solum in ista perfectione est in se ipsa; sed & [volucres] contemplatiui cælum petentes [veniunt] per osuriem & desiderium quiescendi cum Angelis: quibus Patriarcha *Gen.* 18. dixit; Requiescite sub arbore [& scandunt ramos eius] hoc est, diuisiones virtutum crucis: & gustant fructum ventris virginalis pendentem in ea. *Canticor.* 7. Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructum eius.

German.

German.

Aliam.

Aliam parabolam locutus est eis : Simile est regnum Cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

Hæc prima parabola de his, quæ docent profectum virtutis : & quia tres sunt virtutis profectus, scilicet, secundum virtutis formam, & secundum virtutis naturam (aliàs materiam) siue substantiam, & secundum virtutis finem, qui est Christus, secundum quòd est obiectum felicitatis Sanctorum : ideò tres inducuntur per ordinem parabolæ : & per hoc patet diuisio. Ista autem sumitur penes profectum virtutis in forma virtutis, quæ est charitas, quæ per fermenti naturam significatur : de qua dicit tria ; cui scilicet, regnum assimilat, & in quo, & quo effectu. De primo dicit [Simile est regnum cælorum] quo formaliter regnamus in cælis. *Apoca.* 5. Fecisti nos Deo nostro regnum, & regnabimus super terram [fermento] Ecce cui assimilatur. Calor fermenti, vt dicit *Philo.* Humidum panis maturat, spirituale facit, leuat, sapidum reddit, digestioni præparat. Et hæc omnia facit charitas, de qua parabola ista secundum *Rabanum* exponitur. Hæc enim maturat hominis cor crudum, vt sit viscerosum & affectuosum : & ad spiritualitatem conuertit. Sicut ipse Spiritus sancti est calor, leuat & alleuiat cor ad cælestia, & præparat nos, vt, facilè incorporemur Christo. Huius autem signum, vt dicit *Philosophus* : quia nemo de fermento secundum substantiam materialem aliquid in pane facto inuenit : quia totum spirat in spiritum, & vbique per pastam diffunditur, sicut spiritus diffunditur in corpore : quia aliter tam modica massa non totam massam pastæ alteraret, & ad se conuerteret : & ideò per hoc in nostris debet esse sacrificiis. Dominus præcipit *Leuit.* 7. quòd offerant panes fermentatos cum hostia gratiarum pro pacificis calefaciendo. Omnia præinducta facit charitas, sicut & fermentum.

Deinde tangit, in quo est simile, cùm dicit [Quod acceptum] Et dicit quatuor, quorum primum est charitatis ; in qua est gratia : & hoc notat, cùm dicit [Quod acceptum &c.] *Ioan.* 1. De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. 1. *Corinth.* 4. Quid habes, quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ? Secundum est gratiæ per effectum, quando dicit [mulier] molliens herum Deum, est Sapientia diuina in corde hominis inspirata. *Sap.* 7. Per nationes sapientia in animas sanctas se transfert : & amicos Dei & Prophetas constituit. Neminem enim Deus diligit, nisi qui cum sapientia inhabitat. *Ruth.* 3. Scit omnis Israel, mulierem te virtutis esse. Tertium est opus mulieris sapientiæ in fermento charitatis : & hoc est, quod dicit [abscondit] Absconditur autem, quando commisceatur, & diffunditur in virtutibus omnibus. Ita quòd totum ingrediatur, & totum maturet, & cætera perficiat, quæ antè diximus. *Rom.* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. 4. *Reg.* 4. Mulier infundit oleum in omnia vasa. Quartò dicit, cui infunditur [in farinæ satis tribus] Farina virtutis significat innocentiam, & gratiam ex candore, timorem ex comminatione, & confortationem ex effectu. Gratia enim candet, & timore conteritur tota die, & scindit cor. Sicut dicitur *Ioel* 2. Et effectu roborat. Hæc est farina, quæ in hydria viduæ non defecit 3. *Reg.* 17. Hæc etiam est, quam Eliseus in ollam mitti iussit 4. *Reg.* 4. & postea non fuit quicquam amaritudinis in olla. *Leuit.* 23. Offeretis nouum sacrificium Domino, duos panes primitiarum de duabus decimis similæ fermentatæ. Duo autem panes sunt duo genera virtutum, theologica, & politica. Hæc farina sata habet tria : satum autem genus mensura est modium & dimidium capiens, tria autem sata dicuntur ratione trium personarum Dei, in quas virtutes dirigunt : aut ratione trium animæ potentiarum, rationabilis, irascibilis & concupiscibilis, quas ipsæ virtutes implent : aut ratione trium generum virtutum, quæ nos perficiùt in opere, quæ sunt moralis, intellectualis, & heroica. Moralis enim ordinat passiones & opera : intellectualis conceptus (alias conceptiones) & electiones : heroica autem vires animales ad mentis metas cohibet. *Luc.* 13. Cui simile æstimabo regnum Dei ? Simile est fermento : quod acceptum mulier misit in farinæ sata tria.

Hydria farinæ.

Tertiò tangit quo effectu fit ista comparatio [donec fermentetur totum] hoc est, calore charitatis totum inflammaretur : & Spiritu sancto infunderetur. *Act.* 2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto. Est autem fermentum erroris & corruptionis, secundum quòd fermentum est antiqua corrupta pasta : & secundum has proprietates non loquitur hic de fermento ; sed de fermento erroris dicitur *Osee* 7. Quieuit ciuitas paululum à commistione fermenti, donec fermentaretur totum. De fermento corruptionis 1. *Cor.* 5. An nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit ? Sed quia hoc non pertinet ad propositum, dimittatur, donec de eo sit locus tractandi.

Hæc autem omnia locutus est IESVS in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis : Vt impleretur quod dictum est per Prophetam : Aperiam in parabolis os meum : eructabo abscondita à constitutione mundi.

Postquam tres parabolas in communi turbis iuxta mare ad communem ædificationem proposuit, hic post omnes concludit, quæ sit ratio parabolarum : & per vnius explanationem omnes alias se explanasse ostendit. Et ideò hæc (quæ dicta sunt) duo in ista parte facit, sicut patet in litera. Primum autem ostendit parabolici sermonis ad turbas rationem : & ideò duo dicit ; scilicet ; quòd parabolicè loquebatur : & probat sic debere fieri per auctoritatem. In primo horum duo dicit, affirmationem factorum, & generaliter debere intelligi, semper ita Dominum fuisse locutum. Dicit igitur [Hæc autem omnia locutus est IESVS in parabolis] Quæ licet numero parabolarum non sint multa ; significatione tamen earundem valde sunt infinita. *Prou.* 1. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientium, & ænigmata eorum [ad turbas] quorum fuerunt carnalia corda, & quibus factorum similitudines facilius persuadent, quàm verba.

Et

Et sine parabola non loquutus est eis] Ecce generaliter innuit, qualiter se in omnibus diuina sapientia rusticæ simplicitati coaptauit: & in signum huius mater sapientiæ verbum Dei parabolam factam in carne assumpta, pannis pauperibus inuoluit, & reclinauit in præsepio: quia homo comparatus iumentis insipientibus verbi æterni pabulum non caperet, nisi panniculis similitudinum humanarum inuolutum esset [vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam] in *Psalm.* 77. Dauid [aperiam in parabolis os meum] magna dicturus (alias docturus) [eructabo] cum affectu, conceptum intellectus exprimens: hoc enim sonat eructatio, quæ de stomacho vaporem cibi emittit. *Psalm.* 44. Eructauit cor meum verbum bonum. *Psalm.* 18. Dies diei eructat nudum verbum, cùm sapientia perfectis luce intelligētiæ fulgentibus mysterium regni Dei ostendit, sed nox nocti indicat scientiam, quando parabolis obuolutus, sermo rusticam mentem, quæ obscura est instruit [abscondita à constitutione mundi] Sapientiam enim Dei in mysterio verbi absconditam omnia, quæcumque dixit, & fecit Deus, loquuntur. *Rom.* 1. Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Sempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Totus enim mundus theologia est homini, dum cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Tunc dimissis turbis venit in domum: & accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

Ecce secundum, vbi venit ad explanationem seorsum cum discipulis [venit in domum] Indicans discipulos aliquando etiam debere familiaribus intendere, & sibi vacare. *Gen.* 30. Iustum est, vt aliquando domui meæ prouideam. *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum sapientia. Non enim habet amaritudinem conuictus eius, neque tædium conuiuatus eius [& accesserunt] desiderio studendi & discendæ veritatis. *Psal.* 33. Venite filij, audite me: timorem Domini docebo vos. Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur [discipuli eius] à doctrinis eius imbuendi. Et ideò nomen habentes discipulorum [dicentes] hoc est, instrui petentes [Edissere nobis parabolam zizaniorum agri] De hac potiùs quærunt quàm de alia: quia hæc continebat perfidorum reprobationem, & gentium fidelium implicitè vocationem: ad quod plurimum volebat Apostolos esse instructos & cautos. Vnde & de hoc plurima dicet inferiùs.

Qui respondens ait: Qui seminat bonum semen, est filius hominis: ager autem est mundus: bonum verò semen hi sunt filij regni: zizania autem filij sunt nequam: inimicus autem, qui seminauit ea, est diabolus: messis verò consummatio seculi est: messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur: sic erit in consummatione seculi. Mittet filius hominis Angelos suos & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

Circa istius parabolæ summalem explanationem dicit nouem. Explanat enim primò seminantem, dicens [Qui seminat semen bonum, est filius hominis] Non modò tantùm in carne veniens; sed ab initio mundi, & hodie per ora omnium loquentium de eo, quod est sapientia perfectorum & rationalium hominum, & quod est congruum pabulum iumentorum. Vnde *Iere.* 31. Seminabo domum Israël, & domum Iuda semine hominum, & semine iumentorum. *Marc.* 4. Multis parabolis loquebatur ad turbas, prout poterant audire, & sine parabolis non loquebatur eis. Secundò explanat agrum, dicens [ager autem hic mundus est] Ager ab agendo dictus, eo quòd actus surgat in fructum. *Cant.* 7. Egrediamur in agrum, commoremur in villis. *Psalm* 23. Domini est terra, & plenitudo eius. Tertiò explanat bonum semen, dicens [Bonum verò semen, hi sunt filij regni] hoc est, ad regnum formati per semen: Et ideò semen vocati sunt, sicut supra diximus. *Psal.* 21. Anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi. Quartò explanat malum semen, dicens [zizania autem filij sunt nequam] propter causam oppositam; quia semen diaboli ita deformat eos, quòd semen suum dicuntur. *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis, & opera eius vultis perficere. Et quintò declarat inimicum, dicens [inimicus autem, qui seminauit ea, est diabolus] *Dan.* 13. Semen Chanaam, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. *Psal.* 12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; nequando dicat inimicus meus præualui aduersus eum. Sextò declarat messem, dicens [Messis verò est consummatio seculi] Vel vniuersalis, quando omnes colliguntur: vel particularis, quando colligitur quilibet. *Ierem.* 8. Transiuit messis, finita est æstas, & nos saluati non sumus. Est tamen alia ante illam messis, in qua fideles colliguntur per gratiam in Ecclesiam. *Ioan.* 4. Videte regiones, quoniam iam albescunt (aliàs albæ sunt) ad messem. Septimò explanat messores, dicens [Messores autem Angeli] quia faciunt ad collectionem cinerum eorum, qui resurgent, & ad collectionem iudicandorum per ministerium. Hoc ostendit Angelus in manu falcem habens *Apoca.* 14. *Ioelis* 3. Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat: quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. Octauò tangit modum, dicens: [Sicut ergo zizania colliguntur ad comburendum igni] *Infrà* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius [sic erit in consummatione seculi] quando finis erit seculi istius. *Psalm.* 49 Ignis in conspectu eius exardescet, & inflammabit in circuitu inimicos eius: & hoc explanat vlteriùs, dicens [mittet filius hominis] *Infrà* 24. Mittet filius hominis Angelos suos cum tubis, & voce magna; & congregabunt electos eius à quatuor ventis cæli, à summis cælorum vsque ad terminos eorum [& colligent de regno eius] hoc est, de societate bonorum [omnia scandala] *Sap.* 14. Æqualiter displicent Deo, impius & impietas

eius

eius. Et ideò si scandalum est impietas, & impius scandalum erit. *Eccl.* 27. In verbis tuis dabit scandalum & *Eccl.* 32. Ne ponas animæ tuæ scandalum. *Infra* 18. Væ mundo à scandalis. Et explanat quid scandala vocat, dicens [& eos, qui faciunt iniquitatem] *Iob* 4. Vidi eos, qui seminant dolores, flante Deo perisse, & spiritu iræ eius esse consumptos [& mittent eos in caminum ignis] hoc est, in infernum, vbi ardebunt, & non depurabuntur. *Malach.* 4. Ecce dies Domini veniet succensa, quasi caminus: & erunt omnes superbi & omnes facientes iniquitatem stipula. Et tangit in camino genera pœnarum, dicens [ibi erit fletus] *Isa* 65. Præ contritione spiritus vlulabitis [& stridor dentium] quia *Iob* 24. dicitur Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium. *Apoc.* 16. Commanducauerunt linguas suas præ doloribus, & blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis. Nonò autem determinat, quali gloria colliguntur bona semina in horrea cæli, dicens.

Tunc fulgebunt Iusti sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.

Tangit autem quatuor, meritum scilicet, & gloriam, & honorem potestatis, & ius perpetuæ hæreditatis ex affectu Patris acquisitum. Primum notatur in hoc, quòd dicit [Iusti] Iustitia enim dedit lucem in merito: & ideo lucem accepit in præmio: Et ideò dixit *Plato*, quòd iustitia est sicut hesperus clarissimi fulgoris. *Prou.* 4. Semita iusti quasi lux splendens & crescens vsque in perfectum diem. *Phil.* 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. *Dan.* 12. Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates [fulgebunt sicut sol] In fulgore notatur mentis & corporis luminositas & agilitas: quia sine tempore in momento est ab oriente in occidente (aliàs ad occidentem) In sole autem notatur impassibilitas, & spiritualitas, siue subtilitas, quæ non intelligitur fieri per rarefactionem, sed per subtractionem grossitiei, & ignobilitatis: quia si ita rara essent futura corpora nostra, tunc non retinerent figuram. Et hanc hæresim missus fuit destruere *beatus Gregor.* in Constantinopolim. *Sap.* 3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent [in regno] autem notatur perfectio potestatis [eorum Patris] autem hoc regnum dicitur: quia ex effectu (aliàs affectu) ipsius ius habent hæreditatis. *Col.* 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum, & dedit nobis partem sortis Sanctorum in lumine. Et præcedit, quod transtulit nos in regnum filij dilectionis suæ [Qui habet aures audiendi, &c.] hoc est suprà expositum, & nota est parabolicæ locutionis. Licet hanc autem solam parabolam hic edisserat; tamen *Mar.* 4. dicitur, quòd seorsum omnia discipulis exponebat: quia illi exercitatos habebant sensus ad capienda mysteria.

Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.

Hic tangitur secunda parabola penes perfectum virtutis impra, secundum quòd profectus virtutis est studium in essentia virtutis: & tangit hic quatuor, scilicet, quid, cui, & in quo, & propter quid comparetur. Et hæc patebunt in expositione. Quid autem comparatur [est regnum cælorum] Regnum, inquam, secundum quòd est completa virtutis potestas & gratiæ ad cælestis gaudij reducens gustum omnis, quod est in homine. *Sap.* 10. Ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum, honestauit illum in laboribus, & complevit labores illius. *Roma.* 14. Regnum Dei non est esca & potus; sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Hoc autem similatur terrenis rebus, scilicet [thesauro abscondito in agro] in quo tria notantur, quid thesaurus, qualiter absconditus, & quid ager, in quo est absconditus. Thesaurus autem est studium virtutis & sapientiæ, quæ potissima est virtutum. *Prouer.* 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti. 2. *Cor.* 4 Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas non sit ex nobis, sed ex virtute Dei. Absconditus autem est iste thesaurus in solitudine silentij, in intentione soli Deo placere desideranti, & in occultatione humili: studentem enim virtuti, sapientiæ & cælestibus, oportet amare solitudinem silentij. Quia dicit *Bern.* quòd Delicata est diuina consolatio, non datur admittentibus alienam. *Isa.* 45. Verè tu es Deus absconditus. *Iob* 28 Trahitur autem sapientia de occultis. De intentione autem, quæ soli Deo placere desiderat *sup.* 6. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. Et ideo dicitur *ibidem* quòd intrandum est cubiculum, & clauso ostio orandus est Pater noster. Et *ibidem* quòd Pater noster, qui videt in abscondito, reddet vobis. De absconsione humilitatis dicit *Greg.* quòd Deprædari desiderat, qui thesaurum in via publicè portat. *Iob* 3. Quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cùm inuenerint sepulchrum, vbi scilicet, fossus est thesaurus virtutum. *Prouer.* 2. Si quæsieris eam quasi pecuniam, & quasi thesauros effoderis eam [in agro] Ager est cor humanum. *Ierem.* 32. Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth. Tibi enim competit, vt emas eum. Anathoth sub obedientia interpretatur: quia ad hoc mandata scripta sunt in corde: vt sub obedientia mandatorum sit cor humanum. In verbo enim est absconditus thesaurus, sicut dicitur *Iob* 28. Abscondita est ab occulis omnium viuentium: & sic dictum est quid, cui comparatur & sequitur in quo.

Quem cùm inuenit homo, abscondit.

Tria dicit, inuentionem, inuenientem, & occultationem. Inuentio per studium inquisitionis, hoc est, in frequentatione virtutis, & meditatione sapientiæ. *Eccl.* 14. Beatus homo, qui in sapientia morabitur, & in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Et *Prouerb.* 3. Beatus homo, qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia: melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius. Inueniens autem est homo nihil irrationabile agens, sed rorum, quod est ad intellectum referens. *Ecclef. vlt.* Deum timete, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo. *Gen.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Occultatio autem est dilectio secreti ab humano tumultu. *Isa* 24. Secretum meum mihi, secretum meum mihi. Vnde iudith in superio

perioribus domus ſuæ habuit ſecretum cubiculum, in quo Deo vacabat *Iudith* 8. Quare autem ſit iſta comparatio, ſequitur.

Præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa, quæ habet, & emit agrum illum.

Et dicit quatuor, primum eſt de inuento theſauro conceptum gaudium: ſecundum eſt ex gaudio ortum virtutis maius ſtudium: tertium omnium ſecularium ex iucunda poſſeſſione virtutis faſtidium: quartum, terrenorum pro ſpiritualium comparatione oblatum pretium: & hæc patent in litera.

De primo horum dicit [præ gaudio] *Auguſt.* Gaudium eſt diffuſio animi in conceptione & adeptione boni. *Phil.* 4. Gaudete in Domino ſemper; iterum dico gaudete. *Iſa.* 61. Gaudens gaudebo in Domino: & exultabit anima mea in Deo ſalutari meo. Et tangit ſtudium, & maiorem profectum, quando dicit [vadit] *Pſalm.* 83. ibunt de virtute in virtutem &c. *Ierem.* 51. Venite, & nolite ſtare: recordamini procul Domini: & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum. *Eze.* 1. Animalia ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Et dicitur *ibidem*, quòd non reuertebantur cùm incederent; ſed vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur, & dicit *Grego.* quòd illæ facies ſunt facies virtutum. Sequitur terrenorum faſtidium [& vendit vniuerſa, quæ habet] *Matth.* 19. Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſauros in cælo. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.

Et notabile eſt, quod dicit [quæ habet] quia ſi haberetur à diuitiis, non venderet eas, ſed potiùs diuitiæ venderent eum diabolo. 1. *Timoth.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. Adhuc notabile eſt quod dicit (vniuerſa) non ſibi partem retinens: ſicut Ananias & Saphira, qui fraudauerunt de pretio agri terreni *Act.* 5. Et ideò morti addicti ſunt. Sequitur commutatio, cum dicit [& emit agrum illum] Cor. ſ. cum theſauro: quia cum terrenis haberi non poteſt. *Suprà* 6. Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Vnde *Plato* pondus auri proiecit in mare, dicens: Melius eſt perdi aurum, quàm cor. *Prou. vlt.* Conſiderauit agrum, & emit illum: de fructu manuum ſuarum plantauit vineam. Guſtauit, & vidit quia bona eſt negotiatio eius.

Iterum ſimile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.

Hic tangitur profectus in comparatione ad finem. Finis autem ſimpliciter eſt Chriſtus. *Romano.* 10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Eſt autem finis citra finem, qui eſt terminus coniungens nos fini vltimo, & hic (aliàs hæc) eſt veritas in intellectu de ſenſibus ſcripturarum, ſicut de conchiliis eruta: & eſt dulcedo bonitatis, vel vitæ cæleſtis in affectu de conchis ſtudiorum collecta: Chriſtus autem de concha vteri virginalis acceptus eſt: & ita iſta ſignificantur per margaritas. Sunt autem hic notanda quinque, ſcilicet, quid, cui, ſecundum quid, propter quid, & qualiter comparatur. Quid autem dicit [Iterum] Sicut enim in ſtudiis virtutis, & iuſtitiæ regni cælorum, & in forma virtutis: ita iterum in fine comparatur terrenis, vt nihil ex eo lateat, quod nobis humano modo non demonſtretur. *Act.* 20. Non ſubterfugi, quominus annuntiarem vobis omne conſilium Dei. *Ioann.* 15. Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis [Simile eſt regnum cælorum] hoc eſt, decor regni cælorum. *Sap.* 3. Accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.

Et dicit cui [homini negotiatori] Non negotiatur niſi homo. Ad quid ergo addit [homini negotiatori?] Dicendum, quòd inſtruat quoniam per intellectum mentis negotietur veritatem, & per affectum dulcedinem: hæc enim ſunt, quæ in anima ſuperiora ſunt. *Prouerb. vlt.* Facta eſt quaſi nauis inſtitoris (ſiue negotiatoris) de longè portans panem ſuum. *Luc.* 19. Negotiamini, dum venio. Negotium dicitur negans otium: quia multa mala docuit otioſitas. *Eccleſiaſtici* 33. Sic autem non ſe habet, qui quærit Chriſtum, & ea, quæ coniungunt Chriſto, veritatem & dulcedinem Spiritus. *Sap.* 8. Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea.

Tangit autem in quo [quærenti bonas margaritas:] Bonæ margaritæ dicuntur colore & effectu. Colore meliores ſunt: quæ ſplendorem aluminis pluuioſi exhibent, qui eſt ſplendor argenti, cui ſupernatat tenuiſſimus fumus hyacinthinus. Splendor autem argenti eſt ſicut ſi clare lucens penetrat in aquam limpidam: Et ſic color bonæ margaritæ ex luce eſt clara, & perſpicuitate aquæ limpidæ, & ſupernatante fumo hyacinthino tenui valdè & ſubtili, & vix notabili. Lux autem eſt ſapientiæ. Vnde *Sap.* 8. Luci comparata inuenitur prior. Aqua autem eſt per metas puræ & refrigeratæ caſtitatis. *Ezech.* 36. Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Huius autem ſignum eſt, quòd oſtrea & conchilia, quæ margaritas portant, hoc inter omnia animalia habent proprium, quòd nunquam coëunt, nec per commiſtionem generant (aliàs generantur) ſed potiùs lumine lunæ, cuius lumen eſt ſicut argentum, vt dicunt alchimici: & hoc lumen conceptum in humido viſcoſo ſicco format & colorat margaritam. Fumus autem hyacinthinus deſuper natans, cæleſtis eſt ſapor in mente. *Col.* 3. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.

Natura autem margaritæ eſt in cælo habere efficientem, quæ eſt lumen lunæ: in humore roſcido (qui in ripa maris colligitur in mane) habere materiam ſeminalem: in concluſione, conchilia habere locum formationis quaſi matricem: in animali mundiſſimo & caſtiſſimo habere naturalem ſuæ ſubſtantiæ virtutem. Et hoc competit: quia per lumen lunæ, ſicut diximus, conceptum in humido roſcido, quod ex hoc, quòd in animali imbibitur, viſcoſatur & ſiccatur, generantur margaritæ. Sancti autem veritati & dulcedini diuinæ ſtudentes, è cælo omnia concipiunt, ſplendore cæleſti omnia concipientes. *Daniel.* 12. Qui fuerint docti, fulgebunt ſicut

sicut splendor firmamenti, humore roscido, quòd infunditur ex gratia Dei in se non vacua. *Isa.* 45. Ros lucis ros tuus: & terram &c. *Isa.* 26. Rorate cæli desuper. In mari autem huius seculi durantur in conchis per patientiam. *Deut.* 33. Inundationes maris quasi lac sugent, thesauros occultissimos arenarum. Ad literam, thesauri arenarum sunt margaritæ: quia inter arenas latent. In conchis autem habent matricis actum & virtutem: quia de figuris & ænigmatibus eliciunt veritatem, & inneniunt dulcedinem quasi per testudinis apertionem. 1. *Corinth.* 13. Videmus autem nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. 1. *Ioan.* 3. Nondum apparuit quid erimus: scimus autem, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. *Romano.* 8. Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Virtus autem formans & substantians, vt ita liceat dicere, virtus est mundissimæ animalitatis: quia ex hoc, quòd roscidus humor per corpus transit animalis, virtutem concipit formatiuam: & hoc rotundat, & naturat margaritam, & specificat eam: & talis virtus ex corporo est Sanctorum mundissimo, quia ex hoc etiam ipsa anima iuuatur ad bonos & stabiles, & æternitati similes actus; & mobiles per obedientiam in omne bonum. *Sap.* 7. Sortitus sum animam bonam, & corpus incoinquinatum. Vnde *Eccl.* 49. dicit, quod ossa Ioseph pullulabant de loco suo. *Et* 44. Corpora eorum in pace sepulta sunt, & viuent nomina eorum in æternum. Sanctum enim corpus est vas, in quo multam virtutem concipit anima. *Psal.* 83. Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.

Effectus autem est (præcipuè qui dum versus æquinoctialem veniunt) castum facere corpus & sobrium; cor confortare, præcipuè contra debilitatem spiritus: & perficere animam ad bonos conceptus intelligentiarum. De primo horum dicit 1. *Corinth.* 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c. *Ad Titum* 2. Sobriè & piè & iustè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. De secundo *Ezechi.* 37. Ingressus est in ea spiritus vitæ, & reuixerunt. *Genes.* 2. Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. De eo, quod facit in anima. *Psalm.* 31. Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos. *Luc.* 24. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas. Scias autem, quòd optimarum margaritarum conchæ sunt odoriferæ: ita quòd etiam ad puluerem tymiamatis conferantur: & illæ dicuntur onycæ: eo quòd ad modum humani vnguis colorantur: & hoc significat bonitatem famæ & deuotionis. *Eccl.* 49. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta est: in omni ore quasi mel indulcabitur memoria eius.

Deinde tangit qualiter fit ista assimilatio dicens [Inuenta autem vna pretiosa margarita] hoc est, intùs considerata. Sed cùm *Apoc.* 21. dicatur, quod portæ singulæ sunt de singulis margaritis, qualiter hic dicitur, quòd vna pretiosa sit inuenta? Dicendum, quòd licet Christus veritas & dulcedo animæ sit vnicus Patris & animæ fidelis; tamen semper secum habet multa pretiosa. Et hoc conuenit margaritis: quia etiam in baccis concharum vna pretiosior circa se habet alias circumpositas minores: propter quod etiam alio nomine margaritæ dicuntur minores: & congregatio talis vocatur proprie, margaritum fulgens, à gemmariis. *Prouerb.* 25. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem. Pretiosa est ergo illa, quia nullo pretio æstimanda. *Iob* 28. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. *Sap.* 7. Infinitus est enim thesaurus illius: quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei: propter disciplinæ dona commendati.

Deinde tangit propter quid: dicens [abiit &c.] Et dicit tria, abire per fugam mundi: vendere omnia, quæ possedit per concupiscentiæ & passionum aliarum commutationem, ad virtutis studium: & emere eam pretio sanctorum meritorum. In primo relinquitur peccatum: in secundo per virtutes exciduntur radices vitiorum: vt tertiò optimè disposito animo, margaritæ conferatur ornamentum. De primo *Isai.* 52. Recedite, recedite: pollutum nolite tangere mundanum, qui fertis vasa Domini. *Cantico.* 5. Quò abiit dilectus tuus, ô pulchrerima mulierum. De secundo *supra* 4. relicta naui, & patre, secuti sunt eum. *Infra* 19. reliquimus omnia, & sequti sumus te. De tertio *Cant.* 8. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ ad mercandam dilectionem; quasi nihil despicient eam. *Apocal.* 3. suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt locuples sias. *Prouerb.* 20. Malum est, malum est, dicit omnis emptor: & cùm recesserit, gloriabitur. Sciendum autem, quòd margaritæ tantùm amant dulcedinem, quòd dulcedine concipiuntur, & generantur: & in aceto, vel vrina positæ mollescunt, & resoluuntur: quia Christum non habet is, qui est amari cordis, *Ierem.* 2. Malum, & amarum est reliquisse te Dominum. 1. *Pet.* 2. Si tamen gustastis, quia dulcis est Dominus, ad quem accedentes tanquam ad lapidem viuum.

Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quam, cùm impleta esset educentes, & secus litus sedentes elegerunt bonos in vasa; malos autem foras miserunt.

Hæc est vltima parabola, in qua auctoritas Apostolorum & Ecclesiæ sagenæ comparatur: & in hac duo dicuntur, parabola videlicet, & explicatio. In parabola autem, & in hac notandum est quid, cui, & in quo comparetur, & quare; & hæc plana sunt in litera. Quid enim comparatur: est regnum cælorum, quoad hunc actum, qui est potestas, & auctoritas educendi homines ex humoribus instabilis mundi ad stabile litus fidei, quæ per veritatem (quæ causa & subiectum eius est) iam stabilit credentes in æternitate: & de hoc dicitur *Ioan.* 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Et *sup.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Cui autem comparatur subdit [sagenæ missæ in mare] Sagena nodata ex chordis, potestas est dispensationis verbi, quæ complectitur ex filis subtilitatum scientiarum, & zelo animarum trahitur, & ordinatur auctoritate ecclesiastica. *Iob* 40. Nunquid implebis sagenas pelle eius, aut gurgustium

piſcium capite illius? Pellis Leuiathan ſunt peccatores, qui ſagena Chriſti ad litus æternitatis deducuntur, gurguſtium autem eſt confeſſio ſacramentalis, in quo (aliàs qua) caput, hoc eſt, principium peccati capitur, & occiditur. *Ezech.* 17. Expandam ſuper eum rete meum, & comprehendam illum in ſagena mea, & adducam eum in Babylonem, hoc eſt, in ſuiipſius confuſionem: quia erubeſcet de malis, quæ fecit:& hoc eſt,quod ſequitur: & iudicabo eum in præuaricatione, in qua deſpexit me. Et ſic ſagena accipitur in bono, & eſt rete Petri. Eſt autem ſagena diaboli, qua multos trahit: concupiſcentia carnis vna, & auaritia altera. De prima *Eccleſiaſtæ* 7. Inueni mulierem amariorem morte, quæ laqueus venatorum eſt, ſagena cor eius, vincula manus illius. De ſecunda *Abacuch.* 1. Totum in hamo ſublenauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit illud in rete ſuum. Super hoc lætabitur, & exultabit. Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo. Hæc mittitur in mare mundi. *Pſalm.* 103. Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus: illic reptilia, quorum non eſt numerus.

Deinde tangit, in quo, cùm dicit [ex omni genere piſcium congreganti] Rete enim Petri modò trahit bonos, qui merito & numero intràs ſunt permiſti cum malis. *Luc.* 5. Laxate retia veſtra in capturam piſcium. *Io.* 21. Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenietis. Hoc eſt in conſideratione eſt virtutis & æternitatis. Et ſequitur, quòd iam non valebant trahere rete præ multitudine piſcium.

Deinde tangit,propter quod,cùm dicit [Quàm cùm impleta eſſet] quoad numerum præuiſorum [educentes] ad litus æternitatis [& ſecus litus] in iudicio in hoc mundo, poſt modicum in cælum tranſituri [elegerunt] diſcernendo per merita [bonos] tamquam bene meritos, ſecundum doctrinam Apoſtolicam [in vaſa ſua] Vaſa piſcatorum ſunt Sacramenta, quæ quidem vnam rem habent ſignificatam, & contentam, & cauſatam, quæ eſt gratia remiſſionis peccati: aliam autem habent ſignificatam quidem,& cauſatam: ſed non contentam in præſenti,ſed futuro: & hoc eſt gloria Beatorum: & in hæc vaſa colligunt bonos meriti diſcretione. *Ierem.* 16. Mittam piſcatores multos, & piſcabuntur eos. Eligunt autem Apoſtoli: demonſtratione meriti: Angeli autem colligendo in reſurrectione, & Chriſti auctoritate. *Pſalm.* 105. Saluos fac nos, Domine, & congrega nos de nationibus, vt confiteamur &c. *Ioan.* 11. Vt filios Dei, qui diſperſi erant, congregaret in vnũ. Tunc enim fiet vnum ouile,& vnus paſtor *Io.* 10.[Malos autem foras miſerunt]qui ſolo numero fuerunt in reti,Foras autem mitti eſt extra conſortium bonorum,& omnis boni participationem in infernum proiici. *Apoc. vlt.* Foris canes & venefici, & impudici, & idolis ſeruientes.

Sic erit in conſummatione ſeculi: Exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio Iuſtorum.

Explanatio eſt: quia ea, quæ ſunt de fine mundi, magis quàm alia, indigent explanatione: quia magis ſunt ignota: & non tangit explanationem, niſi vtrimæ diſcretionis: quia illa, quæ ſunt in tempore, per ſe patent, qualiter modò mali cum bonis ſunt permiſti: & hoc eſt,quòd dicit [Sic erit] in hominibus, vt in piſcibus [in conſummatione ſeculi] *Iſa.* 32. Conſummata eſt vindemia, collectio vitta non erit. *Sophonie* 1. Conſummationem cum feſtinatione faciet habitantibus terram. Explanat autem ſimilitudinem in tribus, in miniſterio Angelorum, in ſeparatione malorum, & in loco pœnarum. De primo horum dicit [Exibunt Angeli] ab intimo contemplationis ad miniſterium congregationis reſurgentium. *Luc.* 21. Virtutes cælorum mouebuntur [& ſeparabunt malos de medio Iuſtorum] Secundum eſt: & hæc ſeparatio eſt diuiſio à conſortio bonorum. *Infra* 24. Duo erunt in lecto: vnus aſſumetur, & alter relinquetur. *Infra* 25. Separabit eos ab inuicem, ſicut ſeparat paſtor hædos ab agnis. Separationem enim illam facient Angeli miniſterio, Chriſtus auctoritate.

Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

Tertium eſt determinatio ad pœnam: & tangit locum, ſpeciem pœnæ, & effectum. Locus eſt caminus. *Pſalm.* 20. Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui. Et de igne ſequitur, qui eſt ſpecies pœnæ. Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. *Iſa. vlt.* Ignis eorum non extinguetur,& vermis eorum non morietur &c. [ibi erit fletus] Ecce effectus: & hæc ſupra expoſita ſunt. Fletus enim erit ex acerbitate caloris pro concupiſcentia, & ſtridor ex frigore pro refrigeſcente charitate. *Eccl.* 43. Gelauit cryſtallus ab aqua *Iob.* 38. In ſimilitudine lapidis aquæ durantur.

Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.

Hæc eſt concluſio totius: & diuiditur in partes Duas, in quarum prima concludit, quòd ſic abundare debet, qui præeſt in Eccleſia: in ſecunda autem oſtendit exemplo, quibus debet abundare. *Ibi* [Et factum eſt, cùm conſummaſſet] In concluſione duo facit: intellectum enim prædictorum à Diſcipulis (qui ſui debent eſſe Vicarij) requirit, ſciens quòd intellectu opus eſt Prælatis: ſecundò intellectu habito, docet, in quanta abundantia debent proponere: & hæc patent in litera.

De primo dicit [Intellexiſtis hæc omnia?] dicta, & cauſas, & ſignificationes dictorum, & factorum? *Pſalm.* 118. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. *Sup,* 11. Reuelaſti ea paruulis. *Ierem.* 31. Erunt omnes docibiles Domino. *Iſa.* 54. Vniuerſos filios tuos ponam doctos à Domino [Dicunt ei: Etiam] Sed videntur male reſpondere: quia non adhuc erat Spiritus datus, qui docet omnia. Reſponſio, dicendum, quod hic reſpondent de his, quæ nunc docuit Dominus, & non de omnibus ſimpliciter.

Ait illis: Ideò omnis Scriba doctus in regno cælorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo noua & vetera.

Ecce

Ecce ſecundum: & tangit tria, nomen, & officium,& habitum docentis,& quem docere debet, & quẽ debet imitari. De primo dicit[Ideò omnis] generaliter, officio[Scriba]tam ſcribẽs voluntatem Dei in cordibus auditorum, quàm etiam ſcriptus [doctus] autem dicit habitu interiori: quoniam non doctus non debet docere. *Sap.* 3. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquieſcent ei. *Sap.* 6. Audite Reges, & intelligite: Præbete aures, qui continetis multitudines. *Infra* 23. Mitto ad vos ſapientes & Scribas [in regno cælorum] Ecce cui debet abundare; quoniam [regno cælorum] quia iuſtitiam illius, & poteſtatem,& gaudium debet docere, ſicut ipſe Chriſtus *Sup.* 4. Quem autem debeat imitari, ſubiungit, dicens [ſimilis eſt homini patrifa.] qui eſt filius hominis. 1. *Cor.* 11. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti [qui profert de theſauro ſ.] hoc eſt,ex cordis abundantia. *Sup.* 12. Bonus homo de bono theſauro ſuo profert bona. *Eccl.* 1. In theſauris ſapientiæ ſignificatio diſciplinæ [noua & vetera] Noua ſunt dignitate, vetera autem intentione, & ideò proponit ea. Sunt autem noua nouis in ſpiritu apta, quibus datum eſt noſſe myſterium regni Dei. Vetera autem ſunt adhuc veteribus apta per ſimilitudines corporales imbuendis. *Cant.* 7. Omnia poma noua & vetera,dilecte mi, ſeruaui tibi. *Leui,* 26. Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera nouis ſuperuenientibus proiicietis. Vel poteſt dici, quòd noua ſunt, quæ ad innouationem pertinent; vetera autem, quæ ad vetuſtatem. Prima proferuntur, vt ad ea audientes inuitentur: ſecunda autem vituperantur, vt fugiantur. *Col.* 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum hominem, qui renouatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem eius, qui creauit eum. *Eph.* 4. Deponere vos ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ,& induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis.

Et factum eſt, cum conſummaſſet IESVS parabolas iſtas, tranſiit inde.

Dixerit qualiter noua & vetera proferre habent Vicarij IESVS Chriſti: hic autem confirmat perfectum, quod dixerat per verbum, oſtendens noua & vetera ad omnium admirationem. Tangit hic ergo tria, primò Oſtenſionem veterum & nouorum; ſecundò ſcandalum infidelium ad ea, vnde debebant ædificari ad fidem: tertiò ſcandali illius confutationem: & hæc patent. In primo horum tria dicit. Primum eſt continuatio dicendorum ad dicta, ſecundum locus ſolemnis, & vbi fuit notus, tertium autem admiratione digna propoſita doctrina. De primo dicit [Et factum eſt, cùm conſummaſſet IESVS iſtas parabolas] hoc eſt, ad ſummum ſapientiæ deduxiſſet. *Iſa.* 10. Conſignationem, & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum [tranſiit inde] vt etiam alibi tadiũ ſuæ lucis ſpargeret. *Vnde Sup.* 11. Tranſiit inde, vt doceret, & prædicaret in ciuitatibus eorum: & hic eſt locus, quem reliquit.

Et veniens in patriam ſuam docebat

eos in Synagogis eorum: ita vt mirarentur,& dicerent: Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? Nonne hic eſt filius fabri? Nonne mater eius dicitur Maria,& fratres eius Iacobus & Ioſeph, & Simon, & Iudas,& ſorores eius nonne omnes apud nos ſunt? Vnde ergo huic omnia iſta? Et ſcandalizabantur in eo.

Et veniens in patriam ſuam] Galilæam: & eſt locus, ad quem venit, communis [docebat in Synago. eorum] Ecce locus ſolemnis, ad quem omnes conueniunt. Poſuit enim lucernam ſuper candelabrum, vt luceret omnibus, qui in domo ſunt, *Sup.* 5. Et tangit effectum, qui proprius fuit cauſa ſapientiæ in auditoribus. Et ibi incipit ſcandalum, vbi incipere debuit ædificatio eorum: & dicuntur hic quatuor: Primum eſt mirum cauſatum ex ſapientia dictorum:ſecundum eſt offendiculum ex humilitate generis ſumptum: tertium eſt notitia nihil talium oſtendens: quartum & vltimum ſcandalum ex comparatione humilis & notæ originis ad tantam ſapientiam, quanta videbatur in dictis: & hæc patent in litera. Dicit ergo [ita vt mirarentur] *Supra capitulo ſeptimo.* Admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ & Phariſæi [& dicerent: Vnde huic ſapientia?] quæ apparet in dictis [& virtutes?] quæ apparent in factis. Fideli autem non eſt hoc mirabile: quia 1. *Corinth.* 1. ſcit Chriſtum Dei eſſe virtutem, & Dei Sapientiam. Nec eſt mirum, ſi ſubſtantialiter virtus & ſapientia exiſtens, oſtendat virtutem & ſapientiam: quia quod infirmius eſt Dei, fortius eſt hominibus: & quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus 1. *Corinth.* 1.

Nonne hic eſt fabri filius] Ecce ſcandalum ex humilitate generis: quia vocatur in arte & actu patris putatiui: quia Ioſeph faber lignarius fuiſſe perhibetur. Et licet ignorantes cauſam; non fine re dictum eſt: quia filius eſt eius, de quo dicitur *Pſal.* 73. Tu fabricatus es auroram & ſolem: tu feciſti terminos terræ: æſtatem & ver tu plaſmaſti ea. Sed *Marc.* 6. non ſic dicitur,ſed dicunt:Nonne hic eſt filius Mariæ? Sed dicendum, quòd vtrumque dixerunt, vnum ad notitiam referentes; & alterum ad deſpectum artificij, vel actus, in quo victum Ioſeph quærebat.

Et ideò de notitia generis ſubinferunt [Nonne & mater eius dicitur Maria?] Hoc verum eſt: ſed non nouerunt, quid dixit Angelus *Luc.* 1. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, Ideoque & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei. Quod ſi nouiſſent, de nullo dubitaſſent [& fratres eius] Non vterini, ſed conſobrini [Iacobus] minor qui frater Domini dicebatur [& Ioſeph] cognomento iuſtus [& Simon] A loco, vnde ortus eſt dictus Cananæus: cognomento Zelotes [& Iudas] cognomento Taddæus: De quibus *Supra.* 10. Habitum eſt [& ſorores eius] Non vterinæ, ſed conſanguineæ [Nonne omnes apud nos ſunt] Obliti ſunt iam eius, quòd paulo ante dixerat. Si quis fecerit voluntatem Patris

mei [illegible] est: ipse meus frater, soror, & mater est.

Et comparantes magna dicta & facta ad generis infirmitatem, admirantes quaerunt [Vnde ergo huic omnia ista] Sed cum cognouerunt, quòd ex genere, studio, vel actu generis habere non poterat, & videbant in digito Dei hoc fieri, de leui poterant concedere, quòd ex Deo erant omnia, sicut dicitur *Ioan.* 9. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quicquam. Sed hoc est, quod dicitur *Ioan.* 7. Quia nec fratres sui credebant in eum. Talia enim sæpe fecit Deus. 1. *Regum* 17. Vbi vnxit Dauid in Regem, accipiens eum de officio pastorum, sicut ipse dicit *Psal.* 78. Elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum. *Amos* 1. & 7. qui fuit pastor, & rusticus. Et sic sæpe fecit Deus. 1. *Reg.* 2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem: vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Et adhuc ipsi omnium Iudæorum parentes, Patriarchæ & Prophetæ existentes, non fuerunt Reges hominum, sed pastores ouium, sicut confitentur coram Pharaone. *Genes.* 47. Viri pastores sumus, & nos, & patres nostri ab adolescentia nostra. Sed & hoc conueniens fuit prophetiæ. *Deut.* 18. vbi dixit Moyses. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris: tanquam me audietis eum. Et ex his omnibus facile poterunt intelligere, quia ita debuit esse ortus Christi: infidelitas autem transuerterat eos in contrarium. [Et sic scandalizabantur in eo] Non occasionem à Christo, sed ex seipsis accipientes. *Eccl.* 32. In via ruinæ non eas: & non offendes in lapides. *Isa.* 8. Dominum exercituum sanctificate in cordibus vestris: ipse pauor vester, & ipse terror. Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel: & in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

IESVS autem dixit eis: Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

Hic incipit confutatio infidelium istorum: & tangit duo, quorum primum est generale: & secundò ad meritum indignitatis eorum non multiplicantur inter eos virtutes. Generale autem est, quod dicit, quòd [Non est Propheta sine honore] Qui propriè est præmium virtutis [nisi in patria sua] communi [&] præcipuè [in domo sua] hoc est, inter cognatos, & notos. *Mar.* 6. & *Lu.* 4. dicitur sic. Amen dico vobis: quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. *Ioan.* 4. Ipse Iesus testimonium perhibuit, quia Propheta honorem non habet in patria sua. Causa autem est: quia magna relata ad parua minorantur: & talis relatio fit in patria, vbi visi sunt Prophetæ in infirmis, & puerilibus, & humilibus. Vnde *Genes.* 12. dictum Abrahæ: Egredere de terra tua, & de cognatione tua. Et sequitur postea: faciam te crescere in gentem magnam. Similiter *Num.* 12. Aaron & Maria iurgati sunt contra Moysen, cum apud extraneos fuisset in honore. *Cantic.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me.

Et non fecit ibi virtutes multas] tamen aliquas fecit, vt per eas, quas fecit conuinceret eos iuste damnandos, qui virtuti diuinæ detraherent: & quia non multas fecit, demonstrarentur esse infideles, qui indigni essent, quòd propter eos, vel coram eis virtutes faceret. Vnde *supra* 12. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei. Et hoc est, quòd sequitur [propter incredulitatem eorum.] *Mar.* 6. dicitur. Et non poterat ibi virtutes multas facere. Sed ad hoc dicendum, quòd hoc possumus, quod de iure possumus: Christus ergo potuit de potentia deitatis facere, quæ voluit; sed non potuit de congruo populi: cum sciuit, quòd indeuoti fuerunt. Quia licet dicat *Apostolus* 1. *Corinth.* 14. quòd Signa non fidelibus, sed infidelibus data sunt: tamen non sunt data nisi infidelibus ignorantibus, & iam mirantibus fidem, & incipientibus fugere infidelitatem.

CAP. XIV.

In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam IESV: *& ait pueris suis: hic est Ioannes Baptista: ipse surrexit à mortuis: & ideò virtutes operantur in eo.*

IN isto capitulo determinatur ordo Ecclesiæ secundum doctrinam veritatis penes quantitatem gratiæ, quam præstat: & habet duas partes, in quarum prima per congruitatem primò ostenditur finis eius, quod fuit via ad eandem gratiam introducendam; Et hoc significatur in interfectione Ioannis. In secundo ostenditur cursus communitatis gratiæ introductæ *Ibi* [Quod cum audisset IESVS &c.] Prima harum subdiuiditur in partes duas, in quarum prima declarat, qualiter hæc historia de occisione Ioannis hic ad literam introducitur: & in secunda describitur *Ibi* [Herodes enim tenuit &c.] In prima tria declarantur, fama ad Herodem de IESV perueniens: error circa personam Christi: & causa, quare putauit Christum esse Ioannem, quod est causa erroris.

De primo dicit [In illo tempore] Cum sic de sapientia & virtute omnes homines mirarentur [audiuit] etiam post alios [Herodes fa. de IESV] Magis enim malitiosi Reges tenti & non accipientes sibi, vt dicit *August.* nisi eos, qui gratiantur honores huius mundi: nec soliciti de inquisitione salutis, non audiunt de Deo nisi post alios omnium ore famam prædicante. *Sup.* enim 9. habitum est, quòd abiit opinio eius in totam regionem illam. Et loquitur de regione Iudææ, & *Lu.* 4. Fama exiit per vniuersam regionem illam. Et loquitur de Galilæa. Et *Sup.* 4. Abiit opinio eius in totam Syriam. Omnem ergo terram occupante fama, tandem violenter percussit etiam aures Herodis. 2. *Corinth.* 2. Christi bonus odor sumus Deo in his, qui pereunt: & in his, qui salui fiunt. Et præcedit: Gratias autem Deo, qui odorem notitiæ per nos spargit in omni loco [& ait pue. su.] Pueri sunt serui, pueri dicti, quòd ad modum puerorum ab alio moueantur & ducantur. Ecce sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum. *Gal.* 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo. Non ergo à puritate dicti

dicti sunt isti pueri: sed, vt diximus, quia ab alio minantur, mouentur, & non motu proprio. Sed quare non dixit extraneis: dicendum, quòd iste versipellis finxit se dolere de morte Ioannis: & ideò apud extraneos de morte non loquebatur, sed apud complices scelerum suorum pueros suos. Iste autem Herodes non est Ascolonita, qui pueros occidit, & sub quo Dominus natus fuit; sed filius eius, qui Antipas cognomine vocabatur, cuius filius, nepos primi Herodis, occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, & captiuauit Petrum. *Act.* 12. Et hæc notata sunt *Supra* 2.

Hic est Ioannes Baptista] Ecce error in persona Saluatoris, sed *Lu.* 9. sic dicitur. Ioannem ego decollaui: quis est iste, de quo audio talia? Et dicendum, quòd vtrumque dixit. Sed id, quod dicit Lucas, dixit in principio famæ. Vincente autem fama, dixit quod scribitur hic: & in hoc notatur accusatio Herodis. Si enim eum occidit, cuius sanctitatem tantam credidit, vt nulli alij competeret fama tantarum virtutum: ex hoc reatiorem se ostendit, quò sanctiorem Ioannem esse dixit. Ioannem enim tantùm credidit, quòd Christus æstimari potuisset.

Ipse surrexit à mortuis] Ecce causa erroris. Ioannes enim in hac mortalitate (aliàs mortali vita) viuens signum quidem fecit nullum, sicut dicitur *Ioan.* 10. Et hoc statui suo competebat, & non derogabat merito. Status enim suus fuit, quòd oportet eum continuè minui, & ideò miracula eum magnum in opinione hominum facere non debebant: non ergo hoc derogabat merito. Herodes autem licet infidelis esset, tamen credidit resurrectionem, & quòd post resurrectionem Sancti maioris virtutis essent, quàm ante: & ideò Ioannem facere resurgentem dixit, quod ante resurrectionem eum non posse facere putauit. 1. ad *Corinth.* 15. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Et in hoc arguuntur Iudæi resurrectionem non credentes, quam alienigena credidit. Et hoc est, quòd sequitur [& ideò virtutes operantur in eo] Hypallage est. Ipse virtutes operatur in eis. Vel dicatur, quòd propria, & non figurata est locutio: quia duæ sunt causæ virtutum, vna quidem meritoria per congruitatem, & si non per condignitatem: & hæc est ex parte populi; Alia est ex parte facientis effectiua miraculi. Et de primo loquens dicit [Ideò virtutes operantur in eo]

Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem.

Secunda pars istius historiæ: in qua describitur occisio Ioannis. Diuiditur autem pars ista in tres partes, in quarum prima ostenditur Ioannis captiuitas: in secunda occisio: & in tertia sepultura, quæ patent in litera. In prima harum duo dicuntur, captiuitas, & causa captiuitatis. Captiuitas autem tribus exaggeratur malis, tentione, alligatione, & incarceratione, quorum primum fuit temerarium tenere Prophetam: secundum impium ligare membra plena Spiritu sancto: tertium sacrilegium incarcerare eum, qui multos soluerat à carcere dæmonum: & hoc est, quòd dicit. [Herodes enim tenuit eum] qui expeditus debuit præcedere Christum in spiritu & virtute Eliæ, impediens, inquantum in ipso est salutis viam. [& alligauit eum] qui liberè sonare debuit, vt vox verbum, impediens salutis auditum [& posuit eum in carcerem] qui maior erat inter natos mulierum, ad quem omnes relictis propriis exibant ad videndum: & in hoc recludens virtutis formam & exemplum.

Propter Herodiadem vxorem fratris sui: Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens eum occidere timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebat.

Propter Herodiadem vxorem fratris sui] s. Philippi. Hic tanguntur causæ captiuitatis: & dicuntur hic tria, scilicet, vera causa, modus causæ, & effectus in Herode. Causa enim fuit meretrix mulier, thorum veri mariti adulterio simul & stupro commaculans: erat enim ista Herodias filia Arethæ Regis: qui quia odiuit Philippum, filiam Philippo abstulit: & cùm Philippus aduersaretur Herodi, propter impietatem & crudelitatem Herodis, in dolorem Philippi eam Herodi copulauit: & ipsa meretrix existens & fornicatrix in hoc consensit, & sicut in litera innuitur, hoc fieri procurauit. *Eccl.* 23. Omnis mulier relinquens virum suum peccabit, statuens hæredem ex alieno matrimonio. Primò quidem, quia in lege Altissimi incredibilis fuit: secundò, quia virum suum dereliquit: tertiò, quia in adulterio fornicata est. *Eccl.* 26. Sicut boum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. *Eccl.* 7. Inueni amariorem morte mulierem: vincula manus eius, sagena cor eius.

Et subiungit modum causæ istius [dicebat enim Ioannes: Non licet tibi habere illam] *Leuit.* 20. Qui duxerit vxorem fratris sui, rem illicitam fecit, turpitudinem fratris sui reuelauit. *Leuit.* 18. Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis. Et attende modestiam Ioannis, qualiter sine improperio, solius veritatis amore, non ex se, sed ex lege potiùs monens de veritate quàm corripiens, illicitas detestatur nuptias. Deferens enim Regi, attendens quòd dicit *Apost.* *Rom.* 13. Cui honorem, honorem. Non dicit: Progenies viperarum, sed simpliciter [Non licet tibi habere illam] *Sap.* 7. Sapientia vincit malitiam. Omninò enim hæc audiebatur fornicatio in Rege populi Dei, & talis, vt vxorem fratris sui contra legem haberet. Sed hoc fuit, quod dicit *Amos* 5. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt. Sed qualiter dicit: Non licet tibi habere eam, cùm iste fuerit alienigena ex patre Idumæo. Dicunt autem quidam, quòd fortè legem Dei assumpserat, maximè quia mater dicitur Iudæa fuisse: vel si hoc non fuit; tamen Prælatus populi Dei existens, legis forma esse debuit, quamdiu præfuit: & ideò peccauit contra legem. Vel dicatur, quòd contra omnem legem naturalem, & aliam est habere vxorem alicuius, & præcipuè contra ordinem coniunctorum sanguine, est hoc crimen committere contra fratrem, & est fœdatio fratris.

Et volens eum occidere] Ecce quid fecit tam leuis admonitio in stupratore adultero: crudelitatem in Prophetam, & timorem mundanum, quorum vtrumque fuit maximum vitium. De

crudelitate dicit [volens eum occi.] *Psal.* 54. Viri sanguinum, & dolosi non dimid. dies suos. *Sap.* 2. Circumueniamus iustum : quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris : & improperat nobis peccata legis [timebat po.] Non quidem propter irrationabilem tumultum populi ; sed potiùs propter propriam culpam : quia se culpabilem cognouit [quoniam sicut Prophetam eum ha] & maiorem Propheta. *Sap.* 7. Cum sit timida nequitia, data est in omnium condemnationem. Et ante parum : Semper præsumit sæua perturbata conscientia. Timor autem iste mundanus non correxit culpam conceptam ; sed potiùs machinatus est causam, quæ videretur opportuna ad scelus perpetrandum. Timor autem Dei corrigit culpam ; sicut dicitur *Eccl.* 2. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non potest iustificari.

Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. At illa præmonita à matre sua : Da mihi, inquit, hic in disco caput Ioannis Baptistæ.

Hic incipit agere de morte Ioannis : & tangit duo, causam videlicet, & decollationem. Causam autem describit ab opportunitate temporis importuni & illiciti, dum inter vina sitiretur sanguis innocentis, & inter epulas esuriretur caput Prophetæ ad mensam deportatum. Describit etiam ab inducente saltatrice garria histrionica motus meretricios (aliàs meretricis) matris deregente : & describit ab illicito, & stulto iuramento tam Regis, quàm sacrilegi proditoris.

De primo dicit. [Die autem natalis] quam celebrauit : cum tamen nocumentum mundo illatum est, vt tam prophanus nasceretur. In quo is, in cuius natiuitate mundus gaudere præcipitur, occideretur. Parauerat autem tunc festum Principibus, & populis Galilææ, sicut dicit *Luc.* 9. In hac autem [die] cùm in peccatis, & ad tantum facinus natus est, potiùs erat lugendum, sicut dicit *Psalm.* 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. *Ephe.* 2. Omnes nascimur filij iræ. *Iob* 3. Pereat dies, in qua natus sum : & nox, in qua dictum est : conceptus est homo, *Ierem.* 20. Maledicta dies, in qua natus sum : dies, in qua peperit mater mea, non sit benedicta. Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo : natus est tibi puer masculus. Hæc potiùs plangendo dicere debuit Herodes, quàm natalis sui festum celebrare, qui tantum infelicitatis commisit, vt decollaret Ioannem.

Saltauit filia Herodiadis in medio & placuit Herodi] Causa inducens hic describitur, quæ fuit repræsentatio turpissimi conceptus in matre: Admonitio scorti in vxore adultera & stuprarrice: libidinis incentiuum in tota conuiuantium societate [Saltus] enim motus repræsentauit concupiscentiæ (aliàs concupiscentiam) ignominiosæ suæ matris, quæ eam in libidinis concepit moribus. [Filia autem dicitur Herodiadis] eo quòd non fuit filia Herodis : quia consuetum est in scriptura filias potiùs dici patrum quam matrum: nec præsumitur filia fuisse Philippi: quia illa non petiuit caput eius, qui reprehendit separationem matris suæ à patre, quem diligeret. Et quia non fit mentio patris istius filiæ, præsumitur vilem patrem habuisse, & ex scorto matris nata : quod Herodes potiùs verecundari debuit, quàm allici ex hoc in tam detestabile facinus perpetrandum. Præterea filiæ nobilium non discunt saltus ; sed potiùs in verecundia puellari honestas expectant nuptias : & ideò omnium scorti matris fuit ista testimonium Et debuit dixisse Herodes, sicut Iehu 4. *Reg.* 9. Adhuc veneficia, & fornicationes matris tuæ vigent : & interfecisse filiam ; & præcipitasse matrem ignominiosam. Saltu autem ipso, in quo verecunda nudantur, & motibus inordinatis dispositio repræsentatur turpitudinis, fomenta libidinis accipiebant assidentes, *Prouer.* 7. Mulier occurrit ornatu meretricio, præparata ad capiendum animas, garrula, vaga, quietis impatiens.

Vnde cum iuramento pollicitus est ei dare quæcumque postulasset] Addit alius Euangelista: & si dimidiam partem regni mei. Et ex hoc accipitur : quantum iste possessus fuit amore libidinis, qui talia obtulit thura libidinis aris, vt dimidiam offerret regni sui. Ostenditur autem, quòd turpis fuit in causa iurandi, stultus in iurando ; & impius in reddendo. Libido enim causa fuit, stultitia generaliter iurare fecit, & vera impietas pietate mendaci contecta. *Exod.* 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Iste autem assumpsit in turpem causam, & in stultum sacramentum, *Sap.* 5. Ego dico vobis: Non iurare omninò. De hoc autem *Ibidem.* plura dicta sunt : & ideò hic transeunda. In iuramento autem isto tria considerantur ; obligatio stulta ; eius, cui obligatur petitio : eiusdem à scortatrice subornatio (aliàs subordinatio) De obligatione iam dictum est. De subornatione subinfertur [& illa præmonita à matre sua] non curam agente de filia, sed de scorti, & stupri sui libidine retinenda sine reprehensione. Timuit enim : quoniam populus habebat Ioannem sicut Prophetam, quòd aliquando concitatus populus cogeret Herodem ad dimittendum eum : & ideò subornauit filiam. *Apoca.* 17. Vidi mulierem ebriam sanguine Sanctorum : & de sanguine Martyrum IESV [Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ] Notantur in hoc inuerecundia saltatricis, crudelitas, & profana impietas. Verecundiæ puellaris est non posse videre etiam animalia mortua & occisa. Sed *Eccl.* 26. dicit causam, quòd fornicatio mulieris est in extollentia oculorum eius : & omnis mulier meretrix etiam est crudelis : & ideò ferali raptu quærens satiari pœnis, non simpliciter petit abscidi caput ; sed sibi in disco dari, in quo cibus offerri (aliàs afferri) consueuerat. Iezabel pro certo ista filia, quæ est 3. *Reg.* 19. iuramento iurauit se in crastino occisuram Eliam Prophetam. Profanum autem non addere testimonium turpissimæ causæ, cum nomen proponit occidendi & officium, dicens [Ioannis Baptistæ] quia Ioannes (in quo est gratia) dicitur Baptista ; via fuit pœnitentiæ & purificationis. Causam ergo mortis, quam posuit, Deus voluit sic exprimi : vt excusaretur scortum petens, & occisoris obediens, & occisi declaretur causa, quæ martyrem facit, & Sanctum

ctum. Pro zelo enim legis & castitatis est interfectus.

Et contristatus est Rex : propter iusiurandum autem, & eos, qui pariter recumbebant.

Hic tangitur interfectio : & tanguntur duo : primò enim repetuntur causæ inducentes : & posteà subinfertur decollatio. Inducentia autem sunt duo, obligatio stulti iuramenti, & discumbentes, quibus in velamen malitiæ præmittitur falsæ pietatis exterior obumbratio. De qua dicit [Et contristatus est Rex] Fingebat enim coram populo se libenter audire Ioannem, & multa facere pro eo. Et ideò etiam nunc simulat tristitiam, acsi victus religione iuramenti facere cogatur. Innata enim erat ei ex patre fictio, qui etiam se velle adorare Christum simulabat. *Suprà* 2. *Isa.* 32. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites in sermone mendacij, dum loqueretur pauper iudicium [propter iusiurandum] Ecce vna causa non attendens, quod stultè vouerat, melioti concilio esse retractandum, & in turpi voto mutandum esse voluntatis decretum : quantò enim plùs proceditur in malo, tantò est peius : & ideò iurando stultus, procedens ad impletionem iuramenti efficitur impius, & homicida [& propter eos, qui pariter recumbebant] quorum mentes saltatrix in libidinem verterat, turpi motu lasciuiæ verecundia prætendens : qualis enim fuit Rex, tales vocauit conuiuas 2. *Pe.* 2. Voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationis, & maculæ : deliciis affluentes, in suis conuiuiis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles.

Iussit dari : misitque, & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco : & datum est puellæ, & illa attulit matri suæ. Et accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius & sepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt IESV.

Ecce occisio : & tangit tria deliritatem imperantis, impietatem obsequentis, & infandam feritatem petentis. De primo dicit [Iussit dari] mandato sactilego. *Sap.* 6. Cum essetis ministri regni eius, non rectè iudicastis. *Dan.* 13. Interficiens innocentes, & dimittens noxios [misit] ministrum detestabilem, sceleris executorem [& decollauit] per illum [Ioannem in carcere] Non enim produxit eum populo, timens ne populus corriperet eum, volens esse occultum, vt nemo sciret, nisi discumbentes, quorum mentes scortatrix per saltaticem dementauerat. *Isa.* 57. Iustus perit : & non est, qui recogitet in corde suo; viri misericordiæ colliguntur, quia non est, qui intelligat : à facie enim malitiæ collectus est iustus.

Ferale autem peccatum petentis est triplex, vnum delectari in visu capitis : quod notatur, cum dicit [Allatum est caput Ioannis in disco] vt vel sic satiaretur pœnis eius. Et secundum est remuneratio saltatricis, quòd dicit [datum est puellæ] Tertium est pretium, & redemptio liberi scorti, quòd dicit [puella dedit matri suæ] sic (aliàs se) à scorto non temperans, reatum incidit periurij & homicidij Herodes : & ne crederetur à populo, qui Ioannem Prophetam habuit, libenter occidisse, reatum illiciti iuramenti adiecit, & per conuiuium natalis sui opportunitatem tanti sceleris inquisiuit, sicut innuitur *Marc.* 6. *Eccl.* 9. Cum saltatrice ne assiduus sis, & ne audias illam, ne pereas in efficacia eius. Et quod quidem fecit Iezabel aperta infidelitate per voluntatem, & non potuit perficere per opus : quia fugit Elias. Iurauit enim dicens : Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, nisi posuero hac ipsa hora cras animam tuam, sicut animam vnius eorum. 2. *Reg.* 19. Aperta enim crudelitas effugitur. Et similiter, quod Rex Israël iurauit se facturum in ira, & impatientia 4. *Reg.* 6. Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisei filij Sabbat super ipsum hodie: impeditus fuit perficere per seniores Israël. Similiter quod inconsultè iurauit Dauid se interfecturum Nabal stultum, consilio meliori mutauit per interuentum Abigail sapientis mulieris. 1. *Reg.* 25. Sed dolus non habet remedium : dolo enim detinuit, ne euaderet, & libenter eum audire simulauit, & discipulos obsequi permisit, ne putaretur velle occidere sub obtentu nefandæ religionis, necessitatem occidendi sibi parauit, mentes conuiuarum poculis & saltatricis gestibus, & vxoris meretriciis (aliàs meretricis) commentis obtinuit : & sic nefas, quod conceperat, perpetrauit. *Iere.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. *Psalm.* 9. Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperem. *Eccl.* 12. In oculis suis lacrymabitur inimicus ; & si inuenerit tempus, non satiabitur sanguine.

Et accedentes discipuli] quos, vt dolum simularet, coram Iudæis non prohibuit [tulerunt corpus eius] Ex hoc innuitur, quòd de illo loco ad locum alium tulerunt, [& sepelierunt illud] Vltima pars est ista de sepultura Ioannis. Dicit autem Hieronymus, quòd Ioannes in Sebaste est occisus, & in Machoronta sepultus. Sebaste autem fuit, quæ & Samaria dicebatur, vbi Herodes fecit domum regiam, in qua fortè carcerali custodia detentus fuit Ioannes. Et cum hoc concordat *Iosephus. In Ecclesiastica autem historia & in chronicis Eusebij* narratur contra factum fuisse : quòd scilicet in Machoronta occisus sit, & in Sebaste sepultus. Sed de capite omnes confitentur, quòd Ierosolymis sepultum sit. Machoronta autem oppidum est vltra Iordanem, in sorte duarum & dimidiæ tribuum [& venientes nuntiauerunt IESV] Ecce quantum profuit missio discipulorum Ioannis ad Iesum. *Sup.* 11. Persuasi enim tunc à Domino, nunc veniunt, & nuntiant IESV de morte : & qui priùs æmulati sunt eum, nunc prænuntiant pericula, vt caueat sibi, ne similiter à doloso Herode occidatur. *Lu.* 13. Exi, & vade hinc : quia Herodes vult occidere te.

Quod cùm audisset IESVS, secessit inde in nauiculam, in locum desertum seorsum. Et cùm audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus.

Hic

Hic incipit agere de nouæ gratiæ multiplicatione. Manifestatur autem in nobis dupliciter multiplicatio gratiæ : Vno modo, quando ea, nibus abutendo ingrati efficimur, in vsum gratiæ conuertuntur, & in vsu illo abundant : secundo autem modo manifestatur in nobis gratia per effectum proprium. Primum horum est gratiæ luminæ in nobis signum : secundum autem est gratiæ conplementum. Ex primo conformitas auctoris gratiæ, ad eum qui dedit legem, ostenditur : quia ille pauit populum in deserto, in quo legem dedit. *Exod.* 16. Ex secundò rigoris legis datæ ostenditur temperamentum. Secundum incipit *Ibi* [Et statim compulit IESVS discipulos] In primo autem horum tria determinantur, quorum vnum est gratiæ istius causa, & opportunitas: secundum perfectio cum circunstantibus eam *Ibi* [Quia ait : Afferte illos mihi] Tertium autem est istius gratiæ superabundantia. *Ibi* [Et manducauerunt omnes] Prima harum diuiditur in tres, in quarum prima ponitur opportunitas istius gratiæ : in secunda allegatio discipulorum ignorantium exhibitionem futuræ gratiæ : & in tertia ponitur instructio de gratia exhibenda : & hæc patent in litera. In prima harum sunt tres paragraphi, in quorum primo continetur opportunitas ex loco, in quo necesse fuit exhibere refectionis gratiam : in secundo deuotio turbarum, expostulans per congruitatem deuotionis, quòd fieret : in tertio ponitur præexhibitio gratiæ minoris, quæ signum est secuturæ gratiæ communis: & hæc patent in litera. In primo horum quatuor dicuntur, quare videlicet, à loco, in quo fuit, secessit : & recessit : & quo instrumento : & quò peruenit : & hoc plane dicit litera.

De primo dicit [Quod cum audisset IESVS] quòd Herodes sic in Innocentes debaccharetur, & dolos tenderet ad occidendum eos : & maximè quòd sibi etiam (volens placere Iudæis) insidiaretur ; non quòd hoc priùs nesciret sine nuntio : quia dicitur *Eccl.* 23. Domino Deo nostro, antequam crearentur, cuncta erant cognita. Sed in hoc, & in omnibus aliis assumptæ humanitatis ostendit naturam : sciens futuras hæreses Manichæorum negaturas veritatem assumpti hominis [secessit inde] ne temeritati Herodis locum daret homicidium homicidio : vel potiùs Deicidium Prophericidio cumulandi, parcens ex misericordia etiam his, qui in sordibus erant, ne nimis sordescerent : & quia nondum impleta adhuc erant Sacramenta nostræ salutis : & vt fugere discipulis ostenderet pro tempore, & declinare rabiem persequentium, cùm grex non quæritur, sed tantùm persona. Vnde *Luc.* 13. dicitur. Dicite vulpi illi : Ecce dæmonia eiicio & sanitates perficio hodie, & cras : & die tertia consummor. Veruntamen oportet me ambulare hodie & cras & sequenti die : quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem. *Sup.* 12. Pharisæi autem consilium faciebant, quòd eum perderent : IESVS autem sciens secessit inde : secuti sunt eum multi, & curauit eos [in naui] quæ fuit recedendi instrumentũ, quo citiùs se furori subduceret, & quo non sequi possent [in locum desertum seorsum] Quia enim fuit locus, vtcumque præstabat latendi habitaculum : & quia desertus, vitauit insidiantium Pharisæorum & Scribarum notitiam : & quia seorsum, longè à via, sequestrauit à tortorum notitia. *Marci* 6. Secedite in desertum locum, & requiescite pusillum. *Psalm.* 62. In terra deserta, inuia & inaquosa : sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.

Et cùm audissent turbæ] Secundus est paragraphus. Audiuerunt autem turbæ fortè per nautas, vel per alios commeantes : non enim quæsiuit omninò latere ; sed à loco furoris & frequentia inuidorum Pharisæorum se subducere : desertum enim istud erat iuxta mare Galilææ, quod est Tiberiadis, sicut dicitur *Ioan.* 6. Et erat in finibus Bethsaidæ, sicut dicitur *Marc.* 6. & *Lu.* 9. Qui omnes quatuor Euangelistæ Scribunt istam historiam. Et ideò multitudo maxima de ciuitatibus & finibus illarum ciuitatum ad eum illuc properauit : Et hoc est, quod sequitur [secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus] Et in hoc notatur deuotio in insecutione ; labor in hoc, quòd pedestres : difficultas in hoc, quòd de ciuitatibus: quia illi ex commodis delicatioribus secuti sunt. *Eccl.* 10. Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes quasi seruos super terram 3. *Reg.* 20. Cum præliaretur Achab contra Regem Syriæ, deuicit eum per pedissequos Principum prouinciarum. *Leuit.* 11. dicitur, quòd de volucribus, gradiens quatuor pedibus immundum est. *Amos* 2. Ascensor equi non saluabit animam suam.

Et exiens vidit turbam multam, & misertus est eis, & curauit languidos eorum.

Tertius est paragraphus, in quo quatuor dicuntur aggratulationis videlicet occursus, & beneplaciti siue dilectionis respectus, & misericordiæ affectus, & miseratiopis effectus : Sic enim turbis exortus est per occursum : In tenebris autem existentibus, lumen rectis corde exhibuit per dilectionis respectum, misericors per misericordiæ affectum, & miserator Dominus per miserationis effectum. Et attende, quòd hic non expectat, vt rogetur : quia labor, & deuotio turbarum omnem vincebant postulationem : ideò etiam vltrò occurrit eis. Dicit ergo [Et exiens] de interioribus deserti in occursum turbarum. *Isa.* 64. Occurristi lætanti & facienti iustitiam : in viis tuis recordabuntur tui. Sic enim ex nimio desiderio redemptionis nostræ processit obuiam crucifixoribus. *Ioan.* 18. Vidit turbam multam. *Mar.* 10. Intuitus est eum IESVS, & dilexit eum. *Sup.* 5. Respectus eius in electos eius [& misertus est eis] *Marc.* 6. Exiens vidit turbam multam IESVS, & misertus est eis : quia erant sicut oues non habentes pastorem. Hæc autem misericordia fuit propositum pascendi eos intùs & extrà. *Isa.* 30. Miserans miserebitur tui : ad vocem clamoris tui statim, vt audierit, respondebit tibi [& curauit languidos eorum] *Suprà.* 4. Sanauit omnem langorem, & omnem infirmitatem in populo. *Act.* 10. Pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo : quoniam Deus erat cum ipso.

Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes : Desertus est locus, & hora iam præteriit : dimitte turbas, vt euntes in castella emant sibi escas.

Hæc

Hæc est pars de allegatione discipulorum. Tanguntur hic duo, scilicet, discipulorum accessus, & allegatio. De accessu duo dicit, tempus inducens, & ausum Discipulorum. Tempus inducens est quòd dicit [Vespere autem facto] quia tarditas temporis lassos inuitabat ad requiem [accesserunt ad eum discipuli eius] ausu maioris familiaritatis. *Suprà* 5. Accesserunt ad eum discipuli eius [dicentes] Allegando quatuor loci incongruitatem ad manendum, temporis refectionis transitum: & ideò dimittendas esse turbas, & ad quid dimittantur, assignantes. Dicunt igitur [desertus est locus] *Num.* 20. Cur adduxistis nos in (aliàs ad) locum istum pessimum, qui nec arari potest, nec seri, insuper & aquam non habet ad bibendum [& hora] refectionis [iam] dudum [præteriit] Innuit, quòd sustinuerunt cum ieiunantes vsque ad vesperam, & laborauerunt longiùs venientes. Simile est *Act.* 20. Protraxit autem sermonem Paulus vsque ad noctem [dimitte turbas] In hoc notatur, quòd turba non perebat ire, suspensa ad dulcedinem sermonis. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. *Psalm.* 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. [vt euntes in castella] vicina deserto: castella enim erant loca munita (aliàs minuta) in finibus ciuitatum. Q. d. non poterunt redire hodie ad propria [dimitte] ergo: vt saltem ementes in castellis necessaria, refocillent membra lassitudine confracta [emant sibi escas] *Gen.* 42. Emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia.

Iesvs autem dixit eis: non habent necesse ire: date illis vos manducare.

Hic ponitur discipulorum instructio: & dicuntur tria: primò enim ponit eorum, quæ allegabant exclusionem: secundò imperat discipulis turbarum cibationem: tertiò autem Discipulorum ad hoc ostenditur penuria. De primo dicit [Non habent necesse ire] habentes iuxta se vniuersorum Dominum, de quo dicitur *Rom.* 10. Qui diues est in omnes, qui inuocant eum. 1. *Pet.* 5. Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum; quia ipsi cura est de vobis. *Psalm.* 54. Iacta cogitatum tuum in Domino: & ipse te enutriet [date illis vos manducare] Ecce mandatum, per quod iniungitur discipulis, vt subditis de hoc, quod acceperunt à Domino, procurent pabulum tam spiritus, quàm corporis si necesse fuerit, & facultas adsit. *Eccl.* 29. Orna mensam: & de hoc, quod habes in manu tua, ciba exteros. *Infrà* 24. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Econtra de malè prouidentibus dicitur *Thren.* 4. Paruuli petierunt panem: & non erat, qui frangeret eis. Dominus autem dixit Petro *Ioan.* 21. Pasce oues meas. Hoc intellexerunt Apostoli *Act.* 6. quando pupillos, & viduas, & alios pauperes fideles in suas susceperunt procurationes. 2. *Cor.* 12. Ego quoque libentissimè impendam; & superimpendar ego ipse pro animabus vestris.

Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes, & duos pisces.

Ecce excusatio Discipulorum [Non habemus, nisi quinque panes] *Ioan.* 6. addit hordeaceos [& duos pisces] Sed contrà *Ioan.* 6. Est puer vnus hic, qui habet &c. Et ibi dicitur, quòd Iesvs dixit ad Philippum: vnde ememus panes, vt manducent hi? Responsio, quòd dixit hoc ad Philippum primò: quia specialiter indiguit instructione propter simplicitatem: Et posteà dixit ad omnes, quod continetur hic. Et Philippus respondit primò quod dicit Ioannes: & posteà omnes responderunt, quod hic continetur. In hoc autem, quòd non habebant pro omnibus Apostolis & Discipulis, nisi quinque panes, notatur parcitas eorum in comedendo: Et in hoc, quòd secundum Ioannem erant hordeacei, notatur duritia victus: & in duobus piscibus notatur parum dulcoramenti pro naturæ fragilitate. *Eccl.* 31. Somnus sanitatis in homine parco, dormiet vsque mane: & anima illius cum ipso delectabitur. *Dan* 10. Panem desiderabilem non comedi: & caro & vinum non introierunt in os meum. Piscis autem præbet frigidum dulcoramentum, & non fouet libidinem. *Eccl.* 22. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animo irreuerenti & infrunito ne tradas me.

Secundum mysterium autem, vt dicit *Glo.* sunt quinque panes quinque librorum legis refectiones: & duo pisces Psalmi, qui sunt laudes: & Prophetiæ, quæ sunt futurorum prænuntiationes: quia licet in sensu conueniant, tamen modo differunt. *Luc.* 21. Oportet impleri ea, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Vel forte quinque panes sunt quinque dona Spiritus sancti ad actiuam vitam pertinentia: quæ sunt consilium in dubiis, fortitudo in aduersis, scientia in cauendis vitiis, pietas in communicandis bonis, & timor in fugiendis malis; duo autem pisces dulcorantes totum hoc, sunt duo dona ad contemplationem pertinentia, intellectus in illustratione mentis de auditu cæleste, & sapientia in sapore diuinorum. *Isa.* 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, & dicent; panem nostrum comedemus. Vel quinque panes sunt quinque spirituales refectiones: primus est verbi in auditu. *Sap.* 4. Non in solo pane viuit homo; sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *Sap.* 16. Non natiuitatis fructus pascunt homines: sed sermo tuus, qui pascit omnia, hos, qui in te confidunt, conseruat. Secundus panis est Sacramenti. *Ioan.* 6. Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. *Sap.* 16. Parátum panem de cælo præstiti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Tertius panis est gratiæ, cor ad virtutis robur confortantis. *Psalm.* 103. Panis cor hominis confirmet. Et isti sunt tres panes, quos is, qui venit de via amicus noster, à nobis petit *Luc.* 11. Quartus est panis veritatis in intellectu. *Ecclesiastici* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus. Hic est, de quo dicitur *Prou. vlt.* Panem otiosa non comedit. Non enim datur otiantibus, sed facientibus veritatis intellectus. Quia dicit *Psalm.* 110. Intellectus bonus omnibus facientibus eum. *Psalm* 118. A mandatis tuis intellexi. Quintus est panis refectionis internæ, qui est panis filiorum. *Infrà* 15. Non est bonum sumere panem filiorum &c. *Gen* 49. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.

gibus. Duo autem pisces sunt duæ gratiæ omnia dulcorantes : vna est gustus spiritus, in dulcedine : & altera profectio contemplationis, in veritatis admiratione. Vnus est albus piscis & mundus : & alter est dulcis. *Lu.* 24. Obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Vel dicatur, quòd duo pisces sunt consideratio Passionis Christi & Resurrectionis. Primus est piscis Tobiæ, cuius fel illuminat *Tob.* 11. Alter est piscis in solo litoris inuentus, cuius condimentum est fauus mellis in gloria Resurrectionis.

Qui ait : Afferte mihi illos huc. Et cùm iussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit & fregit, & dedit discipulis panes : Discipuli autem dederunt turbis. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt : Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos: manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis.

Hic agit de miraculi perfectione : & dicuntur duo, scilicet multiplicatio panum, & ministerium discipulorum. Circa multiplicationem panum dicit septem : primum est, quòd præcipit; quòd seminarium pabuli in sistarciis discipulorum ad ipsum referatur, vt ex ipso sufficientiam accipiat. Et hoc notatur per hoc, quòd dicit [Afferte illos huc] 2. *Corinth.* 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Et hoc est contra præsumptionem eorum, qui apud se sufficere multis præsumunt. Secundum est præceptum discumbendi, & modus eorum, qui Dei dona recipiunt. Et hoc est [Et cùm iussisset turbam discumbere super fœnum] Lassis enim turbis profecit Dei benedictio percepto incommodo : simul & in metaphora docens sedendo & quiescendo & carnem subiiciendo debere reficiendi animam. *Isa.* 40. Omnis caro fœnum, & gloria omnis eius quasi flos fœni. Si enim subiiciatur caro, tunc sobriè sumitur cibus corporis, & dignè sumitur cibus mentis, qui per cibum corporis designatur. *Hebr.* 13. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. *Hebr.* 12. Ne quis fornicator aut profanus vt Esau, qui propter vnam escâ vendidit primogenita sua. 3. *Reg.* 19. Sede & comede: grandis enim tibi restat via. Tertium est acceptatio diuina, quod est [acceptis quinque panibus & duobus piscibus] Christus enim accepit, quando refectio ad vires reparandas sic sumitur, vt vires in obsequio Dei exerceantur, & expendantur (aliàs expandantur) Et ideò dicit *Psalm.* 103. Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate : manus enim Christi virtutē habet multiplicatricem virtute in se latentis deitatis, sicut etiam in se manus Dei virtutem creatricem. *Psalm.* 144. Aperis tu manum tuam : & imples omne animal benedictione. *Ioan.* 13. Accepit Iesvs panes &c. Quartum est ad Patrem cælestem sui operis directio, cùm dicit [aspiciens in cælum] *Psalm.* 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Docuit autem & nos ante cibum ad Patrem cælestem quotidianum panem dantem aspicere. *Iob* 2. Antequam comedam, suspiro. Quintum est benedictio cùm dicit [benedixit] Et ignoratur, qua benedictione, vel quo signo benedictionis. 1. *Timo.* 4. Sanctificatur per verbum Dei & orationem. Hoc autem docuit etiam nos, non sine benedictione cibos corporis, vel mentis accipere. *Infrà* 26. Accepit Iesvs panem, & benedixit, ac fregit; deditque discipulis suis. Sextum est, quod dicit [fregit] Cibus enim non bene tota virtute nutrit nisi fractus sit : quia naturæ opus suctione perficitur. Suctio autem magis est de interiori medulla quàm de cortice exteriori : & hoc magis in cibo verificatur mentis, vbi frequenti meditatione & expositione medulla exugitur. *Luc. vlt.* Cognouerunt Dominum in fractione panis. In hoc etiam notatur, quòd non dat panem ad reseruandum : quia ille daretur integer : sed sicut *Supra* 6. dictum est ad vsum quotidianum. *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Septimum quòd ministrorum manibus commendauit : cùm dicit [& dedit discipulis suis] volens eos mereri obsequio & diligentia, & statuere Ecclesiam in ordinibus graduum suorum, quo vnus gratiam Dei dispensatiuè accipiat ab altero & ad hoc significandum per coruos pabulum misit Eliæ 3. *Reg.* 17. Et corui sunt nigri, aut humilitate, aut peccato ministri Christi : quorum tamen est dispensare pabulum turbis Ecclesiarum. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei [discipuli autem dederunt turbis] Istud est obsequium ministrorum *Lu.* 9. Distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas. *Supra* 10. Gratis accepstis, gratis date.

Et manducauerunt omnes] Hic tangitur gratiæ istius abundantia per effectum, & per quantitatem dupliciter, ad multum in cibo, & ad multitudinem manducantium : & hæc tria patent in litera. De effectu dicit [Manducauerunt omnes, & saturati sunt] generaliter acceperunt & effectum satietatis inuenerunt; omnes autem manducauerunt: contra hoc quod dixit Philippus *Ioan.* 6. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Saturati sunt, contra hoc, quod dixit *Ibidem* Andreas: Quid hæc sunt inter tantos? *Psalm.* 77. Manducauerunt & saturati sunt nimis : & desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati à desiderio suo [Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum] Ecce signum abundantiæ in multitudine panis superflui, & piscium. Est autem cophinus vas magnum, quod à dorso portatur ab his, qui purgamenta portant platearum. *Psalm.* 80. Manus eius in cophino seruierunt. Significant autem ea, quæ turba per sensum non attingit : quæ tamen seruantur in capacitate sensus Prælatorum. *Ioan.* 6. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos plenos fragmentorum, ex quinque panibus, & duobus piscibus, quæ superfuerunt his, qui manducauerant [Manducantium autem numerus quinque millia virorum] Ecce signum abundantiæ ex numero comedentium sumptum [exceptis mulieribus] quarum multò maior numerus consueuit

sequi

ſequi prædicationes quàm virorum [& paruulis] Paruuli enim, quia non intelligunt, pauci vgniunt. Sed hic paruuli ſecundum *glo.* accipiuntur, qui ſunt citra viginti annos: illi enim ad bella non procedebant, ſicut dicitur *Num.* 4. Et hoc dicit *gloſſa.*

Et ſtatim compulit IESVS diſcipulos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimiſſa turba, aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto, ſolus erat ibi.

Hic incipit agere de multiplicatione gratiæ noui teſtamenti, reſpectu periculi, quod eſt ex cauſis vniuerſalibus mundi, in cuius ſubuentione generaliter ſe oſtendit & mundi & Eccleſiæ gubernatorẽ, & Liberatorem, & Ordinatorem. Propter quem ordinem, ſpiritualem effectum gratiæ oſtendit Petro. Diuiditur autem hæc pars in partes quatuor, in quarum prima oſtendit, qualiter nauicula cum diſcipulis peruenit in fluctibus ſine eo: in ſecunda oſtendit periculum, & diutinum laborem remigantium, & timoris cauſam: in tertia autem ponit auxilium & vniuerſale & particulare: in quarta miraculi ponit effectum: & hæc patebunt in litera. In prima harum tria dicit, miſſionem ante ſe diſcipulorum, inſtantiam orationis pro ſubditis & redimendis, & quòd ipſo non exiſtente cum homine, neceſſe eſt incurrere periculum.

De primo autem dicit, quòd [ſtatim compulit diſcipulos aſcendere in naui.] Et dicit quatuor, ſcilicet, velocitatem miſſionis, modum, & motum: & quò mittebat eos. Velocitatem, cùm dicit [ſtatim] Cauſa autem fuit, vt ſine mora poſt magna facta ad humilitatem doceret confugere, & laudes de magnis operibus contemnere: & notatur modus miſſionis coactiuus: quia humanæ infirmitati eſt difficile oblatas laudes non acceptare, ſicut dicit *Aug.* Et hoc accipitur ex verbis *Ioan.* 6. vbi dicitur, quòd poſt miraculum panum, turbæ dixerunt: Quia hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. Et vt cognouit IESVS, quia venturi eſſent, vt raperent eum in Regem, iuſſit diſcipulos ſuos aſcendere in nauim, & præcedere eum. Nauicula autem vti fecit diſcipulos, vt citiùs peruenirent, & vt opportunitatem miraculi futuri præſtitueret tam in ſe, quàm in liberatione diſcipulorum [& præcedere eum trans fretum] in Bethſaidam: ſecundum *Marcum* 6. Quia ſicut dicit *Lucas* 10. conſueuerat eos mittere binos & binos in omnem locum & gentem, quò erat ipſe venturus [donec dimitteret turbas] Turba enim ante miraculum deuotè quæſuit eum, & inſeparabiliter adhæſit; ſed poſt miraculum multò fortiùs. *Pſalm.* 62. Adhæſit anima mea poſt te: me ſuſcepit dextera tua. Et ideò oportuit non proiicere cum vituperio, nec fugere ſtatim; ſed oportuit (aliàs opportunè) dimittere ſic inſeparabiliter adhærentem, ſicut Eliſeus Eliæ 4. *Reg.* 2. Viuit Dominus, & viuit anima tua: quia non dimittam te. Et ſicut Iacob Angelo *Geneſ.* 32. Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. *Cant.* 3. Tenui illum, nec dimittam. Alia etiam cauſa fuit, quòd voluit, quòd turbæ viderent, quòd non eſſet cum diſcipulis, nec in alia naui: & ſic contincerentur credere, quòd calcatis vndis trans mare veniſſet: & ſic non Regem hominum quærerent; ſed Dominum & Creatorem mundi ſcirent: & hoc continetur *Ioann.* 6. Et ibi dicitur, quòd diſcipuli præceſſerunt eum in Capharnaum, non in Bethſaidam. Sed dicendum, quòd tam Capharnaum quàm Bethſaida ſunt in eadem ripa & fines vtriuſque ciuitatis deuenerunt expectantes eum.

Et dimiſſa turba aſcendit in montem] Secundum eſt, vbi docet orare: & poſt magna ad Deum confugere, & non de ſe præſumere: & vt nihil orationem perturbet, dimittit turbas. *Gen.* 22. Expectate me hic cum aſino: ego & puer illuc vſque properantes, cum adorauerimus, reuertemur ad vos. *Eccleſ.* 10. Muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Oſtendit etiam orationis effectum, qui ſecundum *Damaſce.* eſt aſcenſus intellectus in Deum: & ideò aſcendit in montem. *Iſa.* 2. Venite, aſcendamus in montem Domini: docebit nos vias ſuas. *Iſa.* 27. Leua orationem pro reliquiis, quæ repertæ ſunt. *Pſalm.* 140. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo; eleuatio manuum mearum. *Thre.* 3. Leuemus corda noſtra cum manibus in cælum [ſolus] dimiſſis etiam intimis: vt liber affectus, & intentio ſimplex ſint cum Domino. *Supra* 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem [orare] Non pro ſe, ſed pro his, qui credebant, & credituri erant in eum. *Io.* 17. Non pro eis autem rogo tantum; ſed pro omnibus, qui credituri ſunt per verbum eorum in me. *Heb.* 5. Preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, in omnibus exauditus eſt pro ſua reuerentia.

Veſpere autem facto ſolus erat ibi] Notat, quòd ipſe ſine diſcipulis erat. Et ideò diſcipuli inutiliter laborabant, & pericula inuenerunt. Notatur autem in myſterio, quòd facto veſpere occaſu ſuæ lucis in Paſſione, ſolus remanſit. *Ioann.* 16. Futurum eſt, vt omnes diſpergamini, & me ſolum relinquatis. Solus eſt etiam ibi, vbi fuit cùm Deo: quia ſolus Chriſtus Patri aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum *Hebr.* 9. Solus etiam eſt, vt liberator ſuorum in Paſſione. *Iſa.* 63. Torcular calcaui ſolus: & de gentibus non eſt vir mecum. Sed literaliter: ſolus ibi erat, vt fidem faceret turbis, quòd poſtcà non nauigio venerat. *Iſa.* 43. Cùm tranſieris per aquas, tecum ero; & flumina non operient te.

Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

Tangit periculum duplex, ſcilicet, tempeſtatis, & terroris, ex viſu Domini & phantaſmatis. De primo dicit [Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus.] Tangit triplicem cauſam periculi tempeſtatis, quarum prima eſt ex prauitate inſtrumenti, quod citiùs ſubmergitur, quàm magna & fortis nauis. Secunda eſt ex impoſſibilitate declinandi: quia erat in medio mari, nec erat diuertere. Tertia fuit ex tempeſtate venti: quia iactabatur: quæ iactatio fit ex multis ventis, in oppoſitum procellas proiicientibus, ita quòd nauis dirigi in ventum non poteſt. *Dan.* 7. Ecce quatuor venti pugnabant

ſant in mari magno. *Sup.* 8. Ecce motus magnus factus eſt in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. *Ionæ* 1. Mare ibat, & intumeſcebat ſuper eos: & nauis periclitabatur conteri. Primum autem horum myſticè eſt paruæ & puſillanimis mentis: ſecundum deſperationis auxilij: tertium autem inſtantis fortiter, & tentantis concupiſcentiæ & paſſionis. *Pſalm.* 54. A puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Et hoc eſt de primo & vltimo. De medio autem 2. *Paral. vit.* Incuruatus ſum multo vinculo ferri: & non eſt reſpiratio mihi. *Pſalm.* 68. Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Et cauſam vltimi aſſignat [erat enim ventus contrarius] illis. *Act.* 27. Miſit ſe contra nauim ventus Tiphonicus, qui vocatur Euroaquilo. *Ionæ* 1. Dominus miſit ventum magnum in mari: & facta eſt tempeſtas magna: & nauis periclitabatur conteri.

Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans ſupra mare.

Hic tangit cauſam perturbationis ex viſu Domini: & tangit tria, quando ſcilicet, & qualiter venit: errorem videntium dicipulorum, & perturbationem: quæ patent in litera. De primo ergo dicit, quando & qualiter venit [Quarta autem vigi. noc.] quando iam vltra quietis tempus laborauerant: & dupliciter laſſati, ex longa videlicet remigatione & forti, & ex ablatione quietis per ſomnum. Vnde *Marci* 6, dicitur, quòd tota nocte laborauerant in remigando. Attende autem, quòd ſecundum diuiſionem graduum æquinoctialis circuli duodecim horæ ſunt noctis: ita quòd quælibet hora duodecim habet gradus æquales. Secundum autem diuiſionem Zodiaci ſex ſunt horæ diei, & ſex horæ noctis: quia ſemper ſex ſigna ſunt ſuper hemiſphærium, & ſex ſubtùs. Sex autem horæ noctis ſunt crepuſculum, conticinium, intempeſtum, gallicinium, antelucanum, & diluculum: ſed duæ iſtarum horarum tenebras (aliàs tenebris) noctis permiſtas habent cum lumine, ſcilicet prima & vltima: & ideò de illis non fit hic mentio. Quatuor autem ſunt perfectarum tenebrarum. Conticinium quidem à conticendo dictum: quia tunc, frigiditate opprimente organa ſenſuum, incipiunt conticere homines: intempeſtum autem, quando tempeſtate congrua profundiſſimus eſt ſomnus: gallicinium autem, quando in prima tenebrarum diuiſione paruis motibus immutantur animalium corpora: & ideò quæ non ſolicitantur circa propria, tunc cantant, & mouentur: antelucanum autem, quando motus lucis, pellere & declinare incipit tenebras tenentes (& à tenendo dictas) & incipit ſomnus attenuari, & ſanguis ebullire ad exteriùs, & ſomnia apparere incipiunt, & ideò etiam antelucanum vocatur. *Marc.* 13. Neſcitis, quando veniat ſero, an media nocte, an gallicantu, an mane.

Tunc ergo [venit ad eos] Et tangit modum [ambulans ſupra mare] *Pſalm.* 76. In mari via tua: & ſemitæ tuæ in aquis multis: & veſtigia tua non cognoſcentur. Et attende, quòd iſtud miraculum eſt vnum de illis, quod dupliciter in toto eſt mirabile: ex parte enim ambulantis non fuit ablata grauitas molis à corpore: & illius eſt mergi: & cùm non mergeretur, fuit ibi actus non merſionis cum impotentia ad eundem, ſicut cùm Virgo, manens virgo, peperit: ſimiliter ex parte aquæ non fuit ablata fluiditas aquæ, cuius eſt ſemper cedere, & circunſtare tangens ſe graue; & tamen hic non ceſſit: & ideò aliud eſt iſtud à diuiſione maris rubri, & diuiſione Iordanis, & diuiſione Eliæ & Eliſei: quia ibi aqua ceſſit, & liberum per ſe tranſitum dedit. Et cedere quidem fuit mirabile; ſed non fuit mirabile per cedentem aquam incedere. Hoc autem in Chriſto demonſtrauit vtramque naturam: diuinam in poteſtate, & humanam in veritate incedentis: & ideò non eſt dicendum, quòd Dominus hic vſum dotis illius aſſumpſerit, quæ eſt agilitas: ſicut nec aſſumpſit vſum ſubtilitatis, ſiue ſpiritualitatis in Natiuitate. In his omnibus vera & incontradicibilia demonſtrantur filij Dei, ſecundum vtramque naturam: Et eliduntur hæreſes Marchionis & Manichæi, & Arrij, & aliorum, qui Chriſtum aut phantaſticum in humanitate, aut ſimplicem creaturam ſine deitate mentiti ſunt fuiſſe, vel eſſe.

Et videntes eum ſupra mare ambulantem, turbati ſunt dicentes: quia phantaſma eſt. Et præ timore clamauerunt.

Tangit terrorem, primò quidem in communi: quia non æſtimantes de eo aliquid, tunc inconſideratè in tenebris ſuprà mare ambulans apparuit (quod puri hominis non eſt) Propter quod putabant eſſe phantaſiam, hoc eſt, apparentiam hominis, & non exiſtentiam; ſed aliquem eſſe ſpiritum mare perturbantem: ſimile *Luc.* 24. Conturbati & conterriti æſtimabant ſe ſpiritum videre. Effectus autem iſtius cauſæ eſt triplex, turbatio quidem in rationis titubatione: timor in fuga cordis ſecundum ſyſtolen: & clamor confuſus pro auxilij deſtitutione: & hæc ſunt plana in litera. Dicit enim [Turbati ſunt] Hæc etiam turbatio fuit orta: quia, ſicut dicitur *Mar.* 6. Oſtendebat ac ſi vellet præterire eos, non quòd finxerit Chriſtus; ſed vt oſtenderet, quales eſſent, eo prætereunte. *Iob* 23. A facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum timore ſolicitor. *Iob* 4. Stetit quidam, cuius non agnoſcebam vultum, imago coram oculis meis. Et cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili capitis mei. Et hoc eſt, quod dicit [dicentes quia phantaſma] Si quæritur, quare timuerunt id quòd phantaſma eſſe putauerunt: dicendum, quod putabant eſſe phantaſma quoad vmbram corporis; ſed non quoad rem: quia putauerunt ſpiritum malignum eſſe mare commouentem. *Iob* 41. Feruefcere facit profundum maris, quaſi cùm vnguenta bulliunt [& præ timore clamauerunt] Hic tangit duo ſimul. *Abach.* 3. Audiui, & conturbatus eſt venter meus: ad vocem contremuerunt labia mea. *Ionæ* 1. Timuerunt nautæ, & clamauerunt ad Deum in fortitudine.

Statímque Iesvs locutus eſt eis dicens: habete fiduciam, ego ſum, nolite timere.

Ecce confortatio communis diſcipulorum: & tangit duo, ablationem terroris ex viſu ſuo, & conſolationem Petri. De primo dicit tria, velocitatem auxilij per hoc, quòd [Statim locu. eſt] *Iſa.* 30. Statim vt audierit, reſpondebit tibi.

Secundò

Secundò inducit fiduciam, dicens [habete fidu.] *Ierem.* 17. Beatus vir, qui confidit in Domino : & erit Dominus fiducia eius. *Io.* 15. Confidite, quia ego vici mundum. Tertiò aufert timorem : & dicit duo, causam scilicet, non timendi, cùm dicit [ego sum] *Genes.* 17. Ego sum, & ponam pactum meum tecum. *Exod.* 3. Ego sum, qui sum : quia idem ipse sum in mutationibus tempestatum, vel apparitione terribilium, non paueas. Et hoc est, quod dicit secundò [nolite timere] 2. *Paral.* 20. O Iuda & Ierusalem, nolite timere, neque paueatis. *Io.* 14. Non turbetur cor vestrum, neque formidet : creditis in Deum, & in me credite.

Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad IESVM.

Hic incipit eruditio & comfortatio Petri, qui specialiter illa indiguit, sicut Princeps Ecclesiæ, & vertex Apostolorum : & dicuntur hic tria, scilicet, quod debetur feruori fidei, & quod debetur pusillanimitati fidei, & quod congruit liberatori. Quod autem debetur feruori fidei, est petitio, exaudisio, & effectus in opere petitionis & exauditionis. Primum est, quod dicit [Domine, si tu es &c.] Et in hoc dicit tria, scilicet, professionem Domini, inquisitionem personæ, & petitionem actus similis ei, quem ipse exercuit. De primo dicit [Domine] *Esther.* 13. Domine, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tuæ [si tu es] idem in persona, qui demonstraris in potestate : & notatur dilectio Petri, quod etiam ad alium, qui eiusdem esset operis cum Christo non iret : & ideò non ad ambulantem supra mare iret, nisi Christus esset : & hoc est, [Si tu es] *Phil.* 2. In nomine Domini omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum. Et respondet ad hoc, quòd dixit : Ego sum [iube me venire ad te su. aq.] Dabis enim voci meæ vocem virtutis, & in verbo tuo potero, quod tu poteris per te ipsum. Nec est temeritatis : quia instructio fuit mundi gubernatoris, qui non in vna nauicula veniret; sed totum mundum gubernans, Vicarius Christi perfectus esse probaretur. *Ecclesiastes* 8. Sermo illius potestate plenus est. Nec fuit istud tentatio; sed futurorum præsignatio [At ipse ait : Veni] Concessio, siue exauditio petitionis. *Prouerb.* 10. Desiderium suum Iustis dabitur. *Io.* 15. Quodcumque volueritis, peetis, & fiet vobis [& descendens Petrus de nauicula] feruore spiritus accensus, non cogitans de periculo tempestatis in præsentia Saluatoris. Simile autem fecit. *Io. vlt.* Vbi cùm à Ioanne audiuisset, quia Dominus est, qui stabat in litore; tunica succinxit se, & misit se in mare : alij autem discipuli nauigio venerunt. Feruor enim Petri acutus fuit valdè, & omnia tentare ausus fuit in præsentia Saluatoris. Hinc est, quòd multitudinem capientium Christum inuadens, amputauit seruo auriculam. Et *Infrà* 26. dixit. Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire. Et multa fecit, & dixit talia. Hoc autem competit vertici Apostolorum Vicario Domini, qui mundi debuit suscipere gubernacula, sicut diximus.

Videns autem ventum validum timuit: & cùm cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine, saluum me fac.

Secundum est, quod debetur pusillanimitati fidei : Petrus enim licet feruenter diligeret; minus tamen dilexit constanter, & minus sapienter. Vnde probari debuit, vt sibiipsi sua innotesceret debilitas. Tangit autem causam timoris, tentationem, & effectum timoris, clamorem cum crescere periculum, & orationem salutis. De primo dicit [Videns autem ventum validum] venientem. Sed quomodo est hoc, quòd modo videt ventum, cum per totam noctem ventus fuerit? Responsio: Ventus, qui magis est periculosus in mari, est ille, qui non est continuæ exufflationis: & ille venit in nube post nubem : & talis nouæ exufflationis vidit ventum venientem. *Iob* 1. Ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos [timuit] Sic Elias primò Achab audacter occurrens, & Prophetas Baal occidens. 3. *Reg.* 18. Postea fugiens timuit Iezabel 3. *Reg.* 19. Sic & Moyses timuit Pharaonem, & fugit *Exod.* 2. Et Dauid Absalonem 2. *Reg.* 15. Omnes enim illi insufflari fuerunt spiritu dæmonis, & cor ipsorum quasi mare feruens, quod quiescere non potest. *Isa.* 57. [& cùm cœpisset mergi] grauescente periculo, *Psalm.* 68. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me [clamauit dicens] *Ionæ* 2. Clamaui ad Dominum de ventre inferi : & exaudiuit me [Domine saluum me fac] *Psalm.* 68. Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. 2. *Paral.* 20. Cùm ignoramus, quid agere debeamus : hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.

Et continuò IESVS extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitasti? Et cùm ascendisset in nauiculam, cessauit ventus. Qui autem in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè filius Dei es.

Ecce quod congruit liberatori respectu sui Vicarij : Citò enim & potenter subuenit, & efficaciter, & vtiliter ad eruditionem. Citò : & ideò dicit [& continuo] *Esther.* 13. Si decreueris saluare Israel, continuò liberabimur. Potenter; & ideò dicit [IESVS extendens manum] 2. *Pet.* 2. Nouit Deus pios de tentatione eripere *Isa.* 45. Protegat te dextera iusti mei. Similiter *Suprà* 8. Extendens manum misericordiæ tetigit leprosum dicens : Volo, mundare. *Prouerb.* 31. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem [apprehendit eum] *Suprà* etiam. 8. Apprehensa manu socrus Petri, dimisit eam febris. Et ideò dicit *Paulus Phil.* 3. Sequor, si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum. Et in hoc notatur efficacia salutis : & sequitur vtilitas ad eruditionem [Et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti.] Non enim tunc habuit fidem, sicut granum sinapis, quod quantò plus teritur, magis redolet *Infrà* 17. *Suprà* 8. Quid timidi estis, modicæ fidei? Deprehensus est enim Petrus, qui insipienter feruebat, minus constanter diligere [& cùm ascendisset

ascendisset in nauiculam, cessauit ventus] Hoc est, de perfectione miraculi. *Psal.92.* Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. *Sup. 8.* Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? *Psalm.106.* Dixit,& stetit spiritus procellæ. *Eccl. 43.* In sermone eius siluit ventus. *Tob.5.* Post tempestatem tranquillum facis: & post fletum & lacrymationem, exultationem & gaudium infundis.

Qui autem in nauicula erant] Ecce miraculi effectus. Fuerunt autem in nauicula nautæ, & fortè aliqui magis familiares [vene.] deuotione fidei [& adorauerunt eum] latria. *Psalm.94.* Venite, exultemus Domino &c. *Isa.45.* Te adorabunt,& te deprecabuntur. Sed contrà *Ioan. 6.* dicitur, quòd voluerunt eum accipere in nauim: & statim nauis fuit ad terram. Dicendum, quòd iuxta terram fuit: & ideò intrando statim applicuerunt [dicentes, verè filius Dei es] *Is.11.* Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui. *Infrà 16.* Tu es Christus filius Dei viui. *Io.1.* Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Sic ergo completa est pars de gratia liberationis in periculo.

Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesar. Et cùm cognouissent eum viri loci illius,miserunt in vniuersam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salui facti sunt.

Hic incipit agere de multiplicatione gratiæ ad curationes infirmitatum: & tanguntur quatuor, scilicet, loci congruitas: secundum, curatorum generalitas: tertium est curandi facilitas: & quartum salutis efficacia: & hæc patent in litera. Dicit ergo [Et cùm transfretassent] vltra stagnum [venerunt in terram Genesar] hoc est, adiacentem illi stagno, vbi Bethsaida Tiberiadis, & Capharnaum, ad quos fama miraculorum crebrò peruenerat: & ideò locus deuotioni turbarum congruus erat. *Marc. 6.* Cùm transfretassent, venerunt in terram Genesareth,& applicuerunt[Et cum cognouissent eum viri loci illius] quòd scilicet, illuc venerat. Et dicit [viri] quia fœminea leuitas citò ad vtrumlibet mouetur: sed viri constantis animus non mouetur nisi ex magnis causis. *Io.10.* Ego cognosco meas, & cognoscunt me meæ [miserunt in vniuersam reg. illam] Vt sit generalitas ex parte locorum, vnde veniunt; & obtulerunt ei omnes malè habentes, vt sit generalitas ex parte infirmorum. *Supra 4.* Obtulerunt ei omnes malè habentes variis langoribus, & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant & lunaticos & paralyticos: & curauit eos. *Mar. 6.* Cum egressi essent de naui, continuò cognouerunt eum: & percurrentes vniuersam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui malè habebant,circumferre, vbicunque audiebant esse eum [& rogabant eum] Et in hoc ostenditur deuotio fidei [vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent] In hoc notatur curandi facilitas. *Sup. 9.* Si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero. *Psal. 132.* Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti [& quicunque tetigerunt] Salutis notatur efficacia [salui facti sunt] Tactus autem hic perficitur, fide operante per dilectionem. *Luc. 8.* Tetigit me aliquis: nam & ego cognoui virtutem de me exisse. *Marc. 6.* Quicunque tangebant eum, salui fiebant. Actiua enim est salutis caro Saluatoris, sicut actiuus est ignis combustionis. *Zacha. 8.* Apprehendent fimbriam vnius viri Iudæi ex omnibus linguis dicentes: Ibimus vobiscum: audiuimus enim, quoniam Deus vobiscum est. Et sic perficitur gratiæ multiplicatio.

CAP. XV.

Tunc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisei dicentes: Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas, cum panem manducant.

Hic incipit agere de veritatis euangelicæ auctoritate (aliàs de veritate euangelicæ auctoritatis) Et ideò in duas partes diuiditur, in quarum prima veritatis huius probatur auctoritas, traditioni hominum & ceremoniis legis anteponenda esse: in secunda verò, quia tantæ est auctoritatis, ostenditur esse promulganda: & deuiando tam ad gentes, quàm ad Iudæos *Ibi* [Et egressus Iesvs secessit] Adhuc prior harum diuiditur in duas partes, in quarum prima modo historiæ inducitur quæstio de hoc facta: & in secunda per determinationem illius ostenditur quod dictum est. In quæstione autem ponitur dolus quærentium: auctoritas ex professione: & auctoritas ex loco ex parte quærentium: & postea subinfertur ipsa quæstio, quæ duo continet, dolosam reprehensionem, & reprehensionis apparentem rationem: & per hoc patet diuisio. Dicit ergo [Tunc] in eodem tempore liuore tacti ex fama miraculorum, & quòd Regem vellent eum constituere: & sic ipsorum minueretur auctoritas, vel reprimeretur. [accesserunt] in dolo, ac si parcendo verecundiæ Christi nollent arguere eum in publico. *Infrà 18.* Argue eum inter te & ipsum solum [ad eum] quasi dilectionem simulantes. *Infrà 16.* Accesserunt ad eum Pharisæi & Sadducæi tentantes eum [ab Ierosolymis] Ecce auctoritas ex loco. Ierosolymis enim erat summa potestas: & his,quibus summa rerum credita erant: & fortè erant missi ad inueniendam occasionem contra eum: vel vt explorarent de fama, quæ peruenerat ad eos.Simile est *Io.1.* Cùm audissent famam Ioannis Baptistæ, miserunt ad eum ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas,vt interrogarent eum:Tu quis es? [Scribæ & Pharisæi] Ecce auctoritas ex professione sapientiæ & religionis, qui scirent inuestigare, & reuelli (aliàs repelli) non possent ex vitæ dignitate. *Dan.13.* Egressa est iniquitas à senioribus populi, qui videbantur regere populum.

Quare discipuli tui] Ecce quæstio in fronte reprehensionem continens. Qu. di. Discipuli tui sunt: culpa eorum in te retorquetur: Qualis enim rector ciuitatis, tales & qui habitant in ea *Ecclesiast. 10.* Transgrediuntur] quasi vilipendentes [traditiones] Traditio est statutum, obseruationem

uationem aliquam præter legis auctoritatem continens[seniorum]quorum cani sunt sensus, & eorum standum est ordinationi de omnibus. Non fuerunt autem illi senes de Patriarchis & Prophetis: quia illorum obseruationes in Canone scripturæ scriptæ sunt; sed sunt de his, de quibus dicitur *Dan.13.* Inueterate dierum malorum. *Sap. 4.* Ætas venerabilis & non diuturna, neque numero annorum computata: cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Et isti sunt, de quibus dicitur *Isa. 10.* Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias scripserunt: vt opprimerent in iudicio pauperes: & vim facerent causæ humilium populi mei.Hi enim omnia statuerunt ad anaritiam propriam, immiscentes aliquid de exteriori cultu & munditia: vt iniquitatem, quæ erat in aliis statutis obumbrarent. Et huius argutæ interrogationis subiungunt rationem dicentes [Non enim lauant manus, cùm panem manducant] Volebant autem hanc traditionem extrahere ab eo, quod dicitur *Leuit. 15.* Lauetur aqua, qui contrahit immunditiam. Errantes & non intelligentes scripturas: quoniam hoc, sicut & alia ceremonialia ad instructionem, dictum est *Isa. 1.* Lauamini,mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab ocalis meis. *Isa. 52.* Mundamini, qui ferris vasa Domini. *Mar. 7.* pleniùs ista dicuntur sic: conuenerunt Pharisei, & quidam de Scribis ab Ierosolymis venientes: & cùm vidissent quosdam de discipulis eius communibus manibus manducare, vituperauerunt. *Et post paucæ:* Pharisei enim nisi crebrò lauent manus,non manducant,tenentes traditiones seniorum. Et tunc demum formant sic quæstionem: Quare non ambulant discipuli tui secundum traditiones seniorum; sed communibus manibus manducant?

Ipse autem respondens ait illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?

Hic ex responsione determinat auctoritatem veritatis euangelicæ omnibus humanis esse anteponendam:& hoc tripliciter,ex auctoritate,ex pietate, & ex veritate: quæ omnia patebunt in literæ expositione. Ex auctoritate probat, per quæstionem econtrario factam: ex auctoritate simul & pietate,in ostensione exempli:ex auctoritate,pietate, & veritate,in declaratione veritatis ad turbas. Dicit ergo primò[Quare & vos]Qui ex loco summæ potestatis estis, & omnia debetis posse pro veritate, & nihil aduersus veritatem 2.*Cor.13.* secundum potestatem meam,quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram. Et hoc,quia estis Ierosolymitæ. Vel [& vos] qui sapientiæ habetis clauem,nec ipsi intratis,nec alios intrare finitis.Et vos Pharisei, qui mundatis quod de foris est calicis & paropsidis: & interiora vestra plena sunt dolo *Infrà 23.* [transgredimini mandatum Dei] Dupliciter: quia videlicet traditiones præter Dei mandata facitis: & quia contraria,quæ cum Dei mandatis stare non possunt,facitis.De primo *Deu. 4.* Non addetis ad verbum, quod loquor vobis,nec auferetis. *Deu.12.* Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas. De secundo ipse Dominus arguit *Infrà* Mandata Dei, quæ promisistis implere. *Exod. 24.* Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus: & erimus obedientes. *Rom. 10.* Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere: iustitiæ Dei non sunt subiecti. Similiter *Infrà 21.* Cum quærerent in qua potestate hæc faceret, per contrariam quæstionem confutauit. Similiter *Ia. 8.* Cum de iudicio adulteræ quærerent, econtra iudicij reatum similem in eos retorquens confutauit.

Nam Deus dixit: honora patrem & matrem: Et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.

Hic incipit ostendere veritatem euangelicam per pietatem, quam continet, esse traditionibus anteponendam,& etiam legi: & in pietate etiam est auctoritas: & facit tria. Primò enim ostendit pietatem euangelicam in concordia ad pietatem naturæ & legis scriptæ: secundò ostendit impietatem traditionis ipsorum: tertiò conuictos de pietate arguit ex prophetia Isaiæ. Pietatem in concordia ad legem naturæ & scriptam ostendit: assignando duas leges, vnam affirmatiuam in bonis conferendis, & alteram negatiuam & prohibitiuam in remouendis malis. De prima dicit [honora patrem & matrem] Et intelliguntur hic tria exhibitio honoris, causa, & necessitas. Exhibitio honoris est triplex: in obedientia honestorum, in reuerentia, & vt in statu honesto teneantur. Obedire enim oportet parentibus in honestis: & ideò filius contumax, qui monita patris non audit, lapidatur *Deut.21.* Reuerentiam etiam oportet in signo exhibere. *Hebr.12.* Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Quòd autem teneantur in statu honesto secundum facultatem filiorum, hoc intelligitur, quia si subtrahantur eis necessaria, cum filij habeant vnde ministrent, exponuntur turpendæ mendicationis & paupertatis, quod est inhonestum. Et ideò *glo.* dicit honorari eos, quando necessaria ei ministrantur.Causa autem est auctoritas quam habent in esse filiorum: parentes enim causa filiorum sunt, & auctores. Necessitas verò, quia crescente virtute in filijs, decrescit in parentibus: & ideo indigent isto honore, & illi possunt hoc exhibere. *Eccl. 3.* Honora patrem & matrem, vt superueniat tibi benedictio à Domino. *Tob. 4.* Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius [& qui maledixerit] *Leuit. 20.* Et est determinatio pœnæ in eum, qui contraria huic honori parentum: & sic intelligitur prohibitum [patri, vel matri, morte] culpæ [moriatur] & morte pœnæ. *Proverb. 30.* Oculum, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ, hoc est, suspendatur in patibulo, & exponatur auibus deuorandum. Hoc igitur dixit Deus, quod præterire non licet, & omnis humana traditio ad hoc implendum debet obsequi.

Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri, Munus, quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.

Facit mentionem traditionis humanæ:& ostendit esse contrariam pietati diuinæ : & tertiò conuincit ex hoc in irritum eos reuocare mandatum Dei. De primo dicit [Quicunque dixerit Patri, vel ma.] Casus traditionis est talis. Aliquis vouit oblationem Deo & Sacerdotibus de bonis suis,non valens Sacerdotibus offerre , & parentibus subuenire simul , sed sufficiens ad alterum: Venit hæc quæstio ad Sacerdotes , ad quos omne dubium referebatur. Statuerunt illi , quòd votum esset tenendum , & parentibus non subueniendum : quia votum soluere apud Deum esset maior subuentio parentum , quàm temporalium administratio : & si votum non solueretur propter parentes, ex hoc Deus permitteret in egestatem cadere parentes : & hoc fecerunt , vt suæ per hoc consulerent auaritiæ : quia partem habebant in sacrificiis : & non propter amorem cultus diuini. Non aduertentes : quoniam si iam esset oblatum , pauperibus esset erogandum in necessitate. Sicut Dauid esurienti oblati sunt panes propositionis comedendi : qui tamen de necessario prouisionis parentum non erant oblati : & hoc est , quod dicit [vos dicitis] quòd filij dicant parentibus necessaria petentibus ab eis [munus] sacrificij , vel voti [quodcunque est ex me] hoc est , quodcunque per me offertur [proderit tibi] O pater , vel mater : & ideò æquanimiter sustine: quia magis tibi prodest apud Deum , quàm si ipsum tibi porrigerem. Vel interrogatiuè legatur sub eodem sensu. Sic tibi proderit hoc ? Nunquid tibi proderit ? Quasi diceret. Non proderit. Quia ruina est homini deuotare Sanctos , & post vota retractare *Prouerb.* 20. & *Prouerb.* 28. Qui subtrahit aliquid à patre suo , vel matre , & dicit hoc non esse peccatum , particeps homicidæ est. [Et non honorificabit] arguit : quia cum mandato Dei hoc stare (aliàs facere) non potest [&] ideò [non hono. patrem suum , vel ma.] Cum tamen dicatur *Act.* 5. quòd obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et *Philosophus* , quòd oportet magis obedire diis quàm humanis legibus , si dissentiant. Et vlteriùs arguit [& irritum fecistis manda. Dei propter] tradendam aliàs tenendam traditionem vestram] *Prouerb.* 30. Ne addas quidquam verbis illius , & arguaris , inueniarisque mendax.

Hypocritæ , bene prophetauit de vobis Isaias , dicens : Populus hic labiis me honorat;cor autem eorum longè est à me. Sine causa autem colunt me : docentes doctrinas & mandata hominum.

Redargutio est conuictorum per prophetiam eius, qui maximæ fuit auctoritatis in prophetia:& quia accesserunt quasi deferentes , vt occultè arguerent , dicit [hypocritæ] Et ideò etiam , quia tam diligentes erant insidiando, vt dum non inuenirent in Magistro quid reprehenderent , quæsierunt in discipulis:& non inuenientes in Dei mandatis, conuerterunt se ad traditiones seniorum : & in his non inuenerunt nisi in corporali & exteriori munditia. Dicit ergo [hypocritæ] pro omnibus his *Infrà* 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ [bene prophetauit de vobis Isaias] Propheta 29. [dicens. Populus hic labiis me honorat] Cum *Psalm.* 49. dicat : Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras iustitias meas , & assumis testamentum meum per os tuum : tu verò odisti disciplinam &c. Et sic honorauerunt *Infra* 22. Magister scimus , quia verax es , & viam Dei in veritate doces [cor autem eorum longè est à me] *Ierem.* 12. Prope es tu ori eorum , & longè à renibus eorum. *Roma.* 16. Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium [Sine causa] ante oculos [colunt me] quia tale obsequium non remunero. *Supra* 6. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. *Psalm.* 72. Qui elongant se à te , peribunt [docentes doctrinas] quoad falsas legis Dei interpretationes [& mandata hominum] quoad traditiones suas. Hæc autem litera est Septuaginta. Nostra enim sic habet. Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me : cor autem eorum longè est à me , sine causa colunt me : tenuerunt enim me mandato hominum & doctrinis. Homo enim doctrinam ex se facere non potest : quia omnis homo mendax, vt dicit *Psalm.* 115. & *Roma.* 3. Similiter ex se traditionem iustam & bonam facere non potest , cum dicat *Psalm.* 13. quòd non est iustus quisquam , non est intelligens , non est requirens Deum , &c. Et *Luc.* 11. Vos cùm sitis , &c. Et *suprà* 7. Ideò iste ergo cultus iniquus , falsus & malus , & mandatis Dei contrarius sine causa est : quia remunerationem non meretur,

Et conuocatis ad se turbis , dixit eis : Audite , & intelligite : Non quod intrat in os , coinquinat hominem : sed quod procedit ex ore , hoc coinquinat hominem.

Hic incipit in doctrina gratiæ præcellentem ostendere veritatem supra doctrinas hominum in lege , & super traditiones in faciendis : & habet tres partes , in quarum prima perspicuam palam omnibus ostendit veritatem : in secunda dicit hanc non dimittendam esse propter scandalum : & in tertia non intelligentibus eam adhibet expositionem : & hæc patent in litera. In prima harum tria facit , palam loquitur , excitat attentionem, & liquidam proponit veritatem. Vt enim palam loquatur dicit [Et conuocatis ad se turbis] Implens hoc , quod *sup.* dixit 10. Quod in aure auditis , prædicate super tecta. Quasi diceret : Pharisæi mihi susurrant ad aurem : quia qui malè agit, odit lucem, *Ioann.* 3. Ego autem omnibus manifestè dico : quod enim omnes tangit , omnibus proponendum est [Audite] obediendo [& intelligite] veritatem discernendo [Audite] contraditiones [& intelligite] contra doctrinas hominum. *Eccl.* 3. Auris bona cum omni concupiscentia audiet sapientiam. Vos ergo turbæ deuotæ audite, & intelligite,non Scribæ & pharisæi. *Prou.* 3. Abominabilis est Domino omnis illusor , & cum simplicibus sermocinatio eius. [Non quod in os intrat , coinquinat hominem] Ratio autem hæc est : quia quod in os intrat ab exteriori , mouetur in hominem : & ideò si hoc coinquinaret, sequerentur duo inconuenientia, vnum est , quod creatura Dei bona non esset , cum scriptum sit *Genes.* 1. Vidit Deus cuncta , quæ fecerat , & erant valde bona. 5. *Timoth.* 4. Omnis

creatura Dei bona , & nihil immundum , quod cum gratiarum actione percipitur. Secundum inconueniens esset , quòd homo coinquinaretur inquinatione culpæ non de suo opere , vel dicto , vel cogitatione : quod iterum falsum est : quia peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Et attende , quod hic totus ille ciborum discretorum modus , qui *Leuit.* 11. continetur , à doctrinis hominum ad doctrinam Spiritus Dei est reuocatus , vt spiritualiter intelligatur , & non carnaliter. Et hoc Petro significatum est *Act.* 10. Quod Deus purificauit tu commune ne dixeris.Et per consequens omnia ceremonialia à doctrinis humanis ad veritatem spiritus sunt reuocata. *Act.* 15. Vnde etiam cum coram Apostolis quæstio magna fieret de his : indicauerunt hæc in nouæ gratiæ populo non esse tenenda [sed quod procedit de ore , hoc coinquinat hominem] Sicut enim id,quod inuenit homo polluto & corrupto humore permistum, immundum est : ita illa , quæ ex corruptione hominis ab intùs procedunt , immunda sunt. Est autem os exterius , quod loquitur ea , quæ in spiritu vocis formata sunt : spiritus autem ille corporeus formam , quæ est intentio verbi, accipit à spiritu incorporeo , qui est in corde : & ille est primum os determinans omnia cogitanda & loquenda & agenda : & de hoc ore intelligitur , quod hic dicitur : & illius organum est os exterius:& quicquid procedit ab illo ore polluto & corrupto , immundum est , sicut vomitus. *Tit.* 1. Coinquinatis , & immundis nihil est mundum , sed polluta sunt mens & eorum conscientia. *Suprà* 13. Malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. *Psalm.* 9. Non est Deus in conspectu eius : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. *Hebr.* 12. Neque radix amaritudinis sursum germinans impediat , & per illam inquinentur multi.

Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei : Scis quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt.

Hic ostendit , quòd veritas etiam offendens aliquos non est dimittenda propter offensam (aliàs offensionem) eorum. Et dicit duo , obiectionem scandali factam à discipulis : & determinationem obiectionis. Dicit ergo [Tunc accedentes discipuli eius] Et causa quæstionis est,vel admonitionis : quia & ipsos discipulos adhuc carnaliter legi adhærentes tetigit istud , sicut & Pharisæos : & ideò obiiciunt scandalum [dixerunt ei] quasi in alios causam dicti referentes [Scis] qui omnia nosti, antequam fiant [quia Pharisæi] carnaliter obseruantes [audito hoc verbo] cum insidiatores huc missi sint ab Ierusalem [scandalizati sunt] hoc est offensi , & impingunt in ipsum tanquam accusatione dignum. Et dicunt scandalizati passiuè deferentes Magistro,qui non scandalizauit , licet illi scandalizentur. *Isa.* 59. Impegimus in meridie quasi in tenebris.

At ille respondens ait:Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt , & duces cæcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet , ambo in foueam cadunt.

Hic determinat obiectionem : & primò per generalem propositionem , quæ ostendit remouendas esse doctrinas , & mandata hominum ; secundò autem dicit , quod sinendi sunt esse in scandalo cæci hoc non videntes, quia propter hominem non est præiudicandum veritati : tertiò tangit nocumentum , quòd prouenit ex hoc , quòd veritas non videtur : & hæc patent in litera. Dicit igitur. [Omnis plantatio] quæ est quasi superexcrescentia arboris , quæ est sicut doctrina hominis , in falso , vel carnali intellectu : vel traditio contra pietatem existens [quam non] secundum spiritum [plantauit] intùs in radice veritatis & pietatis [Pater meus cælestis] qui agricola est , vt dicitur *Ioan.* 15. Et plantat aliquandò per se , aliquando per ministrum , vera in credendis , & pia in faciendis. *Isa.* 60. Germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum. *Eccl.* Dixi : rigabo hortum plantationum,& inebriabo partus mei fructum. Per ministrum autem 1. *Cor.* 3. Ego plantaui , Apollo rigauit , Deus autem dedit incrementum. Et de Christo , qui plantat, vt dispensator & filius *Isa.* 51. Posui verba mea in ore tuo : sub vmbra manus tuæ protexi te , vt plantes cælum , & fundes terram. Ista ergo non eradicabitur , sed quam Deus non plantauit , sed homo per se , & de suo : illa [eradicabitur] *Iob* 15. Non dilatabitur, neque perseuerabit substantia eius , nec mittet in terram radicem. *Sap.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum collocabunt. Manichæus autem dicens duos plantatores , quod hic dicitur , sine causa allegat : quia plantatio , quæ eradicatur , plantata hic dicitur ab homine , non in fundamento veritatis & pietatis : & hoc fit libero arbitrio hominis, qui mendax est, sicut antè diximus : & ideò fundamentum veritatis stabilis ex se non habet.

Sinite eos] in scandalo : quia [cæci sunt] nolentes videre [& duces cæcorum] quos venire ad veritatem impediunt. Sinere autem eos dicit duo , scilicet , quod permittantur in turbatione , ne præiudicium fiat veritati : & quod vitentur in imitatione erroris. *Apoc.* 22. Qui in sordibus est , sordescat adhuc. *Psalm.* 80. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum : ibunt in adinuentionibus suis. *Luc.* 22. Sinite vsque huc, cæci sunt. *Isa.* 42. Quis cæcus nisi seruus meus ? *Isa.* 56. Speculatores eius cæci omnes duces cæcorum *Rom.* 2. Confidis teipsum ducem esse cæcorum , lumen eorum , qui in tenebris sunt eruditorem insipientium , magistrum infantium : qui ergo alium doces, teipsum non doces.

Cæcus autem si cæco ducatum præstet] Tangit nocumentum , quod incurritur , quando non lucidè veritas docetur [ambo in foueam] peccati & damnationis [cadunt] *Isa.* 24. Formido, & fouea , & laqueus super te qui habitator es terræ. *Psalm.* 7. Incidit in foueam &c. *Psal.* 93. Beatus homo, quem tu erudieris , Domine , & de lege tua docueris eum : vt mitiges ei à diebus malis , donec fodiatur peccatori fouea. *Iob* 40. Demerge facies eorum in foueam.

Respondens autem Petrus dixit ei : Edissere nobis parabolam istam : At ille dixit , adhuc & vos sine intellectu estis ? non intelligitis , quia omne , quod in os

intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, & & blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.

Hic liquidè explanat promulgatam veritatem. Et dicit duo, inquisitionem Petri, & explanationem Christi. Et explanatio Christi duo continet, scilicet partem intrantium non coinquinàntium, & exeuntium & coinquinantium: & per hoc patet diuisio. Dicit ergo [Edissere nobis parabolam istam] Detentus enim carnali intellectu legis putabat Christum parabolicè loqui, qui doctrinas de cibis reuocauit ad nouæ gratiæ veritatem [At ille dixit] explanando. Et primò ponit increpationem, dicens [Adhuc & vos] post tot audita, & visa & exposita, quibus datum est nosse mysterium regni Dei *Sap.* 13. [sine intellectu] veritatis [estis] *Psalm.* 81. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ [Non intelligitis quia omne, quod in os intrat] ab intrinseco [in ventrem vadit] & ideò non pollnit [& in secessum emittitur] Secessus vocatur omnis porus per totum corpus siue manifestus, siue occultus, per quem purgatur corpus, siue per resolutionem superfluitatis siccæ, siue per resolutionem superfluitatis humidæ, siue per sudores, siue per euaporationes, siue per sorditiem omnium pororum fiat.

Et attende, quod dicunt Rabanus & Beda fratres, quòd quidam arguunt Dominum hic tanquam physicæ disputationis ignarum, quòd dixerit totum, & omne nutrimentum transire per secessum, & nihil in naturam corporis conuerti: & ideò quidam nihil omninò de physicis scientes, volunt consolari locum istum, & maiores dicunt abusiones, quas physici magis derident, quàm hoc, quod hic dicitur. Dicunt enim quòd in veritate nihil de nutrimento transit in humanam naturam; sed nutrimentum facit in ea, quod plumbum facit in camino cum auro: dicunt enim, quòd defendit aurum ab incendio: & sic nutrimentalis humor defendit veritatem (aliàs vitam) humanæ naturæ, & non conuertitur in ipsum; sed ipsa in se multiplicatur ad sui esse, & ad sui quantitatem. Et hoc deridet omnis physicus homo magis quàm primum. Et in hoc, quod nituntur euadere inciderunt. Ad quid enim oportet fieri tot expensas pro cibis à quia secundum hoc, omnis cibus æqualiter conueniens est corpori, si nullus incorporatur: quia non accipitur nisi vt humor resistens calori. Adhuc: Ille humor aut resistit calori, inquantum contrarius, aut inquantum conueniens? Si inquantum contrarius, tunc pro cibo & potu homini sufficit ad vitam aquæ potus maximè, & erit maximè delectabilis: si inquantum est conueniens, hoc erit mirabile, quòd conueniens resistat. Detur tamen eis secundum hoc viuere homo delectabiliter potatus solo oleo: & hæc sunt absurda, & non prouenium nisi ex procaci ignorantia, quæ se scire contendit, cum nihil sciat. Dicamus igitur, quòd siquis bene interiùs sciat physicam, Domini sermones non habent dubitationem: quoniam *Aristo.* probauit in 1. de generatione, quòd caro materialis influit continuè, & effluit in id quo nutritur animal quodcumque: Caro autem nutrimentalis tota est caro dicta secundum materiam: ergo tota & omnis influit per cibum, & effluit per secessionem. Et tamen in medio influxus & effluxus est vera materia corporis: & hoc non negat Dominus. Caro autem dicta secundum materiam, est quæ tantum ad supplementum vacuitatum corporis. De hac autem resurget, quod satis est ad staturam resurgentis, sicut etiam dicit de capillis, *August.* in 22. de *Ciui. Dei* Et si non sit in aliquo (sicut in pueris) quod satis est: de ista supplebitur ab opifice: & sicut diximus de carne, ita est de aliis membris similibus: & hæc est sententia *August.* Et secundum hoc nihil dubietatis est in litera. Qui enim dicunt hoc tantùm esse de veritate humanæ naturæ, quod apparebit in resurrectione, licet verum dicant aliquo modo; tamen non satis dicunt: hoc enim est de veritate humanæ naturæ, de quo aliquando possum dicere: hæc est vera & verè natura humana: & hoc possum dicere de omni materia demonstrata sub forma hominis: sed hoc non est de veritate humanæ naturæ, sine quo verior est humana natura, quàm cum ipso: Sicut est corruptio, & senectus, & huiusmodi, quæ ex peccato acciderunt: & per hoc patet solutio omnium.

Quæ autem procedunt de ore] primo interiori, quod informat os exterius secundum infectionem (aliàs imperfectionem) oris, sunt immunda: & ideò immundant. Et hoc est, quod sequitur [de corde exeunt] Et intelliguntur exire non aliunde deuiata; sed de propriis cordis prodire conceptibus, & affectibus: quia non semper diabolus hoc immittit, sed sunt partus proprij cordis [& ea coinquinant hominem] Ab immundo enim quid mundabitur? & à mendaci quid verum dicetur? *Ecclesiast.* 34. Et exemplificat illa per actus cordis & operis, & locutionis, in maioribus ponens exemplum: & hoc est [De corde enim exeunt] tanquam ex fonte, vel instrumento diaboli: bona enim non exeunt de corde, sed ex Deo. *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine. *Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. 2. *Cor.* 3. Non sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. Quæ autem de proprio fundo (aliàs ore) cordis exeunt, sunt [cogitationes malæ] quoad ea, quæ sunt cordis [homicidia, adulteria, fornicationes, furta] Quoad opera nocentia proximo in substantia corporis, quoad esse indiuidui [homicidia] Et secundum nocumentum illatum in coniuncto sibi ad sustentationem speciei [adulteria] & quoad solum concubitum in corpus peccantem [fornicationes] Et secundum nocumentum illatum in his, quæ data sunt in solatium infirmitatis sustentandæ [furta] & Quoad peccatum grauius in verbo contra proximum [falsa testimonia] In quibus intelligitur mendacium & periurium, & maius, quod est in verbo contra Deum [blasphemia] de qua *Sup.* 12. dixit: quod non remittitur in hoc sæculo, neque in futuro. [Hæc] igitur & his similia [coinquinant hominem] ex propriis hominum actibus accipientes causam coinquinationis.

Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem] sicut superiùs explanatum est: quia sicut dicit *Chrysost.* sæpe transibant sata fricantes spicas, vbi aqua non fuit ad lauandum, & sæpe agebant in desertis, vbi aqua non fuit. Et sicut dicit *August.* Nimius appetitus munditiæ corporalis sordes inducit mentis: & ablutio corporis nihil penitùs confert ad munditiam mentis. Vnde *Ierem.* 2. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith: tamen maculata es coram me, dicit Dominus. Et Poëta de Helena:

Si fueris lota, si vita sequens bona tota:
Non eris ignota, non eris absque nota.
Passa modò Paridem, Paridem modò testa per idem.
Es futura fidem, ne redeas in idem.
Rumor de veteri faciet ventura timeri.
Crau poterunt fieri turpia, sicut heri &c.

Et egressus inde Iesvs secessit in partes Tyri & Sidonis.

Probata auctoritate, pietate, & veritate Euangelicæ veritatis, tangit hic demonstrationem illius veritatis in primitiis ad gentes primò, & posteà in conuersione vltima ad conuersionem Iudæorum in parte sequenti *Ibi* [Et cùm transisset inde Iesvs, venit secus mare &c.] In prima harum, in qua præsignatur transitus fidei ad gentes, tria continentur, in quorum primo ostenditur opportunitas salutis transferendæ ad gentes, & in secundo probatio fidei & deuotionis gentium, & in tertio commendatio cum effectu salutis. In prima offertur & petitur, in secunda probatur & approbatur, in tertia autem commendatur & efficitur: & hæc patent in litera. In prima tanguntur duo, oblatio per appropinquationem Christi, & petitio per orationem mulieris.

De primo horum tanguntur tria, recessus ab obstinatis, cùm dicit [Et egressus inde Iesvs] à loco, in quo dolosi erant Iudæi & Scribæ & Pharisæi ab Ierusalem venientes. *Matth.* 21. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *Act.* 10. Statim postquam dictum est Petro, quòd nihil commune dicat, quod Deus sanctificauit, mittitur ad Cornelium, qui fuit gentilis: & hîc statim post reprobationem discretionis ciborum Dominus vadit ad gentes [secessit] secundum est, quòd occultè iuit declinans calumnias tentantium. Simile *Suprà* 14. Vbi secessit propter Herodem [in partes Tyri & Sidonis] Tertium est, quo iuit: Tyrus enim & Sidon ciuitates sunt gentilium, de quibus *Suprà* 11. Quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim pœnitentiam egissent. *Act.* 20. dicitur, quòd Tyri & Sidonij cum omni gaudio receperunt verbum. Sed cum *Suprà.* 10. dixerit: In viam gentium ne abieritis, quare modò in propria persona vadit? Dicendum quòd ipse suo mandato non obligatur. Vel dicendum melùs, quod non vadit, vt prædicet, vel maneat, quod suprà prohibuit: sed occasione præfigurandæ salutis gentium, in commendatione fidei gentibus (aliàs gentilibus) in comparatione ad infidelitatem Scribarum & Pharisæorum, quod non prohibuit. Attende autem, quòd dicit in partes, & non in ciuitates: quia confinia tantùm intrauit. Et egressus iste à Iudæis, sicut *Gen.* 12. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, dicit pater ad filium in typo Abrahæ. Secessit autem in partes, & non in totum: quia Tyrus angustia, & Sidon venatio: & est angustia mala, quæ est culpæ: & est angustia bona, quæ est pœnæ ex misericordia assumptæ: & hanc partem Christus assumpsit, & non totam. Similiter est venatio mala, de qua dicitur *Eccl.* 13. Venatio leonis, onager in eremo, hoc est, Nemroth: & est venatio bona, de qua *Ierem.* 16. Mittam eis venatores, & venabuntur eos. *Gen.* 27. Cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, vt comedam: & benedicat tibi anima mea: quæ est in capta siluestrium pecorum: & hanc Christus intrauit, cum se gentibus obtulit. Sic repulsi Paulus & Barnabas ab obstinatis *Act.* 13. dixerunt: Quia repellitis verbum, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes.

Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa.

Secundum est primæ partis, vbi tangitur ex parte gentium petitio salutis: & tanguntur hic tria ex parte mulieris gentilis, scilicet, sexus, patria, & deuotio. Sexus, cùm dicit [Et ecce mulier] Sexus fragilis facilè seducibilis: modò masculinum sibi ingerens animum, sicut dicitur 2. *Machab.* 7. Et ideò suprà modum mirabilis. *Ruth* 3. Scit omnis Israël mulierem te esse virtutis. Originem autem tangit in communi, & in speciali. In communi [Chananæa] Quia terra dicitur Chananæa, aut quia de dispersione fuit Chananæorum expulsorum à filiis Israël, cùm sorte terram acciperent. Congruit autem, quia mutata fuit à veteri vita in nouam religionis fidei conuersationem. *Eph.* 4. Renouamini spiritu mentis vestræ &c. *Isa.* 19. Erunt quinque ciuitates loquentes lingua Chananæa, & iurantes per Dominum exercituum. In speciali etiam tangitur [à finibus illis] malæ angustiæ, & malæ venationis [egressa] per pœnitentiam. *Gen.* 19. Egredimini de loco isto, & ne steteritis in omni circa regione.

Clamabat dicens ei: Miserere mei, Domine, fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.

Hîc tangit qualis fuit in petitione: & dicit duo, intentionem deuotionis, & rationabilitatem orationis. De intentione deuotionis dicit [Clamabat] Non tam alta voce oris, quàm magna cordis deuotione. *Exod.* 14. Quid clamas ad me? *Ierem.* 33. Clama ad me, & ego exaudiam te [dicens] Non confuso clamore, sed dicens quid petat. *Rom.* 12. Rationabile sit obsequium vestrum [Miserere] Tangit petitionem, & in hac petitione quædam ex parte sui, quædam ex parte filiæ proponit, hoc est, ex parte orantis compassionem, & pietatis naturalis affectum: ex parte eius quem orat, confitetur maiestatem deitatis per fidem, & misericordiam humilitatis per assumptam ex Dauid humanitatem: ex parte autem eius, pro qua orat, naturalis vinculi obligationem; mali, quod patiebatur, intolerabilitatem, vexantis impietatem, doloris acerbitatem.

Dicit ergo primùm ex parte sui compassionem [Miserere]

[Miserere] quia iam misera sum, alienam passionem meam estimando. *Esai.* 36. Miserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum [mei] quia pietate naturali ad hanc compassionem me obligasti faciendo matrem. *Isa.* 49. Nunquid potest obliuisci mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Deinde subiungit ea, quæ sunt ex parte eius ad quem orat, dicens [Domine] In cuius ditione cuncta sunt posita, qui vitæ & mortis habes potestatem *1. Esther* 13. [Fili Dauid] ex natura sciens compati. *Hebr.* 4. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. *Hebr.* 2. Debuit per omnia fratribus similari: vt misericors fieret. Ex patre autem habens ignoscendi facilitatem, qui in manibus habens inimicum dimisit & fugit, improperia sibi conuitiantem prohiberi noluit, suum persecutorem deplanxit 1. *Reg.* 24. & 26. & 2. *Reg.* 1. *Marc.* 10. Miserere mei, Fili Dauid. *Supra* 9. Miserere nostri, fili Dauid. *Matth.* 21. Osanna filio Dauid [filia m.] Allegat ex parte eius, pro qua rogat, oblationis naturalis necessitatem [filia m.] carnaliter, & magis spiritualiter. *Gal.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 2. *Cor.* 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? [malè] intolerabiliter. *Thren.* 1. Videte, si est dolor similis, sicut dolor meus? *Suprà* 8. Domine, malè torquetur à dæmonio. *Ierem.* 6. Crudelis est, & non miserebitur. *Ierem.* 24. Dabo eos in vexationem vniuersis regnis terræ. Et hoc est, quòd dicit [vexatur] *Isa.* 19. Tradam Egyptum in manu Dominorum crudelium.

Qui non respondit ei verbum: & accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: dimitte eam, quia clamat post nos.

Hic tangitur probatio mulieris per tria, scilicet, per dissimulationem, abnegationem, & exprobrationem: & mulieris approbatio per longanimitatem, & instantissimam obsecrationem, & humilitatis exprobratæ recognitionem, & confessionem: & hæc patent in litera. In primo horum tangitur dissimulatio longanimiter (aliàs longanimitatis) clamantis primò, postea supplicatio discipulorum. Dicit ergo [Qui non respondit ei verbum] vt omnibus ostenderet longanimitatem. *Habac.* 1. Vsquequo clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? *Cant.* 5. Vocaui, & non respondit mihi [Et accedentes discipuli rogabant eum] tanquam acceptiores, pro quibus exaudiat [dimitte eam] hoc est, absolue nos ab ea [quia clamat post nos] importunè instando. 2. *Timot.* 4. Insta opportunè, importunè. *Luc.* 18. Oportet semper orare, & non deficere. *Isa.* 62. Qui reminiscimini Deum, ne taceatis, & ne detis silentium ei. Videtur autem secundum ea, quæ hic dicuntur, quòd Dominus fuit in via. *Marc.* autem 7. sic dicitur. Cùm introisset IESVS in domum, venit mulier, cuius filia habebat spiritum immundum, & procidit ad pedes eius. Ad hoc autem dicendum, quòd primò fuit in via, & secuta est in domum, & ibi nolens exaudire coram Iudæis, exiuit in viam iterum: & tunc discipuli dixerunt, quæ hic dicuntur. *Isa.* 19. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis.

Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël.

Hic tangitur abiectio (aliàs obiectio). [Non sum missus] à Patre per me in persona [nisi ad oues] errantes, simplices & pios ex Iudæis conuertendos [domus] hoc est, familiæ [Israël] cuius semen totum est benedictum: sed opportuno tempore transibo ad gentes per Apostolos: & tunc erit tempus ista, quæ petis, perficiendi: quia modò Sacramenta salutis in Iudæa perficio: eo quòd salus ex Iudæis est. Et dixi vobis *suprà* 10. In viam gentium ne abieritis. Et hoc est [non sum missus] *Isa.* 61. *Luc.* 4. Ad Euangelizandum mansuetis misit me, vt mederer contritos corde. Mittitur enim deceptis veritas, errantibus via, mortuis vita. *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas & vita. [nisi ad oues, quæ perierunt] 1. *Pe.* 2. Eratis enim quasi oues errantes; sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum. *Ioan.* 11. prophetauit, quòd IESVS moriturus esset pro gente, non tantùm pro gente; sed vt filios Israël, qui dispersi erant, congregaret in vnum. *Luc.* 15. Nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam.

At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me.

Contra abiectionem (aliàs obiectionem) proponit humillimam adorationem, & instantissimam petitionem, & fidei appropinquationem, quæ per dilectionem operatur, de qua dicit [At illa venit] *Ioan.* 4. Venit, mulier ad hauriendum aquam ex fonte misericordiæ [& adorauit eum] latriæ adoratione. *Isa.* 60. Venient ad te curui filij eorum, qui te humiliauerunt. *Isa.* 45. Te adorabunt, & te deprecabuntur [dicens; Domine] qui solus habes immortalitatem, & lucem habitas inaccessibilem 1. *Tim.* 6. [adiuua me] *Esther.* 14. Domine mi, qui Rex noster es solus, adiuua me solitariam, nullum aliud habentem auxilium, nisi in te, Domine. *Psalm.* 78. Adiuua nos, Deus Salutaris noster. Non sicut dixit ille *Marc.* 9. Si quid potes, adiuua nos misertus nostri. Et ideò respondit ei Dominus: O generatio mala, quamdiu ero vobiscum, quamdiu patiar vos? Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti: at ille dixit: credo, Domine, adiuua incredulitatem meam.

Qui respondens ait: non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

Hic tangitur exprobratio mulieris. [Non est bonum] hoc est, non est adhuc tempori opportunum [sumere panem filiorum] promissum filiis, de quibus dicitur *Osee* 11. Ex Ægypto vocaui filium meum. *Exod.* 4. Filius meus primogenitus Israël. [Panis] autem est salus parata per doctrinam, & gratiam Euangelij. *Gen.* 49. Aser pinguis panis eius, & præbebit Regibus delicias. *Isa.* 30. Panis frugum tuarum erit vberrimus, & pinguis [& mittere canibus] hoc est gentilibus,

qui

qui canes ſunt per idololatriæ voracitatem. *Iſa. 56.* Canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem. *Sup. 7.* Nolite ſanctum dare canibus.

At illa dixit : Etiam , Domine : nam & catelli edunt de micis , quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.

Opponit exprobrationi humillimam improperij recognitionem , & adhibet petitionis rationem : Vnde dicit [etiam Domine] Q. d. Canis ſum : ſaluum per omnia eſt verbum tuum. 2. *Pet.* 2. Canis reuerſus ad ſuum vomitum. Tamen & ſi verè (aliàs vera) catula ſum : tamen non peto modò ſalutem communem gentis meæ ; ſed vnius miſerere filiæ, cui hoc opportunum eſt concedere. [Nam & catelli] quibus inter communes canes non paratur refectio. [edunt] Non præparationes communes ; ſed [de micis] reliquiis gratiæ [quæ cadunt de menſa] in qua ſunt præparationes communes [Dominorum ſuorum] filiorum Iſraël , quibus iſte panis paratus eſt : & eſt , ac ſi dicat : Iſta filia mea ſi deberet expectare ſalutem communem gentium , citiùs morietur , quàm conſequatur:& ideò quædam reliquiæ gratiæ per ſeipſum in eam deriuentur. Hoc ſignificatum eſt *Ruth* 2. Quæ gentilis iuit in agrum Iudæorum, & recollegit ſpicas, quæ effugere poterant metentium manus.

Tunc reſpondens IESVS , ait illi : O mulier , magna eſt fides tua ; fiat tibi ſicut vis. Et ſanata eſt filia eius ex illa hora.

Hic ponitur commendatio, & exauditio. Vnde [ait illi : O mulier] Sexum tangit , vt mirabilius ſit , & commendabilius [magna eſt fides tua] *Sup.* 8. Non inueni tantam fidem in Iſraël. Fides enim viuit per opera , quantitatem accipit per dilectionem. *Lu.* 7. Dimittuntur ei peccata multa : quoniam dilexit multum. [Fiat tibi ſicut vis] Non ponit metam , quæ in fide terminum non habuit, quin ſuper omnia veritati diuinæ crederet. *Prouer* 10. Deſiderium ſuum Iuſtis dabitur. [Et ſanata eſt filia eius ex illa hora] dabit voci ſuæ vocem virtutis. *Ioan.* 4. Cognouit autem , pater quia illa hora erat, in qua dixit IESVS: filius tuus viuit : & credidit ipſe , & domus eius tota.

Et cùm tranſiſſet inde IESVS , venit ſecus mare Galilææ , & aſcendens in montem ſedebat ibi. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ habentes ſecum mutos , cæcos , claudos , debiles , & alios multos : & proiecerunt eos ad pedes eius.

Receptis primitiis gentium , quas in fide parentis ſanauit , non corporali præſentia veniens (ſicut & Eccleſia recipit paruulos) redit ad Sacramentorum perfectionem in Iudæa, vbi fuit corporali præſentia , ſignificans , quòd veræ reliquiæ Iſraël conuertentur in fine,& omnis Iſraël ſaluus fiet , poſtquam plenitudo gentium intrauerit. Et tangit inducentia ad fidem,quorum vnum eſt malorum ablatio per indulgentiam ſanitatum : & alterum bonorum omnium collatio per bonorum Domini conuiuationem. Circa primum tria dicuntur , male habentium oblatio, eorundem curatio , & ex perfecta ſanitate turbæ gratulatio. In oblato tangit ex parte Dei , cui offerebantur, locum, altitudinem virtutis figuraliter oſtendentem, Chriſtum in poteſtate benefici quieſcentem: ex parte offerentis turbæ , fidei acceſſum , infirmorum compaſſionem , diuerſitatem infirmitatum , oblationis modum : & hæc , per ordinem in litera dicuntur , ſicut patet cuilibet.

Ex parte ergo eius, qui ſanabat, dicit [Aſcendens in montem] vt ex loco altitudinem ſuæ poteſtatis demonſtraret. *Ierem.* 31. Benedicat tibi Dominus , pulchritudo iuſtitiæ, mons ſanctus. *Sup.* 5. Videns autem IESVS turbas aſcendit in montem [ſedebat ibi] hoc eſt, in poteſtate benefici quieſcebat : quia ſibi dulce eſt benefacere. *Prou.* 8. Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. *Suprà* 5. Cùm ſediſſet, docebat eos [& acceſſerunt] Acceſſus eſt fidei ex parte offerentium [ad eum] per deuotionem [turbæ multæ] Sed quare turbæ *Sup.* 5. non poterant aſcendere in montem tunc ; nunc autem aſcendunt ? Reſponſio. Quæ à principio minùs deuotæ , & minùs ferventes non ita laborare ad Chriſtum voluerunt, ſcandendo montes , ſicut poſtea fecerunt : Excitatæ ſapientia , beneficiis , & miraculis [habentes ſecum] plus in corde per compaſſionem , quàm in comitatu per ſocietatem. *Rom.* 12. Idipſum inuicem ſentientes , & gaudere cum gaudentibus , & flere cum flentibus [mutos] Diuerſitatem tangit infirmitatum. Muti ſunt corpore , & mente à laude Dei. *Ezech.* 3. Eris mutus , nec quaſi vir obiurgans. Qui autem muti ſunt , frequenter etiam ſurdi ſunt. *Lu.* 11. Erat IESVS eliciens dæmonium , & illud erat mutum. [& claudos] in via Dei vno pede ambulantes per fidem , & alio curto claudicantes per prauam operationem. 3. *Reg.* 18. Vſquequo claudicatis in duas partes [cæcos] *Iſa.* 59. In tenebris ambulauimus , ac palpauimus , ſicut cæci ad parietem : & quaſi abſque oculis attrectauimus [debiles] toto corpore ex defectu virtutis operatiuæ. 2. *Reg.* 4. Vir confuſionis debilis fuit pedibus [alios multos] *Luc.* 6. Virtus de illo exibat , & ſanabat omnes. *Pſalm.* 102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis , qui ſanat omnes infirmitates tuas , qui redimit de interitu vitam tuam , qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.

Et curauit eos ; ita vt turbæ mirarentur , videntes mutos loquentes , claudos ambulantes , cæcos videntes : & magnificabant Deum Iſraël.

Ecce ſalutis perfectio. *Lu.* 13. Dæmonia eiicio, & ſanitates perficio [Ita vt turbæ mirarentur.] Hic ponitur turbæ congratulatio ; & tangit antè admirationem poteſtatis, & cauſam admirationis, quæ eſt perfectio ſanitatis : & tertiò magnificentiam laudis : & hoc eſt , quòd dicit [ita vt turbæ admirarentur] *Suprà* 9. Admiratæ ſunt turbæ dicentes:Nunquam apparuit ſic in Iſraël. *Iuan.* 7. Vnum opus feci ; & omnes miramini : quia totum hominem ſanum feci in Sabbato. Et ſequitur cauſa admirationis [videntes mutos loquentes] *Iſa.* 35. Aperta erit lingua mutorum , & lingua

lingua balborum velociter loquetur & planè [& claudos ambulantes] *Isa.* 35. Saliet sicut cervus claudus. *Act.* 3. Consolidatæ sunt bases eius, & plantæ eius: & exiliens sterit, & ambulabat [cæcos vid.] *Isa.* 35. Aperientur oculi cæcorum [& magnificabant] Ecce magnificentia laudis [Deum Israël] cui promissus est Christus. *Psalm.* 33. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum. *Luc.* 7. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suam.

IESVS autem conuocatis discipulis suis, dixit.

Postquam remouit impedimenta per curationes infirmitatum, impendit beneficia per procurationes refectionum. Tanguntur autem hic quinque per ordinem, primum est instructio discipulorum, secundum misericordia calamitatum, tertium prouocatio discipulorum ad similia, quartum impensum beneficium, quintum gratuita dimissio turbarum. De primo dicit [IESVS autem conuocatis discipulis dixit] Conuocauit, vt instrueret ad similia, & exemplum daret quòd magni minoribus sua cõmunicent consilia, & viso miraculo confirmarentur ad pericula. De primo *Ioan.* 13. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. De secundo *Eccl.* 32. Omnia fac cum consilio: & post factum non pœnitebis. De tertio 1. *Timo.* 4. Exerce teipsum ad pietatem.

Misereor turbæ: quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent quod manducent: & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.

Ecce misericordia in die laborantium: & tangit quinque, misericordiæ affectum, causam miseriæ ex longa perseuerantia cum Christo, defectum ciborum, bonam voluntatem Christi in subuentione, causam subuentionis in viæ labore. De primo dicit [Misereor turbæ.] *Suprà* 14. Vidit turbam multam, & misertus est eis. *Marc.* 6. Vidit turbam multam, & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem.

Quia triduo iam perseuerant mecum] Attendentes ad sermonem instructionis meæ: & siquid portauerint, iamdudum consumptum est. Triduum autem est confessionis, compunctionis, & satisfactionis: vel fidei, illuminationis, & perfectæ cognitionis. *Esther.* 4. Non comedatis, & bibatis tribus diebus, & tribus noctibus. *Exod.* 5. Ibimus viam trium dierum in solitudinem ad sacrificandum Deo nostro. 1. *Reg.* 30. Refocillatus vir Ægyptius, qui non comederat tribus diebus, & tribus noctibus. *Iosue* 2. Exploratores ad montana conscendentes, manserunt ibi tribus diebus, & tribus noctibus. Et quia fortè discipuli possent dicere, quòd procuranerunt sibi portari necessaria de villis vicinis, addit [& non habent quid manducent] *Suprà* 6. Nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus, & quid bibemus &c? Scit enim Pater vester cælestis, quia his omnibus indigetis [& dimittere eos ieiunos nolo] quia iam consortio sermonis virtutem habentes, postea separati sentirent defectum. Volo ergo eos confortare per cibum. *Act.* 9. Cùm accepisset cibum, confortatus est. *Act.* 27. Et cum hæc dixisset, sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium, & cùm fregisset, cœpit manducare. Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumpserunt cibum. 3. *Reg.* 19. Surge, comede: grandis enim tibi restat via [ne deficiant in via] separati à mea præsentia, quæ modò facit eos non sentire defectum. *Marc.* 8. additur: Quidam enim ex eis de longè venerunt. 2. *Reg.* 16 dixit Siba ad Dauid Regem: Domine mi Rex, asini domesticis Regis, vt sedeant: panes & palathæ ad vescendum pueris tuis: vinum autem, vt bibat siquis defecerit in deserto.

Et dicunt ei discipuli: Vnde ergo nobis in deserto panes tantos, vt saturemus turbam tantam? Et ait illis IESVS: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos pisciculos. Et præcepit turbæ, vt discumberent super terram.

Hic non admonent discipuli, vt dimittatur turba sicut superiùs, tum quia ista deuotior: tum quia iam experti erant, quòd pasceret: & expectabant voluntatem Domini [Vnde ergo nobis in deserto] *Suprà* 14. Desertus est locus [panes tantos] *Ioan.* 6. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt, vt vnusquisque modicum quid accipiat [Vt saturemus turbam tantam] Hoc dicunt ignari quid velit: quia aliquando cibos fecit emere *Ioan.* 4. [Et ait illis] Instruens eos in (alias de) miraculo. Quia id quod habebant, seminarium fuit, vnde multiplicati sunt panes, sicut *Suprà* 14. propter duas causas, quarum vna fuit, vt se ostendat auctorem creaturarum: Ideò enim non creat nouas, sed vtitur pro semine antiquis, & eas multiplicat, opus suum fundans in opere Creatoris, & in hoc confundens Marichæum. *Ioan.* 5. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Alia, vt sic præsignaret formam, quam tenere debent Doctores, qui expositores vocantur sacræ scripturæ: qui de hoc, quod est in sacculis Prophetarum, & Apostolorum, multiplices sensus debent eruere, & non instruere de suo aliquid nouum. Vnde subdit [Quot panes habetis] Sic *Elias* 3. *Reg.* 17. farinam viduæ multiplicauit. *Sic Elisæus* panes oblatos multiplicatos obtulit filiis Prophetarum 4. *Reg.* 6. [Dicunt ei septem] Hi sunt septem spicæ pulchræ & plenæ, pullulantes in Christo, sicut in culmo vno, ad omnem Ægypti sustentationem & mundi sufficientes *Gen.* 41. Et possunt aptari septem pœnitentiæ partibus. 2. *Corinth.* 7. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed vindictam. Tristitia enim est de peccati pœnitentia, quod licet transeat actu; tamen manens reatu potens est: solicitudo est angustia de cauendo futuro malo: defensio autem est contra tentationem & libidinem peccati: quia pœnitentia est præterita mala deplangere, & eorum suggestionibus aditum vlteriùs non indulgere: indignatio autem est, quando homo sibi irascitur, & punit se, quia commisit malum: timor autem est fuga mali ad præsidium sapientiæ Dei; desiderium

desiderium autẽ & æmulatio est amor proficiendi: vindicta autem est per condignam satisfactionem delicti emendatio. *Eccl.* 20. Est qui multa mala redimat modico pretio, & restituat ea in septuplũ. Hæc sunt septem sigilla libri *Apoca.* 5. & 6. Vel quia non dicitur, quòd isti fuerunt hordeacei panes, dicamus, quòd sunt septem refectiones in bonis Dei, quorum primum est bonum in genere, secundum bonum circunstantiæ inductiuum & generatiuum virtutis, tertium est bonum virtutis politicæ, quartum bonum virtutis theologicæ, quintum bonum doni sancti Spiritus, sextum bonum fructus spiritus *Gal.* 5. septimum est bonum beatitudinis *Sup.* 5. His septem panibus per septem vitia deperditum restituitur: septiformis Spiritus acquiritur: septem gradibus templum ascenditur *Eze.* 40. Septem spirituum (qui in conspectu throni Dei sunt) societas acquiritur *Apoca.* 1. *Tob.* 12. [& paucos pisciculos] Paucos dicit, vt notetur virtus multiplicantis in multitudine: & paruos designat, vt eiusdem potentia cognoscatur respectu magnæ saturitatis: & notatur in hoc dulcoramentum humilis sapientiæ Sanctorum, qui reficiuntur in sapientiæ dulcedine. Hæc enim ante patriam parua est, raptim data, & pauca est impediente huius mundi turbatione plurima. *Luc.* 1. Solicita es, & turbaris erga plurima. Post resurrectionem autem erit rete plenum magnis piscibus centum quinquagintatribus.

Instructis autem sic Discipulis [præcepit turbæ, vt discumberent super terram] omnia terrena sibi subiicientes requiescerent, nõ oppressi aliquo terreno affectu, requie veritatis mentem inclinarent: & stramentum mollis fœni in concupiscibilibus carnis non desiderarent, sicut *suprà* 14. Et in hoc notatur fides & obedientia turbarum: quia non discumberent nisi refici crederent. *Suprà* 11. Ego reficiam vos. *Luc.* 22. Edatis & bibatis supra mensam meam in regno meo. *Isa.* 5. Pascentur agni iuxta ordinem suum: & deserta in vbertatem versa aduenæ comedent. Quia ad literam, in deserto factum est istud conuiuium.

Et accipiens septem panes & pisces, & gratias agens fregit, & dedit Discipulis suis: & Discipuli dederunt populo.

Instructis Discipulis, & dispositis turbis, sequitur doni Dei exhibitio: primò in facto auctoris, secundò in ministerio Discipulorum, tertiò in refectione turbarum, quæ per ordinem in litera. Quinque autem sunt in facto auctoris: acceptio, quæ est coniunctio ad virtutem multiplicatricem: materia accepta panis & piscium; gratiarum actio ad Patrem: fractio ad comedentium facultatem: fracti panis ministratio Discipulis, ad officij eorum institutionem simul & instructionem. Dicit ergo [Et accipiens] vt tactu manus fieret multiplicatus panis, & virtutem acciperet diuini saporis, & condimentum. *Psalm.* 144. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. [septem panes] *Isa.* 55. Quare appenditis argentum vestrum non in panibus: & laborem vestrum non in saturitate? 1. *Corinth.* 10. Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est [& pisces] *Marci* 8. Et habebant pisciculos paucos, & ipsos benedixit [& gratias agens] Deo Patri. *Iac.* 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum [fregit] *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum. *Luc.* 24. Cognouerunt eum in fractione panis [& dedit Discipulis suis] *Ierem.* 1. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes & regna [Discipuli autem dederunt turbæ] hoc est, ministerium Discipulorum. *Suprà* 10. Gratis accepistis, gratis date. *Luc.* 6. Date, & dabitur vobis.

Et comederunt omnes, & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt, quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres. Et dimissa turba ascendit in naviculam, & venit in fines Magedan.

Tangit hic coniuantium refectionem in quatuor, in generalitate, in saturitate, in superabundantia, in comedentium numerositate. Dicit ergo [Et comederunt omnes] *Proverb.* 9. Comedite panes, quos proposui vobis [& saturati sunt] *Psalm.* 21. Edent pauperes, & saturabuntur: & laudabunt Dominum. *Isa.* 23. Comedent vsque ad saturitatem. *Psalm.* 77. Manducauerunt, & saturati sunt nimis; & desiderium eorum attulit eis &c. *Proverb.* 20. Aperi oculos tuos, & saturare panibus. [& quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas] Superabundantia est. Et attende, quòd *Suprà* 14. duodecim superfuerunt secundum numerum distribuentium. Hic autem septem secundum numerum panum distributorum: quia & ministri secundum facultates proprias, & secundum materiam recipiunt abundantiam: vel septem sportæ sunt septem abundantiæ scripturæ, in historia quoad rerum gestarum veritatem: in allegoria de ædificantibus ad fidem: in tropologia de conuertentibus ad morem: in anagogia de ducentibus in æternorum contemplationem: in disputatione quoad inquisitionem subtilium: & hi exteriùs oblati: interiùs autem est intellectus cælestium, & sapor diuinorum, qui sunt sportæ colligentes fragmenta & continentes ea [Erant autem, qui manducauerunt, quatuor millia hominum] Quadrati ad virtutis stabilimentum ex quatuor cardinalibus reductis in intellectuales & heroicas & contemplatiuas, & diuinas perfectiones [extra paruulos & mulieres] Quorum tamen, vt præsumitur, maior fuit ibi numerus, sed ad bella Domini non numerantur *Num.* 4. Et sic expletum est, quod est de gratiæ euangelicæ multiplicatione [Et relictis turbis] vt exemplum humilitatis ostenderet, sicut *Suprà* 14. Ascendit in montem solus orare [Ascendit in naviculam] vt citiùs à laudantibus recederet [Et venit in fines Magedan] *Marc.* 8. dicitur Dalmanutha, quia binomius erat locus.

CAP. XVI.

Et accesserunt ad eum Pharisai & Sadducai tentantes: & rogauerunt eum, vt signum de cælo ostenderet illis.

AB hoc loco incipit agere de potestate, qua Prælati ordinantur ad subditos: & habet partes duas, in quarum prima est ipsius potestatis determinatio & collatio: & hoc in isto capitulo, & sequenti continetur. Et in secunda determinatur vsus, qui incipit in 23. Prima autem habet partes duas, in quarum prima tangit potestatem secundum ea, in quibus est potestas in Ecclesiæ ministris: in secunda autem tangit ea, ex quorum virtute operatur potestas, sicut est Christi Passio, & Resurrectio, & huiusmodi: & hoc continetur in ca. sequenti. Istud autem capitulum continet tria, primum est hæresis (quæ fundamento potestatis contrariatur) remotio: secundum est veri fundamenti positio *Ibi* [Venit Iesvs in partes Cæsareæ] Tertium est ipsius potestatis collatio *Ibi* [Beatus es, Simon Bariona] In prima harum partium duo continentur, quorum primum est hæresis confutatio, & secundum eiusdem hæresis à discipulis alienatio *Ibi* [Et cùm venissent discipuli eius trans fretum] Adhuc in prima harum tria continentur. Hæreticorum videlicet tentatio, tentantium à Christo conuictio. & conuictorum exprobratio: & hæc patent in litera. In tentatione dicit quatuor, simulatorum accessum, cùm dicit [Et accesserunt ad eum] simulando *Isa.* 57. Accedite huc filij anguatricis semę adulteræ & fornicariæ. Simile *Infra* 22. Secundò tangit tentantium vipeream professionem duplicem in peruersitatem iustitiæ, cùm dicit [Pharisæi] *Isa.* 59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum. Et quoad peruersitatem fidei, cùm dicit [& Sadducæi] *Act.* 23. Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse. Tertiò tangit intentionis peruersitatem, cùm dicit [tentantes] *Infrà* 21. Quid me tentatis hypocritæ? Quartò curiositatem [& roga. eum] Non de salute; sed [vt sig. de cælo] potestatis ostensiuum [ostenderet eis] Volebant autem, vt iterum pascerentur pane cælesti, & gulæ eorum satisfieret in loco, vbi panis habebatur, sicut fecerat in deserto, vbi panis erat indigentia. Vnde *Joan.* 6. dicunt, quod signum ostendis nobis, vt credamus tibi? Patres nostri manducauerunt manna in deserto. Quidam tamen dicunt, quòd gratia curiositatis petebant signum de cælo, sicut Elias ignem fecit descendere 4. *Reg.* 1. Vel quòd solem facerer stare, sicut *Iosue* 10. Vel solem retrocedere, sicut *Isa.* 38. Sed primum est probabilius.

At ille respondens ait eis: Facto vespere dicitis, serenum erit; rubicundum est enim cælum: & mane, hodie tempestas; rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli diiudicare nostis; signa autem temporum non potestis scire?

Hic ponitur tentantium confutatio, in qua duo dicuntur: primò enim ostendit facilitatem cognoscendi de suo aduentu veritatem ex similitudine: secundò arguit ex illa similitudine, quòd eum deberent cognoscere. Ad primum proponit duo signa pronosticationis futurorum. Primum est serenitatis ad cognoscendam natiuitatem: & secundum est signum tempestatis in passione. Primum est operandi salutem: & secundum patiendi pro saluandis. De primo dicit [Facto vespere] Quando sol declinauit ad occasum, & radius visiuus transit ad eum per vapores iuxta terram eleuatos [dicitis, serenum erit] pronosticando pro nocte futura, & die sequenti: & hoc verum, quando rubor serotinus splendorem auri politi prætendit: quoniam tunc est tenuis, & bene à sole attractus: & tunc trahit eum ad inferius hemisphærium: & tunc per consequens istud hemisphærium purgatur à vaporibus, & serenatur. Quando autem ruborem cupri prætendit, significat eum esse spissum, & non à sole attractum: & ideò ille non significat serenum; sed prædicit pluuias: quia ille color resultat ex hoc, quòd radij solis eum inferiùs percutiunt, & non desuper attrahunt: & ideò non trahitur, sed relinquitur [Et mane] Supple, cælo ruberite dicitis [hodie tempestas] Supple, erit. [Rutilat enim triste cælum.] Aëreum cælum dicitur triste, propter frigus opprimens, & humidum resoluens, & molliens corpora: & istud signum etiam debet accipi in rubore cupri, quando sol inferioribus nobis immittit radios, emergens de hemisphærio: quia tunc significat aquam impendentem terræ. Si autem sit in corpore solis rubor, quasi flammæ, & in circuitu aëris videatur quasi fumus cum puluere respersus, & hoc totum rubicundum sit lucentis ruboris: hoc significat longam serenitatem: quia significat vapores esse incensos, & per incendium exsiccatos. Significat autem vespere rutilans cælum sanguinis Christi ruborem occasu suæ lucis effusum. *Psalm.* 29. Ad vesperam demorabitur fletus. Serenitas autem, pulsa nube dubitationis, significat gaudium Resurrectionis. *Psalm.* 29. Ad matutinum lætitia. Et ideò dicitur *Cantic.* 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus: rubicundus autem in Passione; candidus in Resurrectione. Iste *Iob* 3. dicitur ortus surgentis auroræ. Et propter eos, qui in vitam secum resurgunt dicitur *Iudicum* 5. Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo ita rutilent. 2. *Regum* 23. Sicut lux auroræ mane absque nubibus rutilat. Per ruborem autem sanguineum obscurum in mane Passio significatur in mane nascentis Ecclesiæ: tempestas autem sequens conflictum significat, qui fuit omni vento doctrinæ hæreticorum. De rubore *Isaia* 63. Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimentum tuum quasi calcantium in torculari? Vestimentum Christi sunt sancti Martyres. De tempestate hæreticorum *Nah.* 1. Dominus in tempestate & turbine viæ eius. *Psalm.* 49. In circuitu eius tempestas valida.

Istis signis sic positis, dicit arguendo à simili simul & à minori [Faciem ergo cæli] hoc est, dispositionem aëris [diiudicare] pronosticando de futuris [nostis] quæ tamen

ſunt ſigna falſa [Signa autem temporum] certa per legem, per ænigmata Patriarcharum, per prophetias prædictas temporum, dico, aduentus, & operum eorum [non poteſtis] ſcire, facultatem vobis hæreſi & inuidia auferente. *Iere.* 8. Miluus in cælo cognouit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini. *Iſa.* 1. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. *Luc.* 19. Ad terram proſternent te vndique, eo quòd non cognouiſti tempus viſitationis tuæ.

Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei, niſi ſignũ Ionæ Prophetæ. Et relictis illis, abiit.

Hic ponitur conuictorum exprobratio. Dicuntur autem [Generatio mala] quoad peruerſitatem morum [adultera] autem quoad violationem fidei per idololatriam. *Deuter.* 32. Generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij. *Iſa.* 57. Semen adulteræ & fornicariæ. *Ierem.* 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, continere non valentes aquas [ſignum] maieſtatis indicatiuum [quærit] 1. *Cor.* 1. Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt [& ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ] hoc eſt, infirmitatis, ſicut ſuperiùs expoſitum eſt. *Pſalm.* 85. Fac mecum ſignum in bonũ, vt videant, qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me. Hoc enim eſt ſignum paſſionis, per quod omnis homo eſt adiutus [relictis illis, abiit] Ecce hic tangitur relictio incorrigibilium. *Infrà* 21. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Et cùm veniſſent diſcipuli eius trans fretum, obliti ſunt panes accipere.

Hic ex præcedentibus remouet à ſuis Chriſtus contrarium ſuæ poteſtati fundamentum, quod eſt hæretica prauitas contra fidem: & traditiones impiæ contra iuſtitiæ pietatem. Dicit autem hic tria: primum eſt, quod incidenter inducitur ad ſciendũ, qualiter Diſcipuli acceperunt intellectum per verbum, ex verbis Domini: quia panes obliti ſunt accipere. Secundum eſt verbum, ex quo ille ortus eſt falſus intellectus cum ipſo malo intellectu, quem ex verbis habuerunt. Et tertium eſt illuminatio, ſimul excludens errorem Diſcipulorum in verbis, & hæreſim tentatorum. De primo dicit [Et cùm veniſſent Diſcipuli eius trans fretum] hoc eſt, trans ſtagnum Geneſareth [obliti ſunt panes accipere] hoc eſt, fragmenta panum ſeptem ſportarum ſuperioris conuiuij, *ſup.* 14. & 15. Compulit illos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum. Et ita etiam modò fugit turbas excitatas per ſanitatis miraculum: & in illo tranſitu panes obliti ſunt accipere. Cauſa autem fuit quadruplex, vna quidẽ prohibitio de craſtino ſolicitudinis *ſuprà* 6. Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum &c. Secunda fuit occurſus pauperum famelicorum, quibus fragmenta in viaticum, quando à Domino receſſerunt, miniſtrauerunt. *Prouerb. vlt.* Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Tertia cauſa eſt ſpes de Domino: quia iam factis miraculorum excitati certi erant, quod nihil deficeret, *Pſalm.* 33. Nihil deeſt timentibus eum: inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. Quarta & vltima, interna dulcedo veri panis, quem ſecum habebant: illã enim rapti de exteriori pane cogitare nihil poterant. *Sap.* 16. Panem habentem in ſe omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuauitatem. Ideò ergo obliti ſunt panes accipere.

Qui dixit illis: Intuemini, & cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum. At illi cogitabant inter ſe, dicentes: quia panes non accepimus.

Iſtud eſt ſecundum: inducta enim occaſione erroris Diſcipulorũ, inducit verbum, circa cuius errabant intellectum [intuemini] diligenter per intellectum eo quòd, ſicut dicit *Boe.* Non vitatur malum niſi cognitum [& cauete] in vobis Doctoribus, & in Diſcipulis [à fermento] Fermentum ſimilitudinem habet conſperſionis ſine paſtæ: ſed eſt corruptio ipſius: & ſignificat hæreſim [Phariſæorum] quorum hæreſis fuit impia traditio pluſquam Dei obſeruata, legis prædicatio per verbum, & per opus impugnatio, gloria de apparente iuſtitia, & pertinax auaritia [& Sadducæorum] Quorum corruptio fuit hæreſis contra reſurrectionem non dicere aliquid eſſe ſpiritum, nec Angelum: & auferre ab eis gloriam æternam, propter ſolã legis exteriorem obſeruationem, Prophetas ſpernere: Spe præſentiũ deſeruire: & nihil ab ipſo poſt mortem expectare. *Mar.* 8. addit: Et à fermento Herodis, cuius corruptio eſt occultè inſidiari Chriſto; gratiam ſub ſimulata religione & obſeruatione necatem optiarum honeſtatem violare. *Gal.* 5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. 1. *Cor.* 5. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio ſicut eſtis azymi. *Oſe.* 7. Quieuit ciuitas paululum à commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum. Primum corrumpit in dolo ſimulatæ bonitatis: ſecundum in fraude ſimulatæ veritatis: & tertium in dolo iuſtæ poteſtatis iniuſtè, cum videtur Princeps agere, ſi iuramenta non teneat verbo propoſito: circa quod errabant Diſcipuli. Tangitur error eorum ſecundum actum cordis & oris & hoc eſt, quod dicit [At illi cogitabant dicentes] ad inuicem occulto murmure [quia panes non accepimus] Poteſt eſſe, quòd putabant Dominum velle cuſtoditum eſſe panem à ſe ſanctificatum pro benedictionis reuerentia, & pro miraculi memoria, ſicut in exodo iuſſit impleri Gomor & poni in arca fœderis in teſtimonium. *Exo.* 16. *Heb.* 9. In qua vrna aurea habens manna. Sed quia Dominus non de huiuſmodi reliquiis cogitauit, ſed meliorem panem Eccleſiæ dimittere voluit, hoc eſt, panem viuum, qui de cælo deſcendit, vt det vitam mundo: ideò [illegible].

Sciens autem IESVS dixit: Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos ſumpſiſtis? Neque ſeptem panum in quattuor millia hominum, & quot ſportas ſumpſiſtis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Phariſæorum, & Sadducæorum,

cæorum. Tunc intellexerunt, quia non dixerit cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum.

Incipit hic illuminare discipulos: & tangit duo, illuminationem doctrinæ, & effectum eius in discipulis. Illuminatio quatuor facit: primò errantes arguit, secundò in memoriam præteritorum reducit, tertiò cum increpatione verum intellectum ingerit, & quartum est, quod ante hæc est: quod ex modo cognitionis & visitationis eorum signum diuinæ sapientiæ omnia illuminantis ostendit: & hoc tangit, cùm dicit. [Sciens autem IESVS dixit] *Heb.* 4. Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius [Quid cogitatis inter vos modicæ fidei] quæ non nisi parua præsumit [quia panes non habetis] *Luca* 24. Oculi eorum tenebantur, ne eum cognoscerent: & increpat eos dicens: O stulti, & tardi corde ad credendũ [Nondum intelligitis] potentiam meæ deitatis [neque recordamini] mirabilium præteritorum. *Mar.* 6. Non intellexerunt de panibus Discipuli: erat enim cor eorum obcæcatum. Hoc tamen prouenit ex simplicitate eorum. *Psal.* 95. Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite, quinque panum & quinque millia hominum. *Sap.* 14 & quot cophinos sumpsistis] *Prouer.* 3. Impleantur horrea tua saturitate [neque septem panum in septem millia hominum] in præcedenti capitulo [Et quot sportas sumpsistis] Quæ spatulis palmarum, & ex iuncto textæ ex palma, spem æternorum: & ex iunco, qui in aquis radices habet, significant pietatem ex notitia scripturarum [Quare non intelligitis] cum increpatione illuminat. *Marci vlt.* Exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis [quia non de pane] materiali [dixi vobis: Cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum] Et si doctrina peruersa à Domino vocatur fermentum, consequens etiam est, vt vera, & catholica doctrina vocetur panis. *Isa.* 21. Qui habitatis terram austri cum panibus, occurrite fugienti. Terra austri calida & luminosa, corda illustrata Spiritu intelligentiæ designat [Tunc intellexerunt] *Luc.* 24. Aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas [quia non dixerat cauendum à fermento panum] Quia *sup.* 15. dixit: Non quod in os intrat, coinquinat hominem [sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum] *sup.* 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos &c. *Isa.* 9. Propheta docens mendacium, ipse est cauda &c.

Venit autem IESVS in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.

Hic remotis hæresibus à cordibus fidelium, tangit fidei fundationem in petra confessionis Apostolicæ: & diuiditur in partes duas, in quarum prima ponitur inquisitio, & confessio veritatis personæ, in cuius Sacramentis fides stabilitur: in secunda autem ponitur instructio veritatis principalium Sacramentorum Passionis & Resurrectionis *Ibi* [Exinde cœpit IESVS] Adhuc prima cõtinet duo, inquisitionem, & confessionem opinionis eorum, quibus non est datum nosse mysterium Christi, nisi in parabolis: & inquisitionem & confessionem veritatis expressæ ab his, quibus datum est nosse mysterium regni Dei *Ibi* [Vos autem &c.] Adhuc prior harum diuiditur in tres paragraphos, in quorum primo tangitur loci ad inquirendum congruentia: in secundo inquisitio de opinione Christi in turba: & in tertio responsio Discipulorum de audita fama.

Dicit ergo [Venit autem IESVS] sicut Saluator, vbique lumen doctrinæ spargens, vbique perditos quærens, vbique salutem non saluatis ingerens. De primo *Iob* 25. Super quem non surget lumen eius. De secundo *Luc.* 19. Venit enim filius hominis quærere & sal. face. quod perierat. De tertio 1. *Tim.* 1. Christus IESVS venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum [in partes Cæsareæ] Non profundè: quia gentes ibi habitabant, & dixerat *Sup.* 10. In viam gentium ne abieritis. Sed tamen per hoc, quòd ad vicina gentium declinabat, ideò salus gentium præfigurabatur. *Io.* 7. Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? *Isa.* 49. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ [Cæsareæ Philippi] ciuitas est Phenicis in terminis Iudææ ad septẽtrionem, quam Philippus filius Herodis tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis ædificauit ob memoriam sui nominis, & ob honorem Imperatoris Tiberij Cæsaris. Et ideò ab vtroque composito nomine vocabatur Cæsarea Philippi. Et erat ciuitas, ad quam tributum censi capitis deferebatur, pro quo descriptus erat vniuersus orbis ab Augusto Cæsare *Lu.* 2. Congruum ergo fuit, vt in loco, in quo orbis tributum soluit, Rex Regum mundi Dominus, exigeret tributum fidei, quod soluitur de animæ capite, quod est mens hominis. *Infrà* 22. Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsa. & quæ sunt Dei, Deo.

Et interrogauit Discipulos suos di.] Non ignorans qui omnia nouit, sed vt confessio fidei dignã acciperet fundationem. *Ro.* 10. Corde creditur ad iusti. ore autem confessio fit ad salutem. *Psal.* 95. Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius [Quem dicunt homines esse filium hominis] Ecce requisitio confessionis ab his, qui videntes non vident. Quærit autem de persona, cùm dicit [quem] quia persona est duarum naturarum, quarum vna innotuit per visum, & alios sensus, & opera infirmitatum: & ideò non quærit de illa, sed opponit, quando dicit [filium hominis] Et est sensus: Quem sciant homines esse filium hominis per naturam, quæ offertur sensibus [Quem] in persona [dicunt] esse ex visu operum maiestatis? Dicuntne aliquid habere super hominem? *Mar.* 8. Quem me dicunt esse turbæ? Pulchrè autem dicit homines, qui de filio Dei nihil intelligere potuerunt super hominem: vel homines dicit propter rationem: quia licet sensibus eorum obiceretur humana infirmitas; tamen rationi per opera præsentabatur maiestas: & ex ratione facilè cognoscere poterant, quòd Deus erat, qui talia faciebat. *Io.* 5. Ego habeo testimonium maius Ioanne: opera enim, quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. *Io.* 8. Quare loquelam meam non cognoscitis?

At illi dixerunt] de falsa turbarum opinione respondentes, qui diuersis de causis supra dictis à nobis

à nobis Christum sequebatur. *Ioan.* 7. Murmur erat multũ de eo in turba: quidam dicebant, quia bonus est: alij autem dicebant, non, sed seducit turbas. Sed tamen omnes illi, de quibus respondent Discipuli, vera dicunt, sed imperfectè: & hoc est [Alij Ioannẽ Baptistam] propter vitæ perfectionem. *sup.* 14. Ioannes Baptista surrexit à mortuis: & ideò virtutes operantur in illo [alij autem Eliam] propter perfectionem potestatis: quia ignem de cælo deposuit super superbos 4. *Reg.* 1. Et ignem supra sacrificia 3. *Re.* 18. [alij verò Ieremiam] propter perfectionem misericordiæ: quia populi peccata planxit. *Iere.* 9. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et huius gratia terræ nos composuit, & huius gratia errantem populum in Ægyptum persecutus fuit *Ier.* 43. [aut vnum ex Prophetis] Dicunt vnum. s. Eliseum propter perfectionem spiritus & virtutis in prophetando. 4. *Re.* 5. Nonne cor meum in præsenti erat quando reuersus est homo de curru suo &c. quia spiritus Eliæ dupliciter erat in eo 4. *Re.* 1. Vel dicatur aliter, & meliùs, quòd vnus ex Prophetis dicitur formaliter accipiendo vnicum [ex Prophetis] hoc est, singularis: & hic est ille, de quo dicitur *Deut.* 18. Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris: tanquam me audietis illũ *Io.* 6. Hic est verè Propheta, qui vẽturus est in hunc mundum. *Lu.* 24 Fuit vir potens in opere, & sermone coram Deo, & omni populo: & secundum hoc omnes aliquid altum dixerunt de Christo. Est antẽ altum hominis ex tribus, ex statu ante peccatum, & ex statu gratiæ, & ex statu gloriæ resurgentium: & considerantes statum gloriæ resurgentium, dixerunt, quòd esset Ioannes Baptista, præsumentes, quòd mortalis hominis non esset tanta potestas in miraculis faciendis: considerantes autem statum hominis in paradiso, vbi eximiæ virtutis fuit, & tamen alimonia indiguit, dixerunt Christum esse Eliam: considerantes autem statum hominis in gratia duo considerabant, excellentiam videlicet sanctitatis: & illi dixerunt esse Ieremiam, eo quòd dictum est de illo: Priùsquàm te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de ventre, sanctificaui te: & Prophetam in gentibus dedi te *Iere.* 1. Et hæc maximè dixerũt propter mirabilia, quæ audiuerunt de infantia, natiuitate & pueritia ipsius: considerantes autem excellentiam in sapientia, dixerunt eum esse Propheram, qui venturus est in mundum. *Io.* 3. Qui de cælo venit, super omnes est: & quod vidit, & audiuit, homo testatur. *Gloss. dicit ibi.* De cælo, hoc est, de altitudine humanæ naturæ. Sic ergo de Christo confitetur humana opinio.

Dicit illis IESVS: Vos autem quem me esse dicitis?

Hic ponitur requisitio veritatis: & habet duo, confessionem, & confessionis commendationem cum remuneratione, quæ est potestatis collatio. De primo dicit duo, requisitionem confessionis, & confessionem ipsam. De primo dicit [Vos autem] quibus datum est nosse mysterium regni Dei. *Sup.* 13. Qui estis lux mundi. *Sup.* 5. Quibus omnia, quæcumque audiui à Patre, nota feci *Io.* 14. [quem me esse dicitis?] Iterum quærit de persona in humana natura apparente, & existente: sed non dicit filium hominis: vt *sup.* sed simpliciter de persona quærit: quia istis plus innotuit. *Io.* 1. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit. 1. *Cor.* 2. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum. Et hinc argumẽtum, quòd Prælatus debet quærere, quæ de eo sit opinio tam in plebe, quàm inter Prælatos alios.

Respondens Simon Petrus dixit.

Ille præ omnibus, & pro omnibus respondit, qui omnibus præesse & prodesse debuit: dicit autem tria: Primò quòd respondit, quia quæstioni, quæ ab homine fieri potuit, satisfecit: non sicut turbæ, minus nec sicut Pharisæi, falsa dicentes: qui enim ad hominem quæstioni satisfacere videntur secundũ *Arist.* dicunt, sed non respondent. *Iob* 38. Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te: & responde mihi [Simon] obediens: & per hoc significatur meritum, & idoneitas ad debitum & congruitatem responsionis. *Psal.* 118. A mãdatis tuis intellexi. Obedientia enim mandatorum plus dat intellectum in diuinis, quàm labor studiorum: non enim erit sacra scriptura contemplationis gratia, sed vt boni fiamus. Vnde etiam veri Discipuli Christi tribus perficiuntur, scilicet, disciplina mandatorum. *Isa.* 8. Signa legem in Discipulis meis. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius, hoc est, vestigiis eius, accipient de doctrina eius. Secundò perficiuntur dilectione affectionis. *Io.* 13. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis Discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Tertium est cognitio veritatis, quæ est secundum pietatem. *Io.* 8. Si vos manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos. Sic ergo obediens mandatis, & sequens vestigia affectus dilectione, manẽs in sermone, verè Simon vocatur obediens, & idoneus ad respondendum [Petrus] cognomine. *Io.* 1. Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. Cephas enim interpretatur caput: & hoc non est Petrus, nisi per similitudinem actus, siue effectus, & operis. Quia sicut caput regit, & influit sensum & motum aliis membris: ita petra continet, & firmat ædificium. Vnde quod est caput in animalibus caput habentibus, hoc est petra in ædificiis: & tangitur in hoc Responsionis facultas: quia Petrus dicitur perfica lingua agnoscẽs, eo quòd illum agnouit. *Isa.* 45. dicitur. Verè tu es Deus absconditus, & absque te non est Deus. Regnum ergo accipitur in Cepha, propter quod etiã vertex dicitur Apostolorum, facultas in agnitione, & solidum veritatis agnitæ in petra. *sup.* 7. Similis est viro sapienti, qui ædificauit domum suam suprà petram. Hic ergo bonus Respondens fuit, qui sicut vir intùs virens, lumbos à reuelatione carnis, & sanguinis restrinxit.

Tu es Christus filius Dei viui.

Hic tria tangit, confessionem, confessionis commendationem, & commendatæ confessionis retributionẽ. In confessione duo sunt, quod est deificatæ humanitatis, & quod est humanatæ deitatis. Et quod quidem est humanatæ deitatis, triplex est significatio; personæ, & significatio æternæ permanentiæ; & significatio humanitatis deificatæ. De persona dicit [Tu] Discretionem notans, & articulationem: non enim alius est, nisi ipse. *Bar.* 3. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Id quod etiam articulatum significatur, est persona. *Exo.* 15. Iste Deus meus, & honorificabo eum [es] Qui verè es. *Exo.* 3. Qui est misit me ad vos. Non enim saluare in æternum posset, nisi in æternum permaneret. *Hebreor.* 7. Semper viuens ad interpellandum pro nobis. *Item.* 13.

IESVS-CHRISTVS heri, & hodie ipse, & in secula. Semper enim præsens est, qui numquam, & nusquam deest. *Psalm.* 101. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient [Christus] Humanam naturam significat penetratã diuina quasi vnctione, vt vnctio ab eo, sicut à capite in coniunctos sibi Apostolos, & Discipulos, tanquam in barbam, & in vestimentum Ecclesiæ, & in oram fimbriatum descendat. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me, eo quòd vnxerit me Dominus. *Psalm.* 44. Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Vnctus autem in Regem, vt legem nouam condat; & in Sacerdotem, vt sacra noua ministret. *Psalm.* 109. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster: ipse veniet, & saluabit nos.

Deinde tangit confessionem ex parte diuinitatis humanatæ dicens tria, quod personæ est, quod naturæ, & quod actus naturalis. Quod personæ est, quia filius naturalis, in quo omnes filij odoptiui adoptantur: Pater enim impotens generare, adoptare non potest: in Deo autem potentia non est ante actum: & ideò Deus vnicum habens, adoptat in filios eos, qui conformes sunt imaginã filij. *Roma.* 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit: & quos iustificauit, illos, & glorificauit ideo 1. *Io.* 5. & Vt simus in vero Filio eius. In verò enim Filio eius sunt filij adoptiui, quando in eo in filios adoptantur. Deinde tangit, quod est naturæ di. [Dei] contra Arrium: quia sicut filius hominis homo est: ita Filius Dei Deus est: Deus autem visibilis in hominis filio, vt filios hominum reduceret ad deitatis participationem. *Io.* 10. Illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est: & non potest solui scriptura. *Psal.* 81. Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes. Hic enim deitas non solum calceauit pedem in humanitate pellis assumptæ, sed etiam in omnibus membris mystici corporis eius. *Psal.* 59. In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt. *Deut.* 33. Tinget in oleo pedem suum, ferrum & æs calceamentum eius. Ferrum domans duritiam vitiorum, æs autem in confessione sonorum: oleum autem in operibus miserationum. Sequitur [viui] quod est operatio filij in se, & in nobis. *Eccl.* 4. Sapientia vitam filiis inspirat. Sic enim primo dando spiritum vitæ, dedit vitam naturæ: tandem tempore gratiæ dedit per spiritum vitam gratiæ, & in futuro vitam gloriæ per eumdem spiritum. *Io.* 5. Sicut Pater habet vitam in semetipso: sic & filio dedit vitam habere in semetipso. Quia *Ps.* 35. dicit. Domine, apud te est fons vitæ. Et sic omnis vitæ fons est in Patre & hæc vita venã accipit in filio, & fluxum in omnes in Spiritu sancto. *Deut.* 4. Vos, qui adhæretis Domino, viuitis vniuersi. Sic non est in diis aliis opera mortis demonstrantibus, sicut per totum ostendunt prophetię Ieremiæ *Isa.* 46. Onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem contabuerunt. Hæc est ergo confessio Petri: hæc eadem confessio facta est à Martha. *Io.* 11. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.

Respondens autem IESVS dixit ei: Beatus es, Simon Bariona.

Commendatio est confessionis: & dicit quatuor, beatitudinem confitentis, firmitatem confessionis, remunerationem in collatione potestatis, & vsum potestatis eiusdem: & hæc in litera patent per ordinem. Beatitudinẽ autem tangens dicit tria, beatitudinẽ, contrarij remotionẽ, & beatitudinis causam. In beatitudine quatuor considerantur; ipsa substãtia beatitudinis, præsentia iustitiæ beatificãtis, dispositio beatificati, & virtus. Primum tangitur, cùm dicit [Beatus es] Quia nos *sup.* 5. multa de beatitudine diximus, non dicimus hic nisi, quòd duplex est beatitudo, virtutis operatiuæ, & contẽplationis: vna est hominis secundum rationem, opus ordinantis in optimum hominis ad hominẽ: & altera est hominis secundum intellectum, ordinati in Deum. Prima expeditus actus prudentiæ, quæ in actibus omnium virtutũ & extrinsecùs adiuuantium expedita optimè gubernat vitam, & attingit rectum statum hominis, non declinans à virtutis optimo. *Ps.* 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Iere.* 17. Beatus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: Erit enim quasi lignum viride, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas: & non timebit, cum venerit æstus: & folium eius erit viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum. Beatitudo autem contemplationis intellectus, contemplatio veritatis puræ & firmæ à nullo penitùs impedita. Sicut Petrus hic agnouit veritatem, quæ quidem pura est: quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit; sed descendit desuper cor illuminans mirabiliter à montibus æternis: & de hac habetur *sup.* 13. Vestri autem beati oculi, qui vident. Multi enim Prophetæ & Iusti voluerũt videre, quæ vos videtis, & non viderunt. *sup.* 5. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc enim visio, & cognitio aliquid vitæ æternæ est, sicut dicitur *Io.* 17. Vt cognoscant te solum Deum, verum Deum, & quem misisti, Iesum Christum: hæc enim est vita æterna.

Secundum est, quia præsentis iustitiæ est beatitudo ista: & ideò dicit [Beatus es] Non enim propter futurum aliquis beatus est, vnde & hic idem Apostolus propter ignorantiã futuri dicitur sathanas. *Infrà eod.* Nec propter præteritum, quod nõ est continuatum ad præsens, dicitur beatus: quia dicit *Boëtius*, quòd extremum genus infelicitatis est nõ esse, sed aliquando fuisse felicem: hic enim duplici punitur miseria, vna quidem præsentis mali, & altera ex recordatione præteriti boni amissi. *Bar.* 4. Beati sumus, ô Israël: quia quæ Deo placent, nota sunt nobis. Præsens enim propriè, sicut dicit *Aug.* est de preterito memoria, & de futuro prouidentia, & de præsenti intelligentia. Et sic præsens est continuatio præteriti & futuri, super nouum ad futurum, & semper consuetum ad præteritum: & sic est optimus status boni in homine. *Psal.* 76. Dixi: nunc cœpi: hæc mutatio est dextræ Excelsi.

Simon] Dispositio optima est beati, vt antiquo nomine Simon per antiquam obedientiam nominetur, implẽs illud *Lu.* 15. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatũ tuum præteriui. Sic enim septem annis (quibus omne tẽpus significatur) bonus luctator seruit pro Rachel videntę principium in contemplatione, & videntur ei dies pauci præ amoris magnitudine *Gen.* 29.

Bariona] hoc est, beatitudinis istius tota, & sola virtus.

virtus. [Bariona] filius columbæ interpretatur propter hoc, quòd Spiritus sanctus in colũbæ spẽ apparuit: filius autẽ colũbæ est, qui formante spiritu in similitudinẽ spiritus ab omni carnalis concupiscentiæ tabe purgatus, spiritualiter translatus est, & generatus. *Galat.* 5. Qui spiritu Dei aguntur, & simplices oculos non ad seculum, vel carnem incuruatos; sed ad internum & æternum lumen dirigunt: & ab ipsa veritate formati, nullis erroribus, vel dubiis detenti: toti transeunt in contemplationem faciei Dei. De istis enim dicitur *Psal.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Hi enim, cum eleuatur spiritus de terra, simul & eleuantur altiuoli in contemplatione diuina, semper cum suspirio dicentes illud *Psalm.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & volabo, & requiescam? Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine. *Cant.* 4. Oculi tui columbarum. Suprà autem plura notata sunt de huius auis proprietatibus. Hic spiritus est, de quo dicitur *Gal.* 4. Quia estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra clamantem: Abba Pater. Et *Rom.* 8. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei: quòd si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Omnia autem impedimenta huius beatitudinis ostendit esse remota per hoc, quòd subiungit dicens.

Quia caro & sanguis non reuelauit tibi; sed Pater meus, qui in cælis est.

Tangit enim duplicem causam erroris, vnam quidem carnis, aliam autem ex reuelatione sanguinis prouenientẽ. Ex carne quidem quãdo non attollitur mens nisi ad ea, quæ à carnalibus accipiuntur organis sensuum corporis: ab illis enim non oritur nisi phantasia erroris: propter hoc, quòd Deus lucem habitat inaccessabilem, vt dicitur 1. *Tim. vi.* Et ideò *Psalm.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam. 1. *Cor.* 2. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: stultitia enim est illi, quia spiritualiter examinatur. *Exod.* 33. Non videbit me homo, & viuet. Ideò 2. *Cor.* 12. Paulus cum videret visiones Dei, raptus est in tertium cælum, vltra id, quod videtur in corporis sensu & imagine corporis: in puritate intellectus sublatus in diuinum lumen. *Num.* 12. Non per ænigmata, sed palam Deum videt. Secunda autem causa erroris est affectus ex concupiscentia sanguinis prouenienis, sicut eorum, qui sunt de doctrina. Balaam: qui docent edere & fornicari. *Num.* 25. & *Apoca.* 2. Isti sunt in amplexibus mulieris pessimæ Iezabel, qui fluxus sterquilinij interpretatur conputrescentes in stercoribus suis: sicut & homines, honorẽ rationis perdito, & intellectu, similes facti iumentis insipientibus, & comparati bestiis. *Eccl.* 17. Quid nequius quàm quod excogitauit caro & sanguis? *Gal.* 1. Cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me: vt Euangelizarem illum in gentibus: continuò non acquieui carni & sanguini. *Ioan.* 1. Qui non ex sangui. neque ex vo. car. ne. ex volun. vi. sed ex Deo na. sunt. 1. *Ioan.* 4. Omnis, qui confitetur filium Dei in carne venisse, ex Deo natus est. Et optimè dicit [non reuelauit] hoc est, velata in carne & sanguine non in cor tuum adduxit. *Dan.* 13. Semen Chanaam, & non Iuda: species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Sed Paulus de viris Apostolicis dicit. Nostra conuersatio in cælis est. *Phil.* 3. Et animalia *Ezech.* 1. imminens habent cælum capiti: quia mens semper in cælum defixa: & 4. *Gen.* 15. Educuntur foras cum Abraham extra carnis habitationem, & iubentur stellas, hoc est, luces cælestes numerare, & suspicere, & ad illas luces omne benedictum semen conceptus cordium suorum ordinare, & nihil omninò velatum in carne & sanguine videre, vel reuoluere: quia melius est illa velata permanere: eo quòd pomum delectationis contemplatum, & reuelatum, fortè pulchrum visu, aspectúque delectabile, & ad vescendum suaue videbitur, & ad suasum serpentis manu consensus & operis illicitum attrectatur, & perditur cum diuino lumine coniunctio mentis *Gen.* 3.

Remota autem causa impedimenti, ponit veram causam istius reuelationis diuinæ. [sed Pater meus, qui in cælis est] Dicens tria, reuelantem: Thesaurum luminis, vnde reuelatio prorumpit: & locum, à quo exit: Pater enim est reuelans: ille, inquam, de quo dicitur *Iaco.* 1. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum. Et ideò dicitur Sanctis *Eph.* 5. Vt filij lucis ambulate, quorum interior facies imaginis Dei renouata est secundum agnitionem illius, qui fecit eam. *Col.* 3. Thesaurus autem lucis est filius & hoc notatur, quando dicit [meus] 1. *Corinth.* 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Hæc enim sapientia speciosor est sole, & super omnem dispositionem stellarum: luci comparata inuenitur prior: luci enim succedit nox; sapientiam autem non vincit malitia *Sap.* 8. & 7. Candor enim est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis. Locum autem dicit [qui in cælis est] Vbi est regio luminis, præcipuè in mentibus Beatorum, in quibus Deus habitat: quia anima iusti sedes est sapientiæ. Hoc lumen conqueritur se non videre: & ideò consolationem non posse recipere *Tob.* 5. Huic lumini conformes fiunt omnes, qui imbuuntur ipso. *Dan.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erud. mul. quasi stel. in perpe. æternitates. *Suprà* 13. Tunc fulgebunt iusti sicut sol in regno Patris eorum.

Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Et tibo dabo claues regni cælorum.

Et ego dico tibi: quia tu es Petrus] hoc est, firmitas confessionis: & dicit tria: fundamentum videlicet: & Ecclesiæ in fundamento fundationem; & contra subuertentia firmitatem. De fundamento dicit [Et ego] qui sum veritas immobilis. *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita [dico tibi] cuius verba non transibunt *Suprà* 5. Quia tu es Petrus: quod nomen tibi per confessionem confirmo, licet ante datum sit *Ioan.* 1. *Sup.* 10. Sed nunc in agnitione veritatis confirmo. Et attende quem nos latinè & græcè Petrum vocamus:

camus: hunc Hebræi & Syri Cepham vocant, ficut dicit *Hiero. super epistolam ad Gala.* 4. sub eodem sensu [& super hanc petram] firmæ confessionis, & immobilis. *Isa.* 28. Ecce ego mittam in Sion &c. *Ecclesiast.* 30. Fundamenta æterna suprà petram stabilem. 1. *Cor.* 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere &c. [ædificabo Ecclesiam meam] *Eph.* 2. Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesv, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum &c. *Cor.* 3. Dei ædificatio estis. *Col.* 1. Permanete in fide ædificati & stabiles. Dicit autem [meam] quia *Psalm.* 25. Odiui Ecclesiam malignantium. *Apoca.* 2. Dicunt se Ecclesiam esse, & non sunt; sed sunt Synagoga sathanæ. Ecclesia enim Apostolica est sancta, sicut dicit Symbolum. Credo sanctam Eccesiam Catholicam: quæ quatuor habet, vitam in sanctitate: scientiam fidei, quæ secundum pietatem est in professione: auctoritatem in potestate clauium, & iurisdictionem: & generalitatem tam in congregationum multitudine quam in regularum, quibus regitur, veritate: quibus nulla potest falsitas hæresis obuiare. Sic enim est Catholica, vt dicit [illegible]. *Iere.* 13. Ecce dies venient, dicit Dominus, & ædificabitur Domino ciuitas. *Sup.* 7. Similis est viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram [& portæ inferi] Quæ sunt hæreses, & peccata mortalia, quæ introducunt ad mortem. *Iob* 38. Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, aut ostia tenebrosa vidisti? *Isa.* 38. Ego dixi: in dimidio dierum meorum va. ad por. inferi [non præualebunt aduersus eam] vt euertant eam. *Suprà* 7. Venerunt flumina, flauerunt venti, descendit pluuia in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra firmam petram 2. *Tim.* 2. Firmum autem fundamentum Domini stat, habens signaculum hoc. 2. *Esdra* 4. Super omnia vincit veritas. *Hebr.* 11. Expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus.

Et tibi dabo claues regni cælorum] Claues quidem sunt, non scientia discernendi, & potestas ligandi, vt quidam dicunt, & hoc *glo.* dicere videtur, sed potius discernendi auctoritas inter lepram & lepram, & iudicandi de peccatis, sicut & in *Leuit.* 13. non dabatur Sacerdotibus Leuitici generis scientia discernendi inter lepram & lepram, sed auctoritas: sed scientia iuuat ad clauis executionem. Simile autem est, quòd aliquando dispensator nescit vsum clauium, & oportet discere: & ille, qui bene scit, aliquando dispensator domus non constituitur: & ideò auctoritatem non habet: Potestas autem ligandi & soluendi debet regi etiam in forma ab auctoritate discernendi: est enim arbitraria iudicij potestas, & hoc habet ex auctoritate: & rationabilis & discreta, & hoc habet ex hoc, quòd est scientia. Dicuntur autem hæ claues per similitudinem; quia ostium regni cælorum, quod peccatoribus clauditur, per eas aperitur: & quia thesaurus gratiæ, qui peccatoribus veniam meretur, eis reseratur. Omnia enim Sanctorum, & Christi merita sunt dispensatoribus clauium credita, quod significatur *Isa.* 22. Vbi primò dicit: Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: & aperiet; & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat. Post modicum subiungit: Et suspendet super eum omnem gloriam domus patris eius, vasorum diuersa genera, omne vas paruulum à vasis, craterarum vsque ad omne vas musicorũ. Gloria autẽ domus Patris cælestis est thesaurus, qui est in Sanctorum meritis: & vasa sunt corda Sanctorum, paruula per humilitatem, & ideò plus gratiæ continentia: & vasa musica sunt corda laudis diuinæ, eo quòd in eis amplius gratia Dei præfulget: ex hoc enim thesauro suppletur defectus eorum, quibus de pœna condigna pro peccato, vel pars aliquando, vel totum remittitur. Tantum igitur vel plus, vel minus remittere est auctoritatis: tantum autem, vel minus pro discretione peccatorum, vel pœnitentis scire esse remittendum, est scientiæ etiam sine auctoritate: sed hoc non est clauis, sed potiùs potestas iudicandi & discernendi [dabo autem tibi] singulariter, non quòd singulariter acceperit Petrus: sed quia in vnitate ordinis Ecclesiæ vnus est, qui accipit in plenitudine potestatis, qui est successor Petri, & Petrus in potestate. Alij autem in eadem vnitate accipiunt in parte potestatis, ex quò vocantur in partem sollicitudinis. Et ideò *Ioan.* 20. dicitur pluraliter: Accipite Spiritum sanctum, quorum remi. pec. re. eis, & quorum re. retent. erunt. Et quod hic dicuntur [claues] ab effectu, ibi dicitur Spiritus sanctus à causa: quia in Spiritu sancto remissio fit peccatorum. Dicuntur [autem regni cælorum] à fine, quia in regnum introducunt. 1. *Paral.* 9. Vbi describunt Leuitæ, quibus committebatur custodia templi ad aperiendum templum, & claudendum. Habet tamen Christus solus *Apoca.* 1. claues mortis & inferni: quia sicut *Zach.* 9. dicitur: In sanguine testamenti sui emisit vinctos de lacu, in quo non erat aqua.

Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

Hic tangitur vsus in ordine verborum: & notatur quod dicit *Ric. de sancto Vict.* Quòd videlicet ligatio Sacerdotis præcedit absolutionem; sed Dei opus econtrario est: quia Deus soluendo primò, posteà ligat. Sacerdos autem primò ligando, posteà soluit: est enim vinculum culpæ & vinculum pœnæ: vinculum autem culpæ est, quo homo ligatur peccato, & non potest mereri quamdiu est in illo. *Isa.* 24. Tenebitur planta eius laqueo. 2. *Paral. vlt.* Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi. Vinculum autem pœnę est multiplex, scilicet, vinculum æternæ damnationis, & vinculum pœnæ purgatorij, quæ non proportionata viribus pœnitentis: & est vinculum pœnę temporalis condignæ peccatis: & est vinculum pœnæ arbitrariæ, secundum conditionem pœnitentis, & peccatorum æstimantis. Deus ergo absoluit à duobus vinculis primis per seipsum, & sine conditione: & nisi absoluat, nihil potest fieri de peccatore, nisi damnatio. *Isa.* 43. Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. *Sup.* 9. Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus? *Psalm.* 50. Tibi soli peccaui. Sic autem absolutum mittit ad Sacerdotem ligatum pœna purgatoria, & pœna peccato condigna: sicut Lazarum suscitatum misit ad discipulos soluendum.

Ioan. 11. Sacerdos autem vinculatum à Deo soluere non potest simpliciter; sed ligando ad pœnam expiationis potest absoluere à pœna condignæ purgationis, quam in purgatorio soluere deberet: eo quòd sacerdos non est Dominus, sed minister: & oportet eum primò æstimare emendam Domino faciendam, & ad illam ligare: & tunc residuum vi clauium remittere & absoluere à vinculis, quibus vinctus ad eum accessit. *Eccl.* 6. Vincula illius alligatio salutaris. Sic *Lu.* 10. Samaritanus alligando vulnera infundit vinum pœnæ satisfactoriæ, & oleum remissionis pœnæ purgatoriæ, & peccatis condignæ: sic etiam aliquando per indulgentias remittunt.

Sed de hoc notandum est, quòd indulgentia est remissio pœnæ satisfactoriæ iniunctæ, vel iniungendæ pro peccato confesso, & de quo præcessit conpunctio: quia ille à Deo absolutus est à vinculo peccati, & æternæ damnationis: quæ absolutio nisi præcedat, non habet locum indulgentia hominis. Et ad hanc exiguntur sex, potestas in dante indulgentiam, & causa: causa autem duplex, aut cogens necessitas, aut inuitans vtilitas. Necessitas quidem, sicut amissio terræ sanctæ, vel alterius partis Ecclesiæ: vtilitas autem, sicut ædificatio loci religiosi, vel Ecclesiæ, vel hospitalis, vel reparatio viarum communium, vel audiendi verbum Dei, vel aliquod huiusmodi. Hæc igitur sunt duo ex parte dantis indulgentiam, auctoritas dandi, & causa. Ex parte autem recipientis quatuor exiguntur, quorum primum est, quòd compunctus sit, quia aliter non præcessit in eo absolutio diuina: secundum, quòd vinculum Ecclesiæ non contemnat propter indulgentiam, vel negligat. s. quòd præsentet se Sacerdoti: quia sicut Sacerdos tenetur cognoscere diligenter vultum pecoris sui: ita tenetur subditus se præsentare, semel in anno, & vincula non negligere. *Ioan.* 10. vtrumque dicitur: cognosco meas: & hoc pertinet ad Sacerdotem. Et cognoscunt me meæ: & hoc pertinet ad subditum. Tertium est fides operans per dilectionem, quæ hoc credat auctoritate ministri Ecclesiæ sibi posse fieri. 2. *Cor.* 2. Nam & ego quod donaui, si quid donaui, propter vos in persona Christi. *glo.* dicit: Ac si Christus donasset in propria persona. Tunc enim per charitatem vnitur Ecclesiæ (in qua fit remissio) is cui remittitur, & per fidem in potestatem remitentis Dei monetur. *Lu.* 1. Beata, quæ credidit: quoniam perficientur in ea, quæcumque dicta sunt ei à Domino. Quartum autem est perfectio eius, pro quo datur indulgentia pro rationabili facultate & vtilitate: quia *Lu.* 21. Vidua duo æra dando plus omnibus dedisse dicta est à Domino: quarto enim non illudit, sed pro facultate deuotè, & vtiliter facit quod faciendum est, indulgentiam consequitur. Sed multi dant, ita quòd Domini potiùs illusio est, quàm vtile: & his extantibus totum remitti potest. Et per hoc tota patet litera *Infrà Matth.* 18. & *Ioan.* 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta erunt.

Tunc præcepit discipulis suis, vt nemini dicerent, quia ipse esset Iesvs Christvs.

Vltimum est istius partis, in quo adhuc nondum perfectis Sacramentis redemptionis, præcipit occultari gloriam deitatis: sed tenendam esse fideliter firmitatem confessionis. *Tob.* 12. Sacramentum Regis abscondere bonum est. In hoc etiam dat formam humilitatis, vt etiã vera magis abscondantur à nobis: & hoc est, quòd dicit [vt nemini dicerent quia ipse esset Christus] quousque in gloria resurgeret, & ad sedem Patris rediret: & tunc prædicarent. *Marc. vl.* Euntes do. o. ge. &c.

Exinde cœpit Iesvs ostendere discipulis suis.

Habita fide & confessione deitatis, super quam fundatur Ecclesia, tangit hîc instructionem ad fidem passionis, quæ operatur in clauibus & Ecclesiæ Sacramentis: & per hoc patet ordo. Tanguntur autem hic tria, primum passionis in capite futuræ reuelatio: secundum ad compatiendum discipulorum inuitatio: tertium autem ne nimis deiiciantur, gloriæ resurrectionis promissio. Et hæc in litera patent. In primo duo sunt paragraphi, quorum primus continet futuræ passionis in capite reuelationem: Secundus verò irrationabilitatis Petri zelantis increpatoriam instructionem. In primo dicitur quo ordine, quis, quibus, quid ostendit: & de ordine dicit [Exin.] post fundatam fidem deitatis, in qua firmi (aliàs sui) permaneant in contemplatione Passionis. *Isa.* 54. Fundabo te in sapphyris, & portam Iaspidem propugnacula tua, Iaspidem enim propugnacula ponere est virorem fidei firmantis tentationibus expugnandis opponere: in sapphyris fundare est in cælesti natura deitatis fide firmiter collocari [cœpit] quia hoc est principium. *Ioan.* 8. Ego principium qui & loquor vobis [Ie. &c.] 1. *Tim.* 2. Qui vult om. ho. sal. fi. & ad agni. veri. ve. [ostendere] per reuelationem [discipuli sui] *Ioan.* 15. Omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

Quia oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum; & occidi, & tertia die resurgere.

Ecce quid ostendit: ostendit autem Passionis opportunitatem, & ad redimendum meliori modo necessitatem, locum, quantitatem, auctores passionis, & acerbitatem, & finem. Et hæc per ordinem continentur in litera. De opportunitate dicit [Quia oporteret eum] quia opem portat, & opes portat & necesse est suppositionis necessitate, si deberet meliori modo, quo potest fieri redemptio, sicut disposuit Pater. *Isa.* 25. Consilium tuum antiquum verum fiat. *Lu.* 24. Nonne sic oportuit pati Christum [ire Ierosolymam] Vbi fuit locus solemnis, & Sacerdotum, & Religionis, & regni. *Luc.* 13. Non capit Prophetam perire extra Ierusalem. *Infrà* 23. Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt &c. Nomen tamen ciuitatis significauit pacem, quam fecit sanguine *Eph.* 2. & *Col.* 2. [& multa pati] *Can.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur [à senioribus] auctoribus, in quibus consilium [& scri.] in quibus sapientia [& prin. sa.] in quibus auctoritas, & zelus 1. *Esd.* 9. Manus magistrantium fuit

fuit in transgressione hac prima *Luc.* 13. Stabant Scri. & Pha. & Prin. Sacer. constanter accusantes eum [& occidi] Ecce acerbitas. *Act.* 3. Auctorem vitæ interemistis, quem Deus suscit. a mor. solutis doloribus inferni. Et hoc est, quod sequitur [& ter. die re.] Ne nimis deficiantur tristitia Passionis : & ne dubitent de ea, quam fecerunt, confessione deitatis. *Act.* 10. Quem occiderunt suspendentes in ligno : hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit fieri manifestum, non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo.

Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens : Absit à te, Domine: non erit tibi hoc.

Increpatoria est Petri instructio : & tria tanguntur, quorum primum est Petri zelus & feruor: secundum Petri increpatio : & tertium cum increpatione instructio. Circa primum ponit zelantem, & modum zeli di. [& as. eum Pe.] seorsum, ne videretur temerarius [cœpit increpare illum] 1. modo increpantis durè dicere : zelabat enim suam confessionem, & putabat filium Dei viui non debere mori : zelabat etiam amicabilem Christi præsentiam : & abhorruit eum talia pati debere, & æquanimiter sustinere non poterat *Marc.* 8. Et apprehendens eum Petrus increpauit [dicens Absit à te Domine] s. quòd filius Dei viui intereat [non erit tibi hoc] Ex pietate, & amore victus dicebat. *Hieronymus* dicit, quòd *in Hebræo* habetur : Propitius esto tibi, Domine : non erit tibi hoc.

Qui conuersus dixit Petro : Vade post me sathana : scandalum es mihi : quia non sapis ea, quæ Dei sunt; sed ea quæ hominum.

Ecce increpatio. Dicit ergo [Qui] IESVS [conuersus] vt inspiceret eum, cui ante procedens dorsum verterat, intuitus eum induxit erubescentiam. *Luc.* 22. Conuersus Dominus respexit Petrum, & egressus Petrus fleuit amarè [dixit] ergo [Petro] 2. *Reg.* 18. Quis mihi det, vt moriar pro te [Vade post me] conformitate voluntatis. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. *Infrà* 26. Non mea, sed tua voluntas fiat. 1. *Reg.* 3. Dominus est : quod vult, faciat [Sathana] qui meæ aduersaris voluntati, nesciens tamen, & ex amore : & ideò non in perpetuum es repellendus vt diabolus. *Suprà* 4. Sed instruendus es, vt non præcedas; sed sequaris meam voluntatem [scandalum mihi es] hoc est, scandalum in me accipis ruinæ tuæ. *Isa.* 8. Offendent ex eis plurimi, & cadent [quia non sapis, quæ Dei sunt] per zelum indiscretum. *Col.* 3. Quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram [sed ea, quæ hominum] humanè me zelando & diligendo. 2. *Cor.* 5. Nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem. Et si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. In prima enim confessione nihil reuelauit caro & sanguis : nunc autem in affectu caro, & sanguis ista Petro reuelabant. *Rom.* 8. Qui in carne sunt, quæ carnis sunt, sapiunt. *Phil.* 3. Gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt.

Tunc IESVS dixit discipulis suis : Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequetur me.

Hic inuitat ad compatiendum : & dicit duo, inuitationem, & rationem, quare inuitatio sit recipienda. Inuitationem dicit primò. Dicit ergo [Tunc IESVS dixit discipulis suis] Sed cõtra *Mar.* 8. Conuocata turba cum discipulis suis, dixit: Si quis &c. Responsio : Discipulis dixit magis quàm aliis : quia prælati hic primi debent esse [Si quis vult] Tangit hic quinque sequenda, videlicet, difficultatem sequentium, libertatem, formam, profectum, & in quo sequantur. De primo dicit [Si quis] q. d. Rarus est, sed tamen laudabilis. *Matth.* 20. Pauci electi *Lu.* 12. Nolite timere pusillus grex. Circa difficile autem est bonum virtutis [vult] Notat libertatis voluntatem. 2. *Cor.* 9. Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus. [post me] Formam meam ante se habens præcedentem. *Hebr.* 13. Exeamus ad eum, improperium eius portantes. *Isa.* 45. Viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt : post te ambulabunt, vincti manibus pergent : téque adorabunt, & deprecabuntur [venire] Tangitur profectus : *Ierem.* 11. Venite, nolite stare, recordamini procul Deum: & Ierusalem ascendat super cor vestrum. [Abneget, &c.] Tangit in quo, quia in tribus, in propriæ voluntatis abnegatione, in carnis mortificatione : quia his duobus tollitur sequendi impedimentum : & virtutis perfectione, quæ est ipsa insecutio. De primo dicit [ab] Non tantùm abneget partem, sed totum abneget [semetipsum] in omnibus, quorum causa est ipse : quia illa vel vana, vel mala sunt : & induat Deum, quem confessus est Petrus : vt illius voluntas tam Deo, quàm per eum fiat. *Psalm.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. *Tit.* 2. Abnegantes omnem impietatem, & secularia desideria, sobriè, & iustè & piè viuamus in hoc seculo [& tollat crucem] hoc est, cruciatum, qui eum pro peccati mortificatione, & carnis castigatione proportionabiliter contingit. 1. *Corinth.* 9. Castigo corpus meum. *Gal.* 6. De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini nostri IESV in corpore meo porto [& se. me.] perfecta imitatione virtutis : præcedere enim nemo potest eum, qui exultauit vt gigas ad currendum viam à summo cælo &c. Concomitari etiam nullus in passionibus : quia *Thren.* 1. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte &c. *Psalm.* 44. Speciosus forma præ filiis hominium. Sequatur ergo necesse est, vel abscedat. *Eccl.* 23. Gloria magna est sequi Dominum. 1. *Pet.* 2. Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Ratio est, quare sequendus sit : & sunt tres, prima quarum est : quia hoc solum est salutis : secunda autem, quia id solùm est vtilitatis : tertia autem, quia hoc solum est securitatis. In prima autem ratione duo sunt rami per oppositum accepti,

cepti, vt magis probetur, & eluceat veritas propositi. Dicit igitur, primò sumens in opposito, vnde intendit auertere [Qui enim voluerit] eo quòd vitium est voluntarium. *Gen.* 4. Subter te erit appetitus tuus [animam suam] ab animalitate dictam [saluam facere] Vel in persecutione negando Christum, ne occidatur : vel in delectabilibus carnis fouendo, ne tristetur [perdet eam] in gehenna, si negat, & si delectabilia sequitur. Iterum [perdet] quia in affectu delectationis, in qua moritur, perpetuè manebit : & tunc, vt dicit *Ber.* In æternum non obtinebit, quod vult : & tamen quod non vult, in perpetuum sustinebit. Vel [perdet] Quia cum semina boni sint sparsa in anima, tantò magis bonum naturale perditur, quantò vitium adimens bonum sæpiùs iteratur. 1. *Cor.* 6. Esca ventri, & venter escis. Deus autem & hunc, & has destruet. *Ioan.* 12. Qui amat animam suam, perdet eam [Qui autem perdiderit animam suam] per oppositum eligendo mortem, antequàm me neget : vel subtrahendo delectabilia animalitati : vel tertiò faciendo bona, disperdet animalitatem. Quò enim plùs honesta per rationem facimus, eò plùs brutalis in nobis perditur sensus, & affectus. *Dan.* 4. Sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem, decoremque regni mei perueni. Sicut enim homo euacuando bonum naturæ & rationis, mutatur in bestiales sensus & affectus: ita etiam faciendo honesta, & rationis bona, paulatim redit humanus honor, & regnum rationis & decor. Vnde Nabuchodonosor delicias sequenti primò dictum est : Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus efficient te, & cum bestiis erit habitatio tua. *Ioan.* 12. Qui odit animam suam, inuenit eam.

Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?

Ratio est sumpta ab vtilitate : & habet duos ramos, vnus ostendit esse nullum lucrum in his, qui perdunt animam : secundus sumitur ab æstimatione boni animæ & mundi. Dicit ergo [Quid enim prodest homini] rationali, si mundum in deliciis & diuitiis & honoribus [lucretur] quæ sunt stercora. *Phil.* 3. Quæ mihi fuerunt lucra, arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam [animæ verò suæ] Non ab animalitate, sed ab animeitate dictæ [detrimentum patiatur] Continuum enim detrimentum, vt diximus, patitur rationis naturale bonum animæ ex boni mundani illicita perfruitione. *Abac.* 2. Væ qui multiplicat non sua : vt quid etiam aggrauat contra se densum lutum? Non nostra enim, non humana bona, sed iumentina, in quibus infigitur animus, & impeditur virtutis profectus. *Psalm.* 68. Infixus sum in limbo profundi, & non est substantia [Aut quam dabit homo] rationalis [commutationem pro anima sua] quam perdit continuè. *Thren.* 1. Egressus est à filia Sion omnis decor eius. *Iob.* 2. Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. *Ezech.* 7. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. *Prouer.* 11. Non proderunt diuitiæ in die vltionis : iustitia autem liberabit à morte.

Filius enim hominis venturus est in gloria Patris suis cum Angelis suis : & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.

Hic ponitur ratio à consideratione securitatis in iudicio diuino: Tangit autem iudicis dispositionem, & iudicij. Circa iudicem tangit quatuor, formam, in qua iudicabit : certitudinem futuri aduentus ad iudicium : Maiestatem, & ministros. De primo autem dicit [Filius enim hominis] quia in forma hominis, in qua iudicatus est, iudicabit *Ioan.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere : quia filius hominis est *Act.* 17. Statuit diem, in qua iudicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis. Certitudinem autem aduentus ad iudicandum dicit [venturus est] Quod enim venturum est, venit, & non tardabit. *Isa.* 35. Ecce Deus noster adducet vltionem retributionis [in gloria Patris sui] Ecce Maiestas. *Dan.* 7. Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. *Lu.* 20. Amodò videbitis filium hominis venientem cum potestate magna & maiestate [Cum An. su.] Ecce Ministri. *Infrà* 24. Virtutes cælorum mouebuntur. *Dan.* 7. Millia millium ministrabant ei : & decies centena millia assistebant ei [& tunc reddet vnicuique] teste conscientia, secundum opera sua. Modus est iudicij. 2. *Cor.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque, propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum. *Isa.* 16. Sedebit super solium in veritate in tabernaculo, Dauid iudicans, & quærens iudicium & velociter reddens quod iustum est.

Amen dico vobis : sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo.

Hic quia multa dixit de Passione, quæ credibilis fuit omnibus propter naturam passibilem assumptam, & confirmat ea, quæ dixit de Resurrectionis gloria, vt tolerabilior sit inuitatio ad patiendum. Et hoc est [Amen dico vobis] hoc est, fideliter [sunt quidam de hic stantibus] Qui? Tres, Petrus, Iacobus, & Ioan. [qui non gustabunt mortem] quia mors gustata fert mortem, sicut quælibet res gustata suum fert saporem : boni autem gustant mortem, mali bibunt eam. *Ierem.* 25. Bibentes bibetis [donec videant] oculis corporis : & sicut beati oculi *Sup.* 13. [fili. ho.] rectum humilitate Passionis [venientem] ad notitiam vel à morte [in regno suo] Vel splendore regni in transfiguratione : vel regni hæreditate in gloria Resurrectionis : vel promittit aliquos visuros Ecclesiæ dilatationem. *Luc.* 9.

Donec videant regnum Dei.
Sap. 10. Ostendit illi regnum Dei.

***

CAP.

CAP. XVII.

Et post dies sex assumpsit IESVS *Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum.*

HAbitis fundamentis Ecclesiæ, tanguntur ea, quorum virtute claues faciunt, quod faciunt: sicut & hic tanguntur Resurrectio, & Passio. Vel meliùs: Quia dictum est, quòd quia nunc omnes claues regni cælorum collatæ sunt ministris, ostenditur hic, quale est regnum, quod referant, sicut & in fine præcedentis capituli est promissum. Tanguntur ergo hic duo, gloria s. Resurrectionis sequens meritum Passionis: & effectus tam super dæmonem impedientem, quàm etiam ad libertatem filiorum, quam perfectissimè efficiet: & hæc duo continentur in secunda parte capituli, sicut per se patet cuilibet. Circa manifestationem autem gloriæ regni Resurrectionis tria inducit, vbi s. & quando & quibus facta manifestatio, & modum suæ manifestationis, & instructionem, qua discipulos de veritate instruit: & hæc in litera patent. Dicit igitur de tempore [post dies sex] à facta confessione. Idem etiam habetur *Marc. 9. Luc. 11.* dicitur: Factum est post hæc verba ferè dies octo. Responsio secundum *August.* quòd Luc. numerat primum in quo facta est confessio: & vltimum, in quo facta est transfiguratio: hos duos non numerant Matth. & Mar. sed tantùm intermedios: octo tamen propter octauam competentem resurrectioni corporum: sed quieti regni competit post dies sex, quæ est septima quietis æternæ. *Hebr. 4.* Qui ingressus est in illam requiem, & ipse requieuit ab operibus suis, quemadmodum & à suis Deus [assumpsit IESVS] Nota est familiaritatis. *Psal. 26.* Pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit. *Exod. 6.* Assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus: scietis, quòd ego sum Dominus Deus vester [Petrum & Iacobum & Ioannem] *Deut. 17.* In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Hos etiam magis familiares assumpsit in suscitatione filiæ Archisynagogi *Marc. 5.* Et in Passione, quando orauit *Infrà 26.* Quorum Petrus Prælatos, Iacobus actiuos, & Ioannes contemplatiuos significat. *Ezech. 14.* Noe, Daniel & Iob in iustitia sua animas suas liberabunt [& du. illos] *Deut. 32.* Dominus solus dux eius fuit. *Exod. 15.* Introduces eos, & plantabis in montem hæreditatis tuæ [in montem] *Psalm. 67.* Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. *Ierem. 31.* Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus [excelsum] *Ezech. 40.* Dimisit super montem excelsum nimis. Hic mons erat Thabor, qui veniens lumen interpretatur. *Psalm. 88.* Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia [seorsum] à mundi strepitu. *Marc. 6.* Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.

Et transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

Ecce ipsa transfiguratio. Describit autem eam dupliciter, in Domino videlicet, & testibus, qui in monte fuerunt. In ipso autem dupliciter, in corpore Domini, & in amictu. In corpore autem describit dupliciter, in communi, & in speciali determinando modos eius. In communi autem dicit [Transfiguratus est ante eos.] Cum autem figura sit terminatio quantitatis, hoc modo non mutauit figuram Dominus; sed dicitur hic figura physici corporis, quæ est cum colore & passionibus, quæ transfigurata est, quando actus altioris potestatis in ea apparuit. Id enim, quod in corpore humano secundum potestatem qualitatum complexionalium apparet, color est humanus. Sed quia corpus dominicum fuit vnitum deitati, & organum animæ plenissimæ gratiæ: & deitas radiat super omnem lucem, vt dicitur *Sap. 7.* Hæc est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior. Quod igitur secundum potestatem deitatis in corpore apparet diuino, transfiguratio est in lucem. Et patet, quòd illi corpori lux illa connaturalis fuit, sicut & color, sicut & in potestate habuit ponendi animam & iterum sumendi eam. Non enim nisi naturale esse potest, quod conuenit ei, in quantum erat deitati vnitum, & animæ cum Deo vnitæ organum. Vnde *Lu. 9.* Facta est species vultus eius altera. Et non dixit: alia. Dicit autem [ante eos] ad demulcendum Discipulos, & trahendum corda eorum in æternorum desideriũ. *Ioan. 14.* Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Vnde Petrus gloriatur *2. Pet. 1.* Non indoctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Iesu Christi veritatem, & præscientiã; scilicet speculatores facti illius magnitudinis. Et tangit in speciali modos dicens [Et re.faci.eius sicut sol] in corpore: in infinitum autem magis in mente, quàm in corpore. *Apoca. 1.* Facies eius sicut sol lucet in virtute sua. Sed contra *Eccl. 43.* Sol radiis suis refulgens obcæcat oculos: qualiter ergo sufficere potuerunt? Dicendum, quòd confortatum maiori lumine habebant visum.

Deinde tangit amictum [vesti.au, eius fa. sunt al. sic. nix] Hoc vestimentum potest esse humanitas: quod ego non puto: quia humana facies fuit, quæ resplenduit sicut sol. Sed ad literam vestis lucentis nubes alba videtur, vbi splendor occumbere, & in albedinem in circuitu videtur terminari. Significat autem vestis Sanctos. *Isa. 49.* Viuo ego, dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento vestiêris, & circumdabis eos tibi quasi sponsa. *Psal. 103.* Indutus lumine quasi vestimento. Nix autem est rara, alba & mollis: rara, quia non congelatur, antequam conuertatur in aquam, eo quòd calidum tenet eam raram: alba autem propter naturam perspicui aquæ, quod est materia eius: mollis autem propter calorem in nube conceptum, qui resoluit cõgelatum aliquantulum, & mollificat. Et rarum quidem significat spiritualitatem: albedo autem innocentiæ & castitatis candorem: & mollities mansuetudinem: & calor charitatem. *Isa. 55.* Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & dat semen serenti, & panem manducanti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo. *Infra 28.* Vestimenta alba quasi lana munda, & sicut nix: quia lana

qualia fullo non potest super terram candida facere. Fullo, inquam, Deus, qui se Sanctis vestit: quia tale lumen Sancti adhuc in terra degentes recipere non possunt.

Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.

Hic tangitur transfiguratio, quoad testes quadrupliciter. Primò quoad testimonium apparentium Patrum, secundò quoad testimonium creaturarum: & quartò quoad testimonium Patris. De primo dicit [Et ecce] Vt notetur euidentia [apparuerunt] vt subitus, & diuinus notetur eorum aduentus: quia sicut *Sup. 2.* notatum est, quod apparet, subitò aduenit, & impræmeditatè [eis] Discipulis, vt magis certificentur [Moyses] ex limbo veniens de mortuis, vt probetur, quòd ipse est, de quo dicitur *Deut. 18.* Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris: tãquam me audieris eum [& Elias] viuus de paradiso veniens eximius Prophetarum: vt ex Propheta haberet testimonium. *Isa. 7.* Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra, hoc est, de paradiso, vel inferno: & vt notetur, quoniam vitæ & mortis habet potestatem. *2. Cor. 5.* In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, vt & viuorum & mortuorum dominetur [cum eo loquentes] *Luc. 9* Erant Moyses & Elias visi in maiestate: & dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem. Dicit enim *Orige.* quòd Moyses ibi orauit pro populo suo. Excessus autem iste erat amoris, doloris & humilitatis. De primo quidem *Ioann. 15.* Maiorem hac dilectionem nemo habet &c. De secundo *Thren. 1.* O vos omnes &c. De tertio *Phil. 2.* Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem &c. *Thren. 3.* Recordare paupertatis meæ &c.

Respondens autem Petrus dixit ad IESVM; Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, Eliæ vnum.

Secundum est [Respon. autem Pe.] ad gloriosa verba Moysi & Eliæ, quæ habebant cum Christo [Domine] omnium [bo. est nos] omnis boni bonũ. *Exo. 33.* Ego ostendam tibi omne bonum [hic esse] vt abscondamur in abscondito faciei tuæ à cõturbatione hominum. Sed errat: hic enim non datur, sed in futurum promittitur: hoc lumen non est abscondendum, sed super candelabrum ponendum: non soli dandum, sed vt luceat omnibus, qui in domo sunt. *Mar. & Lu.* dicunt. Nesciens quid diceret [si vis] hoc præmittit, ne increpetur sicut *suprà 16.* quando dixit. Absit à te, Domine, non erit tibi hoc. Vnde hic præmittit se conformare voluntati suæ [facia. hic] Non erat suum facere formam cognoscere [tria taber.] In hoc errat: quia legis & Prophetiæ & Euangelij non sunt tres habitationes, sed vna, quæ est Ecclesia. *Apoc. 21.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis. Vnum ergo est tricameratum, propter Trinitatis fidem, & propter præeuntium, & sequentium, & comitantiũ societatem: & propter legis & prophetiæ cum Euangelio completionem [tibi vnum, Moy. vnum, & Eliæ vnum] Voluit enim seorsum habitare, sed cum Christo in tabernaculo requiescere, *Isa. 8.* Tabernaculum in vmbraculum diei ab æstu & in absconsionem à turbine, & à pluuia.

Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.

Testimonium est creaturarum [Ecce nu. lu. obum. eos] vt lumen ingereret blandimentum, & luminis testimonium; nubes autem temperaret lucis excessum. *Isa. 49.* In vmbra manus suæ protexit me.

Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.

Testimonium tangit Patris. *2. Pet. 1.* Voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria. *Can. 2.* Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora [Hic est filius] consubstantialis [dilectus] & dilectionis, sicut ego principium [in quo] sicut in redemptore [mihi] sicut auctori in opere [bene] modo virtutis [complacui] non pœnitentiã ductus de opere *Genes. 6.* [ipsum audite] quasi legislatorem. *Isa. 55.* Audite audientes me, & comedite bonum, *Suprà 3.* de hoc multa sunt dicta. Hæc autem, quæ de voce Patris dicuntur etiam in baptismo, sonabant ibi ad perfectionem sanctitatis: hic autem ad perfectionem maiestatis: in Passione autem *Ioan. 12.* ad perfectionem claritatis.

Et audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè.

Hic tangitur instructio Discipulorum: & habet duo, instructionem ex facto de transfiguratione: & instructionem per verbum de circumstantibus apparitionem. In primo dicit tria, casum ex magnitudine: confortationem ex Domini consolatione: & instructionem ex transitu gloriæ reuelatæ. De primo dicit [Et audi. dis.] vocem Patris de testimonio veritatis. *2. Pet. 1.* Vocem Patris audiuimus in monte, cùm essemus cum ipso [ceci. in fa. su.] Qui cadit in faciem, sciens vbi cadit, prudenter cadit, *1. Cor. 14.* Cadens in faciem suam adorabit Deum pronuntians, quòd verè Deus in nobis sit. Econtra cadentes retrorsum, nesciunt, vbi cadant, & extra gratiam cadũt. *1. Reg. 4.* Heli, cadens de sella retrorsum fractis ceruicibus expirauit. *Dan. 10.* est simile ei, quod habetur hic: vbi Daniel cecidit ad visum viri Gabrielis, & dixit: Domine, in visione tua solutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium [& timue. val.] Non aliquid mali, quod ibit non erat, sed territi insolita maiestate, & corũscatione, quæ humana infirmitas sustinere non poterat, licet ad ipsam primitùs facta sit. *Iob 26.* Cum vix paruam stillã sermonis eius audiemus: tonitruum magnitudinis eius quis poterit intuerì? *Isa. 21.* Contrui, cum viderem: turbatus sum, cum audirem, emarcuit cor meum. Timor enim, qui est fuga cordis intùs, causa fuit casus exteriùs.

Et accessit IESVS & tetigit eos, dixitque eis: Surgite, nolite timere.

Et accessit Ie.] appropinquatione dignationis consolabatur & confortabat eos. Et tria tangit, accessum, tactum & allocutionem. *Mat. vlt.* vbi etiam dubitauerant, dicit: Accedens Iesvs ait illis: Data est mihi potestas &c. [& tetigit

eos] vt tactu carnis præsentiam sentirent virtutis deitatis. *Dan.* 10. Manus tetigit me, & erexit me super genua mea [dixitque eis] allocutione. *Psalm.* 44. Diffusa est gratia in labiis tuis. Dicit autem [Surgite] contra casum [nolite timere] contra timorem. *Ioann.* 14. Non turbetur cor vestrum, neque formidet: creditis in Deum? & in me credite. *suprà* 14. Habete fiduciam: ego sum: nolite timere.

Leuantes autem oculos suos neminem viderunt nisi solum IESVM.

Hic ponitur instructio facti & verbi: & ideò duo dicuntur. De primo duo, oculorum ad rem docentem eleuatio; & rei instructio. Dicit igitur [Leuantes oculos suos] *Luc.* 21. Leuate capita vestra. *Baruch.* 4. Sta in excelso, & vide iucunditatem à Domino Deo tuo tibi venientem [neminem viderunt] quia omnia disparuerunt, vt soli Christo adhærerent. 1. *Corinth.* 13. Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: significatur etiam, quòd omnibus transeuntibus, erit Deus omnia in omnibus. 1. *Cor.* 15.

Et descendentibus illis de monte præcepit IESVS dicens: Nemini dixeritis visionē, donec filius hominis à mortuis resurgat.

Instructio est per verbum duplex, vna est humilitatis & mysterij: altera ex solutione dubietatis. De prima dicit [Et desilil.] 2. *Corinth.* 5. Siue mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Eleuati enim in contemplatione redeunt ad actionē. Sic Abraham reuersus est in locum suum à mōte visionis. *Genes.* 18. [Præcepit illis IESVS] præcepto instructionis [Nemini dixeritis visionem] de transfiguratione, & circunstantibus eam [donec filius hominis] cuius est mori [à mortuis resurgat] Duplici ratione: quia si priùs diceretur, & posteà mori videretur, fieret scandalum, & non ædificatio ad fidem, quòd sic transfiguratus mori posset. *Eccles.* 3. Tempus tacendi, & tempus loquēdi. *Eccl.* 20. Ab ore fatui reprobabitur parabola: quia non dicit eam in tempore suo. Alia causa est informatio ad humilitatem. *Eccl.* 11. Ne laudes hominem in vita sua. Et *ibid.* Ante mortem ne laudes quemquam. Dicit autem [à mortuis] quia ad hoc moritur, vt mortuos visitet. *Eccl.* 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes. Adhuc etiam ipse solus fuit inter mortuos liber: & ideò surrexit ab eis.

Et interrogauerunt eum Discipuli dicentes: Quid ergo Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire?

Hæc est solutio dubiorum: & habet tres partes, quarum prima est interrogatio: secunda solutio: & tertia illuminatio perfecta. De prima dicit [Quid ergo Scribæ dicunt] qui auctoritatem habent ex scientia legis [quòd Eliam oporteat primum venire] Hanc enim formam fecerunt Scribæ, persuasi ex hoc, quod continetur *Malach. vlt.* Ecce mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, vt conuertat corda patrū ad filios, & filiorū ad patres eorūm fortè veniā, & percutiā terrā anathemate. Dixerūt igitur, quòd Elias veniēs restituturus erat omnia in antiquū statū cōcordiæ, gratiæ, & innocētiæ.

At ille respondens ait illis: Elias quidem venturus est, & restituet omnia: Dico autem vobis, quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum; sed fecerunt in eo quæcunque voluerūt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt Discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

Solutio est duo continens: vnum est intellectus scripturæ de aduentu Eliæ in persona: alterum est de aduentu Eliæ in spiritu & virtute. De primo dicit [Elias quidē venturus est] ante secundum aduētū ad iudicium: & tunc restituet omnia, quæ destruxit Antichristus. *Malach. vlt.* Mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis [Dico autem vobis, quòd Elias iam venit] ille, inquam, de quo dicitur *Luc.* 1. Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ [& non cogno. eum] per approbationem quia testimonium mihi perhibuit. *Amos.* 5. Odio habuerunt corripientem in porta: & loquētem perfectè abominati sunt [sed fecerunt in eum quæcumque voluerunt] In hoc notatur, quòd causa fuerūt mortis Ioannis, vel quòd persuaserunt Herodi, vt occideret eum: vel consenserunt ad minus: & hoc ideò, quia testimonium perhibuit Christo. *Act.* 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuntiauerunt dies iusti, cuius vos nunc proditores facti estis, & homicidæ. Et hoc est, quòd sequitur [Sic & filio hominis passu, est ab eis] scilicet, quòd non cognoscentes occiderunt eum. 1. *Cor.* 2. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Ioan.* 1. Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit [Tunc] videntes in Ioanne impletum quod dixerat, [intellexerunt Disci. quia de Ioan. Bapt. dixit eis] Sicut supra 16 intellexerunt, quia non dixerat de fermento panum; sed de doctrina Pharisæorum dixerat esse cauendum.

Et cùm venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum.

Effectus præinductorū Sacramētorū hic determinatur primò quidem in ablatione impedientis effectum Sacramētorū hic: & habet duas partes, in quarum prima ponitur impedimenti ablatio: & secundò Apostolorū circa difficultatem expulsionis Dæmonis instructio. Circa primum tāguntur tria, Dæmoniaci oblatio, offerentium increpatio, & expulsionis Dæmonis perfectio: Quæ per ordinem in litera continentur. Circa oblationē infirmi duo sunt, primū occursus Domini per misericordiam, alterū oblatio miseri propter miseriam. De primo dicit [Et cùm ve. ad tur.] per misericordiā descēdēs de monte, vt se turbæ coapteret. *Ps.* 103. Ascendunt montes, & descendunt campi in locum, quem fundasti eis [accessit ad eum homo] Hic est oblatio miseri: & tāguntur duo, postulatio salutis, & allegatio magnæ infirmitatis & necessitatis. In primo dicuntur quatuor, deuotio videlicet, & ratio, & reuerentia, & propositio petitionis cū instantia obtinendi. Deuotio notatur, cùm dicit [accessit eum] propinquitate deuotionis. *Psalm.* 33 Accedite ad eum, & illuminamini &c. [homo] Notatur rationabilitas, quia discreuit, quòd eius, qui fecit, est curare. *Ps.* 35. Homines & iumenta saluabis, Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiā tuam, Deus [genibus prouo. *Marc.* 1. Venit leprosus ad eum,

ad eum, & genuflexo &c. *Phil.* 2. In nomine Domini IESV omne genu flectatur &c. *Isa.* 45. Viuo ego, dicit Dominus: quia mihi curuabitur omne genu. *Mich.* 6. Curuabo genu Deo excelso. Non autem flectit, sicut illudentes *Infrà* 27. Est autem genuflexio ad humanitatem propriè, sed prostratio ad deitatem, sicut Magi procedentes adorauerunt eum. Quia curuatur genu in signum casus, & erectio significat liberationem à casu: Prostratio autem est in signum, quòd homo nihil est, & erectio est recognitio maiestatis de nihilo in altum erigentis.

Dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur: nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam. Et obtuli eum Discipulis tuis; & non potuerunt curare eum.

Ecce petitionis propositio: & dicit quatuor profitetur enim potestatis perfectionem in eo, quem interpellat: & petit misericordiam, quia iustitia non suppetit: & ostendit rationem affectus ad eum, pro quo petit: & allegat necessitatem. De primo dicit [Domine] *Sap.* 12. Subest tibi, cùm volueris, posse [miserere] quia tibi proprium est misereri semper & parcere. 2. *Cor.* 1. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione [filio meo] Ius enim naturæ est, vt illius miserear. *sup.* 15. Miserere mei, fili Dauid: filia meā à dæmonio vexatur [quia lunaticus] Allegat hic necessitatem duplicem, infirmitatis, & difficultatem curationis. In infirmitate dicit tempus passionis, acerbitatem, frequentiam, & periculum. Tempus, quia [lunaticus est] in renouatione lunæ patiens: Dæmon enim hoc tempus obseruans intendit odibilem facere Creatorem, qui tales creaturas fecisset, quæ nocerent. *Marc.* 9. dicitur iste surdus & mutus. Potuit esse, quòd deficiente luna, quæ mouet humidum, oppilabantur ei viæ aurium, & venæ mouentes linguam humido à capite descendente, & sic redeunte mense surdus & mutus factus est [& male patitur] Ecce acerbitas doloris à Dæmone vexante. Simile *Sup.* 5. malè vexatur. *Suprà* 8. malè torquetur de seruo Centurionis [Nam sæpè] Ecce frequentia. *Marc.* 9. & *Luc.* 9. Spiritus apprehendit, & spumat, & stridet dentibus, & arescit [cadit in ignem, & crebrò in aquam] Ecce periculum, quia quærebat dæmonium occidere infirmum elementis, quæ vel actiua vehementer corpus dissoluerent, vel oppilando vias spiritus necarent: sic enim citò occiditur homo: & est ignis libidinis, vel iræ, vel æstus auaritiæ. *Proverb.* 30. Ignis nunquam dicit: sufficit. *Iob* 31. Ignis est vsque ad consummationem deuorans, & omnia eradicans genimina. *Psalm.* 57. Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Aqua autem est voluptatum, quæ nutriuit libidinem. *Psalm.* 68. Intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. *Thren.* 3. Inundauerunt aquæ super caput meum. Dixi, periit finis meus, & spes mea à Domino [Et obtuli eum] Difficultas notatur curationis [Discipulis tuis] quibus *Suprà* 10. data est potestas eiiciendi spiritus immundos, & vt langores curarent, *Luc.* 9. Dedit eis potestatem super omnia dæmonia [& non potuerunt curare eum] Quadruplici de causa: propter modicitatem fidei Discipulorum, incredulitatem offerentium, & ignorantiam, quia nescierunt curationis modum in oratione & ieiunio debere fieri: & infirmi indignitatem ad sanitatis beneficium.

Respondens autem IESVS ait: O generatio incredula, & peruersa, quousque ero vobiscum? Vsquequo patiar vos?

Ecce increpatio offerentium incredulorum. Dicit autem duo de offerentibus, & duo de seipso. De offerentibus [O generatio incredula] quoad infidelitatem. *Psalm.* 77. Generatio, quæ non direxit cor. suum: & non est creditus cum Deo spiritus eius [& peruersa] quoad mores. *Deut.* 32. Generatio prauа, atque peruersa hæccine reddis &c. [quousque ero vobiscum] incredulis [Quousque patiar vos] peruersos. *Romano.* 9. Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum. Vnde non dicit istud tædio victus, sed potiùs annuens de peccato improbitates eorum, qui beneficio causas tristitiæ ingeminabant. *Psalm.* 105. Vexatus est Moyses propter eos: quia exacerbauerunt spiritum eius. *Osee.* 10. Corripientur propter duas iniquitates suas. Sic enim lux in tenebris lucet, certans ad dissipationem tenebrarum. *Iob* 5. Increpationem Domini ne reprobes: quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.

Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum IESVS: & exiit ab eo dæmonium: & curatus est puer ex illa hora.

Hic ponitur salutis perfectio in quatuor, in allatione infirmi, in increpatione dæmonis, & infirmi eiectione, & in salutis perfectione. De primo dicit. [Afferte illum ad me] *Luc.* 9. Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum malum. *Suprà* 4. Obtulerunt ei omnes malè habentes [Et increpauit illum IESVS] Et puerum propter peccata, & Dæmonem propter intentionis malitiam. *Luc.* 9. Increpauit IESVS spiritum immundum, & sanauit puerum. *Marc.* 9. Cum accederet puer, & videret IESVM, statim spiritus conuulsauit eum [& exiit ab eo dæmonium] propter verba increpantis. *Mar.* 9. Surde, & mute spiritus, ego præcipio tibi: exi ab eo, & ampliùs ne introeas in eum [& curatus est puer ex illa hora] subitò: ne credatur beneficio naturæ curatus esse. *Sap.* 5. Mirabuntur propter subitationem insperatæ salutis. *Osee* 13. Portabam eos in brachiis meis, & nesciebant, quia curarem eos. *Luc.* 9. Omnes, qui cura indigebant, sanabat.

Tunc accesserunt Discipuli ad IESVM secretò, & dixerunt: quare nos non potuimus eiicere illum?

Hic tangitur instructio Discipulorum, & dicuntur duo, interrogatio Discipulorum, & instructio. De primo dicit [Accesserunt] iusu familiaritatis [ad IESVM] magistrum veritatis

tis. *Ecclesiast.* 51. Appropinquate ad me indocti. *Ecclesiast.* 61. In omni animo tuo accede ad Sapientiam [secretò] Vel quia se putabant amisisse curatiuam gratiam : vel euadentes verecundiam, quia curare non poterant : vel nolentes publicè increpari pro modicitate fidei. *Suprà* 15. Seorsum exponebat Discipulis [& dixerunt. Quare nos non potuimus eiicere illum ?] cùm nobis dederis claues, & dixeris, quòd portæ inferi non prævalebunt aduersus confessionem nostram.

Dixit illis IESVS : propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : transi hinc, & transibit : & nihil impossibile erit vobis : hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.

Instructio hic ponitur duplex : ostenditur enim impotentia ex parte Discipulorum, & ex parte infirmi. Ex parte Discipulorum duplex, vna est incredulitas, & alia fidei frigiditas. De prima dicit [propter incredulitatem vestram] Incredulitas dicitur duobus modis : vno quidem modo dicit diminutionem, vel priuationem ex parte crediti, quia non omnia credit credenda, & sic non fuerunt increduli : alio modo dicit remissionem ex parte actus innitendi primæ veritati propter se, & super omnia, & sic dicuntur hic increduli adhuc aliquantulum innitentes humanæ rationi : quia fides non habet meritum, cui humana ratio præber experimentum. *Iacob.* 1. Qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd aliquid [accipiat à Deo [Amen quippe dico vobis] instructio est ad fidei feruorem, quæ per charitatem fertur [Si habueritis fidem sicut granum sinapis] in qualitate, non in quantitate: quia tritum replet superiora spiritualia, & corruptos humores deponit à capite, & tritum inualescit in virtute. 2. *Cor.* 12. Cùm enim infirmor, tunc fortior sum, & potens [dicetis monti huic] hoc est, superbiæ Dæmonis. *Iere.* 51. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram [Transi hinc, & transibit] *Psalm.* 45. Transferentur montes in cor maris. *Isa.* 64. A facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis contabescerent. Istud etiam ad literam aliquando factum est, & adhuc fieret, si hoc fides, & fidelium status exposcerent. 1. *Cor.* 13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam &c. [& nihil impossibile erit vobis] *Matt.* 9. Omnia possibilia sunt credenti. *Luc.* 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Rarò autem est, quia fides nititur omnipotentiæ Dei, & non rationi humanæ : & ideò omnia vincit. 2. *Esd.* 4. Super omnia vincit veritas.

Hoc autem genus non eiicitur] Instructio autem est ex parte morbi : vt sint cauti in discernendis criminibus [nisi per orationem] quæ sanat pestes mentis indeuotæ [& ieiunium] quod sanat pestes penalitatis carnis. Et intelligitur, quòd iste puer & nequitiis spiritualibus, & carnalibus subiacuit. *Tob.* 12. Bona est oratio cum eleemosyna & ieiunio. Et dicit *Chrysost.* quòd nihil est validius homine deuotè orante cum ieiunio, & eleemosyna, si habet : quia tunc corpus orationem non fœdat, & eleemosyna ad exaudiendum adiuuat. *Psal.* 34. Ego autem cùm mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam : & oratio mea in sinu meo conuertetur. Eleemosynam autem hic non adiungit : quia non omnes habent, vnde corporalem faciant eleemosynam. Sic ergo terminatur pars, in qua agitur de remotione impedimenti.

Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis IESVS : Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

Hic vltimò agit de libertate, quæ efficitur in ministris : tangit autem duo ; repetit enim primò quod sæpè dicendum est de causa libertatis, quæ pro nobis soluendo pretium à tributo tyrannorum liberat : & hoc est Passionis Sacramentum. Deinde tangit libertatis rationem, & causam. De Passione autem, qua soluitur pro nobis pretium, tangit tria, locum, ordinem, & effectum ex parte Discipulorum. Locum tangit dicens [Conuersantibus autem eis in Galilæa] in locis, vbi immortalis, lætus lætis post resurrectionem occurrit. *Matt. vlt.* Vnde etiam Discipuli abierunt in Galilæam, in locum, vbi constituit illis IESVS : ibi enim populus, qui ambulabat in tenebris, sicut primò vidit lucem prædicationis suæ, sic etiam primò lucem vidit suæ Resurrectionis. *Isa.* 9. Significans, quòd transfiguratione facta in homine de vitiis ad virtutes, de virtute in virtutem, de exilio ad patriam, lætus & gloriosus occurrit Dominus.

Dixit illis IESVS] ordinem Passionis suæ, & posteà Resurrectionis : ordinem autem Passionis quoad Passionem patientis, quoad modum traditionis, quoad ministros sceleris, quoad consummationem mortis. De primo horum dicit [Filius hominis] Non ex concupiscentia natus, & ideò peccatum non habens ex natiuitate. 1. *Pet.* 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in lingua eius. Tangit etiam naturam in hoc, quæ pati potuit, inquantum filius hominis est. 1. *Pet.* 4. Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Iam autem tertiò prædicit passionem, vt semper sit in cordibus nostris sanguis patientis. *Luc.* 9. Ponite hos sermones in cordibus vestris : Filius hominis, futurum est, vt tradatur in manus peccatorum. *Thren.* 3. Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthij & fellis. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea [tradendus est in manus] Secundum est : Traditus est à Patre. *Rom.* 8. Qui etiam proprio filio suo non pepercit ; sed pro nobis omnibus tradidit illum. Traditus etiam est à seipso. *Isai.* 53. Eo quòd tradidit in mortem animam suam. Traditus à Discipulo. *Ioann.* 13. Cum misisset diabolus in cor, vt traderet eum Iudas Simonis filius Iscariothis. Traditus etiam à Iudæis. *Infra* 26. & *Ioannis capitulo.* 19. Propterea qui mihi tradidit tibi, maius peccatum habet. Sed à Patre traditus est in reconciliationem, à seipso in ho

in hostiam, à Iuda Iudæis, à Iudæis gentibus, à gentibus in mortem[in manus hominum]Tertium est, hoc est, peccatorum gentilium, qui ministri erant sceleris, cuius inuentores sunt Iudæi. *Infrà* 20. & *Luc.* 18. Tradent eum gentibus ad illudendum, & conspuendum, & flagellandum [& occident eum]Quartũ est consummatio mortis. *Lu.*23. Tradiderunt eum summi Sacerdotes, & Principes in damnationem mortis.

Ne autem abundantiori tristitia absorbeantur: Subiungit ordinem resurrectionis dicens [&tertia die resur.] *Osee* 6.Viuificabit nos post duos dies;in die tertia suscitabit nos. *Ioan.* 2. Soluite templum hoc: & post triduum reædificabo illud [Et contristati sunt vehementer] propter absentiam dulcis præsentiæ in carne Domini nostri IESV. *Ioan.* 16.Vos igitur nunc quidem tristitiam habetis:iterùm autem videbo vos,& gaudebit cor vestrum:& gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt, qui didrachmam accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma: ait: Etiam.

Hic tangit de libertate in figura, quam fecit Passio pretium soluens: & tangit tria, occasionem, qua inducitur historia: historiam, & instructionem de vitando scandalo in defensionem libertatis. De primo dicit: vbi, qui, quid, & à quo petebat tributum seruitutis dicens [Cum venisset, Capharnaum] Non poterat esse locus inconuenientior ad exigendum tributum ab omnium liberatore seruorum: quia ibi plurima miracula fecerat, pro quibus, etsi conditionaliter seruus fuisset, manumitti debuerat, vel ad minus à tributo absolui. *Luc.* 4. Quanta audiuimus facta in Capharnaum. *Supra* 11. Tu Capharnaum, nunquid vsque ad cælum exaltaberis? vsque in infernum descendes: quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, fortè mansissent vsque in hanc diem [accesserunt qui didrachma accipiebant] Attende, quòd Pompeius primò fecit Iudæam tributariam, sed non soluebatur nisi de ciuitatibus summa pecuniæ: Augustus verò posteà imposuit censicapitem, quod quilibet soluit de capite suo: & hoc erat didrachma, hoc est, munus, vel pondus duos valens vsuales, & erat in eo imago Augusti.Vnde *Infrà* 22. Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris [ad Petrum] Non enim audebant ad Christum accedere propter signorum magnitudinem, vt dicit *Hieronymus* [& dixerunt ei] sicut maioti inter Discipulos [Magister vester non soluit didrachma [Fortè, vt tentarent eum, sicut *Infrà* 22. Vnde *Luc.* 23. Prohibentem tributa dari Cæsari: & dicentem se Christum regem esse [Et ait] Petrus [Etiam] Simplicem confiteur veritatem, sicut à Magistro didicerat *supra* 5. Sit sermo vester est, est: non, non.Quod amplius est, à malo est.

Et cùm intrasset in domum, prænenit eum IESVS dicens: Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS: Ergo liberi sunt filij.

Hæc est ostensio libertatis factæ per Christum, qui pretium soluit pro nobis, & nos in filios regni progenuit: & tangit quatuor in ordine. Primò enim vt Deus conscientiam ostendit: secundò humilitatem ostendens Discipuli sententiam quæsiuit: tertiò sententiam à Discipulo inuentam audiuit: & quartò approbauit, & confirmauit Prælatos instruens, vt quantumcumque sint sapientes & boni; non tamen omnia faciant de consilio proprij capitis; sed accipiant consilium subditorum. Dicit igitur [Et cùm intrasset in domum] Publicè enim de libertate loqui noluit, ne Iudæi, vel Gentiles acciperent scandali occasionem. 1. *Cor.* 10. Sine offensione estote Iudæis & Gentilibus & Ecclesiæ Dei [præuenit eum IESVS] conscientiam ostendens. *Iob* 42. Scio,quòd vniuersorum memineris, & quòd nulla later te cogitatio [dicens: Quid tibi videtur Simon] Petrum non nominat:quia Petrus liber & Dominus,de tributo soluendo non debet audire quæstionem.*Gal.* 2. Nec ad horam cessimus subiectioni [Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, vel censum] Tributum fuit de terris,quæ defendebantur in republica: Census autem de capite, *Roma.* 13. Cui vectigal, vectigal; & cui tributum, tributum:& cui honorem, honorem.Et præmittit: Reddite ergo omnibus debita: nemini quicquam debeatis [à filiis suis, an ab alienis?] *Gal.* 5. Vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem vestram in occasionem detis carnis.*Ibidem* 4.Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit [At ille dixit:Ab alienis] Alienus autem dicitur,qui extraneus est, & à nobilitate regni, & ab actu regendi: quia communicantes in actu regiminis non soluunt tributum, sicut Sacerdotum gens in spiritualibus: & Sapientes in consiliis & in inuentionibus legum: & milites in armorum strenuitate: hæc enim decet habere imperatoriam maiestatem. 1. *Pet.*2. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.Et, 1.*Reg.*17. dictum est Dauid, quod qui percuteret Philistæum,efficeretur Dominus Patris eius absque tributo in Israel [Dicit illi IESVS] sententiam Discipuli approbans [ergo liberi sunt filij] 3. *Esdræ penul.* Omnibus Sacerdotibus & Leuitis & sacris cantoribus templi nullum tributum, neque aliqua indictio irrogetur: nec habeat quisquam, potestatem quicquam obiicere eis. 2. *Reg.* 19. De filiis Israel Salomon non constituit quenquam seruire; sed erant viri bellatores. Christus autem filius fuit Dauid Regis: vnde multò minus soluere debebat tributum.

Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens da eis pro me & te.

Instructio est, ne nimius seruor defendendæ libertatis fiat scandali occasio, præcipuè apud infideles:

infideles: & in hoc ipse non solùm liberum, sed & vniuersitatis Dominum se ostendit, cui creatura maris, pretium offert, & censum suæ seruitutis. Dicit ergo duo, cauendum. s. scandalum, & vnde accipiatur census pro redimenda vexatione tyrannorum. Dicit igitur [Vt autem non scandalizemus] 1. *Corinth.* 8. Videte, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. *Infrà* 18. Væ homini, per quem scandalum venit: Hæc enim non sunt de veritate vitæ, vel doctrinæ, vel iudicij: & ideò dissimulanda sunt propter scandalum [Vade ad mare] quia ego feci mare, & omnia, quæ in eo sunt[& mitte hamũ]instrumentum scilicet piscandi: & est notabile, quòd Petrus pretium hamo ad necessitatem: animas autem sagena piscari præcipitur. Et econtra modò fit: quia nec pretium sagena, nec animæ hamo capiuntur à Prælatis. *Suprà* 13. Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti [Et eum piscem, qui primò ascenderit, tolle] Significans, quòd vitreus debet offerri census, & non per agitationem est extorquendus: & hoc est, quod sequitur [aperto ore eius] quia voto offert[inuenies staterem] qui valet duo didrachmata[illum sumens da illis pro me, & pro te] Sed nunquid non habebat loculos, vnde soluere poterat? Dicendum, quòd sic; sed pecuniam in vsus pauperum oblatam nolebat conuertere in vsus proprios. Sed quare non soluit pro aliis discipulis? Responsio, quòd illi quasi de familia reputabantur. 1. *Corinth.* 9. Cùm essem liber ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem.

CAP. XVIII.

In illa hora accesserunt Discipuli ad Iesum dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum?

VSus, & quis (aliàs opus) potestatis ministrorum determinatur ab hoc loco. Quia autem vsus dupliciter consideratur, in opere scilicet, & secundum instantiam operis: ideò duas habet partes: ita quòd primò determinat proprium opus: & secundò instantiam circa opus in capitulo 20. *infra.* Opus autem dupliciter determinatur ad subditos, inuitatione, & cura mali: & hoc determinatur in isto capitulo, & in regimine boni secundum statum omnem boni in Ecclesia: & hoc determinatur in ca. sequenti. Istud autem capitulũ in duas diuiditur partes, in quarum prima docetur cautela, & vitatio mali circa subditum, ne fiat malum: in secunda autem docetur cura mali, quod factum est *ibi* [Quid vobis videtur, si alicui fuerint centum] Prima harum in duas diuiditur. Primò enim dicit occasionem, ex qua doctrina de vsu potestatis introducitur: secundò dat doctrinam *Ibi* [Et aduocans IESVS, &c.] In prima dicit tempus, & auctores facti, & factum, per quod doctrina ista introducitur: Dicens [In illa hora] quando occasionem acceperant ex hoc, quòd tres præter alios in montem adduxit, & pro Petro, & non pro aliis soluti fecit: & sic quasi specialis dignitatis esset, eum habuit: cui etiam claues dedit [accesserunt] ausu familiaritatis [ad IESVM] sicut ad illuminatorem, [dicentes] Contrarium dicitur *Marc.* 9. Venerunt Capharnaum, & cùm domi essent, interrogauit eos: quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via disputauerãt: quis eorum videretur esse maior? *Luc.* 9. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum videretur esse maior. Responsio. Lucas dicit id, quod primum fuit & initium istius elationis in primo motu, vbi comprimenda fuit, quando primò tentauit. *Tob.* 4. Superbiam in corde tuo nunquam dominari permitte. Marcus autem tangit, in quo processit ad verbum contentionis: Matthæus autem qualiter quæstio est sopita [Quis putas] cuius reputatio est secundum veritatem dignitatis meritorum. *Prouerb.* 16. Spirituum ponderator est Dominus. Primò enim tacentes quando deprehensi sunt à Domino: posteà non audientes increpantem durè, sicut fecerat de errore Petri, fiduciam acceperunt interrogandi [maior est] *August.* In rebus, quæ non mole, sed virtute magnæ sunt, idem est maius esse, quod melius esse. Occasionabatur autem hoc ex hoc dicto superiùs 5. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. *Iob* 1. Erat vir ille magnus inter omnes orientales [in regno cælorum]quia non contendebant de regno terreno: sed de regno cælorum, in quo bonum est magnum esse, licet non bonum sit videri sibi esse magnum: ideò non merentur increpationem, sed instructionem. Est autem regnum cælorum vel materialiter accipiendum pro congregatione Iustorum: vel secundum sæpe habitam expositionem, pro completa potestate in officiis, & legibus, & ordine, & distributione regni: vel pro gloria regni, in quam inducuntur Sancti. *Luc.* 22. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus reg. &c. Terrenam autem potestatem concupiuit mater filiorum Zebedæi *infrà* 20. Et ideò increpata est.

Et aduocans IESVS paruulum, statuit eum in medio eorum.

Hæc doctrina diuiditur in partes duas, quæ competit Prælatis secundum vsum potestatis. Prima est exhortatio ad innocentiam, & secunda est dehortatio à nocentia *ibi*[Qui autẽ scandalizauerit &c.] Prima harum habet tres paragraphos, in quorum primo docet innocentiam humilem, in secundo sensum humilem, & in tertio beneficentiam humilem: & hæc per ordinem sunt in litera. De primo dicit duo, exemplum, & doctrinam. De exemplo dicit quatuor, quorũ primum nota; Doctoris ad innocentem humilitatem assimilationem, secundum humilitatis imitationem, tertium exẽpli in animo confirmationem, quartum omnium bonorum ad exemplam in animo statuum comparationẽ (aliàs operationem) & reductionem. Primum notatur in hoc, quòd dicit [Aduocans IESVS] hoc est, ad sui conformitatem vocans. *Sup.* 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. *Isa.* 9. Paruulus datus est nobis. *Phil.* 2. Exinaniuit semetipsum &c. Secundum notatur, cùm dicit [paruulum] hoc est, formam paruulis competentẽ. Paruulus autẽ est minor paruo: & ille est, qui reputatione sui etiã paruis minor est. 1. *Cor.* 15. Ego enim sum minimus Apostolorum. Ecce paruis minor. Qui non sum dignus vocari Apost. Ecce minor minimis, qui paruis & minoribus minores sũt. *Eph.* 3. Mihi omniũ sanctorũ minimo data est gratia hæc, *su.* 11. Qui minimus est in regno cælorũ, maior est maximo inter natos mulierũ. Tertium notatur, cùm dicit [statuit] hoc

hoc est, firmiter collocauit, vt à mẽte nunquã excideret: Humilitas enim in imo stans, firmo stat pede: sed superbia in ventum iecta eliditur. *Ps.* 55. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt omnes. Ideò *Dan.* 10. dicitur: Sta in gradu tuo, qui est gradus puluieris, & cineris, *Eccl.* 10. Quid superbis, terra, & cinis [Cum in medio eorum] Quartum est, vt notet humilitatem esse quasi centrum virtutis. *Luc.* 22. Ego in medio vestrum sum, sic qui ministrat. *Rom.* 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: qui cum in for. Dei esset, non rapi. &c.

Et dixit: Amen dico vobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli: non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum.

Doctrina est innocentiæ humilis, qui decet Doctorem humilem. *Isa.* 53. In humilitate iudicium eius sublatum est. Duo autem dicuntur in doctrina, auersio, & conuersio. Tangit ergo primò auersionem à malo dicens [Nisi conuersi fue.] à malo vestræ elationis. *Psalm.* 7. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit. *Zach.* 1. Conuertimini ad me humilem & paruum [& eff. sicut paruuli] Mites & innocentes, iniuriarum immemores, ambitionis non appetitores, libidinis nunquam insecutores. De primo horum *Psalm.* 24. Innocentes & recti adhæserunt mihi. De secundò *Eph.* 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. De tertio *Galat* 5. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. De quarto *Leui.* 19. Non quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum [non intrabitis in Reg. cæ.] hoc est, in gaudium regni. Et dicit [non intrabitis] quia continuis profectibus oportet intrare eum, qui intrare desiderat. *Iob* 22. Saluabitur innocens, saluabitur autem in munditia manuũ suarum. *Psalm.* 23. Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in lo. sancto eius? Innocens manibus & mundo cor. &c. Christus enim ostium est regni. *Ioan.* 10. Ego sum ostium &c. Christus autem humilis & ad humile ostium altus impingit. *Ioan.* 14. Nemo venit ad Patrem nisi per me [Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste] Sensum docet humilitatis. 1. *Cor.* 14. Malitia paruuli estote; sensibus autem perfecti sitis. 1. *Cor.* 1. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes [hic est maior in reg. cæ.] *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. *Prou.* 29. Superbum sequitur humilitas: humilem spiritu suscipiet gloria. 1. *Pe.* 5. Humiliamini sub potenti manu Dei: vt vos exaltet in die visitationis.

Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me suscepit.

Tertium est doctrina beneficentiæ humilitatis, dicit igitur [Et qui susceperit] charitatis beneficia ministrando. *Rom.* 15. Suscipite inuicem, sicut Christus suscepit vos in honorem Dei. 2. *Tim.* 5. Si hospitio pauperes suscepit, si Sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus subministrauit [vnum paruulum] quia paruus paruis contentus est: & nemo est, qui non possit vnum suscipere: quidam autem non possent suscipere plures. Planum autem est, quòd Vicarij Christi nec in pompa seculari magni sunt, nec cum multitudine veniunt. *Infrà* 25. Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis [in nomine meo] quia sic veniens, in figura nominis Christi venit, & non in nomine Nabuchodonosor Regis, in cuius nomine venit Holofernes omnia vastans & consumens, cuius ferocitatem animi nemo mitigare potuit. *Lu.* 10. Qui vos audit, me audit: &. qui vos spernit, me spernit. *Suprà* 10. Qui recipit Iustum in nomine meo, mercedem accipiet iusti.

Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis his, qui in me credunt, expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Hæc exhortatio est contra nocumentum scandali. Prouenit autem scandalum ex duobus, quorum vnum est dictum, vel factum minus rectum exterius materiam præbens, & occasionem ruinæ: alterum autem prouenit ex principio mali interiùs, quod est fastus cordis, ex quo surgit contemptus aliorum: & hoc secundum tangit *Ibi* [Videte, ne contemnatis &c.] Adhuc in primo duo facit: hortatur enim vitare scandalum, & actiunm, & scandalum passiuum *Ibi* [Væ mundo à scandalis] Circa primum dicit scandalum, & in quem scandalum maius confert nocumentum, & quæ pœna scandalizantis. De primo dicit [Qui autem scandalizauerit] Scandalizat autem actiuè alterum, qui dicto, vel facto minus recto occasionem dat ruinæ. Hæc autem sententia maximè in Apostolos, hoc est, Apostolicos in prælatione Apostolorum subditos gubernantes. *Rom.* 14. Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fieri, vel scandalum [vnum de pusillis, qui in me credunt] Vnus autem est, qui vnitate charitatis Ecclesiæ est vnitus. *Eph.* 4. Soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. *Cant.* 6. Vna est columba mea. Pusillus autem est paruus in fide *Suprà* 14. Modicæ fidei, quare dubitasti? Hic dicitur infirmus 1. *Cor.* 8. Videte, ne fortè hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Licentia dicitur licentiosa actio. Pusilli enim indigent consolatione. 1. *Cor.* 3. Tanquam paruuli in Christo lac potum vobis dedi, non escam. *Isa.* 66. Ad vbera portabimini, & super genua blandietur vobis [qui in me credunt] Hoc dicit, vt ostendat, in quo pusilli, quia in fide: isti enim sunt, de quibus dicitur *Lu.* 8. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt: Si enim fortes essent in fide, non scandalizarentur. *Prou.* 12. Non contristabit Iustum, quicquid acciderit ei. Sed infirmus scandalis patet, & auertitur à malo exemplo eius, qui deberet dirigere eum. *Infrà* 23. Circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselitum: & cum fuerit factus, facitis filium gehennæ duplò quàm vos. Et hoc ideò, quia dicitur 2. *Pet.* 2. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ quàm post agnitionem retrorsùm conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. *Mal.* 2. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos

in lege [expedit ei, vt susp. mo. asin. in col. eius &c.] Pœna est scandalizantis. Pœna in Palæstina fuit, quæ mortem confusione cumulauit, quòd aliquis scelestus suspensa mola asinaria fune in collo: sicut in fœce conditionis, & non nisi ad vilem & difficilem laborem natus, in mare demergebatur, sicut posteà culleus ad extremam confusionem super pœnam mortis cumulandam est inuentus. Et hac pœna dignum pronuntiat eum, qui custos animarum positus, per scandalum homines in ruinam præcipitat. Quædam *glo.* tamen dicit, quòd quando mola asinaria trahitur, collo suspenditur, vt erecta circunducatur; & significat asinum hominem, qui custos animarum regiminis sui non intelligit officium: & efficitur peccatum suum grande; quia retrahit homines à sacrificio Dei 1. *Reg.* 2. Cui magis expedit, vt in mundi circuitu laboret solus, & in profundum amaritudinis inferni pro peccato suo demergatur, quàm quòd alios scandalizans, pro suo & aliorum scelere damnetur, magis, & pro se, & aliis luat pœnas. *Sap.* 6. Exiguo conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. *Ezech.* 3. Sanguinem eius de manu tua requiram.

Væ mundo à scandalis. Necesse est enim, vt veniant scandala: veruntamen væ homini, per quem scandalum venit.

Hic agit de scandalo passiuo: sic enim debemus aliis cauere, ne nos scandalum accipiamus ab aliis ruinæ: & dicit duo. Primò enim ponit quale est scandalum: & secundò vitare docet, ne scandalizemur. Dicens autem quale est scandalum, tria dicit, malitiam scandali, ordinem eius, & reprobationem scandalizantis. De primo dicit [Væ mundo à scandalis] quia *Ioan.* 5. Totus mundus in maligno positus est, & sic totus est plenus scandalis malorum. *Isa* 3. Corruet populus, vir ad virum, vnusquisque ad proximum suum. Et *Ibidem.* Ruit Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua, & adinuentiones eorum contra Dominum. Et tangit ordinem, cùm dicit [Necesse est enim, vt veniant scandala] Est autem necessitas suppositionis ista: quia si debeat eminere scientia fidei, & virtus Sanctorum, oportet, quòd probentur per scandala hæreticorum, & persecutorum, & diuersorum tentaminum. 1. *Corinth.* 11. Oportet hæreses esse, vt hi, qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. *Isa.* 10. Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est. [Veruntamen væ homini illi] Condemnatio est scandalizantis, per quem scandalum venit. *Infrà* 26. Veruntamen væ homini illi, per quem si. ho. tradetur. 1. *Cor.* 8. Sic peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te; abscinde eum, & proiice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te; erue eum, & proiice abs te: bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

Docet vitare scandalum passiuum: primò in mẽbris operantibus, & secundò in oculo, qui ordinat & dirigit in opere. Membra autem operantia duo sunt; vnum operans generaliter opera, & alterum supportans totum pondus: & illa ponit simul. Et manus quidem significat operantem & auxiliantem amicum, qui vel dando, vel auxiliando, vel operando tenet nos sicut manus: & pes supportantem infirmitatem & pondus significat: & hoc est, quod dicit [scandalizat te] dat tibi causam offendiculi. *Prouer.* 1. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant innoxium sanguinem. *Isa.* 1. Manus vestræ sanguine plenæ sunt [abscinde] duo dicit: abiicere scandalizantem primò iubet, & posteà ostendit vtilitatem. Abiicitur autem dupliciter: & ideò dicit [abscinde eum] ab affectu, in quo hæret glutino amoris [& proiice abs te] exteriori societatis conuersatione. *Num.* 16. Recedite à tabernaculis hominum impiorum &c. *Isa.* 52. Recedite, recedite: pollutum nolite tangere. *Eccli.* 25. A carnibus tuis abscinde illam, ne te abutatur. *Prou.* 22. Noli esse amicus homini iracundo, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ [Bonum est tibi ad vitam ingredi] Tangit vtilitatem: & est hoc solum bonum hominis, quòd ad vitam ingrediatur, sicut patuit *Sup.* 16. Quid enim prodest homini, si mundum vniuersum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur [debilem] manibus, quando tibi non sufficis, & auxiliatorem dimittis. *Iob* 6. Ecce non est auxilium mihi in me & necessarij quoque mei recesserunt à me [vel claudum] *Gen.* 32. Iacob claudicans accepit promissionem, quando noluit fulciri confortatione mali fratris. 2. *Reg.* 9. Miphiboseth claudus vtroque pede comedebat de mensa Regis.

Et si oculus tuus] hoc est, qui dirigit te consilio, & prouidentia vel doctrina sicut oculus. *Iob* 29. Oculus fui cæco, & pes claudo [scandalizat te] *Thren.* 3. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. *Prouer.* 30. Oculum, qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ &c. [erue eum] ab affectu. *Ierem,* 15. Erue me ab his, qui persequuntur me. *Gen.* 32, Erue me de manu fratris mei: quia valde eum timeo [& proiice abs te] longè. *Psalm.* 25. Odiui Ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo. [Bonum est tibi cum vno ocu. ad vi. intrare] hoc est, cum dimidio lumine: & hoc est, quando retines lumen conscientiæ, & amittis lumen seculare, *Mich.* 7. Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. [quàm duos oculos habentem] *Iob* 11. Oculi impiorum deficient [mitti in gehen.] Hoc de aliis etiam dictum est: Quia tamen oculi ibi in tenebris plorant, & pedes & manus ligati sunt, *Supra* 13. Proiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Et de manibus & pedibus *Infra* 22. Ligatis manibus, & pedibus proiicite eum in tenebras exteriores. *Isa. vl.* Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur.

Videte, ne contemnatis vnum ex his pusillis

pusillis. Dico enim vobis; quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Venit enim Filius hominis saluare, quod perierat.

Remouet hic contemptum, qui est ex fastu superbiæ Prælatorum: & subiungit duas rationes, vnam dignitatis, & alteram vtilitatis. Dicit ergo [Videte, ne contemnatis] *Isa.* 33. Væ qui spernis: nonne & ipse sperneris? cum fatigatus desieris contemnere, contemneris [vnum] nedum plures [ex his pusillis] *Luc.* 12. Nolite timere, pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. *Sap.*6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus [Dico enim vobis] Ratio est sumpta à dignitate: quia hæc est dignitas animarum, quòd quiliber habet Angelum custodem deputatum [Angeli eorum] eis deputati. *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? *Dan.* 10. Nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester. *Act.*12. Angelus eius est [in cælis] Per metonimiam, hoc est, in cælestibus per contemplationem, exeuntes quocumque currant per ministerium: semper enim assistunt intimis per contemplationem. *Tob.* 13. Ego sum Raphael Angelus vnus de septem, qui in conspectu Dei assisto. Hoc dixit, quando ministrauit in terra circa Tobiam [semper vident] Et ideò eadem æternitate, quæ Deus est mutabilitatem naturæ transcendunt [faciem]præsentiam [Patris] qui vult exhibere omne, quod bonum est [mei] per consubstantialitatem: quia substantiam vident [qui in cælis est] vbi exhibet claritatem vitæ beatæ. *Dan.* 7. Millia millium ministrabant ei. *Iob.* 25. Nunquid est numerus militum eius? & super quem non surgit lumen eius? [Venit enim filius hominis] Ratio est sumpta ab vtilitate, & fine Incarnationis, quem vult frustrare, qui scandalizando perdit, quos ille sanguine suo acquisiuit: & hoc est, quod dicit [saluare quod perierat] *Luc.*19. Venit enim Filius hominis quærere & sal. fa.quod perierat. *Ezech.* 34. Quod perierat, requiram. *Hebr.* 10. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia eum, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est: & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?

Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis:

Sicut in præcedenti parte docuit per scandalum nullum debere auerti à via recta: ita ab hoc loco docet qualiter auersi debent reuocari. Diuiditur ergo in partes duas, in quarum prima docet hoc, quod dictum est. Quia autem aliquis crederet, quòd hoc semel sufficeret: ideò in secundo de nullius correctione esse desperandum docet, dum est in via: & ideò semper esse reuocandum cum veniæ & indulgentiæ exhibitione *Ibi* [Tunc accedens Petrus ad eum dixit] Adhuc autem in prima duo dicit, reuocationem, & modum *Ibi* [Si autem peccauerit in te frater tuus &c.] In prima adhuc duo: primò enim proponit parabolam de requirendo errante: & secundò explicat, & innuit explanationem, *Ibi* [Sic non est voluntas &c.] In prima dicit quatuor, possessionem vnius ouis, errorem, inquisitionem, & gaudium natum de inuenta. Dicit igitur cælestia terrenis comparando [Quid vobis] ô animarum pastores [videtur] humana ratione cælestia æstimantibus. [Si fuerint] in passione [centum oues ali.] Centenarius numerus quadrus ex denario, virtutum & operum significat perfectionem. *Ezech.* 41. Mensus est centum cubitos longitudinem domus [Oues] autem homines, & Angeli propter ouium vtilitatem & in pastu similitudinem: quia *Ezech.* 34. Pascuntur in pascuis vberrimis in montibus Israël, hoc est, in verticibus Trinitatis. *Ioan.* 10. Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Ingredietur contemplando, & egredietur agendo: intùs ad veritatem, & extrà ad virtutem: hæc est enim mensura hominis, quæ est Angeli *Apoca.* 22. *Deut.* 22. Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei. Fine enim contemplationis, & opere laudis, & stabulo mansionis homo & Angeli communerantur. *Ioan.* 10. Fiet vnum ouile, & vnus pastor [alicui] dicit: quia non sunt nisi vni Domino IESV-CHRISTO. Hic enim solus possidet vt pastor, qui dicit: Ego sum pastor bonus *Ioan.* 10. *Psalm.* 94. Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. *Ezech.*34. Oues meæ homines estis domus Israël [& errauerit vna ex eis] Errans ouis non est perdita, sed est in via perditionis. Cum igitur malum Angeli sit (*sicut dicit Dionys.*) contra deiformem intellectum esse: & deiformis intellectus sit immediatè in primum lumen, vnde exiuit, conuerti: malum Demonis est ab ipso lumine (quod non est via, sed finis) auerti, & ideò cadit à beatitudine & beatificante, & non à via (quæ est ad beatitudinem & beatificantem) Malum autem hominis, siue animæ rationalis, est contra rationem esse, quæ est inquisitiua eorum, quæ sunt via ad finem per speculum & ænigma: & ideò malum eius est casus à via, & non à fine. Recedens autem à via potest redire: & ideò ille quæri potest: & ideò non dicit duas in natura errasse, sed vnam, quæ est homo: alia enim cadens non errat, sed damnatur, & ideò non quæritur. *Isa.* 53. Omnes nos quasi oues erraui mus & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrum. *Psalm.* Erraui sicut ouis, quæ periit: require seruum, Domine.

Nonne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erraui t?

Hic tangit requisitionem, & tangit tria, quid quærens relinquit, qualiter quærit, & inuentionis modum innuit. De primo dicit [Nonne relin. nonaginta no. in montibus] Relinquere autem hic non est per subtractionem præsentiæ faciei, cum immediatè ante dictum sit, quòd semper vident faciem Patris in cælis. Vna autem est facies Patris & Filij & Spiritus sancti. *Ioan.* 3. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo. Sed relinquit, naturam eorum non assumendo. *Hebr.*2. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. *Cant.* 2. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Sic enim salit in montibus gaudiorum, quòd transilit colles dignitatis Angelorum [nonaginta nouem] hoc est, Angelos, qui in nouem sunt ordinibus: & hos

hos nouem: in denarium perfectionis diuinæ in illuminatione theophaniarum multiplicatum [in deserto] *Luc.* 15. dicitur [in montibus] in quibus pascuntur in vertice luminis contemplandæ Trinitatis. *Psalm.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. Desertum autem dicitur: quia à peccantibus desertum est. *Psalm.* 64. Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur. Deinde tangit inquisitionem dicens [vadit] pedem mouendo de cælo in terram, & in humanitate ponendo. *Psalm.* 59. In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt. *Baruch* 3. In terris visus est &c. [quærere] Ecce actus requisitionis. *Lu.* 15. Quærit diligenter, donec inueniat. *Ezech.* 34. Ecce ego ipse requiram oues meas. Vnde improperat malis pastoribus *Ibidem* dicens: Non erat, qui requireret. Et *Amè pauca.* Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non curastis: & quod confractum, non alligastis: & quod abiectum, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Quid autem quærit, subdit dicens [eam, quæ errauit] 1. *Pet.* 2. Eratis enim quasi oues errantes; sed conuersi estis nunc ad pastorem, & Episcopum animarum vestrarum.

Et si contigerit, vt inueniat eam; Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quàm super nonagintanouem, quæ non errauerunt. Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, vt pereat vnus de pusillis istis.

Modus est inuentionis: & ponit conditionem propter motum liberi arbitrij. Quia qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. *Psalm.* 88. Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum, hoc est, oleo gratiæ. *Deut.* 32. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis, hoc est, in deserto, à virtutis cultu, in horrore culpæ, & vastæ solitudinis sequestratæ à beatorum Angelorum societate, & cohabitatione [Amen dico vobis] De gaudio inuento tangit [quia gaudet super eam] *Luc.* 15. Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quam perdideram. *Ibidem.* Epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. *Isa.* 62. Gaudebit super te Deus tuus [magis quàm super nonagintanouem, quæ non erra.] Hoc potest intelligi de maioritate extensiua, siue discreta: vel extensa, siue per modum continuitatis accepta. Si primo modo: tunc sensus est: Gaudebit magis quia de pluribus: quia de dolore contra peccatum in compunctione, & de amore ad bonum in virtutis opere 4. *Reg.* 2. Ora, vt spiritus tuus duplex sit in me. Qui est simplex in Christo, in peccatore duplicatur, & peccati remissionem & virtutum opera perficiens. Secundo modo intelligitur in casu: quia Iustus, qui non indiget pœnitentia, securus est: & hæc securitas est frequenter generans torporem deuotionis, & gratiæ: datur exemplum de milite, qui licet aliquando fugerit, tamen conuersus, postea cum Duce fortiter hostem strauit: qui plus diligitur, quàm qui nunquam fugit, nec vnquam in bello acer & pugnax apparuit. *Rom.* 8. Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Glo.* etiam peccata. *Eccl.* 9. Melior est canis viuus leone mortuo. *Nee.* 8. Gaudium Domini est fortitudo nostra [Sic non est volun.] Innuit expositionem [ante Patrem vestrum] qui nouit bona data dare filiis *Lu.* 11. Qui dulcedinem suam filiis ostendit *Sap.* 16. [qui in cælis est] & terrenis non mutatur affectibus [vt pereat vnus de pusillis istis] *Ezech.* 18. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus: & non magis, vt conuertatur, & viuat? 1. *Tim.* 2. Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. 2. *Reg.* 14. Nec vult Deus perire animam: sed retractat cogitans, ne penitùs pereat, qui abiectus est.

Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

Hic tangit correctionis & reuocationis modum: & dicuntur duo, quorum primum est reuocatio: Secundum autem est confirmatio sententiæ contra obstinatum *Ibi* [Amen dico vobis] In primo tres inducit gradus, correptionis, conuictionis, accusationis, vel denuntiationis. De gradu correptionis dicit duo, quis debet corripi, & qualiter. Quis [Si peccauerit] Tria dicit [Si peccauerit] quia non corripitur, nisi qui peccauit, non est autem peccatum, nisi mortale peccatum: de aliis enim venialibus non est correptio. Quia *Iac.* 3. dicitur In multis offendimus omnes. 1. *Ioan.* 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Secundum est, quod dicit [in te] Et in hoc notantur tria secundum *glo.* Primum notatur ex discretione naturæ: In te enim peccare, est in hominem peccare, & non in Deum. Si enim in Deum solum peccat: tunc aut peccatum eius in nullum omninò nocumentum proximi procedit: Aut ita est principaliter in Deum, quòd etiam per accidens nocet proximo. Primo modo est peccatum occultum, quod nemo scit, nisi solus Deus: & tu vt Deus: & tunc, vt dicit *glo.* Non est nostri arbitrij aliquid facere de peccato illo, nisi fortè admonendo in secreto, sicut Deus monet: sed non possumus procedere ad publicum adhibendo vnum, vel plures, vt prodamus. Alio modo est in Deum principaliter, & secundariò in proximum, sicut est blasphemia, vel retractio à sacrificio, vel laude Dei: & de hoc, inquantum est contra proximum, debet fieri correctio: sed de offensa & emenda non est nostri arbitrij æstimare secundum satisfactionem proximi, sed potiùs secundum iniuriam illatam Deo. 1. *Reg.* 2. Si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo? Alio modo [in te] notat discretionem personæ: & hoc duobus modis. Vno modo quantum ad peccati nocumentum, quod in te est, & non in alium: sicut si contumeliam, vel damnum irrogat tibi: tunc enim tui arbitrij est remittere iniuriam, & monere de correctione peccati, sicut inferiùs habetur; quòd peccanti in nos septuagies septies dimittendum est, si veniam petat. Alio modo in te peccat, sicut dicit *Augustinus* quando

quando te sciente peccat. Sed tunc distinguendum est: quia te sciente intelligitur: te sciente tua scientia, quæ scientia humana est, hoc est; quando signo, vel facto prodit in tuam notitiam, quod signum, vel factum est infallibilis nuntius peccati: quia tunc fit te sciente, & non temerario iudicio tuo. Si autem venit ad te scientia Dei, hoc est, cordis secreti reuelatione: non hoc est te sciente, sed potiùs Deo sciente, & te vt Deo sciente: & siue ita reuelet tibi in forma confessionis, siue sine forma confessionis: non debes procedere ad correptionem. Adhuc si fallaci nuntio veniat ad te, non fit te sciente: sicut si dicatur tibi, & nullum aliud exter indicium: tunc enim nisi valde confirmetur verbum dicentis, non debes credere: & ideò non ad correctionem procedere. Sed quando visus probat, vel alia certa indicia: tunc fit te sciente humana scientia, & tunc fit in te; hoc est contra te: quia te scandalizat, quantum in ipso est: & fit contra cordis tui dilectionem, qua diligis fratrem sicut teipsum: & ideò debes procedere ad correctionem: & hoc est, quod dicitur. 1. *Cor.* 8. Si peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam: & in Christum peccatis. Et tangit, quis peccat, quando dicit [frater tuus] quem debes diligere sicut teipsum: & ideò dicit *August.* quòd hoc non fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat. 2. *Machab.* 6. Non multo tempore finere peccatoribus ex sententia agere; sed statim vltionem adhibere extremi iudicij beneficium (aliàs beneficij indicium) est. *Leui.* 19. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et ideò sicut in meipso volo emendari peccatum sine confusione, si fieri potest: ita volo in proximo [vade] Sed si prope me est qualiter ibo? Responsio. Vade duobus pedibus, compassionis, & charitatis: tunc enim non indignabitur. *Ierem.* 10. Corripe me, Domine; sed non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me. *Psalm.* 6. Domine, ne in ira tua arguas me: neque in furore tuo corripias me. Alia translatio: corripe eum. *Prouer.* 17. Plus proficit blanda correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. *Prou.* 29. Virga & correctio tribuunt sapientiam. 2. *Thess.* 3. Nolite quasi inimicum existimare eum, sed corripite vt fratrem [inter te & ipsum solum] ne forte publicatus, humanam amittat verecundiam: & tunc non curet corrigi. *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere. [Si te audierit] corrigendo vitium [lucratus es fra. t.] *Iacob.* 5. Qui conuerti fecerit fratrem suum ab errore viæ suæ, saluabit animam suam à morte, & operit multitudinem peccatorum.

Si autem non te audierit, adhibe tecum vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

Secundus est gradus, qui habet in se duos, scilicet, redargutionis, & conuictionis. Duo igitur dicit, primò notitiam, quòd non conuenit quando dicit [Si autem te non audierit] Hoc est, si ad te peruenerit certo indicio, quòd te non audiuit: & hoc non fit, nisi quando peccatum iterat, & iam hoc in notitiam serpere incipit: si enim in occulto fiat, adhuc tunc non potest sciri, si audiuit, vel non audiuit. Et hoc modo exponit *August. in Regula* Vnde vult *August.* quòd tunc obseruetur peccans cum alio, qui etiam hoc deprehendit: vt coram illo arguatur, ad quem etiam peruenit notitia criminis: & hæc sunt verba. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij, vt coram vno possit argui, vel à duobus, vel tribus conuinci. Et hoc est, quod dicit [adhibe tecum vnum] ad cuius notitiam, sicut ad tuam, deuenit: quia aliter non est adhibitus. Si autem tu dicas ei nescienti: tunc ambo estis vnus: quia ex vno corde loquimini. Et sic patet, quòd istud est peccatum, quod non omninò est occultum, sed serpit in notitiam plurium. Vnus autem adhibetur, coram quo arguatur. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam contra faciem. 2. *Tim.* 4. Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Vnus enim non adhibetur in testem. *Deut.* 19. Non stabit testis vnus contra aliquem; sed in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Si autem coram vno, qui scit vt tu, redargutus non corrigitur: tunc [duos] vel plures tecum adhibe, qui eo modo sciant, quo tu scis, & non ex solo dicto tuo. Vnde *August.* vt possit iam ab vno teste argui, sed à duobus, vel tribus conuinci. Et iste est gradus conuictionis. Quidam autem dicunt, quòd in denuntiatione adhibetur vnus, sed in accusatione duo. Sed hoc nihil est: quia in denuntiatione nullus testis est necessarius. Sed alia expositio secundum *August.* & bona est, & hoc innuit litera sequens [vt in ore duorum, vel trium tes. stet omne ver.] Non dicit, in ore vnius: quia iniustum est audire vnum contra vnum. Dicit autem testium: vt habeant testium formam in testificando, & vitam ad hoc, quòd stabile credatur dictum eorum [quòd si non au. eos] cum iam videat, quòd de crimine conuinci possit, si ipse se indicauerit, & correxerit, non est vlteriùs publicandus 1. *Cor.* 11. Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. Si ergo ille se non corrigens non audiat [dic Ecclesiæ] hoc est, Prælato, in conuentu & Synodo accusa. 1. *Tim.* 5. Peccantem coram omnibus argue: vt & cæteri timorem habeant. *August.* Conuictus verò secundum Præpositi, vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam subire vindictam, quam si ferre recusauerit, de vestra societate proiciatur. & hoc est, quod sequitur [Si autem Ec. non au.] vt secundum arbitrium Prælati corrigatur [sit tibi quasi ethnicus] hoc est gentilis: quia græcè ethnos est gens, hoc est, in fide non conueniens [& publicanus] id est, publicè, & manifestè peccans. Pro infidelitate enim abiicitur, & pro peccato publico, in quo contumax inuenitur, hoc est, per excommunicationem abiicitur. *Ioan.* 4. Non coutuntur Iudæi Samaritanis. 2. *Ioan.* Non dixeritis ei aue: qui enim dixerit ei aue, communicat operibus eius infructuosis. 1. *Cor.* 5. Cum huiusmodi nec cibum sumere.

Amen dico vobis: quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo.

Tangit

Tangit hic huius sententiæ vigorem tribus modis, in esse, in vinculi, in imprecatione mali, & in cooperatione Dei.

De primo dicit. [Quæcumque alli. super ter.] excommunicando [erunt li. & in cæ.] De hoc *Supra* 18. dictum est. Quodcumque solueris &c. Talibus gradibus correctionis præcedentibus & admonitionis *Sup.* 12. Eos, qui exerrant partibus, hoc est, gradatim corrigis : & de quibus peccant, admones & alloqueris: vt relicta malitia credant in te, Domine.

Iterum dico vobis quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est.

Tangit malum per excommunicationem in peccatum, & innuit vigorem, quem habet sententia à conuincentibus contumacem in accusando, & ab Ecclesia in approbando sententiam : & ideò dicit [Si duo] notando numerum testium [consenserint] notat vniformitatem testium [de omni re] quod non de corde subornato de rei veritate [consenserint super terram] dicit : quia in cælo non secundum testes, sed secundum conscientiam iudicatur. 1. *Reg.* 16. Homo videt, quæ sunt foris : Deus autem intuetur cor [quamcumque petierint] *Prouuer.* 10. Desiderium suum iustis dabitur [fiet illi à Patre meo, qui in cælis est] Et ideò timenda est sententia Ecclesiæ valdè : quia completur per Patrem cælestem in districto examine. Vnde *Sup.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.

Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Tangit robur sententiæ per Dei cooperationem : & per [duos, vel tres] tangit numerum. Per hoc, quòd dicit [congregati] tangit formam testium duplicem : in vita enim congregatus est Ecclesiæ, qui communicat, & ad omnem admittitur actum legitimum. *Suprà* 12. Qui non congregat mecum, dispergit : & qui non est mecum, contra me est. Secunda congregatio est in testificando. *Psalm.* 49. Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius [in nomine meo] illi enim non sunt suspecti: quia in nomine Christi testis veritatis est testis simpliciter : & ille est, qui non nisi amore nominis Dei dicit, quod dicit. *Isa.* 26. Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ [ibi sum] cooperans ligando & soluendo [in med. eorum] hoc est, in ore iudicis, qui medius est inter actorem & reum, nequaquam in partem alteram declinans. *Ioan.* 20. Stetit IESVS in medio Disci. suorum & dixit eis: Pax vobis *Ioan.* 1. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Sic ergo in cælis effectum habet vinculum consensus Ecclesiæ : & Sanctorum fulcit testimonium: Christus autem veritas operatur factum. 1. *Cor.* 5. In nomine Domini nostri IESV-CHRISTI congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini IESV tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die Domini nostri IESV-CHRISTI.

Tunc accedens Petrus ad eum dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei ? Vsque septies ? Dicit illi IESVS : Non dico tibi vsque septies ; sed vsque septuagies septies.

Hic agitur de perfecta receptione fratris pœnitentis ; sicut enim custodiendus est, ne aberret: & sicut quærendus & reuocandus est, quando aberrauerit : sic est misericorditer recipiendus, quando redire satagit: & de hoc hic determinatur: & ideò duo dicit, in quorum primo docet quis recipiendus, & in secundo per modum legislatoris coactiuum sermonem subiungit. De primo dicit duo, Petri interrogationem, & Christi responsionem. Excitatus enim Petrus ex commissione clauium, & ex gaudio inuentæ ouis, & ex promissione exauditionis, prorumpit ad interrogandum dicens [Domine, quoties peccabit in me] Hoc *Supra* expositum est [frater meus] ex fidei professione coniunctus. Et hoc dicit : quia si in dispari cultu existens, quantumcumque peccet, per susceptionem Baptismi consequitur veniam, nec quærit aliam remissionem [& dimittam ei] ex quo non dimittuntur nobis debita nisi dimittamus *Sup.* 6. Et ex quo mihi das absolutionis potestatem. Et adiungit interrogationem Vsque septies ? legerat Petrus *Prou.* 24. Septies cadit Iustus in die, & resurgit : & putauit, quòd in hac remissione deberet esse contentus [Dicit illi IESVS] apud quem est misericordia, & copiosa est apud eum redemptio [Non dico tibi vsque septies] Non enim misericordiæ Dei ponendus est terminus *Iudith* 9. [sed vsque septuagies septies] hoc est, septies septuaginta vicibus, quæ faciunt quadringenta & nonaginta & octo vices: & hoc excedit humanum posse in peccando vna die. Vel secundum *August.* Vndecies septem faciunt septuagintaseptem : & per vndecim significatur transgressio : per septuaginta autem decalogus, per inobedientiam septem capitalium vitiorum violatus : & per septem omne tempus. Et tunc sensus est, quòd in omni transgressione, & omni inobedientia, & omni plenitudine vitiorum, & omni tempore delinquenti : omnia sis paratus dimittere : & sic nullus terminus ponitur misericordiæ infinitæ. *Ezech.* 18. Quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum suarum non recordabor. *Ecclesiast.* 28. Relinque proximo tuo nocenti tibi : & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. Homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam?

Ideò assimilatum est regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.

Adiungit hic sermonem coactiuum, sicut omnis lex à ligando dicitur propter coactionem, quam habet. Diuiditur autem in partes duas, in parabolam, & explanationem, quam in fine adiungit, & per se patet. In parabola tria inducit, remissionem clementiæ, ingratitudinis vitium humanæ, & post remissæ reuocationem culpæ : & hæc patent in litera. In perfectione autem remissionis tria inducit per ordinem, videlicet dispositionem

tionem Regis debita exigentis, & humilitatem peccatoris debentis, & remissionem Dei misericordis. In primo tria inducit : Regis videlicet cælestis potentiam, sapientiam, & misericordiam: & his præmittit modum, quo loquitur per parabolam dicens [Ideò assimilatum est reg. cæ.] hoc est factum iustitiæ regni cælorum humano facto comparatur : & ideò dicitur *Roma.* 10. Propè est verbum, in ore tuo, & in corde tuo. Quia diuina frequenter rationabilibus humanis comparantur [homini Regi] Ecce potentia : vt per hoc, quòd dicit [homini] notetur, quòd rationabiliter, & humanè disposuit potentia. Esther. 13. Nolui abuti potentiæ magnitudine ; sed in mansuetudine gubernare subiectos. Per hoc autem, quod dicit [Regi] notatur potentia. *Eccl.* 1. Rex potens, & metuendus nimis [Qui vo. rationem po. cum ser. suis] Et notantur quatuor, quæ sunt propria sapientiæ, primum est prudentia, in eo quòd [voluit] quia prudentia est consideratio rerum conferetium: secundum est industria in hoc, quod dicit [rationem] Calculare enim non est nisi industriam habentium : tertium est stabilis ratio conceptorum, quæ notatur per hoc, quòd dicit [ponere] Quartò notatur ordo, qui propriè sapientis est in hoc, quòd dicit [cum seruis suis] Ordinare enim debet sapiens familiam ad rectitudinem. Esther. 3. Non expedit tibi, vt regnum tuum insolescat per licentiam. De sapientia ista *Iere.* 23. Regnabit Rex, & sapiens erit. 3. *Reg.* 3. Timuerunt Regem videntes sapientiam Dei esse in ipso ad faciendum iudicium. *Eccl.* 10. Iudex sapiens iudicabit populum suum. *Prou.* 20. Rex qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo.

Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cum autem non haberet, vnde redderet, iussit eum Dominus venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.

Hic incipit tangere misericordiam : & tangunt hic duo : primò enim omnium ostenditur in peccatore iusta seueritas : vt ostendatur ei quid pro peccato meruit, & quàm gratus misericorditer remittenti esse tenetur. Secùdò autē ex misericordia, peccati ostenditur propitiatio facta humiliter petenti. Circa seueritatem inducit tria : primò enim inducit seueritatis iustissimam causam : secundò nullam misericordię viam apparere: tertiò seueritatis scientiam. De primo dicit [Cum cœpisset rationem ponere] hoc est, conscientias per districtam inquisitionem examinare. *Lu.* 16. Redde rationem villicationis tuæ. *Sap.* 6. Interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. *Mat.* 12. De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddēt rationem in die iudicij [oblatus est ei vnus] captus, & vinculis peccatorum astrictus. 2. *Paral. vlt.* Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi [qui debebat decem millia talenta] Decalogum enim, & quadraturam virtutum corrumpens, talentum ponderis circunstantiarum etiam perdiderat. 2. *Paral. vlt.* Peccaui supra numerum arenæ maris : & multiplicatæ sunt iniquitates meæ. *Iac.* 3. In multis offendimus omnes. *Isa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis [Cum autem non haberet vnde red.] Ecce quòd nulla fuit via misericordiæ Dei: si enim gemitum habuisset, vel propositum, vel Sanctorum communionem: habuisset vnde redderet, modo nihil habuit. *Apoc.* 3. Nescis, quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper. Ex se enim nihil habere potest sine gratia. *Psal.* 77. Spiritus vadens, & non rediens. *Roma.* 7. Velle adiacet mihi ; perficere autem bonum non inuenio [iussit eum] Ecce scientia seueritatis : & hanc audit seruus quotidie in corde, & in scriptis [iussit eum Dominus venundari] pœnis æternis mancipari [& vxorem] hoc est, carnalem concupiscentiam, quæ allexerat eum [& filios] hoc est, opera. De primo dicitur *Isa.* 50. Iniquitatibus vestris venundati estis. De secundo *Luc.* 14. Vxorem duxi, & ideò non possum venire. De tertio *Sap.* 4. Omnes filij, qui nascentur, erunt testes nequitiæ in parentes suos [& omnia, quæ habebat] huius mundi delectabilia. *Isa.* 39. Auferentur omnia, quæ in domo tua sunt in Babylonem [& reddi] per supplicia pœnarum. *Iob* 20. Luet quæ fecit omnia. *Suprà* 5. Non exeat inde, donec reddat nouissimum quadrantem. Vidēs autē seruus quæ meruit, si secum districtè ageretur.

Procidens autem seruus ille rogabat eum dicens : Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Exhibet reuerentiam adorationis, supplicitatem orationis, deprecationem patientiæ & mansuetudinis, & promissionem futuræ satisfactionis : & in reuerentia adorationis immiscet recogitationem suæ conditionis. De adoratione dicit [Procidens autem] *Exo.* 4. Adorauerunt proni in terram. *Su.* 2. Procidētes adorauerunt eum [seruus ille] Cōditionis propriæ recogitatio : quia illa quærum se vidit peccato. *Ioan.* 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. *Psal.* 115. O Domine, quia ego seruus tuus &c. [rog. eum] Ecce supplex petitio. 2. *Para. vl.* Peccaui Domine, & iniquitatem meam ego agnosco: peto rogans, remitte mihi [dicens : Patientiam habe in me] Deprecatio est patientiæ & mansuetudinis, quæ multos differendo ad pœnitentiam adducit. *Ioël.* 2. Benignus, & misericors est & præstabilis super malitia. *Ro.* 9. Sustinuit in multa patientia vasa iræ aptā ad interitum. Est enim patientia æquanimis tolerantia eorum, quæ aduersantur [& omnia reddam tibi] promissione emendæ. *Osee* 14. Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum credendo in te, & veniendo ad te: omnia reddidi. *Roma.* 10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.

Misertus autem Dominus serui illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.

Hic tangit misericordiam in affectu relaxationis culpæ, & in affectu remissionis pœnæ. Hic igitur [Misertus autem Dominus] 2. *Cor.* 1. Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. *Eccl.* 12. Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus [serui illius] cui duritia fuit exhibenda. Sed ne amplius esset seruus, dimisit eum, hoc est, manumisit, & filium fecit, & liberum. *Num.* 14. Dimisi eis iuxta verbum tuum [& debitum dimisit ei] relaxando pœnam. *Luc.* 7. Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. 2. *Co.* 5. Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans eis peccata sua.

Egressus autem seruus ille inuenit vnũ de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde, quod debes.

Hic secundò tangitur tantæ remissionis ingratitudo: & dicuntur duo, ingratitudo,& ingratitudinis accusatio. Circa primum dicit tria, primò enim dicitur conserui debitoris à seruo crudeli inuasio: secundo humilis, & supplex conserui pro indulgentia deprecatio: tertiò indulgentiæ & remissionis dura abnegatio:quæ per ordinem iacent in litera. In primo sex ad vituperium ingrati proponuntur: primum est beneficij recepti immemoratio,cum dicit[Egressus hoc est,extra memoriam indulgentiæ perceptæ, à conspectu Dei (cui semper altare gratias agens debuit) gressus. *Io.* 13. Cum accepisset buccellam, egressus est continuò: erat autem nox. Secundum est permanens in egrediente seruilis conditio, cum dicit [seruus ille] *Genes.* 9. Maledictus puer Chanaan, seruus seruorum sit fratribus suis. Tertiò dicitur solicita conserui inuentio, quod fit machinatione pessima in fratrem *ibi* [inuenit vnum de conseruis suis] *Isa.* 32.Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes conc innauit ad perdẽdos mites in sermone mendacij, cum loqueretur pauper iudicium. Quartò debiti ponitur modica portio, cùm dicit [qui debebat ei centum denarios] Quintò tangitur inuenti crudelis inuasio, cùm dicit [& tenens suf eum] acerba tribulatione, à qua euadere ille non poterat. Contra hoc, quod dicitur *Roma.* 12. Noli vinci à malo, sed vince in bono malũ. *Isa.* 58. Percutitis pugno impiè. Sextò ponitur deperditi parui dura repetitio,cùm dicitur [Redde quod debes] 1. *Reg.* 2. Nunc dabis, alioquin tollam vi. *Isa.* 58. Omnes debitores vestros repetitis.

Procidens autem conseruus eius rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Hic humilem ponit conserui deprecationem:& tangit quatuor,incongruam reuerentiam,quam ab ipso superbus accepit,cum paris secum cõditionis existeret: & hoc est,quod dicit [Procidens autem conser. eius] *Apoc. vlt.* Angelus prohibuit procidere ante se Ioannem dicens: Vide,ne feceris: conseruus tuus sum & fratrum tuorum: Deum adorate. Secundò tangit humilitatem, quam rogando prætendit[Rogabat eum dicens] *Osee* 12. Fleuit & ragauit eum. Tertiò tangit patientiã humanæ naturæ debitam, quam interpellauit,cum dicit [Patientiam habe in me] 1. *Thes.* 5. Patientes estote ad omnes. *Leuit.* 19. Ne oderis fratrem tuum. Quartò promissio tangitur opportunæ solutionis in futuro, cùm dicit [Omnia red. tibi] *Genes.* 31. Ego omne damnum reddebam tibi, si quid perierat, à me exigebas. Ille autem]Dura est indulgentiæ abnegatio: & dicuntur duo: indignans cordis à precibus auertio, quam tangit,cum dicit [Ille autem noluit] *Tob* 4. Ne auertas cor tuum ab vllo paupere. Secundum est debiti dura exactio, cum dicit [sed abiit] Et circa hoc tria tangit, excessum humanæ pietatis, cum dicit [Abiit] hoc est, à naturali pietate recessit inhumane agendo. *Eze.* 19. Leo factus est & didicit capere prædã, hominémque comedere. Secundum est dura debiti exactio, cum dicit [misit eum in car.] duræ vexationis. *Thre.* 3. Circum ædificauit aduersum me, vt non egrediar. *Iudæ.* Væ illis, qui in viam Cain abierunt. *Act.* 16. Misit eos in interiorem carcerem,& pedes eorum strinxit ligno. Tertiò tangitur debiti aggrauatio,cum dicit [donec red. debitum] Contra id, quod obiicitur *Luc.* 7. Non habentibus illis, vnde redderent, donauit vtrisque.

Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt valdè, & venerunt & narraueruñt Domino suo omnia, quæ facta fuerant:

Ponitur hic ingrati accusatio: & tanguntur quinque:primum est conseruorum Angelorum ad peccantes in fratres diligens intuitus, cùm dicit [Videntes autem serui, quæ fi.] *Dan.* 10. Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus. Accusando Iudæos. Secundò tangitur videntium contristatio. *Luc,* 15. Gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente:Ita de opposito tristitia. 1. *Reg* 15. Contristatus est Samuel & clamabat ad Dominum tota nocte. Tertiò dicit, qualiter Domino hoc retulerunt[Venerunt & nar. Do. suo] conquerendo de persecutoribus. *Isa.* 33. Angeli pacis amarè flebunt. In hoc enim Angeli suæ custodiæ exhibent officium. Quartò tangit, quod nihil de peccatis manebat occultum[omnia quæ facta fuerant] Sic *Genes.* 37. Fratres accusabat apud patrem crimine pessimo. *Sap.* 1. Qui loquitur iniqua, non potest latere.

Tunc vocauit illum Dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi: quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Hic tangitur debiti reuocatio:& dicuntur quatuor, primum est ad præsentiam iudicis citatio, cùm dicit [Tunc vocauit illum Dominus suus] Secundum est ingratitudinis exprobratio, cum dicit [Serue nequã &c.] Tertiũ est immisericordiæ improperatio,cùm dicit[Nonne]Quartum est per irã Domini æterna condemnatio pro debito iam pridẽ dimisso,cùm dicit[Et iratus]Dicit igitur [Tunc vocauit eum Dominus suus]post mortem ad iudicium 2.*Corinthior.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi [& ait illi] Secundum est.Serue nequam]*Eccl.* 3. Cor nequam grauabitur doloribus, & peccator adiiciet ad peccandum [Omne debitum di. ti. quoniam ro.me] Tangitur orationis virtus, quę valet delere sola omne peccatum. *Eccl.* 38. Fili, in tua infirmitate ne despicias teipsum: sed ora Dominũ,& ipse curabit te. *Isa.* 38. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas & ecce, ego adiiciam super dies tuos quindecim annos,& de Rege Assyriorũ liber bo te [Nõne ergo] Tertium. *Luc.* 6. Dimittite, & dimittemini [Et iratus]Quartum est,hoc est,ad modum irascentis duritiam exhibens. *Num.* 25. Iratus Dominus dixit ad Moy

ad Moysem: Tolle cunctos Principes, & suspende eos contra solem [tradidit eum tor.] *Prouer.* 19. Sicut fremitus leonis:ita & ira Regis. *Eccl.* 33. Seruo maleuolo tortura & compedes [quoadusque red. vniuer. debitum] *Sup.* 5. Amen dico tibi: non exies inde, donec reddas vsque ad nouissimum quadrãtem. [Sic & Pater meus]qui vult leges meas custodiri. Vnde *Su.* 17. dixit. Ipsum audite[cælesti] qui non decipitur, nec mutatur. *Num.* 23. Non est Deus vt filius hominis,vt mutetur[facier vo. si no. remise.]Idẽ *su.* 6.[de co. vestris]ne sit ficta remissio. *Sap.* 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.

Ex his autem, quæ hic dicuntur, videtur, quòd peccata dimissa redeant propter odium fraternum: hoc autem videtur esse contra iustitiam Dei, qui non punit vltra condignum, sed citra: si autem dimissum est, & postea punit, vltra condignum punit:& hoc est inconueniens. Adhuc autem videtur,quòd secundum hoc Deus bis punit in idipsum peccatum: quia ad minus compunctionis pœna fuit in prima dimissione. Adhuc gratiæ gratum facientis est facere dignum vita æterna:& hoc non potuit esse nisi dimissione facta: secundum hoc igitur videtur deterior conditio, aliquando pœnitentis, & aliquando relabentis, quàm illius, qui nunquam pœnituit, quod est inconueniens. Dicamus igitur, quòd antiqui distinxerunt quinque causas, in quibus peccata redeunt, sicut est odium fraternum, sicut hic habetur: apostasia à fide:contemptus confessionis: & quando ducitur pœnitentia,quòd de peccato pœnituit: & ingratitudo. Sed quia irrationabilia sunt,quæ dicunt:peccatum enim dimissum annihilatum est, & non mansit in actu,neque reatu:& ideò non potest redire. Et si dicatur,quòd redit quantum ad imputationẽ pœnæ, hoc non est verũ:quia pœnam inferni, & Dei pœnam non punit nisi peccatum. Peccatũ autem nec in actu est, nec in reatu, & sic non punitur. Ideò posteri dicunt, quòd non redit peccatum, nisi propter ingratitudinem. Ingratitudo autem est non continuò permanere in gratiarum actione oris, cordis & operis: & cùm redit peccatum, non redit quoad numerum, & speciem peccatorum:sed redit quoad deformitatem,quæ non est præcedentium peccatorum, sed sequentis: inquantum est peccatum talis hominis,qui tantum acceperat beneficium:& non est deformitas eius inquantum est actus quidã deficiẽs à bono gratiæ & virtutis:& sic potiùs est deformitas talis peccãtis,quàm peccati: quia quando contra beneficiũ fecit,tãti immemor beneficij turpis fuit, turpitudine ingratitudinis,& maiori reatu astrictus,& maiori pœna dignus, quò maius receperat præ cæteris beneficium:& hoc est, quod dicitur in *Psl.* 54. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is,qui oderat me,super me magna locutus fuisset,abscondissem me forsitam ab eo:tu verò homo vnanimis, dux meus,& notus meus:& aggrauat pœnam:Veniat mors super illos,& descendãt in infernum viuentes. Redit igitur ad ea tenus,qua manet:manet autẽ quoad vinculum perpetuæ detestationis, quo vinctus est,cui peccatum dimissum est:& ideò cum non detestatur quoad dictam deformitatem, redit. Cum etiam aliquis compunctus est, adhuc duplici vinculo ligatus est, debiti confessionis. s. & debiti satisfactionis:& quodcunque horũ dimittat, tunc adhuc ad hoc tenetur, & quoad hoc redit: vel potius non redit:quia mansit. Si autẽ confessus est, & satisfecit:tunc non redit nisi quoad deformitatem ingratitudinis,sicut diximus. Nec tenetur tuc aliter cõfiteri nisi sic quòd dicat: Ego de multis & magnis indulgentiam cõsecutus sum a Deo,& ingratus postea hæc adieci omnibus peccatis meis. Per hoc patet solutio ad omnia præter-vnum:& ad hoc dicẽdum, quòd non est deterior conditio aliquando pœnitentis: quia super non pœnitentem manent omnia peccata:huic autem remissa sunt simpliciter & nõ redeunt, nisi quoad vitiũ ingratitudinis, per quod status talis habet turpitudinẽ per accidens.s.ex immemoratione beneficiorum Dei.

CAP. XIX.

Et factum est, cum consummasset IESVS *sermones istos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eũ turbæ multæ, & curauit eos ibi.*

HIc determinatur regimen Prelatorum in regimine boni secundũ omnem statum boni:status autem hic est secundum triplicem statum boni. Est enim bonũ contra impedimentũ mortalitatis naturæ:& hoc est coniugium,de quo determinatur primò:& est bonum secundũ statum obedientiæ in opere, & hoc determinatur secundò:& est bonũ secũdũ statũ perfectionis apostolicæ,& de hoc determinatur tertiò. Bonũ autem mortalium,quod contra defectũ mortalitatis ordinatur(quod est matrimonium)tripliciter determinatur:primò enim determinatur quantũ ad circũstantiam matrimonij: 2.quantũ ad consequẽtia diuortium,quod vocatur à thoro separatio:tertiò determinatur quantum ad ea,quæ circunstant sanctitatem generis eius, quod est continentia:& ex his satis patet diuisio primæ partis. Sed primò præmittitur opportunitas illius doctrinæ ex loco,& quæstione quærentium: & de hac dicit [Et factũ est, cũ consummasset Iesvs ser. istos &c.]Sermones,inquam,de potestate clauium, quas determinare incepit à sextodecimo vsque huc,vel de remissione,de qua in præcedẽti capitulo determinauit. *Eccl.* 43. Consummatio sermonũ ipse est[migrauit à Gal.]vbi plurimas virtutes ostẽdit [& venit in fi. Iudææ] ad plagã meridianã, quæ Iudæa dicitur ad differẽtiam decapolis Samariæ & Galilææ[trans Iordanem]Galilææ gentium[Et secutæ sunt eum tur.mul.]*Ioan.* 6. quia videbãt signa, quæ faciebat super his, qui infirmabantur[& cur. eos ibi]*Osee* 6. Ipse cepit,& sanabit nos:percutiet, & curabit nos.

Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem suam quacunque ex causa?

Secunda opportunitas ex interrogatione:& tãgit temeritatẽ quærẽtis,& intẽtionẽ. *Eccl.* 1. Accessisti maligne ad Dominũ, & cor tuũ plenũ est dolo & fallacia[Si licet]Ecce quæstio ex quacunque causa scripta. *De.* 24. *Mar.* 10. Accedẽtes Pharisęi interrogabant eũ. Si licet viro vxorẽ dimittere tentãtes eũ.

Qui respondens ait illis: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.

Tria dicit, redargutionem de negligentia lectionis in studio legis, auctoritatem primò matri-

monium instituentis, & institutionis formam. Et in hac forma dicit sex, quorum primum distinctio sexuum, secundum exclusio illegitimarum personarum, tertium indiuiduitas contrahentium, quartum actus & finis matrimonij, quintum mutuum in vtroque, & vtriusque debitum, sextum & vltimum impossibilitas ad diuortium. Dicit ergo [Nonne legi.] Quasi diceret. Qui non legit in capite libri primi, omninò iners & reprehensibilis est. Adhuc autem in hoc, non sua, sed ea, quæ naturalis, & diuinæ legis sunt, respondet, quæ integræ naturæ data sunt: in qua lege naturali peccati duritia nihil extorsit [quia qui fecit] Pensanda est distantia factoris (matrimonium instituentis in naturæ officium) & serui, qui permisit quædam propter peccandi maleficium. *Hebr.* 3. Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ erant dicenda [homines] naturaliter coniugales. Et ideò cum causa remaneat & natura, secunda permissio nihil immutauit de institutione prima; sed potiùs per gratiam nouæ legis, secunda permissio reuocanda est ad institutionem primam. *Suprà* 5. [masculum & fœ.] Ergo innaturalis vsus hic est prohibitus. *Roma.* 1. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desideriis suis inuicem: masculi in masculos, & fœminæ in fœminas turpitudines operantes. Masculus autem accipitur hic, vt generans: & fœmina, vt adiuuans. *Genes.* 2. Faciamus ei adiutorium simile sibi. Omnis ergo coitus non habens modum generantis in viro, & adiuuantis in fœmina damnatus est: & hoc est, quòd vir incumbat, & fœmina succumbat, instrumentis genitalibus sibi coaptatis. Si enim fœmina supergrediatur, matrix euersa est, & vix capit semen: si à latere accumbat, latus matricis iacet super latus, & iterum vix accipit: si posteriùs disponatur, distantia oris matricis & matricis impedit susceptionem seminis: si autem succumbit, os matricis directè superponitur concauo matricis, & directè fit fusio seminis: & hoc modo fecit Deus fœminam in adiutorium viro: quod ipsa ostendit membrorum dispositio. *Tob.* 8. Tu fecisti Adam de limo terræ, & dedisti ei adiutorium Euam.

Et dixit] statuendo [propter hoc relin. homo pa. & ma.] Exclusio est illegitimarum personarum. In principio enim à matrimonio non excludebantur nisi pater & mater; posteà in lege plures. *Leuit.* 18. Et postea à sanctis Patribus iterum plures personæ sunt exceptæ. Attende igitur quòd pater & mater tripliciter accipiuntur, ex statu, ex natura, & ex persona. Ex statu primæ innocentiæ, nec fuit seruitus, nec causa seruitutis. Et quoad hoc si aduenìat conditio dispar, quam non præsciunt contrahentes; talis error impedit matrimonum. In natura autem parentum natura diuiditur substantia, virtute, & opere: sicut omnia, quæ sunt potestatis alicuius, per hæc tria diuiduntur. Substantia autem parentum natura, virtute, & opere, indiuisa in aliud, est in filiis: & propagatio illius facit gradum primum. In filiorum autem filii, propter commissionem ad aliud, est natura in parte, & virtus, & operatio. In filiorum nepotibus propter duplicem misturã cum alieno, non possumus dicere, quòd maneat nisi virtute & opere. Et in filiorum pronepotibus expenditur & virtus eius & operatio vltima: & ideò post istos gradus cõtrahitur: sic enim peruenit in tertiam & quartam generationẽ; & adhæ. vxori suæ] affectu vxorio: & in hoc intelligitur, quòd nõ repudiabit eam: est enim hæc adhæsio legis, non adhæsio libidinis. 1. *Cor.* 6. Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. In hoc autem, quòd dicit [suæ] quod notat discretionem, prohibetur adulterium. *Leu.* 18. Cum vxore proximi tui non communicabis. *Iere.* 5. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Vnde per hoc, quòd dicit [adhærebit] notatur consensus indiuiduitas: per hoc, quòd dicit [vxori] notatur amoris honestas, vt non vtatur ea tanquam meretrice, vel fornicatrice: per hoc, quòd dicit [suæ] notatur adulterij dãnabilitas.

Et erunt duo in carne vna.

Hic notatur contrahentium indiuiduitas: & ratione quidem primæ partis ostenditur damnatio & inordinatio, & innaturalitas bigamiæ. Sed bigamia est duplex, coniunctio, s. cum pluribus successiuè, quæ inducit irregularitatem, non peccatum. 1. *Timot.* 3. Vnius vxoris virum. Alia fuit coniunctio ad plures simul: & hanc induxit primus Lamech *Genes.* 4. Et ad tempus in sanctis Patribus dispensabatur, vt cum propagatione seminis fieret etiam propagatio religionis, & contra naturam est matrimonij, cum hic dicatur [erunt duo] Non tres, vel plures. Ex secunda parte, cùm dicit [in carne vna] duo intelliguntur, quorum vnum est matrimonij proprius actus: & alterum matrimonij principalis finis, siue bonum. Et potest primum esse, & medicina libidinis. 1. *Cor.* 7. Propter fornicationem vnusquisque vx. su. ha. & vnaquęque suum virum ha. Potest etiam esse officium & opus generationis. *Tob.* 6. In vestro eritis coniugio, vt ex vobis filij procreentur. Finis autem est vna caro prolis: & hoc non potest esse, vt dicit *Philosophus*, vt ex æquo veniat caro viri & fœminæ: quia ex duobus similibus nihil fit; sed quòd vnum fiat spiritus corpus formans, & alterum sit materia formata: & ideò sexus in personis generantibus diuisi, vniuntur in seminũ commistione: Et hoc est, quod dicit [in carne vna] quia in illa est vterque generantium per totam virtutem sexuum, licet non sit per figuram membrorum: & hoc est, quod dicitur *Genes.* 5. Quòd Adam & Eua commisti genuerunt ad imaginem, & similitudinem suam.

Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.

Notatur hic in vtroque vtriusque debitum: & notantur duo, debitum, & signum. Debitum: quia non sunt duo, sed vterque in altero. 1. *Cor.* 7. Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Similiter autem & mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: nolite fraudare inuicem. Et contra hanc iustitiam est libellus repudij: quia sine culpa peccati perdit mulier quod perpetuò suum erat. Signũ notatur in hoc, quòd dicit [vna caro] In hoc enim notatur indiuiduitas coniunctionis spiritus ad Deum. *Mal.* 2. Quid quærit vnus, nisi semẽ Dei?

Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Ecce impossibilitas ad diuortiũ: & notantur duo in prima parte huius cõclusionis: vnũ est auctoritas cõiunctionis, causa stãte in natura: secudũ est quasi fundamentum. Primum patet per se: per secundum excludi

excluditur dispar cultus: quia tales personas, nisi cultui malo renuntient, & ad vnum cultum veniant, Deus non coniungit. *Malach.* 2. Contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit & habuit filiam Dei alieni: disperdat Dominus virum, qui fecerit hoc, Magistrum & Discipulum in Israel. Per secundum, quod dicit [homo non separet] hoc est, causa humana non separetur: si enim propter sanctitatem & contemplationem ex communi consensu separentur à thoro, non homo separat, sed Deus: sed tunc non datur repudium. Sed quando propter odium separantur, vel propter libidinem alterius, fit repudium: tunc homo separat. De primo dicitur 1. *Co.* 7. Qui habent vxores, tanquam non habentes sint.

Dicunt illi. Quid ergo moyses mandauit dari libellum repudij, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem nõ fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

Hic tangitur damnatio adulterij: & habet duo, obiectionem Pharisæorum, ex *Deut.* 24. & responsionem Domini. Obiectio Pharisæorum vincitur esse mãdatum, quod fuit permissum. Respõsio Domini causam dicit permissionis, & esse permissionem, & veram causam dicit dimissionis: & si iustè dimittatur à thoro, damnat cõiunctionem ad alterum: & vbi damnat, duo dicit: damnat enim adulterium dimittentis, & adulterium dimissæ: & per hoc patet litera. 1. *Cor.* 7. Alligatus es vxori: noli quærere solutionem. Attende autem, quòd propter fornicationem dicit dimitti: & de hoc *Suprà* 5. notatum inuenies, quomodo fornicatio peior est meretricio & incontinentia. *Eze.* 16. In hoc, quòd dedisti mercedes, & mercedes non accepisti, factum est in te contra consuetudinem mulierum. Adhuc autẽ quando dimitti debet adultera, non pœnitens dimitti debet. Adhuc si in simili est culpa dimittẽs, non potest dimittere. Item si dissimulat, videtur indulsisse: & sic agere non potest ad dimissionem.

Dicunt ei Discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, Qui potest capere, capiat.

Ordinatio est castitatis ex dicto orta Discipulorum. Videbant enim, quòd vxor non est probanda ante contractum: & tamen non dimittẽda propter multa, quæ frequenter eueniunt: & hoc graue reputabant. In verbo autẽ Domini, & cõceditur hoc, quod est infirmitatis per indulgentiam: & prædicatur hoc, quod est excellentis virtutis: & in hoc tangit tria, primò castos ex necessitate impotentiæ naturalis, secundò ex necessitate impotentię casualis, & tertio castos ex virtute honestatis. Primi habent actum castitatis, & figuram membrorum, sed non potentiam: secundi nec figuram membrorum habent, nec potentiam, nec actum generationis: tertij autem figuram membrorum, & potentiam generationis, sed non voluntatem, nec actum. De primis duobus *Eccles.* 20. Concupiscentia spadonis deuirginauit iuuenculam. *Eccl.* 30. Spado complectens virginem, & suspirans. *Deu.* 23. Spado non intrabit Ecclesiam Domini. De tertio *Isa.* 56. Hæc dicit Dominus Eunuchis. Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis locum &c. [Qui potest capere ca.] Per gratiam omnes possunt. Sed sicut dicitur 1. *Cor.* 7. Melius est nubere, quàm vri.

Tunc oblati sunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret: Discipuli autem increpabant eos: IESVS verò ait illis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum cælorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

Ordinatum elicit mandatorum in duobus: in humilitate subdendi se præcipienti & præcepto: & in perfectione mandatorum præceptorum. In primo notantur quatuor, offerentium deuotio, Discipulorum indiscreta prohibitio, à Domino indiscretionis correctio, & paruulorum confirmatio & benedictio. Dicit igitur [Tùnc oblati &c.] Tangit tria, deuotionem offerentium, innocentiam oblatorum, & intentionem ad duo (alias à Domino) ad manus impositionem, & orationem. *Num.* 6. Inuocabunt nomen meum super eos; ego autem benedicam eis [Discipuli autem &c.] Tum quia timebant importunitate vexari, tum etiam, quia indiscretum reputabant paruulos non intelligentes quæ fiebant, confirmari, & benedici: sicut adhuc hæretici quidam hoc factum in Ecclesia increpant, quæ paruulos suscipit ad baptizandum & confirmandum. *Num.* 14. Paruulos, qui ignorant boni & mali distantiam, introducam in terram, quam promisi patribus eorum. *Genes.* 17. Infans octo dierum circuncidetur. 1. *Reg.* 1. Puer paruulus Samuel oblatus est in templum [IESVS verò ait illis: Sinite paruulos] Reprimit indiscretionem Discipulorum. *Isa.* vlt. Ad quem respiciam, nisi ad paruulum & contritum spiritu, & trementes sermones meos? 1. *Reg* 15. Nonne cum esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es [& nolite prohibere] *Prou.* 1. Noli prohibere eum, qui benefacit: si potes & ipse bene fac. *Sup.* 18. Qui scandalizauerit vnum de pusillis, qui in me credunt. *Prou.* 9. Si quis est paruulus, declinet ad me. *Gal.* 4. Quanto tempore hæres paruulus est: nihil differt à seruo [Talium enim est] 1. *Co.* 14. Malitia paruuli estote *sup.* 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. [Et cum imposuisset &c.] *Prou.* 29. Humilem spiritu suscipiet gloria.

Et ecce vnus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?

Hic agitur de obedientia mandatorum: & habet tres partes, scilicet inquisitionem boni, obedientiæ ostensionẽ, & impletionem. In primo duo notãtur, dispositio videlicet quęrẽtis, & modus quæstionis. Dispositio quærentis est, quòd [Vnus] forma virtutis

tutis [accedens] ad Dominum passu perfectionis. *Marc.* 10. Et cùm egressus esset in via : præcurrens quidam, & genuflexo ante eum, rogabat eum dicens : Magister &c.[Magister bone]Modus est quæstionis, in qua ponit captationem beneuolētiæ,à perfectione sapiētiæ,& perfectione virtutis laudando. Secundò, quærit bonum exercendo in opere [Quid boni fa.] & non quid boni sciam. Tertiò summi boni effectiuum coniungit,cum dicit [vt habeam vitam æter.] [Magister] *Deut.*8. Sicut homo erudit filium suum, sic Dominus Deus tuus erudiuit te [bone] *Nah.* 1. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, & sciens sperantes in se [Quid boni faciam] *Io.*6.Quid faciemus, vt operemur opera Dei ? *Iob* 2. Nunquid vir verbosus iustificabitur ? *Supra* 7. Non omnis, qui dicit mihi : Domine,Domine, intrabit in regnum cælorum,sed qui fecerit &c.

Qui dixit ei : Quid me interrogas de bono? Vnus est bonus Deus.

Hic ostenditur obedientiæ via : & habet duo, redargutionem quærentis,& ostensionem rei quæsitæ. Redargutio est [Quid me interrogas de bono?] *Marc.* 10. *Luc.* 18. Quid me dicis bonum. Nemo bonus nisi solus Deus. Et dicit *August.* quòd vtrumque dubium est. Vnum propter imperfectam fidem. Quid me dicis bonum ? quia non dixerat nisi magister bone : quod est boni & sapientis hominis,qui ex se non bonus est. Alterum dictum est propter imperfectam voluntatem:quia temporale bonum in corde eligens, quæsiuit de dono spirituali [Vnus est bonus Deus] essentialiter,causaliter, & exemplariter, & finaliter : & sic nihil est bonum nisi inquantum illud participatur, & inquantum ab illo est, & in illo relucet, & inquantum ad ipsum est. *Exod.* 33. Ego ostendam tibi omne bonum.

Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Responsio quæstionis:Et duo habet, ostensionē obedientiæ in genere, & determinationem in specie [ingredi] *Ecclesiast.* 1. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. *Sap.*6. Initium illius verissima est disciplinæ concupiscentia [Serua mandata] *Prouerb.* 6. & 7. Serua mandata.

Dicit illi : Quæ ? Iesvs autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum,non falsum testimoniū dices,honora patrem tuum & matrem, & diliges proximum tuum sicut teipsum.

Dicit illi : quæ ?] Quæstio est determinationis. [Iesvs autem dixit : non homicidium] Determinat primò quinque in opere, & sextum, quod est forma operis. In opere autem contra malum tangit quatuor : & quintum in ordine ad bonum : & contra malum in opere tria : & quartum in verbo. In opere autem contra malum proximi secundum nocumentum personæ, & contra nocumētū conseruationis naturæ speciei,& cōtra id, quod datum est ad solatium vtriusque. Attende autē, quòd non dicit de mandatis primæ tabulæ:quia ille peccabat in effectu contra proximum retinendo, & non ita in affectu contra Dominum. Dicit ergo [Non homicidium facies] *Exo* 20. *Deut.*6. Pœna ponitur *Exo.* 21. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur [Non adul.] *Exo.*20. *Deut.*5. *Leui.*20. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit, morte moriatur & mœchus & adultera [Non furtum fa.] *Exod.*20. *Deut.*6.Pœna tangitur *Deut.*22. *Leui.*10.*Num.*15.*Prouer.*6. [Non falsum te. dices] *Exod.*20. *Deut.*5.*Deut.*19. Cúmque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse mendacium contra fratrem suum,reddent ei, sicut fratri suo facere cogitauerat. *Prou.*19.Testis falsus non erit impunitus [honora &c.] *Exo.*20.*Deut.*5. *Ecclesiast.* 3. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiori. Et sequitur. Gloria hominis est honoratio patris:& dedecus filij pater sine honore [Diliges proxi. tu.] *Leui.*19. *Rom.*13. Plenitudo legis.

Dicit illi adolescens : Omnia hæc custodiui à iuuentute mea : quid adhuc mihi deest?

Ecce impletio obedientiæ, nec de vita sua vincitur, nec tentat secundum *Bedam* quia *Mar.*10. dicitur, quòd Iesvs dilexit eum. Quidam autem dicunt, quòd tentauerit. Quia duplex est tentatio,simulatorum,vt capiant, & imperfectorum, vt aliquid ad salutem sufficiens inueniant : & hoc secundo modo tentauit : & dicit duo : profitetur obedientiam, & quærit perfectionem. De primo dicit [Hæc omnia] *Iaco.* 3. Qui totam legem seruauerit;offendat autem in vno,factus est omnium reus [à iuuentute] *Ibre.* 3. Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua[Quid adhuc mihi deest] *Eccl.* 6. Fili, à iuuentute tua excipe doctrinam.

Ait illi Iesvs : Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus,& habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me.

Hic ponitur regnum perfectorum : & dicuntur tria, perfectionis via,& qui ad perfectionem non perueniunt, & cum præmio perfectionis [Si vis perfectus esse] 2. *Cor.* 13. De cætero fratres gaudete, perfecti estote. *Col.* 3. Super omnia charitatem habentes,quod est vinculum perfectionis [vade, & vende omnia] Non vt Ananias, & Saphira *Act.* 5. *Luc.* 12. Vendite quæ habetis, & date eleemosynam [& da pauperi. *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus [& habebis thesaurum] *sup.*6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo [& veni,sequere me] 1. *Ioan.* 2. [Qui dicit se in Christo manere : debet, sicut Christus ambulauit, & ipse ambulare.

Cum autem audisset adolescens verbū, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones.Iesvs autē dixit Discipulis suis : Amen dico vobis,quia diues difficile intrabit in regnum cælorum.Et iterum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.

Difficultas huius tangitur : & dicit duo, primò enim ostenditur difficultas tam in tristitia iuuenis quàm ex verbis Saluatoris:& secundo excluditur, impossibilitas

impossibilitas. Dicit igitur primò [Cum autem. &c.] *Eccl.* 14. Felix, qui non abiit cum tristitia, & non excidit à spe sua. Et *Ibidem Infrà.* Oculus malus ad mala : & non satiabitur pane indigens, & est in tristitia super mensam suam. 2. *Cor.*7. Seculi tristitia mortem operatur [Erat enim habens multas pos. &c.] *Eccl.* 5. Quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis [Iesvs autem dixit discipulis suis.] quia alij non audiuissent [Amen dico vobis] *Luc.* 18. Quàm difficile, qui pecunias habent &c. *Mar.* 10. Quàm difficile qui pecunias habent regnum cælorum intrabunt. *Eccl.* 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. [Facilius est camelum] In muro Ierusalem propter bella finitima magnæ portæ conclusæ fuerunt & paruulæ portulæ apertæ, quæ foramen acus vocabantur propter arctitudinem, per quas animalia non nisi depositis oneribus intrabant : & hoc est, quod dicit comparatiuè loquens. *Marc.* 10. Filioli quàm difficile est confidentes in diuitiis reg. Dei introire. *Prouer.*11. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. *Prou.* 28. Qui festinat ditari, non erit innocens.

Auditis autem his, Discipuli mirabantur valde dicentes : Quis ergo poterit saluus esse ? Aspiciens autem Iesvs dixit illis : Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt.

Hic duo dicuntur, Discipulorum admiratio, & impossibilitatis exclusio. Discipuli enim intellexerunt, quòd diues est non solum qui habet ; sed qui vult habere, quales ferè omnes sunt : & hæc est causa quæstionis eorum. [Aspiciens autem dixit eis : Apud homines impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt] *Lu.*1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum, *Gen.* 18. Nunquid Deo quicquam erit difficile?

Tunc respondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te : Quid ergo erit nobis ?

Præmium ostenditur hic perfectionis : & dicō hic tangūtur, perfectionis expositio,& præmium. Dicit ergo [Tunc respondens Petrus] pro omnibus aliis. [Ecce nos reliquimus omnia] *Sup.* 4. *Gen.*12. Egredere &c. [Et secuti sumus te] 3. *Reg.*19. Eliseus relictis omnibus cucurrit post Eliam [Quid ergo erit nobis] in præmio. *Sup.* 12. Exponitur præmium. *Deu.* 33.

Iesvs autem dixit illis. Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aus agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.

Iesvs autem dixit illis] specialiter primo Apostolicis : & secundo generaliter omnibus. Dicit igitur [Amen dico] fideli promissione. *Tit.* 1. Quam promisit, qui non mentitur Deus [quòd vos, qui secuti estis me] quia parum est relinquere : ideò de illo non facit mentionem. *Cant.*8. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ &c. Sed magnum est sequi. *Eccle.* 23. Gloria magna est sequi Dominum. Longitudo enim dierum ab ipso assumetur [in regeneratione] Non Baptismatis sed resurrectionis Sanctorum in gloria. 1. *Corinth.*15. Nos immutabimur. *Rom.*8. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei [cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ] *Dan.*7. *Ioan.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. *Hebr.* 1. Sedet ad dexteram maiestatis [sedebitis & vos] perfecti, quorum cor indiuisum est ad temporaliter delectantia [super sedes duodecim] *Apoca.* 4. In circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos viginti quatuor seniores, hoc est, duodecim Patres, & duodecim Apostoli quia omnes stellæ ad duodecim reducuntur. *Apoca.* 12. Corona duodecim stellarum in capite eius. Ideò vniuersitas significatur indicantium per duodecim. Vel quia septenarius consistit ex tribus & quatuor, vnius horum multiplicatio per aliam facit duodecim. De hoc *Supra* 11. [iudicantes duode. tribus Israël] Per hoc accipitur vniuersitas iudicandorum. *Psalm.* 149. Vt faciant in eis iudicium conscriptum : gloria hæc omnibus Sanctis eius. Per tribus autem Israël significantur fideles imperfectè boni & imperfectè mali, qui saluabuntur & condemnabuntur. Qui autem infideles sunt, de his dicitur *Ioan.* 3. Qui non credit, iam iudicatus est [Et omnis, qui reliquerit] Istud patet per se *Marc.* enim 10. dicitur centies tantum accipere in potēstium persecutionibus : eo quòd sunt multi implentes in ipso spirituale bonum, & charo venerantur affectu, & illos accipit in partes &c. Quidam etiam semper persequuntur hoc bonum; & ideò accipit cum persecutionibus. Vel centuplum : quia incomparabiliter valet plus quod accipit. *Gen.*26. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum [& vitam æter. pos. *Ioan.* 10. Et ego vitam æternam do eis. Quia autem in sede iudiciaria sedere magnum est; & vitam æternam habere. Ideò finalem adiungit conclusionem de modo habendi tantum præmium honoris,& vitæ & felicitatis [Multi autem &c.] Multitudo enim Iudæorum, quæ prima reprobata est, licet quidem sint primi; & nouissimi dignitate & tempore de gentibus perceptione gratiæ facti sunt primi. *Eph.* 2. In Christo Iesv vos, qui aliquando eratis longè, facti estis prope & inter vocatos, qui prior est reputatione sui,sit nouissimus retributione. *Luc.* 14. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur : & qui se humiliat, exaltabitur. Et hoc intendit astruere per totum sequens capitulum.

CAP. XX.

Simile est regnum cælorum homini patrisfamilias, qui exiit primò mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter: Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios stantes, & dixit illis: Quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

IN hoc capitulo inuitat ad instantiam operis Prælatos Ecclesiæ: & habet duas partes, in quarum prima ponit instantiam operis, & modum operantis: in secunda doctrinæ confirmationem per congruum miraculum de illuminatione cæcorum ante finem capituli. De instantia autem, & modo operantis tria inducit, in quorum primo sub parabola instantiam docet operis: in secũdo sub exemplo suæ passionis obedientiam & intentionem rectificat operantis: in tertio sub reprehensione elationis & indignationis in operando, docet consensum humilitatis & affectum fraternæ societatis: quia sicut dicitur *Prou.* 18. Frater, qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma: & hæc patent in litera. In prima duo dicit, instructionem videlicet parabolicam, & explanationem per paruam clausulam, quam in fine addit dicens: sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Hanc enim astruere intendit. In prima harum duo sunt, parabola scilicet instantiæ operis, & parabola remunerationis. Parabola de instantia operis duo habet, assimilatum, & cui, & in quo assimilatur. Assimilatur enim regnum cælorum, cùm dicit [Simile est regnum cælorum] Hoc est, gubernatio officiorum cælestium, quæ sunt in Ecclesia: hoc enim dicitur regnum cælorum; quia origo eius est in cælo, & conuersatio, & finis. De primo *Apoca.* 21. Descendentem de cælo, à Deo paratam. De secundo *Phil.* 3. Nostra autem conuersatio in cælis est. De tertio *Ioan.* 14. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. De omnibus his simul *Iob* 38. Nunquid ordinem cæli, & rationem eius pones in terra [homini] Hic dicit duo, cui, & in quo fit comparatio. Cui: quia [homini patrifamilias] & in homine notatur discretio: in patrefamilias auctoritas & prudentia & dispensatio totius domus. De primo *Psalm.* 4. Signatum est super nos lumen vltus tui, Domine. De secundo *Supra* 13. Omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

Qui exiit] Hic tangit in quo fit comparatio: & tanguntur hic tres diuersitates, & quinque exitus. Diuersitates sunt operariorum, quia primi mane non stant otiosi, nec reprehenduntur de otio, sed conducuntur pro pretio: secundi stant in foro otiosi, nec reprehenduntur de loco, nec de otio, sed nec conducuntur, sed in vineam mittuntur sub iusti pretij æstimatione: tertij autem & reprehenduntur de otio, & in vineam mittuntur, nec conducuntur, nec prorata temporis pretium promittitur: & hæc patent in litera. Quinque autem exitus in litera significantur in mane, in tertia, in sexta, in nona, in vndecima: exitus autem sunt manifestationes diuinæ, quibus ad opus suum vocat filios hominum Deus Pater, qui, sicut paterfamilias gubernat domum, ita gubernat mundum. Prima igitur hora est: quando venit in notitiam Adæ per legem disciplinæ & naturæ vocans ad perfectionem iustitiæ: vnde & prima hora in his fuit lumen legis disciplinæ: & secunda hora fuit lumen legis naturæ, quarum primam obumbrauit peccatum inobedientiæ, secundam autem obumbrauit peccatum contra naturam: tertia autem hora manifestabatur secundo exitu, per ostensionem peccati in detestando, per inuitationem ad pœnitentiam, & inductionem diluuij, cùm pœnitere nollent *Gen* 6. Et hic est exitus secundus in hora tertia. Protenditur autem vocatio per diuisionem linguarum, & vocationem Abrahæ de terra sua, & deletionem pentapolis (sicut per quasdam luces horarias, in quibus aliquid innuit semper de iustitia vocantis) vsque ad circuncisionem Abrahæ, quasi in horam sextam, in qua sol cœpit stare in altissimo promisso, vltra quod etiam ascendere non potuit: quia hoc erat semen, in quo benedicendæ erant omnes gentes: cuius signum in circuncisione Abraham accepit, sicut habetur *Gen.* 15. & 17. Et ille exitus iterum per luces horarias (in quibus aliquid significationis Dei illuxit in introitu Israel in Ægyptum, in suscitatione Moysi, & in exitu de Ægypto) porrectus est vsque ad Moysem, quando legem dedit: in cuius collatione nona conclusa est hora: & quartus exitus, cum legem mandauit in præceptis iustitiarum hæreditatem domui Iacob, & Israël promissiones *Eccl.* 24. Et iterum per lucem horariam illuminationis regni per Dauid, & legis per Prophetas: hæc hora venit vsque ad vndecimam, quando nouissimè per seipsum apparuit: in quibus omnibus vocationibus Iudæos in vinea sicut primos constituit operarios. Primò quidem in protoplastis, secundò in Patriarchis, tertiò in Legislatore, & quartò in Regibus & Prophetis, & tandem in seipso dicente *Sup.* 15. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël. Hæc autem vocatio non potest extendi, quæ *secundum Chrysost.* tenebris miscebitur: quæ est in manifestatione lucis, per prædicationem Apostolorum, quæ facta est gentibus nouissimè in vineam venientibus: qui primi efficiuntur, vna hora facientes: & fit eis misericordia, vt priùs similitudinem Regis percipiant in agnitione veritatis, quàm illi, qui ab initio sunt vocati, sicut dicit *Apostolus Rom.* 11. Cæcitas contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.

Sic ergo vinea est Ecclesia militans: vites, fideles in Ecclesia plantati. *Isa.* 5. Vinea Domini Sabaoth domus Israël est. *Cant.* 8. Vinea fuit, pacifico in ea, quæ habuit populos. Vites autem, gaudij spiritualis vinum germinantes, De quo dicitur

dicitur *Iudic.* 9. Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines. Conuentio autem hominis est obligatio ad opus iustitiæ spiritualis, ex manifestatione diuinæ voluntatis. *Gen.* 30. Dic, quid mercedis accipias, vt seruias mihi? Et *Ibidem.* Respondebit mihi cras iustitia mea, quando placiti' tempus aduenerit, coram te. Procurator autem vineæ secundum hoc filius Dei est significatus per Ioseph, qui *Gen.* 41. gubernabat creditam sibi domum. Et *Hebr.* 3. Christus fidelis est in domo sua, quæ domus sumus nos. Denarius autem diurnus est, qui soluitur pro labore diurno, valens decem vsuales, & insignitur imagine Regis: & hoc nihil aliud est nisi imaginis gratiæ perfecta similitudo in nobis, Christo (qui est imago Dei inuisibilis) nos sigillante, & operibus iustitiæ nos polientibus, & camino tentationis nos purificante. Sic enim in fine diei denarij impressionem perfectè habentes, de omni labore sumus remunerati. Hanc autem impressionem Iudæi vltimò accipient, & gentes primò. *Rom.* 9. Gentes quæ non cognouerunt legem iustitiæ, acceperunt iustitiam. Israël autem sectando legem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenit. Murmur autem est ortum ex Iudæis in primitiua Ecclesia, quando gentes figuram summi Regis acceperunt. Tunc enim Iudæi dixerunt gentes canes esse immundos, & non debere eis dari gratiam. Sicut patet per *totam epistolam ad Rom.* Et *Act.* 15. Vbi dixerunt, quòd oportet gentes circuncidi secundum legem Moysi: quos compescit paterfamilias, ostendens valorem pretij conuentionis: quia sufficienter & sine iniuria remuneratus est, suscipiens imaginem Regis, quantumlibet diu portauerit pondus diei & æstus: & per hoc patet intentio literalis in tota parabola moraliter.

Exponitur autem & de quolibet homine, qui vinea est, cuius vites sunt virtutes. *Ierem.* 2. Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum. *Cant.* 1. Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi. Et exitus patrisfamilias non est aliud, quàm ostensio suæ lucis in cognitione [mane] ergo est puericia, quando calore & humore feruet ætas humana. *Can.* 7. Mane surgamus ad vineas. *Prouer.* 8. Qui mane vigilauerint ad me, inuenient me. In mane autem isto (quo totum tempus habetur præ manibus) operarij conducuntur promissione diuinæ similitudinis in imagine impressa summi Regis, ne abeuntes ad mundi vanitates, vadant in dissimilitudinem: de quibus dicitur 2. *Ti.* 2. Solicitè cura teipsũ exhibere Deo operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum Dei. Exitus autem in tertia, est hora iuuentutis, quando exsiccato iam humido, robusta est ætas ad magna perficienda: & ideò licet de illis dicatur, quòd stant in foro, quasi deliberantes, prò quibus delectabilibus spiritualibus, vel corporalibus se venderent: & licet starent sine profectu & otiosi, nihil verè vtile facientes; tamen non reprehenduntur: quia adhuc robusti existentes poterant intensione laboris recuperare dispendium amissi temporis: tamen sine conductione mittuntur ad vineam: quia de toto tempore conuenire non poterant, sed ad liberalitatem patrisfamilias confugientes, pro rata temporis mercedem præstolabantur. *Iob* 7. Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego dies & menses vacuos numeraui mihi. In idem reducuntur, qui circa Nonam & Sextam inueniuntur. Sexta ætas est virilis, quando virtutis est status, & tunc adhuc & constans est, & robusta: ex duobus illis restituens id, quod de perditum est in tempore. Nona autem est senectus, quæ iam est cum declinatione virtutis, sed non substantiæ: & ideò de vocatione simul & labore absque increpatione mittitur ad vineam. Vndecima verò est ætas decrepita cum declinatione & defectu virtutis & substantiæ: & ideò vsque ad illam expectans increpationes meretur, quare tota die steterit otiosus: sed ex misericordia eius, qui neminem vult perire, mittitur ad vineam. Et secundum hanc expositionem murmur eorum est, qui præsumptione propria videntes cum quibusdam serò conuersis misericorditer agi, reputant se melioribus dignos, & tunc aliis vel æquè locantur, vel postponuntur, & vitium elationis in eis cum reprehensione comprimitur. Vocat enim Dominus non solùm post mortem, sed etiam in vita, cùm ducit mentem in consideratione laboris impensi, & præmiorum debitorum: & tunc illi optimi reputantur, qui quantumlibet diu laborauerunt; tamen præ dulcedine charitatis patrisfamilias non videtur eis labor. *Gen.* 29. Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Istæ ergo sunt duæ expositiones, ad quas referuntur dicta Sanctorum: & ex his patet intellectus literalis.

Dicit ergo [Exiit primo mane] *Ierem.* 7. Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas, de nocte consurgens & mittens [conducere operarios] *Isa.* 62. Filij peregrinorum agricolæ & vinitores tui erunt [conducere operarios] *Supra* 10. Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. *Matth.* 10. Dignus est operarius cibo suo. *Eccl.* 40. Vita sibi sufficentis operarij condulcabitur, & in ea inuenies thesaurum. Operarios enim conducit, non sermocinatores, vel dispensatores Dominus, & resolutos. 2. *Cor.* 2. Pseudoapostoli operarij subdoli transfigurantes se in Apostolos Christi. *Eccl.* 19. Operarius ebriosus non locupletabitur [misit eos in vineam suam] *Isa.* 60. Ecce ego: mitte me. *Ezech.* 2. Fili hominis, mitto te ad filios Israël. *Ierem.* 12. Pastores multi demoliti sunt vineam meam. *Can.* 1. Posuerunt me custodem vineis &c. [Et egressus circa horam tertiam [*Osee* 6. Quasi diluculo præparatus est egressus eius [vidit alios] *Eccl.* 15. Oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnoscit opera hominis [stantes] immobiles. *Osee* 8. Culmus stans non est in eo germen, nec faciet farinam [in foro] *Isa.* 52. Gratis venundati estis [otiosos] *Eccl.* 23. Multa mala docuit otiositas. *Prouer. vlt.* Panem otiosa non comedit [ite & vos] *Ioan.* 15. Eatis, & fructum afferatis: & fructus vester maneat [& quod iustum fuerit, dabo vobis] 1. *Reg.* 16. Dominus retribuet vnicuique secundum iustitiam suam & fidem [Illi autem abierunt] *Ezech.* 3. Abij amarus in indignatione spiritus mei: manus enim Domini erat mecum confortans me [Circa sextam & nonam exiit] *Isa.* 2. Lex à me exiit, & iudicium meum in lucem populorum. Prope est iustus meus, egressus est Saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt. [Circa vndecimam verò exiit] 1. *Ioan.* 2. Filioli, nouissima hora

hora est. *Ioan.* 16. Exiui a Patre, & veni in mundum [& inuenit alios] sine profectu *Prouer.* 12. Radix Iustorum proficiet 2. *Reg.* 3 Dauid proficiens, & semper seipso robustior [tota die] *Eccl.* 11. Si multis annis vixerit homo &, in omnibus his lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, quod cum venerit, vanitatis arguentur præterita [otiosi] *Prou.* 12 Qui sectatur otium stultissimus est [quia nemo nos conduxit] Excusatio est de non audita vocatione [Ite & vos] *Luc.* 10. Ite, Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

Cum serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios, & redde illis mercedem incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cum venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios, & accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes : Hi nouissimi vna hora fecerunt : & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus ? At ille respondens vni eorum dixit : Amice, non facio tibi iniuriam : nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade: Volo autem & huic nouissimo dare, sicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Multi enim sunt vocati pauci vero electi.

Hîc agitur de retributione: procurator autem est filius Dominus IESVS-CHRISTVS, & cætera patent per prædicta [incipiens à nouissimis &c.] *Prou.* 20. Hæreditas, ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. *Isa.* 14. Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? *Psalm.* 67. Iter facite ei, qui ascendit super occasum [procuratori suo] Omnem solicitudinem proiicientes in eum ; quia ipsi cura est de vobis. 1. *Pet. vl.* 1. *Cor.* 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi [Voca operarios] Statue iudicium. *Rom.* 14. Omnes stabimus ante tribunal Christi. *Ioan.* 5. Venit hora, quando mortui audient vocem filij Dei [& redde illis mercedem] 1. *Cor.* 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 2. *Tim.* 4. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus &c. [incipiens à nouissimis] *Rom.* 15. Gentes super misericordia honorare Deum. *Sap.* 6. Exiguo conceditur misericordia [singulos denarios] tamen 1. *Corinth.* 15 Stella à stella differt in claritate [murmurabant] *Sap.* 1. Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ [non facio tibi iniuriam] quia teneo pactum. *Iob* 8. Nunquid Deus supplantat iudicium, aut Omnipotens subuertit, quod iustum est? *Iob* 34. Absit à Deo impietas, ab Omnipotente iniquitas [volo autem] Secunda autem ratio iustitiæ ex decentia liberalitatis regalis sumpta [huic nouissimo] cui deuotio voluntatis temporis spatium breuiauit. *Rom.* 12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta. *Psalm.* 89. Mille anni ante ocu. tu. &c. *Supra* 6. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit [sic erunt nouissimi] *Deut.* 18. Aduena, qui tecum moratur, ascendet super te: ipse erit in caput, & tu in caudam [multi enim sunt vocati] 1. *Cor.* 9. Omnes quidem currunt ; sed vnus accipit brauium.

Et ascendens IESVS Ierosolymam assumpsit duodecim Discipulos suos secretò.

Hîc subiungit exemplum suæ Passionis: quo & operarij incitantur ad opus, & vinea accipit sanguinis irrigationé, & resurrectionis gloriosæ promissionem. Tangit autem tria : primò scilicet, conuenientiam loci, secundò quibus, tertiò quid reuelauit. De loco dicit [Et ascendens IESVS]. Iam enim virtute Passionis ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum propter tristitiam Passionis. *Apoca.* 7. Vidi Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui. *Psalm.* 77. Iter facite ei qui ascendit super occasum. Ascendere enim nos fecit via Passionis de virtute in virtutem. *Cant.* 7. Conscendam in palmam [assumpsit Discipulos duodecim] s. imitatores præ cæteris. *Deut.* 32. Expandit alas suas, & assumpsit eos. *Exod.* 19. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis: quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & mihi assumpserim in populum [secretò] ne alij de patientis infirmitate scandalizarentur, & ne antè diuulgata impedirentur. *Isa.* 24. Secretum meum mihi, secretum meum mihi. *Eccl.* 18. Non omni homini cor tuum manifestes.

Et ait illis : Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis: & condemnabunt morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum: & tertia die resurget.

Ecce hic ponitur iam quartò reuelatio Passionis: quia ipsa est virtus omnium Sacramentorum, & quæ principaliter erat prædicanda. 1. *Cor.* 1. Nos prædicamus Christum crucifixum &c. Tangit autem quatuor vbi. s. & in qua natura, & à quibus, & ad quas passiones tradetur. De vbi dicit [Ierosolymam] *Lu.* 13. Non capit Prophetam perire extra Ierusalem [filius hominis] quia in natura hominis, & non in diuina passus est [tradetur] à Iuda Iudæis [Principibus Sacerdotum] In quibus erat nocendi potentia [& Scribis] in quibus erat nocendi scientia [& condemnabunt] per consilium & accusationem [morte] *Infra* 28. Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam [& tradent] Secunda traditio : quia inter se condemnatum tradiderunt gentibus ad exequendum scelus, quod cogitauerant. *Ioan.* 18. Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid fecisti? *Marc.* 14. Condemnauerunt eum esse reum mortis. *Sap.* 2. Morte turpissima condemnemus eum [ad illudendum] *Luc,* 22. Illudebant ei & velauerunt.

velauerunt faciem suam dicentes : Prophetiza. Similiter illusum fuit ei in domo Pilati veste coccinea. *Infra* 27. Chlamidem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput, & arundinem dederunt ei in dextera eius, & genuflexo illudebant ei. *Luc.* 23. Spreuit autem illum Herodes, & illusit indutum veste alba [& flagellandum] *Ioan.* 19. & *Mar.* 15. Tradidit illis flagellis cæsum, vt crucifigeretur. Et hoc est, quod sequitur [& crucifigendum] *Hebr.* 12. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Sic ergo prædicit pœnas suæ Passionis in verbis condemnationis Iudæorum, & in factis inflictis à gentibus. In factis autem illusio fuit confusionis ; flagellatio afflictionis ; crucifixio vtriusque, & afflictionis & confusionis. *Phil.* 2. Factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Hanc autem Passionem antè sæpe reuelauit : vt sciatur nihil pati nisi quod voluit, & prælegit: & sic Discipuli videntes infirmitaté in crucis Passione non dubitent de diuinitate, quę per mortem morté expellit. *Habach.* 3. Ibi abscondita est fortitudo eius : ante faciem eius ibit mors. Est & alia causa reuelationis huius: quoniam si Christus, qui omne bonum meruit, amara pati in mundo elegit, & honores fugit: multò magis nos, qui nihil boni meriti habemus, non nisi amara in mundo quærere debemus *Luc. vl.* Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? 1. *Pet.* 1. Prænuntians, quæ in Christo sunt passiones, & glorias posteriores. 2. *Cor.* 1. Sicut in Christo abundant passiones nostræ : ita & per Christum abundant consolationes nostræ. Et hoc est, quod in argumentum consolationis sequitur [& tertia die resurget] *Surpà* 12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti &c. Et *Ibidem* est expositum. Celerem autem dat Resurrectionem, vt Passio minus deterreat, & vt pœna per imitationem magis impigrafiat. *Psalm.* 40. Tu autem Domine, miserere mei, & resuscita me ; & retribuam eis. Hæc est dies tertia, qua IESVS transito mari mortalitatis, mane in litore stetit æternitatis *Ioan.* 40. Et super hæc omnia hodie est dies tertia *Luce vltimo.*

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis?

Hæc est pars, in qua ponitur repressio ambitionis & liuoris, & suadetur humilitas Prælatis, & affectus fraternæ societatis. Diuiditur ergo in tres partes, in quarum prima reprimit temerariam ambitionem : in secunda liuoris indignationem : in tertia suadet humilitatis societatem, cum affectu charitatis esse tenendam : & hæc patent in litera expresse: sic enim Prælati opus erit perfectum in eo, quòd instanter fit, & patienter exemplo Passionis : & sine ambitione & indignatione humilitatem prætendit, & charitatem societatis æmulatur. In prima harum tria facit. Primò enim temerè petentis per ambitionem honoris proponitur petitio : secundò per Dominum, huius ambitionis in auctores petitionis huius moderata & congrua retorquetur repressio : tertiò autem veræ viæ ad conregnandum fit ostensio. In harum prima parte adhuc tria sunt, scilicet, supplicantis deuotio, petiti generalis expositio, & tertiò cum voluntas eius requiritur, explanatio explicita petitionis. In quinque autem ostenditur petentis deuotio, scilicet, congruitate temporis, accessu familiaritatis, destitutione viduitatis, debito pietatis, & reuerentia adorationis.

De congruitate temporis dicit [Tunc] videlicet, quando mentionem fecerat de Resurrectione, in qua regnaturus erat in potestate : de qua dicit *Infra vltimo*, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Fortè sciuit scriptum esse *Ierem.* 23. Regnabit Rex, & sapiens erit. Et putabat hoc Discipulis in hac vita statim fore dandum, decepta simplicitate fœminea: & sciuit tantarum passionum merito ad magnum honorem fore exaltandum, in quo consortes petebat esse filios. *Phil.* 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen [accessit] ausu familiaritatis, & consanguinitatis. *Hebr.* 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno [Mater] In hoc notatur viduitatis destitutio : quia si Zebedæus adhuc viueret, mater officium petendi pro his patri commisisset ; vnde est quasi dicat mater orbato patre. 1. *Tim.* 5. Si qua verè vidua est, & desolata, speret in Domino, & instet obsecrationibus die ac nocte. *Thren. vl.* Pupilli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi viduæ. Et in commotionem huius fit mentio Zebedæi, qui fuit ita amicus IESV, quòd æquanimiter sustinuit derelinqui à filiis, vt sequerentur Iesum. *Matth.* 4. Relictis retibus, & patre, secuti sunt eum. Vnde etiam mater nunc solicitudine debilis mariti libera, relicta domo, secuta Iesum, sicut dicit Chrysost. [cum filiis suis] Ecce debitum pietatis : cum enim Deus matrem filiorum esse voluit, à communiter accidentibus voluit eam habere pietatem & curam ad filios. 3. *Reg.* 3. Commota sunt quippe viscera eius super filio suo. *Isa.* 49. Si potest mulier obliuisci infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? [adorans] Ecce reuerentia adorationis. *Exod.* 4. Adorauerunt proni in terram. *Gen.* 18. Adorate eum super terram. *Psalm.* 131. Adorauimus in loco, vbi steterunt pedes eius. Propter omnia ista mulier argui de temeritate nō meretur [& petens aliquid ab eo] Exprimitur petitio implicitè vt antè obtineatur promissio exauditionis, quàm explicitè desiderium petentis exponatur. Fortè audierat eum dixisse : Petite, & dabitur vobis *Suprà* 7. Et *Ibidem.* Omnis, qui petit, accipit. Et maximè quia dixerat : Petite regnum Dei [qui dixit ei] Ecce requiritur voluntas petentis : nec ignorantis est quæstio, sed præscientis : & ideo quærentis, vt ostendat ignorātiæ esse petitionem & hoc est [Quid vis?] *Rom.* 8. Quid oremus secundum quod oportet, nescimus. *Marc.* 10. Quid vultis, vt faciam vobis?

Ait illi : Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.

Ecce expressa petitionis explanatio : & in hac tria continentur, fides videlicet petentis, quid

&

& quibus petit. Fides, cùm dicit [dic.] Quasi d. Verbo tuo cuncta obediunt. *Psalm.* 32. Dixit, & facta sunt. Quid petit [vt sedeant hi duo filij, vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram] Sedere enim regnantis est. *Sap.* 6. Delectamini in sedibus: & placeris vobis in turbis populorum. Ita loquitur sapientia Regibus. *Luc.* 1. Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius. Fortè audierat eum dicentem *Supra* 19. Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël: & putabat statim implendum hic in mundo post celerem resurrectionem: vnde determinat proximitatem sessionis desideratam vtrique filio, dicens [vnus ad dexteram, & vnus ad sinistram in regno tuo] 1. *Reg.* 23. Tu regnabis, & ego ero tibi secundus. *Gen.* 41. Vno tantùm regni solio te præcedam. Sed mirum erat de muliere, quæ semper audierat Dominum detestari sinistram, per quam significantur mundanæ diuitiæ: & tamen perit vnum esse à sinistris. *Prouer.* 3. In dextera eius longitudo dierum, & in sinistra eius diuitiæ & gloria. *Matth.* 25. Statuet hœdos à sinistris. Sed humanum passa, etiam temporalem prosperitatem cupit filiis: & vt & hic, & in æternis sint in honore. *Cant.* 2. Læua eius sub capite meo: & dextera illius amplexabitur me. Nesciuit enim, quòd Christus coram Pilato professus est dicens *Ioan.* 18. Regnum meum non est de hoc mundo.

Respondens autem Iesvs dixit: Nescitis, quid petatis.

Ecce repressio elationis, & pius Dominus non arguit matrem, sed filios, qui adhuc carnales existentes matrem ad petendum induxerant: nec illorum imputauit temeritati aut malitiæ, sed ignorantiæ dicens [Nescitis quid petatis] Quasi d. quòd mulier nescit non imputo: quia non imbuta doctrinæ meæ sapientia, sed vos de ignorantia arguo, qui ab initio mecum estis, & multa de dextra petenda, & nulla de sinistra audistis. *Matt.* 15. Adhuc & vos sine intellectu estis? *Hebr.* 5. Cum deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis, vt doceamini, quæ sunt elementa sermonis iustitiæ.

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: possumus.

Ecce veræ viæ ad conregnandum ostensio: & habet quatuor distinctiones: requiritur enim virtus patiendi, sit professio inexpertæ virtutis ad sustinendum, prædictio sit futuræ passionis, & instructio, quorum sit honor confessionis. Requisitio quidem virtutis patiendi sit, cùm dicitur [Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?] Calix autem dicitur calida potio, sicut dicit *Cassiod.* Non calore ignis, sed quoniam calidi potus, sicut vinum calidum, & claretum propinatur, quod calefaciendo inebriat. Et calix etiam (dicit *Martianus*) dicitur quasi silix: quia de silicibus pretiosis antiquitùs fiebant: & hoc modò passio ex charitate suscepta dicitur calix: quia ita ebrij amoris est, quòd hominem oblitum sui prodigum facit proprij sanguinis. *Psalm.* 22. Calix meus inebrians, quàm præclarus est. *Infra* 26. Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Dicitur calix communicatio sanguinis Christi. 1. *Cor.* 10. Calix, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Dicitur etiam in malo calix potio iræ vindicantis. *Psalm.* 74. Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Aliquando etiam obliuio insaniæ mundanæ, & ambitionis dicitur calix. *Ierem.* 51. Calix aureus in manu Babylonis inebrians totam terram. Dicitur etiam calix carnalis voluptatis: & præcipuè ingluuiei ventris. *Prouer.* 23. Cui væ? cuius Patri væ? cui fouea & rixæ? Nonne his, qui morantur in vino, & student calicibus epotandis? [dicunt ei: possumus] Ecce inexperta virium præsumptio, Sicut Petrus *Lu.* 22. Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire. Et posteà negauit ad vocem ancillæ. Sic & isti post modicum relicto eo, fugerunt *Matth.* 26. *Ioan.* 13. Quò ego vado, tu non potes me sequi modò.

Ait illi: Calicem quidem meum bibetis.

Ecce prædictio futuræ Passionis. Et hoc est, quod dicit. [Calicem quidem meum bibetis] & tria dicit, Passionem, & patientium intentionem, & Passionis modum. Passio importatur per [calicem] *Psalm.* 115. Calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Intentio patientium importatur per [meum] quia Passio latronis non est passio Christi; sed quæ fit pro Christo. 1. *Pet.* 4. Nemo vestrum patiatur vt homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, &c. *Matth.* 5. Beati eritis, cum vobis maledixerint homines, & dixerint omne malum propter filium hominis. Causa enim facit Martyrem, non pœna. Modus importatur, cùm dicitur [bibetis] quia facilè intrat, quod bibitur: Et ita facilè quis patitur, cum in gaudio & charitate patitur. 2. *Macha.* 6. Intuens autem quomodo oporteret accedere, voluntariè præibat ad supplicium. *Ierem.* 49. Quibus non erat iudicium, vt biberent calicem, bibentes bibent: & vos quasi immunes eritis? Non eritis immunes, sed bibentes bibetis. Dubitatur autem de Ioanne, qui martyrio non occubuit: Qualiter ergo verum est verbum Christi. Calicem quidem meum bibetis? Sed respondetur, quòd quia voluntas prompta fuit, & exhibuit se tortori, cum in feruentis olei dolium mitteretur, quantum ad se calicem bibit: sed superiori virtute Dei protectus fuit. Iacobus autem occisus gladio Herodis. *Act.* 13. *Ioan.* 21. Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? & tu sequere me.

Sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis; sed quibus paratum est à Patre meo.

Ecce instructio quorum sit honor confessionis in regno. Dicit autem duo: primò enim profitetur hoc non esse personæ propter id, quod in persona est: secundò hoc ostendit esse meriti, non personæ. De primo dicit [Sedere autem ad dexteram, vel sinistram] Hic est honor proximi consessus, de quo dicitur *Lu.* 22. Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum [non est meum dare vobis] quia & si meum sit dare; non tamen est meum vobis dare propter personæ acceptionem iunctam sanguine: sed potiùs

potiùs *Matth.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Audiant hoc Prælati. Christus enim dicit: non esse suum dare sedem honoris in acceptione personarum: & cuius erit dare sedem illam præter meritum? Si enim Christi non est, consequens est, vt etiam Vicarius Christi potestatem in hoc non habeat. *Ia.* 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesv Christi gloriæ, hoc est, honores ecclesiasticos [sed quibus paratum est à Patre meo] qui non parat nisi amicis. 3. *Corinth.* 2. Quod oculus non vidit, nec aures audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. *Psal.* 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus.

Tangitur repressio indignationis & liuoris: & sit inuitatio ad opus humilitatis, & ad affectum fraternæ societatis: & ideò diuiditur in partes tres secundum tria, quæ dicta sunt, sicut patet in litera. Dicit ergo [Audientes decem] alij Apostoli [indignati sunt] Causa indignationis huius exprimitur à *Luc.* 22. Vbi dicitur, quòd intranerat contentio inter eos: quis eorum esset maior: & ideò indignati sunt de duobus, qui se præferebant. Tamen licet prælati non sint aliis; tamen priuilegium accepit vtrque: Iacobus quidè primus Apostolorũ laureatus: & Ioannes sicut à concupiscentia carnis fuit alienus; ita à dolore corporis in morte fuit immunis [indignati] igitur sunt de prælatione duorũ, quibus pares erant in electione Apostolatus, *Eph.* 4. Omnis amaritudo & ira & indignatio & clamor & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. *Col.* 3. Deponite iram & indignationem, malitiam & blasphemiam. & *Ibidem.* Patres, nolite ad indignationem prouocare filios vestros,

Iesvs autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos.

Ecce persuasio humilitatis: & tria facit; primò enim benignè aduocat, vt indignationem tumentis animi bonitate vincat: secundò fastum interdicit: tertiò suasum humilitatis indicit. Dicit ergo [Iesvs autem vocauit eos] Vt ipsa appropinquatio tumentis vinceret animum, & vt formam humilitatis in ipso aspicerent. *Psalm.* 33. Venite filij, audite me. *Genes.* 49. Congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum [Sciris, quia Principes gentium dominantur eorum] Ecce interdicit fastum, non modò tyrannorum, sed etiam eorum, qui in vrbanitatibus præsunt. Principes autem sunt, qui actus ordinant legibus, & officiis, & vrbanitatibus. Domini autem, qui culmine altitudinis, & copiis, & robore, continent multitudines: ne seditione, vel bello concutiantur. Potestates autem, quæ repellunt insurgentes. Et ideò isti vocantur benefici, sicut dicit Plato in vrbanitatibus. Tyranni autem, qui omnia corrumpunt, malefici vocantur; & illi etiam vocant se Dominos. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manum dominorum crudelium: & Rex fortis dominabitur eorum. *Luc.* 22. Reges gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur [non ita erit inter vos] Quasi di. Fastus Tyrannorum etiam à ciuilibus damnatur: ego ad perfectionem iustitiæ inuitans etiam fastum interdico vrbanitatum. *Beda.* Quoties hominibus præesse cupio: Deum præire contendo: scriptum est enim de Christo *Luc.* 2 Et erat subditus illis, Deus hominibus. *Ecclesiastici*, 2. Discente posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex illis. 1. *Pet.* 5. Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Ecce persuasio humilitatis: & dicit duo, qualis sit maior, & qualis primus. Maior autem refertur ad principatum, & primus ad dominium. Dicit ergo [Quicunque volue.] Ex modo loquendi notat voluntatem nostram debere consentire humilibus. *Rom.* 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes [inter vos] Ex modo loquendi notat Prælatum non supra subditos, sed inter subditos esse debere [maior fieri] in honore principatus ordinando actus aliorum [sit vester minister] *Ecclesiast.* 3. Quantò magnus es, humilia te in omnibus. Sic enim eris forma aliorum [& quicunque voluerit] vt ex voluntate, non coactus descendat [inter vos] *Augustinus.* Honore coram vobis Prælatus sit vobis, timore coram Deo substratus sit pedibus vestris [primus esse] dignitate dominij [sit vester seruus] hoc est, formam seruitutis exhibeat. 1. *Corinth.* 9. Cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem. *Phil.* 2. Humiliauit semetipsum formam serui accipiens. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. *Prouer.* 29. Humilem spiritu suscipiet gloria.

Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

Ecce exemplo sui persuasio simul humilitatis & fraternæ charitatis. Dicit ergo [Sicut filius hominis non venit ministrari] persuadet humilitatem. *Luce* 22. Quis maior est, qui recumbit, aut qui ministrat: nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Et hoc est, quod dicit [sed ministrare] *Ioann.* 12. Surgit à cœna, & cœpit lauare pedes Discipulorum [& dare animam] Persuasio est fraternæ charitatis: summum enim ministerium est pro fratribus dare animam. Dicitur autem hic dupliciter anima, ab animeitate, & ab animalitate. Animam dictam primò modo hoc est, spiritum tradidit in manus Patris. *Luce* 23. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Animam dictam secundo modo, hoc est, vitam mortalem tradidit in manus tortorum. *Ierem.* 12. Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, tradidi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Et notanda sunt quatuor, scilicet, quod gratuitè dedit, & quid, & ad quid, & pro quibus. Quòd gratuitè: quia dicit [dare] non vendere. *Isa.* 52. Absque argento redimemini.

Romano. 11. Quis prior dedit ei:& retribuetur illi? Quid dedit quia animam. Nihil habuit melius nihil charius, nihil intimius. *Isa.* 53. Si posuerit animam suam pro peccatis, videbit semen longæuum. *Io.* 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat pro amicis suis. Ad quid autem: quia redemptionem, non enim stultè, vel inutiliter dilectam dedit animam; sed vt redimeret amicos. *Osea* 13. De morte redimam eos. *Psalm.* 129. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. & *Isa.* 44. Redemptor tuus Deus omnis terræ vocabitur. Pro quibus? pro multis efficienter; pro omnibus autem sufficienter. *Roma.* 8. Etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. *Isa.* 53. Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit, vt non perirent.

Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa: & ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt, quia IESVS transiret.

Hæc est pars capituli, quæ inuitat Prælatos ad illuminationem subditorum per doctrinam: vt sicut purgant instantia & humilitate operis; ita illuminent cæcos per doctrinam prædicationis. Tanguntur autem tria, miraculi opportunitas, deuotio eorum, in quibus factum est, & miraculi perfectio: & hæc patent in litera. Opportunitas miraculi tangitur ex tribus, ex loco, quem deserunt: ex præsentia turbæ ædificandæ ad fidem: ex frequentia transitus viæ. De primo dicit [Et egredientibus illis ab Iericho] eundo Ierusalem ad Passionem. Iericho interpretatur defectus: quia omnem, qui in nobis erat, defectum auferre perrexit. Dicit autem *Hieronymus.* quòd latrones manebant in via: & ideò Dominus iuit vias illas, vt illos doctrina & miraculis conuerteret. *Luc.* 10. Quidam homo descendebat à Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones. *Psalm.* 16. Propter verba labiorum tuorum ego custo. vias duras latronis. Translatio *Septuaginta* [Secutæ sunt eum turbæ multæ] propter multas causas, quas *Suprà* 8. notauimus. Hæc autem specialis causa est: quia iam tempus erat paschale in proximo, & sequebatur eum ad diem festum, dulcedine sermonum suorum adeò delectata, quòd sensit vt dicit *Chrysosto. Psalm.* 118. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. *Luca vlti.* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas? [Et ecce duo cæci sedentes secus viam] In frequentia transeuntium: & ideò plures miraculum diffamare poterant. *Marc.* 10. Non fit mentio nisi de vno cæco, qui ex magna felicitate incidit in miseriam cæcitatis & mendicitatis, & erat famosissimus: & ideò solum illum commemorat. Secus autem viam sedebant, vt eleemosynam acciperent à peregrinantibus in Ierusalem. *Iob* 38. Indica mihi, per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram. *Prouer.* 4. Semita Iusti quasi lux splendens. Et in præsagium huius, cæci se ponebant ad viam veræ lucis. *Ioann.* 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde sequitur. [audierunt, quia IESVS transiret] *Baruch* 30. Disce, vbi sit lumen oculorum, & pax. *Luc.* 2. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Et clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid.

Ecce eorum deuotio, in quibus factum est miraculum & tangit duo, supplicationem, & instantiam. In supplicatione tanguntur quatuor, intentio deuotionis, professio fidei, petitio misericordiæ, ratio quare erant audiendi. Intentio deuotionis in clamore, cùm dicit [clamauerunt] 1. *Regum* 5. Exclamauerunt filij Israel, arca veniente: ita quòd insonuit terra. *Psalm.* 16. Ego clamaui, quoniam exaudisti me, Deus inclina aurem tuam [dicentes: Domine] professio est fidei de Domino, quòd potest præstare quod petitur. *Romano.* 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum [miserere nostri] Petitio misericordiæ releuantis miseriam: erat enim valde compatiens; & super afflictos pia gestans viscera. *Iosiæ* 2. Benignus, & misericors est. *Ecclesiastici* 36. Miserere nostri, Domine, miserere nostri: & ostende nobis lucem miserationum tuarum [fili Dauid] mansueti, & misericordis: & ideò congruum est, vt nos miseros audias. *Marci* 10. Miserere mei, Domine fili Dauid. *Isaiæ* 26. Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.

Turba autem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid.

Hic ostenditur instantia cæcorum in tribus. In increpatione turbarum, in multiplicato clamore, & in eiusdem sermonis iteratione. De primo dicit [Turba autem] quæ verè turba à turbando dicitur. 1. *Regum* 2. Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines à sacrificio Dei. *Ioan.* 7. Turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Turba hæc turbam tumultuantium cogitationum designat, quæ orantes frequenter impedit. *Ecclesiastis* 10. Muscæ morientes perdent suauitatem vnguenti [At illi magis clamabant] Fortè audierant eum dixisse *Luc.* 11. Quoniam oportet semper orare, & non deficere. Et *ibidem.* Propter improbitatem eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios [Domine, miserere nostri, fili Dauid] *Psalm.* 56. Miserere mei, Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Et *iterum* 9. Tibi derelictus est pauper &c.

Et stetit IESVS, & vocauit eos, & ait: Quid vultis, vt faciam vobis? Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri.

Hic ponitur perfectio miraculi: & tanguntur sex, status Domini transeuntis, vocatio miseri, requisitio desiderati, professio petiti, adeptio voliti, & gratuitas sana. De statu transeuntis dicit [Stetit IESVS] tentus misericordia cordis. *Isa.* 27. Tenebo fortitudinem meam. Et loquitur ibi de fortitudine iræ impellentis ad non curandum hominem. *Marci* 10. Stans IESVS iussit cæcum adduci ad se [vocauit eos] Ecce secundum: & hæc vocatio est aspiratio conuersionis. *Iob* 13. Voca me, & respondebo tibi. Aut certè loquar, & tu responde mihi [& ait: Quid vultis] Ecce tertium: & fit hæc inquisitio, vt coram turba exponant honestum, & vtile, & congruum sibi esse desiderium suum: hoc autem meretur audiri. *Prou.* 10. Desiderium suum Iustis dabitur [Dicunt illi: Domine] Ecce quartum. *Tob.* 5. Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? Et ex modo loquendi intelligitur, quòd isti habebant pupillas, & sine visu. Propter hoc dicunt [vt aperiantur] Non vt dentur nobis [oculi nostri] *Psalm.* 118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua [vt aperiantur] inquam, vt videant te mirabilem: quia *Luca* 10. Beati oculi, qui vident quæ Apostoli vident.

Misertus autem eorum IESVS tetigit oculos eorum: & confestim viderunt, & secuti sunt eum.

Ecce quintum: & tangit tria, inclinantem misericordiam, modum operis, & perfectionem. Misericordia enim inclinat. *Osea* 12. Pœnitudo mea conturbauit me: non faciam furorem meum [tetigit oculos eorum] vt in tactu carnis latens appareat potentia deitatis. *Io.* 9. Lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos cæci. Similiter *supra* 8. Tetigit leprosum, & mundauit. & *Suprà* 9. Aperti sunt oculi eorum. *Ioann.* 9. Quamdiu in mundo sum, lux sum mundi [& secuti sunt eum] intùs meliùs illuminati, grati de dono illuminationis. *Ioann.* 12. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

CAP. XXI.

Et cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti: tunc IESVS misit duos Discipulos.

Hic incipit agere de temporibus nouissimis statum Ecclesiæ describentibus: habet autem tres partes, in quarum prima demonstrat potestatem abiicientis Synagogam, & vocantis gentes: in secunda describit ipsam abiectionem cum sua causa, & incipit circa medium istius capituli *Ibi* [Et relictis illis abiit] In tertia describit iudicium nouissimum abiectorum, & vocatorum: & incipit in capitulo 25. In demonstratione potestatis Christi abiicientis, & vocantis facit duo: primò enim demonstrat potestatem, & Dei gloriam: secundò conuincit contradicentes *Ibi* [Videntes autem Principes] Adhuc prior harum duo habet: primò enim demonstrat gloriam in confessione laudis & veritatis: secundò exercet auctoritatem suæ iustæ potestatis *Ibi* [Et intrauit IESVS in templum] Adhuc in priori horum duo dicit, modum videlicet Regis gloriosè venientis, & confessionem laudis ex parte turbæ recipientis *Ibi* [Plurima autem turba] In prima tria continentur, iniunctio ex parte Domini, confirmatio facti, & impletio obsequij: & hæc patent in litera. Circa primum quatuor seriatim interponuntur, vnde, & quis, quos, & quo, & ad quid misit.

De primo dicit [Et cùm appropinquaret] veniens de Iericho, transeundo cæcos sanauerat: sic enim continuatur ad præcedens: dicit autem tria, loci propinquitatem, quò tendebat: locum proprium, quem transibat: & locum communem, vnde mittebat. De primo dicit [Et cùm appropinquaret] iam ad locum Passionis, plus affectu, quàm viæ spatio. *Deut.* 4. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. *Ioann.* 17. Pro eis sanctifico meipsum. *Ioann.* 18. IESVS processit obuiam eis. Ideò enim antè passionem reuelauit: vt sciretur, quia ex electione libera se Passioni obtulit [Ierosolymis] quia eo quòd erat metropolis pluraliter nominatur propter multitudinem habitantium: quia non tam ciuitas fuit, quàm patria multorum. *Isa.* 2. Fluent ad eam omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini. *Isa.* 1. secundum *Septuaginta.* Post hoc vocaberis ciuitas sancta, mater ciuitatum in Israel. Nostra litera habet: Vrbs fidelis. Hoc etiam congruit: quia per passionem itur ad visionem æternæ pacis. *Eph.* 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, medium parietem inimicitiarum soluens in carne sua. *Ioan.* 14. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis [& venisset Bethpha.] Ecce locus proprius, quò transiuit: est autem nomen compositum ex hebræo & græco: Beth enim hebraicum interpretatur domus: Phage græcum interpretatur comedere, quod est officium oris: & ideò dicitur, quòd interpretatur domus buccæ: & est iuxta Bethaniam [in monte Oliueti] vitulus Sacerdotum. Vnde *Lucæ* 19. In eadem historia ponitur etiam Bethania, quæ domus obedientiæ interpretatur. *Mar.* autem 11. Idem penitùs dicitur, quod hic. Congruit autem: quia Bethphage confessionem veritatis significat: vnde mittuntur Apostoli. *Infrà vl.* Ite, docete omnes gentes. 1. *Cor.* 1. Misit Deus euangelizare. *Ezech.* 2. Aperi os tuum, & comede quæcunque do tibi. Et sequitur. *ca.* 3. Cibauit me volumine. [ad montem oliueti] Ecce locus communis congruus missioni, qui est excellentia & celsitudo misericordiæ. *Ierem.* 31. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Psalm.* 67. Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Oleos enim græcè, latinè sonat misericordiam. Olei enim natura lucis ministra est, laboris, & dolorum per vnctionem solamen, & excellit cunctis liquoribus: sic Passio, ad quam venit, illuminat: quod significatur Tobiæ 11. Vbi per fel, hoc est, amaritudinem piscis, qui Christum significat, illuminatus est Tobias. De secundo *Ecclesiastici* 38. Vnguentarius vnguenta suauitatis conficiet. De tertio *Iacob.* 2. Superexaltat autem misericordia iudicium [tunc] opportuno tempore.

Misit IESVS] Ecce quis misit? Auctor, videlicet, salutis. *Hebræor.* 2. Decebat auctorem salutis per passionem mortis consummari: vt gratia Dei præ omnibus gustaret mortem: illius enim est mittere. *Abdie.* Legatus ad gentes missus est. *Isa.* 18. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam.

Duos Discipulos suos] Tria dicit, quot, & cuius professionis, & cuius vitæ. Quot, quia duos: vt charitatis inter se fruerentur solatio. *Ecclesia.* 4. Vnus quomodo calefiet? si duo sunt, fouebuntur mutuò. *Luc.* 10. Delignauit Dominus IESVS & alios septuaginta duos Discipulos, & misit eos binos in omnem ciuitatem, & gentem, quò erat ipse venturus [Discipulos] qui doctrinam Christi profitentur. *Isa.* 8. Signa legem in Discipulis meis. *Ioann.* 8. Si manseritis in sermone meo, verè Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem [suos] Ecce sanctitas vitæ. non enim Christi essent nisi per informationem vitæ. *Rom.*8. Si quis Spiritum Christi non habet: hic non est eius. 1.*Paral.*12. Tui sumus, o Dauid, & tecum filij Isai.

Dicens eis : Ite in castellum, quod contra vos est.

Ecce quò mittit : tria dicit, iter imperat, & quo vadant, & difficultatem exponit. Primum notat per hoc, quòd dicit [Ite] Quasi dicat : Nolite stare. *Prouer.* 6. Discurre, festina. *Suprà* 10. Ite : ecce ego mitto vos. *Ezech.* 1. Vnum quodque eorum ante faciem suam erat ingredi [in castellum] Ecce quò, & non dicit ciuitatem : quia iam se contra Deum incastellauerat, & munierat, & munitiones posuit : quia à dignitate prima recesserat. *Ecclesiastes* 9. Est ciuitas parua, & pauci in ea viri [quod contra vos est] Ecce difficultas : non enim contra eos fuit tantùm in situ, sed etiam in voluntate nocendi. *Iudith* 2. Omnémque vrbem munitam subiugabis mihi. 2. *Corinthior.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Christi.

Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.

Ecce id, ad quod, siue propter quod misit: & dicit duo, vnum prædicendo, & alterum iniungendo : quod prædictum est [statim inuenietis] ne hæsitent de iniuncto ministerio, dubitantes an alter prior soluerit, & adduxerit, & oporteat expectare vltra placitum. *Genes.* 27. Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi, quod volebam. 4. *Regum.* 4. Ne mihi moram facias in eundo [asinam alligatam, & pullum] Quasi diceret. Asinam alligatam & pullum non alligatum : quia dicit *Marcus* 11. quòd inuenerunt pullum ante ianuam : quia super eum nullus hominum sederat, sicut dicitur *Luc.* 19. Nec adhuc ligabitur loro. Asina enim est gentilitas Samariæ, habens lorum legis, & retinens idololatriam. Pullus autem significabat idololatriam indomitam, cui nullus vnquam frænum legis alicuius imposuit. *Iob* 11. Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se natum liberum putat. Onager est asinus agrestis : Onos enim græcè, latinè est asinus : asinus enim significat homines gentiles : est enim animal brutum inter alia rationis expers, melancholicum, frigidum, de infirmitate capitis moriens, pigrum, duri oris, & ideò rigidorum comestiuum, tenuissimi lactis, & ideò lac eius multum ablutiuum, & valens ptisicis : quia ex subtilitate penetrat, & restituit humidum radicalium membrorum : est etiam animal oneriferum, in clunibus fortissimum, spissæ pellis, inerme, innocens, laboriosum, paruo pabulo contentum, post laborem sufficit ei, si conuertatur, & reuertatur super dorsum, in depositione superfluitatis humidæ, vel siccæ, amans commune stabulum, in vere lasciuum, & luxuriosum : quæ omnia facilè gentibus adaptantur. Et quia asina significat Samariam, quæ etiam asinaria interpretatur : & Philippus Samariæ prædicauit, sicut dicitur *Act.* 8. Pullus autem significat gentilitatem in toto siluestrem, cuius primo gentili Cornelio centurioni primò prædicauit Petrus *Act.* 10. Ideò duo Discipuli missi, creduntur Philippus fuisse, & Petrus.

Sed quomodo dicit pullum stantem cum ea, si pullus stetit ante ianuam ? Adhuc, ante quam ianuam sterit pullus ? Asina fuit animal emptum ad communes vsus pauperum, qui in ascensu montis ferre sua onera non poterant : nec habebant, vnde animalia conducerent : & ideò in genere asini fuit emptum animal : quia in petrosis plus valent asini, quàm equi : præcipuè in calidis regionibus, in quibus multum magni sunt asini. In sexu autem emerunt asinam, vt fructu ventris continuè haberentur animalia pauperibus subseruientia.

Dicendum igitur ad secundum, quòd ianua fuit stabuli communis ibidem ante portas ædificati. Cum ea autem dicitur fuisse pullus : quia sequebatur asinam, & stabat non longè à matre, sicut pulli sequi matrem consueuerunt.

Soluite, & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit : dicite, quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem.

Ecce iniunctum ministerium : & dicit duo, præceptum, & responsionem ad id, quod allegare possent impedimentum. De primo dicit duo [Soluite] hoc est, absoluite à vinculis errorum & peccati. *Matth.* 16. Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. *Ioann.* 11. Soluite eum, & sinite abire. Secundò dicit [adducite per attractionem charitatis [Et si quis vobis] Ecce exclusio impedimenti, quod possent allegare : & litera plana est [dicite quia Dominus] Mirum videtur, si Dominus vniuersorum venturus in gloria indigentiam dicatur habere asini pauperum, & si allegabitur à Discipulis, vix alicui credibile erit. Sed Dominus diues in spiritualibus. 1. *Corinthior.* 1. In omnibus diuites facti estis in illo : Pauper autem in temporalibus, & erat notæ paupertatis : propter hoc recipiebatur verbum Discipulorum. *Psalm.* 87. Pauper ego sum, & in laboribus, &c. *Matth.* 8. Filius hominis non habet, vbi caput suum reclinet [& confestim dimittent eos]Vnde Lucas dicit eos dixisse:Quid facitis soluentes pullum?nec credendum est, vt dicit *Hieron.*

Hieronymus quòd Dominus in tam breui itineris spatio in vtroque animalium istorum asinauerit quia ridiculum esset : sed vtrumque adduci fecit, & fortè vtrunque sterni fecit, propter mysterium, quod diximus, & propter prophetiæ congruentiam. Nec currum, vel equum pompæ & belli amatorem elegit Dominus : quia fallax equus ad salutem *Psalm.* 32. Et iterum. Hi in curribus, & hi in equis *Psalm.* 19. Amatores mundi sunt : sed nos in humilitate Domini ambulantes, in nomine Domini inuocabimus *Psalm.* 19. *Amos* 2. Ascensor equi non saluabit animam suam. *Genes.* 49. Ligans ad vitem pullum suum, & ad vineam asinam suam. Hæc est litera LXX. [Hoc autem] totum [factum est] Quòd videlicet Discipulos misit, quòd duo animalia duci præcepit : quòd ea, quæ dicta sunt, prædixit: & est illud totius facti confirmatio per auctoritatem [vt adimpleretur quod dictum est] *Matth.* 5. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege [per Prophetam] *Zach.*9. [dicentem.]

Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus sedens super asinam, & pullum filium subiugalis.

Tria dicit : iubet instanter vocem lætitiæ prædicari, & cui sit prædicanda, & quid [dicite] inter vos Prædicatores. *Isa.* 12. Annuntiate hoc in vniuersa terra [filiæ Sion] Ecce cui. Filia Sion est Ierusalem : quia ab arce Sion tuebatur. *Psalm.* 86. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Quid autem dicendum sit [Ecce Rex tuus] Describitur autem hic Christus veniens ab octo, ab euidentia venientis, à dignitate potestatis, à connaturalitate hominis, ab appropinquatione amoris, ab vtilitate operis redemptionis, ab optimo habitu cordis, à quiete regiminis, ab humilitate conuersationis, & à simplicitate subiectionis. Primum notatur per demonstrationem. *Isa.*7. Videbit omnis caro Salu. Dei. *Luc.* 2. Viderunt oculi mei Salutare tuum', quod parasti &c. [Rex] Ecce dignitas potestatis. *Isaiæ* 49. Miserator eorum reget eos : ad vitæ fontes aquarum potabit eos. Rex autem est : ne dicat de cætero populus eius : Non habemus Regem nisi Cæsarem *Io.* 19. quia *Daniel.* 9. Non erit populus eius, qui eum negaturus est. Sed potiùs cantet cum *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster. Et *Ierem.* 23. Regnabit Rex, & sapiens erit [tuus] Per hoc notat ad nos connaturalitatem per humanitatem assumptam. *Isa.* 9. Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius. *Hebræo.* 11. Non confunditur Deus vocari Deus eorum. 2. *Malach.* 1. Deus Abraham, Deus Isaac seruorum suorum fidelium [venit] Per hoc tangit appropinquationem amoris. *Prouer.* 8. Deliciæ meæ esse cum filiis hominum. *Isa.* 66. Ecce ego declinabo in vos sicut flumen pacem, & tanquam torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis. *Abachuch.* 2. Veniens veniet, & non tardabit [tibi] Tangitur vtilitas. Vnde dicit *glo.* quòd pro nobis veniet, si deuoti contra nos, si indeuoti. *Luc.* 2. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. 1. *Pet.* 2. Vobis igitur honor credentibus : non credentibus autem lapis offensionis, & petra scandali his, qui offendunt, nec credunt in quo, & positi sunt [mansuetus] Ecce optima animi dispositio : si enim sæuus esset, accedere non auderemus. *Matth.* 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis cor. *Num.*12. Erat mansuetissimus omnium virorum, qui erant super terram [sedens] Ecce, quies regiminis, in quo non tumultuauerat concupiscentia, sed residet tranquilla sapientia. *Isa.* 16. Præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud iudicans in æquitate &c. *Luc.* 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui [super asinam] Ecce humilitas. *Isaiæ* 53. In humilitate iudicium eius sublatum est [& pullum filium subiugalis] Ecce simplicitas sine omni duplicitate fastus seculi. 1. *Paralip.* 29. Scio, Domine, quòd simplicitatem diligas. *Suprà* 10. Simplices sicut columbæ. Asellus enim valdè est simplex, & rude animal quasi nihil habens astutiæ.

Euntes autem Discipuli fecerunt sicut præcepit illis IESVS, & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.

Ecce impletio iniuncti obsequij : & notantur tria, obedientia, & modus obediendi, & superabundantia. Obedientia notatur, cum dicit [Euntes autem Discipuli fecerunt] Et per participium notatur diligentia. Quasi diceret, Continuè ibant, donec fecerunt quod dixerat. *Exod.* 24. Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus [sicut præcepit illis IESVS] Ecce modus. Simile *Luc.* 14. Feci sicut præcepisti mihi, & adhuc locus est [Et adduxerunt asinam & pullum] Contradixerunt quidam, sicut dicit *Lucas.* Et illis responderunt : sicut præcepit Dominus: quòd breuitatis causa tacet *Mat.* & significat adductionem gentium, vt dictum est *suprà Isa. vlt.* Adducam omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino. *Isa.*60. Tenebunt eos populi, & adducent ad locum suum[& imposuerunt super eos vestimenta sua]Ecce superabundantia in duobus, in mollitie stramenti, & in adiutorio insessionis : & litera patet. Vestimenta sunt conuersationes virtutum positæ super gentes conuersas. *Apoc.* 16. Beatus, qui custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. *Apoc.* 3. Vestiaris vestimentis albis, ne appareat confusio nuditatis tuæ [& eum desuper sedere fecerunt] Secunda superabundantia : inuenerunt eum ascendere super asinum. 1. *Corinth.* 3. Dei adiutores sumus. Inuenerunt enim Apostoli Christum, vt præsideret mentibus fidelium simplicium & indoctorum. 2. *Corinthior.* 6. Adiuuantes autem exhortamur vos &c. Adiutorium autem istud est potiùs ex parte asini, qui tenetur, & aptatur, & sistitur, quàm ex parte Christi ascendentis. Litera nostra in Zacharia aliquantulum variatur in verbis, & non in sensu : dicit enim sic : Exulta satis filia Sion : Iubila filia Ierusalem : ecce Rex tuus venit iustus tibi, & Saluator : ipse pauper ascendens super asinam, & pullum filium asinæ.

Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alij autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Oſanna filio Dauid: benedictus, qui venit in nomine Domini: Oſanna in excelſis.

Ecce deuotio turbæ recipientis: & habet duas partes, in quarum prima continetur tripudium turbæ concomitantis: in ſecunda admiratio turbæ in ciuitate recipientis *Ibi* [Et cum intraſſet &c. In prima ſunt tria ſigna deuotionis, in ſtratu veſtimentorum, in ſucciſione ramorum, & in vniformi laudis præconio: & hæc patent in litera. De primo dicit [Plurima autem turba, quæ] vt dicit *Ioann.* 12. Conuenerat ad diem feſtum, & exierat Bethaniam ad Chriſtum videndum [ſtrauerunt veſtimenta ſua in via] Via ſecundum ſenſum literæ lapidoſa fuit, & dura, & fuerunt in ea ſcopuli acuti & ſpinoſi & fuit valliculoſa & defoſſa inter lapides. Cogitabat ergo, quòd animal durè calcans pede offenſo fortè ceſpitaret, & ſedentem concuteret, & pede læſo acutis ſcopulis fortè claudicaret, & ſedentem inæqualiter portando læderet, vel fortè in defoſſum calcando caderet, & ſeſſorem deiiceret. Et contra primum ſtrauerunt veſtimenta, vt molliter calcans ſuauiter portaret. Contra ſecundum ſternebant flagra arborum, & frondes, ne acuta pedem figerent, & ſic æqualiter veheret. Contra tertium magnos ſternebant ramos, vt defoſſa tegerent, & ſic animal turè ponens pedem ſeſſorem ſecurè portaret. Sternentes autem veſtes, myſticè ſignificant ſanctos Martyres, qui veſtimentum corporis ſtrauerunt, vt Chriſtus cordibus inſideret. *Cantico.* 5. Exui me tunica mea: & qnomodo induar illa? 2. *Corinthio.* 12. Ego autem libentiſſimè impendam, inſuper & ſuperimpendar ego ipſe pro animabus veſtris.

Alij cædebant ramos de arboribus] Per quos ſignificantur virores virtutum, & Sanctorum verborum. *Iudic.* 9. Certatim cædentes ramos de arboribus ſequebantur ducem [& ſternebant in via] cordium parare Domino iter. *Iſa.* 40. Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. *Leuit.* 23. Sumetis vobis ramos ligni denſarum frondium ſpatulaſque palmarum, & lætabimini coram Domino Deo veſtro.

Turbæ autem, quæ præcedebant in via, & quæ ſequebantur] Præcedentes ſignificant eos, qui præcedebant Chriſti in carne præſentiam: qui ſequebantur, ſignificant fideles poſt aduentum Chriſti in vna fide confeſſionem laudis cantantes, vt dcit *Auguſtinus. Ioann.* 8. Abraham paſter veſter exultauit, vt videret diem meum. Ecce præcedens. *Iſaia.* 43. Ab oriente congregabo ſemen tuum, & ab occidente congregabo te: dicam aquiloni, da: & auſtro, noli prohibere. Ecce turba ſequens: & de huius laude dicit quatuor, intenſionem deuotionis, quæ notatur in clamore: deſiderium ſalutis, quod notatur per Oſanna: Præconium veritatis, quod notatur, cùm dicit filio Dauid. Dicit ergo [clamabant dicentes] *Iſa.* 40. & 42. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui annuntias pacem Sion [Oſanna] hoc eſt, ſalua, obſecro. Compoſitum ex corrupto verbo, & integro: Oſi enim eſt ſalua; anna, interiectio deſiderantis, & aufertur in media per ſynallepham: & dicitur Oſanna, hoc eſt ſalua, obſecro. *Matth.* 1. Ipſe ſaluum faciet populum ſuum &c. *Eccleſiaſtici.* 46. Magnus iuxta nomen ſuum in ſalutem populi ad expugnandos hoſtes [filio Dauid] Ecce præconium veritatis ſecundum naturam humanam, & ſecundum naturam diuinam [filio Dauid] cui iure ſucceſſionis debetur regius honor. *Ierem.* 23. Suſcitabo Dauid germen iuſtum. *Romano.* 1. Factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem [benedictus] Ecce præconium deitatis: nomen enim Domini eſt notitia deitatis innata ei. *Philippen.* 2. Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen [venit] enim [in nomine Domini] in dictis, teſtatis per facta: & ideò benedictus eſt. Veniens autem in nomine proprio maledictus eſt. *Ioann.* 5. Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: alius veniet in nomine ſuo; illum recipietis [Oſanna in excelſis] Bis idem dicunt: & geminatio notat affectum [in excelſis] autem hominis: quia venit de altitudine humanæ naturæ, quantum ad immunitatem peccati. *Ioan.* 3. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt. De altis diuinitatis: quia virtute cæleſtis Dei omnia fecit. *Ioan.* 3. Filius hominis, qui eſt in cælo. De altis hominis: quia ſuſcitat de puluere egenum, & de ſtercore erigit pauperem: vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat *Luca* 2. *Pſal.* 112. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus, &c.

Et cùm intraſſet Ieroſolymam commota eſt vniuerſa ciuitas dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: hic eſt IESVS Propheta à Nazareth Galilææ.

Ecce laus turbæ in ciuitate ſuſcipiente Dominum: & dicit tria, cauſam mouentem ad laudem, commotionem laudis, & confeſſionem. Primum eſt [Cum intraſſet Ieroſolymam] *Pſalm.* 95. Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Felix eſt ciuitas, quam ſua potentia viſitauit: felicior, quam ſanguine ſuo conſecrare venit: feliciſſima, in qua gaudia reſurrectionis multis ſibi conſurgentibus oſtendit. *Iſa.* 51. Gaudium, & lætitia inuenietur in ea: gratiarum actio, & vox laudis [commota eſt vniuerſa ciuitas] mirans frequentiam neſciens veritatem. *Pſalm.* 95. Commoueatur à facie eius vniuerſa terra. *Iob* 37. Super hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo.

Dicens: Quis eſt hic?] Ecce confeſſio laudis: & ſecundum tria genera populi tripliciter exponitur: deuoti enim dixerunt hoc admiratiue: & eſt ſimile *Suprà* 8. Qualis eſt hic, quia ventis imperat & mari: & obediunt ei? *Pſalm.* 23. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ,

gloriæ. Simplices autem dixerunt hoc ignorando. *Ioan.* 9. Quis eſt, Domine, vt credam in eum? Inuidi dixerunt hoc deſpiciendo. *Ioan.* 7. Alij dicebant, quia bonus eſt: alij autem dicebant: non, ſed ſeducit turbas. *Lu.* 7. Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? Deſpectiuè enim dictum eſt. Tali autem confuſione exiſtente in turba, aſina inſtruit Prophetam *Num.* 22. hoc eſt, humilis & ſimplex plebecula, Doctores & Pontifices: & hoc eſt, quòd ſequitur [Populi autem] ſecum venientes, & ſignis eruditi [dicebant: Hic eſt IESVS &c.] *Iudic.* 15. Samſon ſol fortis ſtrauit hic in mandibula aſini, hoc eſt in confeſſione rudis & ſimplicis populi non modò mille viros hoſtes ſuos, ſed millia Scribarum, Sacerdotum & Phariſæorum: Dicunt enim in confuſionem eorum [Hic eſt IESVS] confitentes ſalutis auctorem [Propheta] exhibens legis promiſſum. *Deut.* 18. Prophetam ſuſcitabit vobis Deus de fratribus veſtris: tanquam meipſum audietis eum: & eum, qui non audierit Prophetam illum, exterminabitur de populis ſuis. *Lu.* 24. Fuit vir Propheta potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo. *Ioan.* 6. Hic eſt verè Propheta, qui venturus eſt in mundum. *Lu.* 7. Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitauit plebem ſuam [à Nazareth] Locus natiuitatis, flos in flore natus. Vt ille eſſe credatur, de quo dicitur *Iſa.* 11. Egredietur virga de radice Ieſſe; & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. *Sup.* 2. Quoniam Nazarænus vocabitur [Galilæa] patria *Ioan.* 1. Quem ſcripſit Moyſes in lege, & Prophetæ: inuenimus Meſſiam Ieſum filium Ioſeph à Nazareth Galilææ. *Iſa.* 9. Trans Iordanem Galilæa populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.

Et intrauit IESVS in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit.

Hic incipit pars illa, in qua exercet, & demonſtrat poteſtatem in opere: & habet duas partes, vnam quidem, in qua continetur, quod dictum eſt: ſecundam autem, in qua fit probatio poteſtatis per miracula *Ibi* [Et acceſſerunt ad eum cæci] In primo ſunt duo, ſcilicet, demonſtratio cultus Dei, & demonſtratio zeli. De primo dicit [Et intrauit IESVS in templum Dei] Docens (vt dicit Remigius) nos in omni loco primò viſitare debere templum Dei, ſi eſt ibi: & deinde fuſa oratione ad propria ſecedere negotia. *Pſalm.* 5. Adorabo ad templum ſanctum tuum. *Dan.* 6. Orauit Daniel contra templum, cum remotus eſſet [& eiiciebat] Ecce zeli demonſtratio: & ideò *Ioan.* 2. Vbi ſimile quid deſcribitur, inducitur, quoniam zelus Domus tuæ comedit me. Dicit autem duo, factum videlicet, & confirmationem facti per ſcripturam. In facto duæ ſunt diuerſitates: quoſdam enim eiicit ſimpliciter; & quoſdam eiicit, & inſtrumenta mali lucri euertit in damnum eorum. Eiicit autem duo genera hominum, ementes ſcilicet, & vendentes: & euertit menſas, & æs nummulariorum, & cathedras vendentium columbas, non curans damna eorum, quæ vt Dominus effudit in diripientes: quia illi auaritiæ & ſimoniæ & ſacrilegij merito damna ſubire meruerant [vendentes in templo] hoc eſt, in templi atrio, quos Sacerdotes vocabant: aut etiam miniſtros ſuæ auaritiæ poſuerunt ad animalia immolatitia vendenda, his, qui ſacrificare venerant, vt ab eiſdem hæc iterum immolata reciperent. Quia *Exod.* 23. præcipitur. Ne appareas in conſpectu meo vacuus. Ementes autem erant, qui hoc ad ſacrificia emebant: & illi non peccabant, niſi quoad locum: quia non erat licitum emere in templo. Nummularios autem mutuatores pecuniæ poſuerunt Sacerdotes: qui licet vſuram non acciperent, ſicut prohibetur *Leui.* 19. tamen munuſcula acceperunt pro mutuo fructuum, vel pullorum, vel anſerum, vel huiuſmodi de licentia Sacerdotum: vel fortè permittebant ibi agi commercium, ſicut modo fit in curia: quia mutuabant minus: & illi recognouerunt coram Sacerdotibus maius mutuum, & accedens promittebat ſoluere damnum: & tunc Sacerdos ſummus illos ſoluerè compellebat dans audaciam, vſuram & ſuperabundantiam alio nomine iuuando ad recipiendum, ſicut modò faciunt Prælati dicentes: ſine talibus curiæ frequentiam ſtare non poſſe. Cathedræ autem, erant ædes docendi, in quibus ſedere debebant Scribæ: ſed occupati lucris, quibus inhiabant, in locis illis vendentes columbas ſedebant apud ſe habentes columbas in caueis, & fortè alias aues ſacrificabiles, vt pauperibus venderent: quia columbæ erant ſacrificia pauperum. Eiecit autem per flagellum factum ex tribus funiculis, vt dicit *Ioan.* 2.

Dicit autem *Hierony.* quòd multi diſputant, Quod maius ſit inter miracula, quæ fecit Dominus: alij dicunt ſuſcitationem Lazari: alij illuminationem cæcorum, & alij aliud. Ego puto omnibus maius eſſe, quòd homo vnus, illo tempore contemptibilis, & odioſus, vno flagello tantam multitudinem cum diſpendio rerum & lucri, & honoris eiicere potuit, quantam magnus exercitus armis bellicis eiicere non valuiſſet. Sed quoddam diuinum radiabat in facie, quod eos deterruit, ſicut & in Moyſi facie, quando de monte deſcendit. Dicit igitur [Et intrauit IESVS in templum Dei] *Ezech.* 43. Gloria Domini intrauit in templum Domini per portam orientalem, & reſplendauit terra à maieſtate eius [& eiiciebat] flagello de tribus funiculis [omnes vendentes & ementes] Simoniacam hæreſim hic damnandam oſtendit. *Zach. vlt.* Non erit vltrà mercator in Iſraël 2. *Tim.* 2. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, vt illi placeat, cui ſe probauit. *Eccl.* 26. Duæ res difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt: difficile exuitur negotiator à negligentia: & non inſtificabitur caupo à peccatis labiorum [de templo] *Auguſt.* In oratorio nemo aliquid agat, niſi ad quod factum eſt, vnde & nomen accepit. *Pſalm.* Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo, non mercatio [& menſas nummulariorum] *Hieron.* Menſas has dicit altaria, quæ auaritia Sacerdotum permiſit in menſas nummulariorum commutari: ſed quia non erant altaria in templo, extra in atrio, niſi altare holocauſtorum, quæ altaria ſunt, de quibus loquitur *Hierony.* Dicendum ſicut dicitur *Ezech.* 40. Menſæ quædam ſtabant in atrio, ſuper quas

ponebantur portiones Sacerdotum, & de immolatis, & aliæ carnes immolandæ: & illæ altaria dicebantur propter sanctitatem sacrificiorum: & de illis loquitur *Hiero.* Additur autem *Luc.* 19. & *Marc.* 11. & *Ioan.* 2. quòd nummulariorum effudit æs. Et significant iti illos, qui ære sonante petunt dona Ecclesiastica. *Act* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem: quia voluisti donum Dei pecunia possidere. 4. *Reg.* 5. quia recepisti pecuniam, vt emas oliueta, & vineas &c. Lepra quoque Naaman adhærebit tibi, & semini tuo vsque in æternum. In qua historia duo notantur: quòd videlicet damnatus est, qui non ex pacto, sed pòst accepetit: & quòd hæredes, ad quos alia pecunia per donum deuoluta est, lepra sunt damnati: quia ius non habebat accipiendi, Propheta excutiente manum ab omni munere: nec dare hæredibus potuit, quod auctoritate Prophetæ non accepit [& cathedras] Cathedra componitur à cathechilo, quod est doceo: & ædes: vnde cathedra quasi Doctorum ædes [vendentium columbas] Significant vendentes Sacramenta [euertit] ne de cætero in templo apparerent. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date *Isa.* 55. Absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.

Et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur: Vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Ecce probatio per scripturam, vt inter medium montium fluant aquæ, hoc est, riui Ecclesiasticorum actuum: descendant de auctoritatibus altitudinis duorum testamentorum [Scriptum est] *Isa.* 56. Et dicit duo, primò vsum domus, & secundò abusum. De primo dicit [domus mea] nomini meo consecrata & ædificata [domus orationis vocabitur] *Gen.* 28. Non est hic aliud nisi domus Dei & porta cæli. 3. *Reg.* 18. Repleuerat gloria domum Domini: & ideò aliud capere non debuit [Vos autem fecistis] Ecce secundum. Dicit autem [fecistis] profanando locum sanctum 2. *Mach.* 6. Profanare etiam quod in Ierusalem est templum sanctum [speluncam latronum] *Ierem.* 7. Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum? Sacerdotes enim insidiantes rebus hominum, in insidiis doli stabant, non differentes à latronibus, nisi maiori nocumento: quia interficiunt animas; latrones corpora; sed non suum rapiendo vi excommunicationis cum latronibus conueniunt. *Isa.* 5. Iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Hoc est, quod dicitur *Osee* 6. Gilead vrbs est patrantium iniquitatem, oppressa sanguine. Et quemadmodum latrones, qui obseruant virum, ita conspiratio Sacerdotum in via, qua itur Sichem, trucidant. In Sichem enim tunc fuit tabernaculum Domini.

Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.

Hic omnium factorum probatio ponitur, quòd virtute diuina facta sunt. Congruè autem sanat cæcos & claudos in templo, cæcos per fidei illuminationem, claudos per virtutis expeditæ profectum ad opera *Hebr.* 12. Non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

Videntes autem Principes Sacerdotum & Scribæ mirabilia, quæ fecit, & pueros in templo clamantes & dicentes: Osanna filio Dauid: indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique: nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

Hic ponitur conuictio ex inuidia murmurantium: dicuntur autem hic tria, quorum primum est id, quod mouet ad indignationem: secundum est quæstio orta ex indignatione: tertium autem per veritatem scripturæ inuidorum conuictio. In primo dicit oculum nequam nuntiantem dicens [Videntes autem] nequam oculis, qui de bono vulnerabantur. *Suprà* 20. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *Eccl.* 31. Nequius oculo quid creatum est. Deinde dicit auctorem ipsorum [Principes Sacerdotum] qui dignitate præeminebant [& Scribæ] qui scienciæ habebant excellentiam. Deinde tangit id, quod vulnerabat intùs: duo autem erant, primum est [mirabilia, quæ fecit] IESVS. Non dicit miracula: quia non erant præter spem: eo quòd scriptura illa futura promiserat. *Eccl.* 36. Innoua signa, & immuta mirabilia, glorifica manum & brachium dextrum [& pueros] Ecce secundum: & hoc tangitur *Luc.* 19. Pueri tollebant ramos arborum oliuarum, & clamabant dicentes [Osanna &c.] Indignati sunt non reputantes eum dignum tanta laude. *Ioan.* 12. Videtis, quia nihil proficimus: ecce totus mundus abit post eum. *Sap.* 2. Grauis est nobis etiam ad videndum. *Lu.* 19. Dixerunt quidam Pharisæorum de turba: Magister, increpa Discipulos tuos. Et hoc prætermittit *Matthæus* [dixerunt ei] *Matth.* 12. Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum [Audis, quid isti dicunt] Quasi dicant: Tu delectaris in tua laude, & vsurpas tibi honorem diuinum. *Ioan.* 8. Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. [IESVS autem dixit] Ecce conuictio per scripturam in *Psalm.* [Vtique] audiò, & audire debeo: quia hoc per spiritum præcepi, quando dixi. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Testimonium innocentium non astutorum, non nisi veritati nititur: vos autem personis quibusdam adulamini indignis, & vituperatis dignos [Nunquam legistis] ad intellectum. *Matt.* 22. Erratis nescientes scripturam, neque virtutem Dei [ex ore infantium] Sed si infans dicitur non fans, qualiter laudat? Dicendum, quòd à duobus dicitur infans, à teneritudine neruorum, & organorum, qui trahi, & moueri, & flecti non possunt ad voces formandas: & hoc modo propriè dicitur infans. Alio modo dicitur, eo quòd careat conceptu, quem significant voces, propter fluxum ætatis teneræ: & hoc modo dicitur hic infans: vnde infantes de Iudis & concinnis loquuntur: & ideò non infantes dicuntur: quia sicut dicit *Basilius.* Sermonis vsum nobis Deus indulsit, vt consilia cordium nobis inuicem pandamus. Et de talibus hic loquitur. *Sap.* 10. Sapientia aperuit os mutum, & linguas infantium fecit disertas. 1. *Pet.* 2. Quasi modò geniti infantes rationabiles sine dolo, lac concupiscite, vt

vt in eo crescatis [perfecisti laudem] Notanda est mirabilis modestia Christi: quia hoc, quod Propheta addidit, siluit, ne inimicum prouocaret propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem. *Lu.* 19. addit. Si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

Hic agitur de reprobatione Iudæorum, & vocatione gentium: & tanguntur tria, scilicet, causa reprobationis, abiectio destructionis, & iudicium. Secundum est in cap. 24. Tertium in 25. Causa reprobationis hic tangitur triplex; primò parabolica, quæ est ingratitudo & inobedientia: secundò præsentes insidiæ & tentatio: tertiò per partes tangitur explicitè sub maledictione diuersorum vitiorum. Secunda incipit circa medium capituli 22. *Ibi* [Tunc abeuntes Pharisæi] Tertia incipit in capitulo 23. Prima harum tria continet, quorum primum est figura abiectionis accepta in facto Christi proprio: secundum figura eiusdem in naturæ vestigio: tertium est ostensio iustæ abiectionis in parabolis duabus: & hæc patebunt in litera. De primo ergo dicit [Et relictis illis] tanquam indignis, & abiiciendis [abiit ab eis] Non tam præsentia, quàm gratiæ subtractione [foras extra ciuitatem] Synagogam relinquens. *Lu.* 13. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta [in Bethaniam] domum obedientiæ [ibique mansit] cum Lazaro in rure: & significat mansionem in gentilitate. *Malach.* 1. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco offeretur nomini meo oblatio munda. Literaliter autem notandum est, quòd in tanta ciuitate nullum inuenit inuitantem se hospitem, cum pauper esset: quia ita nulli adulatus fuit, quòd omnes se sibi subduxerunt: & sic terminatur pars prima.

Mane autem reuertens in ciuitatem esuriit.

Secunda pars est, in qua figuratur iudaicæ sterilitatis abiectio in naturæ vestigio [Mane &c.] Dicuntur autem tria, primum est Domini instantia & solicitudo de conuersione Iudæorum: secundum autem figura pertinacis perfidiæ & reprobatio; tertium ex hoc accepta Discipulorum instructio. De primo dicit quatuor, scilicet, maturitatem temporis, benignitatem & patientiam Domini ad ingratos redeuntis, & tantum desiderium salutis hominum, quòd necessitates corporis neglexit: & quòd tamen futuram sterilitatem in eis præuidit. De primo dicit [Mane autem] facto, cum Iacob *Gen.* 26. surrexit diluculo, ad opus prædicationis. *Eccl.* 11. Mane semina semen tuum & vespere non cesset manus tua: quia nescis vtrum hoc, aut illud citiùs oriatur: & si vtrumque, melius erit. *Suprà* 20. Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Ioan.* 8. IESVS perrexit in montem Olineti: & iterum diluculo venit in templum [reuertens in ciuitatem] vt omnia faceret vltra, quàm deberet conuersioni eorum opportuna. *Gen.* 31. Ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus Patris tui. *Matt.* 23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum congregat gallina pullos suos sub alas, & noluisti? 2. *Tim.* 4. Insta opportunè importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina [esuriit] Et tamen hanc dissimulans necessitatem, ad prædicandum iuit. Et præsumitur, quòd nocte ita diu institit, quòd inconcatus cubitum iuit: esuriem enim salutis eorum, esurici corporis antepositit. 2. *Cor.* 11. In fame & siti, in frigore & nuditate. *Hebr.* 11. Egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.

Et videns fici arborem vnam secus viam venit ad eam, & nihil inuenit in ea nisi folia tantùm, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuò ficulnea.

Ecce præuisio futuræ sterilitatis. Dicit ergo [Videns] plus considerationem mentis, quàm corporis [fici arborem] Ceciliani declinatio est, & dicit quatuor, quorum primum est signum dulcedinis peccati, in qua nutriti fuerant: secundum est vnanimis consensus in malum: tertium est transitus, & frequentia Dæmonum per eos in conculcatione vitiorum: quartum est ex his tanta inuenta sterilitas. Dicit ergo [Et videns fici arborem] *Ioan.* 1. Cùm esses sub ficu, vidi te. *glo. August.* hoc est, sub dulcedine peccati *Ierem.* 24. Quid tu vides, Ieremia? Ficus: ficus malas, malas valde [vnam] ex vnanimi consensu in malum. *Psalm.* 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum [secus viam] Et ideò mirum esset, si ficus vsque ad maturitatem conseruasset: & est via transitus dæmonum in omni vitio. *Suprà* 12. Quod cecidit secus viam, volucres cæli comederunt. *Psalm.* 79. Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. *Isa.* 51. Posuisti corpus tuum quasi viam transeuntibus [& venit] per misericordiam [ad eam] *Psalm.* 79. Vide, & visita vineam istam. *Lu.* 1. Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto [& nihil inuenit] Ecce sterilitas: folia enim sunt verba eloquij Prophetarum sine fructu operis. *Prou.* 14. Vbi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas in opere est. Ideò dicit *Aristoteles*, quòd plantæ lati folij citò fluunt folia. *Luc.* 13. Arborem fici quidam habuit plantatam in vinea sua. Et sequitur *Ibidem* Ecce anni tres sunt, ex quo veni quærens fructum in ficulnea, & non inuenio: succide ergo eam: vt quid etiam terram occupat? *Marc.* 11. dicitur. Non enim erat ficorum tempus. Et hoc videtur: quia circa Pascha fuit: & tunc videtur, quòd iniuria fuit maledictæ arbori: quia non est signum sterilitatis quando non habet poma tempore, quo non deber habere. Sed respondendum est, quòd in terra calida sicut est Ierusalem, & maximè in cliuis montium, in quibus est teneberatio solis, ficus in Pascha habent fructum præcoquum, quem desideranit Dominus. Et quod dicit *Mar.* intelligitur de fructu communi: ficus enim duo genera emittit, præcoquas, & sequentes: ficus præcoquas semel emittit, & alias continuè: ita quòd semper habet fructum [& ait: Nunquam ex te] Maledictio est reprobationis, nec iniuria est: quia Creator vtitur creatura ad signum, & instructionem

nem [fructus nascatur in sempiternum] *H.bach.* 3. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis. Sed videtur non respondere figuræ: quia Iudæi conuertentur in fine. *Isa.* 10. Reliquiæ conuertentur ad Dominum fortem. Responsio, quòd dicit ex te: ex Synagoga enim (quæ in Sacramentis & figuris mortua est) fructus non nascetur; sed ex initione Euangelij & fluentis gratiæ. *Lib* 14. Lignum habet spem; si præciſum fuerit, rarium crescit, & rami eius pullulant. Si tenuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est [Et arefacta est continuò siculnea] *Iudæ epistola.* Arbores autumnales bis mortuæ.

Et videntes Discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuò aruit? Respondens autem IESVS ait eis: Amen dico vobis: si habueritis fidem, & non hæsitaueritis.

Hic ponitur Discipulorum instructio: & tanguntur duo, via ad instructionem, quæ est facti admiratio: & ipsa instructio. De primo dicit [Videntes autem Discipuli admirati sunt] &c. *Marc.* 11. Cum mane transirent, viderunt siculneam arefactam à radicibus & mirati sunt dicentes: Quomodo continuò aruit. *Sap.*16. Creatura tibi factori deseruiens excandescit in tormentum contra iniustos. *Mar.* 11. dicitur. Nunquam aliquis ex te fructum manducet. Adhuc autem *Marcus* narrat istud ante eiectionem ementium & vendentium de templo: sed *Marcus* non sequitur historiam; sed præponit ad ostensionem diuinæ potestatis, quam exercuit in templo [Respondens autem IESVS ait illis] Ecce instructio Domini [Amen dico vobis: si habueritis fidem] sicut granum sinapis. vt *Sup.* dictum [& non hæsitaueritis] hoc est, errori inhæseritis. *Iac.* 1. Qui hæsitauerit, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circunfertur. Non ergo æstimet homo ille, quòd aliquid sit acceptarus à Deo.

Non solum de siculnea facietis; sed & si monti huic dixeritis: tolle & iacta te in mare: fiet. Et omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis.

Tria dicit, minus præmittit, maius arguit, & generaliter de omnibus concludit. Dicit ergo [Non solùm facietis de siculnea] quod minus est. *Psalm.*8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues &c. *Sap.*5. Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos, sicut per miracula fecit contra Pharaonem [sed & si monti huic dicetis] Hic arguit maius. 1. *Cor.* 13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam &c. Obiiciunt gentiles, quòd hoc Apostoli non fecerunt: ergo fidem non habuerunt. Respondet *Hierony.* quòd & si hoc fecerunt Apostoli, scriptum non est propter incredibilitatem (aliàs incredulitatem) Mysticè autem mons est Christus in mare seculi missus prædicatione Apostolorum. *Ierem.* 51. Benedicat tibi Dominus, pulchritudo iustitiæ, mons sanctus. *Psalm.* 15. In monte sancto eius. Vel mons est diabolus prædicatione Apostolorum in mare amaritudinis missus. *Ierem.* 51. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram. *Psalm.* 45. Non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris [Et omnia, quæcumque petieritis in oratione] Quæ secundum *Dam.* est petitio decentium [à Deo] Per petitionem ergo notatur pietas: per orationem quoad salutem [credentes accipietis]. *Surpà* 18. Quidquid orantes petitis, credite: quia accipietis, & fiet vobis *Ioan.* 15. Siquid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis. Si obiicitur de Apostolo 2. *Cor.* 12. quòd non fuit exauditus: sæpe suprà solutum est.

Et cùm venisset in templum, accesserunt ad eum docentem Principes Sacerdotum & seniores populi dicentes: In qua potestate hæc facis? & quis tibi dedit hanc potestatem?

Hic incipit sub sermonibus parabolicis ostendere meritum abiectionis Iudæorum: & diuiditur in partes duas, in quarum prima declarat causam inductionis parabolarum: & in secunda inducit parabolas. Prima harum duo continet, insidias videlicet Sacerdotum, & conuictionem dolositatis eorum. Insidiæ Sacerdotum quadrupliciter exaggerantur, loci videlicet, incongruentia: quia in templo, in quo nullus in dolo, sed in simplicitate cordis Deum quærere debuit: accessus simulatione: quærentium auctoritate: & quæstionis blasphema calliditate. Dicit enim [Et cùm venisset in templum] vbi locus cultus fuit sapientiæ & doctrinæ. *Luc.* 22. Quotidie eram apud vos docens in templo [accesserunt] dolosè, familiaritatem & amorem simulantes *Isa* 57. Accedite huc filij augratricis, semen adulteræ, filiæ fornicariæ [Principes] in quibus potestas [Sacerdotum] in quibus debuit esse sanctitas. *Isa.*1. Principes tui infideles, socij furum [& seniores populi] In quibus debuit esse sapientia. *Dan.* 13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Isa.* 23. *Ierem.* 23. A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram [dicentes in qua] Ecce blasphema calliditas quæstionis: & est bimembris: quærunt enim de specie potestatis, & auctoritate. De Primo dicunt: in qua potestate hæc facis? Quasi dicant: Non enim es natus de sacerdotali prosapia: Senatus tibi hoc non concessit: Cæsar non donauit: in qua ergo potestate hoc facis? quòd eiicis de templo, & facis te cum triumphalibus signis celebrare. *Ioan.* 10. Quousque animas nostras tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam? Ad hanc quæstionem responsum est *Ioan.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere: quia filius hominis est: nolite mirari hoc [Et quis de. ti.] hanc po.]quæstio est de auctoritate: & innuunt latenter, quòd non diuina virtus hoc contulit, sed malitia Dæmonis. *Suprà* 12. In Beelzebub Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia. *Ioan.*8. Samaritanus es, & Dæmonium habes. Non attenderunt isti, quòd ipsa opera demonstrabant eum omnia à diuina facere potestate, sicut *Suprà* 12. dixit: Si in digito Dei eiicio Dæmonia, profecto peruenit

peruenit in vos regnum Dei. Istorum enim malitia malitiam superauit Magorum maleficorum, qui cùm *Exod.* 8. cognouissent mirabilia Dei, clamauerunt in confessione veritatis: Digitus Dei est hic, hoc est, demonstratio diuinæ potestatis.

Respondens autem IESVS dixit eis: Interrogabo vos & ego vnum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego dicam vobis, in qua potestate hæc facio.

Hic reuincit eos reinterrogando: & continentur hic quinque, scilicet, interrogationis interposita conditio: & sapiens interrogatio: & obligationis, quæ in quæstione est, à Iudæis perceptio, & mendax responsio: & tandem propter demeritum mendacij veritatis quæsitæ occultatio. In primo, horum tria continentur, propositum interrogandi, facilitas interrogationis, & conditio interrogantis. Propositum notat, cùm dicit [Interrogabo vos & ego] *Lu.* 2. Inuenerunt eum in medio Doctorum audientem & interrogantem eos [vnum sermonem] breuitate facilitatem suam ostendentem. *Prouer.*14. Doctrina prudentum facilis. *Iob* 26. Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, tonitruum magnitudinis eius quis poterit intueri? [quem si] respondendo [dixeritis mihi] hoc est, solueritis [& ego dicam vobis &c.] Interposita est conditio.

Sed quæritur, quare non declarauit id, quod quærebant: hoc enim videtur vtile fuisse fidei: quia sic innotuisset eius diuinitas. Et dicendum, quòd ipse vidit non esse deuotos, sed insidiantes: vt si audirent, quod se diceret Deum, imponerent ei blasphemiam. *Ioan.* 8. Nos de bono opere non lapidamus te; sed quia tu, homo cùm sis, facis te metipsum Deum. *Matth.*26. Ecce audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Responderunt, & dixerunt: Reus est mortis. Hoc igitur sciens & cauens, esse videns contra veritatem latrantes. Attendendum, quod *Suprà* dixerat 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos. Hoc igitur cum dedisset præceptum, attendit, quòd per Spiritum dixerat in *Psalm.*148. Præceptum posuit, & non præteribit. Et veritatem occultauit, ne maioris peccati daret occasionem.

Baptismus Ioannis vnde erat: è cælo, an ex hominibus?

Ecce sapientissima quæstio, & diuina, & coram turbis locum habens: dicitur autem Baptismus Ioannis: quia nihil erat in eo, nisi quòd Ioannes conferebat, sicut dictum est *Suprà* 3. *Act.* 1. Ioannes quidem baptizauit aqua. *Act.*8. Ioannes baptizauit aqua dicens: In eum, qui post ipsum venturus est, vt crederent [de cælo, an ex hominibus] secundum veritatem fuit ex cælo *Ioan.* 1. Qui me misit baptizare, ille mihi dixit: suprà quem videris Spiritum descendentem, & manentem: hic est, qui baptizat. Non ergo fuit ex figmentis hominum. *Act.*5. Si ex Deo est consilium istud, non poteritis dissipare; Si autem ex hominibus, dissoluetur.

At illi cogitabant inter se dicentes: Si dixerimus è cælo; dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam.

Ecce percepta quæstionis obligatio: cogitabant ergo intra se ratiocinantes ad vtramque partem quæstionis. *Psalm.*13. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Et *Levit.* 26. Terrebit eos sonitus folij volantis: pauor enim est his, qui operantur malum [Si dixerimus è cælo] Responsio est ad vnam partem [dicet nobis: quare non credidistis] in hoc videlicet, quòd de me testimonium perhibuit. *Ioan.* 1. Vos misistis ad Ioannem: & ille testimonium perhibuit veritati [Si autem dixerimus, ex hominibus] hoc est, ex hominum figmentis [timemus turbam] quia ipsi à Ioanne nec Baptismum, nec formam vitæ susceperant; sed tota turba baptizata fuerat à Ioanne: & hoc est, quod sequitur [Omnes enim habebant Ioannem sicut Prophetam] *Lu.* 2. Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. *Ierem.* 1. Prophetam in gentibus dedi te.

Et respondentes IESV, dixerunt: Nescimus.

Ecce mendax, & fictæ humilitatis responsio [Nescimus] Humilitatis enim verbo, quo se nescire dixerunt, mendaciter coram hominibus effugerunt inconueniens responsionis, ad quod obligati erant ex quæstione: aut si verum dicunt, tunc infidelitas fecit nescire, si fuit è cælo: falsitas fecit nescire, si erat ex hominibus: quia falsum nescitur: vnde *Ioan.* 1. Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

Ait illis & ipse: Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio.

Ecce negatio illuminationis propter mendacium negatæ veritatis. *Ierem.* 23. In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterij, & iter mendacij. *Psalm.*35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odiuit. Et ideò sequitur [Nec ego dico vobis] Non dicit nescio, sicut illi: quia non est Deus vt homo, vt mentiatur. *Num.* 23. *Tit.*1. Non mentitur Deus. *Rom.*3. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax [in qua potestate hæc facio] *Ioan.* 15. Si non fecissem opera] inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Non oportuit dicere, quod in propatulo patebat ex opere.

Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, & accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens ait: Nolo: posteà autem pœnitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter: at ille respondens ait: Eo Domine, & non iuit.

Inducitur hic sermo parabolicus: & sunt duæ parabolæ: vna ostendit propter ingratitudinem & inutilitatem esse reprobandos: alia autem est propter

propter peccati multitudinem, & sceleris immanitatem. In prima continentur duo, parabola, & elicita ex parabola reprobatio. Parabola habet tria, ad attendendum inuitationem, & parabolæ propositionem, & iudicij postulationem. Inuitans ad attentionem dicit [Quid autem vobis videtur] 2. *Reg.* 12. Responde mihi iudicium. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam. *Eum.* 2. Inter se cogitationum accusantium, aut etiam defendentium. Et est, ac si dicat: vnde sit Baptismus Ioannis, nescitis: Ecce humana propono vobis: quid autem vobis videtur secundum iudicium humanæ rationis?

Homo quidam] Ecce parabolæ propositio. Hæc parabola sumitur à tribus, à patrefamilias, à filio verbo inobediente, & opere deuoto; & à filio opere inobediente, & verbo mendace. De primo dicit [homo quidam] Deum Patrem significans. Qui homo: quia humanus & benignus est, sicut paulò ante diximus *cap.* 20. & *Infrà* 24. Quidam homo fecit cœnam magnam. *Sap.* 8. Humanus est, & benignus. *Ioel.* 2. Benignus est, & misericors [habebat duos filios] hoc est, duos populos in affectu filiorum dilectos, *Gen.* 25, Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi ex vtero tuo diuidentur. *Sap.* 6. Superbiam tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas.

Et accedens] per notitiæ suæ illustrationem, iustitia naturali, quam in corde scripsit filium alloquens *Psalm.* 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam. Primus autem est gentilis, iustitiam naturalem accipiens [Vade] profectu operis [hodie] orto sole cognitionis iustitiæ naturalis [operari] per exercitium laboris [in vineam meam] plantatam de vitibus politicæ virtutis, quæ germinat vinum iucunditatis & honestatis. *Ierem.* 2. Ego plantaui te vineam meam electam, omne semen verum. *Isa.* 5. Vinea Domini Sabaoth domus Israël est: & viri Iuda germen eius delectabile [Ille autem] s. gentilis respondens interiùs loquenti sibi Patri [Ait nolo] sed conuertar ad delitias & idola. *Rom.* 1. Qui cum Dei gloriam cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est incipiens cor eorum [posteà autem] tempore reuelatæ gratiæ in aduentu meo, & prædicatione Apostolorum [pœnitentia motus] de infidelitate [abiit] operari in vineam Ecclesiæ, dicens illud *Iudicum* 9. Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines: & ire per deuia errorum, vt inter ligna cætera promouear siluestrium morum, in passionibus concupiscentiarum sequendo. *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita: ecce conuertimur ad gentes. *Isa.* 49. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. *Ioan.* 12. Gentiles, qui ascenderant ad diem festum dixerunt: Domine volumus Iesum videre.

Ascendens autem ad alterum] Tangens tertiam partem parabolæ, quæ est in filio deuoto in verbo, & contumace in opere. Dicit igitur, quòd [accedens] per legislationem in monte Sinai [ad alterum] filium, qui significat Iudæos: quia ius naturale in præputio priùs fuit quasi lex scripta in circumcisione. Et si obiicitur hoc, quod dicitur *Exod.* 4. Primogenitus Israël, dimitte filium meum primogenitum. Dicendum, quòd non dicitur primogenitus tempore, sed dignitate & priuilegio amoris & donorum: & hoc significatur *Gen.* 27. Vbi Iacob pater Iudæorum supplantauit Esau Patrem gentium in dignitate primogenituræ. *Genes.* 49. Primogenitus meus, maior in donis, maior imperio [dixit similiter] hoc est, [Vade] profectu iustitiæ legalis, & intellectu veritatis in mysticis profice [hodie] in orto tibi radio solis claræ intelligentiæ. Sed heu! dicere potuit illud *Sap.* 5. Sol intelligentiæ non est ortus nobis propter perfidiam excæcationis [At ille respondens ait] viua voce [Eo, Domine] *Exod.* 24. Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum: eritis mihi in populum de cunctis populis terræ. Et respondit vniuersus populus: cuncta, quæ Dominus locutus est, faciemus, & erimus obedientes [& non iuit] *Ioan.* 7. Nonne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem. *Isa.* Præuaricatorem ex ventre vocaui te.

Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus.

Hic incipit quærere iudicium ex parabola proposita: & dicit tria, quæstionem iudicij, responsionem, & ex responsione elicitam iustam Iudæorum abiectionem.

De primo dicit [Quis ex duobus] filiis propositis [fecit] non dixit [voluntatem patris] Voluntas dicitur hic signum voluntatis, quod est præceptum de operando in vinea. *Ioan.* 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit [Dicunt ei: Primus] Libri quidam habent [hic nouissimus] Et tunc, sicut dicit *Hilarius*, intelligendum est, quòd ausu temeritatis & proteruiente malitia tergiuersantur: aduertentes, quòd de ipsis dicat. Sed verior litera habet [primus] Causa redditur *Prouer.* 25. Nubes & ventus & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens. *Eccl.* 5. Siquid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio. Vnde augmentum iniquitatis est vouere, & non soluere. *Psalm.* 65. Reddam Domino vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

Dicit illis Iesvs: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.

Ecce iusta condemnatio ex verbis eorum. *Sup.* 12. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. *Infrà* 24. Ex ore tuo te iudico, serue nequam [Amen dico vobis] Duo dicit, abiectionem, & abiectionis causam. Abiectionem dicit [quia publicani] aperti peccatores gentilium: & omnium sicut *Mat. Suprà* 9. & *Zacheus Luc.* 19. [& meretrices] sicut mulier illa, quæ erat in ciuitate peccatrix. *Lu.* 7. Meretrix autem à merendo dicitur: & est, quæ non eligit passionem propter passionem, sed propter pretium. Fornicatrix autè & mente & corpore turpis est, quæ passionem propter passionem eligit. *Ps.* 21. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij: [præcedent vos in regno Dei] quia plenitudo gentium intrauit, & tandem fiet conuersio Iudæorum.

Iudæorum *Rom.* 11. Cæcitas contingit in Israel ex parte, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. *Osee* 2. Vocabo non plebem meam plebem meam, non dilectam dilectam, & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam. Et erit in loco, vbi dictum est eis: non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei viuentis.

Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & meretrices crediderunt ei; vos autem videntes, nec pænitentiam habuistis posteà vt crederetis ei.

Ecce reprobationis causa: & dicit tria, vocationem Iusti contemptam, vocationem à peccatoribus creditam, & tertiò finalem de obstinatione impænitentiam. Circa primum, contemptum vocantis exaggerat ex tribus, ex vicinitate inexcusabili, ex auctoritate incontradicibili, & exemplo innegabili. De primo dicit [venit ad vos] non longè existens à vobis [Ioannes] qui tantæ fuit auctoritatis apud vos & opinionis, quòd Christus credi potuisset. *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens & lucens: & vos noluistis ad horam exultare in luce eius. [in via iustitiæ] Tantæ enim erat iustitiæ in victu & habitu, quòd de pilis camelorum induebatur, & zona pellicea erat circa lumbos eius: & esca eius locusta, & mel siluestre, ad quam iustitiam obstupuit mundus. *Suprà* 3. & *Luc.* 3. Propter quod etiam Lucifer dicitur. *Iob* 38. Nunquid producis Luciferum in tempore suo, aut vesperum consurgere facis super filios hominum? Et ideò peccato grauiori [non credidistis ei] *Isaia* 53. Domine, quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? *Exod.* 4. Non credent mihi, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus [Publicani autem & meretrices crediderunt ei] Vnde *Luc.* 3. dicitur, quòd exiuerunt ad eum publicani & milites, & diuersi generis peccatores confitentes peccata sua: & accipientes ab ipso Baptismum, & formam vitæ ab eo compositam sustinuerunt. Sed Pharisæi nec Baptisma receperunt, nec formam vitæ: & similiter Sacerdotes. Sed interrogabant eum dicentes: Tu quis es, & quid baptizas? Sicut dicitur *Ioan.* 1. Et ideò dixit eis: Genimina viperarum, quis vobis demonstrabit fugere à ventura ira? *Lucæ* 3. *Matth.* 3. [vos autem videntes] compungi peccatores & meretrices [nec] tunc saltem [pœnitentiam egistis posteà] *Iob* 15. Cucurrit contra Deum extento collo, & pingui ceruice armatus est. *Act.* 7. Dura ceruice & indomabili corde vos semper Spiritui sancto restitistis [vt crederetis ei] &c. *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Aliam parabolam audite: homo erat paterfamilias.

Aliam parabolam audite] *Psalm.* 57. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio. Ostenditur autem in ista immanitas sceleris, propter quam iustè reprobantur tria autem dicuntur; primò enim proponitur sermo parabolicus: secundò quæritur iudicium: & tertiò ex responso elicitur iusta condemnatio. In parabola autem exaggeratur scelus tripliciter, scilicet, ex peccato in seruos simpliciter, & ex peccato in multitudinem seruorum voluntatem Domini scientium, & ex peccato in filium hæredem: magnum enim est peccare in seruos, maius in multos seruos Domini secretarios, maximum autem in filium hæredem. In primo horum tria dicuntur, Domini videlicet cura de salute eorum, & solicitudo, & per seruos admonitio, & pessimorum ingratitudo per redditionem boni pro malo. Solicitudo est in tribus, in cura, in opere, & in commissione fidei. Cura describitur, cùm dicit [homo erat] De quo dicitur: Homo est: & quis cognoscet eum? *Psalm.* 86. Homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus [paterfamilias] & ideò curam impendens. *Suprà* 20. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.

Qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est.

Ecce opera: & tangit quinque, plantationem in terræ collatione, munitionem in rectorum & Angelorum custodia, purificationem in legislatione, defensionem in templi cultura, locationem in mandatorum exercitio. De primo dicitur [Qui plantauit vineam] quando plantauit populum in terra promissionis. *Psalm.* 79. Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti gentes, & plantasti eam. Et *Infrà.* Plantasti radices eius, & impleuit terram. *Exod.* 15. Introduces, & plantabis eos in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine. *Ierem.* 2. Ego plantaui te vineam meam electam, omne semen verum. Vites autem istius vineæ fuerunt primitiui patres [& sepem circundedit ei] in custodibus, Iudicibus, & Regibus, & præcipuè Angelis. *Isa.* 62. Super muros tuos Ierusalem constitui custodes. *Apocalyps.* 22. Super muros eius Angelorum custodiam. *Ecclesiastici* 35. Vbi non est sepes, diripietur possessio. *Isa.* 5. Sepiuit eam, & circunfodit [& fodit in ea torcular] Torcularis prælum est legis grauitas. *Act.* 15. Hoc est onus, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus: hoc prælum premit merum ab acinis & fæce. *Isa.* 64. Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. *Thren.* 1. Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda. Quòd autem dicit [fodit] nota timoris est: quia ex timore seruiliter implebatur. *Psalm.* 79. Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt &c. *Isa.* 5. Torcular extruxit in ea, & ædificauit turrim, hoc est, templum muniens populum in medio eius ad altitudinem turris. Ibi enim erat propitiatorium, quod muniuit populum: & altare, quod sacrificiis turum fecit hominem. *Psalm.* 121. Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis. *Cant.* 4. Turris

Dauid ædificata cum propugnaculis. *Mich.* 4. Et tu turris gregis nebulosa vsque ad te veniet [& locauit eam agricolis] Ecce locatio Agricolæ autem eius fuerunt patres, qui sarculo disciplinæ coluerunt alios; vt fructum facerent, sicut Sacerdotes & Iudices, & huiusmodi Dei adiutores. 1. *Corinthior.* 3. Dei adiutores sumus, Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. *Zach.* 13. Homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea [& peregrè profectus est] Ecce commissio vineæ fidei eorum: non autem Deus proficiscitur locum mutando, qui vbique est; sed quia subtraxit opera potentiæ, qui in præsentia eorum operabatur in Ægypto per plagas, & in deserto per apparitiones & miracula. Ideò dicitur profectus esse. *Infra* 24. Profectus est statim. *Luc.* 19. Quidam homo abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Quando enim potentiæ suæ miracula subduxit: & fidei eorum vineam, quam miraculis plantauit, commisit. Tunc peregrè à sensibus eorum profectus esse dicitur: non quòd ipse abesset; sed quia sensus eorum longè erant ab ipso.

Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius.

Ecce admonitio per missionem: dicit autem [Cum appropinquasset tempus fruc.] Non fructus: quia per negligentiam eorum, quibus tradidit eam, fructus nullos habuit. *Isa.* 5. Expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas. *Ierem.* 8. Non est vua in vitibus: defecit ficus in ficulnea. *Deut.* 32. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus; fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile [misit] Ecce quo tempore misit. Quos autem misit sequitur [seruos suos] qui obsequiis eius fuerant mancipati, & quorum iniuria redundat in Dominum. *Zach.* 2. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. *Matth.* 18. *Luc.* 10. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Serui autem isti fuerunt viri zelum Dei habentes, & monentes populum: quos semper in illo populo Deus suscitauit. *Isa.* 49. Seruus meus es tu Israel: quia in te gloriabor. *Psalm.* 115. Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. *Sap.* 9. Seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ. *Isa.* 41. Et nunc audi, serue meus, Iacob, & Israel, quem ego elegi. Ad quos misit [ad agricolas] qui debitores sui fuerunt ex commisso. *Michea.* 6. Memento, quòd miserim ante faciem tuam Moysen & Aaron & Mariam. Ad quid autem misit [vt acciperent fructus eius] *Ioan.* 15. Elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. *Cant.* 8. Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Accipere autem fructus est in cellaria Domini reponere fructus gaudiorum iustitiæ exercitæ. *Hebr.* 12. posteà exercitatis per eam, pacatissimum reddet fructum iustitiæ.

Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter.

Ecce ingratitudo in occisione nuntiorum: & tria dicit, scilicet, capturam, & enormitatem criminis ex persona captorum, & modum punitionis. Captura [Apprehensis seruis] Et quòd hoc fecerunt agricolæ quibus impendit beneficia, malum est: peius, quòd violentas manus iniecerunt: pessimum autem, quia hoc seruis Domini sui fecerunt. Est autem ista apprehensio, quòd libertatem eis fructum in populo colligendi abstulerunt: quia docere populum non permiserunt; sed eos in carcere posuerunt, sicut dicit *Paul.* 1. *Thes.* 2. Prohibentes nos loqui gentibus, vt saluæ fiant: vt impleant peccata sua semper. Et *Act.* 5. Posuerunt eos in custodia publica. Et *Act.* 5. Præcepimus vobis, ne loqueremini in nomine isto. *Amos* 7. Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda, & in Bethel: ne adiicias loqui: quia domus Regis est [alium cæciderunt] Tria sunt genera punitionis: alium enim cæciderunt flagellis. 2. *Corinth.* 11. Ter virgis cæsus sum. Et *ibidem.* A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi [alium occid.] Vt Isaiam, quem occiderunt serra lignea, & Hur sputis. *Hebræo.* 11. In occisione gladij mortui sunt. *Act.* 12. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio [alium verò lapidauerunt] Naboth Iezrahelitam 3. *Reg.* 20. Stephanum *Actuum* 7. & *Infrà* 24. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis Prophetas, qui ad te missi sunt. [Iterum misit] Secunda exaggeratio maior præcedente, quia plures, quia conscij secretorum, quia isti serui Semei fuerunt Prophetarum. *Ieremiæ* 25. Misit Dominus ad vos omnes seruos suos Prophetas, consurgens diluculo & mittens: & non audistis eos. Et hoc est, quòd dicit plures prioribus. *Dan.* 7. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei [& fecerunt illis similiter] Ingratitudo est similis priori: peremerunt enim eos cædendo, occidendo, & lapidando. *Act.* 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiauerunt dies Iusti, cuius vos nunc proditores estis, & homicidæ.

Nouissimè autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur forsitan filium meum.

Tertia est exaggeratio: quia non modò seruum, sed ipsum Dei filium occiderunt, & scienter, vt dicit litera: dicit autem tria, Patrisfamilias beneficium in filij missione: & qualiter meditati sunt in cordibus suis de filij occisione: & qualiter perfecerunt in operis perpetratione. Circa primum duo dicit, scilicet, quòd misit, & ex quanta charitate misit. In primo dicit tria, quando, ad quid, & ad quem. Quando [Nouissimè] Decebat enim talem, & tantum Regem multos præcurrere nuntios, & in nouissimo tempore, post quod nullus mitteretur. 1. *Ioan.* 2. Nouissima hora est. 1. *Corinth.* 10. Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt. *Gal.* 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege. *Hebræorum* 1. Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio [misit] hac intentione, vt ab errore reduceret & sanctificaret: hoc enim

enim dicit missio, vt tradit *Augustinus Ioann.* 3. Non enim misit Deus filium suum, vt iudicet mundum; sed vt saluetur mundus per ipsum [filium suum] vnigenitum. *Ioan.* 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. *Genes.* 32. Missus de valle Hebron venit in Sichem, hoc est, de ortu luminis æterni venit in desertum paupertatis & miseriæ [dicens: Forsitan verebuntur] Ecce ex quanta misit eum charitate, & sapientia: & dicit [forsitan] Non ex ignorantia, sed vt locum habeat libertas arbitrij, ad quod vult faciendum. Vereri autem est timere cum reuerentia: quomodo enim non timerent & vererentur, quem præcipuè Reges sancti timuerunt. *Iob* 9. Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres deliquenti. *Apoca.* 15. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum] *Ierem.* 19. Quis non timebit te, ô Rex gentium? Quem etiam non vererentur, si filium non verentur? Vereri enim secundum aliam expositionem est verecundia timere. *Ieremie* 31. Percussi femur meum, confusus sum, & erubui: quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.

Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se: hic est hæres: venite, occidamus eum: & habebimus hæreditatem eius.

Ecce studium malitiæ in cordibus ingratorum, de quibus dicitur *Psalm.* 108. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi: & notantur quinque, inuidentia, studiosa malitia, consensus in malum, nocumenti magnitudo, & auaritia, quæ omnium malorum fuit radix.

Dicit igitur [Agricolæ] Bene agricolæ, qui secundum *Philosophum* rustici sunt, & indispositi ad virtutem, de quibus dicitur 1. *Timo.* 1. Homines corrupti mente, & reprobi circa fidem naufragauerunt [videntes] *Suprà* 20. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? & vocatur inuidentia gratiæ, quæ peccatum est in Spiritum sanctum. *Mich.* 7. Videbit me inimica mea, & induetur confusione. *Iob* 16. Hostis meus terribilibus oculis intuitus est me [filium] Non est enim materia filius, in quem transeat vitio; sed formaliter legendum est. Videbant enim esse filium per plenitudinem gratiæ, quæ apparuit in eo. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. Vnde dixerunt *Sap.* 2. Filium Dei se nominat, & gloriatur Patrem se habere Deum: videamus, si sermones illius veri sint [dixerunt in se] Ecce malitiæ studium, *Psalm.* 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odiuit. *Iere.* 17. Prauum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud [hic est hæres] Ecce malum contra conscientiam: quia scilicet in hoc cognouerunt eum: contra quod est, quod dicitur 1. *Cor.* 2. Quem nemo Principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. *Act.* 3. Et nunc fratres scio: quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.

Ad hoc obiicit *Anselmus*: quod si scienter filium Dei interfecerunt, cùm peccare in Deum infinities maius sit, quàm peccare in quantæcunque dignitatis hominem: videtur peccatum eorum irremediabile: est autem remediabile: ergo ignorantes fecerunt. *Luc.* 24. Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. *Rom.* 10. Ignorantes iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Responsio: Dupliciter dicitur sciri aliquid, in principiis, & conclusione. Principia autem cognoscendi Christum esse filium Dei sufficienter habuerunt, & ex his cognouissent, nisi infidelitas obstitisset in mente, & nubes carnis assumptæ in oculis. *Ioan.* 15. Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Quoad hoc ergo dicuntur cognouisse: quia opera ostenderunt eum, & scripturæ, & testimonium Ioannis, sicut digitus ostendit solem: & sic dicitur *supra* 12. Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. *Aug. in* 1. *De cũi. Dei.* Si quis alij solem digito ostenderit, & ille solem non viderit: culpet potiùs oculi lippitudinem, quàm digiti ostensionem. Sic ergo quoad indicantia dicuntur scire; sed cæcitate infidelitatis dicuntur ignorare. Et vndecunque causetur ignorantia, licet non excuset à toto, tamen excusat à tanto. *Genes.* 31. Cur clam me fugere voluisti, & non es passus, vt prosequerer te cum tympanis & choris? *Glo.* Cur aduentum tuum occultare voluisti: si enim te cognouissem, nunquam crucifixissem; sed cum signis triumphalibus nomen tuum celebrassem.

Venite] Ecce consensus in malum. *Iere.* 11. Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. *Genes.* 37. Venite, occidamus eum, & videamus, quid profuerint ei somnia sua [occidamus eum] Ecce cõplectum nocumentum, quo maius inferre non potuerunt. *Sap.* 2. Morte turpissima condemnemus eum. *Proverb.* 1. Insidiemur sanguini, abscondamus tẽdiculas contra insontem frustra [& habe. hæred. eius] Ecce auaritia: est autem duplex hæreditas, terra videlicet, quam per hoc retinere putabant: quæ Christi fuit hæreditas ex Dauid Patre eius. *Io.* 11. Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat; ne fortè veniant Romani, & tollant locum nostrum & gentem [ab illo ergo die cogi. interfi. eum] Alia est hæreditas Ecclesia de gentibus, quam sublata Christi prædicatione, suis traditionibus cogitabant addere, vt proselitam, & in ea dominari. *Psalm.* 2. Postula à me, & dabo tibi gen. hæred. *Prou.* 1. Omnem prætiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. *Exo.* 15. Dixit inimicus persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea.

Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.

Hic ponitur mali perpetratio in opere: & dicit tria, captiuitatem violentiæ, eiectionem tanquam immunditiæ, & occisionem perfectæ malitiæ. De primo dicit [Et apprehe. eum] *Infrà* 26. Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me [eiece. extra vi.] tanquam immundum extra ciuitatem Ierusalem. *Luc.* 22. *Marc.* 15. & *Isa.* 51. Cum iniquis deputatus est. 1. *Cor.* 4. Tanquam purgamentum huius mundi facti sumus omnium peripsema. *Heb.* 13. Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populũ, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum, improperium eius portantes

tantes [occiderunt] in cruce, vt mortis supplicium, crucis accumularent confusione. *Act.* 3. Petistis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfecistis. *Dan.* 9. Occidetur Christus: & non erit populus eius, qui eum negaturus est.

Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

Hic incipit quærere iudicium humanæ rationis secundum meritorum distributionem; vt ex responso eorum iustam ostendat esse condemnationem: & ideo sunt hic duo, scilicet, quæstio, & responsio. Quæstio innuit tria; aduentum iudicis, potentiam, & iudicium quod quæritur. Dicit ergo [Cum vene.] *Abac.* 2 Veniens veniet, & non tardabit. *Hebr.* 10. Adhuc modicum aliquantulum: & qui venturus est, veniet. *Ia.* 5. Iudex ante ianuam assistit. Non ergo speretur impunitas delictorum [Dominus vineæ] Ecce potestas. *Isa.* 45. Ego Dominus, & non est alius. *Psa.* 67. Dominus nomen illi. *Amo.* Dominus nomen est potestatis. Non ergo speretur liberatio, vel resistentia [quid faciet] Qui, sicut dicit *Iob* 9. Sapiens corde est, & fortis robore, & iustus in iudicio. 2. *Timo.* 2. Ille fidelis permanet, seipsum negare non potest. *Prou.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ: nec recipiet pro redemptione dona plurima.

Aiunt illi: Malos malè perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.

Ecce responsio. *Iob* 9. Os meum prauum me esse comprobabit. *Infra* 14. Ex ore tuo te iudico, serue nequam. Tria autem dicunt respondentes, punitionem videlicet malorum, eiectionem à cultura vineæ, & vocationem siue introductionem aliorum, per quos vocatio gentium designatur. Dicunt igitur [Malos] in culpa [malè perdet] in pœna. *Num.* 24. De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis. *Isa.* 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen [& vineam suam loca.] Non dabit [aliis agrico.] eiectis illis. 1. *Cor.* 3. dicitur de Ecclesia de Gentibus: Ego plantaui, Apollo rigauit: Deus autem incrementum dedit. *supra* 20. Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit, dabo vobis. De malis autem eiectis dicitur *Isa.* 3. Vos depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. *Psalm.* 5. Expelle eos, quoniam irritauerunt te, Domine. Attendant Prælati vineam eis esse non datam, sed locatam: & ideò sequitur [qui reddent ei] Non suo quæstui retinebunt [fructum] temporalem & spiritualem [temporibus suis] singulis annis de eleemosyna annui redditus. *Psal.* 1. Dabit fructum suum in tempore suo. *Cant.* 8. Vinea fuit, pacifico in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus agricolis, vir affert pro fructu eius mille argenteos.

Dicit illis IESVS: Numquam legistis in scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli: A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

Ecce hic ex responsione iusta elicitur condemnatio: & habet tres paragraphos, in quorum primo responsionem scripturæ coaptat, vt magis terreantur: in secundo responsionem dat iustæ condemnationis, quoad eiectionem Iudæorum, & vocationem gentium: in tertia ostendit condemnationem, quòd malos malè perdet in pœna. In horum primo duo sunt, reprehensio ignorantiæ scripturæ, quæ ducit ad Christum: & eiusdem scripturæ introductio. De primo dicit [Nunquam] ad intellectum [legistis] quòd dicitur [in scripturis] Non solùm in vna scriptura, sed in multis. In historia enim accidit, quæ est scriptura populi. *Psalm.* 86. Dominus narrabit in scripturis populorum. In *Psalm.* 117. etiam legitur. & *Isa.* 8. per sensum. & *Isa.* 28. & etiam per sensum. Et ideò introducit hoc Petrus. 1. *Pet.* 2. *Infra* 22. Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei [lapidem] Ecce Scriptura: & tangit tria, scilicet, duo mira, quæ sunt in lapide: & auctorem horum. Duo autem mira sunt, reprobatio lapidis, & vtilitas. Primum competit Iudæis, secundum Gentibus.

Dicit igitur [lapidem, quem reprobauerunt ædificantes] templum: dicitur enim, quòd lapis dolatus inuentus est in ædificio templi, quem cæmentarij nusquam aptare poterant inter alios in muro reponendum, & tandem in summa duorum murorum conclusione, in capite anguli, aptissimam perfecti ædificij consummationem. *Isa.* 8. & 28. Ecce ponam in fundamentis Sion lapidem angularem probatum, pretiosum in fundamento fundatum. 1. *Pet.* 2. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini. *Act.* 4. Hic est lapis reprobatus à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli [hic fac. est in caput ang.] duos populos quasi duos parietes in se in vnum coniungens. *Eph.* 2. Duos condens in semetipso. *Eph.* 2. Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino [à Domino factum est istud] Ecce auctor mirabilium horum. *Act.* 5. Si ex hominibus consilium hoc aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini. *Psalm.* 117. Dextera Domini fecit virtutem. *Dan.* 2. Lapis sine manibus virtute Dei præcisus de monte, figuram mundi dissipauit [& est mirabile in oculis nostris.] *Iob* 9. Facit magna & inscrutabilia & mirabilia, quorum non est numerus. Videmus enim opus Dei, & omnes miramur. *Io.* 7. Vnum opus feci, & omnes miramini: quia totum hominem sanum feci in Sabbato.

Ideò dico vobis: quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.

Ecce iuxta scripturam responsio, abiectionis Iudæorum, & vocationis gentium: & tria tangit, abiectionem videlicet, & vocationem: & secundò tangit condemnationem per pœnam abiectorum: & tertiò obstinatorum incorrigibilitatem: vt ostendatur in opere, quod significatur in sermone. Dicit igitur [Et ideò] quia hoc vos iustum iudicatis, ex ore vestro vos iudico, quòd [auferetur à vo.] Synagogæ magistratibus [regnũ]

hoc

hoc est, potestas & ordo spiritualis expressus in scripturis, quod per vineam designatur. Sic enim ex ore proprio condemnatur. *Sap.* 1. In cogitationibus impij interrogatio erit. *Daniel.* 5. Diuisum est à te regnum, & datum est Medis & Persis. De hoc regno *Suprà* 6. Adueniat regnum tuum &c. [& dabitur genti facienti fructus eius] hoc est, Ecclesiæ de gentibus. Et dicit [facienti] quia vinea non nisi per opera, ad fructificandum elaboratur. *Isa.* 55. Ecce testem populis dedi eum ducem, ac præceptorem gentibus. *Isa.* 49. Dedi te in lucem gentibus: vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. *Psal.* 79. Plantasti radices eius, & impleuit terram.

Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum.

Duplicem tangit condemnationem, credentium videlicet, malorum, & infidelium. Habens enim fidem informem cadit super lapidem, & conteretur merito peruersi operis, & inobedientiæ mandatorum: infidelis autem in fundamento non habet lapidem, & super illum cadit lapis per iudicium, & conterit eum: quia magnus & grauis est iustè iudicans. Et hoc est, quod dicit [Qui ceciderit super lapidem istum] per inobedientiam, confringetur duritia lapidis in iudicio. *Isa.* 8. de lapide loquens dicit: Offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Offendent quidem in culpa, cadent in mortis pœna, conterentur in iudicio, & irretientur in virtute sententiæ condemnantis eos, & capientur in inferno [Super quem verò ceciderit] per iudicium [conteret eum] grauitate iustæ sententiæ. *Isaiæ* 29. Ardens furor eius, & grauis ad portandum. *Isa.* 30. Veniet contritio eius, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida, & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portaretur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea. De vtraque istarum contritionum *Ierem.* 17. Duplici contritione contere eos.

Et cùm audissent Principes Sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, cognouerunt, quòd de ipsis diceret: & quærentes eum tenere timuerunt turbas: quoniam sicut Prophetam eum habebant.

Ecce incorrigibilitas peruersorum post tot monita salutis. *Ezech.* 3. Filij Israel nolunt audire te: quia nolunt audire me. Dicuntur autem hic tria, scilicet, veritatis perceptio, iniquæ voluntatis machinatio contra veritatem: & ne in actum procedat malitia, impeditio per timorem humanum qui pelli suæ timet. De primo dicit [Et cùm audissent Principes Sacerdotum] Scilicet, Pontifices & Pharisæi de religione sibi applaudentes [parabolas eius] *Prouer.* 1. Animaduertet parabolam, & interpretationem [cognouerunt per adaptationem [quòd ipsis diceret] Ecce perceptio veritatis. *Psalm.* 49. Arguam te, & statuam contra faciem tuam. 3. *Regum* 2. Tu scis omne malum, de quo tibi conscium est cor tuum [Et quærentes eum tenere] Ecce iniquæ machinationis proteruia contra veritatem. Vnde *Sap.* 2. Improperat nobis peccata legis, & infamat in nos peccata disciplinæ nostræ. *Io.* 7. Quærebant eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum. *Ps.* 62. Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam [timuerunt turbas, quia sicut &c.] Hæ turbæ sunt, quæ eum cum victricibus laudibus, & signis receperunt [Quia sicut Prophetam eum habe.] *Sap.* 14. Volens eum occidere timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant. Vnde *suprà* 14. Hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilææ &c.

CAP. XXII.

Et respondens IESVS *dixit iterum in parabolis eis, dicens.*

Hic inducitur tertia parabola, in qua non modò ostenditur abiectio Iudæorum, & vocatio gentium; sed etiam euersio ciuitatis, & occisio Principum, quæ & facta est sub Tito & Vespasiano. Et causa huius euersionis non modò ponitur Christi occisio; sed etiam occisio Discipulorum eius, qui ad eos sunt missi, & Apostolorum, sicut fuit occisio Iacobi maioris per Herodem, & Iacobi minoris per pontificem, & Stephani & aliorum multorum. Diuiditur igitur parabola in duas partes: primò enim iustam ostendit euersionem Iudææ: Secundò inducit generalem vocationem gentium, & Ecclesiæ ædificationem *Ibi* [Tunc ait seruis suis] In prima harum partium sunt tres paragraphi, in quorum primo beneficia gratiæ ostendit in Deo præparatæ: in secundo largitatem in inuitatione, & contemptum ex eorum, qui inuitabantur, ingratitudine: in tertio, magnificentiam Dei describit in eorum, quæ præparata sunt, copiis: & instantiam inuitationis, & maleuolentiam vocatorum contra Domini beneficium: & hæc patent in litera per ordinem. In primo horum paragraphorum duo dicuntur, in quorum priori Euangelista doctrinæ huius describit modum, & in secundo doctrinæ proponit seriem. Dicitur igitur [Et respondens IESVS] *suprà* 9. Videns IESVS cogitationes eorum dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Ita & hic respondet nequitiæ cordis eorum, qua reluctabantur Christo vocanti eos ad Dei copulam. *Psalm.* 30. Qui finxit sigillatim corda eorum, intellexit omnia opera eorum [dixit iterum] 2. *Timoth.* 4. Insta opportunè importunè. Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt. *Ezech.* 3. Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum [in parabolis] *suprà* 13. Sine parabolis non loquebatur ad eos. Huius causa est duplex, vnam reddit *Dionysius in cælesti Hierarchia.* Quia nobis non est possibile incere diuinum radium, nisi velaminibus similitudinum circumuelatum. Secunda est: quia coram rudi turba loquebatur, quæ diuina non caperet nisi per similitudines humanas exprimerentur. Turbas enim magis instruere intendit, quam Principes, & Pharisæos, quos sciuit esse indociles. *Roma.* 1. Sapientibus & insipientibus debitor sum: itaque quod in me promptum est.

Simile est regnum cælorum homini Regi.

Ecce Doctrinæ series: & dicit tria, assimilatum, videlicet, & cui assimilatur, & in quo similitudo accipitur. Assimilatum dicit [Simile est regnum cælorum] Regnum in regnante est animatum iustum mouens ex iusto, & dirigens iustum, & ad iustum, vt ad finem omnia reducens: vt sic sit mouens virtute, & dirigens sapientia, & finiens bonitate iustitiæ [cælorum] autem regnum est, quando hæc omnia fiunt respectu iustitiæ cæli, quæ diuina est, & est omnis iustitiæ prima forma, hoc est regnum, de quo *sup.* 13. Colligent de regno eius omnia scandala. *Apoc.* 5. Fecisti nos Deo nostro regnum. *Sup.* 11. Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Hoc igitur est, quod assimilatur [homini Regi] Ecce cui assimilatur: & dicitur homo: quia humanus, & benignus, & misericors est, & præstabilis super malitia conuersorum. *Ioel.* 2. Sicut homo est animal mansuetum natura, & mollis tactus, & lenis corporis. Rex autem gloria rectitudine iustitiæ, & distributione graduum honoris, & continentia multitudinis, & gubernationis earum. *Isa.* 33. Dominus legifer noster, Dominus Rex noster. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit Rex, & Principes in iudicio præerunt. 1. *Timoth.* 1. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in secula.

Qui fecit nuptias filio suo.

Ecce in quo solicitudo attenditur: & notantur tria, scilicet factura, factum, & cui fit factura. In primo est opus diuinum, quod Deus sine nobis, sed in nobis, & pro nobis operatur: in secundo magnitudo amoris, & vnitas coniunctionis, & iucunditas delectationis in hoc, quod fecit, exprimitur, in tertio altitudo materialis, & honor importatur: nubere enim natura, vel spiritus noster non potest altiùs, & gloriosiùs, quàm filio Dei coniungatur. Resumentes igitur ab initio dicimus, quòd bonum & gaudium nostrum in his verbis exprimitur, in assimilati magnitudine, in facientis bonum nostrum descriptione, & in eo, in quo similitudo attenditur modò, & iucunditatis honore. Magnitudo autem assimilati in duobus est, in assimilati ad nos congruitate, & in ipsius rei, quæ assimilatur sufficientissima nobilitate. Non enim semper simile fuit regnum cælorum his, quæ perfecta sunt in nobis gratiæ operibus: eo quòd peccando illud amiseramus: & ideò nobis ad regnum cælorum, & coniunctionem diuinam nulla erat congruitas. Sed pius Rex hoc fecit, vt iterum congrueret redemptio: quod incompetens erat damnatis per peccatum: & hoc notat, quando dicit [Simile factum est] pro certo à Deo, qui refecit hoc, quod defecerat à cælestium assimilatione. *Psalm.* 85. Fac mecum signum in bono: vt videant, qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu, Domine, adiuuisti me, & consolatus es me. *Amos* 9. Restituam tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reædificabo ruinas murorum eius [regnum] Facti est nobilitas in origine, in potestate, in ordine, in diuitiis, in gloria. Origine enim cæleste est. *Infrà* 27. Regnum meum non est de hoc mundo. *Sapient.* 5. Accipient de manu Domini regnum decoris, & diadema speciei, siue pulchritudinis. Potestas autem regni istius inuincibilis est in omni iustitia, qua agit regnantes, qua dirigit operantes, qua reuincit insurgentes. *Dan.* 7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Et ideò regnum Dauid dicitur, qui manu fortis, & aspectu desiderabilis interpretatur. Ordo eius mirabilis est in officiorum congruitate, in vrbanitatum honestate. De primo est illud *Psalm.* 47. Distribuite gradus eius: vt enarretis in progenie altera. De secundo *Prouer. vl.* Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. De vtroque. 3. *Regum.* 10. quòd Regina Saba videns ordines & habitacula ministrantium, non habebat vltra spiritum. 1. *Corinthior.* 14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis, quilibet in suo officio sit vtilis, & gradu honoris secundum vrbanitates honestus. *Roma.* 11. Ministerium meum honorificabo. De diuitiarum copiis, sine quibus regnum non dispensatur 3. *Reg.* 10. Magnificatus est Rex Salomon diuitiis, & gloria super omnes Reges vniuersæ terræ. *Romano.* 10. Diues in omnes, qui inuocant eum. *Eccl.* 44. Diuites in virtute. 1. *Corinth.* 1. In omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo, & in omni scientia: sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis: ita vt nihil desit vobis in vlla gratia. De gloria autem *Ioann.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. *Psalm.* 8. Gloria & honore coronasti eum, Domine: & constituisti eum semper opera manuum tuarum Hoc est regnum cælorum vndique perfectum, de quo dicitur *Luc.* 17. Regnum Dei intra vos est. Et de quo immediatè dictum est: Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius. Et de quo *Suprà* 6. dicitur Adueniat regnum tuum: quid enim melius fieri potest homini, quàm diuinus sit. Sui boni origine inuincibilis, & ad omnia sufficiens virtutis perfectione, vt dicere possit: Omnia possum in eo, qui me confortat. Congruus tempori, & loco, & Deo, & hominibus, in ordine sufficiens, & copiosus in omnibus Spiritus sancti bonis, & gloriosus in decore virtutis & honestatis: hic iam regnat super terram. *Apoc.* 5. Regnabimus super terram. Hoc est regnum, in quo nullum scandalum. *Sap.* 6. Diligite lumen sapientiæ, vt in perpetuum regnetis. Ecce quanta est assimilati nobilitas. Per hoc autem, quòd [cælorum] est, amplitudo designatur: sicut enim dicit *Seneca* in naturalibus quæstionibus: Centrum est, ô homines, in quo nauigatis: punctum est, pro quo litigatis: infinita sunt spatia cæli, quæ non curatis, *Psalm.* 17. Eduxit me in latitudinem: saluum me fecit, quoniam voluit me. *Eccl.* 24. Girum cæli circuiui sola.

Homini Regi] Describitur ab habitu animi & dignitate honoris. Benignus est Rex: verè Rex est, qui omnia bene & vtiliter disponit. Ferus autem Rex & inhumanus degenerat in tyrannum, de quo dicitur *Ezech.* 32. Leoni gentium assimilatus est: didicit prædam capere, & homines deuorare. *Zach.* 9. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, *Matth.* 11. Discite à me, quia mitis sum. Rex autem dicitur regula iusti indeflexibilis. *Ieremiæ* 23. Regnabit Rex & sapiens erit, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum Dominus iustus noster. Et ideò sequitur, quòd in diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter.

confidenter. Sed contra de Tyrannis dicitur *Prou.* 28. Regnantibus impiis ruinæ hominum. *Isa.* 19. Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium, & Rex fortis dominabitur eorum. Hic ergo Rex [fecit] opere suo, & expensis præparauit. 1. *Cor.* 2. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se [nuptias] In natura, in spiritu, in gloria. In natura, quando sibi nostram naturam vniuit: in spiritu, quando spiritum hominis sibi coniungit: in gloria, quando hominem totum in luce suæ deitatis implebit. Primæ factæ sunt in virginis vtero, secundæ in conscientiæ thalamo, tertiæ in faciei Dei secreto. De primis dicitur *Psalm.* 18. In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. De secundis *Osee* 1. Sponsabo te mihi in sempiternum. De tertiis *Apoca.* 19. Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se: & datum est ei, vt operiat se bysfino mundo. Primæ significantur per nuptias, quæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater IESV ibi. Cana enim interpretatur zelus, quem habuit filius Dei, vt nobis coniungeretur. Secundæ significantur per coniunctionem Abysaag ad Dauid in castitatis perfectione. Tertiæ per coniunctionem Esther cum beatissimo Assuero, qui secundum nomen suum omnes in copula nuptiarum Esther beatificat. Primæ perficiunt indiuiduitatem vitæ in persona: secundæ indiuiduam vitam in vno spiritu: tertiæ retinent indiuiduæ vitæ consuetudinem in gloria. De prima est illud *Psalm.* 64. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti. De secunda 1. *Cor.* 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. De tertia *Psalm.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Hoc est magnitudo amoris in omnibus, cumulus iucunditatis, & vnitas indiuiduitatis. De primo *Cant.* 8. Fortis est vt mors dilectio. De secundo *Baruch* 4. Vide iucunditatem à Domino Deo tuo tibi venientem. De tertio *Deut.* 4. Qui adhæretis Domino, viuetis vniuersi. *Psalm.* 62. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua [filio suo] Ecce honor maritalis: altior enim nulla potest esse coniunctio, quàm vt caro filio Dei, spiritus verbo Dei, homo totus gloriæ Dei coniungatur. *Eph.* 5. Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Et sequitur: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & Ecclesia. *Sap.* 19. In omnibus magnificasti populum tuum, & honorasti.

Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: Et nolebant venire.

Hic exprimitur largitas: & dicuntur duo, scilicet, largitatis munificentia, & ingratitudinis eorum, qui vocantur, malitia: & dicit quatuor de primo: benignitatem vocantis, in hoc, quòd misit seruos eis, qui venire debebant per seipsos: & honestatem vocationis, ne aliquis verecundetur se ingerere: & debitum veniendi ex parte vocatorum, quia inuitati fuerant: & solemnitatem festi, ad quam vocabantur. De primo dicit, quòd [misit seruos] *Ierem.* 44. Misi ad vos omnes seruos meos Prophetas de nocte consurgens, & mittens. *Ierem.* 1. Ad omnia quæ mittam te, ibis, ne timeas: & quæ mandauero tibi, loqueris ad eos. *Hiero.* dicit, quòd quidam libri habent [seruum] Et tunc per seruum intelligitur Moyses. *Exod.* 4. Veni, mittam te ad eos. Verior tamen litera est seruos: & tunc per seruos: intelliguntur Prophetæ [vocare] ne fortè seipsos ingerentes verecundentur. *Num.* 16. Proceres Synagogæ per nomina vocabantur. *Rom.* 8. Quos præsciuit conformes fieri imagini filij sui: hos & vocauit [inuitatos] qui debitum habebant veniendi per inuitationem legis naturæ & Circuncisionis, & legis scriptæ. *Prou.* 9. Vocauit ad arcem, & ad mœnia ciuitatis [ad nuptias] Ecce solemnitas coniunctionis Dei cum homine. *Apoca.* 19. Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt [& nolebant venire] Ecce ingratitudo per simplicem inobedientiam. *Prouer.* 1. Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. *Iob* 19. Seruum meum vocaui, & non respondit mihi: ore proprio deprecabar illum.

Iterum misit alios seruos dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui: tauri mei, & altilia mea occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.

Iterata & instans magnificentiæ vocatio, & ingratitudo cum malitia exercita in vocantes: vocatio autem describitur per iterationem, quæ notat desiderium Dei, vt veniant: per honestatem nuntiorum: per ostensionem delicatæ & sumptuosæ præparationis. Dicit igitur [Iterum] *Psalm.* 97. Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: semper hi errant corde [alios seruos] Apostolos in prima missione. *Suprà* 10. quando dixit: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis, Ite tantùm ad oues, quæ perierunt domus Israel. *Matt.* 15. Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel [Dicite inuitatis] per Prophetas, qui primò vocauerunt inuitatos in lege: & est allegatio præparati conuiuij: & dicuntur quatuor, opportunitas temporis, diuersitas præparationis, complementum abundantiæ, & vocatio. Temporis opportunitas importatur, cum dicitur [Ecce prandium meum paraui] Q. d. hora prandij est: & hæc est hora sexta, quando parum antè spiritus intùs reficiens super Discipulos effusus est. *Act.* 2. quando ructare musti crapulam indicabantur Discipuli. *Gen.* 43. Introduc viros domum: quia mecum comesturi sunt meridie. *Ioan.* 22. Venite, prandete [Tauri mei] Ecce præparatorum diuersitas. Tauri autem sunt maturi viri, qui in vtroque testamento iugum Domini portantes, & trahentes, agrum cordis subditorum excoluerunt. *Isa.* 30. Tauri tui, & pulli asinorum tuorum commistum migma comedent: & sicut in area ventilatum est. Migma commistum, spiritus est in litera ventilatum in area, mysterium est ex historia elicitum flatu sancti Spiritus. *Iob* 1. Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos [& altilia] ab alendo dicta, quasi alitilia: & sunt leuia saginata, altè volantia: leuia spiritus libertate, saginata pinguedine deuotionis, altè volando contemplatione veritatis. *Psalm.* 54. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? *Psalm.* 62. Sicut adipe & pinguedine re-

pleatur anima mea. Et de vtraque istarum præparationum *Gen.* 15. Vbi Abraham vitulum & auem, arietem & capram immolauit. *Gen.* 18. Vitulum tenerrimum Angelis præparauit [& omnia parata sunt] Ecce abundantiæ sufficientia, quam præparauit in dulcedine sua pauperi Deus. Nec poterant omnia parata esse nisi in seipso. In quo est omnis boni plenitudo: in quo panis purissimæ & solidæ veritatis, refectio delicata dulcissimæ bonitatis, pinguedo charitatis, sapor deitatis, vinum sapientiæ, conuiuantes personæ, linteum munditiæ, minister pater omnis boni, promptuarium copiosissimum, diuitiæ Dei, Symphonia cantus Angelorum, societas omnium bonorum. *Psalm.* 41. In voce exultationis & confessionis sonus epulantis. *Luc.* 22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis suprà mensam meam in regno meo. *Isa.* 25. Faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ [Venite ad nuptias] *Sup.* 10. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego vos reficiam.

Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem suam: reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliis affectos occiderunt.

Ecce ingratitudo: & exaggeratur tripliciter, negligentia, & occupatione, & nequitia in nuntios. De negligentia dicit [Illi autem] non curantes epulas spirituales [neglexerunt] delitiis carnis resoluti. *Phil.* 3. Inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusionem eorum, qui terrena sapiunt. *Hebr.* 13. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem hi, qui tabernaculo deseruiunt: & ideò quia non habent potestatem veniendi ad mensam Domini, pigritia ventris venire negligunt. *Eccl.* 7. Qui timet Deum, nihil negligit. *Gen.* 42. Quare negligitis: audiui, quòd frumenta venundentur in Ægypto [& abierunt] Secundum impedimentum. *Zach.* 7. Noluerunt reuerti, & aduerterunt scapulas recedentes. *Ioan.* 5. Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis [alius in villam] Diuersitas tangitur variæ occupationis detinentis [in villam] Per villam intelligitur omnis occupatio humani laboris, à vocatione æternorum retinens: quia agricultura præcipuum est, in quo laborat humana necessitas. *Lu.* 14. Villam emi, & habeo necesse exire, & videre eam: rogo te, habe me excusatum: Sic Cain exiuit in agrum, & factus est homo agricola omninò deditus fructibus agri: & ideò non respexit Deus ad Cain, & ad munera eius *Gen.* 4. Ideò præcepit Deus, vt terra & homines sabbatizarent, vt in quiete cordis & laborisepulis Dei interessent [alius verò ad negotiationem suam] Quæcumque lucra sunt præter laborem manuum, in negotiationes hic dicuntur. *Psalm.* 70. Non cognoui negotiationem, introiui in potentias Domini. *Osee.* 11. Circundedit me Ephraim in negotiatione sua, & in dolo domus Israël. *Ezech.* 28. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate. *Eccle.* 26. Difficile exuitur negotiator à negligentia [reliqui verò] Expressa malitia triplex, captiuitatis, vituperationis, & occisionis. De prima dicit [reliqui verò tenuerunt seruos eius] *Act.* 12. Apposuit apprehendere & Petrum, quem cùm apprehendisset, misit in carcerem. *Hebr.* 11. Captiuati sunt. *Act.* 5. Posuit eos in custodia publica [& contumeliis affectos] Ecce vituperatio. *Ioan.* 15. Si me Beelzebub vocauerunt, & vos vocabunt. *Psalm.* 21. Deriserunt me, locuti sunt labiis, & mouerunt caput. 1. *Cor.* 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc: maledicimur, & benedicimus: blasphemamur, & obsecramus [occiderunt] *Matth.* 23. Occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt. *Psalm.* 43. Facti sumus sicut oues occisionis. 1. *Cor.* 15. Quotidie morior propter gloriam vestram fratres.

Rex autem cùm audisset, iratus est: & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

Tangitur hic destructio Iudæorum: & tangit iram iudicis, & instrumenta vltionis, & ipsam vltionem duplicem in occisione hominum, & euersione ciuitatis. Causam ergo iræ iudicis tangit, cùm dicit [Rex] qui iustitiam negligere non potest. *Isa.* 32. Ecce in iustitia regnabit Rex [cùm audisset] clamorem sanguinis, nullo alio nuntiante: & est argumentum, quòd in apertis criminibus Iudex de officio suo procedere debet ad vltionem. *Gen.* 4 Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. 2. *Macha.* 8. Audiret etiam vocem sanguinis clamantis ad se, & indignaretur super his [iratus est] *Psalm.* 105. Iratus est in furore Dominus in populum suum, & abominatus est hæreditatem suam. *Isa.* 64. Ecce tu iratus es, & peccauimus: in ipsis fuimus semper [& missis exercitibus suis] Ecce instrumenta vindictæ, exercitus Titi & Vespasiani missi contra eos: propter hoc vocatur Dominus Sabaoth. *Isa.* 6. Hic est Dominus exercituum. *Isa.* 8. Ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet, & erit extensio alarum eius in medio terræ tuæ. O Emmanuel quia exercitus isti expanderunt se in terra Domini [perdidit homicidas illos] 1. *Ioan.* 3. Omnis homicida non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. *Luc.* 9. Inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite illos, & occidite coram oculis meis [& ciui. e.] Ierusalem [succendit] ad literam *Thren.* 2. Succendit in Iacob quasi ignem flammæ deuorantis in giro. *Isa.* 10. Succensa est quasi ignis combustio. *Isa.* 1. Succendetur vtrumque simul: & non erit, qui extinguat. Ista est olla succensa, in qua excocti sunt Iudæi *Ierem.* 1. *Ezech.* 5.

Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt: sed qui inuitati erant, non fuerunt digni.

Hic abiectis Iudæis, agitur de gentium vocatione: & habet partes duas, vocationem, & vocatorum discretionem. In vocatione tria sunt, reprobatio Iudæorum, vocatio gentium, impletio nuptiarum

nuptiarum. De reprobatione dicit [Nuptiæ quidem paratæ sunt] in ea præparatione prædestinationis, gratiæ appositio, & omne Sacramentum incarnationis, & salutis. *Mich. 6. Isa. 5.* Quid est, quod vltra facere debui, & non feci. *Matth. 27.* Consummatum est [sed qui inuitati fuerant] per Prophetas, & primam missionem Apostolorum, Iudæi videlicet [non fue. dig.] *Act. 13.* Indignos vos iudicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Dominus. Propter hoc Iudæi dicuntur feces. *Isa. 42.* Parum est mihi, vt suscites mihi tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas: dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.

Ite ergo ad exitus viarum: & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos; & impletæ sunt nuptiæ discumbentium.

Ecce vocatio gentium: & dicuntur duo, iniunctio vocationis, & obedientia seruorum. Iniunctio continet, vnde vocantur, & quam generaliter, & ad quid. Dicit enim [Ite] *Supra 10.* Ite, ecce ego mitto vos. *Ioan. 14.* Posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat [ad exitus viarum] hoc est, ad omnes vitæ professiones & actus. *Ierem. 3.* In viis sedebas expectans eos. *Prouer. 7.* Sapientia foris clamitat, in plateis dat vocem suam. *Iob 31.* Vias meas ipse considerat, & cunctos gressus meos dinumerat [& quoscumque inueneritis] *Sap. 6.* Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. *Iob 3.* Paruus & magnus ibi sunt, & seruus & liber à Domino suo. *Psalm. 113.* Pusillis cum maioribus. *Gal. 3.* Non est Iudæus, neque græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina [vocate ad nuptias] *Isa. 30.* Erit vobis vox sanctificatæ solemnitatis, sicut qui pergit cum tibia & cithara, vt intret in montem Domini. Sed heu hodie viæ Sion lugent, eo quòd non sunt, qui veniant ad solemnitatem. *Thren. 1.*

Ordinis Prædicatorum egressus. [Et egressi ser. &c.] Seruorum hic tangitur obedientia & ordinis prædicatorũ egressus. *Isa. 27.* Qui egrediuntur impetu à Iacob, florebit, & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis scientia. *Psalm. 126.* Sicut sagittæ in manu potentis, ita filij excussorum. Est autem egressus de Iudea ad gentium vias. *Cant. 7.* Egrediamur in agrum, commoremur in villis [congregauerunt] in [illegible] cor & vnam animam, & vnum Baptisma, & vnam fidem, vnum spiritum, & vnius religionis professionem [omnes quos inuenerunt] *Psalm. 49.* Congregate illi sanctos eius, qui ordinauerunt testamentum eius super sacrificia. *Gen. 49.* Congregamini filij Israel, congregamini, & audite Israel Patrem vestrum [bonos & malos] Boni sunt politicis virtutibus præditi; mali autem vitiosi. Vnde *Act. 10.* De Cornelio dicitur, quòd erat vir bonus, ac timens Deum, & faciens eleemosynam. De *Iob 1.* Vir simplex, & rectus corde, & recedens à malo. *Suprà 13.* Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Ecclesia enim præsens congregat bonos & malos; Infernus tantùm malos, & cælum tantùm bonos. *Psalm. 86.* Memor ero Raab & Babylonis scientium me: ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic. [Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium] *Act. 13.* Crediderunt, quotquot præordinati fuerunt ad vitam. Hæc enim impletio non est nisi perfecta Ecclesiæ per mũdum delatio: domus enim nuptialis mundus est, vt fiat, quod dicitur *Malach. 1.* Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda. *Psalm. 106.* A solis ortu vsque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.

Ecce vocatorum discretio, & habet quinque particulas, siue versus. In primo continetur visitatio per discussionem; in secundo, reatus inuentio per actuum ponderationem; in tertio redargutio per peccati obiectionem: in quarto condemnatio per suppliciorum interminationem; in quinto in similibus iudicij informatio per Discipulorum instructionem: & hæc per ordinem iacent in litera. De primo dicit, quòd [intrauit] per inquisitionem [vt videret] per famæ, & confessionis, & testimonij veritatem [discumbentes] in Ecclesia pabulum accipientes, & sacramentis communicantes; Et sic intrat adhuc in bono Prælato, quando visitat. *Gen 37.* Vade, vide, si cuncta prospera sint circa fratres tuos & pecora, & renuntia mihi quid agatur. *Psalm. 58.* Intende ad visitandas omnes gentes; non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem [& vidit] per actuum ponderationem [ibi hominem] si fidem informem non haberet, bestia vocaretur. Vnde, *1. Cor. 15.* Ad bestias pugnaui Ephesi [non vestitum veste nup.] quod est vestimentum charitatis, & honestæ conuersationis. *Dan. 7.* Iudicium sedit, & libri aperti sunt. *1. Cor. 4.* Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo. De veste autem nuptiali *Isa. 61.* Induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circundedit me [& ait illi] increpando, obiiciens actuum turpitudinem [Amice] *Eccl. 37.* Est amicus solo nomine amicus. Simile *Infrà 26.* Amice, ad quid venisti? [quomodo huc] ad numerum fidelium, & Sacramentorum participationem, ad ecclesiasticum officium vel beneficium [intrasti] *Iud. 18.* Quis te adduxit huc? quid hic agis? quam ob causam huc venire voluisti? *Isa. 22.* Quid tu hic aut quasi quis hic? non habens vestem nup.] *Sophon. 1.* Visitabo super eos qui induti sunt veste peregrina. *Ephes. 4.* Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. [At ille] redarguente conscientia [obmutuit] *Isa. 13.* Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim? *Iob 9.* Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Propter hoc dicitur *Ecclesiast. 9.* Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum

oleum de capite tuo non deficiat.

Sic quæretur à Prælatis: Quomodo huc intrasti? Quomodo vixisti? & Quomodo rexisti? & Quomodo intrasti non veniens per ostium? *Ioan.* 10. Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde: ille fur est, & latro. Quomodo vixisti? *Zacha.* 11. O pastor, & idolum relinquens gregem. *Amos* 6. Dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes in phialis vinum, & optimo vnguento deliburi: & nihil patiebantur super contritione Ioseph. Dormire in lecto eburneo, est resolutum esse in voto castitatis: quia ebur castitatem significat. Lasciuire in stratis, est transgredi metas voluptatis, turpitudinis libidine per incestum & pluralitatem fœminarum, & huiusmodi. Quomodo rexisti? *Isa.* 14. In terra disperdidisti: tu populum tuum occidisti. *Ierem.* 13. Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? *Ierem.* 33. Adhuc transibunt greges ad manum numerantis, ait Dominus. Contra omnia hæc dicit bonus pastor *Gen.* 31. Viginti annis seruiui tibi: oues tuæ & capræ non fuerunt steriles: arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quod furto perierat, à me exigebas: nocte ac die æstu vrebar & gelu: fugiebatque somnus ab oculis meis.

Tunc dixit Rex ministris: Ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium. Multi autem sunt vocati: pauci verò electi.

Tunc dixit ministris] Angelis bonis, qui faciunt hoc imperio: & malis, qui faciunt hoc ministerio. *Suprà* 12. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Dicit autem triplicis pœnæ interminationem. Prima notat impossibilitatem redeundi ad gratiam: secunda dicit exclusionem à gloria: & tertia cruciatum in gehenna. Dicit igitur [Ligatis] obligatione reatus [pedibus] affectus & intellectus [& manibus] potestatibus operandi. *Isa.* 38. Non aspiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis. *Iob* 7. Non reuertetur oculus meus, vt videat bona. *Prou.* 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum constringitur. 2. *Paral.* 36. Incuruatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi [proiicite eum in tenebras exte.] à luce gloriæ separate, in carcerem inferni proiicite tenebrosum: interiores enim tenebras in ignorantia Dei secum habuit. *Iob* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, & non illustretur lumine. *Isa.* 22. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. *Psalm.* 48. Introibit in progenies patrum suorum: vsque in æternum non videbit lumen [Ibi erit fletus & stri. den.] Idem *Suprà* 8. & 25. bis & *Lu.* 13. *Infrà* 24. & 26. *Iob* 24. Transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium [Multi enim sunt vo.] Discipulos informat: quia enim vnum tantùm abiecerat: propter hoc illius formam indicat potiùs, quàm personam. Quicumque enim vocati sunt, gratiæ electionis non concordantes per vitam, sunt ille, qui abiectus est [pauci verò ele.] *Ecclesiast.* 1. Stultorum infinitus est numerus.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone: & mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis, dicentes.

Hic incipit agere de tentatione, qua Dominum tentant, & se meritò esse reprobandos ostendunt: & tangit tres per ordinem tentationes. Prima est de veritate iudicij, & iustitiæ: secunda de veritate fidei & doctrinæ: tertia de veritate vitæ & gratiæ: & patent in litera. Primam Pharisæi, secundam Sadducæi, tertiam legisdoctores perficiunt. Prima reuincitur cum increpatione hypocrisis, secunda cum obiurgatione erroris, tertia cum quæstione de natiuitate Redemptoris. In prima duo continentur, tentatio videlicet, & tentantium reuictio. Tentatio autem habet duo, malitiam tentantium, & tentationis dolosum modum. Circa primum tria sunt, malum cogitatum, dolosum factum, & fictum commendationis verbum. Malum cogitatum tripliciter exaggeratur, per veritatis auersionem, per studij malignitatem, per intentionis peruersitatem. Veritatis auersio tangitur per hoc quòd dicit [Tunc] eadem die [abeuntes Pharisæi] per veritatis auersionem. *Sap.* 3. Abierunt ab itinere recto in exterminium. Intelligentes enim veritatem, auertérunt auditum. 2. *Tim.* 4. A veritate quidem auditum auertent: ad fabulas verò conuertentur [consilium inierunt] Ecce studium malignitatis. *Isa.* 8. Inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet. *Apocal.* 17. Hi vnum consilium habent, & potestatem & virtutem suam bestiæ tradent. *Iob* 12. Adducet consiliarios in stultum finem, & iudices in stuporem, [vt Iesum caperent in sermone] Ecce peruersitas intentionis. *Prou.* 1. Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum. *Sap.* 20. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?

Et mittunt ei] Dolus est in opere tripliciter: quia [mittunt discipulos] tamen à se instructos, vt discipulis victis non sit confusio, quasi parum instructis: & vincentibus discipulis, maior sit gloria. Conjungunt Herodianos: vt si audiant loqui contra Cæsarem, indignentur, & statim capiant. Tertiò quia per hoc vtramque videbantur habere partem & Iudæorum & gentilium, vt si fieret tumultus, omnes essent pro eis. Sunt autem Herodiani, non qui Herodem Christum esse crediderunt, quod nusquam legitur: sed cùm Iudæa facta fuerit tributaria sub Cæsare Augusto, sicut legitur *Lu.* 1. Herodes Antipatris filius alienigena & proselitus, præpositus est tributis à Romanis, & adiuncta est ei cohors italica, quæ pro pace tributa soluentium, ad imperium Herodis militaret: & milites illius cohortis Herodiani dicebantur. Et illi adiuncti sunt Discipulis Pharisæorum; vt quando contra Romanos Christus fortè loqueretur, statim ab eisdem detineretur manibus violentis. Vel Herodianos Pharisæi irrisoriè vocabant, qui sicut Herodes imperauit, Romanis tributa soluenda esse dicerent. *Marc.* 12. sic dicitur. Mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis & Herodianis, qui eum caperent in verbo,

Luc. 20. Obseruantes miserunt ad eum quosdam, qui se iustos simularent: vt eum caperent in sermone, & traderent eum principatui & potestati Præsidis.

Magister scimus, quia verax es: & viam Dei in veritate doces: & non est tibi cura de aliquo. Non enim respicis personam hominum.

Ecce fictio in sermone: blandiuntur autem à quatuor, ab auctoritate magisterij, à veritate sermonis, à veritate doctrinæ, à veritate iudicij sine personarum acceptione: vel commendant eum, ab amore veritatis, ab odio falsitatis, ab amore veritatis in sensu & doctrina. De auctoritate dicunt [Magister] Blandiuntur, vt laude delectatus mysterium cordis aperiat. *Prouer.* 27. Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens maledicenti similis est. *Psalm.* 61. Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant. *Ioan.* 3. Scimus, quia à Deo venisti, magister: nemo potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo [scimus] per experimenta signorum [quia verax es] *Rom.* 3. Est autem Deus verax; omnis autem homo mendax. *Num.* 23. Non est Deus vt homo, vt mentiatur: neque vt filius hominis, vt mutetur [viam Dei] mandata, quæ ad Deum ducunt [in veritate] sine fictionis absconsione doces. *Isa.* 40. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. *Prouer.* 3. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ. *Ioan.* 14. Ego sum via, veritas, & vita. Vel in veritate docere, est non in mercede docere: quia munera excæcant oculos sapientium, & subuertunt verba iustorum. *Mich.* 3. Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant [& non est tibi cura de aliquo] vt propter illud à recto deuies. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. Vnde *Eccl.* 46. dicitur, quòd Elias in diebus illis non extimuit Principem [Non enim respicis personam hominum] Respicere, sine accipere personas, est honorare loquendo, vel tacendo in iudicio hominem, propter illud quod fortuna posuit in homine: vel solam differentiam fortunæ in hominibus per approbationem considerare. *Rom.* 2. Non est personarum acceptio apud Deum. *Gal.* 2. Deus personam hominis non accipit. *Act.* 10. In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.

Dic ergo nobis: quid tibi videtur? Licet censum dari Cæsari, an non?

Exprimitur hic versutia quæstionis: & tangit tria, quorum primum est, vt vtilitatem populi sui in respondendo attendat; secundum, vt secundum conscientiam respondeat: tertium est quæstio inuoluta, quam non euadat. De primo dicunt [Dic ergo nobis] hoc est, vtilitati nostræ consulens, qui sumus populus tuus. *Isa.* 30. Loquimini nobis placentia, videte nobis errores [nobis] enim dicunt, non contra nos [Quid tibi videtur] hoc est, ad conscientiam responde: & hoc dicunt, ne postea excusare valeret dicens, quòd non ita intenderit. Simile *Act.* 5. Visum est Spiritui sancto, & nobis. *Rom.* 9. Veritatem dico in Christo IESV, non mentior, testimonium perhibente mihi conscientia mea in Spiritu sancto. Contra quod dicitur in *Psalm.* 11. In corde, & corde locuti sunt. [Licet censum dari Cæsari an non] Blanda & ficta interrogatio illuc pronocat respondentem: vt citius hominem, quàm Deum offendat, & sic in manus iudicum incidat. *Deu.* 13. Melius est mihi incidere in manus hominum, quàm deseruiere legem Dei mei. Cæsar primus fuit, qui Romæ regnauit, à quo omnes postea Cæsares sunt vocati. Erat autem consentio in populo: quidam enim dicebant censum esse dandum Romanis, qui pro omnibus militabant. Pharisæis autem contra dicentibus: Non debere populum Dei [qui decimas soluere, & primitias dare] humanis legibus subiacere: & hæc fuit causa quæstionis. *Rom.* 13. Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.

Cognita autem IESVS nequitia eorum ait: Quid me tentatis, hypocritæ? Ostendite mihi numismata census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis IESVS: Cuius est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt: & relicto eo abierunt.

Hic post tentationem ostenditur conuictio nequitiæ tentantium: & dicuntur duo. Primum est illuminatio veritatis: secundum autem admiratio perfidorum ex illuminatione confusionem patientium, eo quòd imperfecti fuerunt ad lumen (aliàs bonum,) & rebelles. Circa illuminationem tria dicuntur: primum est irradiatio nequitiæ: secundum est inquisitio conuenientis responsionis ex his, quæ in censu soluebantur: & tertium est ipsa responsio, & illuminatio quæstionis. Illuminatio autem nequitiæ duo habet, cognitionem videlicet veritatis, & manifestationem hypocrisis. De primo dicit [cognita autem IESVS nequitia eorum] Nihil enim absconditum, quod non reueletur, sicut dictum est *Suprà* 10. Prima enim virtus respondentis est, interrogantium mentem cognoscere, sicut dicit *Hiero. Psalm.* 7. Consumetur nequitia peccatorum: & diriges iustum, scrutans corda, & renes Deus [dixit: Quid me tentatis hypocritæ?] aliud simulantes: non enim estis discipuli, sed tentatores. *Prou.* 11. Simulator ore decipit amicum suum; iusti autem liberabuntur scientia. *Eccl.* 1. Ne sis hypocrita in conspectu hominum.

Ostendite] Inquisitio est opportunæ solutionis: & sunt hic duo, scilicet, postulatio census, & inquisitio impressionis. Postulatio census habet petitionem & oblationem. De petitione dicit? [Ostendite mihi numismata census] hoc est, quod soluitur pro censu; numisma enim propriè vocatur figuræ impressio in denario: & illam voluit videri, & considerari ab hominibus; vt ex ipsa conuenientem ad conscientias eorum aptaret responsionem. Sapientia enim Dei omnia agit sapienter, vt dicit *Psalm.* 2. Omnia in sapientia fecisti. 1. *Cor.* 2. Christum Dei virtutem & Dei sapientiam [Et illi obtulerunt ei denarium]

Qui ideò denarius dicitur : quia decem valuit vsuales, & habebat imaginem Romani Cæsaris, & nominis eius inscriptionem. Sic etiam in 1. *Machab.* 15. dicitur. Permittimus tibi fabricaturam proprij numismatis.

Et ait illis IESVS] Quærit, vt ex responso eorum eos conuincat [Cuius est imago hæc & superscriptio] nominis : de his enim, quæ mundi sunt, obnoxij sumus his, qui mundum regunt [Dicunt ei Cæsaris] *Lu*. 22. Reges gentium dominantur eorum. [Tunc ait illis] Ecce quæstionis solutio [Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari] Si enim Cæsar per suos militat, & disponit contractus, & commutationes inter vos, sicut ostendit imago & inscriptio est, vt tributum sibi soluatur, per quod ista possit efficere [Et quæ sunt Dei Deo] hoc est, decimas & primitias soluite ministris Dei, qui cultui Dei & religioni sunt dediti, qui etiam in his, quæ Dei sunt militant pro vobis. *Rom.* 13. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. *Sup.* 18. Redde quod debes.

Et audientes mirati sunt.] Ecce confusio oculorum cæcorum ad illuminationem : mirantur enim veritatem sapientiæ nihil contradicere valentes. *Act.* 6. Non poterant resistere sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur. Audientes autem hæc dissecabantur in cordibus suis, & stridebant dentibus in eum : & hoc est, quod sequitur [& relicto eo] qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Ioan.* 1. [abierunt] *Psal.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem.

Hic ponitur tentatio veritatis fidei & religionis : & habet tres partes, in quarum prima ponitur tentationis ex parte tentantium versuta propositio : in secunda nequitiæ tentantium increpatio : in tertia veritatis ostensio : & hæc patent in litera. In prima harum sunt tria, in quorum primo perfidia tentantium describitur, in secundo lex ad exacuendam tentationem inducitur, in tertio quæstio tentationis ex lege simul & perfidia tentantium elicitur. Dicit igitur [In illo die] in qua arefacta est ficulnea, & præcedentia sunt facta : tunc enim fortiter instabant, vt caperent eum in aliquo : quia iam conceperant eum interficere [accesserunt] vt ex familiaritate simularent amicitiam, & citiùs deciperent. *Isa.* 57. Accedite huc filij auguratricis, semen adulteræ & fornicariæ [Sadducæi qui dicunt resurrectionem non esse] Perfidiæ est descriptio : dicebant enim illi nec esse spiritum, nec animam viuere post mortem, sicut superiùs in præhabitis dictum est. *Sap.* 2. Non est refrigerium in fine hominis : nec est agnitus, qui reuersus sit ab inferis.

Et interrogauerunt eum dicentes : Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium : vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres : & primus vxore ducta defunctus est : & non habens semen reliquit vxorem suam fratri suo : Similiter secundus & tertius vsque ad septimum. Nouissimè autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septem vxor ? Omnes enim habuerunt eam.

Et interrogauerunt eum dicentes] Tentando, non vt addiscerent. [Magister] Magistrum vocant, cuius nolunt esse discipuli [Moyses dixit] *Deut.* 25. [Siquis mortuus fuerit non habens filium] Legis ratio fuit distinctio hæreditatum & memoria patrum, quam in filiis voluit remanere Dominus : & ideò præcepit, vt suscitarent semen fratri defuncto. Dicuntur autem duo hic : primò enim ponunt legem, & secundò recitant factum, quod est occasio quæstionis [Moyses dixit] *Eccl.* 24. Legem mandauit nobis Moyses in præceptis iustitiarum hæreditatem domui Iacob, & Israël promissiones. *Ioan.* 1. Lex per Moysen data est [Si quis mortuus fuerit] in hæreditate sua [non habens filium, vel filiam] hæredem, sicut patet in filiabus Salphaad *Num.* 27. quia per filiam potest suscitari nomen eius, sicut per filium [vt ducat frater eius] Non vterinus semper, sed propinquior genere, sicut patet *Ruth* 3. de Booz ; qui duxit Ruth [& suscitet semen fratri] defuncto. Videtur ex modo loquendi significare hoc, quod dicunt naturales : quia quamuis semen adeò non sit efficax ad fœcundandum ; tamen est efficax ad alterandum qualitates matricis : & ideò mulier ex secundo marito generat sæpe parum similem marito priori, si non magnum tempus interponatur inter viduationem primi, & concubitum secundi : & hoc importat, quando dicit [suscitet] quia in se sopita qualitate, matricem infecit : & ex secunda fœcunditate suscitatur : vt qualitates imprimat partui, quæ ex ipso in matrice remanserunt, quamuis ipsum semen effluxerit. Signum autem eius est, quòd si leprosus coit cum muliere : & si sanus citò post coeat cum eadem, sanus efficitur leprosus : eo quòd matrix qualitatibus corrupti seminis infecta sit. Hoc etiam à patribus ante legem seruabatur : vnde *Genes.* 38. Filij Iudæ acceperunt successiuè Thamar, vt vnus alteri semen suscitaret.

Erant autem apud nos septem fratres] Hoc de facto esse potest [& primus vxore ducta mortuus est] Simile *Tob.* 7. Tradita fuerat Sara septem viris, quos dæmonium Asmodæus occidit [& non habens semen] hoc est, hæredem. *Isa.* 38 Generatio mea ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernaculum pastorum [reliquit vxorem fratri suo] ad seminis suscitationem [Similiter & secundus] *Sap.* 3. Ab iniquo toro semen exterminabitur [Et tertius vsque ad septimum] *Isa.* 14. Non consurgat in æternum semen pessimorum. *Ioan.* 4. Quinque viros habuisti : & tunc quem habes, non est tuus vir [Nouissimè autem omnium virorum defuncta est & mulier] Oppositum huius est *Isa.* 4. Apprehendent septem mulieres virum vnum, dicentes : Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur : tantummodo inuocetur nomen tuum super nos : aufer opprobrium nostrum [In resurrectione ergo] Acuunt quæstionem ex inductis [cuius erit vxor ?] Quia nunquam licuit vni mulieri habere

plures viros : eo quòd hoc repugnat fœcunditati : vna enim impletur ab vno, & vnus implet multas, sicut dixit *Plato. Genes.* 2. Erunt duo in carne vna [Omnes enim habu. eam] Causa dicti est, quod dicitur *Genes.* 2. Relinquet homo patrem & matrem : & adhærebit vxori suæ. Cui ergo istorum adhærebit, ex quo omnes habuerunt eam ? Ignorauerunt isti, quòd matrimonium, & fœcunditas sunt bona mortalium & officia, sed non immortalium. Et ideò dicitur 1. *Cor.* 7. Mulier subiecta est legi viri, quanto tempore vir eius viuit. Quòd si dormiuerit vir eius, soluta est à lege viri : cui vult nubat : tantùm in Domino. *Romano.* 7. An ignoratis fratres, quia lex in homine dominatur quantò tempore viuit. Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro subiecta est legi viri.

Respondens autem IESVS, ait illis : Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei : In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Et audientes turbæ mirabantur in doctrina eius.

Ecce conuictio tentantium : & habet duas particulas, confusionem videlicet errantium, & fructum illuminationis ex parte turbarum. Confusio errantium in tribus est, in occupatione erroris, & solutione quæstionis per interemptionem, & in probatione resurrectionis. Dicit igitur increpando de errore & de ignorantia. Est autem error in hoc, quòd oppositum principiorum fidei supponebant : principia enim fidei sunt articuli, quorum vnus est de resurrectione, cuius oppositum supponebant : & hoc est, quod dicit [Erratis] 2. *Tim.* 3. Mali homines & seductores proficiunt in peius : errantes, & in errorem mittentes. *Sap.* 5. Errauimus à via veritatis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis [nescientes] De duobus arguuntur, de ignorantia scripturæ, per quam resurrectio probatur : & de ignorantia virtutis Dei, per quam resurrectio causatur. De primo dicit [nescientes scripturas] hoc est, scripturæ spirituales intellectus. *Isa.* 33. Vbi literatus ? vbi verba legis ponderans ? *Isa.* 5. Ideò captiuus ductus est populus meus : quia non habuit [illegible] 2. *Corinthior.* 3. Cum legitur Moyses, velamen est positum supra cor eorum [neque virtutem Dei scientes] quia virtute Dei [illegible] resurrectio. *Psalmus* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis. 1. *Thessalon.* 4. In iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo : & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Iussus enim Dei virtus est suscitans mortuos.

In resurrectione enim] Responsio est quæstionis [neque nubent] viri [neque nubentur] fœminæ : eo quòd ista officia sunt mortalium. Etsi ante necessitatem mortis [illegible] instituta sunt : tamen mortalia tunc etiam corpora erant per naturam : sed poterant non mori per

gratiam, & esum ligni vitæ. Et in resurrectione etiam membra erunt genitalia, non quæ exerceant libidinem, quæ nulla erit resurgentibus, sed in quibus contempletur admirabilis ordo sapientiæ in propagatione naturæ. *Psalm.* 91. Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. *Psalm.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est, & non potero ad eam [sed erunt sicut Angeli Dei] Non natura, sed officio : quia, vt dicit *Dam.* vnum cum Angelis opus habebunt, quod est hymnis laudare Deum. *Deut.* 32. secundum literam LXX. Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorum Dei. *Apocalyps.* 21. Mensura hominis, quæ est Angeli. 1. *Corinthior.* 6. An nescitis, quoniam & Angelos iudicabimus : iudicio videlicet comparationis [in cælo] quoad habitationem : Cùm nuptiæ factæ sunt officium terrenorum. *Phil.* 3. Nostra conuersatio in cælis est. Vnde & Saluatorem expectamus Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. 1. *Corinth.* 15. Alia claritas solis, alia claritas lunæ : alia claritas stellarum. Stella autem à stella differt in claritate : sic erit in resurrectione mortuorum.

De resurrectione autem mortuorum] Probatio est resurrectionis futuræ per scripturam [non] ad intellectum [legistis quod dictum est *Exod.* 3. [à Deo] tanto auctore [dicente vobis] ad fidei vtilitatem, & instructionem. Inducit autem testimonium Moysi : quia aliam scripturam Sadducæi non receperunt. Aliàs enim poterat euidentiora induxisse testimonia. *Iob* 19. De terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum. *Isaiæ* 26. Viuent mortui tui, Domine : interfecti mei resurgent. *Ezech.* 37. Aperiam quippe tumulos vestros : & educam vos de sepulchris vestris. *Daniel.* 12. Multi ex his, qui dormiunt in puluere terræ, euigelabunt : alij in vitam æternam : & alij in opprobrium, vt videant semper. [Ego sum Deus Abraham] hoc est, remunerator Abraham [& Deus Isaac & Deus Iacob] *Hebræor.* 11. Non confunditur Deus vocari eorum Deus. Tradidit enim illis ciuitatem. 2. *Machab.* 1. Meminerit testamenti sui, quod habuit ad Abraham, Isaac, & Iacob seruorum fidelium. Ex ista auctoritate arguit [Non est autem Deus mortuorum] in anima & corpore : quia illi non sunt, & Deus non est Deus eius, quod non est. *Psalm.* 113. Non mortui laudabunt te Domine : neque omnes, qui descendunt in infernum, [sed viuentium] *Isa.* 38. Viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie : pater filiis notam faciet veritatem tuam. Argumenti autem vis est in hoc, quod si Deus est seruorum, debet remunerare eos, in quo seruierunt opere iustitiæ. Seruierunt autem in corpore, remunerabuntur igitur in corpore.

Et si obiciatur, quòd corpus non est nisi sicut instrumentum in operibus virtutum ; instrumentum autem præmiari non debet : & sic corpus non oportet resurgere. Dicendum, quòd corpus in agendo cum anima est vnum compositum cum ea : & ideò plus est quàm instrumentum. Oportet igitur, quòd resurgat. *Ioannis* 11. Ego sum resurrectio & vita : qui credit in

me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Si obiicitur, quod dicit *Apostolus* 1. *Cor.* 15. quòd caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt. Dicendum, quòd caro & sanguis ibi intelliguntur corruptela carnis & sanguinis.

Et audientes turbæ] Ecce fructus illuminationis, propter quos etiam soluit quæstionem: quia aliter sanctum non dedisset canibus, neque margaritas sparsisset ante porcos. *Suprà* 7. [mirabantur] & admiratio via est ad credendum. *Psal.* 85. Tu es Deus, qui facis mirabilia [in doctrina eius] *Suprà* 7. Erat enim docens quasi potestatem habens: & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi.

Pharisæi autem audientes, quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum: & interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor, tentans eum.

Hic incipit tentatio de mandatorum comparatione, quæ est de veritate vitæ: & habet tres partes, in quarum prima describitur tentantium machinatio: Et in secunda tentationis progressio: & in tertia tentantium confusio. In prima harum tentantium machinatio exaggeratur per quinque, quorum primum est causa, quæ est inuidentia gratiæ: & hoc importatur per hoc, quòd dicit, [Pharisæi autem] qui cum Sadducæis in credendis non concordabant [audientes] fama celebri. *Genes.* 45. Auditum est in aula Regis, & celebri sermone vulgatum [quòd silentium imposuisset Sadducæis] Quod licet appeterent: tamen inuidebant, quòd per IESVM factum est. *Luc.* 23. Pilatus & Herodes reconciliati sunt in morte IESV CHRISTI, sicut & isti: licet dissideant inter se: tamen iuuant se mutuò contra Christum ex inuidia. Sicut etiam Dæmones inter se dissidentes ex inuidia, iuuant se contra homines. *Sap.* 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte ipsius. Secundum est, quòd multitudine se armauerunt, qui à veritate se nudos esse professi sunt: & hoc tangit subdens [conuenerunt in vnum] consonando contra veritatem. *Iud.* 15. Vulpes Samsonis caudis erant colligatæ. *Ps.* 67. Congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos, qui probati sunt argento. Tertium exaggerans est astutia, quòd per vnum interrogant, vt omnes vincere in vno vincente videantur: & si vincatur, solus victus reputetur: & hoc est [Et interrogauit eum vnus] Hoc significatur per Philistæum 1. *Regum* 17. Qui prouocabat populum Dei ad singulare certamen, quo volebat certare pro omnibus. Quartum est literatura illius: vt sciret obiicere & proponere: & hoc notat, cùm dicit [legisdoctor] quæ sunt arma Saul, in quibus nesciuit ire Dauid 1. *Reg.* 17. eo quòd non haberet vsum eorum. Quintum est intentionis peruersitas, cùm subdit [tentans eum] *Suprà eadem.* Quare me tentatis hypocritæ. *Psalm.* 77. Conuersi sunt, & tentauerunt Deum, & sanctum Israel &c.

Magister, quod est mandatum magnum in lege?

Ecce tentationis progressio & dicit duo: primò enim laudat, vt decipiat incautum: secundò quærit. Dicit enim [Magister] cuius non vult esse Discipulus. *Ioan.* 9. Nunquid & vos vultis eius Discipuli fieri: Maledixerunt ei, & dixerunt. Tu Discipulus eius sis: nos Discipuli Moysi sumus: quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus, vnde sit [Quod est manda.mag.] Ecce versutia quæstionis, quæ consistit in tribus, in laude quæsiti, in magnitudine, & auctoritate. Primum dicit rationem boni, secundum, magnitudinem honesti, tertium acceptabilitatem Dei.

Primum tangitur, cùm dicit [Quod est mandatum?] Signum enim voluntatis Dei est mandatum: & hæc voluntas Dei bona. Beneplacens autem ex eo, quòd est legis: & perfecta ex eo, quòd est magnum. Et dicitur magnum antonomasticè: quia quantitatem meriti tribuit omnibus aliis. *Psalm.* 110. Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius. *Augustinus.* In rebus, quæ non mole, sed virtute magnæ sunt: idem est maius esse, quod melius esse [in lege] Quæ sola attendenda est: quia ipsa est in præceptis iustitiarum, sicut dicitur *Ecclesiast.* 23. *Psal.* 1. In lege Domini fuit voluntas eius.

Ait illi IESVS: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua: hoc est maximum, & primum mandatum: secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ.

Hic ponitur tentationis cõfutatio per duo opera sapientiæ, respondere. s. & interrogare: quæ etiam exercuit Dominus, cùm esset annorum duodecim in templo *Luc.* 2. Responsio autem continet tria, expositionem maximi, & exposionẽ illius similis, sed non æqualis: & rationem magnitudinis vtriusque horum mandatorum. De primo dicit [Diliges &c.] *Deut.* 6. Et dicuntur hic tria, modus dilectionis, & dilectum, & dilectionis quantitas. Modus importatur per verbum [diliges] Amare enim, ipsam passionem dicit amoris secundum affectum, qui etiam communis est cæteris animalibus: Charitas autem dicit appretiationem: & dilectio ex vi compositionis dicit rationem electionis. Amor ergo afficiendo destituit, charitas amatum inæstimabili pretio præponit. Dilectio ex omnibus verè diligendum eligit. De amore *Cant.* 5. Nuntiate dilecto, quia amore langueo. 2. *Reg.* 1. Sicut mater vnicum amat filium: ita te diligebam. De charitate *Cant. vlti.* Si dederit homo omnem substantiam domus suæ ad mercandam dilectionem: quasi nihilum despiciet eam. De dilectione *Cant.* 5. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. *Ecclesiastici* 24. Ego mater pulchræ dilectionis. Hæc enim tria vnum affectum amoris nominant, & ideò quodlibet ponitur pro alio. Hic ergo est modus.

Dilectio autem importatur per tria per [Dominum Deum tuum] Dominus nomen excessus est & potestatis, & nomen facultatis: & ideò, vt dicit *Dionysius*, non dicit tantùm inferiorum excessum, sed etiam omnium facultatum, pulchrorum, & bonorum perfectam possessionem, & robur tale potestatis, quòd nutare non valet. Ex primo habet, quòd dilectio ignobilia & infima excedens inferiori

inferioribus non commiscetur: ex secundo dilectionis causam & fundamentum: ex tertio dilectionis firmamentum. Altè igitur & rectè & perseueranter diligitur. Verba *Diony.* sunt hæc *in li. de Diui. no. c.* 12. Dominus est non inferiorum excessus tantùm, sed & omnis pulchrorum & bonorum perfecta & omnimoda possessio, vera, & non cadere valens fortitudo. In primo est honor, in secundo sufficientia, in tertio æternitas amoris. Primo repugnat vilitas ignobilis seruitutis, secundo dispendium paupertatis virtutis: tertio odiosum tædium (quod amari non potest) inamabilitatis. Ex primo mirabilis est altus Dominus: de secundo diues est in omnes, qui inuocant eum, Dominus: ex tertio tam amabilem se exhibet, vt consuescentibus eum dilectio dilectioni succedat: vt dicat: vulnerata charitate ego sum. Memoriam enim suauitatis suæ ita eructant, quòd nomen eius, & memoriale eius in desiderio est animæ. *Isaie* 26. Deus autem est theos græcè, quod à theoro græco verbo descendit, quod est videre: eo quòd omnia lucis suæ perlustret præscientiâ. Dicitur etiam à therbin, quod est ardere: à theaste, quod est circum circumire. Circumit verò omnia, quæ sua fruuntur prouidentia: & hæc sunt verba *Diony. & Damas.* Ex primo horum lux est intellectus in vero, ex secundo ignis ardens est affectus in bono, ex tertio virtus continentiæ in periculis tentationum. De primo dicit *Psalm.* 31. Intellectum tibi dabo, & instruam te in via &c. De secundo *Luca* 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur. De tertio *Ecclesiast.* 15. Continebit illum apud proximos suos. Per primum illuminat purgando tenebras. *Ioan.* 1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Per secundum exurit rubiginem peccati. *Hebræo.* 11. Deus noster ignis consumens est. Per tertium conseruat. *Sap.* 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis [tuum] per cultum nostrum factum. Ille enim magis diligibilis est animæ nostræ, quem per cultũ iam meruimus esse nobis propitium & propinquum. *Deut.* 4. Non est alia natio tã grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Sic igitur ponitur, dilectus. Meum enim, & tuum maximè facit charitas, quæ transponit cor vnius diligentium in alium. Vnde dicit *Diony.* quòd extasim est faciens diuinus amor, non sinens, quòd amantes suiipsorum sint, sed eorum, quos diligunt. 2. *Corinth.* 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Sic ergo diliges Dominum Deum tuum.

Ex toto corde tuo] Ecce dilectionis quantitas ex mensura diligentis. Secundum *August.* Ex toto corde diligere est diligere ex intellectu sine errore, vt sic totum cor tendat in verum nullo errore irretitum: ex tota autem anima diligere est ex voluntate, diligere sine contradictione, vt voluntas tendat in bonum, nulla mali contradictione renocata: ex tota autem mente diligere, est ex memoria diligere sine oblitione, vt memoria sic æternaliter notitiam Dei sibi impressam teneat, quòd nulla eam oblinio intercipiat. Secundum *Chrysost.* Ex toto corde diligere, est totam cordis delectationem in Deum transferre, & ex nulla parte in rebus mũdi contra Deum delectari: & hoc etiam carnaliter experiti: quia cælũ compositum est ex motore primo, & corporis prima parte. Ex tota anima diligere, est, vt totam animam referas ad Dei veritatem, nulla rerum vanitate & mendacio deceptus: quia anima non caro, sed spiritus est: & de his duobus *Psal.* 62. Adhæsit anima mea post te: quàm multipliciter tibi caro mea. Ex tota autem mente diligere, est omnes sensus in Dei experientiam extendere per rectam intentionem, in omnibus nihil præter Deum quærere. Secundum *Isid.* Et toto corde diligere, est ex tota cogitatione Deum quærere: ex tota anima, ex omni affectione desiderare: ex tota mente, ex omni ratione cunctis præponere.

Posset dici, quòd (quia probatum est in *libro de Principiis motuum animalium:* quòd omnes motus à corde incipiunt, & in ipsum reuertuntur) quòd ex toto corde diligere, est omnes motus forma suæ dilectionis informare: vt omnes fiant ex charitate, & ad charitatem referantur secundum omnia præcepta, 1. *Tim.* 1. Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et quia anima, vt probat *Ari.* principium est & causa vitæ & fons: ex tota anima diligere est totam vitã vinculo charitatis mancipare in omni virtute. *Rom.* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Spiritus enim principium est vitæ, qui diffundit charitatẽ de vase in vas: quia omnes virtutes & animæ vires implet charitate, sicut vidua oleum in vasa vacua oblata à filiis. 4. *Regum* 4. *Deut.* 10. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te: nisi vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua? Et quia mens dicitur à metiendo, eo quòd est mensura omnium certa & recta vsque in finem cuiuslibet: ex tota mente diligere, est ex tota & simplici intentione sibi soli quærere placere, & omnia infra metas huius ordinis comprehendere 1. *Cor.* 10. Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sic enim motus ad meritum, vita ad virtutem, & mens refertur ad intentionem: & hæc expositio fortè est magis propria. Motus à charitate accipit merendi efficaciam: virtus ab eadem accipit gratitudinis formam: Et ideò charitas matet virtutum appellatur: intentio à charitate accipit finem.

Secundum *Bern.* Ex toto corde diligere, est diligere dulciter sine amaritudine: diligere ex tota anima, est diligere sapienter sine deceptione: diligere ex tota mente, est diligere fortiter sine depressione. Vnde dicit: Dilige, Christiane, à Christo, quomodo diligas Christum. Dilige dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter, ne illectus: sapienter, ne deceptus: fortiter, ne depressus amaritatis à dilecto. Diligitur dulciter in remissione peccatorum, in memoria beneficiorum, & in prægustatione æternorum bonorum. De remissione peccatorum *Psalm.* 144. Suauis est Dominus in vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. *Luc.* 7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. De recordatione beneficiorum *Psal.* 144. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. *Isa.* 63. Miserationum Domini recordabor: laudem Domini super omnibus, quæ retribuit nobis. De prægustatione æternorum bonorum *Psalm.* 33. Gustate & videte &c. *Proverb. vlti.* Gustauit, & vidit, quia bona est negotiatio eius. Diligendus est sapienter,

insidias diaboli præuidendo, præuisas præcauendo, & occasiones peccandi fugiendo. De primo 2. *Corinthior.* 2. Vt non circumueniamur à Sathana. Non enim ignoramus cogitationes eius. De secundo *Prou.* 20. Rex, qui sedet in solio iudicis, dissipat omne malum intuitu suo. De tertio *Zacharie* 2. O o o! fugite de terra aquilonis. *Genes.* 19. Ne stes in omni circa regione. Diligendus est fortiter, timorem expellendo, vsque in finem perseuerando, & constanter pro Christo, moriendo. De primo. 1. *Io.* 4. Perfecta charitas foras mittit timorem. De secundo *Sap.* 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. De tertio *Canti. vlt.* Fortis est vt mors dilectio. *Joann.* 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

Posset autem adhuc dici, quòd ex toto corde diligere est intimè diligere: quia cor intimum est, & charitas intimus est affectus. *Canti.* 8. Dilectus meus clamat ad me: Pone me sicut signaculum super cor tuum. Signaculum, sicut dicit *Grego.* est sigillum profundatum in cordis intimum. Ex tota autem anima diligere est: quia anima est spiritus, & ex toto spiritu diligere, vt spiritus spiritui adhæreat in dilectione. *Isaie 26.* Anima mea desideranit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Ex tota autem mente: quia mentis est continere brutalitatem (quæ est in homine) intra limites sapientis & humanitatis. Diligere ergo ex tota mente, est intra mentis metas & humanitatis propter amorem Dei omnia animalia cohibere. *Ecclesiastici* 14. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Vnde *Arist.* vocat continentem eum, qui moratur in mente, & mentis metas non egreditur propter vim passionis. Dicit autem [diliges] non cognosces: quia notitia Dei omnibus naturaliter impressa est, & circa illam pauci deuiant: sed circa dilectionem multi: quia qui diligit iniquitatem vel mundum, inimicus Dei constituitur. *Psalm.* 73. Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Hoc est primum] ordine [& maximum] dignitate [mandatum] 1. *Cor.* 13. Maior horum est charitas. Maximum autem dimensione est, & vtilitate, & comprehensione. De dimensione. *Ephe.* 3. In charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Longitudo æternitatis: quia charitas nunquam excidit. 1. *Cor.* 13. Latitudo ordinis à se vsque ad infinitum per omnia diligenda. *Psalm.* 118. Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. Sublimitas protensione vsque ad Deum, qui ex toto corde diligitur. Profundum vsque ad intimum affectum, qui in intimis afficit, & astringit. Vtilitate: quia cætera nihil sunt sine charitate. 1. *Corinth.* 13. Si linguis hominum loquar & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero omnem fidem &c. Ambitu, siue comprehensione omnis lex in vno sermone impletur. Diliges &c. *Gal.* 5. *Romanor.* 13. Plenitudo legis est dilectio. Primum autem est prærogatiua ordinis & dignitatis. *Eph.* 3. Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.

Secundum autem simile est huic] Simile dicitur, non æquale. Dicitur, autem simile, quia de simili. Est etiam de proximo, qui est ad Dei similitudinem. *Genes.* 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Vel dicitur simile: quia est de eadem dilectione: vna enim & eadem dilectione diligitur Deus, & imago eius in proximo: & hoc continetur *Leuit.* 19. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et ex modo consignificandi notatur perseuerantia: quia vult in futurum extendi dilectionem. Sicut etiam dicit Dominus *Ioann.* 14. Ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. *Osee* 14. Diligam eos spontaneè: quia auersus est furor meus ab eis. Importatur etiam id, quod diligendum est, cùm dicit [proximum tuum] Sicut enim *Suprà* docuimus: formatus ex eadem nobiscum virtute Patris est proximus: & hic est omnis homo ad imaginem Dei factus. *Luca* 10. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Hoc etiam modo Christus homo præcipuè proximus est, per quem adoptati sumus in filios. *Luc.* 10. Quis tibi videtur proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? Est igitur proximus ex Patre Deo, & proximus gradu naturæ, & proximus beneficio. Et in his est ordo naturæ & charitatis. *Canti.* 2. Ordinauit in me charitatem. 1. *Cor.* 14. Omnia secundum ordinem fiant in vobis. Importatur etiam modus dilectionis, cùm dicitur [sicut teipsum] In meipso diligo bonum, quod est Dei similitudo: & ad bonum, quod est via, & hoc est iustitia: & ad bonum, quod est finis, & hoc est fruitio summi boni: & sic diligam proximum. Quia si aliter diligo me, non diligo verè: quia qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Dilectionis enim fundamentum, vt dicit *Tullius*: est honestum, & prima lex amicitiæ, vt pro amicis non nisi honesta faciamus. Ista est forma dilectionis diuinæ. *Psalm.* 44. Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum. *Deut.* 33. Dilexit populos, omnes Sancti in manu illius sunt. Ex quo enim Sanctos in manu sua dicit esse, formam dat, quòd sanctitas in populis sit diligenda. *Ioan.* 15. Etiam dicit amicos non seruos: quia omnia, quæcunque audiuit à Patre, nota fecit eis.

In his duobus mandatis] Ratio est ostensionis, quare sunt maxima mandata: quia [tota lex] quoad præcepta omnia [& prophetæ] quoad monita Prophetarum [pendet in eis] sicut ex mouente, & forma, & fine. Et alia mandata non habent nisi materiam, circa quam exercenda sunt opera. *Ioan.* 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. 1. *Cor.* 13. Charitas patiens est, benigna est &c. Vnde *Grego.* dicit, quòd præcepta Dei multa sunt, & vnum. Multa per ramos operis: vnum in radice charitatis.

Congregatis autem Pharisæis interrogauit eos IESVS dicens.

Ponitur hic aliud opus sapientiæ, quod est sapienter interrogare, & habet duas partes, scilicet, confutationem hostium, & fugam ipsorum: quia ampliùs nec respondere, nec interrogare ausi sunt. Circa primum tria dicuntur, quorum primum est commendatio quærentis per

per virtutem eius, cui fit quæstio: Secundum est subtilitas formatæ quæstionis: tertium autem elisio insufficientis responsionis: Et hæc patent in litera. De primo dicit [Congregatis autem Pharisæis] Non enim vtitur versutiis, vt ab vno aliquo quærat (Sicut illi per vnum interrogant) sed totam vitam eorum (quæ in omnibus erat) in vnum congregatam quærendo foliciter. *Isa.* 40. Omnes gentes quasi non sint: sic sunt coram eo. *Isa.* 8. Congregamini, & non in vnum [Interrogauit eos IESVS dicens] *Suprà* 21. Simile. Interrogabo vos & ego vnum sermonem &c.

Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illo die eum ampliùs interrogare.

Quæstionis est subtilitas: & dicit tria: vt. s. ad conscientiam respondeant, non per ambages fugam quærant, cùm dicit [Quid vobis videtur] qui scientiam profitemini & religionem. Et de quo quærit, cùm dicit [de Christo] quem expectatis in lege promissum. Et tertiò proponit quæstionem [cuius filius est] per naturam. Causa autem huius interrogationis est, quia Christum dicebant venturum, & præsentem Filium Dei esse confiteri nolebant. *Ioan.* 10. Nos de bono opere non lapidamus te: sed quia tu homo cum sis, facis temetipsum Deum [Dicunt ei] omnes vnanimiter respondentes [Dauid] eo, quòd illi dictũ fuerat: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et *Iere.* 23. Suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit Rex & sapiens erit &c. Et est responsio insufficiens: quia non est nisi secundum humanam naturam: & ideò statim infertur obiectio per auctoritatem eiusdem Dauid, elidens eam: & hoc est, quod sequitur [Ait illis IESVS] Econtra obiiciens [Quomodo ergo Dauid in spiritu] Si enim alium Prophetam induceret, non esset ita commendabile: quia ille, cui promissio facta est, meliùs cognouit modum promissionis: & dicit, quòd [in spiritu] ne putetur humana esse deceptio. *Roma.* 9. Non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto. 2. *Pet.* 1. Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines [vocat eum Dominum] quod notat superpositionem, cùm nullus pater in eo, quod filius ab ipso habet, filio supponatur: sed potiùs superponatur. Et inducit auctoritatem confirmantem, de qua non dubitabant, quin in Spiritu esset dicta [Dixit Dominus] Pater [Domino meo] filio. Vnde ipse dicit *Psal.* 115. O Domine, quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ [sede] consessu honoris [a dextris meis] in sede æqualitatis secundum diuinam naturam, & secundum humanam in potioribus bonis. *Col.* 3. vbi Christus est in dextera Dei sedens. *Heb.* 1. Cui Angelorum dixit aliquando: sede à dextris meis. Per istam partem auctoritatis sufficienter probatum est propositum, & elisa insufficiens responsio. Et quod sequitur, inducitur ad perentiendum eos, qui ex odio tentabant [donec ponam inimicos tu.] reluctantes tibi victos & conculcatos [scabellum pedum tuorum] *Isa.* 6; Calcaui eos in ira mea. *Ind.* 5. Conculca anima mea robustos. Et hoc etiam promittitur Sanctis. *Malach.* 4. Calcabitis impios, cùm fuerint velut cinis sub planta pedum vestrorum. 1. *Corinth.* 15. Oportet autem illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus suis. Et donec, est inclusiuum: quia etiam illis conculcatis regnabit. Conculcantur autem victi per Titum, vel spontanei in fine mundi conuersi. *Hebreo.* 10. Sedet ad dexteram Patris, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius [Si ergo Dauid vocat eum Dominum] Reperit primum, per quod elisa est responsio [quomodo filius eius est] cùm nullus filius superponatur patri secundum naturam; quam habet ab ipso: hoc enim contra ordinem esset naturæ [Et nemo poterat ei respondere verbum] *Isaie* 41. Vidi, & non erat ex eis quisquam, qui iniret consilium, & interrogatus responderet [nec ausus fuit ex illa die] Videntes, quòd intentiones eorum sciret [quisquam eum ampliùs interrogare] *Iob* 9. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere vnum pro mille. Et hoc est, quod dicitur in Iseta.

CAP. XXIII.

Tunc locutus est IESVS *ad turbas, & ad Discipulos suos dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite.*

HÆc est pars, in qua specialiter causam describit, quare sunt abiiciendi, & condemnandi: Diuiditur autem in duas partes, in quarum prima circumstantias aggrauantes peccata eorum describit: in secunda autem interminationes maledictionum ponit, cum speciali peccatorum determinatione *Ibi* [Væ autem vobis] In prima harum partium tria continentur peccata aggrauantia, scilicet, sublimitas potestatis, doctrina veritatis, & simulatio sanctitatis. Sublimitatem potestatis ambiuit Lucifer, scientiam veritatis concupiuit Adam, simulationem sanctitatis prætendet Antichristus. Istorum autem iniquitas ex omnibus capitibus malorum congeritur, & aggregatur. Præmittit autem Euangelista, quòd illis tanquam indignis abeuntibus [docuit turbas] adhuc deuotas [& Discipulos] futuros rectores Ecclesiarum. Simile *Suprà* 5. & *Luca.* 6. quòd videns IESVS turbas ascendit in montem, & posteà eleuatis oculis in Discipulos dixit: Beati pauperes spiritu &c.

Super cathedram Moysi] Qui sicut dicit *Psalm.* 1. In cathedra pestilentiæ non sedit, vt peruersa doceret. Dicitur enim cathedra ædes cathechizandi, siue docendi. Et seder in cathedra pestilentiæ, qui ad iniquitatem concessa sibi abutitur potestate. Et hoc modo Christus exhibitor gratiæ, quem præfigurauit Moyses, non sedit in cathedra.

Superius etiam. 21. euertit cathedras vendentium columbas simoniacorum,& non sedit in eis : nec quæsiuit cathedram ambitionis, quæ quæritur potestate seculari. *Ecclesiast.* 7. Noli quærere ab homine Ducatum, nec à Rege cathedram honoris. Sed in auctoritate publicæ doctrinæ sedit Christus, loquens Discipulis & turbis. *Iob* 29. In plateis parabant cathedram mihi. *Psalm.* 106. Exaltent eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.In hac igitur cathedra primùm [sederunt] Dei permissione, non ordinatione [Scribæ] per sublimitatem scientiæ [& Pharisæi] per falsæ religionis professionem : & quantò altior gradus, tantò casus profundior : quia *Eccl.* 10. Sedes Ducum superborum euertit Dominus Et *Luce* 2. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Recognoscitur ergo etiam in malis auctoritas potestatis,quæ tamen facit ad cumulum damnationis eorum [Omnia ergo quæcunque dixerint vobis] de cathedra Moysi procedentia. *Apocal.* 4. De throno procedebant fulgura, & voces & tonitrua:Fulgura signorum, voces docentium, & tonitrua iudiciorum [seruate] per memoriam [& facite] per opus. *Deut.* 17. Facies quæcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus. Dicit autem [omnia quæcunque] & non quomodocunque, quia legem dicunt, & hæc retinenda est : sed carnaliter intelligendam dicunt, & hoc modo tenenda non est. Sic ergo ostensa est veritas doctrinæ. De simulatione autem sanctitatis dicit.

Secundum opera verò eorum nolite facere : Dicunt enim, & non faciunt:alligant enim onera grauia & importabilia,& imponunt in humeros hominum ; digito autem suo nolunt ea mouere.

Et habet duas partes, scilicet ostensionem simulationis, & interdictionem imitationis in speciali. *Ibi* [Vos autem nolite vocare Rabbi] Circa primum quinque dicuntur, quorum primum est generalis prohibitio imitationis : secundum est causa prohibitionis in genere : tertium est ostensio austeritatis eorum inducta ad subditos: quartum duritia contra passionem infirmorum : quintum ostensio simulationis exterioris vanitatis, cum interiori malitia iniquitatis : & hæc per ordinem sunt in litera. De primo dicit [Secundum opera verò eorum nolite facere] *Romano* 1. Qui prædicas non furandum, furaris : doces non mœchandum, mœcharis. Ideò dicit *Apostolus Gal.* 4. Bonum æmulamini in bono semper. Doctrina in malo homine accipienda est, & vita spernenda, sicut aurum de terra tollitur, & terra relinquitur, & sicut mella de herbâ colliguntur, & vilis herba in proximo peritura per ariditatem relinquitur. Et subiungit causam dicens [Dicunt enim] bona [& non faciunt] Contra quod dicit *Apostolus Romano.* 15. Non enim audeo loqui aliquid eorum, quæ per me non efficit Christus. *Psalm.* 11. Dixerunt: linguam nostram magnificabimus : labia nostra à nobis sunt : quis noster Dominus est? *Suprà* 5. Qui solnerit vnum de mandatis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. [Alligant enim] Ecce austeritas:alligare enim,est pœnitentias,& statuta congerere[grauia] in se [& importabilia] viribus & facultatibus subditorum [& imponunt] per iniunctionem & obligationem[in humeros hominum]de humo factorum, & ideò fragilium : Et ideò necesse est, aut frangi humerum, & cadere sub onere, aut abiicere onus per contemptum : & hoc faciunt, quando mandatis Dei carnaliter obseruatis suas grauissimas immiscent traditiones. *Suprà* 15. Irritum fecistis mandatum Dei propter vestras traditiones. 3. *Regum* 12. & 2. *Paral.* 10. Pater meus imposuit vobis iugum graue, quod ego grauius faciam. Pater meus cæcidit vos flagellis, & ego cædam vos scorpionibus. Horum imitatores esse videntur, qui religiosis regulam canonicam & approbatam super Euangelium professis, tota die nouas constitutiones ingeminant, & præcepta grauia plusquam ferre possit humana fragilitas. *Act.* 15. Quid tentatis Deum imponere onus super ceruices Discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus [digito autem suo nolunt ea mouere] Ecce incompassio, quòd super afflictos dura gestabant viscera. Et motus digiti minimi significat adiutorium,vel comportationem. Contra quod dicit *Apostolus Gal.* 6. Alter alterius onera portate : & sic adimplebitis legem Christi. Sed isti econtra in se sunt concupiscentiis resoluti, & circa alios austeri. *Amos* 6. Optimo vnguento deliluti nihil compatiebantur super contritione Ioseph.

Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus : Dilatant enim phylacteria sua & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

Hic fit ostensio exterioris simulationis cum interiori malitia iniquitatis : duos ergo paragraphos habet hæc particula, in quorum primo exterioris simulationis ostendit vanitatem : in secundo interioris malitiæ ostendit iniquitatem. In primo dicit duo : primò enim tangit generaliter corruptam eorum in simulando vanitatem : & in secundo probat hoc per certum signum.

Dicit igitur [Omnia opera sua] quia cogitationes non patent [faciunt] non ex charitate vel obedientia. Sed [vt videantur ab hominibus] & hoc vanum est. *Gal.* 1. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. *Psalm.* 52. Confusi sunt, qui hominibus placent : quoniam Deus spreuit eos. *Suprà* 5. Amen dico vobis : receperunt mercedem suam. *Psalm.* 48. Vocauerunt nomina sua in terris suis [Dilatant enim] Probatio est à signo euidentissimo [phylacteria] dicuntur à phylaxe,quod est seruare : & thorax,quod est lex quasi signum seruandæ legis. Dixerat enim Moyses *Num.* 15. & *Deut.* 6. Ligabis ea quasi signum in manu tua : eruntque immota ante oculos tuos. Volens vt in opere manuum & frequenti conspectione oculorum cordis, per meditationem lex conseruaretur in mandatis. Pharisæi autem scribebant in membranulis, & alligabant illas frontì & manibus, vt per hoc iusti apparerent. Et illæ membranulæ phylacteria, vasa euange

liorum paruorum vocantur. Dicuntur etiam phylacteria,vasa reliquiarum : quæ quidam deuotionis causa tanquam sacrorum amatores circumferunt etiam apud Christianos, vt ex hoc deuori appareant. Et dicitur à phylaxe, quod est seruare : & thorax, quod est extremitas. Hæc igitur dilatabant, vt longè circunspicerentur. *Prouer.* 20. Ei, qui dilatat labia, ne commiscearis [magnificant fimbrias] Dixerat etiam Moyses, quòd in quatuor summitatibus palliorum [quæ ad modum scapulariorum incisa erant] fimbrias facerent,per quas à cæteris gentibus discernerentur : & illis fimbriis immitebant acutissimas spinas, quibus puncti recordarentur legis. Et tales spinas immiscere fimbriis, magnificare est fimbrias. *Psalm.* 130. Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.

Amant enim] Hic interiorem ostendit iniquitatem. Est autem ambitio coniuncta gulæ, & ambitio coniuncta superbiæ, & ambitio coniuncta fauori populari, & ambitio coniuncta landi. Ambitio coniuncta gulæ, quòd amant [primos recubitus] quod est ambitionis [in cœnis] hoc est, quòd gulæ est coniuncta : quia in tali loco meliores dapes dabantur, & meliora vina propinabantur. *Prol.* 3. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, & nunc flens dico, inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est, & gloria in confusionem eorum, qui terrena sapiunt. *Lu* 14. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens qualiter primos recubitus eligerent. Cùm vocatus fueris recumbe in nouissimo loco [& primas] hoc est, præcipuas [cathedras in Synagogis] quæ ponuntur Pontificibus : & est ambitio cum superbia,quæ est immoderatus amor dignitatum. *Isa.* 14. Super astra Dei exaltabo solium meum, & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo [& salutationes in foro] Ambitio est cum cupidine humani fauoris. Contra quod dicitur *Suprà* 10. Neminem per viam salutaueritis 4. *Reg.* 4. Si occurrerit tibi quisquam, non salutes eum [vocari ab hominibus Rabbi] Ambitio est cum appetitu vanæ laudis. Ambitio est voluntas ambiens aliquod vanum, quod magnum coram hominibus videatur. Et dicit [vocari] Non enim laborem, & vtilitatem nominis exercent; sed vanum nomen appetunt. *Iaco.* 3. Nolite plures magistri fieri, fratres mei,scientes quia maius iudicium sumitis. *Rom.* 2. Confidis teipsum esse magistrum infantium, eruditorem insipientium.

Vos autem nolite vocari Rabbi : Vnus est enim magister vester.

Dissuasio est,ne imitentur eos Discipuli in hoc: & dicit tria ; primò enim interdicit appetitum primatus, secundò dat, & inducit formam humilitatis, tertiò vtriusque subiungit causam. Est autem primatus triplex : vnus quidem magisterij, dignitatis, potestatis : vnus autem formationis in bono virtutis : & vnus secundum instructionem veritatis. Dicimus enim Prælatos Ecclesiæ magistros disciplinæ in potestate iudiciaria : & magistros scholæ dicimus magistros imbuendo ad scientiam : & formantes nos in gratia sacramentali dicimus patres : & in his tribus interdicit appetitum principatus, & suadet actum humilitatis & vtilitatis. Dicit igitur [Vos autem] quorum iustitia debet abundare super iustitiam Pharisæorum & Scribarum [nolite vocari Rabbi] Non interdicit esse, sed ne vacuum nomen appetamus. 1. *Pet.* 5. Non vt dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo. *Suprà* 21. Non sic erit inter vos &c. [Vnus est enim] formaliter, hoc est, vnicus : quia in his, quæ sunt superioritatis,solus Christus magister est & Dominus. *Ioan.* 13. Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis : sum etenim. Omnes enim sumus Discipuli Dei. Nec est prælationis ministerium super nos nisi vicariorum Dei, propter quod illi sunt ministri, non magistri, & dispensatores, non Domini. 1. *Cor.* 12. Diuisiones autem ministeriorum sunt : idem autem Dominus. Hic interdicit magisterium Prælationis, sed non actum 1. *Cor.* 14. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei.

Omnes autem vos fratres estis : & patrem nolite vocare vobis super terram : vnus est enim Pater vester, qui in cælis est. Nec vocemini magistri : quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrum, erit minister vester : qui autem se exaltauerit, humiliabitur : & qui se humiliat, exaltabitur.

Interdicit hic primatum formationis in gratia: & dicit duo ; æqualitatem videlicet, & primatus prohibitionem. De æqualitate dicit [Omnes autem vos fratres estis] in gratia & esse spirituali formati ex vno Patre. *Hebr.* 3. Fratres sancti vocationis cælestis participes. *Hebr.* 2. Non confunditur Christus fratres vocare eos dicens : Annuntiabo nomen tuum fratribus meis : & parum ante reddit rationem. Nam qui sanctificat, & qui sanctificatur : ex vno omnes. Vnde subdit [&] ideò [patrem] vos in gratiæ esse formantem, cùm formatio gratiæ non nisi à Deo sit, & non à Prælatis [nolite vocare] vobis super terram:quia hæc gratia de Patre cælesti est. *Suprà* 6. Pater noster, qui es in cælis. Et subiungit rationem [vnus est enim Pater vester] formans in esse gratiæ [qui in cælis est] *Epb.* 3. Flecto genua mea ad Deum Patrem, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur. *Malach.* 2. Nunquid non vnus pater est omnium nostrum? secundum affectum tamen aliqui patres dicuntur à Religiosis, sed non formatores in esse gratiæ. *Hebr.* 12. Patres nostræ carnis habuimus eruditores, & reuerebamur eos : nonne magis obedientes Patri spirituum, & viuemus? [nec vocemini magistri] prima illuminationis auctoritate [quia magister vester vnus] hoc est, vnicus [est Christus] qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui est lux vera. Sicut enim quia color mouet secundum actum lucidi, omnis colorum illuminatio refertur ad lucem ; & omnis lux ad solem : eo quòd omne, quòd est in multis, est primo in vno aliquo quod est causa omnium illorum : ita omnis illuminatio intellectus licet sit in multis, tamen est in vno primo, quod causa est omnium illuminationum : & hoc est lumen intellectus diuini,quod est verbum Patris,lumen de lumine Dominus Iesus Christus,

qui de se dicit *Ioan.* 12. Ego sum lux mundi. Sunt tamen sub ipso Doctores multi, ab ipso illuminati. *Matth.* 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare [Qui maior est vestrum] formam & actum humilitatis indicit, vt qui maior est, patris vice & magistri [erit sicut minister vester] *Suprà* 21. Sicut & Christus non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. *Phil.* 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens [Qui autem se exaltauerit, humiliabitur] Ratio est præinductorum ex iustitiæ ordine. *Lu.* 14. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur [& qui se humiliat, exaltabitur] *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. *Prou* 29. Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria. Humiliari debemus corde, ore & opere: corde in sensu, ore in verbis, & oratione, opere in humilitatis obsequio. De humilitate cordis *Sup.* 11. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. *Iudith.* 8. Humiliemus illi animas nostras: & in spiritu constituti humiliato seruientes illi, dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum. De humilitate oris *Ecclesiast.* 35. Oratio humiliantis se penetrat nubes. *Iudith* 9. Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. De humilitate operis *Phil.* 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ. De tribus simul *Ephe.* 4. Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, in omni humilitate. Humilitatem autem tria custodiunt, consideratio videlicet propriæ fragilitatis, assiduitas subiectionis, & comparatio melioris. Primam non curauit Adam, secundam contempsit Lucifer, tertiam non curabit Antichristus. Et ideò Adam voluit esse sicut Dij, & Lucifer Prælatus sedere, & Antichristus extolletur super omne, quod vocatur Deus, aut quod colitur.

Væ autem vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis iudicium.

Antiqui libri non habent istud vs.

Hic per ordinem ponuntur septem væ, quæ sunt septem maledictionis interminationes propter septem corruptiones, quæ erant in eis. Et duæ primæ quidem sunt contra veritatem doctrinæ: duæ autem secundæ contra veritatem iustitiæ: & tres tertiæ sunt contra veritatem vitæ: omnes autem sunt contra proximum: & ideò octaua, quæ secundò ponitur in quibusdam libris [Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis &c.] non est de veritate literæ, sed de *Marc.* 12. & *Lu.* 20. interposita est ista maledictio. Primæ duæ maledictiones, quæ sunt contra veritatem doctrinæ differunt: quia prima est de occultatione veri in doctrina, & secunda est de introductione falsi erronei, sicut expressè patet in litera. In prima maledictione duo sunt, maledictio, videlicet, impietatis, & impietatis nocumentum. De primo dicit [Væ autem vobis] æternæ maledictionis [Scribæ] propter scientiæ sublimitatem: quia intellectus bonus omnibus facientibus eum. De non facientibus autem, & scientibus dicitur *Lu.* 12. Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis [& Pharisæi] propter religionis professionem: quia dicitur *Prouer.* 6. Homo apostata vir inutilis. Quantò enim altioris sanctitatis est gradus, tantò profundior est casus. His ergo præ aliis [væ] *Eccl.* 41. Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Altissimi. *Isa.* 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum [hypocritæ] aliud simulantes, & aliud existentes. *Iob* 13. Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita. *August.* Defectionem veritatis sequitur mendax hypocrisis. Est autem triplex peruersitas hypocrisis huius, claudendo viam veritatis, non intrando per fidem, & alios prohibendo per veritatis occultationem. De primo dicit [qui clauditis regnum cælorum] *Lu.* 11. dicitur. Qui tulistis clauem scientiæ per auctoritatem discernendi inter lepram & lepram. Regnum enim cælorum etiam clauditur, quando via, quæ ducit ad regnum, occultatur: & hoc faciebant tollendo & occultando mysteria scripturarum, quæ ducunt ad Christum. Finis enim legis est Christus ad iustitiam omni credenti. *Rom.* 10. [ante homines] idiotas, in quorum persona dicitur in *Psalm.* 117. Aperite mihi portas iustitiæ: ingressus in eas confitebor Domino. De talibus enim dicitur *Isa* 21. Dabo clauem domus Dauid super humerum eius: claudet, & non erit, qui aperiat: aperiet, & non erit, qui claudat [Vos enim non intratis] per fidem, vt veniatis ad Christum, per quem accessum habemus ad Patrem *Rom.* 5. *Ioan.* 9. Nunquid aliquis ex Principibus credit in eum, sed neque ex Pharisæis. *Ioan.* 5. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non vultis? Tumor enim mentis in eis impediuit introitum salutis. *Suprà* 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum [nec introeuntes] hoc est, intrare volentes [finitis intrare] quia turbam paratam credere retrahitis. *Lu.* 11. Et eos, qui introibant, prohibuistis. *Prouer.* 3. Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefacere. Non sunt similes ei, qui dicit *Lu.* 14. Compelle intrare, vt impleatur domus mea.

Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselitum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos.

Verbum est contra veritatem doctrinæ: & est per immissionem erroris, vt ex multiplicatione falsæ superstitionis maior sit fastus ambitionis: & tanguntur tria, interminatio videlicet maledictionis, studium suæ ambitionis in dilatatione erroris, & æmulatio reatus in discipulis erroris. De primo dicit [Væ vobis] &c. *Isa.* 5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum [qui circuitis] *Psalm.* 11. In circuitu impij ambulant. *Iob* 1. Circuit

Circuitui terram. Veritas enim recta est: error autem perfidiæ vadit per ambages [mare] in insulis [& aridam] in aliis terris, vt erroris vestri multi fiant discipuli: & sic Ecclesiam de gentibus credituram, vestro addatis fastui. *Suprà* 21. Occidamus eum, & nostra erit hæreditas [vt faciatis vnum] formaliter, hoc est, qui in errore conueniat vobiscum [proselitum] aduenam de gentibus ad vos conuersum. *Ierem.* 17. Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio [cùm fuerit factus] per peruersitatem erroris [facitis eum filium gehennæ] hoc est, natum ad gehennam: filius enim gehennæ vocatur, quo modo filius perditionis. 2. *Thes.* 2. Et filij huius seculi. *Luc.* 16. & *Ioan.* 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria illius vultis perficere [duplo quàm vos] quia imbuti errore vestro, duplum ferunt veræ fidei nocumentum: quia vos tantùm in circuncisione: illi autem & in circuncisione & in præputio excitant in fideles persecutionem. *Isa.* 59. Qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod cõfotum est, erumpet in regulum. Vel [duplo quàm vos] quia vos in mortuis sperates ceremonialibus: Isti autem & in his sperant, & iustitiam naturalem negligunt. Vel [duplo] quia scientiam additis, quæ est aggrauans. 2. *Pe.* 3. Melius erat illis viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod traditum est eis à sancto mandato. Prima expositio est melior.

Væ vobis duces cæci, qui dicitis: quicunque iurauerit per templum, nihil est: qui autem iurauerit in auro templi, debitor est. Stulti & cæci, quid enim maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil est: quicunque autem iurauerit in dono, quod est super illud, debet. Cæci quid enim maius est, donum an altare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt: Et quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo, qui habitat in ipso: & qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.

Hic ponit duo væ contra veritatem iustitiæ mandatorum. Primum est contra rectitudinem iuramenti, quod est finis controuersiæ ad confirmationem inter homines: secundum est de comparatione mandatorum, in qua præfertur minus maiori: & hoc etiam fit in iuramento, sicut patebit. Non enim audebant apertè docere contra mandata: quia sic non fuissent hypocritæ. Sed contra ordinem mandatorum docebant, propter quæstum minora maioribus dicentes esse præferenda. In primo autem, quod est contra ordinem iuramentorum, tangit duo, falsitatis obiurgationem, & veritatis doctrinam. Falsitatis autem obiurgationem tangit dupliciter penes duo iuramenta, in auro templi, & in dono altaris. Veritatem autem tangit dupliciter: primò enim maledicit errorem, & secundò conuincit per rationem. Dicit igitur [Væ vobis] *Isa.* 10. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei [duces cæci] *Rom.* 2. Confidis teipsum ducem esse cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt. Docentes enim alios duxerunt in cæcitatem iustitiæ. *Isa.* 56. Speculatores eius cæci omnes. *Matth.* 15. Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent [qui dicitis: quicunque iurauerit per templum nihil est] Traditio enim vim legis habens, fuit data a Pharisæis, quòd in contentionibus non iuraretur per templum. Et si quis iuraret per templum, quòd non valeret, nec teneret iuramentum. Si autem iuraret per aurum, quod offerebatur in templo, quòd hoc iuramentum teneret. Et si conuinceretur de periurio, solueret tantum auri, quantum fuit, per quod iurauit: & hoc aurum soluebatur Sacerdotibus & Pharisæis. Et hoc est, quòd dicit. Contra hoc autem est, quod dicitur *Gen.* 28. Quàm terribilis est locus iste: non est hic aliud, quàm domus Dei, & porta cæli. Et *Ibidem.* Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam [Qui autem iurauerit in auro templi] quod in auro fertur ad ornandum templum [debet] hoc est, obligatur. Vel [debet] hoc soluere, per quod iurat. Voluerunt fortè implere, quod dixit Dauid; Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. *Aggei* 2. Meum est aurum, & meum est argentum: magna erit gloria domus huius nouissimæ plusquàm primæ [Stulti] per superbiam stantes in alto [& cæci] per errorem [Quid enim maius est aurum] sanctificatum [vel templum] sanctificans [quod sanctificat aurum] Regula enim est per se nota, quam scribit *Apost.* *Hebr.* 7. Absque vlla contradictione quod minus est, à meliore benedicitur: & ideò stulti sunt & cæci, qui contra hoc aliquid dicunt. *Deut.* 32. Generatio prauа atque peruersa: Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens? *Isa.* 42. Quis cæcus, nisi qui venundatus est, vt faciat mihi? Et ibidem: Qui cæcus nisi seruus meus.

[Et quicunque iurauerit in altari, nihil est] hoc est, non tenetur periurij obnoxius. Et nota, quòd templum locus fuit propitiationis hominum, sicut patet. 3. *Reg.* 8. per totum. Altare autem locus fuit sanctificationis eorum, quæ sunt propter hominem homini concessa [Qui autem iurauerit in dono, quod est super illud: debet] hoc est, tenetur soluere: pater litera per antedicta. *Isa.* 60. Offerentur super placabili altari meo: & domum maiestatis meæ glorificabo [Cæci] 1. *Reg.* 11. In hoc feriam vobiscum pactum, vt eruam omnium vestrum oculos dextros [Quid enim maius est] in sanctitate [donum] oblationis [an altare quod sanctificat donum?] Expone sicut priùs. *Hieron.* dicit, quòd huic simile, quid nunc maius esse iuramentum? per Euangelium, quàm per Deum: & magis tenent periurium in Euangelio, quàm in Deo iurantes.

[Qui ergo iurat] Traditio est veritatis: & dicit tria. Addit enim cælum duobus præinductis: quia templum typus est cæli, sicut dicit *Damas.* Dicit igitur [Qui ergo iurat in altari] cuius sanctitas causat sanctitatem doni [iurat in altari] quidem

quidem [& in omnibus, quæ sunt super illud] quia non habent sanctitatem nisi altaris. Licet enim multa sint, tamen vna est forma sanctitatis, per quam iuratur. Differunt tantùm per causam & causatum: & ideò maior est in altari [Et qui iurauerit in templo, iurat] quidem [in illo] non absolutè, sed iurat [in eo, qui habitat in eo] hoc est, in Deo, ad quem referunt iuramenta: quia ipse est, qui sanctificat templum. *Psalm.* 10. Dominus in templo sancto suo. *Psalm.* 45. Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus [Et qui iurat in cælo] Hoc addit: quia templum est typus cæli [iurat in throno Dei] Nec ibi sistit: quia veritas diuina confirmat iuramentum: Et ideò subdit [& in eo, qui sedet super eum] *Suprà* 5. Neque per cælum iurauerit is: quia thronus Dei est. *Psalm.* 44. Thronus tuus Deus, in seculum seculi, virga directionis virga regni tui.

Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ; quia decimatis mentam & anethum & cyminum: & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Secundum væ de erronea mandatorum comparatione, quæ causata est ex auaritia: & dicit tria, maledictionis interminationem, veritatis eruditionem, & cæcitatis obiurgationem. Circa primum dicit duo, curam videlicet, quam habent de minimis ad quæstum pertinentibus, & incuriam de maximis ad cultum Dei ordinatis. Dicit ergo [væ vobis] *Isa.* 29. Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera [Scribæ & Pharisæi & hypocritæ] *Iob* 8. Nunquid virere potest scirpus, absque humore? aut crescere carectum sine aqua? Scirpus extra viret & intùs vacuus est, & similiter carectum: & ideò quærit refrigerium insipidum vanæ laudis, & lucri temporalis.

Qui decimatis] Ecce peruersitas hypocrisis. Et exponit *Chrysost.* [decimatis] hoc est, decimas datis de minimis, vt à Sacerdotibus iusti prædicemini. *Luc.* 18. Non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti, adulteri: velut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium, quæ possideo. *Hierony.* exponit [decimatis] hoc est, decimas exigitis. Et prior expositio magis est secundum literam [mentam] Menta est minimum in oleribus [& anethum & cyminum] quæ sunt minima in granis, siue seminibus. Hoc enim olusculo, & seminibus, pauperes vtuntur potiùs in condimentum, quàm in cibum: & tales à morali Philosopho chimbiles, hoc est, granorum cymini computatores vocantur: & dicuntur græcè microkindini, hoc est, in in paruissimis magnam vim facientes. *Bern.* Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, & nullam penitùs, vel paruam de maximis curam gerunt. Cadit asina, & habet subleuantem: perit anima, & non est, qui recogitet in corde suo. *Lu* 14. Cuius vestrum bos aut asinus cadit in fouea, & non extrahit eum continuè die Sabbati, & soluit bouem, & ducit eum aquare? Hanc autem filiam Abrahæ non oportuit solui à vinculo isto die [& relinquitis quæ grauiora] in ponderè meriti, & reatu omissionis [sunt legis] Hoc etiam expressè faciunt Prælati & Sacerdotes nostri temporis. *Ierem.* 6. A minore vsque ad maximum omnes auaritiæ student. *Abac.* 2. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ: vt sit in excelso nidus eius. *Isa.* 56. Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque post auaritiam suam. Et enumerat tria, quæ maximè ordinant cõmunitates hominum. Proximus enim aut ordinatur secundum æquum: & sic est [iudicium] Aut secundum defectus supplementum: & tunc est [misericordia] Aut secundum veritatem: & tunc est [fides] quæ est inter homines sine deceptione mendacij. Fides enim componitur à fieri & dicta: & quando dicta complentur, fides seruatur. De iudicio dicitur *Isa.* 59. Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit: quia corruit in plateis veritas, & æquitas non potuit ingredi. De iudicio similiter & fide *Ierem.* 5. Quærite in plateis Ierusalem, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem. De misericordia *Prouer.* 3. Misericordia & veritas non te deserant. *Ierem.* 50. Crudeles sunt & immisericordes. De fide *Ierem.* 7. Periit fides, ablata est de ore eorum. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.

Hæc oportuit facere] Confitetur hic, & docet veram mandatorum comparationem, dicens [Hæc] iudicium & misericordiam & fidem [oportuit] præcepti necessitate & coactione legis [facere] *Michea* 6. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid requirat Deus à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum te ambulare cum Deo tuo [& illa] hoc est, solutiones decimarum [non omittere] necessitate sustentationis ministrorum. *Malach.* 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum, vt sit cibus in domo mea [Duces cæci] Ecce obiurgatio, *Suprà* 15. Cæci sunt & duces cæcorum [Excolantes culicem] Culex paruarum muscarum est genus quoddam ab aculeo, quem ore gestat, sic vocatum: & nascitur exhalatione humorum: & est metaphora, quòd sicut in potu facilè glutitur, ita facilè transiuerunt magnas vitiorum deformitates, quæ per camelum deforme & gibbosum animal & magnum designantur, vt vbi tangebat aliquod eorum damnum, ibi etiam in paruis multùm mordebant & colabant. *Suprà* 15. Quare transgredimini mandatum Dei propter traditiones vestras. Maiorem enim vim fecerunt in non lotis manibus manducare, quàm in fornicatione.

Væ vobis, Scribæ & Pharisæi hypocritæ quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intùs autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda priùs quod intùs est calicis & parapsidis, vt fiat & id, quod de foris est, mundum.

Tangit hic ea, quæ sunt contra vitæ veritatem, secundum quòd veritas vanitati opponitur: & hoc

hoc est in tribus, scilicet, in vanitate obseruantiarum, & in vanitate exterioris compositionis, & in iactantia sermonis & sanctitatis: & quoad hæc tria per ordinem sunt tria væ. De primo dicit duo, maledictionem, videlicet, & obiurgationem. De maledictione dicit [Væ vobis Scribæ & Pharisæi] Attende, quòd præcedentia væ magis fuerunt contra doctrinam, quæ est Scribarum: subsequentia autem magis sunt contra apparentiam vanam, quæ est Pharisæorum. Dicit igitur [Væ vobis &c.] *Sopho.* 3. Væ prouocatrix & redempta ciuitas, columba seducta. Extrà enim est columba, intùs miluus [qui mundatis quod deforis est calicis] Metonimia est, contentum pro continente. *Ierem.* 51. Calix aureus in manu Babylonis. *Amos* 6. Bibentes in phialis vinum [& parapsidis] A paribus absidibus dicitur parapsis: & est vas de tabulis æqualibus factum, sicut picaria, vel tina. *Marc.* 7. Pharisæi nisi crebrò lauent manus suas, non manducant: & à foro venientes nisi baptizentur, non comedunt. Et hæc obseruantia exterioris munditiæ non vituperatur nisi per comparationem ad interiorem immunditiam, quæ non curabatur ab eis. Et hoc est, quod sequitur [intùs autem pleni estis rapina] *Isa.* 3. Rapina pauperis in domo vestra. *Nahum* 2. Impleuit præda speluncas suas, & cubile suum rapina [& immunditia] carnali: quia dicebant legem non prohibere animum sed manum: & ideò erant in concupiscentiis venereorum continuè. *Ezech.* 14. Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias in corde suo. *Dan.* 13. Semen Chanaam, & non Iuda: species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum [Pharisæe cæce] Obiurgatio est cum doctrina recti ordinis. *Thren.* 4. Errauerunt cæci in plateis polluti, & obuoluti sanguine [munda priùs quod intùs est, calicis & parapsidis] hoc est, cordis, ex quo propinanda est sapientia, & offerendus cibus virtutis. *Ierem.* 4. Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua sias. *Isa.* 1. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis [vt fiat & id, quod de foris est, mundum] Ecce quòd exteriorem munditiam non vituperat. *Tit.* 1. Omnia munda mundis: coinquinatis autem & incredulis nihil est mundum.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa; intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti; intùs autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.

Secundum væ, quod est in vanitate exterioris compositionis cum interiori immunditia vitiorum: & dicit duo, maledictionem sub metaphora, & eiusdem metaphoræ explanationem. Dicit igitur [Væ vobis Scribæ & Pharisæi & hypocritæ] *Eccl.* 2. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis [qui similes estis sepulchris dealbatis] Cui dealbationi comparatur exterior compositio hypocritæ. Pinguntur enim in sepulchris pulchræ imagines, & magnorum factorum, & Heroum magnalia. *Psalm.* 65. Qui exasperant, qui habitant in sepulchris. *Isa.* 22. Excidisti tibi sepulchrum. *Isa.* 11. Erit sepulchrum eius gloriosum. Vnde cuidam tali dixit Paulus *Act.* 23. Percutiat te Deus, paries dealbate [quæ à foris apparent hominibus speciosa] *Prou. vlt.* Fallax imago, & vana est pulchritudo [intùs verò plena sunt ossibus mortuorum] per quæ significatur robur ad peccandum & duri cordis obstipatio. *Ezech.* 32. Iniquitates eorum in ossibus eorum [& omni spurcitia] quantum ad carnis desideria. *Psalm.* 5. Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant: venenum aspidum sub labiis eorum. *Isa.* 14. Tu proiectus es de sepulchro tuo sicut sanie pollutus & obuolutus [Sic vos à foris apparetis hominibus quidem iusti] In exteriori corporali compositione, & virtutis similitudine: Et est explanatio præinductæ metaphoræ. 2. *Tim.* 3. Erant homines seipsos amantes, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem penitùs abnegantes. Contra quod dicit *Psalm.* 44. Omnis gloria eius filiæ Regis ab intùs. Et *Can.* 1. Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, & sicut pelles Salomonis. Tabernacula enim Cedar intùs pulchra & extrà sunt horrida: & pelles, quas fecit Salomon ad tegendam arcam, intùs erant auratæ & fulgentes gemmis, & extrà turpes [intùs autem pleni estis hypocrisi] 1. *Tim.* 4. Spiritus manifestè dicit, quòd in nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium [& iniquitate] Contra proximum. *Ezech.* 7. Ciuitas plena iniquitate. *Psalm.* 72. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.

Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Prophetarum.

Tertium est væ contra veritatem vitæ, quod est propter falsam sermonis iactantiam: & habet partes duas, in quarum prima ponit maledictionem cum obiurgatione: & in secunda conuincit iactantiam esse mendacem *Ibi* [Ideò ecce ego mitto ad vos &c.] In prima datum partium tria continentur, interminatio, videlicet, maledictionis pro iactatia operis & sermonis: & ostentio vanitatis & falsitatis: & obiurgatio criminis. Ad huc primum horum duo habet, scilicet, maledictionem pro iactantia operis: & pro iactantia sermonis. Dicit igitur [Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ] *Soph.* 2. Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum [qui] per sanctitatis iactatum amorem [ædificatis] solemnibus saxis [sepulchra Prophetarum] In quibus fuit excellens diuinæ voluntatis reuelatio. *Psalm.* 88. Tunc locutus es in visione Sanctis tuis. *Osea* 12. Ego visiones multiplicaui eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum [& ornatis] decoris picturis & coloribus [monumenta] dicta quasi monimenta, eo quòd tituli ponebantur in talibus bustis & tumulis [iustorum] in quibus fuit excellens diuina bonitas [& dicitis] Ecce iactantia

tia sermonis [Si fuissemus in diebus patrum nonostrorum] homicidarum [non essemus socij eorum] per consensum [in sanguine] effuso [Prophetarum] *Psalm.* 78. Effuderunt sanguinem seruorum tuorum, sicut aquam in circuitu Ierusalem. *Act.* 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu Iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis

Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filij estis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, & genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?

Ecce confutatio per ostensionem vanæ & planæ falsitatis. Dicit autem duo, primò enim confutat, & secundò confutationem per id, quod anima de sua occisione conceperat, prædicit. Dicit igitur [Itaque, ex quo illos confitemini patres] qui Prophetas occiderunt [test.estis vobismet.] hoc est, contra vometipsos: per hoc quòd iam tractatis qualiter Dominum Prophetarum occidatis, & Discipulos eius [quia estis] per imitationem] fi. e. qui Pro. oc.] 3. *Reg.* 19. Altaria tua suffoderunt, Prophetas tuos occiderunt gladio. Et ego relictus sum solus, & quærunt animam meam [& vos implete] hoc est, implebitis, sicut *Ioan.* 2. Soluite templum hoc, id est, soluetis. Et est prædictio futuri homicidij, per quod probantur filij homicidarum [mensuram] Hoc enim solum deest, quòd non est plena: quia Dominus Prophetarum est occidendus. Et tunc mensuræ plenæ, respondebit destructionis & abiectionis pœna. 1. *Thes.* 2. Vt impleant peccata sua semper. *Gen.* 15. Necdum enim impletæ sunt iniquitates Amorrhæorum [Patrum vestrorum] *Ezech.* 16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Et in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus. Adhuc enim adhæres ventri homicidarum. *Isa.* 1. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis [Serpentes] Obiurgatio est criminis. Serpentes autem sunt morsu linguæ, quo crucifigunt Christum. *Eccl.* 10. Quomodo si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet, qui occultè detrahit. Serpens enim morsu peior est, quàm vipera: & ideò serpentes sunt in morsu Christi [genimina viperarum] veneñati venenatorum filij in occisione Apostolorum, quam [illegible] sicut Patres vestri Prophetas occiderunt. *Sup.* 3. Progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere [illegible] ira? [quomodo fugietis] falso [illegible] [à iudicio gehennæ] [illegible] cordis [illegible], & post [illegible] *Soph.* 1. Scrutabor Ierusalem in lucernis. *Apoc.* 20. Libri aperti sunt, & alter liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.

Ideò ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas.

Hic conuincit iactantiam esse mendacem: & tangit duo, scilicet, quòd occisores sint Prophetarum, & ingrati maximis beneficiis Domini: & ideò exterminandi, ibi [Ierusalem, Ierusalem] In prima harum partium sunt tres paragraphi, in quorum primo continetur beneficium missionis Apostolorum: in secundo maleficium occisionis: in tertio iustitia vindicationis: & hæc patent in litera. Nota autem quòd excellentia scientiæ non est nisi tribus modis, scilicet, in accipiendo, & in scito, & in generalitate sciendi. Excellentia autem in acceptione scientiæ, est in Propheta: in scito autem excellentia est in sapiente: quia Sapiens est, qui scit ea, quæ difficile est homini scire propter sciti altitudinem, vt dicit *Philos.* & hic est, qui scit diuina per experimentum diuinorum. Excellentiam autem in generalitate sciendi est in Scriba, qui sicut dixit *Hiero.* est in tota lege doctissimus. In primo horum, prædicatio fidei habet certitudinem: ex secundo saporem: & ex tertio probationem: & his tribus perficitur prædicator fidei. Dicit igitur [Ideò] Quia dicitis vos non esse socios patrum homicidarum [Ideò] vt ostendam vos esse mendaces [ecce] in proximo [ego mitto] *Lu.* 10. Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. *Matth.* 10. Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum [Prophetas] *Act.* 13. Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores. *Ioel.* 2. *Act.* 7. Prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. *Cor.* 14. Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. Potestis enim omnes per singulos Prophetare: vt omnes discant, & omnes exhortentur [sapientes] qui de magnis & arduis dicant, sicut sunt cælestia: *Prouer.* 8. dicit sapientia, de magnis locuturus sum. 1. *Cor.* 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem non huius seculi, neque Principum huius seculi, quæ destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo Principum huius seculi cognouit [& Scribas] in lege doctissimos, Spiritu sancto docente. *Act.* 26. dixit Festus: Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam deducunt. *Dan.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti: qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Et ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem.

Hic tangit istorum filiorum paternam imitationem: & tangit duo genera pœnarum, mortis, s. & afflictionis. Mortis autem duo genera, quorum vnum simplicem dicit mortis multam: aliud autem suprà multam mortis cumulum addit confusionis. Similiter afflictiones sunt captorum, & capiendorum: captorum quidem flagellatio, capiendorum persecutio: & hoc est [Et ex illis occidetis] sicut duos Iacobos: vnum procurauerunt occidi per Herodem *Act.* 12. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Alterum præcepit occidi Pontifex in templo pertica fullonis [& crucifigetis] confusionem addendo mortis horrori. Vt Petrum, & ipsum Dominum, & Andream, & multos alios. *Hebr.* 12. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. [& ex eis flagellabitis] quæ est multa sine morte, 2. *Corinth.* 11. A Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi. *Act.* 5. Ibant Apostoli flagellati gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati [In Synagogis vestris] vbi maior est confusio. *Apocalyps.* 2. Blasphemaris ab his, qui se dicunt Iudæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga sathanæ [& persequimini] non captos, sed spoliatos [de ciuitate in ciuitatem] *Suprà* 10. Si persecuti vos fuerint, de vna ciuitate, fugite in aliam. 1. *Corinth.* 4. Persecutionem patimur, & sustinemus.

Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam.

Vt veniat super vos] Vt: notat hic consecutionem, non causam: & tangit hic ex dictis cumulum damnationis eorum ex multo reatu sanguinis: & dicit duo, reatus cumulum ex operibus eorum: & quia futura hæc adhuc sunt, ideò asserit ea pro certo ventura & complenda. Dicit ergo [vt veniat] per cumulum reatus. 1. *Macha.* 6. Vt peccatis eorum in finem deuolutis, ita demum in vos vindicet [super vos] opprimendos sicut massa. *Psalm.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. Hoc est enim onus vallis visionis *Isa.* 22. [Omnis sanguis] hoc est, reatus sanguinis. 2. *Macha.* 8. Et vocem sanguinis clamantis ad se audiret, & indignaretur super his [qui effusus est super terram] *Iob* 16. Terra ne operias sanguinem meum, neque locum inueniat in te latendi clamor meus [à sanguine Abel iusti] quem occidit primus huius generationis pater Cain. *Genes.* 4. Vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ. Zacharias fuit filius Ioiadæ Sacerdotis, qui pro prærogatiua iustitiæ suæ Barachias, hoc est, benedictus Domini cognomento dicebatur. 2. *Paralip.* 24. Spiritus Domini induit Zachariam filium Ioiadæ Sacerdotis. Et stetit in conspectu populi, & dixit: hæc dicit Dominus. Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos? Qui congregati aduersus eum miserunt lapides iuxta Regis imperium in atrio domus Domini: & hoc est quod loquitur [quem occidistis inter templum] Hoc est [illegible] [& altare] [illegible]. Et quia aliquis posset dicere, quod [illegible] hoc: ideò subsequenter asserit omnes [illegible] de vna esse generatione dicens [Amen dico vobis] quia in veritate talis vindicta sequetur [venient hæc omnia] Licet non in tempore eorum facta sint, quia tamen per illos [illegible] malitiæ prætendentium. *Isa.* [illegible] Væ impio, in malum retributio [illegible] fiet ei [super generationem istam] pessimam. *Psalm.* [illegible] Generatio praua & [illegible], generatio, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo [illegible]. Sicut enim generatio est [illegible], quæ [illegible] dicitur, quæ non est in vno tempore: [illegible] malorum.

Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos,

Hic ostendit etiam ad malos suæ dilectionis affectum & effectum, & illorum ingratitudinem & malitiam: & dicit tria: primum est pertinax iudaicæ peruersitatis malitia contra beneficum reuocantem: secundum est, ostensio suæ dilectionis etiam nolenti: tertium est, conclusio capituli de iusta vindicta, quæ procedet in eos: & hæc patent in litera. De primo dicit [Ierusalem, Ierusalem] Geminatio notat compassionis affectum. Vel quia dixerat de patribus viperis, & filijs serpentibus in malicia conuenientibus, significans vtrumque successione, per metonymiam nomen ciuitatis ingeminat, continens ponens pro contento. *Lu.* cap. 19. Videns Dominus ciuitatem Ierusalem, fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses & tu [quæ occidis Prophetas] 3. *Reg.* 18. Iezabel occidit Prophetas Domini [& lapidas eos, qui] ex magna charitate [ad te missi sunt] *Suprà* 22. Tenuerunt seruos suos, & contumeliis affectos occiderunt. *Act.* 7. Lapidabant Stephanum eiectum extra ciuitatem. *Hebr.* 11. Sancti ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt [quoties volui] hoc est, quotiescunque volui. Et est ostensio dilectionis etiam nolentibus & reluctantibus [congregare] in vnum cor, & vnam animam, sicut erat multitudinis credentium *Act.* 4. *Psalm.* 146. Dispersiones Israel congregabit. *Ezech.* 11. Congregabo vos de cunctis locis, in quibus dispersi estis [filios tuos] quos ex semine meo, hoc est, ex verbo legis genuisti.

Quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Quemadmodum gallina] Quæ etiam non suos fouet & congregat & infirmatur ad pullos, ita vt vox acuatur, & sibi cibum subtrahens pullis ministrat: & periculis se pro pullis exponit, & eos ad viuidum suum calorem sub pennas congregat. De primo horum *Suprà* cap. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. [illegible] 2. *Corinth.* 11. Quis infirmatur & ego non infirmor? De tertio *Ioan.* 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. De quarto *Ioan.* 10. Sicut [illegible] [illegible] quem [illegible], quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. De quinto *Psalm.* 105. Congrega nos de nationibus, vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua [pullos suos sub alas] *Psal.* 16. [illegible] Deut. 32. Expandit alas suas, & [illegible] portauit in humeris suis [& noluisti] Hoc est, etiam quos congregare, se nolente,

nolente, & reluctante congregaui. *Ioan.* 5. Non vultis venire ad me, vt vitam habeatis: & ideò insta vos consequitur condemnatio. Et hoc est [Ecce relinquetur vobis] Non mihi de cætero [domus] templum [vestra] Non mea [deserta] *Ierem.* 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua: dedit contra me vocem. *Isa.* 1. Terra vestra deserta est, ciuitates vestræ combustæ sunt igne, regionem vestram alieni coram vobis deuorant: & consummabitur sicut in vastitate hostili. *Ierem.* 51. Derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram suam. In ecclesiastica historia legitur, quòd auditæ sunt voces in templo dicentes: Transeamus ab his sedibus. Probatio autem, quòd deserta erit, est: quia [dico vobis non me videbitis amodo] à tempore passionis [donec dicatis] in secundo aduentu [Benedictus] est, in quo non est nisi benedictio [qui venit in nomine Domini] in quo nihil nisi nomen & notitia Dei apparuit, quem Pater misit ad nomen suum clarificandum: Et tunc tardè dicetis. *Luc.* 23. Amodo videbitis filium hominis venientem in nube, *Zach.* 12. Aspicient ad me, quem confixerunt. *Apocal.* 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. *Isa.* 30. Ecce nomen Domini venit de longinquo: ardens furor eius & grauis ad portandum. Hæc est expositio *Chrysost.* *Hierony.* autem exponit de vltima conuersione Iudæorum, quando videntes se ab Antichristo esse deceptos, conuertentur & confitebuntur Filium Dei esse IESVM, & benedictum, qui venit in nomine Domini, prodens multis signorum experimentis notitiam Patris. *Psal.* 58. Famem patientur vt canes, & circumibunt ciuitatem. *Isa.* 10. Si fuerit semen Israel sicut arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Sic igitur terminatæ sunt interminationes maledictionum, &c.

CAP. XXIV.

Et egressus IESVS *de templo ibat: & accesserunt Discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens ait illis: Videtis hæc omnia: Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.*

Descripta sufficienter causa destructionis Iudæorum abiectionis: hic tangit prædicationem modi destructionis eorum: & in modo destructionis & excidij Iudææ includit signa, & modum consummationis seculi, & aduentus sui: propter quandam Discipulorum suorum quæstionem. Diuiditur ergo capitulum totum in duas partes, in quarum prima more historiographi tangit opportunitatem congruam, qua venit ad ista prædicenda: in secunda autem ipsam texit seriem prædictionis *Ibi* [Et respondens illis IESVS &c.] In prima harum sunt quatuor paragraphi, in quorum primo continetur signum indignationis suæ ad templum, quo iam quasi minabatur excidium futurum: in secundo ex hoc inducti Discipuli, describuntur ostendere ædificationes firmas templi, quæ ruinam non paterentur subitò & de facili: in tertio vniuersalis prædictio ruinæ ostenditur Discipulis à Domino: & in quarto ex hoc dicto occasionata quæstio triformis à Discipulis Domino proponitur, propter quam terminandam, tota sequens inducitur narratio: & hæc patent in litera.

De primo igitur dicit [Et egressus] Quia enim dixerat: ecce relinquetur vobis domus vestra deserta: voluit hoc corporali signo ostendere. Et ideò [egressus IESVS] qui sanctificator erat templi [de templo ibat] indignatus de peruersitate eorum, qui disponebant templi cultus. *Ezech. capitulo* 3. Benedicta gloria Domini de loco sancto suo (Supple) recessit. Et *Ibidem.* Abij amarus in indignatione spiritus mei. *Oseæ capitulo* 5. Ablatus est ab eis. Nec dicitur, quò ibat, vt significetur quòd iam in dispersionem gentium præmeditabatur ire, & docturus gentes. *Ioann. cap.* 5. Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? [Et] videntes iam Discipuli signa indignationis eius ad templum [accesserunt] scientes, quòd sancta non communicaret canibus *Supra* 7. Familiariùs adiungentes se. Quia dixerat *Suprà* 13. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis [Discipuli eius] De quibus *Ioann. capitulo* 15. Vos dixi amicos: quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis [vt ostenderent ei ædificationes templi] quàm sumptuosæ essent, & quàm fortes: nec vt ignoranti ostenderent; sed vt ipsa ostensione præloquerentur, vt aliquid futurum circa templum de indignatione, quam prætendebat, prænuntiaret. Vnde *Marc.* 13. Interrogabant eum separatim Petrus & Ioannes & Iacobus & Andræas, qui maiores erant zelatores doctrinæ futurorum. Quærebant pro omnibus aliis. In signum eius, quod dictum est, dicitur *Marc.* 13. quòd vnus Discipulorum dixit: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. Quasi diceret. Multa virtus requiritur ad hoc, quòd deserta remaneat, sicut iam indignatio tua præloquitur [Ipse autem respondens, ait eis] Ad animum enim respondet scrutans corda & renes Deus. Quia sicut dicitur 1. *Regum* 16. Deus intuetur cor [Videtis hæc omnia] tam ædificium, quàm cultum, & cultores [Amen dico vobis] Confirmatio est futuræ prophetiæ [non relinquetur hic] in isto loco [lapis super lapidem] quia à fundamentis euertetur [qui non destruatur] destructione tali, quòd non tantùm præcipitentur, sed etiam lapides conterantur, & comburantur in puluerem. *Iere.* 26. Dabo domum hanc sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionē. *Isa.* 17. Desinet esse ciuitas, & erit sicut aceruus lapidum in ruina. *Isa.* 34. Extendam perpendiculum super eam, vt redigatur ad nihilum. *Luc.* 19. Circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quòd non cognouisti tempus visitationis tuæ.

Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum Discipuli eius secretò dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi?

Hic

Hic vult ponere ordinem quæstionis: & tangit tria, opportunitatem videlicet respondendi ex loco acceptam: & positionem respondentis Domini: & Dignitatem quærentium, qui merentur, vt respondeatur eis: & ordinem ipsius quæstionis. Ex parte autem Domini, à quo quærendum est, duo tanguntur, positio corporis, & locus. De positione corporis dicit [Sedente autem eo] Voluit enim Dominus situ corporis demonstrari, qualis esse debeat respondens interrogatus de diuinis. In stante enim, vel ambulante non quiescunt spiritus; sed protenduntur ad cuncta, quæ corpus sustentant, & portant: & ideò tunc abstrahuntur à virtutibus animalibus: & ideò illæ non bene tunc operantur. In iacente autem discurrunt fumi ad caput, qui turbant, propter quod non clari sunt spiritus in capite. Sed in sedente quiescunt, & puri sunt: & ideò potest loqui sapientiam inter perfectos. *Suprà* 5. Cùm sedisset, accesserunt ad eum Discipuli eius, & aperiens os suum docebat eos dicens. Et similiter *Lucæ* 6. Hæc est causa, quòd cathedra ponitur Doctoribus. *Luc.* 6. Inuenerunt eum in templo in medio Doctorum sedentem. Hinc est, quòd *Psalm.* 79. dicit: Qui sedes super Cherubin, qui plenitudinem scientiæ significant [super montem Oliueti] Opportunitas est ex loco, vbi est generatio olei, quod est ministerium luminis. Et ideò *Zachariæ* 4. dicitur de duabus oliuis à dextris & sinistris lampadis: isti sunt duo filij olei splendoris. Et prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. *Isa.* 62. Propter Sion non tacebo, nec propter Ierusalem quiescam, donec egrediatur vt splendor Iustus eius, & Saluator eius velut lampas accendatur. Vbi enim aptiùs sederet candor lucis æternæ, & splendor gloriæ *Hebræ.* 1. Nisi super ministerium luminis & fomitum omnis illuminationis, cùm de tutoris illuminare voluit Discipulos. Additur autem *Marc.* 13. quòd sedit contra templum. Sed hoc dicitur, vt contraria dicturus ostenderetur ad templi statum.

Accesserunt] ausu familiaritatis, quem iam dederat eis aperiendo aliquid de futuro excidio. *Ecclesiastici* 50. Appropinquate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ [Discipuli eius] qui responsione digni fuerunt. Qui autem fuerint? *Marc.* 13. dicitur, quòd fuerunt Petrus & Iacobus & Ioannes & Andreas, qui præ cæteris sitiebant doctrinam de futuris audire. *Ecclesiastici* 24. Adhuc prophetiam quasi [illegible] effundam, & enarrabo illam vsque in longinquum: & post modicum, illuminabo omnes sperantes in Domino [dicentes] quærendo [Hic] hoc est, educ sonante voce clara. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis [nobis] ad intellectum vnum, vt audiamus. 1. *Reg.* 3. Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Præmittit autem, quòd [secretò] Non cum turbis. *Iob* 4. Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius [quando hæc erunt?] Quæstio est triformis. Quærit enim, quando futurum sit Iudææ excidium: & hoc est quod dicunt [quando hæc erunt] *Act.* 1. Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel. Quærunt iterum [quod est signum aduentus tui] ad iudicium [&] Quòd sit signum [consummationis seculi] Et dicit *Chrys.* quòd primum interrogant propter se, alia autem duo propter nos posteros eorum. Nobis enim expedit scire hæc, sicut dulcis est somnus: & viator quærit, vbi [illegible] sit. Mercenarius libenter computat, quando [illegible] annus prægnans: semper decimum mensem complicat. *Suprà* 5. Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Iob* 7. Sicut ceruus desiderat vmbram, & mercenarius desiderat finem operis sui: sic & ego menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi.

Et respondens IESVS dixit eis: Videte, ne quis vos seducat.

His ita præmissis inducitur responsio dicta, tria continens. Primò enim ostendit signa futuri excidij: secundò signa excidij & consummationis seculi, eo quòd hoc erit ante aduentum suum, licet [illegible] ponatur in ordine quæstionum *Ibi* [Cum ergo videritis abominationem &c.] Tertiò dat signa aduentus sui ad iudicium *Ibi* [Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus. In primo autem duo sunt, scilicet, tribulatio, in qua erit Iudææ excidium: & quòd ex hoc [illegible] vbique prædicatum Euangelium, Discipulis de Iudæa in orbem terrarum exeuntibus: & hic est finis excidij Iudææ. Et cum perfectum fuerit, erit signum consummationis seculi: & ideò in medio [illegible] Adhuc prima pars in duas diuiditur, in tribulationem [illegible] excidium: & in tribulationem specialem Sanctorum. Quæ probatio [illegible] *Ibi* [Tunc tradent vos] [illegible] Pseudoprophetarum [illegible] Sanctorum [illegible] *Ibi* [Audituri enim estis prælia &c.] In prima harum tria continentur [illegible] *Ibi* [illegible] quis vos seducat, hoc est, [illegible] *Col.* 2. Videte [illegible] per prophetiam & inanem fallaciam secundum traditionem hominum: quia Pseudoprophetæ semper veniunt in sublimitate philosophici sermonis, & in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. *Iere.* 29. Non vos seducant Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestri. *Ephe.* 5. Nemo vos seducat inanibus verbis.

Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus: & multos seducent.

Hic tangit modum seductorum, & tangit multitudinem, per quam notatur [illegible] per quem notatur quod non habeant auctoritatem & quod in nomine Christi, per quod notatur falsi nominis [illegible] & hypocrisis. Dicit igitur [Multi enim] Non in vno corde & vno spiritu, vnitatem spiritus seruantes in vinculo pacis. *Ephe.* 4. Sed in multitudine dissentientium sectarum. 1. *Corinth.* 1. Significatum

est mihi ab his, qui sunt Chloës, quòd contentiones sint inter vos. Et 11. Oportet hæreses esse, vt hi, qui probati sunt inter vos, manifesti fiant: & ideò ante hoc dicit 1. *Corinthior.* 1. Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata [venient] propria auctoritate non missi. *Suprà* 7. Qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. *Ioan.* 10. Omnes, quotquot venerunt, fures sunt, & latrones [in nomine meo] Dupliciter: quia exteriori pietate visa notam Dei habent. 2. *Tim.* 3. Habentes quidem speciem pietatis: virtutem autem eius penitùs abnegantes. Vel quia etiam signa quædam fecerunt in suæ hæresis argumentum. *Suprà capitulo septimo.* Multi dicent mihi: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine virtutes multas fecimus? & ego iurabo eis, quia ego non noui eos. Horum multorum vnus fuit Simon magus de Samaria, de quo dicitur *Act. capitulo octauo.* Hæc est virtus Dei, quæ vocatur magna. Qui etiam de se scriptum reliquit: Ego sum sermo Dei: Ego speciosus: Ego paracletus: Ego omnipotens: Ego omnia Dei. Theodas etiam quidam fuit & Iudas Galilæus, & alij quàm plures. Sed etiam *Ioan.* in prima epistola 2. dicit: Scitis quoniam Antichristus veniet, & nunc Antichristi multi sunt. Consuetum enim est, vt dicit *Chrysost.* In omni tribulatione multos surgere, qui futura phanatico prædicant spiritu, & in errorem mittunt homines, eo quòd tunc homines sicut parturientes continuè conficiunt, qualis exitus debeat esse belli, & qualis futurus status. *Psalm.* 103. Posuisti tenebras & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ agri. *Ecclesiast.* 34. Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi immissa fuerit ab Altissimo visitatio [dicentes] Ecce præsumptio [Ego sum Christus] 2. *Thessalonic.* 2. Extollitur super omne, quod vocatur Deus, aut quod colitur. Sufficeret veris Prophetis, quòd verè ostenderent se esse Christi. 2. *Corinth.* 11. Ministri Christi sunt, & ego. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei [& multos seducent] Ecce effectus fallaciæ. 2. *Tim.* 3. Mali homines & seductores proficient in peius; errantes, & in errorem mittentes. 2. *Thessalonic.* 2. Videte, ne quis vos seducat vllo modo.

Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum.

Ecce perturbatio quietis Sanctorum: tangit autem hîc quatuor, quorum primum est cautela à perturbatione cum causa perturbante: & secundò positionem perturbantium; tertium autem est descriptio modi perturbantium secundum speciem periculorum: quartum autem est istorum quantitas. Circa primum sunt duo, causa perturbans, & cautela. Causa autem duplex, prima est in hoc, quòd dicit [Audituri enim estis prælia] *Luc.* 21. Cum audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Prælia enim ad hostes pertinent, seditiones ad ciues: & hæc multa fuerunt in Iudæa ante cladem communem, sicut patet *Daniel.* 10. per totum. *Isa.* 3. Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit: quia manus eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius.

Secundum autem est [& opiniones præliorum] hoc est, expectationes. Et sunt duæ causæ scissuræ, videlicet quas faciebant hæretici, & monstra, quæ apparebant in cælestibus: Ex prædicatione enim Pseudoprophetarum, discordia mota est contra aliquos, qui de doctrina illa non fuerunt: quod significatum est *Apoca.* 16. De ore bestiæ & Pseudoprophetæ & draconis procedebant spiritus tres in modum ranarum, & procedebant ad Reges terræ congregare eos ad prælium. Alia causa describitur *Macha.* 5. Quod contigit Ierusalem apparere cohortes armatas, & congressiones fieri cominùs, & scutorum & galeatorum motus. Tunc orabant omnes in bonum monstra conuerti. *Iob* 7. Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties. Vnde etiam tunc audiebantur voces in templo: Transeamus ab his sedibus. Et sicut *Iosephus* dicit: vitula rufa, quæ offerebatur in sacrificium purificationis, ex qua fiebat aqua expiationis, inter manus offerentium, enixa est agnam: quæ naturæ inordinatio futuri excidij dedit opinionem.

Videte, ne turbemini: oportet enim hæc fieri; sed nondum est finis.

Ecce cautelæ admonitio, ne turbentur. *Prou.* 12. Non contristabit iustum, quicquid acciderit ei. *Ioan.* 14. Non conturbetur cor vestrum, neque formidet. Turbatio autem est inæqualitas, siue casus quidam cordis in periculorum angustia, lumen rationis obnubilans: & hoc habet triplicem gradum: tangit enim afficiendo, & impedit rationem, & prosternit. Primum est infirmitatis naturæ: quia licet spiritus promptus sit; caro tamen est infirma: secundum est venialis culpæ. *Baruch* 3. Anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te. Tertium est vitiosæ peruersitatis. *Iosue* 7. Turbasti nos: perturbet te Deus. Propter hoc dicit *Iob* 23. Non perij propter imminentes tenebras, nec operuit faciem meam caligo. Assignat autem rationem, quare non turbentur: & hæc est ratio, quare permittit Deus talia fieri dicens [Oportet] hoc est, opportunum est: meritis malorum expediens, & probationi bonorum. Primum autem generale Iudææ excidium [hæc fieri] vt per hoc admoneantur, quòd grauiora expectant, nisi corrigantur [sed nondum est finis] & ideò non statim à Iudæa recedatis, quinimò fortiter prædicationi insteris. Sic etiam *Suprà* dictum est 18. Necesse est, vt veniant scandala: Væ autem homini, per quem scandalum venit. *Ezech.* 7. Finis venit: venit finis super quatuor plagas terræ.

Consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum.

Describit tribulationis modum per ea, quæ turbabunt: & tangit tribulationem ex parte pugnæ hominum, & ex parte corruptionis electorum. Ex parte quidem pugnæ hominum, malum perturbans dupliciter est magnum, generalitate videlicet, & potentia pugnantium.

gnantium. Generale notat, cum dicit [Consurget gens contra gentem] *Luc.* 21. Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Huius contrarium præcessit Christi in carne aduentum. *Isa.* 2. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium. *Apoca.* 6. Datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt (homines) se inuicem interficiant. De potentia pugnantium subdit [& regnum aduersus regnum] Hoc describitur *Daniel.* 10. qualiter Rex austri, siue Ægypti pugnabat aduersus Regem Græciæ. *Dan.* 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. [& erunt] corruptione elementorum tripliciter. Qualitate quidem corruptis elementis erunt [pestilentiæ] Mortalitatum sterilitate erunt [fames] Compugnationis impulsu erunt [terræmotus per loca.] *Ezech.* 7. Ira mea super vniuersum populum, qui in ciuitate sunt: pestilentia & fame deuorabuntur. *Ierem.* 23. Persequar eos in pestilentia & fame, & dabo eos in vexationem cunctis regnis terræ. *Apocalyps.* 6. Ecce equus pallidus: & qui sedebat super eum, nomen illi mors. Et sequitur: Et data est ei potestas interficere gladio & fame. De terræmotu dicitur *Apocalyps.* 16. Factus est terræmotus magnus qualis non fuit, ex quo homines esse cœperunt super terram. *Isaiæ* 24. Commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra, contritione conteretur terra.

Hæc autem omnia initia sunt dolorum] Ecce mali quantitas: quia enim dixerat quòd nondum statim finis: ideò dicit, quòd hæc sunt primæ parturitionis conceptus. Veruntamen [dolorum] non est in hebræo: & est malè translatum, & deberet esse sic [Hæc omnia initia sunt parturitionum] Sed translator ponit effectum pro causa. *Isa.* 13. Torsiones & dolores tenebunt: quasi parturientes dolebunt. *Isa.* 37. Dies tribulationis, & correptionis, & blasphemiæ, dies hæc: venerunt filij vsque ad partum, & non est virtus pariendi. *Luc.* 21. In terris erit pressura gentium, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.

Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.

Ecce specialis tribulatio Sanctorum: & hoc malum describitur quadrupliciter, in afflictione Sanctorum perfectorum, in scandalo in fide infirmorum, in instantia pseudoprophetarum Tyrannos confirmantium, iniquitatis abundantia præualente aduersus Sanctos: & hæc patent in litera. Afflictio perfectorum describitur dupliciter, scilicet, tribulationis modo, & tribulationis causa, quæ est nomen Domini: & ideò felix est tribulatio, cuius nomen Domini est causa, vt dicit *Augustinus.* In modo tripliciter describitur, traditione, occisione, & odio persecutionis. Dicit igitur [Tunc tradent vos] non emendati, sed exasperati malis prædictis [tradent vos] in tribulationem fraudulenter & dolosè capientes & insidiantes flagellabunt. *Suprà* 10. Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis flagellabunt vos, & ad Reges & Præsides ducemini. 2. *Mach.* 7. Septem fratres flagris taureis sunt cruciati [& occident vos] *Daniel.* 11. Veniet in multitudine magna, vt occidat & conterat plurimos. *Apocalyps.* 13. Faciet, vt quicunque non adorauerit imaginem bestiæ, occidatur [& eritis odio] odium est radicata ira [omnibus hominibus] humum sapientibus. *Exod.* 1. Oderant Ægyptij filios Israel. *Genes.* 27. Oderat semper Esau Iacob. *Genes.* 37. Oderant Ioseph fratres sui, nec poterant ei quicquam pacificè loqui [propter nomen meum.] 1. *Pet.* 4. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. *Luc.* 6. Beati eritis, cùm vos oderint homines, & eiecerint, & exprobrauerint nomen vestrum propter filium hominis: quia pœna non facit Martyrem, sed causa. *Ioan.* 15. Hæc omnia facient vobis: quia non nouerunt Patrem, neque me. Et hæc omnia passi sunt Discipuli à Iudæis: & ideò *Suprà* dixit, [illegible] quòd tenuerunt seruos suos, & contumelijs affectos occiderunt.

Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem: & multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Ecce scandalum infirmorum, & describitur tribus modis, in apostasia, in traditione, & in odio, quæ apostasiam sequuntur. Dicit ergo [Et tunc scandalizabuntur] hoc est, impingendo in pœnas timore apostatabunt à fide. 1. *Timoth.* 4. In nouissimis diebus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. *Isa.* 8. Offendent ex eis plurimi, & cadent, & irretientur, & conterentur, & capientur. *Luc.* 2. Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum, cui contradicetur [& inuicem tradent] quia cum apostatabunt, tunc tradent alios [illegible] familiaria eorum. *Ierem.* 9. Omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. 2. *Corinth.* 11. Periculis in falsis fratribus. *Ierem.* 12. Fratres tui, & domus Patris tui pugnabunt contra te. *Cant.* 1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me [& odio habebunt inuicem] quos tradere non poterunt. *Suprà* 10. Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. *Ioan.* 15. Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est. Quia odio habuerunt me gratis. *Psal.* 108. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi. *Psal.* 24. Odio iniquo oderunt me [& multi Pseudoprophetæ surgent] Ecce instantia Pseudoprophetarum Tyrannos adiuuantium [& seducent multos] blandimento religionis, & impunitatis. *Marc.* 13. Exurgent PseudoChristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa & portenta ad seducendum, si fieri potest, etiam Electos. *Apocalyps.* [illegible] Apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecerunt signa coram ea [& quoniam abundabit iniquitas] dupliciter abundat, multiplicitate, & in hoc quòd præualet: & secundum est causa primi. *Habacuc.* 1.

Præualente impio aduersus iustum, egreditur iudicium peruersum. *Psalm.* 72. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis. 2. *Tim.* 3. In nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, & cæteri huiusmodi. *Romanor.* 1. Repletos omni iniquitate. *Psalm.* 72. Repleti sunt iniquitate, & impietate sua [refrigescet charitas multorum] *Psalm.* 147. Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit? *Ecclesiastici* 43. Frigidus ventus Aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. *Apocalyps.* 2. Habeo aduersum te pauca: quia charitatem primam dereliquisti. Contra quòd de Ecclesia dicitur. Non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici sui vestiti sunt duplicibus, hoc est, gemino præcepto charitatis [Qui autem perseuerauerit vsque in finem] Ecce consolatio (aliàs confirmatio) in promissione salutis: & *Suprà* 10. Idem dicitur: quia perseuerandum in veritatis cognitione & fide, & in affectionis charitate. *Sap.* 8. Attingit à fine vsque ad finem fortiter. *Leuit.* 3. Cauda præcipitur offerri, per quam perseuerantia designatur.

Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio.

Ecce tribulationis Iudææ, & Sanctorum fructus. Iudæa enim destructa, Discipuli per totum orbem diffusi Euangelium regni prædicauerunt: propter quod etiam filij excussorum vocantur: & tangit tria, prærogatiuam eius, quod prædicatur: & generalitatem prædicationis, & finem. Prærogatiua est: quia est Euangelium regni. *Apocal.* 14. Vidi alterum Angelum volantem per medium cælum habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret illud sedentibus super terram, & super omnem gentem & tribum & linguam. *Apoc.* 10. Oportet te adhuc prophetare gentibus & linguis & Regibus multis [in vniuerso orbe] *Psalm.* 18. *Romano.* 10. In omnem terram exiuit sonus eorum &c. *Col.* 1. Peruenit ad vos Euangelium, sicut & in vniuerso mundo confortatur, & crescit [in testimonium] Salutis, si credunt: & condemnationis, si non credunt: & hic est finis. *Marci.vlt.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur [omnibus gentibus] *Matth. vltimo.* Docete omnes gentes. *Marci. vlt.* Prædicate Euangelium omni creaturæ [& tunc] quando sic gentibus prædicabitur [veniet consummatio] Iudææ, vel, mundi: quia, sicut diximus, istud & ad antecedens & ad sequens refertur. *Isaie* 28. Consummationem, & abbreuiationem audiui à Domino. *Isa.* 10. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.

Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.

Hic incipit tangere tria signa consummationis seculi, in signis consummationis Iudææ: quia eadem particulariter præsignabant destructione Iudææ relata ad Titum & Ælium Adrianum: quæ vniuersaliter accepta, relata ad Antichristum finem mundi significat. Diuiditur autem pars ista in duas partes, in quarum prima tantæ tribulationis, qualis præcedit finem consummationis, ponit; quod signum est completæ & iam condemnandæ iniquitatis: & secundò tribulationis dicit modum & quantitatem *Ibi* [Tunc qui in Iudæa sunt &c.] Adhuc in priori harum dicit duo, signum videlicet, & excitationem attentionis ad signum. De signo dicit quinque, abominationem, nocumentum, certitudinem, confirmationem, & sacrilegium. Dicit igitur [Cùm ergo videritis] in successoribus vestris Sanctis, vel vosipsi [abominationem] idoli, quod omnis abominatur humana ratio. *Sap.* 15. Infandorum idolorum cultura omnis mali est initium & causa & finis [desolationis] ciuitatis; quia post talem abominationem sequitur destructio parietum templi, & euersio ciuitatis. *Daniel.* 9. Post finem dierum statuta desolatio: & hoc est nocumentum, quod inducit desolationis [quæ dicta est à Daniele Propheta] Ecce certitudo. *Dan.* 9. In templo erit abominatio desolationis [stantem] Ecce confirmatio: stat enim immobiliter fixa. *Isa.* 41. Confortauit eum clauis vt non moueretur [in loco sancto] Ecce sacrilegium. *Ezech.* 8. Certè vidisti, fili hominis, abominationes pessimas, quas isti faciunt hic, hoc est, in templo.

Attende historiam: Pilatus primò posuit in templo imaginem Cæsaris: & indignati Iudæi cœperunt rebellare, quòd Titus vindicans, incendit templum, & ciuitatem. Posteà autem Ælius Adrianus inter parietes templi posuit suam imaginem, quæ dicitur abominatio desolationis: eo quòd iam desolatum fuit per Titum, & in proximo complenda erat desolatio per Ælium. Iudæi autem indignati ad imaginem Ælij, confregerunt, & comminuerunt eam in puluerem: ad quod indignatus Ælius penitùs euertit parietes templi, & totam ciuitatem, & aliam paruulam ibi prope ædificauit, quam ex nomine suo vocauit Æliam: & hoc est, quod dicit: & hoc plangit *Isa.* 64. Ecce Domine, respice: ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostræ & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis.

Sequitur [qui legit] Et monet esse attentos [qui legit] hæc: tunc [intelligat] instare tempus expetendæ vltionis de sanguine Prophetarum, & meo effuso. *Psalm.* 78. Vindica sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est. Redde vicinis nostri septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum quod exprobrauerunt tibi Domine. Hoc idem generaliter acceptum, & ad Antichristum relatum signum est consummationis seculi: Antichristi enim præsentia in loco templi est abominatio desolationis. *Zacharia.* 11. O pastor, & idolum, derelinquens gregem. 2. *Thes.* 2. Cùm reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur, & extollitur super omne id, quod dicitur Deus, aut quod colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam ipse sit Deus. Tunc [qui] hæc [legit intelligat] quia citò erit seculi consummatio. Moraliter etiam abominatio desolationis in templo, malus Prælatus est in Ecclesia. *Prouerbio.* 16. Abominabiles Regi omnes impij.

Tunc

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.

Modum hic, & quantitatem turbationis describit: & tangit duo, modum, videlicet, mali, & quantitatem *Ibi* [Erit enim tunc tribulatio magna &c.] Circa modum duo dicit: suadet enim primò omnibus relictis fugere: & in secundo ostendit infelicitatem eorum, qui impedimenta fugiendi tunc habebunt. *Ibidem.* [Væ autem prægnantibus] Circa primum tangit tres differentias: & loquitur Sanctis, qui in Iudæa erant tempore Romanæ captiuitatis: tunc enim Agrippa tenebat terram, quæ est vltra Euphratem, & parebat Romano imperio: & ideò terra illa pacem habuit. Loquitur ergo per similitudinem accelerantibus fugam: illi enim generaliter sparsi erant in Iudæam, aut familiaribus rebus aliquibus dediti: & generaliter quidem hortatur eos fugere ad terras montuosas Agrippæ, vt ibi saluentur. *Gen.* 19. Non stes in omni circa regione; sed in monte saluum te fac. *Psalm.* 124. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui. Qui autem familiaribus rebus sunt dediti, aut erant in domo, aut in agro aliquid operantes.

Dicit igitur [Et qui in tecto] In Iudæa plana fuerunt tecta, & cùm immineret captiuitas, non libenter perdentes ea, quæ erant in domo, ascenderunt in tecta, vt hostes eminus possent speculari: & his dicit, quòd celeriter fugiant, antequam præoccupentur [Et non descendant aliquid tollere de domo] quo detineantur à fuga, vel onerentur fugientes: & hoc ad litteram plangens *Isa.* 22. dicit. Quidnam tibi est, quòd ascendisti & tu omnis in tecta? clamoris plena [& qui in agro] agriculturæ deditus, qui propter calorem excitatum ex labore in terra calida domi dimittere tunicas consueuerunt [non reuertatur domum tollere tunicam] vel aliquid dispositurus de domo, sed omnibus dimissis citò fugiat. *Luc.* 21. Qui in medio sunt Iudææ, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam. *Isa.* 13. Erit quasi damula fugiens. Tempore autem Antichristi, cùm confirmabitur potestas eius, tunc maximè regnabit in Iudæa persequens Ecclesiam fidelium: & tunc oportet ad literam fugere ad montium speluncas & deserta. *Hebr.* 11. In montibus & in speluncis & in cauernis terræ errantes circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Et similiter per tectum intelliguntur domesticis deditti. Et per agrum dediti [illegible] ribus, quibus, si fideles sunt, nihil [illegible] licebit facere tempore Antichristi. Mistice autem in Iudæa sunt (quæ confessio interpretatur) illi, qui confessioni laudis sunt deditti, sicut Clerici & Religiosi, quibus tempore persecutionis fugiendum ad culmina virtutum, quia virtutum perfectione tunc indigent, vt possint resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. *Eph.* 6. *Psalm.* 71. Suscipiant montes pacem. [illegible] *Psalm.* 86. Fundamenta eius in montibus sanctis. Qui autem sunt in tecto, in arce contemplationis, quibus præcipitur, ne descendant in domum carnis; sed alta contemplatione veritatis postponant omnia commoda carnis pro Christo fortiter morientes. *Psalm.* 83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. In agro autem existentes bonos significant actiuos, quibus etiam suadetur, quòd non dimissa difficultate virtutis resoluti domi torpescant, tunicam veteris vitæ reinduentes. *Cant.* 5. Expoliaui me tunica mea, quomodo rursus induar illa? *Cant.* 5. Tulerunt pallium meum custodes murorum.

Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.

Hic tangitur infelicitas eorum, qui subitò habent effugiendi impedimenta: & habet duos paragraphos: vnum quidem, quod euadi non potest; aliud autem euadi potest, sed non est in nostra potestate, sed Dei omnia ordinantis & dispensantis: & contra hoc opponit orationem. Primum autem, quod euadi non potest, infelicitatis est: & hoc est impregnatio, vel nutritio paruulorum: prægnans enim ex violento motu per abortum periclitatur, & non abortiens grauatur: ita quòd fugere non potest. Nutriens autem & ex motu, & ex calore habet consumptionem lactis, & de lactante fuga incurrit debilitatem. Adhuc autem onere grauatur portandi infantis: aut innaturali [illegible] moritur abiiciendi filij, quem [illegible] Vnde 2. *Reg.* 4. [illegible] claudum [illegible] Aliorum etiam, sicut narrant [illegible] prægnantes diuidebantur, & ad abortum [illegible] cogebantur, vt partus [illegible] *Thren.* 4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt eis in cibum in contritione filiæ populi mei. Vnde & Moyses *Deut.* 28. dicit, quòd mulier delicata, quæ [illegible] non [illegible] [illegible] Et [illegible] *Isa.* 26. [illegible] & [illegible] 1. *Cor.* 3. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam: [illegible] poteratis. *Heb.* 5. Omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est. Omnes autem tales, eo quòd in fide & charitate non sunt solidati, violentia tentationis vincuntur, & cedent Antichristo, & ideò væ eis.

Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato.

Tangit impedimenta fugæ, quæ non sunt in nobis, & ideò contra illa dicit opponendam esse orationem: & sunt duo, vnum proueniens ex

 asperitate

asperitate temporis : & aliud ex religione feriarum. Dicit igitur [Orate] *Iac. vlt.* Multum enim valet deprecatio iusti assidua. *Supra* 18. Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis [vt non fiat fuga vest.] tempore Antichristi, vel destructionis Iudææ, quandò fugiendum est. *Isa.* 16. Absconde fugientes, & vagos ne prodas. Moab, esto latibulum eorum : à facie enim vastatoris fugerunt; à facie gladij imminentis; à facie arcus extenti; à facie grauis prælij [hyeme] quando est intemperies elementorum : quo tempore etsi fugere posset aliquis; tamen permanere in deserto non posset : quia tunc fugere ad homines non licebit : qui omnes occupantur à Romana captiuitate tempore destructionis Iudææ, vel adhærebunt Antichristo temporibus nouissimis. Sed tunc quæritur : Quia cum tribus annis & dimidio duratura sit persecutio Antichristi; oportebit sæpiùs fugere hyeme. Sed ad hoc dicendum, quòd non dicitur hic hyems, pro spatio temporis, quo sol mouetur circa tropicum capricorni; sed potiùs pro temporis asperitate; quæ hyeme esse consueuit : quia tunc nec in desertis fructus, nec aura tolerabilis inueniretur, nec vnus alij solamen societatis auderet exhibere; quia plures simul habitantes latere non possent. Sed vnus potest abscondi in inuiis deserti. Vnde Ecclesia liberata à persecutione dicit illud *Cant.* 2. Iam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in terra nostra. Est etiam hyems amoris gelicidium, quo refrigescet charitas multorum, qui tunc fugere non poterunt, frigore charitatis membra constringente. *Supra* eodem quia abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum. [vel Sabbato] quando propter religionem fugere non licebit. Sed hoc falsum videtur : quia dicitur 1. *Machab.* 2. quòd cogitauerunt Sancti pugnare die Sabbati : ergo etiam in necessitate licet fugere. Responsio est, quòd in veritate licet fugere; sed fuga in feriis non potest latere. In diebus enim profestis poterunt se subducere, tanquam quippiam operis vadant facturi : sed in die festo, cum ab opere vacat populus, non potest aliquis fugam abscondere : & ideò tunc magis [illegible]. Religio autem festorum ab [illegible], tunc in maxima erit veneratione. Tempore etiam Romanæ captiuitatis multum obseruabatur Sabbatum, quod licet Sancti non [illegible], tamen multum obseruabantur dies Sabbatorum. *Isa.* 58. Si auerteris pedem tuum à Sabbato, facere voluntatem tuam in die sancto meo : & vocaueris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum. Spiritualiter autem loquitur de torpentibus otio, & nihil operantibus ex inertia; qui tunc fugere non poterunt. *Thren.* 1. Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbata eius. *Tob.* 2. Dies festos eius conuertam in luctum.

Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet.

Magnitudinem hic describit tribulationis dupliciter, quantitate mali, & mensura temporis : quantitas est in periculo & acerbitate. Et quando hæc magna sunt, non expedit tempus esse longum, sed breue; vt patet in litera. Dicit igitur [Erit enim tribu. mag.] quia conflata ex tribus magnis, scilicet, Tyrannorum inuasione, hæreticorum seductione, & falsorum fratrum proditione. Quæ tria mala passa est successiuè Ecclesia, Tyrannorum inuasionem in principio, hæreticorum seductionem in progressu, & in perfecta dilatatione proditionem patitur falsorum fratrum. Tyrannus persequitur potestate, hæreticus simulata veritate, falsus frater ficta bonitate. *Dan.* 7. dicitur, quòd tres bestiæ de mari ascenderunt, prima similis leoni, quæ tyrannos significat : secunda similis vrso, quæ hæreticos : tertia similis pardo vario, qui falsos fratres varios & dolosos. De conflatione harum persecutionum in vnum *Apoca.* 13. dicitur de bestia, per quam Antichristus figuratur, cuius caput simile erat pardo, & pedes eius sicut pedes vrsi, & os eius sicut os leonis : & sic habet totum. Primò enim pardus simulata sanctitate, secundò erit vrsus ore fœtido simulatæ veritatis, quam dulci sermone proponet, sicut vrsus mel sugens. *Rom.* 16. Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Et tandem accepta potestate ore dentato leonis, omnia deuorabit, & lacerabit : sic ergo erit magna : magnum enim est, vt dicit *Plato*, quod componitur ex multis. Mensuram autem huius magni proponit, cum dicit ad præteritum [qualis nunquam fuit ab initio mundi] Et ad præsens, cum dicit [vsque modò] Et ad futurum, cùm subdit [neque fiet] *Dan.* 12. Veniet tempus, quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt vsque ad tempus illud : & ideò, vt dicit *Grego.* Optat Ecclesia præcedentibus tribulationibus affligi, & videntur ei dulces respectu mali illius, quod tunc patietur. *Iob* 29. Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, secundum dies quibus Deus custodiebat me?

Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro : sed propter electos breuiabuntur dies illi.

Duo tangit, abbreuiationem, & abbreuiationis causam. De abbreuiatione dicit [Nisi breuiati fuissent dies illi] Non quidem momentis temporis, vel breuiori cursu solis; sed potiùs numero : quia non durabunt nisi tribus annis & dimidio : quantum dicitur prædicasse Christus. *Apoca.* 12. Aliter mulier, quæ significat Ecclesiam in deserto, fugiens Antichristum per tempus, & tempora, & dimidium temporis, hoc est, per annum & duos annos & dimidium. *Apoca.* 12. Data est illi potestas facere menses quadraginta duos, hoc est, tribus annis & dimidio, duodecim mensibus pro anno computatis. *Apoca.* 12. Væ terræ & mari : quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quia modicum tempus habet. [Sed propter electos] ne nimis tribulentur, [breuiabuntur dies illi] numero : sicut etiam prolongantur in benedictione eorum. *Psalm.* 90. Longitudine dierum adimplebo eum. *Isa.* 54. Ad punctum in momento dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.

Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus, aut illic : nolite credere.

Hic ponit solutionem tertiæ partis quæstionis : & tangit duo, signa certissimi aduentus : & incertitudinem

titudine horæ, quando veniat *ibi* [De die autem illa] Signa aduentus sunt duplicia, prædicatio videlicet Pseudoprophetarum quæ præcedit : & signa in ipso iudice & iudicio sumpta *ibi* [Sicut enim fulgur &c.] Circa primum horum dicit tria; admonitionem cautelæ; causam necessitatis admonitionis : & confirmationem eiusdem. De primo dicit [Tunc] in illo finali tempore [si quis vobis] in successoribus vestris [dixerit] *Ioan.* 17. Non pro eis tantùm rogo, sed pro omnibus, qui credituri sunt per verbum eorum in me [dixerit] inuitans, vt auertat à Deo vestro. *Hebr.* 3. Ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo viuo. Et notantur in verbo tria, scilicet, mendacium verbi, & diuersitas schismatum, & admonitio, ne credatur eis. Mendacium notatur in hoc, quòd dicit [si quis vobis dixerit] q. d. Si seipsis loquantur ex propriis, & lingua eorum non est calamus scribæ velociter scribentis : Prophetæ enim dicunt hæc dicit Dominus. Apostoli verò dicunt illud de se 2. *Cor.* 13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus. *Ioan.* 8. Cum loquitur mendacium ex propriis loquitur : quia mendax est, & pater eius. Schisma notatur in hoc, quod dicit [Ecce hic est Christus aut illic] Christus autem dupliciter accipitur, in persona videlicet, & in virtute operante in Sacramentis. In his enim vnctus vnctionem diffundit, & conficit sanitates *Eccle.* 38. Et hoc modo Christum iactat se habere quælibet hæresis, & negat eum alteri. Ecclesia autem dicit eum esse, non hic discretè, aut illic : & non alibi : sed vbique per totam Ecclesiam in toto orbe diffusum. 1. *Cor.* 1. Diuisus est Christus? q.d. Non. *Ioan.* 19. Non scindamus eam, sed sortiamur de ea, cuius sit. 3. *Reg.* 3. Nec mihi, nec tibi sit : sed diuidatur. [nolite credere] Ecce admonitio. 1. *Ioan.* 4. Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus vtrum ex Deo sint. *Ecclesiast.* 19. Qui cito credit; leuis corde est. 2. *Thess.* 2. Obsecro vos, vt non citò moueamini à sensu vestro, quasi instet dies Domini.

Surgent enim PseudoChristi, & Pseudoprophetæ : & dabunt signa magna & prodigia; ita vt in errorem inducantur (si fieri potest) etiam Electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire : ecce in penetralibus, nolite credere.

Ecce tangit admonitionis necessitatem : & dicit tria; exaltationem seductorum; potestatem; & efficaciam in nocendo. Exaltationem tangit, cùm dicit [Surgent] hoc est, sursum se agent. *Thren.* 1. Vide Domine afflictionem meam : quoniam erectus est inimicus meus [Pseudochristi] sicut hæresiarchæ maiores [& Pseudoprophetæ] sicut Discipuli eorum minores. 1. *Ioan.* 4. Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. 2. *Pe.* 2. Fuerunt & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis.

[Et dabunt sig. & prodi.] Ecce potestas miraculandi. Et dicitur signum, quod portendit aliquid in futurum. Sicut quod Ieremias vidit ollam succensam, quod significabat Ierusalem esse succendendam. Prodigium est magnum miraculum, quod omnium digito proditur, propter admirationem, nihil in futurum significans. Quidam tamen dicunt, quòd signum est, quod significat aliquid de præsentibus : & prodigium quasi procul à digito dictum, aliquid de futuris designat. Sed prima expositio melior est. *Apoc.* 16. Sunt spiritus dæmoniorum facientes signa. 2. *Thess.* 2. Mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

[Ita vt in errorem inducantur] Ecce efficacia, qua in peius proficiunt errantes, & in errorem mittentes [si fieri potest etiam electi] Aliud est errore tangi, & aliud in errorem induci. Tangitur enim, qui tentatur : & hoc humanum est : quia humanæ ignorantiæ est errare. Sed in errorem inducitur, qui errori consentit. Sed hæreticus est, qui defendit pertinaciter. Dicit autem [si fieri potest] & vt gratiam Dei continentes Sanctos ostendat. *Deut.* 33. Omnes sancti in manu illius sunt : & hoc notat, cum dicit [si fieri potest] Quia tantùm humanum est trepidare & timere & tentari; dicit [in errorem inducantur] Et hæc est expositio *Greg. Apoc.* 13. Fecit bestia signa magna, ita vt ignem de cælo faceret descendere super terram; & seduxit habitatores terræ propter signa, quæ data sunt ei facere in conspectu bestiæ [etiam Electi] quos tamen trepidantes gratia continebit electionis. *Iob* 41. Sub ipso erunt radij solis : sternet sibi aurum quasi lutum. *Et* 40. Absorbebit fluuium, & non mirabitur : & habet fiduciam, quòd Iordanis influat in os eius. Vel dicitur, quòd non dicitur hoc de Electis gratia finali; sed de Electis secundum præsentem iustitiam, qui tunc sæpius inducentur in errorem, si hoc potest fieri aliqua tentationis seductione. *Ioan.* 6. Nonne ego duodecim vos elegi; & vnus ex vobis diabolus est.

Ecce prædixi vobis] [illegible] est dictum q.d. Ego, qui sum veritas, quæ [illegible] eueniet. *Ioan.* 14. Et nunc dixi vobis priùs quàm fiat, vt cum factum fuerit, credatis. *Eccl.* 7. [illegible] Et loquitur : Reuelans vestigia occultorum. *Iob* 28. Abscondita produxit in lucem. Repetit [illegible] admonitionem, dicens [Si ergo dixerint vobis] pseudoprophetæ, vel [illegible] [ecce in deserto est] [illegible] Christum, [illegible] virtutem & charismatum & [illegible]. In deserto autem esse dicitur : quia aliquos sequaces habebit primò eremitice viuentes, vt sub specie religionis magis decipiant. *Ierem.* 9. [illegible] planctum super speciosa deserti : quia incensa sunt, eo quod non esset vir pertransiens. *Isa.* 13. In deserto habitabunt struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & syrenæ in delubris voluptatis. Per struthiones, qui alarum, hoc est, contemplationis speciem habent, sed à terra non eleuantur, significantur hypocritæ Monachi. Pilosi significant Monachos diuitias congregantes, & lucris inhiantes, venantes in desertis pecunias, sicut fecit Esau pilosus *Gen.* 27. Per vlulas (quæ fixo in luto rostro tubicinant, sicut cum cornu (& est auis infamis) significantur Monachi in cœno carnis conuersantes. Per syrenas, significantur fœminæ moniales mortiferis cantibus animas decipientes

decipientes; huius mundi mare nauigantes, quales tempore Antichristi erunt; & heu nunc sunt [nolite exire] sicut existis ad Ioannem Baptistam. *Suprà* 11. Quid existis in desertum videre &c. *Exod.* 12. Nullus egrediatur ostium domus suæ. Ecce in penetrabilibus, in quibus sunt subtilitatum sapientiæ studia. Hæc enim duo profitebuntur Antichristiani, religionem & sapientiam. *Psalm.* 104. Edidit terra eorum ranas, in penetralibus Regnum ipsorum. Ranæ quibus lingua faucibus adhæret; significant Philosophias hærentes ad phantasias, & philosophicam linguam habentes [nolite credere] *Colos.* 2. Nemo vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam. *Prou.* 26. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde ipsius.

Sicut enim fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Hic dat signa aduentus vera: & verè Christum venientem demonstrantia: & sumuntur in ipso Iudice & iudicio. Sunt igitur duplicia: vniuersalia, & particulariter sumpta: & hæc tangit *Ibi* [Ab arbore autem fici] Post vtraque autem subsequitur confirmatio dictorum *Ibidem.* [Cælum & terra transibunt] vniuersalia autem signa sunt duplicia: in Iudice videlicet, & in iudicij circunstantiis sumpta, *Ibi* [Statim autem &c.] In Iudice autem tria notat, scilicet, aduentus manifestationem in se, & manifestationis generalitatem; & Sanctorum ad iudicem congregationem. Manifestatio autem ostenditur in hoc, quòd dicit [Sicut fulgur] In quo tria notantur, quod subitus, quòd terribilis; quòd blandimentum habet luminis. Subitò autem fit, vt dicit *Dionysius*; quod fit præter spem. 1. *Thes.* 5. Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet. Vnde etiam in Grammaticis declinatur fulgur fulguris, media correpta: eo quòd subitò venit, & impræmeditatè: fulgor autem charitatis stantis; declinatur fulgor fulgoris, media producta. Et fulgeo fulges; quod venit à fulgure; infinitiuum facit fulgere media correpta. Quod autem venit à fulgore; infinitiuum facit fulgere media producta, sicut tradunt antiqui grammatici. Terror autem est in ictu fulguris: quia cum tonitruo est fulgur semper. *Iob* 26. Cum vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius sustinere? Blandimentum autem habet in lumine. *Psalm.* 103. Amictus lumine sicut vestimento. Subitum igitur est propter omnes: vt parati sint, & caueant. Cum ictu est; propter reprobos. Cum blandimento luminis; propter Electos [exit] Ecce manifestatio: exit enim ad manifestationis apertum. *Psalm.* 49. Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit. *Isa.* 49. Videbit omnis caro salutare Dei. *Apoca.* 1. Videbit eum omnis oculus.

Ab oriente, & paret vsque in occidentem] Ecce manifestationis generalitas. *Psalm.* 106. A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini. Sed videtur mirabile, quod dicit: Quia fulgur non exit ab oriente; sed fulgor exit ab oriente; fulgur autem exit à nube. Dicendum, quòd sunt multi ortus secundum eos, qui loquuntur de astris. Ortus autem hic sumitur pro manifestatione: sicut etiam sol & aliæ stellæ oriuntur aliquando de sub nube. Occasus autem secundum *August.* dicitur finis horizontis sensibilis: vbi visu deficiente, cælum terræ coniungi videtur: & est sensus, quòd cuilibet hominum apparebit manifestus, & illustrabit omnia, quæ videri ab ipso possunt loca in circuitu: vt nusquam liceat abscondi, vel celari. 1. *Cor.* 4. Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. *Ioan.* 1. Lux in tenebris lucet: & tenebræ eam non comprehenderunt. Et ideò dicitur *Sap.* 6. Horrendè & citò apparebit vobis [ita erit & aduentus filij hominis] 1. *Thes.* 5. Cum dixerint pax & securitas: tunc repentinus superueniet eis interitus, sicut dolor parturientis, & non effugient. Dicit autem [filij hominis] & non filij Dei: quia in forma hominis iudicabit nos, in qua pro nobis iudicatus est. *Ioan.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, hoc est, non vobis videatur mirum, quòd filius hominis est: quia homo ille constitutus est iudex viuorum & mortuorum. Sicut dicitur *Act.* 10.

Vbicumque fuerit corpus] Dat signum congregationis Sanctorum, ad ipsum loquens per similitudinem: ad corpus enim odorem nidoris spargens, ad vltra marina per odoratum inuitantur aquilæ, ab acumine visus & odoratus aquilæ vocatæ. Multò ergo magis ad redolentiam suauissimam iudicis; bonitatem suam in omnes intellectuales nares distribuentis & spargentis aquilæ sanctæ videlicet omnes Sancti, acuti visu in contemplatione, & bene odorantes, in aromatum illórum perceptione ad iudicem congregabuntur: vt refectione bonitatis & dulcedinis eius, cum manifestatur gloria eius, satientur. *Psalm.* 16. Satiabor, cùm apparuerit gloria eius. *Isa.* 40. Assument pennas vt aquilæ, current, & non laborabunt, volabunt; & non deficient. 1. *Thes.* 4. Simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. In aerem enim ascendit volans. Dicit autem [congregabuntur] quia tunc verè omnibus viribus suis congregatis, altiuolæ in Deum ascendunt. *Isa.* 60. Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? *Iob* 39. dicitur, quòd aquila sedens in summis rupibus, & inde contemplatur escam.

Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.

Tangit signa sumpta in his, quæ circunstant iudicium dupliciter, in cœlestibus bonis primò, & in terrestribus malis secundò. In cælestibus autem bonis tangit in corporibus cælestibus, in virtutibus Angelicis & in Sanctis in cælum assumptis: præmittit autem tempus istorum signorum dicens [Statim autem post tribu. dierum illo.] Dies enim, hoc est, Sancti tribulabuntur: noctes autem, hoc est, mali consentient Antichristo. *Iob* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, &

& non illustretur lumine. *Esa.* 13. Sanctis autem suis maxima fuit lux. Et tangit signa in caelestibus corporibus, sole & luna, & stellis, dicens [sol obscurabitur] *Marc.* 13. Stellae caeli erunt decidentes. Et dicit *luminaria*, hoc est, lumine carebunt: & potest similiter intelligi de sole. Quid autem trium sententiarum, quae hic dici consueuerunt, verum sit, non est certum: utrum enim sol ad tempus tunc lumen amittat, sicut dicit *Glo. Interl. super Marcum*: aut dicatur obscurari, quia cum duo sint in lumine solis, scilicet illustrare, & mouere ad generationem, alterum amittet, scilicet ad generationem mouere: aut quod superueniente maiori claritate, quae fulget à corpore Christi & corporibus glorificatis, dicatur obscurari, quia lumen eius non percipitur; sicut nunc lumen candelae non videtur, quando tenetur in radio solis. Quod ego probabilius iudico: quia hoc dicitur *Isa.* 60. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, neque luna per noctem. Sed potius, sicut dixit ante: Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. *Apoc.* 21. Ciuitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea: quia ipse Dominus illuminabit eam, & lucerna eius agnus.

Et luna non dabit lu[men suum.] Hoc est necessarium, si sol obscurabitur, quod luna non det lumen: quia non habet lumen nisi à sole. *Apoc.* 6. Sol & luna [illegible]

[illegible]

Et virtutes caelorum commouebuntur. & tunc parebit signum filii hominis in caelo.

[illegible]

rum]. Aut omnes caelestes essentiae, quae communi nomine virtutes dicuntur, sicut dicit *Dion.* Aut ille ordo, qui virtutes vocatur: eo quod ultimus potentiae attingat in faciendo miracula, quae tunc maxime fient. Angeli enim ante iudicium omnes sunt in ministerium missi, propter eos, qui haereditatem capiunt salutis: & ideo in collectione eorundem mouentur ad miracula in iudicio. *Psalm.* 102. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. *Rabanus* tamen exponit [mouebuntur], i. timebunt, hoc est, considerato terrore iudicis ad modum timentium se habebunt, aut reuerentiae motu mouebuntur ad gloriam iudicis. *Iob* 41. Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur. *Iob* 26. Columnae caeli contremiscunt & pauent ad nutum eius.

Et tunc parebit signum filii hominis in caelo] Ecce signum in [illegible] quae omnes configurat [illegible] fidei, filio hominis Deo apparebunt. Et hoc est signum, quo distinguuntur Electi à reprobis. *Ezech.* 9. Signa thau super frontes virorum gementium & dolentium. *Exod.* 12. Sanguinem [illegible] postes, & superliminaria [illegible]

[illegible]

Et tunc plangent omnes tribus terrae.

[illegible]

voluntate viri pertinacis ad malum : Et ideò terræ sunt ascripti, de qua dicitur *Iob* 9. Terra data est in manus impij.

Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & maiestate.

Ecce visus horribilis. *Sap.* 6. Horrendè & citò apparebit vobis : & dicit de iudice viso quinque scilicet, formam, in qua eis apparebit, approximationem, gloriam, virtutem, & curiæ frequentiam. Videbunt autem visu horribili. *Apoca.* 6. Et Reges terræ & Principes, & Tribuni & diuites, & fortes, & omnis seruus & liber absconderunt se in speluncis, & in petris montium : & dicunt montibus & petris : Cadite super nos : & operite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum. *Apoc.* 18. Plangent super illam omnes Reges terræ. *Thren.* 1. Multi sunt gemitus mei, & cor meum mœrens. *Isa.* 65. Vos plorabitis, & præ contritione spiritus vlulabitis [filium hominis] Si quæritur, in qua forma videbunt? Dicit quòd in forma humana. Et si quæritur vtrum videbunt eum in gloria? Dicendum, quod videbunt eum non in gloria (& tamen filius Dei non induet alium habitum quàm gloriæ) sed sicut solem aquila videt in lumine. Oculo autem infirmo naturalis defectus inest, quòd aspiciens ad solem humore confluente conuoluitur, victus fulgore solis : & primò apparet rubeum, deinde viride magis humore vincente, & tandem fit nigrum tenebrosum quod apparet. Ita eodem modo se habentem iudicem Sancti videbunt in gloria, propter potestatem oculi glorificati : & damnati videbunt eum sub specie coloris, secundum infirmitatem oculi non glorificati. *Isa.* 27. Tollatur impius, ne videat gloriam Domini. *Ioan.* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est : nolite mirari hoc. Et sic intelligitur illud *Ioan.* 19. Videbunt in quem transfixerunt.

Venientem] Ecce appropinquatio, quod maximè horrent impij. *Isa.* 3. Dominus ad iudicium veniet cum Senatoribus populi. *Isa.* 30. Veniet de longinquo ardens furor eius, & grauis ad portandum. Tunc enim verificatur illud *Prouer.* 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec recipiet pro redemptione dona plurima.

In nubibus] Ecce gloria venientis : nec est intelligendum, quòd nubes hic sit vapor eleuatus ab inferioribus elementis ; sed sicut diximus antè: Fulgebunt tunc iusti sicut sol in regno Patris eorum. Sicut dictum est *Suprà* 12. Et erunt circa Christum supra modum solem in claritate excedentem : & huius tota claritas in oculis terrenorum in vi fulgoris non percepta, quandam in oculis ægris eorum generat obscuritatem. Et hæc vocatur nubes 3. *Reg.* 8. Dominus dixit, vt habitaret in nebula. *Act.* 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, quando nubes suscepit eum ab oculis eorum. Erit autem ex hoc terror damnatorum : quia hæc nubes flammiuoma, vt dicit *Hieron.* thesauros grandinis, & fulgurum significat : quæ tunc immittentur damnandis. *Sap.* 5. A petrosa ira plenæ mittentur grandines, ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à benè curuato arcu nubium ad certum locum insilient. Sic *beatus Diony.* exponit caliginem, in quam ingressus est Moyses ad Dominum. *Exod.* 19. Non enim consequens est, quòd Deus in obscuris habitet, qui sicut dicitur 1. *Tim.* 6. habitat lucem inaccessibilem. Nec rationabile est ex caligine splendidam factam esse faciem Moysi : ita vt non possent in gloriam vultus eius intendere filij Israël. *Exod.* 34. *Lu.* 23. A modò videbitis filium hominis venientem in nube. Et propter hoc dicuntur nubes [cæli] non terræ. *Iob* 36. Nubes spargunt lumen suum, quocumque eas direxerit. *Apoca.* 7. Ecce venit cum nubibus. *Dan.* 7. Ecce in nubibus cæli filius hominis venit.

Cum virtute multa] hoc est, robore, qui primò iuditatus apparuit in infirmitate. *Iob* 9. Si fortitudo quæritur, robustissimus est: virtute enim vltimum attingit omnis potentiæ. *Exod.* 15. Quis similis tibi in fortibus, Domine? quis similis tibi? magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia.

Et maiestate] Hoc refertur ad frequentiæ, quæ circa eum apparebit, solemnitatem, & ambitionem, qua impij opprimentur. *Dan.* 7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur : & regnum eius, quod non corrumpetur.

Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna.

Hic tangit auditum terribilem vocantem ad iudicium. *Iob* 15. Sonitus terroris in auribus eius. Et tangit tria, Angelorum ministerium in vocando, tubæ clangorem, & vocis magnitudinem. Angelorum ministerium est in collectione cinerum, ex quibes integranda sunt corpora. Tubæ clangor est terribilis fragor elementorum : vt quodlibet reddat, quicquid habet de corporibus resurgentium. Vox magna est vox Christi suscitans & viuificans & vocans ad iudicium. Dicit igitur [Et mittet Angelos s.] Congruum enim est, vt quos habuerunt duces viæ, habeant etiam collectores cinerum, & productores ad iudicium. *Suprà* 13. Mittet Angelos suos, qui colligent de regno eius omnia scandala. *Infrà* 23. Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum. In signum hujus, Angeli separauerunt Loth de medio impiorum. *Gen.* 19. [cum tuba] hoc est, mundi fragore. *Sap.* 5. Stabit contra illos turbo tempestatis, & flumina concurrent duriter. Et *Ibidem*. Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. 1. *Cor.* 15. In momento, in ictu oculi, & in nouissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti [& voce magna] quæ est iussus Dei, quòd viuant, & surgant mortui, & veniant ad iudicium. 1. *Thes.* 4. Ipse Dominus in iussu & voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo : & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Archangelus autem est Christus Princeps Angelorum, vt dicit *glo.* Et secundum hoc tria concurrunt ad resurrectionem, fragor mundi in restitutione materiæ : ministerium Angelorum in compositione puluerum, & corporum : & iussus, sive vox Dei & Christi in viuificatione & citatione. Mortui audient vocem filij Dei : & qui audierint, viuent. *Psalm.* 67. Dabit voci suæ vocem virtutis.

Et

Et congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum vsque ad terminos eorum.

Hic tangit congregationem bonorum ab eo futuram, qui dispersiones Israël congregabit, relictis impijs : dicit autem tria, congregationem electorum, & generalitatem locorum, vnde congregantur, & congregandorum integritatem. Congregatio est ad vnum Patris omnia congregantis, vt dicit *Diony.* *Psalm.* 49. Congregate illi Sanctos eius. Impij autem dispergentur : quia non habebunt vnum, in quo congregentur. Sed dissipati cordibus manebunt in inferno. *Ezech.* 6. Dispergam eos in omnem ventum, & gladium nudabo post eos. *Ezech.* 11. Congregabo vos de terris, ad quas captiui ducti estis. *Psalm.* 105. Saluos fac nos, Domine, & congrega nos de nationibus : vt confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua [à quat. ventis] cæli principalibus: qui significant quatuor mundi plagas, & climata. *Isa.* 43. Ab oriente adducam semen tuum, & ab occasu congregabo te : dicam aquiloni, da, & Austro, noli prohibere. *Suprà* 9. Multi venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Meridie : & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum. *Psal.* 106. A solis ortu & occasu : ab Aquilone & mari. *Ezech.* 37. A quatuor ventis cæli venit spiritus &c. [à summis cælorum] Hic tangit integritatem : dicit enim *Arist.* quod summum, & imum, quod est à cælo vsque ad centrum, est principium longitudinis. Sed dextrum & sinistrum, quod est ab oriente in occidentem, est principium latitudinis. Ab ante autem & retro, quod est à meridie in Aquilonem, est principium profunditatis. Secundum primum accipitur motus incrementi & nutrimenti : secundum alterum accipitur motus localis membrorum: secundum tertium accipitur motus alterationis secundum sensum. Et hoc est [à summis cælorum vsque ad terminos] longitudinis, latitudinis, & profunditatis, vt integre resurgant. 1. *Corinth.* 15. Mortui resurgent incorrupti. *Luc.* 21. Capillus de capite non peribit. Vnde *August.* dicit quòd summum cæli dicitur zenith capitis [illegible] hominis : & terminus orbis dicitur terminus horizontis visibilis, in cuius circumferentia sunt differentiæ quatuor situs, scilicet, dextrum, & sinistrum, & ante & retrò : aliæ autem duæ situs differentiæ sunt [illegible] in zenith capitis, & [illegible] in centro horizontis.

Ab arbore autem fici discite parabolam : cum iam ramus eius [illegible], & folia nata fuerint, scitis quia prope est æstas : ita & vos cùm videritis hæc omnia, scitote quia prope est in ianuis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

[illegible]

quas proprietates sit accipienda. Dicit igitur [Ab arbore autem fici] Cui *Suprà* 21. maledictum est. Et de qua *Habac.* 3. Ficus non florebit. Sumite, vel [discite parabolam] hoc est, similitudinariam sententiam. *Prou.* 1. Animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientum & ænigmata eorum. Et subdit, in quo sumitur [cum iam ra. eius tener fu.] Ficus inter omnes arbores tardius virescit, & flores grossorum emittit. Transit enim ver, & in æstate fert flores : & longe in æstate versus autumnum dat fructum in signo leonis : & ideò à ficu signum temporis maturitatis, & collectionis accipitur. Ver enim magis comparatur statui generationis : & ideò Iudæi, qui per ficum designantur, conuersione sua finem mundi prææloquuntur. *Ioel.* 1. Ficum meam decorticauit, nudans spoliauit eam, & proiecit, albi facti sunt rami eius. Cum ergo iam ramus eius, quem eodem anno emittet, tener fuerit, nouella ad fidem conuersione. *Osee* 14. Ibunt rami eius, & erit quasi oliua. *Ecclesiast.* 24. Rami mei honoris & gratiæ [& folia nata] verborum in confessione & laude. *Psal.* 1. Folium eius non defluet. *Prouer.* 11. Iusti quasi virens folium germinabunt [Scitis, quia prope est æstas] tempus maturitatis & collectionis. *Prouerb.* 20. Propter frigus piger arare noluit ; mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.

Ita & vos] Ecce adaptatio [cum vide. hæc omnia] quæ dixi [scitote, quia prope est in ia.] vt [illegible] intret iudex. *Iac.* 5. Iudex ante ianuam assistit. *Apoc.* 3. Ecce sto ad ostium & pulso. 1. *Corinth.* 7. Tempus breue est, reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint.

Amen dico vo.] Confirmatio est signi, quod possunt non præteribit gene. hæc] hoc est, Iudæorum, vel successio mortalium, donec omnia hæc fecula [illegible], quia generatio Iudæorum & mortalium terminabitur ad signa inducta. *Psalm.* 58. Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos : ne quando obliuiscantur populi mei. *Eccl.* 1. Generatio præterit, & generatio aduenit : terra autem in æternum stat.

Cælum & terra transi.] Confirmatio est omnium [illegible] in præcedentibus. Transibunt autem cælum & terra non quoad substantiam, sed quoad [illegible] & figuram [illegible] habent. *Psalm.* 101. Ipsi cæli peribunt [illegible] & velut amictum mutabis eos, & [illegible] tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. *Isa.* 65. Ecce ego creo cælum nouum, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor. Sed lætabimini in eis, quæ ego creo. [illegible] cælum nouum & terram nouam [illegible] [illegible]

[illegible]

Hic

Hic ostendit temporis incertitudinem, quando veniat iudicium. Diuiditur autem pars ista in duo, in quorum primo ostendit, quod dictum est: in secundo autem reddit nos cautos: ne nos iudicium inconsideratos præoccupet *ibi* [Vigilate ergo] In prima harum tria dicit, scilicet, impossibilitatem præsciendi iudicium ex aliquibus coniecturis: & inconsiderationem hominum, quos inuoluet incautos *Ibi* [Sicut autem in diebus Noe &c.] Et qualis erit discretio in iudicio *Ibi* [Tunc duo] In prima harum, Angelos & homines à præcognitione iudicij excludit, & solum includit Patrem. Dicit igitur quoad temporis qualitatem [De die autem illa] Dicitur autem dies quoad illustrationem iudicis, & non quoad motum solis super terram: quia nescitur, quando Dominus venturus sit, sero, an media nocte, an gallicantu, an mane, vt dicit *Marc.* 13. Si obiiciatur per id, quod in sequenti capitulo sequitur: Media nocte clamor factus est. Et per illud *Sap.* 18. Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet &c. Dicendum, quòd omnia hæc dicuntur quoad tenebras ignorantiæ horæ, & non quoad qualitatem temporis diurni, vel nocturni. Nescitur enim, qua temporis qualitate lucida, vel tenebrosa. Et quoad spatium quantitatis temporis subdit [& hora] Sic enim *Infrà.* dicit: Veniet enim dies, quam nescis; & hora, quam ignorat [nemo scit] hoc est, nullus homo. *Act.* 1. Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Erubescant, qui de iudicij tempore vaticinantur [neque Angeli] quia non pertinet ad beatitudinem eorum. Et ideò *Isa.* 6. sicut velabant caput. Per quod ostenditur id, quod ante mundum erat in Deo. Ita Seraphin velabant pedes, per quos finis mundi ostenditur, quem Angeli ignorant. In quibusdam codicibus additur [neque filius] Et hoc ponitur *Marc.* 13. quod ideò dicitur: Quia non facit nos scire: vel quia non scit ex virtute humanitatis [nisi Pater solus] Exclusionem facit respectu oppositionis ad essentiam, & non ad personam: quia notitia est essentialis. Et ideò vna est notitia trium, sicut vna est essentia trium: vnde non excluditur Filius, neque Spiritus sanctus: & hoc notatur *Ioan.* 1. Deum nemo vidit vnquam nisi vnigenitus, qui est in sinu Patris; ipse enarrauit. Q.d. Licet nemo Deum nouerit & viderit: tamen vnigenitus (qui in eiusdem deitatis occulto) videt eum. Et ideò quod habetur de notitia Dei, ex enarratione est vnigeniti. Ita includit infra notitiam Spiritum sanctum *Apost.* 1. *Corinth.* 2. Quæ sunt Dei, nemo nouit nisi Spiritus Dei. Et 1. *Corinth.* 2. Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Sic ergo solus Pater nouit, hoc est, Pater, & non alius in essentia quam Pater. Cum enim filius habeat essentiam à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque: sic oportet, quod etiam notitiam habeat Filius à Patre: & eandem notitiam habeat Spiritus sanctus ab vtroque: quod hoc est illi esse quod nosse, & econuerso.

Sicut autem in diebus Noe: ita erit & aduentus filij hominis.

Hic tangit qualiter inconsideratos inuoluit: & dicit tria, primò præmittit assimilationem: secundò ostendit negligentiam & carnalium incuriam: & tertio repetit quales tales præoccupantur. Dicit igitur [Sicut autem in diebus Noe] Iusti *Genes.* 6. Qui fabricando arcam prædixit diluuium, & prædicauit pœnitentiam, & non attenderant, sed videbatur eis ludens loqui *Gen.* 19. [Ita erit] imprænisus negligentibus [aduentus] ad iudicium [filij hominis] 2. *Pet.* 3. Mundus quidem per aquam inundatus perijt. Cæli autem, qui nunc sunt, & terra, eodem verbo repositi sunt, igni in diem iudicij reseruati. Et tanguntur duo iudicia, vnum per aquam, per quod refrigeratus est ignis concupiscentiæ: alterum per ignem, per quem incendetur frigiditas charitatis.

Sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit in arcam Noe, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis.

Ecce incircunspectio, & inconsideratio futurorum, proueniens ex inordinatione carnalis concupiscentiæ [In diebus Noe] qui solus vixit in die: alij enim erant in nocte. *Ioan.* 11. Qui ambulat in nocte, nescit quò vadit [ante diluuium] quando expectabat Dei patientia homines ad pœnitentiam. 2. *Pet.* 3. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti. *Psalm.* 31. In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. [comedentes & bibentes] secundum gulæ inordinationem. *Isa.* 22. Vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & planctum: & ecce gaudium & lætitia: occidere vitulos & iugulare arietes. *Exo.* 32. Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. *Sap.* 2. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus. & [nubentes] viri [& nup. trad.] fœminas. Sed nunquid hoc peccatum est? *Hebræor.* 12. Sicut nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus. Sed dicendum, quòd cum matrimonium sit in officium naturæ, & in sociale & ciuilem vitam, & in Sacramentum Ecclesiæ, illi nihil in hoc quærebant, nisi societatem concupiscentiæ. *Tob.* 8. In eos, qui coniugia suscipiunt, vt Deum à se & à mente sua excludant, & suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus: in eos habet potestatem dæmonium. *Pet.* 2. Delicijs affluentes, & in conuiuijs suis luxuriantes [vsque ad eum diem, quo intra. in arc. Noe] quia libido insatiabilis est. *Prou.* 30. Tria sunt insatiabilia, & quartum, quod nunquam dicit, sufficit: Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non satiatur aqua: ignis verò nunquam dicit sufficit. Infernus est amor carnalis, os vuluæ concupiscentia venereorum: terra desiderium sitis: & ignis æstus gulæ [& non cognouerunt donec venit dilu. & tulit omnes] quia non crediderunt prædicanti Noe. *Iob* 24. Dedit ei Deus locum, vt pœnitentiam ageret, ille abutitur eo in superbiam [Ita erit aduentus filij hominis] Assimilatio est, & similitudo inertiæ eorum, qui in duobus iudicijs incircumspecti sunt. 2. *Pet.* vltimo. Adueniet dies Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transibunt. 1. *Thes.* 5. Dies Domini, vt fur, ita in nocte veniet.

Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, & vna relinquetur: duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur.

Hic ponitur discretio colligendorum. Sunt autem tria genera hominum, in quibus continentur [illegible] scilicet, Prælati, actiui, & contemplatiui: de quibus dicit *Ezech.* 14. Tres viri Noe, Daniel, & Iob liberabunt animas suas. Noe, qui rexit arcam, Prælatos; Daniel vir desideriorum, contemplatiuos; Iob dolens, actiuos bonos in laboribus dolentes significat. *Luc.* etiam 10. significantur per duas sorores, & tertium fratrem Lazarum, quibus erat amicus Dominus, & ad ipsos declinabat. Maria, quæ sedebat ad pedes audiens, contemplatiuos: Martha satagens circa frequens ministerium [illegible] erga plurima, actiuos: Lazarus autem gubernator domus, Prælatos. Hos igitur tangit, sic sub triplici differentia: & de Prælatis dicit sic [Tunc] in tempore finali [erunt duo] duæ Prælatorum & Prædicatorum differentiæ [in agro] Ecclesiæ, vel cordium, exercentes eam vomere verbi Dei. *Genes.* 24. Isaac exierat ad meditandum in agro. *Supra* 13. Ager, hic mundus est. 1. *Corinth.* Dei agricultura estis [vnus assumetur] ad gloriam. Ille videlicet, qui potest dicere illud 2. *Corinth.* 2. Non sumus sicut quidam adulterantes verbum Dei: sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur: quia & verbo Dei falsum non admiscet: nec malo exemplo viciat: & ex Deo authore, & coram Deo, pia intentione in Christo loquitur, confirmatore per vnctionis gratiam [& alter relinquetur] ad pœnam in terra, quando alius rapitur obuiam Christo in aera. Et ille est, de quo dicitur *Phil.* 1. Quidam ex inuidia, & contentione Christum annunciant, siue per occasionem quæstus. Sicut in eodem agro Naboth [illegible] est: & Achab & Iezabel [illegible] 3. *Reg.* 21. Et in eodem agro Abel [illegible] est, & munera eius: & Cain damnatus. *Genes.* 4. *Ruth.* 2. Ne vadas colligere in alterum agrum: quia licet duo sint in agro, tamen ager Ecclesiæ, quantumcunque malus sit agricola, non est nisi vnus.

Duæ [erunt] molentes in mola] per quam circuitus laborum [illegible] qui homines conterantur. [illegible] fœcunditatem & [illegible] & effeminati [illegible] non audiemt [illegible] gloriam: vt Martha [illegible] Domino [illegible] consilium Domini facit. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Psalm.* 127. Labores manuum [illegible] beatus es, & bene tibi erit [& altera relinq.] labore stulto consumpta. De qua dicitur *Ecclesiast.* 10. Labor stultorum affliget eos, qui [illegible] vrbem pergere: quia hæc, quæ elaborant, non ponunt in thesauris cæli: sed expendunt ad vanitatem mundi.

Duo in lecto] contemplatiui. De quo *Cant.* 1. Lectulus noster floridus [vnus assumetur] qui [illegible] charitate [illegible] eloquium voluntatis delectans, in conscientia & religione requiescit. *Cant.* 3. Tenui illum, nec dimittam, donec introducam in domum matris meæ, gratiæ, & in cubiculum genitricis meæ, scilicet sapientiæ. *Sap.* 8. Hanc amaui, & exquisiui mihi sponsam accipere, & amator factus sum formæ illius [& alter relinq.] extra habens contemplationem laborum, & internis quiescit. *Isa.* 57. Iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum. *Supra* 12. Generatio mala & adultera signum quærit.

Vigilate ergo: quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.

Hic inducit admonitionem cautelæ: & diuiditur in partes tres. In prima ponit admonitionem: in secunda huius admonitionis ex rebus domesticis ponit persuasionem: in tertia autem mittit ad eam ex consideratione iudicij [illegible] Domino iudice [illegible] accipiunt meritorum: & hæc patent in literis. Dicit igitur [Vigilate ergo] hoc est, vigilanti animo vos circumspicite. 1. *Pet.* 4. Prudentes estote, & vigilate in orationibus. *Rom.* 13. Hora est iam nos de somno surgere. 1. *Pet.* 5. Sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide. *Apoc.* 3. Esto vigilans. Et subiungit causam [quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit] ad iudicium [illegible] quod est in [illegible] morte: aut vniuersale, quod erit in generali resurrectione. *Apocalyp.* 3. Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quando veniam ad te. *Ecclesiast.* 9. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues comprehenduntur laqueo: sic capiuntur homines in tempore malo.

Illud autem scitote: quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam: ideò & vos estote parati: quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est.

Persuasio est ad vigilandum. & dicit duo: Rationem à minori [illegible] & admonitionis repetitionem. Ratio est: quia si pro damnis temporalibus cauendis solerter vigilatur, tunc multò magis vigilandum est solerter pro [illegible] & hoc est [Illud autem scitote] hoc est, attendite [illegible] hoc [illegible] non [illegible] [quoniam si sciret] hoc est, præsciret [paterfam.] [illegible] [qua hora] noctis [fur venturus] Qui furto, quod est [illegible] [illegible] Veteres codices habent [illegible] [illegible] *Psalm.* 73. [illegible]

increpatione vultus tui peribunt. [Ideóque & vos] quibus non vna hora, sed continuò domus suffoditur. 1. *Corinth.* 15. Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres. Nec incertum, sed certum est, quòd fur venturus sit [esto. par.] *Tit.* 3. Admone illos principatibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. *Psal.* 118. Paratus sum, & non sum turbatus [quia qua hora non pu.] Sancti tamen in omni hora putant: Et ideò *Sap.* 4. dicitur. Iustus qua morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Et *Ibidem.* Consummatus in breui expleuit tempora multa. Malus autem quia semper sperat longiorem vitam, subitanea semper morte præoccupatur. *Luc.* 12. Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam: & quæ parasti, cuius erunt? [filius hominis venturus est] certissimè ecce veniet. *Hebræ.* 10. Adhuc modicum aliquantulum, & qui venturus est, veniet, & non tardabit *Habac.* 2. Si moram fecerit tibi, expecta eum; quia veniet, & non tardabit.

Quis putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?

Hic inuitat ex consideratione diuersorum stipendiorum vigilantium & non vigilantium: bonorum, & malorum seruorum: & dicit duo: primò quæ fiunt bono vigilanti seruo: & postea quæ malo & dormienti *Ibi* [Si autem dixerit malus]. In primo autem adhuc duo dicit: considerationem videlicet meriti: & considerationem præmij ponendo *Ibi* [Beatus seruus &c.] Notandum autem, quòd hic in fine tres inducit parabolas, quarum ista competit Prælatis, qui assumuntur, vel relinquuntur: sequens autem contemplatiuis, quæ est de virginibus: & tertia actiuis, quæ est de seruis, quibus commissa sunt bona. De merito igitur vigilantis serui sex tangit: raritatem, fidelitatem, obsequij humilitatem, prudentiæ circumspectionem, ordinariam auctoritatem, & dispensationis vtilitatem. Primum est virtutis & honestatis, secundum autem optimæ intentionis & simplicitatis, tertium est veræ sui Domini imitationis, quartum prouisionis & ordinis, quintum optimæ vocationis, sextum est ædificationis. Per primum excellit & efficitur idoneus, per secundum Deo vt Domino paratus, per tertium congruit officio, per quartum congruit honori gradus, quem sortitur, per quintum vtilis regimini: & per sextum vtilis est proximo.

Dicit igitur [Quis putas &c.] Non impossibilitatem, sed raritatem notat. 1. *Corinth.* 4. Hic iam quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. *Prouerb.* 20. Multi misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? *Ecclesiast.* 7. Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni. Et ideò cum vnus Samuel inuentus esset, dixit Sacerdos matri: Reddat tibi Dominus pro fœnore, quod commodasti Domino. 1. *Reg.* 3. [fidelis] autem est intentione. *Bernardus.* Profectò fidelis minister eris, si de vniuersa gloria Domini tui, etsi transeunte per te, nihil manibus tuis adhærere contingat. 1. *Reg.* 3. Cognouerunt omnes à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini: qui totum Deo, nihil sibi attribuit. Sicut Ioseph *Genes.* 42. *Hebræ.* 3. Moyses fidelis erat tanquam seruus in tota domo Dei, in testimonium eorum, quæ erant dicenda. *Eccl.* 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua. *Eccl.* 45. In fide & lenitate illius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. 1. *Regum* 22. Quis in omnibus seruis tuis sicut Dauid fidelis in regno tuo? ingrediens & egrediens & pergens ad imperium Regis [seruus] In hoc notatur obsequij humilitas. *Supra* 20. Quicunque voluerit inter vos esse maior, erit vester seruus. *Phil.* 2. Hoc sentite in vobis, quod & in Christo IESV: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens *Isa.* 49. Seruus meus es tu, Israel, quia in te glorificabor [& prudens] arbitræ omnium suorum. Sapientis enim est ordinare: & ideò prudens esse debet, vt totam ordinet verbo & scientia familiam Domini. *Prouerb.* 14. In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet. *Suprà* 10. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.

Quem constituit Dominus] Ecce vocationis electio. Huiusmodi enim [constituit Dominus]. Non munus, non sanguis, non fastus secularis. *Hebræ.* 5. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. *Ierem.* 1. Ecce constitui te hodie super gentes & super regna. *Psalm.* 44. Constitues eos Prin. super o. terram [super familiam suam] Ecce vtilitas regiminis *Exod.* 18. Constitue ex eis Centuriones, & Decanos, & quinquagenarios, & tribunos. *Act.* 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo constituit vos Spiritus sanctus Rectores & Episcopos regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. Et ad quid constituit [vt det illis cibum in tempore] Opportune enim distribuenda sunt pabula pro congruentia personarum & locorum & temporum. *Psalm.* 144. Omnia à te expectant, vt des illis cibum in tempore opportuno. *Eccl.* 20. Ab ore fatui reprobabitur parabola: quia non dicit illam in tempore suo. Cibum autem dicit verbi, exempli, & temporalis subsidij: quia ad hoc aurum habet Ecclesia, vt dicit *Ambros.* vt distribuat pauperibus. *Ioann.* 21. propter hoc dicitur Petro ter: Pasce, Pasce, Pasce. *Eze.* 34. Totum capitulum est de ista materia. Sic [Quis putas] idoneitatis dignitate [est fidelis] in intentione [seruus] humilitatis affectione [& prudens] in officij executione [quem constituit Dominus] in officij susceptione [super familiam suam] in gubernationis mansuetudine. *Esther.* 13. Volui nequaquam abuti potestatis magnitudine, sed in mansuetudine gubernare subiectos [vt det illis cibum in tempore] temporali subsidio & exemplo & prædicatione.

Beatus ille seruus, quem, cum venerit Dominus eius, inuenerit sic facientem: Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Hic tangit primò præmium aureæ, & postea tangit præmium aureolæ. Beatitudo enim est status omnium bonorum congregatione perfectus: & hæc est aurea, quæ imponitur capiti bonorum seruorum. *Ecclesiast.* 45. Corona aurea super mitram eius, expressa signo sanctitatis [quem cum venerit Dominus eius] *Prouer.* 8. Beatus, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei [inuenerit sic facientem] *Gal.* 6. Dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei. *Ecclesiast.* 9. Quodcunque valet manus tua, instanter operare: quia nec scientia, nec ratio, nec opus, nec cibus est apud inferos, quò tu properas [Amen dico vobis] Confirmatio est, vt maius solatium spei sit in dicto [quoniam super omnia bona sua constituet eum] Hoc est præmium aureolæ, quod debetur officio Christi. 1. *Timoth.* 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Maximè qui laborant verbo & doctrina. Hoc enim est constituere super omnia bona: quod est gloriari in se & de bono, quod est in tota Dei familia, quam optimè gubernauit. *Daniel.* 12. Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti. Et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Si autem dixerit malus seruus ille in corde suo: moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem, & bibat cum ebriosis.

Sumit hic rationem à stipendiis mali serui, siue mali Prælati: & tangit duo, malitiam culpæ, & stipendium pœnæ. Malitiam culpæ tripliciter exaggerat secundum corruptionem rationis, irascibilis, & concupiscibilis. Corruptio rationis notatur in hoc, quòd dicit [Si autem dixerit seruus ille malus in corde suo] *Psal.* 13. Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. In quo autem corruptus sit, subdit: quia dicit [Moram facit Dominus meus venire.] Sperat enim longam vitam, & euadere iudicium. Contra quod dicitur 2. *Machab.* 7. Noli frustrà extolli vanis spebus: quia non effugies iudicium Dei. *Ecclesiast.* 18. Vidit præsumptionem cordis eorum, quoniam malum est: & cognouit subuersionem illorum, quoniam nequam est. 1. *Pet.* 3. Ex quo dormierunt patres, eorum omnia sic perseuerant [& cœperit percutere conseruos suos] Ecce corruptio [illegible] *Corinth.* 8. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientias eorum [illegible] in Christum peccatis. *Ecclesiast.* [illegible] subiectos suos [manducet autem & bibat cum ebriosis.] Ebrius dicitur [illegible] hoc est, mensuram bibens [illegible] sobrio proportionatus [illegible] excedens, & bibens [illegible] subuersionem [illegible] & sunt illi Prælati [illegible] quærunt, nisi voluptatem. De quibus dicitur *Ecclesiast.* 10. Væ terræ, cuius Rex puer est: & cuius Principes mane comedunt [illegible] *Eccl.* 37. Propter crapulam multi perierunt. *Prou.* 20. Luxuriosa res est vinum: tumultuosa ebrietas. *Rom.* 13. Non in cubilibus & impudicitiis: non in comessatione & ebrietate.

Veniet Dominus serui illius in die, qua non sperat, & hora, qua ignorat.

Tangit hic pœnam: & dicit duo, iudicium, & pœnam. Circa iudicium tangit tria: appropinquationem, præoccupationem, ignorantiam. Ex primo est certitudo damnationis: ex secundo reatus accusationis: ex tertio periculum sententiæ mortis. De primo dicit [Veniet Dominus serui illius] cuius iudicare interest & vindicare. 1. *Corinth.* 4. Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. [in die, qua non sperat] quia adhuc sperauit diu viuere; & ideò præoccupatur. *Daniel.* 4. Vigil & sanctus descendit de cælo, & clamauit fortiter dicens: Succidite arborem [& hora, qua ignorat] quòd periculosum est: quia tunc non patet locus fugiendi, nec ordinatæ sunt rationes [illegible], nec habetur tempus emendandi. *Iob* 41. Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

Et diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus, & stridor dentium.

Ecce pœna triplex, damni, [illegible] & sortis in inferno, & afflictionis. Dicit igitur [Diuidet eum] à consortio bonorum. Vel [diuidet] quia cum ex duobus componitur. Agni enim vellus est extra, in vice Christi, quam obtinet. Lupi malicia est intus in opere, quod exhibet: & hæc duo diuidentur: quia locus sanctus liberatur, & ipse diabolo assignatur. 2. *Cor.* 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? *Osee.* 10. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt. 3. *Reg.* 18. Quousque claudicatis in duas partes. Miphiboseth vir confusionis, claudus erat vtroque pede 2. *Reg.* 9. Hoc est, quod dicitur *Dan.* 5. Mane, thekel, phares. Hoc est, numeratum, appensum, diuisum. Regnum enim talis Prælati [illegible] loco [illegible] datur meliori [partemque eius] hoc est sortem [ponet cum hypocritis] qui aliud sunt extra. Extra enim obtinet Christi locum [illegible] vel Luciferi [illegible] [ibi erit fletus] [illegible] [& stridor dentium] [illegible] Hoc supra dictum est &c.

CAP. XXV.

Tunc simile est regnum cælorum decem virginibus.

Hic adhuc inducit duas parabolas, in quibus monet ad vigilandum: & tandem in fine declarat modum & ordinem iudicij extremi, propter quod vigilandum est: & hæc est diuisio istius capituli. Parabolæ autem istæ distinguuntur: quia prior ad vigilantiam munditiæ & continentiæ contra peccatum, & præparationem virtutis: & ideò attribuitur contemplatiuis, quorum est studium virtutis, & puritatis & decoris proprium. Sequens autem inducitur ad vigilantiam instantiæ operis, & multiplicationis bonorum operum: & ideò attribuitur actiuis bonis. Modus igitur primæ parabolæ est, quòd primò inducit parabolam, & secundò inducit intentionem vigilantiæ, cùm dicit [vigilate itaque] Parabola est in duobus: in studio puritatis & decoris quoad meritum: & in discussione sinceritatis & intentionis quoad iudicium *ibi* [Media nocte] Studium puritatis quoad meritum duplex, vel triplex, scilicet, quoad studij illius conceptum; & quoad profectum, & quoad complementum perseuerantiæ. Profectus est *ibi* [Quæ accipientes lampades suas &c.] Complementum est *ibi* [Moram autem faciente &c.] In primo horum tria notantur, scilicet, duo assimilata, & ratio assimilationis eorum: & ratio assimilatorum est *ibi* [Regnum cælorum] Nec regnum cælorum hic aliud intelligitur nisi studium pulchritudinis: quod secundum leges ad cælum ducentes homini proponitur. *Ecclesiastici* 44. Studium pulchritudinis habentes, & pacificantes in domibus suis. *Suprà* 13. Colligent de regno eius omnia scandala. *Sap.* 5. Accipient de manu Domini regnum decoris, diadema speciei. Aliud isti assimilatum est decem virgines, cùm dicit [decem virginibus] hoc est, virginalibus mentibus, quæ conceptam fidei puritatem cum nullo illicito deuirginant amatore. 2. *Corinth.* 11. Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo. Esther 2. Quærantur Regi virgines speciosæ. *Psal.* 44. Adducentur Regi virgines post eam. *Sap.* 3. Felix, quæ nesciuit thorum in delicto. *Suprà* 19. Sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum.

Hæ virgines decem dicuntur aut propter decem mandatorum obedientiam. Sed tunc non consequenter quinque essent fatuæ: quia summa sapientia est Dei mandatis intendere: aut dicuntur meliùs decem, propter custodiam decem sensuum, quinque exteriorum, & quinque interiorum, qui mentem illibatam deflorant, & deuirginant. Primus autem inter exteriores est tactus, in cuius delectatione est ipse concubitus. Tamen etiam tactus impudici multum corrumpunt mentis puritatem. Vnde *Hiero.* Tactus & ioci, risus & sibili, mouentur virginitatis solent esse principia. Ideò de purissima cantamus: Beata mater & intacta Virgo. Est etiam gustus quodammodo afferens libidinem: propter quod dicitur *Ephe.* 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Et *Genes.* 9. Verenda Noë nudata sunt, cùm vinum bibisset. Et *Gen.* 19. Filias Loth ebrius corrupit. *Hiero.* Non Ætnei montes, non vulcani ignes ita æstuant, vt iuueniles medullæ vino & dapibus inflammatæ: ideò dicitur, quod Princeps cocorum templum Domini, quod virgo est secundum Apostolum, succendit. Tertium est odor odoramentorum luxuriosorum: signum enim est petulantiæ. *Isa.* 3. habere olfactoriola, & præferre rosas in manibus, & huiusmodi. Vnde prouer. 7. Mulier vaga & garrula inter alia dicit: quòd cubile aromatibus aspersit, & præcipuè his, quæ libidinem accendunt. Quartus est auditus turpium. 1. *Corinth.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. Et econtra de puris dicitur *Canti.* 1. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento, hoc est ornamenta aurea dabimus, diuina, & candidà puritate virginali. *Psalm.* 44. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam &c. Visus est quintus: qui enim viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mechatus est eam in corde suo. *Suprà* 6. Gen. etiam. 3. Mulier primò conspexit lignum quòd esset pulchrum oculis, aspectuque delectabile. *Genes.* 33. Dina rapta est, cùm egressa esset ad videndum, vt videret, & videretur. *Iob cap.* 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem quidem de virgine. Interiores autem sunt turpis imaginatio, turpium memoria præteritorum, sensualis motus turpium, & cogitatio turpis, & concupiscentia. Imago enim turpis præ cordis oculis posita, corpus laxat ad illicitum, & mentis puritatem violat. Vnde Dominus improperat *Ezech.* 16. quòd mulier fornicaria fecerit sibi imagines masculinas magnarum carnium. *Ierem.* 2. Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix: quod esse non potuit nisi per imaginationem: turpium autem memoria multum violat. Vnde *Num.* 11. Illi, quibus venerunt in memoriam pepones, & allia, & carnes, voluerunt redire in Ægyptum. Et ideò intemerata virgo monetur in *Psalm.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Sensualis autem motus, est animalis & brutus motus non restrictus: & ille vocatur serpens, qui corrupit Euam *Genes.* 3. *Corinth.* 11. Timeo, ne sicut serpens corrupit Euam: ita corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo Iesu. Sæpe enim fit, dum motus tentationis non restringitur, quòd ingrauescente tentatione, etiam mens ad consentiendum illicitæ delectationi deducitur. Cogitatio autem est, quando talia in corde cogitantur: & qualia sint, & qualiter perficiantur, mente curiosa perquiritur. Et dum primo ex curiositate talia imaginantur: postea ingerente se delectatione, mens polluitur, & illicitè delectatur: & ideò dicit *Apost.* 1. *Cor.* 6. Fugite fornicationem: quia pestis ista non nisi fugiendo vincitur, vt diu toto à cogitatione mentis abijciatur: & ideò dicit *Philos.* Quod sapientes passi sunt ad Helenam; hoc nos pati oportet ad delectationem venereain: sapientes autem vela Helenæ fugerunt, ne illicito corrumperentur amore. Vltimum autem concupiscentia, omnia violat: propter quod Deo laudabilis virgo dicit *Tob.* 3. Nunquam cum ludentibus me miscui, neque cum his, qui in leuitate ambulant, participem me præbui. Nunquam concupiui virum: mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia.

Vel Quinque sensus interiores sunt, quos ponunt *Philos.* Sensus communis, qui sensata componit: imaginatio, quæ imaginem absentis rei retinet & repræsentat: æstimatio, quæ amicum & inimicum; & conueniens & inconueniens sibi ex sensibilibus elicit: & phantasia, quæ elicita componit & diuidit: memoria, quæ sicut in thesauro omnia reponit.

Sed & adhuc quinque sensus sunt corporei, quos diximus: & quinque spirituales, qui ad malum extenti violant, ad bonum extensi conseruant mentis castitatem. Et tactus quidem est experientia coniunctionis in corde per delectationem, gustus autem est dulcedinis rei, quæ reducitur ad cordis palatum: odoratus autem perceptio euaporationis boni, vel mali, quod per cordis nares distribuitur, quando cor meditando illud quasi diuidendo distribuit, & quid vigoris intùs habeant, cognoscere quærit: auditus autem spiritualis est, quando verba, & cantus, & huiusmodi amati ad cor reuocantur: visus autem in speciem amati, quod oculis cordis ingeritur. De tribus autem simul dicitur 1. *Ioan.* 1. Quod vidimus quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, hoc annunciamus vobis. De gustu 1. *Pe.* 2. Si tamen gustatis, quoniam dulcis est Dominus. De odore 2. *Corin.* Christi bonus odor sumus Deo in his, qui pereunt: & in his, qui salui fiunt. *Cant.* 1. Curremus in odorem vnguentorum tuorum. Sic ergo decem sunt. *Psalm.* 32. In psalterio decem chordarum psallam tibi. Lignum enim aridum psalterium supra sonans, virginitas est, quæ. *Isa.* 56. dicit: Ecce ego lignum aridum: decem autem cordæ decem sunt castitatem obseruantia, quæ diximus, quando ad mortificationem carnis extenduntur.

Quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso & sponsæ.

Hic tangit profectum dupliciter, sub modo videlicet conuenientiæ, & sub modo [illegible]. Sub modo conuenientiæ tangit quatuor, voluntarium, & integritatis propositum, pulchritudinis studium. A commodo carnis recessionem, & ad receptionem sponsi processum. Voluntarium integritatis propositum notatur, cùm dicit [Quæ accipientes] sponte propriamon enim est necessitatis, sed liberæ voluntatis. 1. *Cor.* 7. De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do tanquam [illegible] consecutus à Domino, vt sim fidelis. [illegible] Non peccat mulier, si nubat: [illegible] si sic permanserit secundum [illegible] 19. Non omnes capiunt hoc verbum. Pulchritudinis studium notatur, cùm dicit [lampades suas] Lampas est lucerna lucida, perspicua luminis contentiua: & hoc est corporis integritas perspicuæ munditiæ. [illegible] quia in [illegible] omnibus huiusmodi [illegible] tiæ. *Iob* 12. Deridetur iusti simplicitas [illegible] contempta apud cogitationes [illegible] lucerna [illegible] bona [illegible] hoc est [illegible] ideò [illegible] quasi [illegible] lampades [illegible] lampades [illegible] *Reg.* 3. *Zacha.* 4. A Commodo corporis [illegible] notatur, cùm dicitur [exierunt] *Zacha.* 2. O o o fugite de terra aquilonis. *Apoca.* 18. Exite ab ea populus meus. *Isa.* 52. Exite, exite: pollutum nolite tangere. Mundamini, qui fertis vasa Domini [obuiam] Christo [sponso] Processus notatur, cùm subinfertur [obuiam sponso & sponsæ] Et hoc fit per occursum desiderij & deuotionis in oratione, & profectu boni operis. *Amos* 4. Præparare in occursum Dei tui Israël. Sponsus autem est Christus, de quo dicitur in *Psalm.* 18. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Sponsa autem est Ecclesia *Eph.* 4. Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Vel melius. Sponsus est filius Dei, secundum quòd est verbum Patris: & Sponsa est humana natura, quæ est in partu virginis matris. *Ioan.* 3. Qui habet sponsam, sponsus est. *Sap.* 8. Hanc amaui, & exquisiui mihi eam sponsam accipere: & amator factus sum formæ ipsius.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.

Tangit hic differentiam in merito dupliciter, secundum habitum intellectus, & secundum habitum affectus. Secundum habitum quidem intellectus: quia [Quinque ex eis erant fatuæ] quæ destitutæ erant habitu intellectus: fatuitas enim est, quando dissoluta lasciuia fertur quis ad sensibilia per animalitatem, quam intra metas mentis spiritus rectos non continet: & hæc fatuitas dicitur incontinentia, quando vis illecebrosæ passionis, à regimine sapientiæ abducit motus corporis, & efficitur vaga, garrula, quietis impatiens. *Prou.* 7. Cum ludentibus se miscens: & cum his, qui in leuitate ambulant, participem se præbens. *Tob.* 3. Hanc enim virginem etiam vulgus fatuam consueuit appellare. Et Philosophus in 7. *Ethi.* dicit: quòd lusiuus etiam est incontinens. Et in *tertio*: Nomen incontinentiæ ad puerilia peccata inferimus. Quinque autem sunt, propter quinque sensus delectabilia, in quibus fatuitates exercent [& quinque prud.] per oppositum. De quibus dicitur *Eccl.* 14. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & in iustitia meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei. Istæ enim prudentes dicuntur: quia sensualitatem ad iustitiæ medicamentum, cum prudenter [illegible] in quibus fatuæ locum occupare debent [illegible] reuocant ad [illegible] in sapientia, cum sapientiæ [illegible] in nullo excedunt.

Vel Quinque sunt: propter quinque, quæ [illegible] integritatis [illegible] Angelicæ [illegible] virginalis Christi [illegible] *Leu.* 11. dicit: Sancti [illegible] 1. *Cor.* 3. [illegible]

 quæ

quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore & spiritu. Imaginis etiam Angelicæ virginitas est æmulatrix. Et hoc fit, dum adeò indesinenter vultui Dei assistit, quòd etiam ministrans circa thorum maritalem, connubia disponens & tractans non inquinatur. Sicut Raphael Angelus *To.* 7. & 8. *Matth.* 22. & *Lu.* 20. Neque in resurrectione nubent, neque nubentur: sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. *Sap.* 9. Propter suam munditiam nihil inquinatum incurrit in illam: & hæc munditia multùm necessaria est Prælatis, qui ordinare debent actus carnalium, vt non polluantur ex ipsis. Et hoc propriè vocatur cælibatus: est enim delibatio munditiæ cælestis. Plenitudinis autem Christi concupiunt decorem: quando verbum ita quiescit in cordibus earum, quod carni mistum habitat in eis: effundens id, quo vnigenitum præfulget à Patre plenum gratiæ & veritatis *Ioan.* 1. Ita quòd dicatur de ipsis. Myrrha & gutta & casia spirant à vestimentis tuis à Domibus eburneis castis: ex quibus delectauerunt te diuites filiæ Regum nobiles in honore tuo. Et illud *Prou. vlt.* Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu sola supergressa es vniuersas. Exemplo autem virginis matris ab omni inquinamento liberam seruant sanctitatem, dum totum corpus spiritui mancipant, & spiritum Spiritui sancto subiiciunt. Sic enim venit in eas Spiritus sanctus, & virtus Altissimi filij Dei conceptum format in ipsis. *Isa.* 26. A facie tua concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum salutis. *Ecclesiast.* 24. Inebriabo partus mei fructum. Ducibus autem virginibus sacris, incoinquinati certaminis præmium vincunt, *Sap.* 4. Et in perpetuum coronatæ triumphent, aduersus carnem, & sanguinem resistentes. 1. *Cor.* 7. Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt: vt sit sancta corpore & spiritu. Hæc enim est illa, de qua dicitur *Gen.* 24. Virgo pulcherrima & incognita viro. *Psalm.* 44. Adducentur Regi virgines post eam; proximæ eius.

Econtra fatuæ sunt, quæ diaboli habent integritatem in corpore, inferni semper plenæ igne & fœtore apparentiam exterius Antichristi, spurcitias immundas mundi, & ad omnem virum capiuntur: quæ nunc in nullo nisi in exteriori opere, tentationi libidinis resistentes: De quibus dicitur *Isa.* 3. quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & nutibus oculorum ibant, & composito gradu incedebant: & ideò decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. *Thren.* 1. Virgines eius squalidæ, & ipsa oppressa amaritudine. *Eccle.* 42. Super filiam luxuriosam confirma custodiam. Fatuitas enim est virginis, gestum accipere meretricis, & habitum contra morem sanctarum virginum, spurcitias cordis [illegible] sanctitatem gloriari virginis, nihil habere gratiæ sponsi contra gratiæ plenitudinem, quæ est in Christo, ardere igne infernali libidinis contra integritatem & sanctitatem angelicam: & sola & sterili integritate corporis esse contentam contra fœcunditatem incorruptionem diuinam. Hæc enim sicut dicit [illegible] virgo corpore omni deuirginatur gestu, [illegible] & cogitatione, lupanar diaboli existens.

Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum:

Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

Describit hic differentiam harum virginum in affectu intellectum sequente [Acceptis lampadibus] integritatis, fidei & corporis. Istæ in sinistris manibus habebant lampades. *Iudi.* 7. Sinistris manibus tenebant lampades: quia totum ad inanem gloriam referebant, interiùs cum diabolo luxuriantes. 2. *Pet.* 2. Pellicientes animas instabiles [non sumpserunt oleum] Pietatis in affectu gloriæ, in testimonio conscientiæ: illustrationis in intentione: charitatis in amplexu Dei: misericordiæ in compassione proximi. Pietas enim vngit: testimonium conscientiæ exhilarat: recta intentio totam vitam illuminat: charitas impinguat: & misericordia supernatat: quæ quinque habet olei natura. Hoc oleum non sumpserunt [secum] quia hæc per laudem quæsiuerunt in alio, & non in seipsis. *Eccl.* 20. Gratiæ fatuorum effundentur. *Osee* 12. Oleum in Ægypto ferebat.

Prudentes verò] dictæ prudentes: quia sibi prouidentes [acceperunt oleum] vnctionem Spiritus. *Isa.* 61. Eo quòd vnxerit me Dominus. *Psalm.* 44. Vnxit te Deus oleo lætitiæ præ &c. Hilaritatem cordis in deuotione. *Psalm.* 103. Vt exhilaret faciem in oleo. Fomentum lucis in boni exempli ostensione. *Zachariæ* 4. Isti sunt filij olei splendoris, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ. Pinguedinem deuotionis. *Iudicum* 9. dicit oliua: Non possum deserere pinguedinem meam, qua vtuntur dij & homines, & ire per vanam gloriam: vt inter ligna irrationabilia promouear in laude hominum. Vbertatem gratiæ *Ierem.* 11. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam speciosam vocauit Dominus nomen tuum. Hoc oleum sumpserunt [secum] *Gal.* 6. Probet semetipsum homo: & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero [in vasis suis] hoc est, cordibus. Vnde. 4. *Reg.* 4. Vxori Prophetæ filij vasa offerebant: & illa infundebat. 2. *Cor.* 4. Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus: vt sublimitas non sit ex nobis. [cum lampadibus] fidei integritate quoad credenda: & corporis munditia quoad castitatem. Hæc igitur quinque dicuntur [sumpserunt] enim per meritorum conseruationem [oleum] per pietatis affectionem [secum] per propriam ædificationem [in vasis suis] per cordium custodiam [cum lampadibus] per exteriorem munditiam: quæ omnia deficiunt fatuis, præter vltimum, quod vanum est sine aliis. *Prouer.* 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo Iusti: & imprudens dissipabit illud.

Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt.

Hic tangitur conformitas istarum virginum in perseuerando: & dicuntur duo, scilicet, dilatio iudicij, & surrepens dormitatio ex dilatione iudicij causata. De primo dicit [Moram autem faciente sponso] hoc est, differente iudicium. *Supra* 24. Moram facit Dominus meus venire. Et obiicitur contra hoc *Iac. vlt.* Ecce iudex ante ianuam assistit. *Apoc.* 22. Ecce venio velociter. *Isa.* 46. Prope feci iustitiam meam, non elongabitur: & salus mea non morabitur. *Isa.* 56.
Prope

Prope est, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Responsio. Respectu æternitatis prope est: Sed respectu desiderij Sanctorum & irrisionis peccatorum longè est. De desiderio Sanctorum, *Apoc.* 6. Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum ab his, qui sunt in terra? *Psalm.* 12. Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? De irrisione peccatorum, qui non credunt venturum, eo quod ita diu differtur, dicentes illud 2. *Pet.* 3. Ex quo dormiunt patres, omnia sic perseuerant. *Isa.* 28. Irriserunt Prophetas mandata Domini nuntiantes & dixerunt: manda remanda, manda remanda; expecta reexpecta, expecta reexpecta; modicum ibi, & modicum ibi. Contra quod dicitur. *Habac.* 2. Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Sponsus autem est Christus. *Psalm.* 18. Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Et qua ratione sit sponsus, *Supra* dictum est. Sequitur [dormitauerunt omnes] Dupliciter exponitur. Dormitare enim est langore destitui: & dormire, corporaliter mori. *Ioan.* 11. Lazarus amicus noster dormit. Somnus enim est mors, eo quòd mortui sunt suscitandi sicut dormientes. *Dan.* 12. Multi de his, qui dormiunt in terræ puluere &c. *Psalm.* 126. Cum dederit dilectis suis somnum. Alio modo secundum *Chrysost.* [dormitauerunt omnes] præ expectationis tædio. *Psalm.* 118. Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me &c. [& dormierunt] [illegible] ignauia & torpore [illegible] à bono opere. *Prouer.* 6. Vsquequo piger dormies? paululum dormies, paululum dormitabis. 1. *Cor.* 15. Euigilate iusti. Ignorantiam enim Dei quidam habent vsque nunc. *Osee* 7. Tota nocte dormiuit coquens eos.

Media autem nocte clamor factus est.

Hic tangitur præoccupans eos in somno iudicium: & tanguntur tria, scilicet, citatio, præparatio ad veniendum, & introitus. Citatio est æqualis fatuarum & prudentium: præparatio partim æqualis, & partim differens: introitus ex toto inæqualis & differens. De citatione dicit tria esse circa iudicium, scilicet, quod improuisum, quod apertum, quod peremptoriè citatiuum. Quod improuisum quia [media autem nocte] hoc est, mediis tenebris ignorantiæ. *Sap.* 18. Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine, venit. [illegible] quòd non pro qualitate temporis, sed pro [illegible] improuisionis horæ iudicij [illegible] quia 1. *Thess.* 5. Dies Domini sicut fur in nocte veniet. *Sap.* 17. Nulla vis ignis [illegible] derum lympidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam. [illegible]

Psalm. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi [clamor factus est] Fragoris mundi, & vocationis angelicæ, & vocis Christi. De quibus *Supra* dictum est. *Isa.* 6. Commota sunt superliminaria domus à voce clamantium. *Ioan.* 5. Mortui audient vocem filij Dei.

Ecce sponsus venit: exite obuiam ei.

In ista peremptoria citatione duo dicit, scilicet, aduentum sponsi, & citationem. Aduentus sponsi exprimitur, cum dicit [Ecce sponsus venit] *Dan.* 7. Filius hominis venit, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum [exite obuiam ei] *Amos* 4. Præparare in occursum Dei tui Israel. Iste autem exitus est vocatio obuiam Christo in aera. Sicut dicitur. 1. *Thes.* 4. Simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.

Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.

Ecce ad veniendum præparatio: in qua in aliquo sunt similes, & in aliquo dissimiles [illegible] Deo. Quicquid enim pulchri ornatus in conscientiis tam bonorum, quàm malorum, commendabitur à lumine iudicis [lampades suas] hoc est, conscientias, vel corda sua. Ideò enim dicitur: Paraui lucernam Christo meo. *Luc.* [illegible] Accendit lucernam & euertit domum, & quærit diligenter [illegible]

Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguntur.

[illegible]
scilicet

scilicet, fiduciæ vanæ deceptio: communicationis bonorum alienorum petitio: & imperfectionis propriæ confessio. Dicit ergo [fatuæ autem] videntes se fiduciam non habere in exteriori munditia, & solius fidei integritate [sapientibus dixerunt] Simile quid est, *Sap.* 5. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum &c. Et sequitur: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei: & inter Sanctos sors illorum est [Date no. de oleo vestro] Ecce petitio communicationis alieni boni. Sensus enim est: Communicate nobis de bonis, in quibus conscientiæ vestræ abundant: tardè commemorantes illud *Apostol.* 2. *Cor.* 8. Vt æqualitas fiat, vestra abundantia nostræ inopiæ sit supplementum. *Psalm.* 75. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Viri enim diuitiarum sunt illi, qui in imperfectis & informibus bonis exterioris munditiæ se putant sufficere. *Iob* 27. Diues cum dormierit, nihil secum auferet: & aperiet oculos suos, & nihil inueniet. *Prouer.* 20. Mendicabit æstate, & non dabitur ei [quia lampades nostræ extinguuntur] Ecce confessio insufficientiæ. Lampades enim extingui, est conscientias ab interni boni lumine destitui. *Iob* 21. Quoties lucerna impiorum extinguetur, superuenient eis inundationes & dolores. Econtra de forti muliere dicitur *Prou. vlt.* Non extinguetur in nocte lucerna eius. *Ioan.* 5. Ille erat lucerna ardens & lucens. Sed illis accidit sicut *Heli.* 1. *Reg.* 3. quòd non vidit lucernam Dei, antequam extingueretur. Non enim primò prouiderunt thesauros olei in vasis: nec considerauerunt lampades, antequam coram iudice extinctas conspexerunt. Dicunt autem [extinguuntur] & non extinctæ sunt: Vt notetur, quòd bonum informe ante aduentum iudicis in oculis earum fulsit multum; vnde laudes (aliàs lampades) quæsiuerunt. Sed lumine iudicis discutiente quod ad laudem hominis factum fuerat, extingui cœpit & offuscari. *Dan.* 5. Inuentus est minus habens. *Apo.* 3. Dicis, quia diues sum, & nullius egeo: & nescis, quia miser es, & miserabilis, & pauper, & nudus, & cæcus,

Responderunt prudentes dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.

Ista prudentium responsio, est propriæ humilitatis ostensio: & peccati fatuarum obliquè facta exprobratio: & ideò dicit [Responderunt pru.] ex prudentia sua prouidentes [dicentes] Simile quid *Iob* 5. Voca ergo, si est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere [ne fortè non sufficiat nobis & vobis] Non est diffidentiæ, vel auaritiæ responsio. *Hebr.* 40. Sint mores sine auaritia contenti præsentibus. Ipse enim dicit: non te deseram, neque derelinquam. Sed humilitatis est, & veritatis. Humilitatem enim notant dicentes [Ne fortè non sufficiat nobis] 4. *Reg.* 4. Viuat anima tua: quia non habeo ego ancilla tua, nisi modicum olei in lecyto, quo vngar. Veritatis autem est, quod dicunt [non sufficiat nobis & vobis] Nulli enim suffragantur aliena, qui cum alienis non habet propria: quia sicut in sequentibus eiusdem capituli dicitur: Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, etiam id, quod videtur habere, auferetur ab eo. Vnde dicitur *Ierem.* 8. 11. 14. Noli orare, pro populo isto: quia non exaudiam te. *Rom.* 14. Vnusquisque pro se rationem reddet Deo [ite potiùs ad vendentes] Non est consilium: sed obliquè reprehendunt vitam præteritam: oleum enim est laus humani fauoris demulcens; quod omnibus bonis suis semper emere à vendente mundo consueuerunt. *Eccl.* 7. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. *Psalm.* 140. Corripiet me Iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Isa.* 2. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

Dum autem irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.

Hîc tangitur in toto differens introitus: & tanguntur tria; occupatio fatuarum cum sponso veniente: & introitus prudentium: & perpetua exclusio fatuarum. Occupatio fatuarum tangitur, cum dicitur [Dum irent emere] Ire autem est conatu cordis adhuc laudes humanas quærere; quia in quia voluntate peccati quis moritur, in ea semper permanebit. Vnde *Suprà* 7. Discedite à me operarij iniquitatis. *Ezech.* 32. Descenderunt in infernum cum armis suis: & iniquitates eorum in ossibus eorum. *Eccl.* 27. Inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum [venit sponsus] Tangitur prudentium introitus: & dicuntur tria, sponsi aduentus, prudentium introitus, & ostij conclusio. Dicit igitur quod illis adhuc in emptione laudis occupatis [venit sponsus] illuminans abscondita tenebrarum, & ostendens illas adhuc hominibus velle placere; & ideò Christi ancillas non esse. *Gal* 1. *Ezech.* 43. Terra resplenduit à gloria eius [& quæ paratæ erant] soli Deo placere desiderantes, & in oleo lætitiæ abundantes, & lucernas ardentes per charitatis lucem in manibus habentes. *Cantico. vlt.* Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. *Lu.* 12. Similes hominibus expectantibus Dominum suum, non vagantibus ad quærendos fauores hominum [intrauerunt cum eo] *Infrà eodem* Intra in gaudium Domini tui. *Isa.* 26. Aperite portas: ingrediatur gens iusta custodiens veritatem [ad nuptias] coniunctionis Dei cum spiritu hominis. *Apoca.* 19. Venerunt nuptiæ agni: & vxor eius præparauit se [& clausa est ianua] repagula iniquitatis fatuarum. *Lu.* 11. Ostium meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili. *Ezech.* 44. Porta hæc clausa est: & non aperietur. *Apoca.* 3. Aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. Ianua enim regni, quæ modò pœnitentibus aperitur, tunc etiam lugentibus clauditur.

Nouissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.

Hîc tangitur perpetua fatuarum exclusio in tribus,

tribus, in tempore aduentus sui, in postulatione, & in exclusione. De primo dicit [Nouissimè verò veniunt] quando serus est aduentus: tunc veniunt per desiderium salutis, cùm adhuc vigeat in eis affectus iniquitatis. *Eccl.* 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim venit ira illius: & in tempore vindictæ disperdet te. *Isa.* 38. Viuens viuens confitebitur tibi [Dicentes: Domine, Domine, aperi nobis] Ecce vana de Dei misericordia præsumptio. Egregia quidem confessio in nomine Domini: & hoc ipsum nomen Domini repetitum magnæ fidei est indicium: sed quia tertiò Dominum per opus non confitentur, excluduntur. Simile *Suprà* 7. Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? *Tim.* 1. Confitentur se nosse Deum; factis autem abnegant. *Isa* 29. *Mat.* 15. Populus hic labiis me honorat. Istæ virgines fatuæ sunt sicut Scribæ & Pharisæi hypocritæ, extrà, & non intùs pulchræ. *Suprà* 6. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum [aperi nobis] Desiderium enim habent salutis, quamuis adhuc perseueret in eis emptio vanæ laudis. Sed quia sponso roganti cordis ianuam non aperuerunt: ideò rogatus ianuam regni non aperit. *Isa.* 1. Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam. *Thren.* 3. Cùm clamauero, & rogauero, auertit faciem suam. Et hoc est, quod sequitur [at ille respondens ait] obfirmante iustitia ianuam] Amen dico vobis; nescio vos] 1. *Tim.* 2. Nouit Dominus, qui sunt eius. *Sup.* 7. Confitebor eis: quia nunquam noui vos.

Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Conclusio est intenta ex omnibus præinductis. *Infrà.* 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et subdit causam vigilantiæ [quia nescitis diem] hoc est, temporis qualitatem: vtrùm in die, vel in nocte [neque horam] quoad quantitatis temporis determinationem. *Apoca.* 3. Ecce venio sicut fur. 1. *Thes.* 5. Cùm dixerint: pax & securitas: tunc repentinus superueniet eis interitus tanquam dolor parturientis, & non effugient.

Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos.

Hîc inducitur tertia & vltima parabola, quæ est ad admonitionem activorum, qui talenta Domini receperunt: & habet partes tres scilicet, bonorum commissionem, & ex commissis negotiationem, & ex commissis & lucratis Domini cum eis positam rationem: & hæc patent in litera plane. In commissione tria sunt, prouidentia committentis, debitum eius, cui committitur, & vilitas commissi. Prouidentia enim est, quod sua Dominus interim, dum abesset, multiplicari voluit: & ideò tria dicit, hominem vocat à ratione prouidentiæ, peregrè proficiscentem ratione absentiæ, vocantem seruos ratione beneuolentiæ. Dicit ergo [Sicut homo] prouidens ex ratione. *Sup.* 5. Iudex tradet te tortori: & sequitur: Non exibis inde, donec reddas vsque ad nouissimum quadrantem. *Suprà* 13. Simile est regnum cælorum homini, qui voluit rationem ponere cum seruis suis [peregrè proficiscens] hoc est, Christus in cælum ascendens: quia locus carnis terra est, quæ ad peregrina proficiscitur, cùm in cælesti sede collocatur. Vnde licet secundum quòd Deus vbique sit: tamen secundum quòd homo mutat locum. Vnde *Gen.* 20. Abraham profectus est ad australem plagam, & peregrinatus est in Geraris, quæ visio incolatus interpretatur [vocauit seruos suos] per beneuolentiam triplici vocatione [Multos] quadruplici quosdam, & in omnibus ostendit beneuolentiam: per creationem enim vocat omnes. *Rom.* 4. Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt &c. *Isa.* 41. Vocans generationes ab exordio per segregationem à massa perditionis: & sic vocat per primam gratiam. *Rom.* 8. Quos præsciuit conformes fieri imagini filij sui, hos & vocauit: & sic vocat Sanctos. Vocat etiam ad familiaritatem discipulatus. *Ioan.* 1. Venite, & videte: venerunt, & manserunt cum eo duobus diebus. *Psalm.* 33. Venite filij, audite me timorem Domini docebo vos. *Sup.* 11. Venite ad me omnes, qui laboratis &c. *Eccle.* 44. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me. Paucos autem vocat ad ministerium, & negotium curæ animarum, sicut seruos, de quibus hic loquitur. *Sup.* 4. Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.

Et tradidit illis bona sua: & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundum propriam virtutem: & profectus est statim.

Ecce commissio, in qua notantur quatuor, largitas videlicet committentis, distributio sapientis tam ad numerum quàm ad pondus, & proportio facultatis & virtutis accipientis ad acceptum, & relictum commissi ad liberum vsum: & hæc per ordinem patebunt in litera. Largitas est in hoc, quòd dicit [Tradidit illis bona] *Iacobi* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. Et *ibidem.* Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Deinde secundò tangit distributionem secundum numerum & pondus, secundum ordinem suæ sapientiæ: numerus enim notatur in hoc, quòd vni dedit quinque talenta, alij duo, & alij vnum: pondus autem in hoc, quòd talenta dedit: & mensura notatur in hoc, quòd vnicuique secundum propriam virtutem dedit. *Sap.* 11. Omnia in numero & pondere & mensura disposuisti. Sunt autem quinque genera bonorum, quæ exercentur in Ecclesia ad meritum, quorum primum est innatum, quod est bonum naturæ, sicut intellectus, & ratio & ingenium & huiusmodi, quorum habilitas est ad gratiam: & de hoc bono *Gen.* 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Secundum est bonum gratiæ, de quo *Sup.* 7. Si vos cum sitis mali nostis bona dare filiis vestris, quantò magis Pater vester cælestis dabit bona petentibus se? Et hæc duo necessaria sunt cuilibet ad meritum. Sunt alia duo, quæ necessaria sunt ad regimen animarum commissum, scilicet, bonum scientiæ ad docendum. *Sap.* 8. Proposui sapientiam adducere mihi ad conuiuendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis

&

& tædij mei. Aliud est bonum ordinariæ, vel vicariæ, vel commissæ potestatis. *Neemiæ 9.* Reges nostri in regnis suis bonis, & in bonitate tua multa, quam dedisti eis, noluerunt seruire tibi. Adhuc est vnum bonum, quod instrumentaliter se habet ad meritum, & datum est in sustentationem: & hoc est bonum opulentiæ. *Isa. 1.* Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. *Lu. 12.* Anima habes multa bona reposita in annos plurimos. Hæc igitur omnia quinque dantur Prælatis: duo autem naturæ scilicet, & gratiæ omnibus bonis: vnum autem, quod est naturæ, datur omnibus.

Sed tunc quæritur, quare non dantur tria, & quare non quatuor? Responsio, quòd cum naturali bono & gratiæ bono coniuncta scientia inutilis est: quia non habet, in quem expendat: coniuncta etiam potestas cum eisdem sine scientia est inutilis: quia nesciet vti: coniuncta autem opulentia etiam inutilis: quia opulentia datur propter familiam commissam. Necessitas autem propter personam, quæ non sonat opulentiam. Tria igitur ad ædificationem non sunt coniungibilia: quatuor etiam quocumque modo non sunt coniungibilia: quia semper hæc duo coniuncta esse oportet, quæ sunt naturæ & gratiæ: & cum his coniuncta scientia & potestas non feliciter proderunt sine operibus, cùm multitudo teneri non possit sine temporali subsidio. Vnde cum Dominus *Ioan. 6.* pauit multitudinem: & *Suprà 15. Ioan. 21.* Petro dixit ter pasce, propter verbum & exemplum & temporale subsidium. Patet igitur quòd quatuor non proficiunt ad felicem gubernationem.

Hæc quinque dantur ad pondus: & ideò dicuntur talenta: eo quòd vnicuique ad pondus vitæ sunt reddenda Vnde. 1. *Paral. vlt.* dicitur, quòd Principes dederunt in opus Domini talenta auri, argenti, & æris & ferri: & talentum plumbi fertur *Zach. 5.* per aurum bonum gratiæ: & ideò *Apoc. 20.* dicitur, quòd ciuitas est aurum mundum. In argento bonum scientiæ sacræ scripturæ. *Psal. 11.* Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum. In talentis ferri, bonum potestatis, quod domat alia: in talentis æris, intelligitur bonum naturæ: quia æs conuertibile est ad alia, sicut bonum naturæ aptabile aliis. In talento plumbi, quod vilissimum est & grauissimum intelligitur bonum opulentiæ. Sancti tamen exponunt, quòd quinque talenta sunt vsus rationis bonus in quinque sensibus corporis: duo autem sunt intellectus & operatio: vnum autem est intellectus solus. Hoc est, quod dicit [alij dedit quinque talenta] quia præcipuis, supradicta quinque committuntur. Vel omnibus exercitium quinque sensuum ad gratiam [alij autem duo] quia bonis committuntur duo, vel sapientibus intellectus & operatio. *Psalm. 110.* Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Et ideò secundum dicta Sanctorum, plus in pondere recipit, cui dantur duo: licet plus in numero recipiat ille, cui dantur quinque: quia plus valent intellectus & operatio, quàm exercitia quinque sensuum [alij autem vnum] omnibus quidem bonum naturæ: multis autem bonum scientiæ, quod docet vsum regiminis animarum; quia docet vsum clauium.

Sequitur [vnicuique secundum propriam virtutem] Hic tangit proportionem facultatis ad vsum gratiæ. Est autem virtus vltimum, in quod potest potentia: & ideò dicit conatum. Vnde tantum dat, quantum conando ad gratiam paratus est suscipere. *Psalm. 80.* Aperi os tuum, & ego implebo illud. Os enim facultatis aperitur, quando cor per conatum, quod in nobis est, ad gratiam præparatur. *Psalm. 9.* Præparationem cordis eorū audiuit auris tua [Et profe. est statim] hoc est, vsum commissorum bonorū libertati eorum permisit. *Luc. 19.* Negotiamini, dum venio. *Prouer. 7.* Abiit via longissima in die plenæ lunæ reuersurus. *Cant. 5.* Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum?

Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque: similiter qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

Hic tangitur seruorum negotiatio per tres differentias, quæ in litera tanguntur. De primo dicuntur tria, scilicet apud seipsum commissi consideratio, & laboris exerciti operatio, & in lucrum eius, quod est commissum, solicita multiplicatio. De primo dicit [Abiit] hoc est, in sui considerationem, quod receperat reduxit: & ideò receptionis facit commemorationem. *Ioan. 20.* Discipuli abierunt ad semetipsos. 1. *Cor. 2.* Accepimus Spiritum, qui ex Deo est: vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. De secundo dicit [operatus est in eis] In donis enim bonis est operandum; in laboribus autem mundi non est operandum. Et est attendendum, quòd aliud est operatio, & aliud opus, & aliud factum, & aliud actum secundum *Philosophum.* Agere enim propriè pertinet ad voluntaria, quæ sunt virtutis. Vnde *Philosophus* dicit, quòd prudentia est cum ratione actiuus habitus. Agere enim venit ab actu, qui complementum & perfectio est. Vnde *Rom. 8.* Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Spiritu enim Dei aguntur, qui virtutibus (quæ sunt dona Spiritus, & animæ actus) ad actiones voluntarias mouentur: facere autem est super præiacentem materiam aliquid educere. Vnde *Philoso.* definiens artem mechanicam, dicit: Ars est cum ratione factiuus habitus. Et de his, quæ ex arte diuina processerunt, dicitur: Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt. Opus autem, quod est operatum, vocatum est, quòd per laborem & motum facientis efficitur, sicut cultellus, vel calceus: & de hoc dicunt Sancti, quòd hoc græci apatelesma vocant. Vnde *Isa. 64.* Fictor noster es tu: & opera manuum tuarum omnes nos. Operatio autem propriè (quia ab ope & opibus vocata est) est exercitium hoc, quod procedit à proprio & connaturali habitu, quo ipsa natura propter conuenientiam naturalem refloret. Vnde *Philosophus* dicit, quòd delectatio contemplatiua est operatio proprij & connaturalis habitus non impedita. Refloritio enim naturæ sic diffusa in bono sibi proprio (quod est intellectuale: quia hoc proprium est homini) delectatio vocatur. Iuxta hoc notantur operationes, in quibus humanas, & liberas quærimus delectationes, ex quibus nihil quærimus nisi operari, sicut vigilare, cantare, & huiusmodi. Modum erga huiusmodi notans dicit [operatus est] ad proprium & intellectuale bonum, ponens exercitium cum delectatione sincera. *Prou. 13.* Anima operantium impinguabitur bonis. *Eccles. 9.* Quodcunque valet manus tua, instanter operare [& lucratus est] per sui boni propagationem in alios [alia quinque] Licet enim multò plura lucratus sit: tamen quia non nisi duplæ est proportionis, in se videlicet, & in aliis, dicitur alia quinque lucratus. 1. *Corinth. 9.* Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem. *Genes. 31.* De illius facultatibus ditatus factus est inclytus [Similiter & qui duo acceperat] Idem modus est expositionis. *Sap. 3.* Bonorum laborum gloriosus est fructus [lucratus est alia duo] *Gen. 30.* Ditatus est homo supra modum habuitque greges ouium. *Psalm. 4.* A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. Frumentum est verbi pabulum: vinum cæleste & spirituale gaudium: oleum misericordiæ lenimentum in pauperes expensum.

Qui autem vnum acceperat, abiens, fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.

Tertia est differentia: & tria dicit, à bono incommutabili serui pigri abstractionem, ad terrenam commoditatem boni commutabilis conuersionem, & crediti talenti absconsionem per terrenam conuersionem. De primo dicit [Qui autem vnum acceperat] bonum naturæ, vel intellectus [abiens] abstractione boni incommutabilis. *Iudæ.* Væ his, qui in viam Cain abierunt. *Iacob. 1.* Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus [fodit in terram] per terreni commodi inquisitionem. *Psal. 7.* Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. *Iosue. 7.* Siclos argenti, & regulam auream, & pallium coccineum abscondi in terra, & argentum fossa humo operui. Argentum eloquentiæ naturalis & acquisitæ, quod est duplex argentum: & regulam iustitiæ moralis, cuius notitiam habuit: & pallium coccineum ordinis charitatis, quem exponere sciuit. *Isa. 29.* De humo mussitabit eloquium tuum [& abscondit] sub terrena conuersatione [pecuniam Domini sui] *Ecclesiast. 20.* Sapientia absconditas, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? *Prou. 11.* Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. Econtra. *Supra 2.* Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera &c.

Post multum verò temporis venit Dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.

Hæc est tertia pars de ratione, [illegible] omnibus sub tribus per ordinem [illegible] laude profectus in bonis enim [illegible] etiam rationes crescunt [illegible] seruorum illorum.

Contra videtur esse, quod dicit [illegible] venio velociter. Sed hoc [illegible] secundum [illegible] dicitur [& posuit rationem cum eis] [illegible] rationem villicationis tuæ.

Et accedens, qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque super lucratus sum.

Et tria dicit, accessum per reddendæ rationis præparationem: obtulit per meritorum exhibitionem: dixit per gratiarum actionem. Dicit igitur [Et accedens] præparando se ad reddendam rationem [qui quinque talenta acce.] in se considerando acceptum, sine quo se nihil potuisse cognouit. *Rom. 5.* Per ipsum accessum habemus in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. q. d. Nisi commissum datum fuisset, lucrum nullum fuisset [obtulit] in eo quòd Deo totum attribuit [alia quinque talenta] aut bona superiùs enumerata duplicando in proximum: aut exercitium bonum quinque sensuum. *Baruch 4.* Sicut auersi fuerunt sensus vestri, vt prouocaretis Deum, decies tantum conuertentes requiretis eum. Quinque & alia quinque decem faciunt. *Tob. 12.* Nationes ex longinquo ad te venient: & munera offerentes adorabunt Dominum in te [Dicens] per gratiarum actionem [Domine quinque talenta tradidisti mihi] sine quibus nihil, & per quæ omnia potui] & ideò tuum est, quod lucratus sum. *Ioan. 15.* Sine me nihil potestis facere [ecce alia quinque] profectu proximi [superlucratus sum] super sortem conseruatam. q. d. & me conseruaui in bonis tuis, & proximum adiuui. 1. *Corinth. 15.* Plus omnibus laboraui: non ego autem solus; sed gratia Dei mecum. Et *Ibidem.* Gratia Dei sum id, quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit.

Ait illi Dominus eius: Euge, serue bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo lucratus sum.

Laus & acceptatio est profectus in gradu: & dicuntur quatuor per ordinem, [illegible] Domini de profectu [illegible] commemoratio meriti & [illegible] gaudij. Aggratulatio Domini [illegible] dicitur [Euge] [illegible] & gaudium. [illegible] Et [illegible] Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Sap. 3.* In

paucis vexati, in multis bene diſponentur. 2. Cor. 4. Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitatem æternum gloriæ pondus operabitur in nobis: non contemplantibus nobis ea, quæ videntur; ſed quæ non videntur [intra in gaudium Domini tui] Ecce remuneratio gaudij. Introitus autem iſte ſignificat vndique circunfuſum eſſe gaudium. *Ioan.* 16. Petite, vt gaudium veſtrum ſit plenum; ſuprà, in viſione Dei: intùs, felici conſcientia: ſubtùs, in decore iuſtitiæ: circumquaque, in glorificatione creaturæ. *Iſa.* 60. Videbis, & afflues: & mirabitur, & dilatabitur cor tuum. *Pſal.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

Acceſſit autem & qui duo] hoc eſt, bonum naturæ in naturali iuſtitia: & bonum gratiæ in fide & perfecta vita. Vel qui intellectum habuit inſtructionis, & operationem virtutis: veritate & virtute lucrum reportans: & eſt idem modus expoſitionis, qui & priùs. Accedit enim præparando ſe recognoſcendo commiſſum. 1. *Cor.* 4. Quid habes, quod non accepiſti? Quòd ſi [qui duo talenta acceperat] 1. *Paral. vlt.* Omnia tua ſunt: & quæ de manu tua accepimus, offerimus tibi [obtulit] meritorum profectum, non ſibi, ſed Deo attribuendo. *Iſa.* 60. Aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes. Aurum gratiæ & thus redolens, boni naturæ, perfecti in gratia. Vel aurum, ſapientiæ, & thus operationis bonæ [& ait] gratias agendo [Domine, duo talenta] 2. *Corinth.* 9. Gratias ago Deo ſuper inenarrabili dono eius [ecce alia duo] ſuper conſeruatam ſortem [lucratus ſum] *Ierem.* 15. Ipſi conuertentur ad te: & tu non conuerteris ad eos. *Iob* 27. Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram. *Apocalyſ.* 3. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.

Ait illi Dominus eius: Euge ſerue bone & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.

Commendatio eſt gratitudinis & profectus [Euge &c.] Euge multiplices notat affectus in ſacra ſcriptura: eſt enim exultatorium *Ezec.* 25. Pro eo, quòd dixiſti: euge, euge ſuper ſanctuarium meum. Aliquando deriſorium. *Pſalm.* 34. Dilatauerunt ſuper me os ſuum, & dixerunt: euge, euge, viderunt oculi noſtri. Aliquando adulatorium. *Pſalm.* 39. Ferant confeſtim confuſionem ſuam, qui dicunt mihi: euge, euge. Aliquando exhortatorium. *Pſalm.* 34. Non dicant in cordibus ſuis: euge, euge animæ noſtræ, nec dicant: deuorabimus eum. [ſerue] Propter debitum. *Pſalm.* 115. Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ [bone] Propter formam gratiæ, & diffuſionem communicationis ſui in alterum: bonum enim eſt diffuſiuum ſui. *Plato.* Boni eſt optima adducere. *Iſa.* 60. Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem robuſtiſſimam. *Prou.* 11. In bonis Iuſtorum exaltabitur ciuitas. *Sap.* 8. Communicabit mecum de bonis ſuis [& fidelis] in commiſſo. E contrà illi expoſitioni, quam fecimus ſuprà. Vel [fidelis] intentione, nihil ſibi de gloria Domini ſui attribuendo. *Iſai.* 32. Qui fraudulentus eſt, infideliter aget. *Eccleſiaſt.* 45. In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum: & elegit eum ex omni carne. *Hebr.* 3. Moyſes fidelis erat in tota domo eius: in teſtimonium eorum, quæ erant dicenda [Quia ſuper pauca fuiſti fidelis] Commemoratio meriti & promiſſio præmij. *Iſa.* 49. Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem gentium [ſupra multa te conſtituam] *Eſther.* 6. Sic honorabitur, quem Rex honorare voluerit. *Luc.* 22. Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum [intra in gaudium Domini tui] vt in abyſſo ſubmergaris gaudiorum. *Iſa* 35. Gaudium & lætitiam obtinebunt: fugiet dolor & gemitus. *Luc.* 6. Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. *Pſalm.* 89. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliaſti: annis, quibus vidimus mala. *Pſalm.* 15. Lætificabis me in gaudio cum vultu tuo: delectationes in dextera tua.

Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis vbi non ſeminaſti: & congregas, vbi non ſparſiſti.

Hic ponitur ratio de malis, præcipuè quæ conſiſtunt in omiſſione bonorum, in quibus aliqui ſe putant excuſatos: & dicuntur duo: primum eſt culpa ſerui, ſecundum condemnatio eiuſdem per ſententiam Domini. Circa primum dicuntur tria, ſcilicet, acceſſus præſumptionis, accuſatio Domini ſuperioris, & excuſatio ſui torporis. Acceſſus præſumptionis proponitur, cùm dicit [Accedens & qui vnum talentum acceperat] præſumptione propria. Vnde *Interl.* Infeliciſſimum habens à ſua conſcientia teſtimonium. Sic dicitur *Suprà capitulo quarto.* Accedens tentator dixit. Vnum autem talentum eſt naturale bonum, ſiue intellectus, ſiue quicquid habet homo naturalium bonorum, quæ in vnitate retinet, & non multiplicat per profectum. Contra quod dicitur *Luc.* 19. Negotiamini, dum venio. *Iob* 5. Homo natus ad laborem. *Ezech.* 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, abondantia, & otium. *Prouerb.* 12. Qui ſectatur otium, ſtultiſſimus eſt [& ait] Non gratias agendo, ſed Dominum ſuum ſuperiorem accuſando, detrahendo ei in duobus, ſcilicet, contra miſericordiam vocando auſterum, & contra iuſtitiam vocando raptorem. Et hoc eſt, quod dicit [Domine] contra ſe vocat eum Dominum, cuius non impleuit mandatum [Scio quia homo auſteris es] hoc eſt, durus es quia duram & arctam viam proponis, quæ ducit ad vitam. *Gen.* 42. Ioſeph quaſi ad alienos, fratribus duriùs loquebatur. *Iob* 30. Mutatus es mihi in crudelem: & in duritia manus tuæ aduerſaria mihi. Et proponit contra iuſtitiam duo [metis, vbi non ſeminaſti] Seminare eſt verbum prædicationis proponere. *Su.* 13. Exijt qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum. Metere eſt falce iudicij præcidere. *Apo.* 14. Miſit falcem ſuam, & meſſuit terram. Metere vbi non ſeminauit, eſt fidē per iudicium requirere ab his, quibus per ſe ipſum verbū prædicationis non propoſuit, vt

Greg. dicit. Et hoc licet piger accuſet, non eſt iniuſtum: quia in omnem terram exiuit ſonus eorum. Adhuc autem inſitum eſt rationi verbum, & Dei notitia impreſſa omnibus. *Ia.* 1. Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. *Deut.* 20. Prope eſt verbum in corde tuo, & in ore tuo. Et *Roma.* 10. Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Aliud proponit contra iuſtitiam [& congregas, vbi non ſparſiſti] Congregare eſt virtutum fructus exigere. *Eccleſ.* 24. flores mei, fructus honoris & honeſtatis. *Sup.* 13. Triticum congregate in horreum meum. Spargere eſt virtutis exempla oſtendere. Congregare autem, vbi non ſparſit, eſt per iudicium futurum fructus bonorum operum exigere ab his, quibus exempla virtutum nulla per ſe ipſum præbuit. *Pſalm.* 110. In conſilio Iuſtorum & congregatione. *Suprà* 13. Elegerunt bonos in vaſa ſua: malos autem foras miſerunt. *Iſa.* 43. Ab oriente adducam ſemen tuum: & ab occidente congregabo te. Nec hoc eſt iniuſtum: quia alij oſtenderunt, quos miſit: & virtus per ſe ipſam placere debet. Vnde contra hoc, quòd dicit auſterum, eſt hoc quod dicit. 1. *Ioa.* 5. Mandata eius grauia non ſunt. Et *Sup.* 11. Iugum meum ſuaue, & onus meum leue. Contra hoc autem, quòd dicit Iniuſtum, eſt quod dicitur in *Pſal.* 18. Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: & iudicia eius dulciora ſuper mel & fauum: nam & ſeruus tuus cuſtodit ea.

Et timens abij, & abſcondi talentum tuum in terra: Ecce habes quod tuum eſt.

Hic ſui proponit excuſationem: vt culpa ab ipſo retorqueatur in Dominum. *Pſalm.* 140. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Proponit autem tria, timorem videlicet, amittendi, prouidentiam conſeruandi, & æquitatem reddendi. De primo dicit [Timens abij] abſtractus à te ad me ipſum conſeruandum [timens] ne dum alios lucrari vellem, commodum meum perderem. *Sapient. capitulo* 17. Cùm ſit timida nequitia, data eſt in omnium condemnationem. Et eſt ac ſi dicat: propter alios diſpendium mei non debui ſubire [abſcondi talentum tuum in terra] mihi terrena procurans commoda aliis me ſubtraxi. Contra quod dicitur *Eccleſiaſtici cap.* 29. Perde pecuniam propter amicum: & ne abſcondas eam ſub lapidem in perditionem. *Prouer. cap. quinto.* Deriuentur fontes tui foras: & in plateis aquas tuas diuide. *Act.* 20. Non facio animam meam, hoc eſt, [illegible] vitam pretioſiorem quàm me ipſum. 2. *Cor.* 12. Ego libentiſſimè impendam: inſuper & ego ipſe ſuperimpendar pro animabus veſtris [Ecce habes quod tuum eſt] Æquitatem proponit reddendi. *Suprà capitulo* 20. Tolle quod tuum eſt, & vade: non facio tibi iniuriam. Mentitus autem eſt in caput ſuum: quia cùm ſeruus ſit, debitum & paratum obſequium multiplicationis ſubtraxit. *Daniel. capitulo* 13. Rectè mentitus es in caput tuum. Vnde *Lucas* addit. Ex ore tuo te iudico, ſerue nequam. *Malach. cap.* 1. Si ego Dominus, vbi timor meus?

D. Alberti Magni, in Euang. D. Matth.

Reſpondens autem Dominus eius, dixit ei: Serue male, & piger, ſciebas quia meto, vbi non ſemino: & congrego, vbi non ſparſi.

Hic ponitur condemnatio ſerui: & dicuntur duo, increpatio aſſignans condemnationis cauſam, & condemnatio infligens pœnam *ibi* [Tollite &c.] Increpando dicit duo, improperationem culpæ & deſidiæ, & cauſam. Increpans igitur culpam tranſgreſſionis dicit.

Serue male] *Eccleſiaſt.* 33. Seruo maleuolo tortura & compedes. Malus enim ſeruus eſt, qui in tantum prorumpit præſumptionis, quòd bono & ſuo Domino calumniam imponit. *Suprà* 20. An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? *Suprà* 12. Generatio mala & peruerſa. *Deut.* 32. Generatio praua atque peruerſa; hæccine reddis Domino [& piger] Improperat inertiam deſidiæ. *Prouer.* 20. Propter frigus piger arare noluit. Ex hoc autem, quòd malus, piger eſt: quia *Diony.* dicit, quòd malum eſt infœcundum & pigrum [ſciebas] Cauſa increpationis: & habet duo: in primo ex ore ſerui arguit præmittens: & in ſecundo concludit.

Attende autem, quòd non dicit: ſciebas, quia ego auſterus ſum: quia hoc, quod dixit contra miſericordiam, omninò falſum eſt. *Ioel.* 2. Benignus & miſericors eſt. Sed dicit [quia meto, vbi non ſemino] quod & Apoſtoli fecerunt. *Ioan.* 4. Ego miſi vos metere, quæ non ſeminaſtis. Nunc autem & hoc non niſi ſecundum humanam præſentiam verum eſt: quia ſecundum diuinam operationem Dei agricultura eſtis. *Iſa.* 28. Proſcindet humum ſuam, & ſeret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem. *Iſa.* 4. Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis [& colligo, vbi non ſparſi] *Sup.* 21. Miſit ſeruos ſuos, vt colligerent fructus. Secundum diuinam tamen naturam per omnia opera ſua ſignificationis ſuæ ſparſit indicia. *Suprà* 12. Qui non colligit mecum, diſpergit: & qui non eſt mecum, contra me eſt.

Oportuit ergo te pecuniam meam committere nummulariis, & veniens ego recepiſſem vtique, quod meum eſt, cum vſura.

Ecce concluſio: & quod putabat in excuſationem ſui dicere, retorquet contra eum & condemnat. *Pſalm.* 49. Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam [pecuniam meam] bonum tibi creditum [committere] per doctrinam [nummulariis] his, qui fenerantur imaginem meam proximis: & ſic multiplicant eam. Iſti enim ſunt nummularij ſpirituales, qui de templo non eiiciuntur. *Suprà* 21. *Deuter.* 15. Fenerabis gentibus plurimis: & ipſe à nullo fœnus accipies. *Luc. capitulo* 7. Duo debitores erant cuidam feneratori, hoc eſt, Prædicatori. Duo debitores: contemplatiui, & actiui [& veniens ego] ad rationem audiendam in iudicio. *Iſa. capitulo* 5. Iudicate inter me & vineam meam [recepiſſem vtique quod meum eſt] hoc eſt ſortem. *Suprà* 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo [cum vſura] ſuperexcreſcente. Licet enim deteſtet vſuram corporalem, quæ opprimit

pauperes *Psalm.*14. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. *Ezech.* 18. Ad vsuram non accommodauerit, & ampliùs non acceperit: tamen exigo vsuram incrementi boni spiritualis. *Prou.* 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. *Ecclesiast.*29. Qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo. *Suprà* 5. Thesaurizate vobis thesauros in cælo.

Tollite itaque ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit: Ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.

Hic incipit condemnare tripliciter, pœnalitate in subtractione boni commissi, & eiectione extra communicationem loci & Sanctorum habitaculi, & in inflictione supplicij. In primo sunt tria, pigri spoliatio, operosi ditatio, & vtriusque horum ratio. De pigri spoliatione dicit [Tollite itaque] o vos Dæmones: & est verbum iustæ promissionis. *Deuter. capitulo* 4. Seruietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem. *Thren. vltimo.* Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies [ab eo talentum] boni naturæ per continuam imminutionem de peccato in peccatum. 2. *Regum cap.* 3. Domus Saul erat deficiens. *Psalm.*80. Ibunt in adinuentionibus suis. *Iob cap.*20. Luet quæ fecit omnia: nec tamen consumetur. Quia licet continuo minuatur, non consumitur; quia naturale est: & natura manente, tolli non potest, quod potentialiter infinitum est [& date ei, qui habet quinque talenta] quia sicut in malo minuitur: ita in bonis, continuis profectibus augetur: & hoc significatur in domo Dauid, qui ibat proficiens, & semper se ipso robustior 2. *Regum* 3. Si obijciatur: Quare non additur ei, qui habet duo? Iam solutum est: quia & illi additur; sed additio plus apparet in eo, qui plus proficit. *Grego.* tamen dicit, quòd plus in pondere habet, qui duo: quàm qui quinque, sicut *Suprà* dictum est: & ideo ei, qui quinque habet, additur. Quia plerumque accidit, quòd simplex bene vtens sensibus donum intellectus meretur. *Ecclesiast.* 15. Cibauit illum pane vitæ & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potauit illum.

Omni enim habenti dabitur, & abundabit] Ratio est duorum præcedentium: & secundum expositionem priorem plana est litera: quia habenti ex habitu bona gratiæ, superadduntur incrementis coactione bonum naturæ ex profectu iustitiæ: & sic abundabit. 2. *Corinth.* 9. Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: vt in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. *Ecclesiast.* 15. Sapientia Dei [illegible] & in ore fideli abundabit. Sic enim *Ioan.* 1. De plenitudine eius nos omnes accepimus, gratiam pro gratia. *Zach.* 4. Exæquabit gratiam gratiæ eius [Ei autem, qui non habet] habitum, qui est facultas virtutis: ille enim non habet non alia de causa, nisi quia peccatum ademit eam. *Luc.* 10. Spoliauerunt eum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto [id, quod videtur habe.] quia vitiatur bonum naturæ, potiùs videtur habere quàm habeatur: non enim habetur vt bonum nisi quando integrum, & perfectum habetur per gratiam. *Isa.* 22. Quis tu hic: aut quasi quis hic? *Apoca.* 3. Nomen habes, quòd viuas, & mortuus es [auferetur ab eo] continuis defectibus. *Psalm.* 136. Dixerunt: exinanite, exinanite: vsque ad fundamentum in ea [inutilem seruum] *Ierem.* 22. Scribe virum istum sterilem; quia in æternum non prosperabitur [eiicite] extra habitaculum bonorum. Quasi diceret. Mundate & liberate locum ab ipso. *Ierem.* 15. Eiice eos à facie mea: & egrediantur. *Genes.* 4. Ecce eiicis me hodie à facie tua: omnis enim, qui inuenerit me, occidet me [in tenebras exteriores] tetri carceris: qui vixit in tenebris cæcitatis interioris. *Thren.* 3. Me minauit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. *Iob* 3. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. *Exod.* 9. Sint tenebræ tam densæ, vt palpari queant [ibi erit fletus] *Apo.* 14. Ascendet fumus tormentorum eorum in secula seculorum [& stridor dentium] Propter frigus. *Psalm.* 148. Nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius. *Ecclesi.*43. Frigidus ventus aquilo flauit: & gelauit crystallus ab aqua. *Ierem.* 1. Ab aquilone pandetur omne malum: ventus frigidus à plaga tenebrosa veniens. Et hoc est, quod dicit.

Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ.

Perfectis parabolis, quæ mouent ad vigilantiam contra omnes præoccupantes iudicium, tangit hic modum iudicij: circa quem modum dicit duo, scilicet, modum iudicis: & modum iudicij *Ibi* [Et congregabuntur] Modus autem iudicis describitur in quinque, scilicet, secundum præsentiam: secundum eam, in qua apparebit, naturam: secundum maiestatis potentiam: secundum numerosam ministrorum frequentiam: secundum possessionem iudiciariam. De primo horum dicit [Cum venerit] hoc est, iudex præsentialiter in mundo apparuerit. *Actuum capitulo* 1. Sic veniet, quemadmodum vidistis eum. Natura describitur *Ibi* [Filius hominis] quia in illa apparebit. *Ioan. capitulo* 5. Potestatem dedit ei iudicium facere; quia filius hominis est. *Actuum capitulo* 17. Constituit virum, in quo iudicabit orbem terrarum. *Dan.* 7. In nubibus cæli filius hominis veniet in maiestate sua. *Dan.* 7. Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. *Psalm.*71. Replebitur maiestate eius omnis terra [& omnes Angeli cum eo] *Daniel.* 7. Millia millium ministrabant & decies millies centena millia assistebant ei. *Suprà capitulo* 24. Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna. *Suprà capitulo* 13. Exibunt Angeli, & colligent de regno eius omnia scandala [tunc sedebit] Ecce auctoritas iudiciaria. *Apocalyps.* 4. Sedes posita erat in cælo, & supra sedem sedens. *Dan.* 7. Throni positi sunt. *Psalm.*88. Thronus eius sicut Sol in conspectu meo. *Isa.* 6. Vidi Dominum sedentem super

super solium excelsum & eleuatum: & plena erat omnis terra maiestate eius.

Et attende differentias primi aduentus & secundi. Primus enim fuit in infirmitate, in humilitate, & in salutem, & Apostolorum missione. De infirmitate *Isa.* 9. Paruulus natus est nobis. De humilitate *Philipp.* 2. Humiliauit semetipsum, formam serui accipiens. De salute *Ioann.* 3. Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum: sed, vt saluetur mundus per ipsum. De missione Apostolorum tanquam pusilli gregis. *Sup.* 10. & 11. Confiteor tibi Pater: quia abscondisti hæc à sapientibus: & reuelasti ea paruulis. Secundus autem est in potestate & maiestate ad iudicandum, & cum frequentia Angelorum, sicut patet per antedicta.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes.

Hic tangitur modus iudicij: & tanguntur tria. Primum est congregatio iudicandorum ante tribunal Christi: secundum est discretio iudicandorum bonorum à malis: tertium est sententia cum causa sua, quæ est commendatio meritorum, & exprobratio demeritorum. De primo dicit [Congregabuntur ante eum omnes gentes] *Ioel.* 3. Congregabo in vallem Iosaphat omnes gentes: & disceptabo cum eis. 2. *Corinth.* 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit.

Et separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: Et statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

Ecce secundum: & dicit tria, scilicet, quis, qualiter, & quomodo separabit. Quis quia ipse separabit eos: virtute enim gratiæ & veritatis, quæ per IESVM facta est, separabuntur. Hæc enim gratia est, quæ assimilat Sanctos iudici, & diuidit inter filios regni & filios perditionis. *Apocalyp.* 18. Exite ab ea populus meus. *Num.* 16. Separamini de tabernaculis hominum impiorum [sicut Pastor] iam ad caulas gregem congregans. *Ezechiel.* 34. Ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum in die, qua fuerit in medio ouium suarum dissipatarum [segregat oues] bonos, mansuetos, simplices, & viles. *Psalm.* 78. Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius. *Ezech. capitulo* 34. Greges mei, & oues meæ, oues pascuæ meæ, dicit Dominus. *Ioann. capitulo* 10. Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Et *Ibidem.* Proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit: & oues illum sequuntur [ab hœdis] indomitis, fœtentibus, scandentibus alta, depascentibus viridia ramorum, cornibus acutis, & aliis improbitatibus. *Zacharia capitulo* 10. Visitabo super hircos. De ista segregatione *Oseæ capitulo* 13. Consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse inter fratres diuidet. Quomodo autem [illegible] [illegible] à dextris] In præcedentibus dictum est, quare

dextera significat æterna & potiora bona. *Colos. cap.* 3. Quæ sursum sunt, quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens. *Hebræ. cap.* 1. Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. Vnde etiam. 1. *Thessalonic. cap.* 4. dicitur, quòd simul rapiemur obuiam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus [hœdos autem à sinistris] inferius in terra manentibus, & non diu. *Prouerb. cap.* 4. Vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ autem, quæ à sinistris sunt. Situs enim loci respondet conditionis amori. Sursum pergent, qui cælestia: deorsum in terram, qui terrena dilexerunt. *Canticorum cap.* 2. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt.

Hic ponitur sententia cum causa sua: & habet duas partes, sententiam videlicet, & effectum *Ibi* [Et ibunt hi &c.] Sententia etiam habet duas partes. Primò ponitur sententia salutis à dextris, & deinde sententia condemnationis à sinistris *Ibi* [Tunc dicet Rex his &c.] In prima harum sunt tres paragraphi, quorum primus continet inuitationem, quæ est per modum sententiæ. Secundus meritorum commendationem: tertius commendationis admirationem. Et hæc per ordinem iacent in litera. In inuitatione primò describit iudicis maiestatem & iustitiam, dicens [Tunc dicet Rex] Verè Rex à regendo. Qui, sicut dicitur *Apocalyps.* 19. Vocatur fidelis & verax: & cum iustitia iudicat & pugnat: & habet in vestimento & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium. *Ierem.* 23. Regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam [his, qui à dextris eius erunt] *Psalm.* 109. Sede à dextris meis &c. *Psalm.* 44. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate, hoc est, bonorum Ecclesiæ.

Venite benedicti Patris mei.

Tangit duo, inuitationem, & eius, ad quod inuitat, magnitudinem & honorem. In inuitatione duo dicit, inuitationem, & inuitatorum honestatem.

De inuitatione dicit [Venite] *Ierem.* 51. Qui fugistis gladium, venite, & nolite stare: recordamini procul Domini: & Ierusalem ascendat super cor vestrum. Ibi verificabitur quod *Suprà* dixit 11. Venite ad me &c. & ego reficiam vos. Inuitatorum honestas tangitur secundum gratiam & secundum iustitiam. Secundum gratiam cum dicitur [benedicti] Benedictio enim ad gratiam respicit, in qua benedicti sunt omnes. 1. *Pet.* 3. In hoc vocati estis, vt benedictionem hæreditate possideatis. Iustitia tangitur per hoc quod dicitur [Patris mei] Per hoc enim, quòd adoptati sunt à Patre, [illegible] naturalem filium habente [quia aliter non adoptaret, si omnino infecundus esset] facti sunt hæredes. *Romanorum cap.* 8. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. *Colos. cap.* 1. Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit nos in regnum filij dilectionis suæ & dedit nobis partem sortis Sanctorum in lumine. *Psalm.* 15. Funes ceciderunt mihi in præclaris:

etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.

Ecce ad quid inuitat: & tangit tria, fructum, prædestinationem, & gloriam. Fructum in hoc, quòd dicit [Possidete] Dicit enim *Herms Trismegistus*: Quòd possessio est post sessio, & cum homo subnixus sit Deo, sub Deo sedere in deliciis & bonis Dei, & ad nutum illa & quietè habere est possidere. *Iob cap.* 36. Annuntiat de luce amico suo, quòd possessio eius sit: & quòd ad eam possit ascendere. *Nume.* 18. Ego ero possessio eorum. Hoc ergo pertinet ad fructum [paratum vobis regnum à constitutione mundi] Hoc est prædestinationis, in qua est Deus ipse præparans: & nobis præparans, vt beneuolentiam ostendat: & præparans à prima mundi constitutione, quæ in mente sapientiæ ab æterno fuit, vt in præparatione potentia, & in hoc quòd [vobis] notetur beneuolentia. In hoc autem, quòd [à mundi constitutione] Sapientia denotetur. De primo *Isa. cap.* 62. Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te, & expectantibus. 1. *Corinth.* 2. dicitur, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. De secundo *Sap.* 16. Substantiam tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas. *Psalm.* 67. Parasti in dulcedine tua, pauperi Deus. De tertio *Ephe.* 1. Benedixit nobis in omni benedictione spirituali, sicut elegit nos ante mundi constitutionem in Christo. Sic enim est alpha & o. principium & finis: vt reducat nos in se, vbi primò præparauit, vbi vita, & lux fuimus, & erimus. *Roma.* 9. Volens ostendere diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam suam. *Psalm.* 30. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, & à conturbatione hominum [regnum] hoc pertinet ad gloriam: & est hoc regnum, quo omnes Sancti vt Reges regnabunt. *Apo.* 1. Princeps Regum terræ. *Sap.* 5. Regnum decoris & diadema speciei accipient de manu Domini. *Apo.* 11. Factum est regnum Dei nostri, & Christi filij eius: & regnabunt in secula seculorum.

Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & cooperuistis me: Infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me.

Ecce meritorum commendatio: & attende, quòd commendat opera misericordiæ: quia in illis homo maximè de suo facit: humanum enim est fluere pietate in proximum. Iustitia autem non sic; sed obligatio efficit opus. Similiter charitas ex vinculo dilecti; & sic de aliis: & non facit mentionem de sepultura mortuorum: quia licet dicatur Christus esurire in pauperibus: non tamen congruè dicitur mori in morientibus: & mortuus non verè dicitur membrum capitis viui. De aliis autem omnibus facit mentionem. Quædam autem sunt à defectu interiori dissoluente substantiam: & substantiam siccam dissoluit fames. Et de illo dicit [Esuriui enim, & dedistis] *Isa.* 58. Frange esurienti panem tuum. *Eccl.* 4. Animam esurientem ne despicias. *Pro.* 25. *Ro.* 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: & si sitit, potum da illi. Contra defectum autem, qui dissoluit humidam substantiam, dicit [Sitiui, & dedistis mihi bibere] *Supra* 10. Qui dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam. *Genes.* 24. Bibe Domine, quin & camelis tuis potum tribuam.

Hospes eram] est beneficium, quod ordinatur contra dissoluens extrinsecùs: & hoc est aër continens. Est autem lædens impugnando turbine tempestatum, & pluuiarum & caumatum & frigorum. Et contra hoc est hospitium, in quo clausus aër quiescit ab huiusmodi turbinibus: & de hoc dicit [hospes eram, & collegistis me] Et hoc notat ex modo loquendi [collegistis] turbine aeris me dissolutum recollegistis. *Iob* 31. Foris non mansit peregrinus, & ostium viatori patuit. *Luc.* 24. Et coegerunt illum dicentes: Mane nobiscum, Domine: quoniam aduesperascit. *Hebr.* 12. Hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim quidam placuerunt Deo, Angelis hospitio receptis. *Genes.* 18. De Abraham, qui recepit Angelos & *Genes.* 19. de Loth.

Nudus] Secunda læsio aeris est alterando ex sua qualitate, frigoris quidem aliquando, & aliquando caloris: qui euocat calorem naturalem, & dissoluit corpus: & contra duo ista est vestimentum, de quo dicit [Nudus eram, & cooperuistis me] *Isa.* 58. Cùm videris nudum, operi eum. *Iob* 31. Si despexi prætereuntem eo quòd non haberet vestimentum, & absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera eius: eo quòd de velleribus ouium meatum calefactus est.

Infirmus fui] est defectus interior: non substantiam nisi per accidens, sed qualitatem complexionis per se dissoluens: & est defectus accidentalis, de quo dicit [Infirmus fui, & visitastis] *Ecclesiast.* 12. Non te pigeat visitare infirmum. Ex hoc enim in dilectione firmaberis. *Iob* 5. Visitans speciem tuam non peccabis. *Iac.* 1. Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc est: visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.

In carcere eram] Hæc est consolatio contra iniuriam violentam illatam extrinsecùs ab homine. *Iob vigesimo nono.* Conterebam molas iniqui, &. de dentibus eius auferebam prædam. Sic enim intelligitur [venistis ad me liberandum] *Prouerbiorum cap.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. *Danielis cap.* 14. Rex venit ad Danielem in lacu leonum. *Ierem. trigesimo octauo.* De Abdemelech Æthiope, qui extraxit de lacu Ieremiam Prophetam. Sunt ergo opera misericordiæ contra defectus miseriæ, interiores naturales, & exteriores naturales: interiores naturales dissoluentes substantiam humidam, vel siccam; Exteriores naturales impugnantes turbine, vel qualitate. Similiter sunt contra defectus accidentales, interiùs impugnantes, vel exteriùs: & sic etiam ordinantur à Domino, & continentur in hoc versu.

Visita, pote, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus: sitientem, & dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis, quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Tangitur commendationis huius admiratio: non enim est ignorantiæ quæstio, sed attendentes, quòd nihil talium, tantæ commendationis, & remunerationis dignum fecerunt: Videntes quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad gloriam, quæ manifestatur tunc in eis. *Rom.* 8. Præ admiratione [dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem &c.] Et admirationi eorum [tunc respondens Dominus dicet illis: Amen dico vobis &c.] Et hæc plana sunt. Sed notandum est, quòd Dominus in die bonorum non est immemor malorum. Pauper enim expertus necessitates pauperum, in gloria etiam iudiciariæ potestatis præfulgens, dicit sibi omnia facta esse in pauperibus. Væ ergo his, qui persequuntur pauperem & inopem, & compunctum corde mortificare. Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes.

Tunc dicet Rex & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: & Sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: Nudus, & non cooperuistis me: Infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere; & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum; Iusti autem in vitam æternam.

Tunc dicet Rex his, qui à sinistris eius erunt &c] *Sap.* 11. Illos tanquam Rex durus interrogans condemnasti [discedite] Sententia est cum exprobratione demeriti. Sententia continet quatuor, scilicet, à vultu Dei, & bonis separationem: culpæ exprobrationem: ignis æterni afflictionem: Diaboli & malorum omnium societatem. De primo dicit [Discedite à me] Qui dicunt [illegible], discede à nobis. *Iob* 21. Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus. *Supra* 7. Discedite à me operarij iniquitatis [maledicti] Exprobratio est culpæ. *Psalm.* 118. Maledicti, qui declinant à mandatis tuis [Maledicti] hoc est, malo addicti. *Hebr.* 6. Proferens spinas, ac tribulos terra maledicta est, combustioni proxima. *Iob* 3. Maledicant ei, qui maledicunt diei; qui parati sunt suscitare Leuiathan [In ignem æternum] Ignis est afflictio. *Isa. vltimo.* Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur [qui paratus est] à Deo puniente culpam & parante pœnam [diabolo & Angelis eius] Societas est malorum. *Rom.* 9. Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum. *Isa.* 24. Congregabuntur congregatione vnius fascis, & mittentur in lacum. *Luc.* 3. Permundabit aream suam, & triticum congregabit in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili.

Esuriui] Hæc est demeritorum exprobratio. Non fiet voce corporali sonante, cùm, sicut dicitur 1. *Cor.* 15. Resurrectio futura sit in momento in ictu oculi, & in nouissima tuba, sed fit conscientia dictante. Est enim Christus liber vitæ, scriptus iustitia Dei: & ille aperitur omnibus, sicut dicitur *Apoca.* 20. Alter liber apertus est, qui est vitæ: & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libro: & in illa scriptura quilibet leget suorum meritorum aut commendationem, aut exprobrationem. Sancti etiam perfecti, qui cum Christo iudicabunt, ex contemplatione sapientiæ continuè corde habebunt inscripta: & illorum cordium propalatio Sanctorum est iudicium. *Dani.* 7. & *Apoc.* 20. Libri aperti sunt.

Tunc respondebunt ei] Hæc quæstio etiam admirationis de hoc, quòd tantæ gloriæ & Rex pauperibus vult connumerari. *Sap.* 5. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur de subitatione insperatæ salutis, & præ angustia spiritus gementes dicent intra se: Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum &c. Et hoc est, quod sequitur [Tunc respondebit illis] in conscientiis eorum.

Et ibunt hi] Ecce effectus sententiæ. *Dan.* 12. Multi ex his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam: alij in opprobrium æternum, vt videant semper. *Ioan.* 5. Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

CAP. XXVI.

Et factum est, cùm consummasset IESVS *sermones hos omnes, dixit Discipulis suis: Scitis quia post biduum pascha fiet.*

Hic incipit agere de duobus Sacramentis, per quæ omnia complentur, hoc est, de Sacramento Passionis & mortis primò, & Resurrectionis secundò, *ibi* [Vespere autem Sabbati] quorum primum est ad deletionem peccati, & alterum ad iustitiæ innouationem. *Rom.* 4. Mortuus est propter nostra delicta: & resurrexit propter nostram iustificationem. *Gregorius.* Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit. Ad hoc autem Sacramentum Passionis

in duo diuiditur: primò enim agit de Passione, & secundo de officio sepulturæ *Ibi* [Altera autem die, quæ est post Parasceuen] In iustificatione per Passionem oportet nos & mori peccato, & complantari sepulturæ in Baptismo. *Rom.6.* Consepulti enim sumus cum ipso per Baptismum in mortem vt quomodo resurrexit Christus per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Adhuc autem pars, quæ de Passione, habet partes duas, quia secundum quòd ipse *Suprà* 20. prædixit, traditus est Iudæis, & à Iudæis traditus est gentibus. Et ideò de traditione, qua traditus est Iudæis à discipulo, agit primò: de traditione autem, qua traditus est gentibus ad crucifidendum, agit secundò *Ibi* [Mane autem facto &c.] Adhuc prior pars, quæ continetur in isto capitulo, diuiditur in tria: primò enim agit de traditione, qua per Iudam traditus est Iudæis: secundò de comprehensione *Ibi* [Tunc accesserunt, & manus iniecerunt] In tertia de illusione & condemnatione facta per linguas Iudæorum, *Ibi* [Principes autem Sacerdotum, & omne consilium &c. Adhuc prior harum partium diuiditur in tres partes penes circunstantias: consideratur enim traditio in pacto, in opportunitate; & in facto: & penes hoc diuiditur pars ista. Secunda incipit *Ibi* [Et exinde quærebat opportunitatem. Tertia *Ibi* [Adhuc eo loquente] Adhuc prior harum diuiditur in quatuor, secundum ea, quæ circunstant pactum traditionis: quorum primum est temporis secundum prophetiam congruentia: secundum autem quærentium eum ad mortem completa malitia *Ibi* [Tunc congregati] Tertium pretij, pro quo tradebatur ex facto, quod accidit, occasionata auaritia *Ibi* [Cùm autem esset in Bethania] Quartum est pactionis ipsius perfecta conuentio *Ibidem* [Tunc abiit vnus &c.] Quocumque autem modo facta sit traditio, tunc voluit tradi, vt ignorans: vt peccata destrueret, quæ fiunt per ignorantiam: vnde dixit *Luc.* 23. Dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. Comprehendi voluit, vt infirmus: vt peccata destrueret, quæ fiunt per impotentiam: vnde *Marc.*14. Caro autem infirma. Illudi voluit, vt reus malorum, & malus: vt destrueret peccata, quæ fiunt per certam malitiam. *Ioan.* 19. Cum iniquis deputatus est. *Isa.* 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum: & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Sic enim destruxit peccatum in Patrem, & peccatum in Filium, & peccatum in Spiritum sanctum: & factus est verè IESVS, vniuersaliter saluans populum suum à peccatis eorum. In prima harum sunt tria: primum continet effectum totius Passionis & congruentiam: secundum est traditionis prædictio ne à discipulis crederetur inuoluntaria: tertium; quòd medium est inter duo, temporis à lege & Prophetis prædicti congruentia; & hæc patent in litera.

Dicit igitur: [Et factum est, cùm consummasset] hoc est, ad summam & perfectionem deduxisset; per hoc quod vltimò adiecit: & hoc est passio *Hebr.* 2. Decebat eum, per quem omnia, & propter quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per Passionem consummari. *Hebr.* 10. Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos [Sermones hos omnes] qui ab initio in Euangelio scripti sunt, cum omnibus confirmantibus eos & ex lege, & ex Prophetis. *Eccl.*43. Multa dicimus & deficimus in verbis: consummatio sermonum ipse est. Vnde *Ioan.* 19 in cruce pendens dixit: Consummatum est [dixit discipulis suis] quibus specialiter instruendis insistebat. *Suprà* 13. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei [Scitis] *Exod.* 12. Quartadecima die ad vesperum pascha Domini est [quia post biduum pascha fiet] hoc est, solennitas paschæ, i. transitus. Non enim pascha à passione dicitur, sicut quidam existimant: sed græcè pascha, phase hebraicè, latinè, dicitur transitus. *Lu.* 22. Erat pascha & azyma post biduum. Hoc ergo fuit in quarta feria, quando iam fuit luna tertiadecima.

Et filius hominis tradetur, vt crucifigatur.

In ista prædictione traditionis tria dicuntur, secundum quam videlicet naturam est traditus: & prædictio traditionis, ne videatur ignarus: & ad quid traditus, qui est finis traditionis. Dicit igitur [Et filius hominis] inquantum filius hominis, quia secundum naturam diuinam tradi non potuit, *Suprà* 20. Filius hominis tradetur ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum [tradetur] à Iuda actiuè, à Patre & à se ipso dispensatiuè. *Rom.* 8. Etiam proprio filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum [vt crucifigatur] Hic est finis traditionis, *Malach.* 3. Si configit homo Deum suum, quia vos configitis me?

Tunc congregati sunt Principes Sacerdotum, & seniores populi, in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & consilium fecerunt, vt IESVM dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.

Hîc tangitur quærentium eum ad mortem completa malitia: & hic tanguntur octo, in fortitudinis ipsorum concordi congregatione: in congregatorum auctoritate: in ordinaria ad hoc accepta potestate: in consilij machinatione: in cautelarum dolositate: in violentiæ illatione: in pessima intentione: & impedimentorum astuta exclusione. De congregata & vnanimi fortitudine dicit [Tunc congregati sunt] vt multitudine armarentur. *Psalm.* 2. Conuenerunt in vnum, aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. *Ioan.* 11. Collegerunt Pontifices & Pharisæi consilium [Principes] Tria genera tangit, in quibus erat auctoritas agendorum: Principes in quibus potentia iusta, vt videbatur. *Isa.* 32. Principes in iudicio præerunt. Sed isti erant de illis, de quibus *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum *Sopho.* 3. Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes. Iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane [Sacerdotum] In quibus debuit esse sanctitatis bonitas (aliàs sanctitas bonitatis *Exod.* 28. Consecrabis cunctorum manus, & consecrabis eos, vt sacerdotio fungantur mihi. Sed econtra isti sunt, de quibus *Sopho.* 3. Sacerdotes polluerunt sanctum meum, iniustè egerunt contra legem [& seniores populi] In quibus

quibus debuit esse sapientia. *Iob* 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Sed econtra de istis dicitur *Iob* 32. Non sunt longæui sapientes. *Dan.* 13. Ingressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Sopho.* 3. Prophetæ eius vesani, viri infideles [in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas] eo quòd, sicut dicitur *Ioan.* 11. esset Pontifex anni illius, vt ab ipso ordinariam acciperet potestatem, & sic formam iustitiæ haberet iniquitas. *Eccl.* 10. Est malum, quod vidi sub sole; stultum positum in dignitate sublimi; & Principes sedere deorsum. 2. *Macha.* 4. Nihil habens dignum summo sacerdotio; sed animos crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens [& consilium fecerunt] Ecce consilij machinatio; vt ex consensu & præmeditata procederet iniquitas *Gen.* 49. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea; *Isa.* 7. Consilium iniit Syria contra te malum. Syria sublimitas (aliàs sublimis) interpretatur; quia ibi erat sublimitas potentiæ sanctitatis apparentis & potentiæ (aliàs potentia) [vt IESVM] *Act.* 3. Auctorem salutis interemistis [dolo] Ecce cautelarum dolositas. *Ierem.* 9. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. Quia extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. *Psalm.* 37. Dolos tota die meditabantur [tenerent] Ecce violentia. *Psalm.* 21. De ore leonis libera me, Domine, & à cornibus vnicornium humilitatem meam [& occiderent] Ecce intentio. *Gen.* 37. Venite, occidamus eum. *Supra* 21. Venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas [dicebant autem] Ecce impedimentorum exclusio [Non in die festo] Non quòd curarent de violatione festi. *Isa.* 1. Neomenias & Sabbatum & solennitates alias non feram: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens. Sed potiùs [ne fortè tumultus fieret in populo] *Marc.* 11. Et *Suprà* 21. Cum quæreret, Baptismus Ioannis vnde erat &c. populus videns prudentiam ipsius defendebat eum; quia sicut Prophetam habebant; & timebant, quòd si iterum iniicerent in eum manus coram populo, quòd similiter defenderent. *Ioan.* 7. Quare non adduxistis eum? Responderunt ministri, qui missi fuerunt ad capiendum eum: Nunquam sic locutus est homo, vt iste homo loquitur.

Cùm autem IESVS esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.

Hic ponit factum vnctionis [illegible] & hoc est perditio vnguenti [illegible] conceperunt furtum decimæ: & quia [illegible] didit pro triginta, quæ sunt decima [illegible] quos hoc vnguentum valuit. [illegible] [illegible] loco, & ille [illegible] [Cum esset IESVS in Bethania in domo]

obedientiæ; præsignans se tunc perfecturum obedientiam, de qua dicit Apostolus *Phil.* 2. Factus est obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis [in domo Simonis leprosi] Non quòd tunc leprosus fuerit, sed ante, & nomen retinuit in signum memoriæ tanti beneficij *Suprà* 8. Confestim mundata est lepra eius. 4. *Reg.* 5. Mundata est lepra eius, & restituta caro eius, sicut caro pueri paruuli. Et ex hoc concepit mulier audaciam, non præsumptionis, sed confidentiæ; quia vidit, quòd non abhorruit eum, qui leprosus extiterat, qui multis sunt horrori etiam post sanitatem, præsumpsit, quòd etiam officium pietatis ab ea futurum non abhorreret; & hoc est, quod dicit [accessit ad eum mulier] Dicit autem *Hieron.* quòd nemo putet eandem esse, quæ super caput effudit, & super pedes; illa enim & lacrymis lauit, & crine tersit, & manifestè meretrix appellatur *Luc.* 7. De hac autem nihil tale scriptum est. Nec enim poterat statim capiti Domini meretrix digna fieri. Item *Chrysost.* Mulier ista videtur esse vna & eadem apud omnes Euangelistas; non est autem, sed apud tres vna quidem mihi videtur: apud Ioannem autem non adhuc; sed mirabilis quædam soror Lazari. In contrarium huius est *Rabanus*. Mulier ista Maria Magdalena erat soror Lazari, hoc idem dicit *Greg.* Dicunt ad hoc quidam, quòd eadem in persona, altera in habitu: quia prima peccatrix & capite Christi indigna, postea iustificata, & tunc digna. Ego puto esse dicendum, quòd de hoc Sancti dissonant, quia spiritu suo loquuntur, & non est de fide & moribus. Vnde *Chrysost. super Ioannem* dicit, Mariam Magdalenam virginem permansisse, & nunquam fuisse peccatricem. 4. *Reg.* 4. Cum Sunamitis venisset ad virum Dei, apprehendit pedes eius [habens alabastrum vnguenti] In hoc notatur prouidentia. Est autem alabastrum album genus marmoris, sicut si nitor argenti permixtus sit niueo candori, & est perspicuum, frigidæ naturæ, habens vim conseruandi vnguenta. *Cant.* 1. Odor vnguentorum super omnia aromata [pretiosi] *Marc.* 14. Nardi spicati pretiosi. [illegible]

V[illegible] D[illegible] Vt [illegible] [illegible] dari pauperibus.

Hic

Hic tangitur indignatio Discipulorum. Et tanguntur tria, primum est oculus nequam, secundum indignationis murmuratio, tertium causa. Dicit igitur [Videntes autem Discipuli] Sed contra *Ioan.* 12. Iudas solus indignatus dicitur. Et dicendum, quòd solus Iudas mouit alios: alij autem non consenserunt nisi opinando, quòd inde impedita fuisset misericordia in pauperes. Solus autem Iudas fecit hoc auaritiæ respectu. *Ecclesiast.* 14. Oculus malus ad mala: non satiabitur pane sed indigens erit: insatiabilis enim est oculus cupidi [indignati sunt] Duo dicit, indignationem cordis, & murmurationem oris. De indignatione *Dan.* 14. Indignati sunt Babylonij contra Regem pro Daniele. Iste enim miser quia iam vilipendit Dominum indignabatur, quòd mulier aliquid expendit in eum [dicentes] [Vt quid perditio hæc] Arguunt enim eam vt prodigam. *Prouer.* 29. Quid ad indignandum est facilis, erit ad peccandum procliuior. *Sap.* 1. Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest: & à detractione parcite linguæ [Potuit enim istud] Arguunt hic quasi impiam in pauperes [venundari multo] Alius Euangelista plusquam trecentis denariis [& dari pauperibus] *Ioan.* 12. Hoc dixit: non quia de egenis ad eum multum pertineret: sed quia fur erat, & habebat loculos: & ea, quæ mittebantur, portabat, hoc est, asportabat. *Sup.* 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Huius prætextu verbi volebat suæ consulere auaritiæ. *Psalm.* 111. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi.

Sciens autem IESVS, ait illi: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

Hic ponitur per Dominum excusatio facta: & tangit duo, plenam excusationem, & operis remunerationem *Ibi* [Mittens enim hæc mulier] Operis excusatio tangitur per tria: per murmuris & molestiæ repressionem: per operis laudem: per temporis, in quo factum est, opportunitatem. De primo dicit [Quid molesti estis huic mulieri?] *Ruth.* 2. Mandaui pueris, vt nemo tibi molestus sit [opus enim bonum] Ecce laus operis [operata est in me] quia pietatis opus bonum est. *Ioan.* 10. Multa bona opera ostendi vobis in nomine Patris mei: propter quod illorum opus vos me lapidatis? Q. d. Vos lapidatis eam de bono opere [Nam pauperes semper habebitis vobiscum] Ecce temporis opportunitas. *Deut.* 15. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, Ideò ego præcipio tibi, vt aperias manum tuam fratri tuo egeno & pauperi [me autem non semper habebitis] secundum corporalem infirmitatis præsentiam: secundum deitatem enim *Infra vltimo* dicit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. 2. *Cor.* 5. Et si cognouimus secundum carnem Christum; sed nunc iam non nouimus. *Sup.* 9. Veniet tempus, quando tolletur ab eis sponsus [Mittens enim hæc] Mulier. Tangit modum qualiter opus opportunum fuerit tempori [vnguentum hoc in corpus meum] quod Spiritu sancto vnctum est. *Isa.* 61. Spiritus Domini super me: eo quòd vnxerit me Dominus [ad sepeliendum me fecit] quia tunc erat consuetum vngere corpora defunctorum. *Marc.* 14. Præuenit enim vngere corpus meum in sepulturam.

Amen dico vobis: Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, quòd hæc fecit in memoriam eius.

Tangitur hic operis remuneratiò: & duo tanguntur, scilicet, præscientia Euangelij prædicandi, & laus operis in prædicato Euangelio. De primo dicit [Vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo] *Psalm.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum. *Mar.* 40. *Itè in orbem vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ [dicetur] & hoc est etiam cum Euangelio [quòd hæc fecit in memoriam eius] mulieris videlicet. *Prouer.* 10. Memoria Iusti cum laudibus. *Psalm.* 111. In memoria æterna erunt Iusti. *Sap.* 4. Immortalis est enim memoria illius: quia & apud Deum nota est, & apud homines.

Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscarioth, ad Principes Sacerdotum & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.

Ecce hic ponitur pactum traditionis secundum operis perfectionem: & dicuntur tria, scilicet, Domini vilipendium, & pretij constitutio, & traditionis promissio. Primum tangitur in hoc, quòd Iudas non emptores sanguinis expectauit, sed præuenit: & per hoc, quod in arbitrio eorum posuit vtrum parum, vel multum dare vellent. Dicit ergo [Tunc] pretio vnguenti amisso. *Psal.* 1. Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. *Ioan.* 13. Exiuit continuò: erat autem nox. A vero enim lumine oculos auertit, cupiditate excæcatus: & tangit ingratitudinem per hoc, quòd dicit [de duodecim] cui gratiam illam fecerat, quòd inter 12. præfecerat Apostolum. *Sup.* 10. *Psalm.* 54. Dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Et describit eum nomine & patria [qui dicebatur Iudas] nomine [Iscarioth] patria: à villa, vnde natus est [ad Principes Sacerdotum] 1. *Esd.* 9. Manus magistratuum prima fuit in transgressione hac [Et ait illis] quærens auaritiæ recuperationem. *Prouer.* 30. Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer. furtum videlicet in Iuda, & perditio sanguinis. *Eccl.* 10. Auaro nihil est scelestius. Hic enim in vita sua proiecit intima sua. Et *Ibidem.* Et animam suam venalem habet [Quid vultis mihi dare?] Ecce quasi vile mancipium constituit in potestate ementium, quid dare velint. Asinum enim suum nemó sic vendit, vt Iudas Saluatorem. *Ecclesiast.* 20. Est datum, quod non est vtile: datum incipientis non erit vtile. *Gen.* 25. Abiit paruipendens, quòd primogenita vendidisset.

At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.

Ecce pretij constitutio [triginta argenteos] *Zachariæ* 11. Appenderunt mercedem meam triginta argenteos. *Gen.* 37. Venditus est Ioseph viginti argenteis: quia melius debuit esse forum serui, quàm Domini. *Isa.* 62. Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo: & ideò eadem prophetia Isaiæ legitur in Ecclesia, quarta feria ante pascha. Et quia tunc venditus fuit Dominus: Ideò in ieiunio, quod sit honore passionis post sextam feriam (in qua crucifixus est Dominus) secundum locum tenet quarta feria, in qua est traditus & venditus. Sed qui ieiunant in honore virginis matris Sabbatum, ieiunant congruentiùs: quia illa die cæteris dubitantibus, fides in ea stetit: & ideò in Sabbato inoleuit consuetudo solemnizare de gloriosa virgine [& exinde] pacto firmato [quærebat opportunitatem vt eum] sine turbis existentem [traderet] 1. *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa, & nociua: quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Vnde *Luc.* 22. apertiùs dicitur: Quærebat opportunitatem, vt traderet eum sine turbis, ne s. auxilio, vel tumultu turbarum euaderet manus tradentium.

Prima autem die azymorum, accesserunt Discipuli ad IESVM dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere pascha?

Peracta traditione secundum confirmationem pacti, tangit eandem secundum opportunitatem: hoc autem est, vt inueniatur sine turbis. Duæ igitur sunt opportunitates, vna temporis, & altera propinqua, & conueniens malitiæ proditoris. Prima est cœna sacramentalis, in qua declinare necesse fuit à turbis: alia est locus secretæ orationis, cui non competit etiam intimorum accessus *Ibi* [Tunc dicit illis: Omnes vos scandalum patiemini] Et prima concluditur ad secundam: & ideò prima duas habet partes [illegible] nationem *Ibi* [Et hymno dicto exierunt &c.] [illegible] Iudas locum [illegible] &c. Adhoc [illegible] diuiditur [illegible] lis, in qua [illegible] natur: in [illegible] instituitur *Ibi* [illegible] IESVS panem &c.] [illegible] nis veteris [illegible] *Ibi* [illegible] bibam amodo &c.] [illegible]

Dicit igitur de primo, quòd cum quæreret opportunitatem Iudas crescens in malitia, occurrit [Prima dies azymorum] In qua, sicut dicit Lucas, necesse fuit occidi pascha, & parari: & hoc fuit luna decima quarta ad vesperum. *Exod.* 12. Septem diebus non erit fermentatum in domibus vestris. Et hoc idem dicitur *Num.* 28. & *Leui.* 23. & *Deut.* 16. Et *Ibidem.* Quarta decima die ad vesperum pascha Domini est & in quinta decima solemnitatem celebrabitis altissimo Domino. Hoc autem fuit quinta feria ad noctem, quando non erat fermentatum in domibus Iudæorum: eo quòd illa nocte, sicut dicitur *Exod.* 12. Annis reuolutis multis tulerat populus conspersam farinam, quæ fermentari non poterat, compellentibus Ægyptiis exire populum de Ægypto. Et ex hoc accipimus ritum nostrum; quia consecramus in azymis, conuenientiorem esse ritu Græcorum, qui consecrant in fermentato. Si enim in domibus Iudæorum non erat tunc fermentatum, non accepit Dominus in consecratione sui sacrosancti corporis nisi azymum. Dicitur enim azymon ab a quod est sine, & zyma, quod est fermentum. Conuenit autem hoc etiam mysterio. 1. *Cor.* 5. Epulemur in azymis sinceritatis & veritatis: & præmittit non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ [accesserunt] [illegible] bito sui ordinis [Discipuli ad IESVM dicentes] [illegible]

At IESVS dixit [illegible]

At

At IESVS dixit] Locum determinans : in quo tria dicit. Discipulis enim ministerium cœnæ iniungit, locum determinat, & prætendit paupertatis humilitatem. Per hoc enim, quòd dicit [Ite] iniungit ministerium. Simile *Luc.* 10. Ite : Ecce ego mitto vos. *Marc. vlt.* Ite in orbem vniuersum [in ciuitatem] Loci determinatio, in quo notatur, quòd communicare debet, qui cœnam Domini cœnat : quia ciuitas dicitur ciuium vnitas. Non communicat autem sacramentaliter, qui excommunicatus est Ecclesiæ iurisdictione : spiritualiter autem non communicat, qui excommunicatus est Ecclesiæ triumphantis excommunicatione, quæ fit pro mortali peccato. 1. *Cor.* 16. Si quis non amat Dominum IESVM Christum, anathema sit Maranatha. Hæc communio significatur in *Psalm.* 121. Ierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas : cuius participatio eius in idipsum. *Apoc.* 3. Si quis aperuerit mihi, introibo & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Non ergo cœnat cum Domino nisi in quem iam per gratiam inhabitat Deus. Ideò communis confessio & pœnitentia instituitur ante generalem, quæ in pascha celebratur, communionem : & indicitur generale ieiunium [ad quendam] Ecce paupertatis humilitas. Pauper enim erat, non claræ dignitatis, & nominis inter ciues. Vnde *Luc.* 22. Occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans. Paupertatis enim indicium dedit, qui per se non vinum, sed aquam ad festum paschæ celebrandum portauit. *Zach.* 9. Ipse pauper. *Psalm.* 87. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. Vnde etiam *Apost.* in tali cœna vituperat præparationes diuitum 1. *Cor.* 11. Primum quidem conuenientibus vobis in Ecclesiam, iam non est dominicam cœnam manducare: vnusquisque enim suam cœnam præsumpsit ad manducandum, & alius quidem esurit, alius verò ebrius. Vnde & *Rabanus* hic exclamat dicens : Audiant quibus ædificandarum domorum vita est : quos pretiosorum marmorum columnæ delectant. *Iere.* 22. Væ qui ædificat domum suam in iniustitia. Qui dicit : ædificabo mihi domum latam & spatiosam : qui aperit fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque synopide. *Amos* 3. Percutiam domum hyemalem cum domo æstiua, & peribunt domus eburneæ.

Et dicite ei : Magister dicit : tempus meum prope est, apud te facio pascha cum Discipulis meis.

[illegible] & [illegible] hic [illegible] ricas : & [illegible] quando [illegible] cum Sacramentum [illegible] : & eundem in passione sua [illegible] communionem [illegible] : & [illegible] Sacramentis celebrationem & [illegible] in illo Sacramento communionem : & hæc [illegible] per ordinem. Dicens dicit [Magister dicit] [illegible] magister quàm Dominus : quia Sacramentum est signum, quod [illegible] facit, [illegible] facit in [illegible] : & [illegible] est nomen significandæ doctrinæ spiritualis : & hoc [illegible] magistrorum, quàm ad [illegible]. *Isa.* 50. Dominus aperuit mihi aurem, [illegible] diam eum tanquam magistrum : ego autem non contradico. *Ioan.* 3. Scimus quia à Deo venisti magister. *Lu.* 4. Stupebant omnes in doctrina eius : quia in potestate erat sermo ipsius [tempus meum prope est] Cum tempus sit quidam numerus, vt dicit *Philosophus* : non habetur tempus hominis nisi sicut numerus vitæ hominis : & hoc est per vltimæ horæ adiectionem, sicut & numerus constituitur per vltimæ vnitatis adiectionem : sic enim tempus est mensura vitæ & numerus. Vnde quidam dixit *Isa.* 38. Ego dixi : in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi : quæsiui residuum annorum meorum. Hoc autem tempus dupliciter fuit Christi : vno quidem modo, qui dictus est ; alio autem modo, qui in dispositione sua fuit, quantus esset numerus temporis. In nobis enim non est, quantum viuamus : & ideò tempus nostrum semper est in termino quasi finiente vitam ; sed non sic Christo. *Ioan.* 7. Tempus meum nondum aduenit : tempus autem vestrum semper est paratum. Hoc igitur modo (tempus Christi passio est in finita vita) dixit : Consummatum est, omnibus legalibus finem imponens. Et hæc est ratio, quare de tempore suo in cœna facit mentionem. Ex hoc autem etiam Discipuli instruebantur, quòd non ignorans præoccupabatur passione, sed volens, & omnia ex sapientia præordinans. *Rom.* 11. Quis enim cognouit sensum Domini : aut quis consiliarius eius fuit ? quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia [apud te facio pascha] Ecce Sacramenti vltima celebratio. Hoc autem quod dicit [facio] ex modo loquendi, notat potestatem celebrantis ; vt faciat de Sacramentis sicut vult. *Ioan.* 13. Sciens quia omnia dedit Pater in manus : & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit. Hoc significatum est 3. *Esdr.* 1. fecit Iosias pascha, quale non est factum à diebus Regum & [illegible] Israel [cum Discipulis meis] Ecce significata in Sacramento communio : & ideò fit cum Discipulis : quia significatur in eo membrorum cum capite communicatio in Spiritus vnione. *Ephes.* 4. Vnum corpus & vnus Spiritus. 1. *Cor.* 12. Sicut in vno corpore multa habemus membra, omnia autem membra non eundem actum habent : ita multi vnum corpus sumus in Christo.

Et fecerunt Discipuli, sicut constituit illis IESVS, & parauerunt pascha.

Hic tangitur modus celebrationis. Et in hoc quod dicit [sic præcepit illis IESVS] notatur, quòd non est præsumendum ab aliquo, quòd aliter celebret Sacramentum, quàm à Deo est institutum. 1. *Cor.* 11. Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Ibi *Glossa* [illegible]. Indignè sumit, qui aliter celebrat quàm [illegible] est. 1. *Cor.* 11. Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Et [illegible] Laudo autem vos, fratres, quia per omnia mei memores estis ; & sicut tradidi vobis, mandata mea tenetis [et [illegible] pascha] quod certè non fecissent, nisi [illegible], quæ [illegible] est, [illegible]. *Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. *Isa.* 26. Quia opera nostra operatus es in nobis Domine. *Exod.* 12. [illegible] tollentes animal, immolate phase.

Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim Discipulis suis : & edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est : Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere : Nunquid ego sum, Domine ? At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo.

Hic tangitur quadruplex reuocatio proditoris. Nam qui pati venit, & voluit ; tamen actionem tam detestabilem noluit, & ab ea ministrum sceleris reuocauit. Primò autem reuocat, se præscire traditionem & traditorem ostendendo : vt deitatis scientia perlustratus erubescat : secundò beneficium commensalitatis prætendendo, vt beneficium tradere verecundetur : tertiò comminationes æternarum pœnarum terrendo ingeminat, vt saltem timore retrahatur à malitia : quartò & vltimò manifestando subobscurè, vt sic notatus confundatur, & à proposito desistat. Dicit igitur tria circa primum, scilicet, quando dixit & aperuit præscientiam proditoris, & ipsum dictum, & turbationem ex hoc ortam inter Discipulos.

Dicit igitur [Vespere autem facto] lunæ quartædecimæ [discumbebat cum duodecim Discipulis suis] per quos ad omnes alios ordinatio Sacramentorum descendere debuit. *Psalm.* 132. Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, quod descendit in oram vestimenti eius. Non excludit proditorem, vt reuocet beneficio. *Cant.* 1. Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, & vbi cubes in meridie, hoc est, in pleno lucis splendore & plenæ charitatis feruore, & hoc in Sacramento cœnæ nos illuminans & accendens. Hoc impletum est *Genes.* 43. Introduc viros domum quoniam mecum comesturi sunt in meridie. *Cant.* 5. Comedite, amici, & bibite & inebriamini, charissimi. *Exod.* 24. Viderunt Deum, & comederunt, & biberunt [Et edentibus illis dixit] *Isa.* 21. Comedentes & bibentes, surgite Principes, & arripite clypeum [Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est] Vt impleatur, quod dixit *Psalm.* 40. Homo pacis meæ, in quo speraham : qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem [& contristati valdè] eo quòd intolerabile erat eis aliquid contra dilectum magistrum audire. *Supra* 17. Absit à te Domine : non erit tibi hoc. Vnde & *Ioan.* 13. Petrus innuit Ioanni, vt diligenter inuestigaret quis esset. Et dicit *Chrysost.* quòd ideò hoc fecit : quia proditorem cogitabat interficere, & sic Dominum liberare, ignarus Sacramenti Passionis [cœperunt singuli dicere] quia licet conscientia non accusaret eos : tamen plus Magistro de se, quàm propriis credebant conscientiis. *Ioan.* 16. Scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. *Ioan. vlt.* Scio, quòd vniuersorum memineris, & quia nulla te latet cogitatio [Nunquid ego sum Domine ?] *Psalm.* 25. Proba me, Domine, & tenta me : vre renes meos, & cor meum : & vide, si via iniquitatis in me est. *Hebr.* 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius : omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius.

At ille respondens ait] volens reuocare commemoratione beneficij. *Ecclesiastici capitulo duodecimo*. In tristitia & in malitia est amicus agnitus [Qui intingit mecum manum in paropside] Attende quòd paropsis est vas magnum à paribus absidibus dictum, quod *Lucas* vocat catinum : licet catinum propriè sit vas fictile. Erat autem vas magnum, in quo totus iacebat agnus, in extremitatibus habens parua receptacula, in quibus erat sapor lactucæ agrestis. Vnde licet omnes acciperent de agno de paropside : non tamen omnes intingebant in eodem sapore, sed Iudas cum Domino. *Ioan.* tamen 13. dicitur sic : Cui ego intinctum panem porrexero, quod idem est, & maioris indicium amicitiæ, quòd inter tot charos sibi soli manu propria saporem porrexit [hic me tradet] *Ierem.* 9. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre non habeat fiduciam : quia omnis frater supplantans supplantabit ; & omnis amicus fraudulenter incedit. *Mich.* 7. Vir fratrem suum venatur ad mortem, & inimici hominis domestici ipsius. Ne autem dicat aliquis, quare Christus non subduxit ; ne Iudæ daret occasionem se præcipitandi in tantum scelus ? Ideò sequitur [filius quidem hominis vadit] ad Passionem voluntarius [sicut scriptum est de eo] & facit, quod præordinatum est : nec aliquid dimittit de his, quæ ad redemptionem pertinent. Ipse autem Iudas caueat quid faciat : quia ego faciendo quod conuenit, moneo eum, vt sibi caueat. Sic ergo non dans Iudæ occasionem [vadit filius hominis] ad Passionem *Ioan.* 11. vt sciant omnes, quia ego diligo Patrem : & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc. Non est dubium, quin ad Passionem. *Ioan.* 16. Vado ad eum, qui misit me [sicut scriptum est de eo] hoc est, sicut scriptura testante præordinatum est. *Psalmo* 39. In capite libri est scriptum de me, vt facerem voluntatem tuam : Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. *Luc.* 24. Oportet impleri omnia, quæ scripta sunt in lege, & Prophetis, & in psalmis de me.

Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.

Ecce reuocatio comminatione pœnæ [Væ autem] æternæ damnationis [homini illi, per quem] sicut sceleris ministrum [filius hominis tradetur] *Isai.* 10. Simile. Væ assur, virga furoris mei & baculus ipse est : in manu eius indignatio mea. *Ecclesiastic.* 2. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malè facientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis [Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille] Contra hoc obijcitur quidam. Quia si natus non fuisset, non esset : & si non esset, non esset ei neque bonum, neque malum. Ad hoc dicit *Hieronymus*, quòd modus est loquendi : quia melius esset non esse, quàm in extremo infelicitatis infelicem esse. Et intendit quòd non esse dupliciter consideratur : in se videlicet, & sic nihil est, nec est ei aliquid bonum, vel malum : aut vt est oppositum ad esse, & in tali oppositione, esse potest esse minus quàm non esse : & sic

est putatiuum, vel negatiuum, & per consequens mali & infelicis esse: & hoc modo sumitur hic, cùm dicit [Bonum] Virtutem habet comparationis in opposito, hoc est, minus malum [erat ei, si natus non fuisset homo ille] 2. *Thes.* 2. Filius perditionis homo iniquus. *Ioan.* 17. Nemo ex eis periit nisi filius perditionis: vt scriptura impleretur. *Iob* 10. Quare de vulua eduxisti me? qui vtinam consumptus essem, ne oculus me videret: fuissem quasi non essem, de vtero translatus ad tumulum.

Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.

Post alios omnes vsque post comminationem tacet, induratus malitiæ pertinacia: & tunc non interrogat nisi videatur tacendo se prodere. Vnde *Ioan.* 13. dicitur, Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis, Iscariothæ. Et propter hanc pertinaciam irreuocabilem, dicitur non diabolicus, sed diabolus. *Ioan.* 6. Nonne ego duodecim vos elegi: & vnus ex vobis diabolus est? [Numquid ego sum Rabbi?] Dicit *glo.* quòd in ipsa interrogatione notatur affectio. Q. d. Ego sum, Rabbi: & nunquid non ita est? & est eius, qui confundi nescit. *Ierem.* 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi: noluisti erubescere [Ait illi IESVS: Tu dixisti] Q. d. Tu te prodidisti: & eodem sermone vsus est contra Pilatum *Infrà* 27. Tu dicis, quia Rex sum.

Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: hoc est corpus meum.

Hic tangitur noui testamenti Sacramentum, quod Eucharistia, hoc est, bona gratia vocatur: eo quòd continet eum, qui est & auctor & causa & vas omnis gratiæ secundum corpus & animam & deitatem. Tangit autem hic tria sicut etiam in parte antè diximus, scilicet, Sacramenti institutionem, & alterius Sacramenti (quod typus huius fuit) terminationem, & gratiarum actionem. Sacramenti autem institutio dupliciter tangitur, scilicet institutio corporis, & institutio Sanguinis. Circa institutionem autem Sacramenti Corporis dicuntur octo secundum ordinem in litera, quorum primum est congruitas temporis: & hoc notat, cùm dicit [Cœnantibus autem] hoc est, cœnam typici agni complentibus: illo enim vltimo facto, ad ipsum immediatè continuatum est nouum: vt post illam vltimam cœnam nunquam ampliùs in eo spes poneretur. *Leui.* 26. Nouis superuenientibus, vetera proijcietis: sed vsque ad noua comedetis vetera. Et in huius signum deteguntur, & lauantur altaria in die cœnæ. *Isa.* 26. Vetus error abiit. 1. *Corinth.* 5. Epulemur non in fermento veteri. Sed tunc quæritur qualiter suis Apostolis dedit corpus suum completa cœna: Nobis autem præcipitur, vt ieiuni sumamus? Videretur enim, quòd ritum Apostolicum æmulari deberemus: & dicendum est ad hoc, quòd Apostolis post cœnam dedit, vt veritatem figuræ continuaret: & vt illud, quod maximi amoris est indicium vltimò datum, magis memoriæ commendaret, & vt Domini & Redemptoris & amici hoc memoriale relinqueretur. 1. *Cor.* 11. *Lu.* 22. Hoc facite in meam commemorationem. *Thre.* 3. Memoria memor ero: & tabescet in me anima mea. Hoc enim memoriale maximum dilectionis est signum: maximè nostri ad Deum vnitiuum, & amici abeuntis quoties placet reuocatiuum. Sic enim dicit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vnde in hoc suos in finem dilexit. *Ioan.* 13. De secundo *Iob* 31. Si non dixerunt viri tabernaculi mei de carnibus eius: quis det, vt saturemur? hoc est, corpori eius vniamur. *Ioan.* 6. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De tertio dicitur *Ioan.* 6. Panis, quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita.

Secundum autem est operatio virtutis diuinæ. Et hoc notatur, cùm dicit [Accepit IESVS] Ad hoc enim accepit in manibus, vt tactu suo transsubstantialitatem (aliàs transsubstantiabilitatem) conferret materiæ Sacramenti: vt quando forma accederet, fieri posset, & fieret Sacramentum. Sicut etiam tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis. Hoc significatum est *Sup.* 14. & *Ioan.* 6. Vbi tangens panes multiplicauit eos in pastum & satietatem multorum millium hominum. Non est enim mirum si manus, qua condidit etiam creaturas, mutet in quod voluerit. *Can.* 5. Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis. Tornatiles dicuntur propter operationis facilitatem. Aureæ propter diuinæ potentiæ in opere quolibet fulgorem. Plenæ hyacinthis propter operis cælestem pretiositatem.

Panem] Tertium est, in quo notatur Sacramenti propria materia. In speciebus enim quibusdam, licet multæ species esse videantur, tamen vna est quæ attingit complementum, & aliæ sunt distantes ab ea quibusdam ægritudinibus, sicut dicunt Alchimici de auro: & ideò omne metallum purgatione materiæ in aurum dicunt transmutari. Sicut etiam videmus de granis: quoniam bonitate terræ siligo in triticum nobilitatur, & eiusdem malitia triticum degenerat in siliginem. Et ideò simpliciter & absolutè panis triticeus est panis. Hinc est, quòd ipse Christus in hoc Sacramento contentus se grano frumenti comparat *Ioan.* 12. Nisi granum frumenti &c. Et quoad hoc habet similitudinem ad corpus Christi verum. Comparat etiam electos tritico *Sup.* 12. Triticũ cõgregate in horreum meum. Et sic habet conuenientiam ad corpus Christi mysticum. In effectu etiam maximè conuenit: quia puritate maximè nutrit, & viscositate maximè membris adhæret nutrimentum, quod exinde sumptum est: & quoad hæc duo dicitur in *Psal.* 103. Panis cor hominis confirmet. *Gen.* 18. Afferam buccellam panis, & confortetur cor vestrum. *Act.* 9. Cum accepisset cibum confortatus est. Est autem etiam hoc granum nobilissimum & cibis hominum communissimum (alias conuenientissimum) quia competit infirmis & sanis. De primo dicit *Psalm.* 77. Panem Angelorum manducauit homo. In hoc enim notatur nobilitas. Communitas autem notatur *Sup.* 6. Voluntati vniuscuiusque eorũ deseruiens, ad quod quisque volebat conuertebatur. Est autem & alia conuenientia: quia sicut ex multis granis deputatis à paleis fit vnus panis: ita de multis fidelibus à peccato deputatis vna fit Ecclesia. 1. *Cor.* 10. Vnus panis, vnũ corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, participamus. Adhuc autem in pane quælibet pars integra cibi & refectionis habet plenam rationem: ita in Sacramento, quælibet pars formæ

formæ diuisæ habet integrum Christum totum reficientem. *Ioan.* 6. Qui manducat me viuit propter me. *Psalm.* 148. Adipe frumenti satiat te. *Sap.* 16. Paratum panem de cælo præstitisti eis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem.

Et benedixit] quæcunque fuerit benedictio: aliqua benedixit benedictione speciali, qua etiam à Discipulis agnitus est *Luc.* 24. quomodo agnouerunt eum in fractione panis. *Ecclesiast.* 39. Benedictio illius quasi fluuius inundauit, & quasi cataclismus inebriauit terram. Hac benedictione etiam ipsum Sacramentum benedictione gratiæ exuberat. Vnde *Sapient.* 16. Manna exiguo radio solis liquefactum tabescebat, vt scirent omnes, quoniam oportet præuenire solem ad tuam benedictionem, & pro hac benedictione Ecclesia vtitur collectis etiam ante transsubstantiationem & post tam pro viuis, quàm pro mortuis: eo quòd ad omnes hoc Sacramentum gratiæ exuberat. *Genes.* 49. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.

Ac fregit] Fractio est quintum, & est in accidentibus, quæ non afficiunt corpus Domini, sed circunstant ipsum, vt ostendat ibi Dominum esse in cibi effectu spiritualis. *Ose.* 12. Declinati ad ipsũ, vt vescereturEt ideò mirabile est accidens ibi esse sine subiecto, ad hoc quòd cibi effectum in corpore ostendat: & ideò etiam sicut corpus panis transsubstantiatur in carnem Christi veram: ita etiam accidens in obsequium Sacramenti recipit virtutem super posse accidentis exaltatam: vt circunstando corpus Sacramenti (sicut diximus) ostendat virtutem: vt etiam fractio sit in ipsis: quia verum corpus non frangitur, sed fractis accidentibus, sub qualibet specie & parte fractionis totum est corpus Christi. Et ideò *Act.* 2. dicitur, quòd Apostoli erant perseuerantes in fractione panis. *Suprà* 14. Fregit panes, & dedit Discipulis, vt turbis apponerent. Et præcepit *Ioan.* 6. vt fragmenta colligerent, ne perirent. *Threno.* 3. Parauli petierunt panem: & non erat hoc modo, qui frangeret eis. Hæc enim fractio significat etiam itæ fractionem diuinæ, tam in viuos, quàm in mortuos in purgatorio existentes: & bonitatem suam in eos, qui feliciter iam regnant cùm ipso. Et ideò in tres partes frangitur hostia. *Psalm.* 105. Dixit Deus, vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione coram ipso, Moyses electus significat Christum in istius hostiæ fractione.

Deditque Discipulis suis] Hoc est sextum, quod ad distributionem pertinet Sacramenti: ideò enim vocatur communio latinè, synaxis græcè, quia omnes in eo communicant, vt Christus in omnibus sit. 1. *Corinth.* 9. Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Ideò *Suprà* 6. dicitur Panem nostrum, non meum. Ideò etiam David Rex 2. *Reg.* 6. populo diuisit tortulam panis, quæ tortula significabat Christi passionem: quo facto lætantes abierunt ad propria [Dedit] autem non tam vt munus, quàm potestatem dandi de cæteto. Vnde ista datione transtulit in eos potestatem conficiendi & distribuendi. Vnde *Luc.* 20. additur, Hoc facite in meam commemorationem. In quo verbo notatur acceptæ potestatis exercitium: & forè in hoc ipso verbo Sacerdotes ordinati intelliguntur per translationem talis potestatis. Hoc significatum est *Suprà* 14. & *Ioan.* 8. vbi dicitur, quòd dedit Discipulis, vt apponerent turbis, & non tantùm vt comederent. *Suprà* 10. Gratis accepistis, gratis date. Dedit autem ad induendum, ad offerendum, & ad sumendum. De inditione *Gal.* 4. Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis. *Romanis. capitulo* 13. Induimini Dominum IESVM CHRISTVM. De oblatione. *Isa. capitulo* 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Ad sumendum *Ioann. cap.* 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Induitur in ornamentum conuersationis, offertur in pretium redemptionis, sumitur in restaurum deperditæ spiritualitatis. De primo *Isa.* 61. Sed induit me Dominus vestimento salutis, & indumento lætitiæ circundedit me. De secundo. 1. *Pet.* 1. Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis à vana vestra conuersatione, sed pretioso sanguine tanquam agni immaculati Christi. De tertio *Ioan.* 6. Qui manducat me, viuit propter me. Primum fit Christi virtute, secundum valore, & tertium nostri ad ipsum mutatione. Est ille mutans nos ad ipsum, & non mutatus *Ierem.* 15. Ipsi conuertentur ad te, & tu non conuerteris ad eos. Vnde *Aug.* dictum est voce sonante de sublimi. Cibus sum grandium, crescе, & manducabis me: nec tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.

Et ait: accipite & comedite] hoc est septimum, & pertinet ad verum Sacramenti vsum: & duo modi vsus tanguntur, sacramentalis quidem, quando dicit [accipite] hæc enim pertinent ad acceptionem, quæ est in specie sacramentali. Quòd autem dicit [comedite] pertinet ad vsum spiritualem. Dicit igitur [accipite] in fide, & deuotione, & reuerentia. In fide, quia mysterium est fidei: in deuotione, quia est plenæ charitatis Sacramentum: in reuerentia, quia omnium dignorum est dignissimum: & ideò tria sunt in manna. *Exod.* 16. Nomen, & collectio, & reseruatio. Nomen manna quod est: quid est hoc? propter fidei admirationem: collectio, propter donationem: reseruatio in vna. Vna aurea propter reuerentiam ad dignitatem. Accipitur igitur fide, vt credatur. Vnde *August.* Vt quid paras dentem & ventrem? crede, & manducasti. Colligitur per deuotionem, vt desideretur *Psalm.* 77. Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo. Conseruatur in apotheca cordis, vt in memoria reseruetur. Si enim amici abeuntis ad prandium olerum nos inuitantis recordamur: indignum est nos proprij corporis conuiuium Domino abeunte deinceps non recordari. *Isai.* 42. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul [& comedite] spirituali manducatione: vos mihi incorporate, vt mastication fiat per meditationem (quæ est frequens reditus memoriæ super idem) digestio non corporis, sed nostri fiat per confessionem, quæ purum ab impuro nouit separare: fictio autem corporis fiat per charitatis calorem: & vnio fiat per spiritus vnitatem. Sic enim Christo incorporamur, & incorporati secum ascendimus in cælum: & sic totum corpus mysticum, hoc modo efficitur corpus Christi. 1. *Cor.* 12. Vos estis corpus Christi, & membra de membro. De primo dicit *Psalm.* 142. In factis manuum

manuum tuarum meditabar. Et iterum memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus, & defecit spiritus meus præ admiratione bonitatis. De secundo *Iosue.* 7. Fili, da gloriam Deo, & confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris. De tertio *Isa. vlt.* Vt sugatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius. De quarto. *Ioan.* 17. Tu in me, & ego in eis, vt sint in vnum consummati. Sic ergo [comedite] hoc est, spiritualiter sumite. Et ait.

Hoc est cor. m.] Hoc est octauum & vltimum, quod pertinet ad formam. Et si quæritur: Quid per pronomen demonstratur? Dicendum, quòd tota hæc oratio resoluitur ad rem, & res ipsa in vnita & indiuisa virtute diuina operatur. Et ideò non est quærendum, quid dictiones in hac oratione positæ diuisim operentur: & hoc est, quod dixerunt antiqui Doctores, quòd quando dictum est totum, tunc totum factum est. Cum autem eleuatur iam consecratione facta: tunc iterum potest dici, quia hoc est corpus Christi verum: licet enim accidentia non afficiant corpus Christi verum, tamen sunt de essentia Sacramenti, & ostendunt Sacramenti verum effectum, & hunc ostendunt sacramentaliter: & ideò faciunt ad veram Christi demonstrationem sacramentalem. Sicut enim dicit *Innocentius* Corpus Christi per figuram propriam est in cælo, sacramentaliter in altari, & vt Deus, est vbique. Vnde sicut propria lux, & propria figura & habitudo corporis verè demonstrant eum in cælo, vbi est per propriæ figuræ repræsentationem: ita accidentia coloris & figuræ & saporis & odoris refectionis (aliàs repræsentatiuè) demonstrant eum in altari, in quo per veri cibi veritatem & repræsentationem est: & ideò verè demonstratur, quando dicitur: Hoc est corpus meum. Nec est verum, quod dicunt quidam, quod videtur sicut homo tectus velo: hoc enim non est verum; sed videtur sub speciebus veri Sacramenti, sicut dictum est. Et commendatur deuotio fidelium manibus protensis, & visu occurrentium ei: & significatur hoc *Exod.* 19. Vbi legitur, quòd cùm Dominus descenderet, omnes occurrerunt ad ostia tabernaculorum suorum, & viderunt Dominum. *Genes.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem: & salua facta est anima mea. *Num.* 21. Fac serpentem æneum, & erige eum in palo: & qui respexerit ad eũ, viuet. Sic ergo terminatur pars, quæ est de Sacramento corporis.

Et accipiens calicem, gratias egit; & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Tangit hic Sacramentum sanguinis: Et si quæritur, cum corpus non sit sine sanguine, nec sine anima: & hæc ambo non sint sine deitate, cui vnita sunt: quare oportuit haberi specialiter Sacramentum sanguinis? Et dicendum ad hoc, quòd in memoriale summæ dilectionis instituit Deus hoc Sacramentum. Oportuit autem nos maximè recordari maximi in factis Christi, & maximi in Passionibus. Maximum autem in factis est, quòd corpus suum dedit in cibum: quia per hoc omnes nos sibi vniuit, cum incarnatione non vniuerit sibi nisi vnius solius naturam. Vnde *Hilarius* dicit, quòd per istud Sacramentum omnes naturaliter Christo vnimur. Maximum autem in passionibus est, quòd sanguinem fudit & nobis illum infudit: & hæc est causa quòd oportebat habere speciale memoriale Passionis. Est autem corpus in cibum, & sanguis in potum, & corpus in pretium, & sanguis in ablutionem. *Apo.* 1. Dilexit nos, & lauit nos in sanguine suo à peccatis nostris. Dicit igitur.

Et accipiens] Dicit autem hic nouem circa Sacramentum sanguinis, quorum primum est operatio diuinæ virtutis in manibus humanis: & hoc notatur, cùm dicit [Accipiens] Tactu enim contulit transsubstantiabilitatem sicut *Suprà* 74. dictum est. *Psalm.* 74. Calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Secundò tangit materiam, cùm dicit [calicem] Calida est potio, simplex vinum, quod verè potus est, præcipuè dulce & rubeum, quod designat sanguinem: vnde comparat se viti. *Io.* 15. Ego sum vitis vos palmites. Hoc est vinum, de quo dicitur *Cant.* 7. Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus eius ad ruminandum. *Psal.* 103. Vinum lætificat cor hominis: & bonæ spei facit hominem, vt dicit *Philosophus.* *Iudicum* 9. dicit vitis: non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines. Inebriat etiam. 3. *Esdræ.* 3. Fortius est vinum. *Cant.* 5. Inebriamini charissimi. *Can.* 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinauit in me charitatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. *Psalm.* 22. Calix meus inebrians quàm præclarus est. Sic ergo vinum est calidum, potatiuum lætificans, spem eleuans, & inebrians: quæ omnia sunt in Sacramento, quod calefacit deuotione, potat refectione, lætificat spirituali exultatione, spem certificat magni meriti, quod est in Passione: inebriat autem charitate. *Psal.* 117. Calicem salutaris accipiam &c. *Genes.* 49. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.

Gratias egit] *Suprà* dixit: benedixit, hoc est, gratias egit, dicens, quod in passionibus debemus gratias agere, dicentes illud *Ro.* 8 Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ manifestabitur in nobis. *Ioan.* 11. Pater, gratias ago tibi, quia audisti me. *Sup.* 11. Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ. 1. *Cor.* 10. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Christi sanguinis est?

Sed hic non dicitur calix mistus aqua: quare ergò Ecclesia miscet? Ad hoc dicendum, quòd *Apoca.* 17. dicitur, quòd aquæ sunt populi & gentes: & quia vult significare transitum populi in Christum, ideo miscet: insipidum populum designans in saporem gratiæ Christi transiturum: & hoc designatur *Prou.* 9. Vbi sapientia loquitur dicens: Bibite vinum, quod miscui vobis. Et de hoc specialiter gratias agit: quia in hoc redemptus est populus: & hoc significauit *Io.* 2. aquam mutans in vinum. Vnde & tam parum aquæ debet poni, quòd tota transeat in vini naturam. Ex quo enim non ponitur nisi propter significationem tantum facit ibi gutta, quantum faceret mare totum.

Quartum est in potestatis collatione: & hoc tangit, cum dicit etiam [dedit illis] in potestate consecrandum, & conficiendum, & distribuendum: & hoc significatum est *Su.* 25. Tradidit illis bona sua. *Isa.* 63. Miserationum Domini recordabor super omnibus, quæ largitus est nobis. 2. *Cor.* 9. Gratias Deo super inenarrabili dono eius.

Dicens.

Dicens: Bibite ex hoc omnes] Quintum est, quod est sumptio communicationis. *Psalm.* 80. De petra melle saturauit eos. Hoc est dulcissimo sanguine de petra Christo [illegible]. 1. *Corinth.* 10. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: Petra verò erat Christus. Hic sanguis habet ea, quæ sunt potus: nutrimentum enim vehit, membris influit, incensa extinguit, arida infundit, indurata remollit, sitim extinguit: & ideò verè est potus. *Ioann.* 6. Sanguis meus verè est potus. Propter primum dicitur *Isa.* 66. Ego declinabo in vos sicut flumen pacis; & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis. Propter secundum dicit *Psal.* 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Propter tertium dicitur *Ecclesiastici* 15. Aqua sapientiæ salutaris potabit eum. Aqua enim refrigerat, & præcipuè quæ de latere Christi est egressa *Ioan.* 19. Propter quartum dicitur in *Psalm.* 64. In stillicidiis eius lætabitur germinans, ariditate iam amissa. Propter quintum dicitur, quòd sicut sanguis hirci mollit adamantem: ita sanguis Christi pro peccatis oblatus mollit cor durum *Hebræ.* 9. Si enim sanguis hircorum & vitulorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras ad seruiendum Deo viuenti. Propter sextum dicitur *Ioann.* capitulo quarto. Qui biberit ex aqua, quam ego do ei, non sitiet in æternum. Hæc est enim mista sanguini lateris Christi.

Hic est enim sanguis meus] Hoc est sextum, & pertinet ad formam Sacramenti: his verbis enim fit transsubstantiatio vini in sanguinem. Et quòd additur: noui & æterni testamenti, & mysterium fidei, complet Sacramentum [illegible] perfectio. Sed tunc quæritur [illegible] sunt duo Sacramenta propter duas materias & formas? Et dicendum, quòd non: quia vnum Sacramentum est corpus Christi, quod idem & totum est sub forma panis, & sub specie vini. Et si obiicitur de collecta, quæ dicitur: Perficiant in nobis, Domine, tua Sacramenta quod continent. Dicendum, quòd hoc dictum est propter species exteriores visibilium elementorum Sacramenti. *Hebræor.* 9. Per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.

Noui testamenti] Hoc est septimum, & est sanguinis proprius effectus: quòd videlicet dedicator est noui testamenti quo [illegible] est nobis hæreditatis. *Ierem.* capitulo 31. Ecce ego consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum vetus, quod pepigi patribus eorum. *Hebr.* 9. Ideò testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.

Qui pro multis effundetur] Octauum est, & est [illegible]. Et dicit [pro multis] [illegible] licet pro omnibus sufficienter [illegible]. Quæ vtilitas in sanguine meo [illegible] supple [illegible] bus effudi sanguinem.

In remissionem peccatorum] Nonum est, & est intentio. *Hebr.* 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. *Hebræ.* 13. Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Hinc est, quòd *Exodi* capitulo vigesimo quarto. Moyses accepit hyssopum, & aqua mistum sanguinem respersit in populum, dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.

Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.

Hic ponitur veteris testamenti & Sacramenti terminatio: & dicit duo, scilicet, cessationem veteris, & inchoationem noui. Cessationem veteris tangit dupliciter, per auctoritatem finientis ipsum, & per inhibitionem ritus. De primo dicit [Dico autem vobis] qui auctor sum legis. Ex quo enim calix sanguinis mei noui testamenti dedicator est: ideò veterauit, *Hebræor.* cap. 9. Dicendo nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est [Et ideò dico vobis] per quem gratia & veritas facta est. Et ideò semen seculare & sanctificationis culturæ de cætero termino: quia sicut *Suprà* dixi, lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: & ex tunc apertè noua gratia prædicari incepit, quæ modo in passione mea consummatur: & ideò dicit [amodo non bibam] ego in membris meis [de hoc genimine vitis] de cuius genimine bibi in cœna agni typici. *Leuit.* 26. Nouis superuenientibus, vetera proiicietis [vitis] Exclusiua est, quia nec tunc bibam [in diem] surgentis auroræ resurrectionis, quando [illegible] matutinum surgit lætitia post fletum passionis, qui ad vesperam demorabitur, quando post noctem, quæ præcessit, abiectis operibus tenebrarum, induimus arma lucis filii lucis efficiamur [cum] in membris meis [illud bibam nouum] quod nunc institui [vobiscum] quos ministros institui [in] nouo [regno Patris mei] Quod est Ecclesiasticæ potestatis perfectio in sacro principatu & vrbanitate continente, & officiorum distributione, & legibus iustitiæ: hæc enim omnia sunt de regno iuxta illud *Malach.* 1. Munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur oblatio munda. Hoc significatum est *Genes.* 14. Vbi Melchisedech obtulit panem & vinum Abrahæ reuerso à cæde Regum. Et ideò post Sacerdotium leuiticum dixit Spiritus sanctus: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: eo quòd [illegible] sacerdotium non succedit aliud. Aliter [illegible] [non bibam amodo] [illegible] tempore passionis [de hoc genimine vitis] hoc est, mei calicis, quia non plus patiar, & tunc quod sequitur [vsque [illegible]] [illegible] quia etiam [illegible] plus calicem passionis. Et sic dicebat *Suprà* [illegible]

 Roto

Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? *Roman.* 6. Chriſtus reſurgens à mortuis iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur: quòd enim mortuus peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo [Et hymno dicto] Pars eſt, in qua eſt gratiarum actio. *Pſalm.* 21. Edent pauperes & ſaturabuntur,& laudabunt Dominum, qui requirunt eum: viuent corda eorum in ſeculum ſeculi. 1. *Tim.* 5. In omnibus gratias agentes Deo Patri.

Tunc dicit illis IESVS: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte: ſcriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquàm autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.

Hic incipit ponere circunſtantias opportunitatis ex loco, in quo captus eſt Dominus ſine turbis, ad quem declinauit propter ſequeſtrum,quod exiſtit quies orationis. Vnde *Ioan.* 12. dicitur, quòd ſciebat autem & Iudas locum, quia frequenter conſueuerat illuc intrare IESVS. Diuiditur autem in duas partes ita: Prima continet traditionis futuræ, ſecundum quòd inductiua eſt ſcandali, prædictionem: in ſecunda autem tangitur ſolitudo captata propter orationem *Ibi* [Tunc venit in villam, quæ dicitur] In prima duo continentur, quorum primum eſt prædictio ſcandali generalis ex traditione: in ſecundo autem tangitur ſcandalum ſpirituale Petri *Ibi* [Reſpondens autem Petrus] Circa primum tanguntur tria, ſcilicet, prædictio ſcandali, quod eſt ſignum præſcientiæ diuinæ: confirmatio ſcripturæ, quod eſt ſignum diuinæ præordinationis eorum, quæ ſunt in paſſione: & prædictio reſurrectionis, quæ eſt temperamentum triſtitiæ: primum enim oſtendit paſſionē eſſe voluntariam in ipſo patiente, ſecundum confirmat fidem in audiente, tertium autem præuenit temperando ſcandalum in infirmitate.

Dicit igitur [Tunc] in monte Oliueti conſtitutus vbi expectabat traditorem [dicit illis IESVS] volens præmunire de futuro ſcandalo. *Greg.* Minus enim iacula feriunt, quæ præuidentur. Et nos tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per clypeum præſcientiæ communimur. *Ioan.* 13. Et hæc dixi vobis priùs quàm fiant, vt cum facta fuerint, credatis [omnes vos] eo quòd eſtis adhuc puſilli in fide. *Suprà* 14. Modicæ fidei quare dubitaſti [ſcandalum patiemini] *Suprà* 18. Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala. Væ autem homini, per quem ſcandalum venit. Intelligitur autem hic ſcandalum paſſiuum, quod eſt impactio in infirmitatem Chriſti: actiuum autem ſcandalum fecit Iudas: de quo dicitur *Suprà* 18. Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris [in me] hoc eſt, in mea infirmitate: quia tradar ſicut ignarus futurorum, capiar ſicut impotens agendorum, illudar & accuſabor ſicut reus malorum. *Luc.* 2. Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur [in iſta nocte] quando non modò lucis exterioris occaſus eſt; ſed vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ſuæ claritatis pati videbitur occaſum. *Iob* 3. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, & non illuſtretur lumine [Scriptum eſt enim] Et ſic patet, quòd eſt ordinatio diuina prædicta à Prophetis. *Eccleſ.* 36. Prophetæ tui fideles inueniantur. Eſt autem ſcriptum *Zachariæ* 13. [Percutiam paſtorem]. Chriſtum, qui dicit *Ioann.* 10. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis [& diſpergentur oues gregis] 3. *Reg. vlt.* Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus velut oues non habentes paſtorem, ſine conſolatione de diſperſione. Quia dicitur *Ezech.* 33. Ecce ego requiram oues meas, & congregabo eas de cunctis locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis. Et *Ioan.* 16. Futurum eſt, vt omnes diſpergamini, & me ſolum relinquatis. Noſtra litera ſic habet; Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi. *Septuaginta* ſic. Percute paſtorem, & eripe oues [poſtquàm autem ſurrexero] Temperamentum eſt triſtitiæ [præcedam vos in Galilæam] *Sapi.* 3. Expecta me vſque in diem reſurrectionis. *Infrà* 28. Ite, dicite Diſcipulis eius, quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis. Ibi enim incepit prædicare, & ibi voluit lucem ſuæ reſurrectionis oſtendere. Non quoniam priùs non apparuerit; ſed quia primò ibi mandata de Eccleſia inſtituenda dedit. Ibi enim dixit: Ite in orbem vniuerſum &c.

Reſpondens autem Petrus ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.

Hic tangit ſcandalum ſpeciale Petri, qui vertex vocatur Apoſtolorum: & tanguntur duo, quorum primum eſt, in quo Petrus ex feruore præponit ſe imbecillitati aliorum; ſecundum autem, in quo confidit ſe fortiorem omni grauitate periculorum *Ibi* [Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit &c.] In primo horum adhuc ſunt duo, in quorum primo Petri feruor minùs expertus exprimitur: in ſecundo autem per ſapientiam Chriſti modeſtè reprimitur. Dicit igitur [Reſpondens autem Petrus ait illi] Nec eſt mendacium, nec temeritas; ſed feruor dilectionis ſapienter diligentis [& ſi omnes ſcandalizati fuerint in te] hoc eſt, in tua infirmitate cauſam, vel occaſionem ruinæ acceperint [ego nunquam ſcandalizabor] Accepit fiduciam ab eo, quod ante (multis retrò abeuntibus, cum Chriſtus diceret paucis, qui remanſerant: Nunquid & vos vultis abire?) dixerat Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. *Ioan.* 6. Et quia tunc perſtiterat, putabat ſe in æternum non commouendum. *Pſalm.* 124. Qui confidunt in Domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Amor enim ita repleuerat eum, quòd de nullo niſi de nō recedendo à Chriſto cogitabat. *Ro.* 8. Certus ſum, quòd neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV.

Ait illi IESVS: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.

Repreſſio eſt feruoris Petri [Amen dico tibi] hoc eſt, verè, qui ſum veritas. *Ioann.* 14. Ego ſum via, veritas, & vita [quia in hac nocte] Non tàm exteriori, quàm interiori. *Sap.* 17. Ignis quidem nulla vis, nec ſiderum lympidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam [antequam gallus cantet] Sic tres Euangeliſtæ dicunt: *Matthæus, Lucas, Ioannes*. *Solus Marcus* 14. dicit; antequàm gallus bis vocem dederit. Et ſoluitur contrarietas, quæ videtur: quia in mente quidem Petri concepta negatio tota deliberatione, perfecta fuit ante primum galli cantum; ſed in operis executione non fuit ante primum perfecta trina negatio, niſi poſtquam gallus bis vocem dedit, ſicut dicit *Marc.* *Iob* 38. Quis dedit gallo intelligentiam? Naturale enim eſt, quòd animalia, quæ parum circa propria ſollicitantur, fortiter percipiunt mutationes elementorum, quæ fiunt ex renouatione angulorum ſolis: & ideò ſero & media nocte & mane, quando angulos horiſontis & mediæ terræ mutat ſol, gallus cantat: & hoc vocatur intelligentia [ter me negabis] Sed cum Petrus liberum arbitrium ex dicto Domini non amiſerit, potuit fieri poſt hoc dictum, quòd non negaſſet: igitur potuit vacillare dictum Domini, quod eſt impoſſibile. *Sup.* 24. Cælum & terra tranſibunt; verba autem mea non tranſibunt. Ad hoc dicendum videtur; quod cùm dicitur [ter me negabis] eſt dictum: res dependens ad futurum: & ideò contingens, quod neque verum eſt, neque falſum, & quoad hoc ſuper ipſum cadit Petri liberum arbitrium. Dictum autem hoc in dicente, conſideratum non reſpicit futurum, ſed ab æterno præſcitur: & quoad hoc eſt immobilis veritatis, & ſic non cadit ſuper ipſum arbitrium. Vnde non ſequitur, ſi non negaſſet, quòd vacillaſſet dictum Domini: ſed ſequitur, quòd tunc non fuiſſet præſcitum: & ideò à Domino non prædictum fuiſſet. Non aduertit Petrus illud. *Eccleſiaſt.* 27. Vaſa figuli probat fornax, homines verò receptabiles in camino humiliationis. Dominus autem & hunc cæcum feruorem & caſum Petri permiſit, vt in ſeipſo diſceret, qualiter aliis compati paſtor Eccleſiæ deberet: & hæc eſt ſententia *Gregorij*. *Eccl.* 34. Qui non eſt tentatus, qualia ſcit? Et *Eccl.* 31. Intellige ea, quæ ſunt proximi, ex teipſo.

Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: ſimiliter & omnes Diſcipuli dixerunt.

Hic oſtenditur, qualiter promittit ſe omnibus periculis fortiorem; & tanguntur duo, promiſſio confidentiæ Petri, & aliorum confeſſio Diſcipulorum. Dicit igitur [& ſi oportuerit me mori tecum] Sciebat enim illud *Cant.* 8. quòd fortis eſt vt mors, dilectio. 2. *Reg.* 15. Viuit Dominus, quia in quocunque loco fueris Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vita, ibi erit ſeruus tuus. 4. *Reg.* 2. Viuit Dominus, & viuit anima tua, quia non dimittam te. [illegible] quod Dominus [*Suprà* 10.] præcepit. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, & poſt hæc amplius non habent, quid faciant [Similiter & omnes Diſcipuli dixerunt] [illegible]

[illegible]

Eccl. 5. Si quid voueris, ne moreris, reddere: Diſplicet enim Deo ſtulta, & infidelis promiſſio.

Tunc venit IESVS cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, & dixit Diſcipulis ſuis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi cœpit contriſtari & mœſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hic, & vigilate mecum. Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.

Hic tangit ſequeſtrum orationis, quod quæſiuit: vbi orans pro humani generis redemptione inueniretur à traditore, & à turbis. Tangit autem hic tria ſcilicet, quàm quietè, & quàm vigilanter, & quàm inſtanter oportet orare in tentatione. Et poſt hæc tria, docet quàm patienter, & quàm conſtanter oportet ſe exhibere paſſioni *Ibi* [Dormite iam, & requieſcite] Prima tria patent in litera: circa primum dicit ſeptem, primum eſt, quod elegit locum orationi quietæ congruum: ſecundò à communi frequentia etiam bonorum receſſum: tertiò, ſuarum paſſionum fideles adhibet teſtimonium: quartò in oratione etiam à paucis procurat ſilentium: quintò, humilitatis in orando prætendit ſignum: ſextò, in prima orationis parte humanum oſtendit affectum: ſeptimò diuinæ voluntatis in omnibus præponit conſilium: & iſta per ordinem in litera continentur.

De primo dicit [Tunc venit in villam, quæ dicitur Gethſemani] *Lucas* dicit, In monte oliueti factum eſſe. *Luc.* 22. *Ioan.* 18. dicit, quòd egreſſus eſt IESVS trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit IESVS cum Diſcipulis ſuis. Et dicendum, quòd idem totum: quia torrens Cedron eſt in valle montis oliuarum, quam tranſgreſſus fuit IESVS. Gethſemani autem eſt caſale quoddam ad radices montis Oliueti, iuxta quod erat ortus conſitus arboribus, in quo facta ſunt, quæ hic narrantur. 2. *Reg.* 15. Rex tranſgrediebatur torrentem Cedron, & vniuerſus populus incedebat [illegible] viam oliuæ, quæ reſpicit contra deſertum. [illegible] hoc, narrant exponens oculti loci ſequeſtrari à tumultu mundi, quando volumus orare. *Marc.* 9. Secedite in locum deſertum, & requieſcite puſillum. *Oſee* 2. [illegible] in ſolitudinem, & loquar ad cor eius [& dixit Diſcipulis ſuis] volendo ſecedere etiam ab [illegible], ne interrogationibus [illegible] [Sedete hic, donec vadam illuc, & orem] [illegible] & [illegible] properantes [illegible] In hoc autem [illegible] [Sedete] [illegible] [illegible] [& aſſumpto Petro] [illegible] fuit Princeps, & Eccleſiæ fundamentum [& duobus filiis Zebedæi]

Quorum vnus Theologorum summus, alter primus Apostolorum pro Christo martyrio laureatus, qui testes essent humanarum passionum, quas sustinuit: & per hoc à futuris cauerent hæresibus. *Cant.* 2. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: Nam vinea nostra floruit. *Deut.* 17. In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum. *Isa.* 54. Vidimus eum nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Vnde vnus testium Petrus dixit 2. *Pe.* 1. Non enim indoctas fabulas secuti annuntiamus vobis Domini nostri Iesv-Christi virtutem. Alter autem 1. *Ioan.* 1. dicit. Quod vidimus, quod audiuimus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ: hoc annuntiamus vobis. Quid autem isti testificentur, subdit: quia coram eis [cœpit contristari & mœstus esse] vt scirent eum prophetiæ congruere, quæ inducta est: Virum dolorum & scientem infirmitatem, & verum hominem veras sentire passiones humanas, & iam in corde pati angustias, vt interior passio exteriorem præueniret, iam enim gladius intùs vulnerabat. *Isa.* 53. Verè langores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit. Erubescat igitur Manichæus hæc phantastica dicens fuisse, & non vera. *Mar.* 14. Cœpit pauere & tædere.

Sed obiicitur quod *Prouer.* 12. dicitur. Non enim contristabit iustum, quicquid acciderit ei. Christus autem superiustus fuit. Ad hoc dicit *Hierony.* quòd est tristitia passio; & tristitia propassio. Passio est, quæ mouet sensualitatem, & qualitatem suam fortiter imprimit in eam. Propassio subitus motus est, qui licet tangat; tamen cor ab æqualitate deducens non alterat: & hunc dicit motum in Christo fuisse. Sed contra hoc est; quòd vt dicit *Dionys. ad Gaium monachum*. Subitò est, quod fit præter spem. In Christo autem nihil præter spem factum est, & præuisionem: nihil igitur subitum fuit in ipso. Adhuc autem de Sanctis, qui minùs fortes sunt, dicitur *Sap.* 3. Non tanget eos tormentum malitiæ: ergo multo minùs tetigit Christum, qui comprehensor fuit, & viator: & gaudium comprehensionis exclusit in eo vim passionis. Et his consentire videtur *Hilarius*. Sed dicendum, quòd Christus verè propassione tristatus est, & contristatus, hoc est, simul in sensualitate, & ratione suo corde tristatus: & magis etiam tristatus [illegible] aliis Sanctis. Quantò vita sua fuit melior & dignior, tantò etiam fuit [illegible] mortis amarior. Et subitum, quod in Christo fuit, non dicitur respectu rationis præuidentis, sed respectu [illegible] temporis. Et quod obiicitur de aliis Sanctis, non est simile, quia anima illorum non habuit duas comprehensiones: Et ideo coniuncta Deo abstrahebatur à carne (alias corpore) & minus sensit pœnarum acerbitates. Sed Christi anima in comprehensione, quæ continua fuit in ipso, non abstrahebatur à carne, & ideo remansit sensus acerbitatis & totius passionis. Quia & ratio, vt erat naturæ & formæ corporis regeret corpus, necesse fuit, vt eo plus doleret de morte imminente, quo scivit vitam esse meliorem, cuius [illegible] tio mors fuit. [illegible] de ipso dicitur quasi [illegible] *Gen.* 6. & *Thren.* [illegible] *Thren.* 1. Multi sunt gemitus mei, & cor meum est mœrens. Et sicut in veritate patiebatur intùs, ita expressit foris ad suarum passionum testes, dicens [Tunc ait illis: tristis est anima mea] ad literam, quia sciuit priuandam esse optimam de mundo vitam, in qua necesse est plus dolere, sicut dicit. *Philosophus in ethicis* [vsque ad mortem] Vsque, non dicit hic intensionem deficientem in mortis desperationem, sed dicit passionem durantem vsque ad mortem. *Phil.* 2. Factus obediens vsque ad mortem: mortem autem crucis. Simul autem docet eos in oratione in angustiato spiritu & contribulato esse ante Deum. *Baruch* 3. Anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te. *Dan.* 3. In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur. *Psalm.* 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus &c.

Sustinere hic] Hic vlterius ostendit orantem esse debere solitarium. Vnde ad tres, quos passionum testes assumpserat, dicit [sustinete hic, & vigilate mecum] vt omnia percipiatis vestræ salutis mysteria. 1. *Pe.* 4. Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus. *Col.* 4. Orationi instate vigilantes. *Ecclesiast.* 2. Sustine sustentationes Dei: & coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine. *Psalm.* 24. Vniuersi, qui sustinent te, non confundentur. *Psalm.* 26. Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. 1. *Cor.* 16. Vigilate, state in fide, viriliter agite [Et progressus pusillum] *Lu.* 22. quantum est iactus lapidis. *Thren.* 3. Sedebit solitarius, & tacebit: quia leuauit se super se [procidit in faciem suam] videns quò caderet: non sicut Heli, qui cadens retrorsum fractis ceruicibus expirauit 1. *Reg.* 4. Et notat humilem debere esse orationem. *Eccl.* 35. Oratio humiliantis se penetrat nubes. 1. *Cor.* 14. Cadens in faciem suam adorauit Deum [orans] *August.* Oratio est pius affectus mentis in Deum. *Damas.* Oratio est ascensus intellectus in Deum. Et notat in hoc, quòd abstractus à carne, & altus in spiritu debet esse orans. *Ioan.* 4. Veri adoratores adorabunt Deum in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. 1. *Cor.* 14. Orabo spiritu, orabo & mente. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte, sed in spiritu meo & in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Et dicens [Pater mi] Notat dulcis affectus debere esse orationem: Quæ enim dulcescit nomine Patris, dat impetrandi fiduciam, vt dicit *Bern.* [illegible]. Pater amat filium, & omnia dedit ei in manus [si possibile est] Duo continet ista oratio: consona etiam est oranti, & ei, qui adoratur. Primum partem gerit orantis, cùm dicit [Si possibile est, transeat à me calix iste] Per hoc enim, quòd dicit [si possibile est] humani affectus notat subiectionem. Et per hoc, quòd dicit [transeat] humani affectus notat veritatem, qui horret passionem. Et ista est differens & ordinata oratio: & ideo non est illi similis, de qua dictum est: *Supra* 20. Nescitis quid petatis. Et illi, de qua 3. *Reg.* 2. dictum est; Viuat Dominus, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc. Aliter autem Euangelista *Marc.* 14. dicit: Pater, omnia possibilia sunt. Et hoc est sensus de possibilitate absoluta. Sed hic loquitur de possibili ordinata per dispositionem consilij de redemptione humani generis & est sensus: Si possibile est salutem humani generis, saluo per omnia tuo consilio, aliter per me procurari: tunc affectus humanus horret istam passionem: & hæc est agonia, qua natura passionem abhorruit: & ratio consilium stare voluit, & spiritus elegit voluntatem Patris impleri. *Luc.* 22. Factus in agonia prolixiùs orauit: & factus est sudor eius velut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Hic Moyses electus Dei stans in confractione, tria habens in seipso agoniam mouentia: in quibus notatur naturæ veritas, rationis prudentia, & optimæ obedientia voluntatis: Et hoc est, quod sequitur [veruntamen non sicut ergo] secundum naturalem humanæ naturæ affectum [volo, sed sicut tu vis] Non solum illud, quod volo tibi & tuæ conformetur voluntati, sed etiam in forma, & modo, & fine tuæ voluntatis: vt quod vis, & sicut vis, & propter quod vis, per omnia fiat. Fecit enim, quod *Sup.* 6. docuit. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. *Isa.* 46. Consilium meum stabit: omnis voluntas mea fiet. Quod autem voluntas Dei fuit Christum pati, & non transire ab eo calicem *Isa.* 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.

Et venit ad Discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?

Hic tangit quàm vigilanter oportet orare: & hoc docet exhortatione, & exemplo. In exhortatione tria facit: arguit, exhortatur, & causam exhortationis subiungit: & hæc patent in litera. In redargutione causam præmittit redargutionis præcepti in obedientiam, cùm dicit [Et venit ad Discipulos suos] tres videlicet, quos sibi viciniores habuit: sicut & Moyses quasi tribus gradibus ad Dominum appropinquauit. Primò enim terminos circa montem posuit, quò non appropinquaret populus: & secundò paucis assumptis montem ascendit: & tertiò etiam ab illis auulsus solus in caliginem intrauit. Primum *Exod.* 19. Secundum, & tertium *Exod.* 34. Sic Christus pluralitatem Discipulorum primò diuisit, & secundò paucos, quos assumpsit dimittens, solus ad orandum Patrem accedit [& inuenit eos dormientes] Contra hoc, quod dixerat, Sustinete hic, & vigilate mecum. *Isa.* 51. Filij tui dormierunt in capite omnium viarum, pleni indignatione Domini, & increpatione Dei tui. 1. *Thes.* 5. Qui dormiunt, nocte dormiunt [& dicit Petro] Qui se magna facturum promiserat: & in eo increpat alios [Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?] quod tam modicum est quasi d. Memoriam habe tuæ fragilitatis, & ne confidas tibi. *Cant.* 1. Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. Hœdi sunt defectus naturales. Quasi dicatur: Considera te iuxta eos, qui pascunt, hoc est, satisfaciunt defectibus naturalibus. *Rom.* 7. Scio, quòd non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.

Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundò abiit, & orauit dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, Fiat voluntas tua.

Exhortatio est duo continens, scilicet, vigilandum esse & orandum. Vigilandum contra malum insidians, & orandum, vt detur bonum promouens. Quia dicit *Damas.* quòd oratio est petitio decentium à Deo [Vigilate] 1. *Pet.* 5. Sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret [& orate, vt non intretis in tentationem] Intrare in tentationem est per gradus tentationis, consentiendo tentationi, progredi in præcipitium peccati. *Suprà* 6. Et ne nos inducas in tentationem. 1. *Cor.* 10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. Huius exhortationis subiungit causam dicens [spiritus quidem promptus est] qui superior pars est hominis, ad imaginem Dei insignita. *Rom.* 7. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem [caro autem infirma] *Iob* 4. Qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea. *Sap.* 9. Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Rom.* 7. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? [Iterum secundò abiit & orauit dicens] Exemplo docet, quod suasit exhortando [Pater mi si non potest] consilio tuo mouente [transire hic calix] passionis [fiat voluntas tua] quia tunc calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: sicut priùs expositum est.

Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati: & relictis illis, iterum abiit, & orauit tertiò, eundem sermonem, dicens.

Hic tertiò ostendit orationem debere esse instantem: & est idem modus exponendi, qui priùs [inuenit eos dormientes] Et subiungit causam [Erant enim ocu. eorum grauati] præ tristitiæ tædio. *Psalm.* 118. Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis. *Suprà* 25. Moram autem faciente sponso dormitauerunt omnes & dormierunt. Et ideò etiam hic non arguit eos [sed relictis illis iterum] vt quiescant, vt postea recreati fugere possint [abiit] ab eis [& orauit tertiò eundem sermonem dicens] quem semel & secundò dixerat. Sed contra hoc esse videtur, quòd dicitur *Eccl.* 7. Ne iteres verbum in oratione tua. Sed dicendum, quòd sensus auctoritatis est, quòd ita attentè orandum sit, quòd pro negligentia iterare non oporteat. Tertia autem Domini oratio fuit contra mortis horrorem, crucis confusionem, & doloris acerbitatem. Vel propter veniam præteritorum, tutelam præsentium, & cautelam futurorum. Et multis aliis modis facile est hoc variare.

Tunc venit ad Discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite:

Ecce

Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus: Ecce appropinquauit, qui me tradet.

Hic ostendit, quàm patientes & fortes debemus esse in periculis: & ideò tria hic dicit, scilicet, compassionem Discipulorum, patientiam periculorum, & constantiam in comprehensione hostium. De compassione venit, quòd dicit [Dormite iam, & requiescite] quia somnus recreatio est sensuum & spirituum & membrorum quies. *Isa.* 58. Requiem dabit tibi Dominus semper. Sed tunc quæritur: Quomodo dormire poterant, cùm statim subdat [ecce appropinquauit hora] Et dicendum, quòd interposita fuit hora & spatium noctis, in qua dormierunt: vnde *Marc.* 14. interponitur, sufficit. Voluit autem quiescere, sicut diximus, vt recreati fugere possent. Et custodiuit eos, vigilans super custodiam gregis sui. *Lu.* 2 *Isa.* 21. Custos quid de nocte? custos quid de nocte? *Psalm.* 120. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël [Ecce appropin. hora] præfinita à Patre [& filius hominis] secundum naturam humanam [tradetur in ma.] hoc est in potestatem [peccatorum] *Iob* 9. Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operit. *Habac.* 1. Præualente impio aduersus iustum, egreditur iudicium peruersum. *Isa.* 53. Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. Simile dictum propheticum est 4. *Reg.* 6. Vbi Eliseus dixit ad senes Israël: Nunquid scitis, quia miserit filius homicidæ, vt præcidatur caput meum? Vnde patet, quod suæ traditionis non erat ignarus [Surgite, eamus hinc] obuiam eis, constantiam ostendentes. *Ioan.* 18. Processit obuiam eis, & dixit: Quem quæritis? At illi dixerunt: IESVM Nazarenum. Et ait illis: Ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. *Ioan.* 14. Vt sciant omnes, quia diligo Patrem: & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio [Surgite eamus hinc] ad locum videlicet traditionis & passionis [Ecce appropinquauit qui me tradet] 1. *Pet.* 2. Tradebat autem iudicanti se iniustè. *Ioan.* 17. Pro eis sanctifico meipsum, hoc est, sacrifico meipsum.

Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi à Principibus sacerdotum, & senioribus populi.

Hic tangitur traditio secundum operis perfectionem: & tangit duo: proditionem videlicet tradentis, & patientiam & benignitatem Christi traditi *Ibi* [Dixitque illi IESVS] In primo sunt duo: ministri videlicet sceleris, & signum traditionis. Ministri sceleris describuntur in duce, & sequacibus. De duce dicit [Adhuc eo loquente] vt arctius in corde Discipulorum infigeretur, quòd non erat ignarus omnium quæ venerunt super eum, sed præscius. *Ioan.* 13. IESVS sciens omnia quæ ventura erant super eum [Ecce Iudas vnus de duodecim] ingratus & proditor. *Act.* 1. de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Dominum IESVM. *Ioan.* 6. Nonne egò duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est [& cum eo turba] multitudine fortis, armis impugnationis armata & munita [missi] Vt ordinariam & publicam viderentur habere potestatem: & hoc est, quod dicit [cum eo turba multa] A turbando verè turba dicta. Sicut Rex Syriæ misit exercitum ad comprehendendum Eliseum 4. *Reg.* 6. Et sicut Saul elegit tria millia virorum fortium, & egressus est ad comprehendendum Dauid [cum gladiis & fustibus] Quæ sunt arma impugnationis, non defensionis: & ideò illicita, quando adhibentur ad nocumentum innocentis: vnde *Infrà.* Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me. *Exod.* 15. Dixit inimicus: persequar & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum: interficiet eos manus mea [missi à Principibus] In quibus publica potestas iudiciorum fuit [& Sacerdotibus] in quibus scientia legis & sanctitas debuit esse ordinis [seniori populi] In quibus debuit esse consilium agendorum in humanis. Et hæc omnia peruersa facta sunt: quia *Prouer.* 29. dicitur. Qui cum fure participat, odit animam suam. Iam autem participabant cum Iuda, de quo dicitur *Ioan.* 13. quod fur erat & habebat loculos, & ea, quæ mittebantur, portabat. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum. De Senioribus autem dicitur *Dan.* 13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.

Qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens: Quencumque osculatus fuero, ipse est tenete eum. Et confestim accedens ad IESVM, dixit: Aue Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi IESVS: Amice, ad quid venisti?

Hic ponitur traditoris signum: Et tanguntur duo. Determinatio videlicet signi per verbum: & exhibitio per opus. De primo dicit [Qui autem tradidit eum] *Ioan.* 13. Cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis filius Iscariothis. Et nota studium malitiæ, & dolum. Studium in hoc quod signum dedit: dolum in hoc, quòd non apertè videretur eum persequi, sed ex confidentia familiaritatis accedere ad osculum amoris. *Prouer.* 6. Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malũ. *Isa.* 32. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in sermone mendacij, cum loqueretur pauper iudicium. Sed quæritur. Quare signum dabat de eo, qui omnibus continuo fuit manifestus? Et ad hoc dicit *Hieron.* quòd putabat signa, quæ fecerat Saluator, magicis esse facta artibus. Et quia in monte audierat transfiguratum, timebat ne aliam faciem sibi sumeret, & sic euaderet manus capientium, si palam vt persecutor accessisset [dedit eis signum] suæ proditioni congruum, sed homicidio valde inconsonum. *Psalm.* 73. Posuerunt signa sua, signa 2. *Thes.* 2. Cuius aduentus erit secundum operationem erroris in signis mendacibus [Quemcumque osculatus fuero, ipse est] Sicut agnus à lupo osculatur. *Prouer.* 27. Meliora sunt vulnera amici, quàm fraudulenta odientis oscula [tenete eum] *Lucas* addit: & ducite cautè

cautè. Quasi dicat de manibus non dimittite, ne transfiguratus euadat.

Et confestim accedens] Ecce signi exhibitio [ad IESVM dixit: Aue rab.] Falsa salutatio per aue, quod væ mortis ministrat & procurat. *Iere.* 9. Ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias [& osculatus est eum] 2. *Reg.* 20. dixit Ioab Amasæ: Salue mi frater: & dextera tenuit mentum Amasæ quasi osculans eum, & percussit eum in latere, & occidit eum. *Prou.* 9. Qui decipit amicum suum, indigens est corde [Dixitque illi IESVS] Patientiam opponens contra omnia illata mala. *Iac.* 1. Patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes [Amice] Ex parte Christi enim amicitia salua fuit: quia bonum pro malo reddidit, quod est amicorum. Sed quia amicitia inter duos est, & Iudas egit inimicitias, ideò dicit *glossa*, quod est Ironia. *Suprà* 22. Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem, hoc est, amici habitum, sed proditoris? *Eccl.* 6. Est amicus secundum tempus, & non permanet in tempore necessitatis [ad quid venisti?] hoc est, de statu Apostoli in quam vilem foueam proditoris cecidisti? *Isa.* 14. Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? cecidisti in terram. *Ezech.* 28. Proieci te de monte Dei, de medio lapidum ignitorum.

Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in IESVM, & tenuerunt eum.

Hic post perfectam traditionem tangitur captiuitas siue comprehensio Domini, quæ terminatur ad illusionem, sicut ante dictum est. Habet autem partes duas: comprehensionem videlicet, & tractionem in captiuitatem *Ibi* [At illi tenentes IESVM &c.] Comprehensio tollit agendi libertatem: tractio compellit ad sustinentiæ difficultatem. Comprehensio ergo sua soluit in nobis difficultatem ad bene operandum: & tractio sua redimit inclinationem ad malum, quæ trahimur ex lege membrorum. Hæc autem duo tanguntur *Rom.* 7. Perficere bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. Prima adhuc diuiditur in duo: in comprehensionem, & in auxiliatrium destitutionem *Ibi* [Tunc Discipuli relicto eo &c.] Adhuc prior diuiditur secundum ea, quæ circumstant comprehensionem: quæ sunt quatuor, quorum primum est, quo comprehenditur vt infirmus: secundum autem est, quo ostenditur comprehensio non esse infirmitatis, sed dispensationis Discipulis: in tertio ostenditur voluntaria esse comprehensio turbis: in quarto autem ostenditur esse præordinata consilio Patris, quod expressum est in scripturis: & istæ partes patent in litera. In prima, qua ostenditur infirmitas comprehensi, tanguntur tres actus malorum: vnus est præsumptuosus accessus: secundus est violentus captus sacrilegæ manus: & tertius est pertinacis malitiæ tentus. Dicit igitur [Tunc accesserunt] signo accepto *Eccl.* 1. Accessisti ad Deum peruerso corde: & cor tuum plenum est dolo. *Isa.* 17. Accedite huc filij auguratricis, semen adulteri & fornicariæ. *Exod.* 19. Si bestia tetigerit hominem, lapidabitur. Bestia (quasi vastia dicta) homicidæ sunt [manus] sacrilegas [iniecerunt in IESVM] *Iob* 16. Concludit me Deus apud iniquum, & manibus impiis me tradidit [& tenuerunt eum] pertinaci malitia [tenuerunt] tenentem omnia. *Thren.* 4. Ante faciem nostram Dominus Christus captus est in peccatis nostris: cui diximus: In vmbra tua viuemus inter gentes.

Et ecce vnus ex his, qui erant cum IESV, extendens manum, exemit gladium suum, & percutiens seruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.

Hic ostenditur hæc comprehensio non esse infirmitatis, sed dispensationis: & in hac dicuntur quatuor. Vnum & primum paratum auxilium, quod Petrus exhibuit: secundum, repressio zeli auxiliantis: tertium est ratio repressionis: & quartum ostensio dispensationis. De primo ergo dicit [Et ecce vnus] inter tot Discipulos, & est ille, qui feruore se omnibus prætulit. Vnde *Ioan.* 18. Simon Petrus cum haberet gladium, eduxit eum, & percussit seruum summi Sacerdotis &c. [ex his, qui erant cum IESV] *Lu.* 22. Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. *Ioan.* 14. Ab initio mecum estis [extendens manum] vt fortiorem daret ictum. *Isa.* 5. Non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta [exemit gladium] eodem zelo, quo dixerat: Paratus sum tecum & in carcerem & in mortem ire. Fortè putabat se ita debere facere: quia *Luc.* 22. dicitur. Qui habet tunicam, vendat, & emat gladium. Vnde etiam ibi dicitur, quòd dixerunt: Domine, si percutimus in gladio? Et IESVS dixit: Sinite vsque huc, hoc est, permittite eos capiunare me. Sed inter loquendum, antequam Petrus hoc intelligeret, feruore succensus dedit ictum [& percutiens seruum Principis Sacerdotum] eo quòd ille potestate Domini sui accepta, videbatur esse caput cohortis, & cogitabat, quòd illo interfecto, alij confusi fugerent: & volens vibrare gladium in cerebrum eius, declinato capite ad latus [amputauit auriculam eius dexteram] Et *Lucas* addit, quòd IESVS tangens auriculam sanauit eum: vt probaret illud *Psalm.* 119. Cum his, qui oderant pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Tunc ait illi IESVS: Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Hic tangitur compressio experentis vindictam duobus modis: primo per inhibitionem: secundo per pœnæ comminationem. De primo dicit [Conuerte gladium tuum in locum suum] Cesset vindicta, exhibeatur patientia. *Sup.* 5. Si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. 2. *Reg.* 19. Quid mihi & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in satham? ai ignosco me hodie factum Regem super Israël? Sed hic obiicitur: quia dicit *Beda*, quòd non sunt immunes à scelere, qui permiserunt Christum occidere, cum poterant prohibere. Hoc igitur defendens Petrus, non videtur esse prohibendus. Et dicendum, quòd iniuria potest repelli pluribus modis,

modis. Aut enim repellitur per impedimentum alquod, sicut *Act.* 23. fecit Paulus, quando fecit præmuniri Præsidem, vt custodiretur à militibus, ne interficeretur: & sicut aliquis tenet manum alicuius, ne lædat: vel etiam totum insanientem, ne lædat: & hoc cuilibet tam clerico, quàm laico conceditur. Potest etiam repelli iniuria propulsando eam: & hoc dupliciter; aut enim fit vi priuata, aut publica. Si vi priuata: aut cum armis, vel sine armis. Sine armis: aut zelo defensionis, aut vindictæ. Et zelo defensionis sine armis impugnationis, etiam cum armis defensionis omnibus licet tam clericis, quàm laicis. Si autem publica & cum armis impugnationis, non licet clericis, sed permittitur laicis, flagrante iniuria statim cum moderamine inculpatæ tutelæ. Sed si interuallum sit inter iniuriam illatam & defensionem, non permittitur nisi per eum, qui iudex est, & ordinariam habet vltionis potestatem: ille enim iusta bella mouere potest contra iniuriam facientes.

Omnis enim, qui gladium acceperit] Comminatio est, per quam reprimit Petrum. Est autem accipere inuectus ad capientem: & intelligitur gladium accipere propria sponte, capiens gladium ad expetendam vltionem: si enim datur ordinariè sibi gladius, tunc exercet commissum, & non accipit vsurpatum. *Rom.* 13. Non sine causa gladium portat potestas: vindex enim est ei, qui malè agit. 2. *Machab.* 15. Accipe gladium sanctum munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israël. Sed quia Petrus fuit Sacerdos, & passio fuit dispensatoria, ideò est prohibitus. *Tit.* 1. Oportet Episcopum sine crimine esse, non violentum, non percussorem [gladio peribit] Materiali & spirituali, qui est excommunicatio: quia reatum interius incurrit, qui gladium non iuris ordine suscipit. *Iob* 16. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladiis est. *Apoc.* 1. De ore eius gladius ex vtraque parte acutus exibat. *Psalm.* 7. Gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum.

An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?

Hic ostendit Discipulo, qui caput est alionum, quòd dispensatiuè patitur, & non ex infirmitate. Propter quod etiam *Supra* 18. dixit: Vade retro sathana: quia non sapis ea, quæ Dei sunt. Et dicit sic [An putas] Quasi dicat. Mirum est, si hoc putas, tot signis potentiam meam expertus [quia non possum rogare patrem meum] de quo *Ioan.* 11. dixi: quia semper me audis [& exhibebit mihi modò] in hac necessitate [plusquàm duodecim legiones Angelorum] quoniam scriptum est: Quoniam Angelis suis mandauit de te &c. Qui enim hoc feci seruis 4. *Reg.* 6. Ecce mons totus plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisei: Multò magis si vellem, facerem hoc mihi Magistro & Domino. Q. d. Quid mihi prodest defensio Apostolorum, qui possum habere duodecim legiones Angelorum, in quibus sunt septuaginta duo millia Angelorum, sex milibus pro legione vna computatis? Et hi sunt innumeri Angeli qui per totum mũdum præsunt septuaginta duabus linguis hominum: & post Resurrectionem cum Tito & Vespasiano venientes, perdiderunt homicidas illos: de quibus *Supra* 20. Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos & ciuitatem eorum succendit [Quomodo ergo implebuntur scripturæ?] Ecce ostendit præordinatam. *Act.* 3. Deus qui prænuntiauit per ora omnium Prophetarum pati Christum suum, adimpleuit sic [Quia sic oportet fieri] Si enim, vt *Cassiodorus* dicit, Prophetia est diuina inspiratio rerum euentus immobili veritate denuntians, tunc oportet fieri necessitate ordinis, quamuis non sit ibi rei ordinatæ necessitas. Quamuis enim de potentia absoluta fuerit alius modus possibilis nostræ liberationis: tamen de potentia ordinata, & prænuntiata, non fuit alius possibilis. *Lu.* 24. O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ: nonne sic oportuit pati Christum, & sic intrare in gloriam suam?

In illa hora dixit Iesvs turbis. Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.

Ostendit hic turbis, quòd voluntariè se obtulit: & dicit duo. Primum est reprehensionis modestæ de inutilitate armorum contra innocentem & nõ se defendẽtẽ: secundò, dicit innuẽdo quòd cùm tempus suum nondum aduenerat, eum tenere non potuerunt: cum autem tempus præfinitum venit, sine armis potuerunt tenuisse: & hoc est [In illa hora] cum defensionem respuit [dixit Iesvs turbis] *Ioan.* 7. Turba hæc, quæ non nouit legem, maledicta est [Tanquam ad latronem] nocentem, & se defendentem [existis cum gladiis & fustibus] quæ arma sunt expugnationis [comprehendere me] qui licet sim similis peccatori, non sum latro: sed propter verba labiorum Patris, custodiui vias latronis, cauterium habens circuncisionis, & possibilitatem primi latronis, qui similitudinem Dei furari voluit, & per rapinam voluit esse æqualis Deo: ego autem cum in forma Dei sim non rapinam arbitror me esse æqualem Deo [quotidie] hoc est, sæpe his diebus: & tangit hic quatuor, quæ debet habere Doctor, scilicet, prædicationis instantiam, cùm dicit [quotidie] 2. *Tim.* 4. Insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Secundum est, quod quærat audientes: & hoc notat, cum dicit [apud vos] *Sup.* 4. Circuibat Iesus ciuitates, & castella, prædicans & docens Euangelium regni. Tertium est quies, quod notat, cum subdit [sede.] *Psalm.* 106. In cathedra seniorum laudent eum. Quartum est locus publicus, cum dicit [in templo] *Lu.* 22. Ego semper docebam in tẽplo, quò omnes Iudæi conueniunt, & non me tenuistis, quia tempus meum nondum venerat. Quasi di. Sic nec modò tenueretis nisi vellem. *Psalm.* 115. Voluntariè sacrificabo tibi. *Psalm.* 39. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui.

Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ Prophetarum.

Hic ostenditur passio esse à Spiritu sancto præordinata: & hoc est, quod dicit [Hoc autem totum] quod dictum est de traditione & comprehensione [factum est] in expletione operis [vt] consecutionem notat, non causam [adimplerentur] superimplerentur [scripturæ Prophetarum] *Eccl.* 36. Da mercedem, Domine, sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. *Psalm.* 50. Iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Tũc Discipuli omnes relicto eo fugerũt.

Hic auxilij tangitur destitutio: quia si aliquis auxiliari debuit, Discipuli debuissent: & in litera patet. *Iob* 19. Noti mei quasi alieni recesserunt à me: dereliquerunt me proximi mei. *Psalm.* 37. Dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, hoc est, Apostoli, & ipsum non est mecum.

At illi tenentes Iesvm duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ & seniores conuenerant.

Hic tangitur qualiter tractus est Dominus à ministris sceleris ad huius sceleris auctores & ordinatores: & tanguntur hic duo, scilicet qualiter trahebatur: & qualiter omni solatio præsidij destituebatur *Ibi* [Petrus autem sequebatur] Dicit igitur [At illi] sceleris ministri [tenentes Iesvm] qui tamen omnia tenebat. *Hebr.* 1. Portans omnia verbo virtutis suæ [duxerunt illum] ductu tractionis [ad Caipham] 1. *Paral.* 23. legitur, quòd Dauid volens ampliare cultum Domini, instituit viginti quatuor summos Sacerdotes. Qui ordo tamen postea in captiuitate babylonica corruptus est, sed reintegratus ab Esdra. Quod sacerdotium Herodes sub Romanis imperans vendidit, & quæstum suum fecit: & emerunt ipsum Annas & Caiphas, & per vices anni instabant. Tunc autem administrabat Caiphas: & hoc est, quod dicit [Principem Sacerdotum] *Ioan.* 11. Vnus ex ipsis Caiphas nomine cum esset Pontifex anni illius. Sed contra *Io.* 18. Adduxerunt eum ad Annam primum. Dicendum, quòd primum ad Annam duxerunt, sed non vt audiretur, sed vt in lætitiam & derisum ibi ostenderetur: sed ad Caipham ducitur, vt audiatur in iudicio, & accusationes eius ibi ordinentur [vbi] omnes [Scribæ] qui literaturæ calumnias inuenire scirent. *Sup.* 23. Væ vobis Scribæ, qui tulistis clauem scientiæ: & Pharisæi, qui simulata sanctitate accusationes zelo iustitiæ factas esse probarent. *Sup.* 6. Exterminant facies suas [& senio,] qui longa experientia malitiæ multa obiicere scirent, & responsis obuiare. *Ier.* 4. Sapientes sunt, vt sciant mala, bene autem facere nescierunt. Omnes isti [conuenerunt] *Act.* 4. Conuenerunt in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesvm facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri. *Psalm.* 2. Conuenerunt in vnum aduersus Dominum &c.

Petrus autem sequebatur eum à longè, vsque ad atrium Principis Sacerdotum. Et ingressus intrò, sedebat cum ministris, vt videret finem.

Hic tangitur destitutio solatij: Petrus enim, qui se promiserat socium esse tribulationis, iam non cum ipso in carcerem vadit, sed longè sequitur: & dicit hic quatuor per ordinẽ [Petrus autem sequebatur] hoc est charitatis pristinæ. *Dan.* 3. Sequimur te in toto corde nostro, & timemus. *Io.* 13. Quò ego vado, non potes me sequi modò, hoc est, consequi: sequeris autem postea [à longè] hoc est timoris, & hoc est secundum. Sed quomodo dicitur sequi, cum ante dictũ sit, quòd omnes Discipuli relicto eo fugerunt? Sed dicẽdum, quòd primò fugerunt, sed postea occultè reuertentes, sequebantur duo, Petrus & discipulus alius, qui erat amictus syndone super nudo, qui erat notus Põtifici. Sicut narrat *Io.* 18. [vsque ad atrium Prin. sa.] exteriùs in curiam, quia ibi erat multitudo ministrorũ, qui adduxerant Iesvm. Principes autem iam intra se in domũ receperant vinctum Iesvm [Et ingres. intrò] Hoc significabat desiderium Petri. Ingressus autem fuit per Discipulũ, qui erat notus Pontifici [sede. cum ministris] expectans [vt vide. si.] eorum, quæ fiebant circa Iesvm. Sed quæritur: cum iste percusserit auriculam serui Pontificis, qualiter audebat sequi? Dicendum, quòd in tenebris percussit, & ideò notus non fuit: multis enim ibi astãtibus nesciuerunt quis ictũ dederat: & ideò supra Euangelista dixit: Vnus autem ex his qui erant cum Iesu. Et quod Ioan. dicit: Simon autẽ Petrus cum haberet gladiũ: hoc sciuit familiariter, quia semper proximi esse consueuerunt Ioa. & Petrus: & ideò Ioannes hoc vidit, sed alij nõ viderũt.

Principes autem Sacerdotum, & omne cõcilium quærebant falsum testimonium contra Iesvm, vt eum morti traderent: & non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent.

Hic tangitur de condemnatione facta per linguas & cõsilium Iudæorum. Sunt autẽ in hoc duo principaliter inducta, quæ Christũ multum afflixerunt; quorum vnum est falsi criminis impositio per inimicum: secundum est veritatis negatio per eum qui præcipuus erat inter amicos: & hæc patent in litera. In prima parte tria sunt per ordinem, videlicet accusatio, condemnatio, & illusio. In accusatione dupliciter procedunt: præordinatur enim accusatio ex testimonio aliorum: & subiũgitur accusatio ex confessione propria. Item testimonium alienum duplex inducitur: falsum videlicet, & verum, sed falso intellectu inductum: & hæc omnia per ordinem patent in litera. In primo falso testimonio quatuor dicuntur, videlicet, testantium instantia, testimonij falsitatis insufficientia: testantium malitia: & ad inueniendum etiam falsum testimonium impotentia. De primo dicit [Principes autẽ Sacerdotum] sicut auctores [& omne concilium] sicut consentiens neci. *Eccl.* 16. In Synagoga peccãtium exardescet ignis: & in gente incredibili exardescet ira. *Isa.* 1. Iniqui sunt cœtus vestri. *Genes.* 49. In cœtu eorum non sit gloria mea [quærebant] Ecce instantia. *Psi* 37. Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates [falsum testimonium] quia defecit eis veritas. *Iob* 16. Hæc passus sum absque iniquitate, cum haberem mundas ad Deum preces. *Iob* 16. Suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens mihi [vt eum morti traderent] Ecce malitia. Ostendunt se esse genimina viperarum: sic enim falso testimonio bonum ciuem Naboth interfecerunt Patres eorum 3. *Reg.* 20. [& non inuenerunt] quia honestas famæ falsitatem mentitam excluit [cum multi falsi testes accessissent] Multi enim laborauerunt. *Psalm.* 63.

Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. *Ierem.* 2. Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis: quia ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? Vnde de talibus *Daniel.* 13. Rectè mentitus es in caput tuum.

Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt: hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.

Hic tangitur verum peruerſo intellectu acceptum. Vnde dicit [nouiſſimè] quando iam omnes defecerant [venerunt duo falſi teſtes] *Exod.* 20. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Quia verò ſciuerunt, quod lex dicit *Deut.* 19. Non ſtabit vnus teſtis contra aliquem, ſed in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Ideò iungunt ſe duo falſi teſtes: quia falſo intellectu quod verè dictum erat, acceperunt. *Iob* 10. Inſtauras teſtes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduerſum me. *Ier.* 11. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua: dedit contra me vocem [& dixe. hic dixit] *Ioan.* 2. Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. Hoc non dixit Dominus, ſed ſic. Soluite tẽp. hoc &c. Sed iſti videntes, quòd facilius erat deſtruere quàm conſtruere: & audientes, quòd poſt triduum excitaret, arguebant, quòd etiam in triduò deſtrueret. Et hoc dixit Dominus prædicens Sacramentum Paſſionis ſuæ, & prædicens Reſurrectionem: vnde *Ibidem* additur: Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.

Et ſurgens Princeps Sacerdotum ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? IESVS autem tacebat.

Incipit exigere propriam confeſſionem, vt accuſet ex ipſa: & dicuntur hic tria. Primò enim in furorem captus exigit obiectorum reſponſionem: ſecundò adiurans exigit confeſſionem: tertiò ex confeſſione format accuſationis condemnationem: & hæc patent in litera. Dicit ergo [Et ſurgens Princeps Sacerdotum] quia motu corporis indicabat inſaniam mentis de hoc, quòd conueniens teſtimonium contra Dominum non inueniebatur, ita auidus fuit mortis eius. *Prou.* 1. Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant innoxiũ ſanguinem. *Iſa.* 57. Cor impij quaſi mare feruens, quod quieſcere nõ poteſt [dixit illi] inſidioſè. *Eccl.* 11 Bona in malum conuertens inſidiatur: & in electis ponit maculam. *Pſal.* 9. inſidiatur quaſi leo in ſpelunca ſua: inſidiatur, vt rapiat pauperem [Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti] falſi teſtes [aduer. te teſti.] Ipſe potiùs Princeps reſpondere debuit, & falſos teſtes examinare, & diiudicare, & facere eis ſicut malè egerunt contra innocentẽ: ſicut fecit *Dan.* 23. Hoc enim erat officij ſui. *Prou.* 19. Falſus teſtis non erit impunitus [IESVS autem tacebat] *Prou.* 23. In auribus inſipientium ne loquaris: quia deſpicient doctrinam eloquij tui. *Iſa.* 52. Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperuit os ſuum. *Pſalm* .37. Ego autem tanquam homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.

Et Princeps Sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Dixit illi IESVS: Tu dixiſti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.

Et hoc eſt ſecundum [Adiuro te per Deum vi.] in comparatione idolorum, de quibus dicitur: Neque enim ſpiritus eſt in ore ipſorum. Interrogat autem primum, antequam in vituperia illuſionum prorũpat, vt conformet ſe ſapienti *Eccl.* 11. Priuſquam interroges, ne vituperes quemquã [vt dicas nobis] *Io.* 1. Quid dicis de te ipſo? Q.d. Audiſti quid alij de te dicunt: & voluit alios primò proponere, vt ex dicto illorũ irritaretur, & ſic prouocatus mala diceret [ſi tu es Chriſtus] Meſſias in lege promiſſus, & hoc quoad humanitatem [Filius Dei] viui quoad deitatem. Hoc Martha ſimpliciter confeſſa eſt *Io.* 11. Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundũ veniſti. Sed iſte quærit inſidioſè [Dixit illi IESVS: tu dixi.] *Ioan.* 19. Ego in hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Et cautè dicit [Tu dixiſti] quia & ſi non affirmando, tamen quærendo dixit. *Io.* 8. Tu quis es: Et reſpõdit: Principiũ qui & loquor vobis *Io.* 5. propterea perſequebantur eum Iudæi, non ſolùm quia frangebat ſabbatum, ſed quia ſe dixit Filium Dei, æqualem ſe faciẽs Deo [Verũtamen di.vo.] licet modò abſconditus ſit vultus meus, & deſpectus *Iſa.* 53. [amodò] poſt Paſſionem in ſecundo aduentu [videbitis filiũ hominis] *Ioan.* 5. Pater non iudicat quemquam, ſed omne iudicium dedit Filio [ſe.] regnãtem [à dextris vir. Dei] in potioribus bonis. *Pſal.* 109. Dixit Dominus &c. *Act.* 7. Video cælos apertos: & Filiũ hominis à dextris virtutis Dei. *Apo.* 1. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis populus, & qui eum pupugerunt [&] hoc [venientem in nubibus cæli] *Dan.* 7. Ecce in nubibus cæli Filus hominis venit.

Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit: Quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.

Hoc eſt tertium: & dicuntur in eo quatuor: primum eſt ſignum deteſtationis dicti Saluatoris: ſecundum ſententia Pontificis de crimine impoſito Saluatori: tertium eſt inquiſitio ſententiæ cõdemnationis: & quartum eſt ſententia conſilij communis. Dicit igitur [Tunc] hoc audito [Princeps Sacerdotum] *Soph.* 3. Sacerdotes eius polluerunt ſanctum meum [ſcidit veſtimenta ſua] quaſi volens oſtendere deteſtationem blaſphemiæ. Sicut Ezechias audiens blaſphemiam Rapſacis ſcidit veſtimenta ſua exiliens de ſolio. *Iſa.* 37. & tamen iſte libenter audiuit [dicens : Blaſphemauit] in hoc, quòd ſe Filium Dei fecit. *Io.* 10. De bono opere nos non lapidamus te, ſed de blaſphemia: quia tu homo cum ſis, facis temetipſum Deum. Sed ad hoc reſpondet Saluator. Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui ſcriptura: quem ſanctificauit Pater, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemo, quia dixi, Filius Dei ſum [Quid adhuc egemus teſtibus] quaſi dicat: fruſtrà laboramus [Ecce nunc audiſtis blaſphemiam] qua ſibi attribuit diuinitatem. *Iob capitulo decimo quinto.* Docuit iniquitas os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium. Condemnabit te os tuum, & non ego [Quid vobis videtur?]

Quærit iudicium ab his, qui ſitiunt ſanguinem ipſius, quos ſciuit citò daturos mortis ſententiam *Exod.* 23. *Dan.* 13. Innocentem & iuſtum ne interficias. *Deut.* 19. In iudicio non acquieſcas plurimorum ſententiæ, vt à veritate deuies [At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis] *Sap.* 2. Hæc dixerunt & errauerunt: excæcauit enim illos malitia ipſorum. *Sap.* 6. Cùm eſſetis miniſtri regni eius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Exteriùs tamen volebant ſe conformare legi *Leui.* 24. Quicunque blaſphemauerit nomen Domini, morte moriatur.

Tunc expuerunt in faciem eius.

Hic tangitur illuſio, quæ conſiſtit ex tribus: ex illuſione vilitatis immunditiæ, & ex afflictione verborum exprobratæ blaſphemiæ, & ex irriſione tanquam prolatæ ſtultitiæ. De primo dicit [Tunc expuerunt in faciem eius] tanquam os illud conſpuentes, quod immunditia blaſphemiæ ſe polluit. *Iſa.* 50. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me. *Iob* 30. Faciem meam conſpuere non verentur.

Et colaphis eum cæciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte: Quis eſt qui te percuſſit?

Tangit afflictionem duplicem: colaphos in collo, quo Adam gutturi vetitum pomum: alapas in maxilla, qua maſticant. Dicit igitur [& colaphis eum cæciderunt] *Iſa.* 50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus [Alij autem palmas] extenſas [in faciem eius dederunt] percutientes maxillas eius. *Thren.* 3. Dabit percutienti ſe maxillam: ſaturabitur opprobriis. *Iob* 16. Exprobrantes percuſſerunt maxillam meam. *Mich.* 5. In virga percuſſit maxillam iudicis Iſrael. *Prou.* 17. Non eſt bonum damnum inferre Iuſto: nec percutere Principem, qui rectè iudicat [dicentes] irridendo [Prophetiza nobis Chriſte] *Luc.* 23. dicitur, quòd velauerunt faciem eius. [Quis eſt, qui te percuſſit?] *Ierem.* 20. Factus ſum in deriſum tota die: omnes ſubſannant me. *Thren.* 3. Ego ſum pſalmus eorum. *Iob* 12. Deridetur iuſti ſimplicitas: lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata in tempus ſtatutum.

Petrus verò ſedebat foris in atrio: Et acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum IESV Galilæo eras.

Hic ponitur ſecundum, in quo tangitur defectus veritatis: qui in tantum afflixit Chriſtum, quòd fecit eum reſpicere Petrum: & tanguntur duo, negatio videlicet, & pœnitentia *Ibi* [Et recordatus eſt Petrus] Adhuc autem negatio hic inducitur triplex, & ſecundũ hoc patet diuiſio. In prima tanguntur tria: locus, & occaſio, & negatio ipſa. De loco dicit [Petrus verò] qui ſequebatur, vt videret finem [ſedebat foris] extra domum [in atrio] cum miniſtris. Et ſecundũ *Auguſt.* hoc dicitur per recapitulationem: & eſt factum in atrio Annæ: quia in illo dicit inceptſſe negationem. Sed alij expoſitores dicũt factum in atrio Caiphæ. [Et acceſſit ad eum] vt meliùs diſcerneret. *Prou.* 7. Mulier vaga, garrula, quietis impatiens, quæ non valet in domo conſiſtere pedibus ſuis [vna ancilla] *Prou.* 30. Per tria mouetur terra, & quartum non poteſt ſuſtinere: per ſeruum, cum regnauerit: per ſtultum, cum ſaturatus fuerit cibo: per odioſam mulierem, cùm in matrimonium fuerit aſſumpta: & per ancillam, cùm fuerit hæres Dominæ ſuæ. Potuit eſſe, quòd in templo videtur Petrum ſæpe cum Domino: & ideò diſcreuit eum inter alios. Ad exaggerationem autem timiditatis Petri tria concurrunt: quòd vna fuit, quia multitudo plus timetur: & ſexus fœmineus, qui minùs timetur: & conditio, quia ancillã minùs timetur quàm domina. *Leui.* 26. Terrebit eos ſonitus folij volantis. *Pſalm.* 13. Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Cauſa autem erat, quia ſpiritum ad robur adhuc nondum acceperat. *Act.* 1. Sedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Et verificatum eſt in Petro, quod dixit ſibi Chriſtus *Suprà*: Spiritus quidem promptus eſt; caro autem infirma. Ex promptitudine enim ſpiritus proceſſit, quod ſuprà dixit: Paratus ſum tecum in carcerem, & in mortem ire: ex infirmitate autem carnis, quòd negauit ad vocem vnius ancillæ dicens [Et tu cum IESV Galilæo eras] Galilæus dicitur quia ibi fuit nutritus & conceptus, & inde inceptt prædicatio ſua, & ibi fecit initium ſignorum, ſicut dicitur *Ioan.* 2.

At ille negauit coram omnibus, dicens: Neſcio quid dicis.

Tria dicit: negationem, & publicum negationis, & modum. Primum ſignificatur, cùm dicit [At ille negauit] *Tit.* 1. Confitentur ſe noſſe Deum: factis autem abnegant [coram omnibus] *Suprà* 10. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Cauſa autem negationis erat, quia non abnegauerat ſemetipſum, ſicut dixerat *Suprà* 17. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Id autem quòd in manifeſto fecit negationem, hoc fecit ad ſcandalum [dicens neſcio quid dicis] Modus eſt negationis: & dicunt quidam, quòd hic non negauit Chriſtum, ſed dictum & contra hoc dicit *Auguſt.* quòd ſi iſti verũ dicunt, tunc reſpondeant ad dictum Domini, quo dixit: ter me negabis: & non dixit ter dictum mulieris negabis. Contra hoc dicitur *Eccl.* 4. Pro anima tua non confundaris dicere verum: & vſque ad mortem decerta pro veritate.

Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum IESV Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, quia non noui hominem.

Hic ponitur ſecunda negatio: & duo tanguntur, occaſio negationis, & negatio. Occaſio negationis tangitur ex loco, & allocutione accuſantis fœminæ. Ex loco, cùm dicit [Exeunte autem illo ianuam] Contrà. Nonne ante dictum eſt, quòd ſedebat foris? Dicendum ſecundum *Luc.* 22. quòd poſt puſillum vidit eum alius, & ait: & tu de illis es? In hoc ergo puſillo timore perterritus exiuit: & iterum amore Magiſtri, cuius finem videre deſiderauit, rediuit, & tunc facta eſt negatio. Et quòd *Lucas* innuit vitum hoc feciſſe: hic autem dicitur, quòd fœmina. Dicendum, quòd fœmina incitauit alios primò: & tunc acceſſit vir & impetens

impetens Petrum [vidit eum] diligenter intuens [alia ancilla] de qua scriptum est *Gen.* 21. Eiice ancillam & filium eius. Istius enim ancillæ petulantis & tradentis Discipulos Domini figura est filia Herodiadis, quæ saltibus fecit amputari caput Ioannis Baptistæ *Suprà* 14. Ideò *Paulus* dicit. Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit [& ait his, qui erant ibi] Et ideò in ista negatione maior est causa timoris: quia multi concitantur ad tenendum Petrum. *Eccles. cap.* 7. Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, sagena cor eius, vincula manus illius [Et hic cum IESV Nazareno erat] *Iob cap.* 2. Quasi vna de stultis mulieribus locuta es. Quid enim mali fuit cum IESV Nazareno esse? *Suprà* 12. Qui non colligit mecum, dispergit: & qui non est mecum, contra me est. Si enim IESVS est; non saluatur, qui secum non est. Si Nazarenus; non floret virtutibus, qui recedit ab ipso [Et iterum negauit] Et quia maior erat causa timoris, maior ponitur confirmatio negationis: & ideò additur [cum iuramento] *Exod.* 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum. *Zacharia capitulo quinto* dicitur, quòd volumen maledictionis veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter [quia non noui hominem] Quidam dicunt eum intendisse, quia non nosset Christum esse purum hominem. Sed hoc nihil, vt probatum est priùs. *Ierem.* 9. In dolo renuerunt me scire, dicit Dominus. *Iob* 21. Dixerunt Domino Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.

Et post pusillum accesserunt qui stabant, & dixerunt Petro: Verè tu & ex illis es: Nam & loquela tua te manifestum facit.

Hic incipit tertia negatio: & in ipsa est causa maioris timoris: & ideò etiam adiungitur maior confirmatio negationis. Tanguntur autem in eansa timoris tria: tempus, cùm dicitur [Et post pusillum] *Luc.* 22. Interuallo facto quasi vnius horæ [accesserunt] causa tenendi, & vt diligentius considerarent qui stabant secum, sicut dicit *Ioan.* 18. quòd inter ministros stabat & calefaciebat se. Et ideò patet quantum nocet malorum societas. 1. *Cor.* 15. Corrumpunt bonos mores colloquia prana. *Psal.* 17. Cum peruerso peruerteris. *Ecclesiast.* 12. Qui communicat superbo, induet superbiam [& dixerunt Petro] *Luc.* 22. & *Ioan.* 18. dicunt vnum solum cognatum Malchi (cui Petrus amputauit auriculam) hoc dixisse. Sed hoc soluitur, quòd ille primò dixit, & alios aduocauit: & tunc multorum simul conclamatio facta est in Petrum [Verè & tu ex illis es] Non enim quærebant tantum pastorem, quem iam tenebant: sed etiam mactare volebant totum gregem. *Ioan.* 10. Fur non venit, nisi vt furetur & mactet & perdat. Sed verus pastor venit, vt vitam habeant, & vt abundantiùs habeant [Nam & loquela tua] Adhibet signum probabilitatis dicti sui [manifestum te facit] *Luc.* 22. Nam & Galilæus es. Licet enim omnes loquerentur hebraicè: tamen (sicut est in qualibet prouincia) modos pronuntiandi habebant diuersos Galilæi & Ierosolymitæ. *Act.* 2. Nonne omnes isti, qui loquuntur Galilæi sunt? Simile *Iudic.* 12. Nunquid Ephraræus es? Dic ergo Seboleth. Et ille non poterat dicere Seboleth, sed teboleth, alia litera posita: propter diuersum modum pronuntiandi contribulium suorum, in quibus fuerat conuersatus.

Tunc cœpit detestari & iurare quia non nouisset hominem.

Ecce quomodo mali homines proficiunt in peius & seductores errantes: & in errorem mittentes. Primò enim apertè, secundò cum iuramento, tertiò cum detestatione & iureiurando negauit. Et primò quidem compulit ancilla, secundò aduocauit astantes, & tertiò astantes conclamauerunt. Detestatio autem est execratio, qua sibi malum imprecabatur, si nosset Christum. *Eccles.* 23. Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Vir multùm iurans replebitur iniquitate, & non recedet à domo eius plaga [quia non nouisset hominem. 1. *Ioan.* 2. Quis est mendax, nisi qui negat, quoniam IESVS non est Christus? Sed Petrus erat primò mollis cordis. *Iob* 10. Memento quæso, quòd sicut lutum feceris me. Quod facile omnem recipit impressionem. *Isa.* 44. Pater noster es tu, nos verò lutum. Et ideò in monte. *Sup.* 17. Videns Christi gloriam, facilè impressus est, & manere statuit dicens: Bonum est nos hic esse. Et nunc videns Christi pœnam, fugit timore perterritus: & allocutione comprehendentium Christum negat, totus intra se confusus. *Prou.* 13. Detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.

Et continuò gallus cantauit: & recordatus est Petrus verbi IESV, quod dixerat: priusquàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amarè.

Hic incipit Petri pœnitentia: & dicuntur tria: primò enim brutum & irrationale animal reducit in sensum Apostolorum Principem: secundò recordatur præscientiæ futurorum, quam audiuit à Christo: & tertiò lacrymis lauat delictum. Dicit igitur [& continuò] vt magis esset commonitio diuinæ dispositionis quàm naturæ instinctus. Sicut enim præceptum diuinum venit ad vermiculum, qui percussit hederam *Ione.* 4. Ita etiam sententia diuinæ dispositionis mouit gallum, vt continuò inclamaret Petrum. 1. *Pet.* 2. Subiugale mutum animal corripuit prophetæ insipientiam. Designat etiam hic gallus clamorem, quo à prædicatione inclamandus est peccator. *Isa.* 58. Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam: annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum [Et recordatus est Petrus verbi IESV] per cantum galli commonefactus. *Isa.* 43. Reduc me in memoriam, & iudicemur simùl [quod dixerat: antequam gallus cantet, ter me negabis] Et per hoc venit in fidem deitatis, quæ præscia fuit futurorum casuum. *Iob* 10. Scio, quòd vniuersorum memineris, & quia nulla te latet cogitatio. *Luc.* tamen 22. additur, quòd conuersus Dominus respexit Petrum. Quod *August.* dicit intelligendum de respectu misericordiæ potiùs interiùs, quàm de respectu oculi exterioris: cùm, vt dicit, Christus oculos velatos habuerit, & in interioribus penetralibus domus conclusus fuerit, & Petrus extrà cum ministris. Ego tamen sine præiudicio loquens opinor de respectu simul exteriori & interiori intelligendum esse; quia oculi damnan

damnandorum non ligantur, antequam vltima sententia damnati sint: nec legitur de Saluatore, quòd oculos velatos habuerit, nisi ad derisum eorum, qui colaphos & alapas dabant ei, & eum propheta rare iusserunt, quis esset percutiens. Puto etiam non ita in penetralibus esse conclusum: sed potiùs irrisioni publicæ & interrogationi expositum, vt omnes accederent, qui aliquid imponere vellent: vnde suprà dictum est, quòd Principes Sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra IESVM, vt eum morti traderent. Puto etiam, quòd frequens respectus Petri, & frequens mutatio vultus ad tormenta IESV prodiderunt Petrum, quòd suspicio astantium mouebatur contra eum. *Sap.* 4. Respectus eius in electo eius. *Isa. vlt.* Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos [Et egressus foras] extra malorum societatem. *Apocalip.* 18. Exite ab ea populus meus. *Ierem.* 50. Recedite de medio Babylonis, de terra Chaldæorum egredimini [fleuit amarè] *Isa.* 22. Recedite à me, amarè flebo. *Psalm.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum rigabo.

CAP. XXVII.

Mane autem facto, consilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & seniores populi aduersus IESVM, *vt eum morti traderent.*

AB hoc loco ostendit Euangelista traditionem prosequi, qua traditus est Christus gentibus ad crucifigendum, qua sicut reus malorum condemnatus est, & cum sceleratis deputatus ad crucem. Tangit igitur tria, in quibus hoc perfectè ostenditur, scilicet, innocentem condemnatum, impiè crucifixum, & potestatem mortis habere etiam mortuum. Secundum est *ibi* [Tunc milites Præsidis] Tertium *ibi* [A sexta autem hora &c.] Prima harum partium adhuc habet tria, scilicet, accusantium malitiam, excusantium sufficientiam *ibi* [Tunc videns Iudas & iniquè datam vel potiùs permissam, secundum ipsius iudicis protestationē, sententiam *ibi* [Videns autem Pilatus] In prima harum partium duo inducuntur, malitia & violentia *ibi* [Et vinctum adduxerunt] Malitia autem tradentium Iudæorum exaggeratur in sex, scilicet, in feruore, studio, consensu ad malum, potestate, malignitate, & intentionis peruersitate. Feruorem eorum ad nocendum notat in hoc, quòd dicit [Mane autem facto] Præuenerunt enim tempus iudicij, & anticipauerunt iudicem ex nimio occidendi desiderio. *Iob* 24. Mane primo consurgit homicida, & interficit egenum & pauperem: per noctem verò erit quasi fur [consilium inierũt] Ecce studium. *Isa.* 30. Væ filij desertores, vt faceretis consilium, & non ex me. *Jer.* 11. Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam, & non cognoui: quia cogitauerunt aduersum me consilia dicentes: Venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium [omnes] Ecce ad malum consensus. *Psalm.* 13. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. *Iere.* 15. Omnes maledicunt mihi, dicit Dominus [Principes] Ecce potestas duplex: auctoritatis & consilij. Auctoritatis, quia dicitur [Principes Sacerdotum] *Ezech.* 22. Principes eius in medio eius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem. Concilij autem & senatus potentia notatur in hoc, quòd dicit [& seniores populi] *Dan.* 13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Eze.* 8. Certè vidisti, fili hominis, quid seniores domus Israel faciunt in tenebris [aduersus IESVM] Saluatorem. Ecce malignitas in Deum saluantem. *Malach.* 3. Si affliget homo Deum, quia vos configitis me? 1. *Reg.* 2. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum quis peccauerit, quis orabit pro eo? *Osee.* 9. Profundè peccauerunt mihi sicut in diebus Gabaa [vt eum morti traderent] Ecce intentionis peruersitas: quia non correctioni, sed morti studuerunt. *Isa.* 10. Ad interfectionem erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum. *Sap.* 2. Morte turpissima condemnemus eum.

Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præsidi.

Hic tangit violentiam ligationis, quæ auferit motus libertatem: tractionis, quæ infert motus violenti voluntatem. *Ioan. vlt.* Alius te cinget & ducet quò tu non vis. Et traditionis, quæ sistit ad condemnationem. Dicit ergo [vinctum] *Eze.* 3. Fili hominis: Ecce data sunt super te vincula, & ligabunt te in eis: & non egredieris [& adduxerunt] hoc est, traxerunt. *Num.* 2. Miles captiuus ductus est [& tradiderunt] proditione emptum [Pontio Pilato Præsidi] Pontius dicitur ab euentu, quia deuicit Pontum, & subiecit Romanis: Pilatus proprio nomine: Præses autem potestate dignitatis: vnde *Ioan.* 18. Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi, quid fecisti? *Psalm.* 87. Traditus sum, & non egrediebar.

Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus.

Hic tangitur de ostensione innocentiæ Domini: & habet partes duas, in quarum prima sufficientet innocens ostenditur Dominus: in secunda quod non valuerunt efficere per iustitiam, suadent & efficiunt per tumultum populi *ibi* [Principes autem Sacerdotum suaserunt populo &c.] Adhuc prior harum partium subdiuiditur secundum ea, quæ excusant Dominum: & hæc, traditoris confessio, iudicis diligens inquisitio & absolutio, vxoris iudicis reuelatio: & hæc patent in litera. Traditoris confessio cum suis circũstantiis describitur hic tripliciter: in pœnitentia Iudæ: in dissimulatione Sacerdotum, qui dissimulant Iudæ pœnitentiam, & obumbrant eam, ne veniat in lucē, & ex ea puteturDominus innocēs: & in confirmatione prophetiæ. Pœnitentia Iudæ tangitur in dolore cordis, in confessione oris, & in quadam satisfactione operis: quæ per ordinē patent in litera. Dicit igitur [Tunc] quando traditus est Præsidi [videns Iudas, qui eum tradidit] ad differentiam Iudæ Taddæi, qui eum non tradidit [quòd condemnatus esset] IESVS iam linguis Iudæorum, & ad occidendum traditus: vt opere compleretur per gentes, quod iam linguis sententiauerant [pœnitentia ductus

ductus] Ecce dolor, qui peccata non deleuit, quia cum ſpe veniæ non fuit : & intelligitur, quòd Iudas non credidit, quòd Sacerdotes deberent eum interficere, ſed emendatum per flagella dimittere. *Sap.* 5. Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, dicent intra ſe : Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij [retulit triginta argenteos] quos adhuc apud ſe habuit : auarus enim erat, & diligenter conſeruauit. *Eccleſ.* 5. Auarus non implebitur pecunia. Et *Ibidem.* Inſatiabilis oculus cupidi [Principibus Sacerdotum & Senioribus populi] à quibus acceperat, vt reſtituto pretio Chriſtus liberaretur. *Iob cap.* 20. Diuitias, quas deuorauit, euomet. De ventre ipſius extrahet eas Deus. Retulit autem cum propoſito reddendi. *Geneſ.* 44. Pecuniam, quam inuenimus in ore ſaccorum noſtrorum, reportauimus ad te de terra Chanaan. Hæc autem pœnitentia eſt, de qua *Hebræor. capitulo* 12. dicitur : Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.

Dicens : Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt : quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, receſſit : & abiens, laqueo ſe ſuſpendit.

Ecce confeſſio oris & dolor cordis cum propoſito ſatisfactionis : & tanguntur duo : confeſſio proditoris ad exemplum Sacerdotum facta, & Sacerdotum pertinacia in malitia. Confeſſio eſt, quæ dicta eſt : & exprimit reatum, cum dicit [Peccaui] & ingratitudinem, cum dicit [tradens] & peccati ſpeciem, cum dicit [ſanguinem] & peccati ex circumſtantia quantitatem, cum dicit [iuſtum] Et hæc omnia fruſtrà ſunt propter veniæ deſperationem. *Geneſ.* 4. Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Sanguis autem clamaret pro eo, ſi veniam ſperaret. *Hebr.* 12. Acceſſiſtis ad ſanguinis aperſionem, meliùs loquentem quàm Abel. Sanguis enim Abel loquitur vindictam. *Gen.* 4. Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Sanguis Chriſti clamat veniam. *Luc.* 23. Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. Et quia veniam non ſperauit, fiebat in eo quod dicitur *Gen.* 42. En ſanguis eius exquiritur. Et illud *Hebr.* 10. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, eum, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti polluturn duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.

At illi dixerunt quid ad nos] Pertinacia eſt Sacerdotum : quia videntes Iudam pœnitere non ſunt compuncti : & hæc verba poſſunt referri ad hoc, quod dictum eſt : Retulit triginta argenteos. Vel ad hoc, quod dixit : Peccaui. Primo quidem modo ſenſus eſt : Quid ad nos de pecunia? [Tu videris] quando pondera ſti & probaſti eam ſufficiens eſſe pretium pro vendito ſanguine iuſti : igitur poſſide eam, quia nos tenebimus, quod nobis vendidiſti. Secundo autem modo ſenſus eſt : Quid ad nos ſi peccaſtitu videris, ſi contra conſcientiam operatus es : quia nos de peccato tuo non curamus, dummodo voluntas noſtra perficiatur. Hi ſunt figura malorum Sacerdotum, qui non curant peccata ſubditorum, ſed mittunt ad interitum. *Oſee* 6. Particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sychem. Vnde quoad hoc, ſceleratiores fuerunt Sacerdotes quàm Iudas : ſed quoad ingratitudinem & deſperationem, Iudas omnibus fuit ſceleratior. *Pſalm.* 118. Oratio eius fiat in peccatum [Et proiectis argenteis] Hic ponitur ſatisfactio operis informis & infamis. Ad hoc enim proiecit : quia recipere noluerunt : in templo autem proiecit, vt oblatio ſatisfaciens eſſet, & in theſaurum Dei reponerentur [receſſit & abiens] *Sap.* 3. Abierunt ab itinere recto in exterminium [laqueo ſe ſuſpendit. 1. *Tim.* 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueũ diaboli, & in deſideria multa & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. 2. *Regum* 17. Videns Achitophel, quòd non eſſet factum conſilium eius, abiit in domum ſuam, & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit. Hic pendet Aman iniquus in ligno, quod Mardochæo parauit *Eſther.* 6. *Act.* 1. Suſpenſus Iudas crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.

Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt : Non licet eos mittere in corbonan ; quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem.

Hic tangitur confeſſionis huius obumbratio per Sacerdotes, ne per eam Chriſtus credatur innocens : & ideò pretium tanquam immundum, in templo relinquere noluerunt. Et dicuntur hic tria, ſcilicet, eiectio pretij de templo, & emptio agri, & nomen. Dicit igitur [Principes autem Sacerdotum] qui auctores ſunt & capita malitiæ [acceptis argenteis] de loco, in quo proiecerat eos Iudas [dixerunt] eadem impietate, qua primò eos dederant [Non licet eos mittere in corbonam] Tria erant in templo reſeruatoria oblationum : Muſach ſabbati, in quo Principum oblata reponebantur : & Gazophylacium, in quo reponebantur oblata plebis : & Corbona, in quo ponebantur oblata Sacerdotum. Quia igitur Iudas obtulit eam Sacerdotibus, & a ſacerdotibus acceperat : ideò ad corbonam pertinere videbatur : & ideò dicunt [Non licet eos mittere in corbonam] tanquam immundos : & reddunt cauſam [quia pretium ſanguinis eſt] *Proverb.* 15. Victimæ impiorum abominabiles. *Eccl.* 34. Immolantis ex iniquo, oblatio eſt maculoſa. [Conſilio autem inito] qualiter Dominum reddarent accuſabilem. *Iob* 21. Conſilium impiorum longè fac à me. *Eccleſ.* 37. Facienti conſilium nequiſſimum, deuoluetur ſuper eum [emerunt ex illis agrum figuli] Vel qui poſſeſſio erat figuli : vel qui erat de terra fictili, ſignificante Spiritu ſancto eis inuitis, quòd ficti de luto figuli redempti eſſent iſto pretio. 1. *Cor.* 6. Empti eſtis pretio magno : glorificate & portate Deum in corde & corpore veſtro [in ſepulturam peregrinorum] antiquitùs locus immundus ſepulturæ exulum deputabatur : quaſi dicat, ipſo facto quod immunditiæ eſſet ſignum, quia immundi hominis pretio eſſet comparatum. Contra quod dicitur *Iſa.* 11. Erit ſepulchrum eius glorioſũ. *Gen.* 23. & 24. Cõfirmatus eſt ager Abrahæ in

in poſſeſſionem ſepulchri, videntibus cunctis filiis Heth [pro. hoc vo. eſt] Tangit monumentum per nomen [ager ille Haceldama] vt eſſet perpetuum monumentum, & deteſtatio nominis IESV CHRISTI vſque in hodiernum diem. Et eſt nomen impoſitum ab euentu, ſicut etiam ſimile dicitur 2. *Reg.* 2. Vocatum eſt nomen illius : Ager robuſtorum in Gabaon.

Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Iſraël : & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

Tangitur hic confirmatio per Prophetam : & eſt hic quæſtio, quia hoc, quod hic dicitur, in Ieremia non inuenitur : & ideò dicit *Hiero.* in originali ſuper locum iſtum, quòd antiqui latini codices hic habeant ſic [Tunc impletum eſt quod dictum per Aſaph Prophetam] Quod quidam non intelligentes, correxerunt per Iſaiam, quidam autem per Ieremiam, & quidam aliter. Sed in Hebræo, in quo ſcripſit *Matthæus*, inuenitur ſicut hic continetur : & ideò dicit *Hierony.* quòd nuper inuenit quædam Ieremiæ apocripha, in quibus de verbo ad verbum ſcriptum fuit ſicut hic habetur : & de iſtis apocriphis etiam fit mentio in 2. *Macha.* 2. legitur in deſcriptionibus Ieremiæ, quòd arcam contutauit in locum ſecretum, & orauit, vt omnibus incognitus eſſet locus &c. Et bene poteſt eſſe, quòd Ieremias in illis deſcriptionibus iſta dixerit : licet ad nos non venerit iſta ſcriptura. *Auguſt.* dicit quòd Spiritu ſancto ordinante Euangeliſtæ ſubuenit de *Ierem.* licet hoc dixerit Zacharias, vt ex hoc intelligatur, omnes Prophetas vno ſpiritu eſſe locutos : & ideò vni attribui quod alius dixit. Poſſumus tamen dicere, quòd hoc, quod dixit Euangeliſta, non refertur ad immediatum, ſed ad hoc, quod dicitur [& dederunt eos in agrum figuli] quia de agri emptione hic agitur, & non de quantitate pretij, de cuius quantitate ſuprà determinatum eſt : vnde ſenſus eſt [Impletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam] qui dicit hanc ſententiam de agri emptione. Bene dico quod impletum eſt : quia ipſi Sacerdotes [acceperunt triginta argenteos] quod erat [pretium] Iudæ [appretiati quem] Sacerdotes [appretiauerunt à filiis Iſraël] aſſumptum non ab alienigenis, quia minus eſſet inconueniens, ſi hoc feciſſet alienigena : & ſicut dixit *Ierem.* 32. Dederunt eos in agrum figuli, ſicut mihi, Ieremiæ, conſtituit, hoc eſt, ex reuelatione ſua præcepit Dominus. Verba autem *Ierem.* 32. ſunt hæc : Intellexi, quòd verbum Domini eſſet, & emi agrum ab Hanameel filio patrui mei. Et iſte eſt ſenſus literæ.

IESVS autem ſtetit ante Præſidem, & interrogauit eum Præſes, dicens : Tu es Rex Iudæorum? dixit illi IESVS : Tu dicis.

Hic oſtenditur Dominus innocens per Præſidis inquiſitionem & interrogationem : hic autem duo dicuntur, vnum eſt diligens auditus accuſantium, & interrogatio veritatis : ſecundum autem eſt voluntas abſolutionis Chriſti poſt inuentam inſufficientiam accuſationis *Ibi* [Per diem autem ſolempem] In prima parte duo ſunt : interrogatio Præſidis, & auditus accuſationis. Interrogationi Præſidis reſponder per Dominum facta confeſſio veritatis : accuſationi auditus tanta reſponder patientia taciturnitatis, quòd etiam Præſes admiratur. Dicit igitur [IESVS autem] vt iudicandus [ſtetit] conſtanter agonizans ante Præſidem. *Sap.* 5. Stabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt [& interrogauit eum Præſes] volens formam ſeruare iuſtitiæ : quia ex ore, vel ex teſtimonio quiſque condemnandus eſt. *Eccleſiaſt.* 11. Antequam interroges, ne vituperes quemquam : & cum interrogaueris, corripe iuſtè. *Iob* 29. Cauſa quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam [Tu es Rex Iudæorum?] *Lu.* 23. Obiiciunt tria, dicentes : Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe : & de duobus quidem non interrogat Præſes : quia primum friuolum reputabat : de ſecundo autem audierat oppoſitum, quod dixerat. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari : & quæ ſunt Dei, Deo *Sup.* 22. Et ideò quærit ſolum de tertio, quod remanſit [Dicit ei IESVS : Tu dicis] Tamen dicit *Lucas*, quod addidit, Regnum meum non eſt de hoc modo : ſi de mundo hoc eſſet regnum meum, miniſtri mei decertarent, quòd non traderer tibi. Et quòd dicit [Tu dicis] Senſus eſt : Tu dicis, ſicut ſe habet veritas. Nulla autem cauſa fuit condemnationis, niſi iſta confeſſio : & ideò hæc titulo crucis inſcribebatur.

Et cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad vllum verbum : ita vt miraretur Præſes vehementer.

Iſtud eſt ſecundum de auditu accuſationum : hoc enim exigit ordo iudiciarius. *Ioan.* 7. Nunquid lex noſtra condemnat aliquem, niſi priùs audiat ab eo? Dicuntur hic quatuor, accuſatio Sacerdotum, taciturnitas Domini, prouocatio iudicis ad reſpondendum, & admiratio patientiæ. De primo dicit [Et cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum] in quibus poteſtas [& ſenioribus] populi, in quibus debuit eſſe veritas [nihil reſpondit] *Chryſoſt.* quia omnibus patuit, quòd non erant conuenientia teſtimonia : & etiam quòd digni non fuerunt. Iudici autem reſpondit : quia ad minus ille formam iuſtitiæ tenuit, & inuitus fecit quod fecit. Tacuit autem, vt adimpleretur quod dicit *Iſa.* 53. Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet [Tunc dicit illi Pilatus] libenter volens audire accuſationem [Non audis quanta] hoc eſt, quot [aduerſum te dicunt teſtimonia] Non dicit probant ſed dicunt, quia nihil poterant probare eorum, quæ dicebant. *Ierem.* 9. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta eſt. *Pſalm.* 13. Venenum aſpidum ſub labijs eorum [& non reſpondit ad vllum verbum, ita vt

miraretur Præses] *Ecclesiast.* 20. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus. *Psalm.* 38. Posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator aduersum me, tacui & silui à bonis *Isa.* 42. Tacui semper, silui, patiens fui.

Per diem autem solennem consueuerat Præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vnum vinctum insignem, qui dicebatur Barrabas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis? Barrabam, an IESVM, qui dicitur Christus? Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius dicens: Nihil tibi & iusto illi: Multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

Hic post inuentam veritatem quærit innocentis absolutionem, sed humano timore detentus quærit hoc facere de bona eorum voluntate: & dicuntur hic quatuor: primò enim Euangelista facilem absolutionem allegat nactus temporis opportunam consuetudinem: secundò eius, qui cum Domino captus erat, sceleris immanitatem: tertiò proponit quæstionem: quartò allegat causam, quare quæsiuit liberationem. Dicit igitur [Per diem autem solennem] paschæ, quo liberati fuerant ab Ægyptiaca captiuitate [consueuerat Præses] captans amorem populi, ne diutiùs eum sustinerent [populo] petenti [dimittere vnum vinctum] in memoriam antiquæ liberationis de Ægypto [quem voluissent] vt daretur honor populo. *Isa.* 58. Dimitte eos, qui confracti sunt, liberos: & omne onus dirumpe [habebat autem tunc in vinculis vinctum insignem] hoc est, vulgatum in malitia: vel secundum alios insignem, i. nobilem [qui dicebatur Barrabas] *Marc.* 15. qui propter seditionem & homicidium, quod commiserat in ciuitate, positus erat in carcerem. Et captauit Pilatus illum nominare: quia probabile erat multos esse potentes, quos ille offenderat, vt illi peterent IESVM dimitti: & persuaderent populo, quòd ideò peterent secum, de quo dicitur *Exod.* 22. Maleficos non patieris viuere [Congregatis autem illis dixit Pilatus] Congregati autem tunc ad seruiendum Domino in die festo. *Psalm.* 101. In conueniendo populos in vnum, & Reges vt seruiant Domino [Quem de duobus vultis vobis dimitti? Barrabam] latronem [an IESVM qui dicitur Christus] à populo vnctus vocabatur, & Rex irrosoriè. Sed à sanctis secundum veritatem. *Ioan.* 11. Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. *Ierem.* 11. Ecce ego propono coram vobis viam vitæ, & viam mortis. *Deut.* 30. Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & econtrario mortem & malum [Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidissent eum] & hac de causa quæsiuit eum liberare. *Gen.* 37. Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph, hoc est, inuidia. *Sap.* 2. Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum [Sedente autem illo pro tribunali] Ecce excusatio facta per reuelationem diaboli, qui per vxorem quæsiuit subuertere fortitudinem Christi, sicut deiecit Samsonem per Dalilam *Iudicum* 16. Incipiebat enim iam æstimare Christum Dominum esse, & se perditurum potestatem per eius crucifixionem: & immisit terribilia visa vxori, si crucifigeretur Dominus. Est autem tribunal sedes iudicum, sicut solium est sedes Regis; & cathedra sedes Doctorum [misit ad eum vxor eius dicens] inspirata per diabolum [Nihil tibi & iusto illi] Hic est enim iustus, de quo *Prouer.* 12. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est [Multa enim passa sum hodie] terribilia [per visum propter eum] Hæc autem iustitiæ Christi indicia immisit diabolus vera visa, non ex voluntate: quia sicut dicitur *Ioan.* 8. Mendax est, & pater eius. Sed magis volebat vni parcere & omnes perdere. *Eccl.* 34. Quasi parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo emissa fuerit visitatio.

Principes autem Sacerdotum & seniores persuaserunt populis, vt peterent Barrabam, IESVM verò perderent. Respondens autem Præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt Barrabam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de IESV, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis Præses. Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur.

Hic incipit pars illa, quæ est petitio condemnationis Christi per tumultum iniquæ voluntatis, qui condemnari non poterat propter accusationem alicuius iniquitatis: & tangit [Principes Sacerdotum] quos non excusat impotentia [& seniores populi] quos non excusat ignorantia [persuaserunt populis, vt peterent Barrabam] homicidam & latronem & seditiosum [IESVM verò perderent] hoc est, perdi postularent. *Ierem.* 8. Elegerunt magis mortem, quàm vitam, qui residui erant de cognatione hac pessima *Prouer.* 17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum [Respondens autem Præses ait illis] refricando quæstionem [quem vultis vobis de duobus, dimitti?] q. d. In electione vestra pono. *Eccl.* 15. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porrige manum [At illi dixerunt Barrabam] *Act.* 3. Virum homicidam petistis dari vobis: auctorem verò salutis interfecistis [Dicit illis Pilatus] adhuc instans pro liberatione [Quid ergo faciam de Iesu, qui dicitur Christus] q. d. Rex vester est: magnum dedecus facitis. *Luc.* 1. Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum [Dicunt omnes] *Iosue* 9. Congregati sunt cuncti pariter qui erant trans Iordanem, vt pugnarent contra Iosue vno animo, & eadem scientia [Crucifigatur] *Ioan.* 19. Tolle, tolle, crucifige eum [Ait illis. Quid enim mali fecit?] *Ioan.* 19. Ego nullam in eo inuenio causam. *Iob* 16. Hæc passus sum absque iniquitate, cum haberem mundas apud Deum preces [At illi clamabant dicentes: Crucifigatur. *Isa.* 5. Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce clamor. *Luc.* 23.

At

At illi vocibus magnis instabant, dicentes [Crucifigatur] Et patet, quòd à iudice absoluendus iudicatur: nec causa condemnationis habetur nisi proterua voluntas. Et hæc est pars prima istius partis, in qua per disceptationem populi & iudicis Dominus probatur innocens.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret: accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine huius iusti: vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barrabam: IESVM verò flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.

In secunda autem parte se innocentem à sententia ostendit, & causam voluntati eorum & fauori condescendens, Christum crucifigendum tradit: & ideò hic tria dicuntur, scilicet falsa innocentia iudicis, à Iudæis electio vt sibi imponatur reatus sanguinis, & traditio facta per iudicem, ad crucifigendum Dominum. De primo dicit [Videns autem Pilatus quia nihil proficeret] instando pro liberatione. *Prou.* 1. Pedes eorum ad malum currunt & festinant, vt effundant innoxium sanguinem. *Psalm.* 13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem [sed magis tumultus fieret] etiam in periculum iudicis & Reipublicæ subuersionem *Isa.* 3. Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem suscitabitur [accepta aqua lauit manus suas] Ista ablutio non iustificat, cùm tradat eum voluntati populi, quem liberare debuerat. *Prouer.* 24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. *Iob* 19. Conterebam molas iniqui, & de dentibus eius auferebam prædam [coram populo] Non coram Deo. *Supra* 23. Apparetis coram hominibus iusti: intùs autem pleni estis iniquitate & iniustitia. Non enim profuit, quòd innocentem absoluendum iudicauit, & postea crucifigendum tradidit, nisi in testimonium suæ condemnationis [dicens] vt quos signo sedare non poterat, verbo sedaret [Innocens ego sum à sanguine iusti huius] *Eccl.* 7. Iustus perit iustitia sua: & impius multo tempore viuit in impietate sua. *Isa.* 57. Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo [Vos videritis] ex quibus allegationibus eum condemnetis; quia in eo non est causa ex allegatione. Sed nonne *Ioan.* 19. dicunt? Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit: ergo sufficiens erat allegatio. Ad hoc dicendum, quòd Pilatus videns eum infirmum stare coram se, reputauit hoc friuolum.

Et respondit vniuersus populus dicens] quia inducti per Pontifices concordes erant in malum. *Gen.* 6. Omnis caro corruperat viam suam [Sanguis eius super nos] hoc est reatus sanguinis [& super liberos nostros] per successionem *Exod.* 20. Ego sum Deus zelotes visitans peccata patris in filios in tertiam & in quartam generationem. Et iste reatus opprimit eos hodie, quòd dati sunt in reprobum sensum. Dictum tamen optimum licet peruersè intellexerunt: super quem enim sanguis IESV non est, non sanctificatur: & super cuius filios non est, non mundatur ab originali generatio illa. *Hebr.* 9. Sanguis Christi emundauit conscientiam nostram ab operibus mortis, ad seruiendum Deo viuenti.

Tunc dimisit illis Barrabam] Iustificans impium pro dilectione suæ potestatis [IESVM verò] iniustè [flagellatum tradidit eis] Condemnans Iustum: & ideò ex duabus causis Deo abominabilis. *Dan.* 13. dicente Domino. Innocentem & iustum ne interficias *Suprà* 6. Cùm essetis ministri eius regni, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ [vt crucifigeretur] cum horrore pœnalis mortis confusionem copulans, vt ostentui habeatur. *Hebr.* 6. Crucifigentes filium Dei, & ostentui habentes. *Ioan.* 19. Apertiùs dicitur. Tunc apprehendit Pilatus IESVM, & in conspectu Iudæorum flagellauit eum. *Psalm.* 37. Ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Et ideò meritò dicitur eis illud *Ierem.* 2. Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, continere non valentes aquas. Et 3. *Reg.* 20. Quia dimisisti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius.

Tunc milites Præsidis suscipientes IESVM in prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem; & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei: Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius; & genu flexo ante eum illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.

Hic agitur de Domini crucifixione & dicuntur duo: illusio videlicet præambula, & crucifixio: & hæc patent in litera. Illusio autem componitur ex tribus: derisione, vilificatione, & ex afflictione. Derisio autem describitur ex ministris eius, & loco, & spectaculo, & instrumentis siue modis. De ministris dicit [Tunc milites] quia ministri erant sceleris: contra illud, quod dicitur eis *Luc.* 3. Nemihem concutiatis, nulli calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris. *Iob* 25. Numquid est numerus militum eius? & super quem non surget lumen eius? Nihil autem horum isti fecerunt, sed erant ministri diaboli [suscipientes IESVM in prætorio] Ecce locus incongruus derisioni, eo quòd debuit esse locus iustitiæ. *Amos* 6. Separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis [congregauerunt ad eum vniuersam cohortem] Ecce spectaculum vniuersale fecerunt de filio Dei, vt ab omnibus deriderentur. *Psalm.* 21. Omnes qui videbant me, deriserunt me. *Ierem.* 20. Factus sum in derisum omni populo meo [exuentes eum] propriis vestibus. *Cant.* 3. Tulerunt pallium meum custodes murorum [chlamidem coccineam circundederunt ei] Tria erant insignia regalia, chlamys coccinea, corona, & sceptrum: & per hæc tria deriserunt, quia confessus fuit illam accusationem coram iudice, quòd diceret se esse Regem:

&

& illi intulerunt, quòd in hoc contradiceret Cæsari: & hoc tangit hic in modo derisionis. Et quòd chlamys fuerit de insignibus regalibus habetur 1. *Mach.* 14. vbi Demetrius Rex concessit Simoni vti chlamyde coccinea. Erat autem purpura, qua Reges induebantur. Herodes autem derisit eum indutum veste alba *Luc.*23. *Prouer.* 31. Byssus & purpura indumentum eius &c. [Et plectentes coronam de spinis] hoc est, de iuncis spinatis & aculeatis, quæ plexæ fuerant ad modum capillorum fœminæ, & aculei conuersi ad interius circuli, vt caput compungerent [posuerunt super caput eius] *Cant.* 3. Egredimini filiæ Ierusalem, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Synagoga [Et arundinem in dextra eius] loco sceptri regalis, in signum, quòd vacuum & inane fuerit regnum eius & instabile. *Sup.* 11. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Vnde *Isa.* 36. Regnum Ægypti dicitur baculus arundineus, cui si innixus fuerit homo, confringetur, & perforabit manum illius [Et genuflexo ante illum illudebant ei] Tangit modum honoris regalis tractum in derisum. *Eccl.* 19. Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo [Aue Rex Iudæorum] *Isa.* 29. Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me: cor autem eorum longè est à me [Et expuentes in eum] Ecce vilificatio, quam etiam suprà passus est à suis. *Isa.* 57. Filij auguratricis, semen adulteræ & fornicariæ; super quem lusistis & eiecistis linguam? *Iob* 30. Faciem meam conspuere non verentur [acceperunt arundinem] Erat autem arundo magna, quæ sambucus vocatur [& percutiebant caput eius] Ecce illusio afflictionis. *Michea.* 5. In virga percussit maxillam iudicis Israel. *Iob* 16. Exprobrantes percusserunt maxillam meam: satur. ti sunt pœnis meis.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum, vt crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.

Tangitur hic crucifixio cum suis circunstantiis præcedentibus, concomitantibus & sequentibus eam: & secundũ istud diuiditur. Dicit autem duo præambula, reinduitionem, & eductionem, in qua notatur crucis portatio. De reinduitione dicit sic [Et postquam illuserunt ei] quod ipse *Suprà* 20. prædixerat. Tradetur enim gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum [exuerunt eum chlamyde] Iusserunt deponere signa regalia, cùm tamen ipse esset, de quo dicitur *Philip.*2. Dedit illi nomen, quod est super omnem nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria est Dei Patris [& induerunt eum vestimentis suis] in signum assumptæ paupertatis & infirmitatis. 2. *Cor.* 8. Scitis gratiam Domini nostri IESV CHRISTI: quia propter vos egenus factus est, cùm esset diues; vt vos illius inopia diuites essetis. *Iob* 6. Saccum consui super carnem meam. *Psalm.* 29. Concidisti saccum meum, & circundedisti me lætitia [Et duxerunt eum] hoc est, traxerunt eum, sed obedientem: Vnde hanc ductionem vocat portationem *Ierem.* 11. Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam [vt crucifigeretur] *Iob* 7. Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea [Exeuntes autem] Hic tangit communicationem crucis Christi in via eductionis factam gentili, antequam communicaretur Israeli, in signum redemptionis gentilium. Dicit igitur, quòd [inuenerunt] diuina ordinatione procurante hoc in præsagium futurorum [hominem] natura, licet moribus esset sylueſtris. *Psalm.* 131. Inuenimus eam in campis syluæ [Cyrenæum] de Cyrena, quæ est in Lybia, vbi gentilitas habitabat [nomine Simonem] propter futuram obedientiam mandatorum [hunc angariauerunt] Angaria est seruitus violenter exacta, & in propria persona exhibita: perangaria autem est seruitus violenta in rebus personæ impensa, & non in propria persona: & significat eos, qui inuitè Christi crucem propter carnis contradictionem suscipiunt, & tamen portant. *Gal.* 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis [vt tolleret crucem eius] *Sup.* 11. Tollite iugum meum super vos &c. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Christus enim sicut dicitur *Ioann.* 19. Primò exiuit baiulans sibi crucem. Deinde infirmatus lassitudine illusionum & verberum, quæ tota nocte & parte diei sustinuerat, volens nobis veræ infirmitatis ostendere indicia destitutus infirmitate, supportante indiguit: & ad hanc compassionem gentilis subseruiuit. Et dicitur *Marc.* 15. quòd iste Simon fuit pater Alexandri & Rufi: qui rustici noti erant ab omnibus, & post Resurrectionem fidem suscipientes.

Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cùm gustasset, noluit bibere. Postquàm autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes: vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant: & imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Hic est IESVS Rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, vnus à dextris, & vnus à sinistris.

Hæc sunt crucifixionem concomitantia: horror loci, potus amaritudinis, expoliatio & suspensio nudæ veritatis, circumuallatio violentæ crudelitatis, superscriptio reatus, & turpium associatio, quos idem locus optimo Domino sociauit. Dicit igitur [Et venerunt in locum] supplicij [qui dicitur Golgotha] quod Euangelista interpretatur [quod est Caluariæ locus] Non à Caluaria

Caluaria Adæ, quam ibi quidam sepultam mentiuntur, cùm Adam *in Iosue* iuxta Ebron sepultus esse legatur: sed quia ibi caluariæ iacebant latronum & damnatorum per iustitiam publicam. Et hoc fuit, vt ipse horror loci, morti pœnam cumularet. *Hebr.* 13. IESVS vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum improperiũ eius portantes [& dederunt ei] debilitato & lassato verberibus & tractibus sitienti [vinum bibere cum felle mistum] vt impleretur quod dictum est *Deut.* 32. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus. Et attende, quòd his potatus est suspendendus, & in cruce suspensus. Suspendendus hic *Habacuc* 2. Væ qui potum dat amico suo immiscens fel. Dicit autem *Marc.* 15. quòd dederunt ei vinum myrrhatum. Et dicendum, quòd myrrhatum, & felle mistum fuit: vel propter amaritudinem dicitur hic felle mistum. Prima responsio conuenientior est. *Psalm.* 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Quidam etiam dicunt, quòd potauerunt eum, vt citiùs moreretur: & hoc falsum est, quia non compatiebantur ei: & non est naturale, vt homo citiùs moriatur propter potum, nisi cum febre moriatur: sed ideò voluit hoc Christus fieri, vt diluceret delectationem vetiti, quam gustauit Adam. *Thren.* 3. Recordare paupertatis meæ & transgressionis meæ, absynthij & fellis [Et cum gustasset] ad fauces & linguam [noluit bibere] glutiendo: vnde *Marc.* 15. dicitur, quòd non accepit: quia quamuis accepit ad gustandum, non tamen accepit ad glutiendum.

Postquam autem crucifixerunt eum] in ipsa crucifixione [diuiserunt sibi] quatuor [vestimenta eius] quilibet tollens vnum vestimentum. Sicut dicitur *Ioan.* 19. Sortem mittentes de quinto vestimento, quod erat tunica inconsutilis: vade *Ioann.* 19. Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cujus sit. *Prouer.* 16. Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. *Isa.* 6. Sicut exultant victores capta prædã, quando diuidunt spolia. *Iob* 24. Agrum non suum demetunt: & vineam eius, quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines indumenta tollentes [vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea] quatuor [& super vestem meam] quintam tunicam inconsutilem [miserunt sortem] *Iob* 19. Spoliauit me gloria mea [& sedentes] quiescentes crudeliter in pœnis eius [seruabant eum] ne turbis abeuntibus à Discipulis deponeretur. *Iob* 19. Obsederunt in giro tabernaculum meum. Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me [& posuerunt super caput eius] in tabula affixa cruci contra caput [causam ipsius] quam confessus est coram Pilato, quia aliud probare non poterant [scriptam: hic est IESVS Rex Iudæorum] Vnde *Ioan.* 19. Noli scribere, Rex Iudæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Rex tamen est, quia titulus crucis eum Regem fecit. *Ierem.* 23. Regnabit Rex & sapiens erit. Et potest esse quòd quia prædicauit nouum regnum, iudex credidit, quòd hoc esset mundanum: & quòd se Regem vellet facere in illo [Tunc] in ipsa crucifixione [crucifixi sunt cum eo] vt maior esset sui detestatio, quasi fuisset socius latronum [duo latrones] propter duo genera latronum spiritualium, Adam, qui surripere voluit diuinitatem secundum omnem scientiam, & qui in actuali peccato surripere vult Deo honorem imperij, quia non vult subdi præcipienti Deo [vnus ad dexteram] qui pœnituisse dicitur [& alter ad sinistram] qui remansit in pertinacia. *Ioan.* 19. Et impleta est scriptura dicens: Et cum iniquis deputatus est. *Isa.* 53. Cum sceleratis deputatus est. *Habacuc* 3. secundum aliam translationem. In medio duum animalium innotesceris, hoc est, duorum bestialiter viuentium. Et significat spiritum salutis in medio carnis & mundi crucifixum.

Prætereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas: Salua teipsum: Si Filius Dei es, descende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & senioribus dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei: Confidit in Deum: liberet eum nunc si vult. Dixit enim: quia filius Dei sum.

Hic tangit sequentia crucifixionem: et horum quædam sunt facientia ad honorationem infirmitatis: quædam autem ad demonstrandam potestatem maiestatis. *Ibi* [A sexta autem hora &c.] Prima harum partium diuiditur secundum differentiam eorum, qui Domino illuserunt: & isti sunt plebeij & Principes & Latrones. De plebeis dicit [Prætereuntes autem blasphemabant eum] hoc est, maledicebant ei. Speciem enim pro genere ponit: vel quia se dixit Deum, irrisio maiestatis (quæ in infirmitatem conuersa esse videbatur) blasphemia vocatur. *Matth.* 12. Spiritus blasphemiæ non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. [mouentes capita sua] *Psalm.* 108. Factus sum opprobrium illis: viderunt me & mouerunt capita sua 4. *Reg.* 19. *Isa.* 37. Spreuit te, & subsannauit te virgo filia Sion: post te mouebit caput filia Ierusalem (motus autem capitis atrocitatem significat cordis) dicentes irrisoriè [Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas] Dictum est duorum falsorum testium in præcedenti capitulo positum, quod modò sine scitu ipsorum impleri incepit: quia modò templum soluerunt] Si filius Dei es] *Sup.* 2. Filium Dei se nominat & gloriatur Patrem se habere Deum [descendè de cruce] *Ierem.* 14. Quare futurus es quasi vir vagus & fortis, qui non potest saluare &c. *Habacuc* 3. Ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibit mors [Similiter & Principes Sacerdotum illudentes] *Esd.* 9. Manus magistratuum prima erat in transgressione hac [cum Scribis] *Isa.* 33. Vbi est literatus: vbi verba legis ponderans? *Psalm.* 70. Quoniam non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini [& senioribus populi] *Iob* 32. Non sunt longæui sapientes, nec senes intelligunt iudicium [dicentes: Alios saluos fecit] Ironicè dicunt. *Luc.* 4. Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura teipsum.

ipsum [seipsum non potest saluum facere] Contra hoc dicitur *Isa.* 59. Ecce non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat [Si Rex Israel est] sicut dicit iactando. *Isa.* 9. Super solium Dauid & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret amodo & vsque in sempiternum [descendat nunc de cruce] liberans se à passione: contra quod est consilium Patris de cælo. *Eccl.* 7. Non credas te odibili in toto corde tuo. *Prouer.* 1. Fili mi, ne acquiescas eis [& credimus ei] Mentiuntur. Sed dicerent sibi sicut *Suprà* 12. In Beelzebub Principe dæmoniorum hoc fieri [Confidit in Domino] *Dan.* 13. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino [liberet eum nunc, si vult] *Eccl.* 2. Respicite filij nationes hominum: quia nullus sperauit in Domino, & confusus est: permansit in mandatis eius, & derelictus est [Dixit enim: quia Filius Dei sum] *Ioan.* 5. Propterea persequebantur eum Iudæi: non solum quia hoc fecit in die Sabbati, sed quia dixit se Filium Dei, æqualem se faciens Deo.

Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

Tertia est pars. *Ierem.* 15. Omnes maledicunt mihi. Et *Ierem.* 20. Omnes subsannabant me. Sed contrarium videtur dici *Luc.* 23. vbi dicitur, quòd vnus latronum arguit alium dicens: Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es: & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic autem nihil mali fecit. Respondens autem *August.* dicit, quòd plurale ponitur pro singulari, sicut vsitato nomine dicimus, scilicet, rustici deridet nos, quamuis non rideat nisi vnus. Meliùs dicitur, quòd primò ambo improperabant: & posteà dexter videns signa, compunctus est, & socium in peruersitate perdurantem arguit.

A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam.

Hîc incipit agere de demonstratione diuinæ virtutis Christi patientis, quæ vsque huc abscondita fuit in passione assumptæ infirmitatis. Argumenta autem ostensionis sumit à sex differentiis, sicut & principium mundi in senario est perfectum. Sumit enim à destitutione ornatus cælestis: & à calamitate assumpti hominis, qui etiam clamauit se derelictum propter protoplasti peccatum: sumit etiam à mysticis argumentis apertè reuelatis: & sumit à mundi elementis reuelationem: sumit etiam à mortuis sanctis: & sumit à confessione facta à viuis. Primum ostendit patientis auctoritatem, secundum passibilis naturæ veritatem, tertium figurarum impletionem, quartum Passionis virtutem, quintum sanctam ex Passione redemptionem, sextum futuram ex passione fidei dilatationem. Circa primum dicit tria, scilicet, quid factum, quamdiu & quantum secundum latitudinem terrarum.

Quid, quia [tenebræ factæ sunt] Quamdiu: quia [à sexta hora vsque ad nonam] quod est per tres horas, quamdiu eclipsis naturalis non durat. Quantum dilatatæ per terras: quia [per vniuersam terram] Aut Iudæorum, vt dicit *Origenes*: aut etiam simpliciter, sicut videtur *Diony.* dicere, qui dicit se hanc eclipsim cum sancto Apollophanio vidisse apud Heliopolim ciuitatem Ægypti: & dicit quod facta fuit, cum lunæ iam deesset: & hoc est, cum esset quinta decima, quando nulla potest esse naturalis eclypsis, quia illa non fit nisi in coniunctione luminarium: vnde & multa dicit fuisse in illa eclipsi: quòd videlicet luna tantum in tribus horis mouebatur, quantum in triginta diebus moueri debuit: & quòd per eandem portionem circuli ad solem accessit & recessit: & quòd obscuritas solis à parte orientis incepit, & ex parte occidentis incepit reilluminari: quorum quodlibet magis fuit impossibile secundum astrorum cursum quàm ipsa eclipsis: & quòd hæc omnia indicabant pati IESVM, qui est omnium causa: & hoc dicit *Diony.* in duabus Epistolis, quarum vnam scripsit Policarpo, & alteram Apollophanio. Dicit igitur [A sexta autem hora] Et videtur esse contrarietas: quia *Marc.* 15. dicitur: Erat autem hora tertia, & crucifixerunt. Et dicendum secundum *August.* quòd in tertia condemnatus est. Et vt notetur crucifixus magis linguis Iudæorum clamantium: Crucifige, crucifige, quàm manibus gentilium: ideò dicit tunc in hora tertia crucifixum. Potest etiam dici, quòd *Marc.* tangit inceptionem crucifixionis, & hæc fuit sententia, & eductio, & huiusmodi. *Matth.* autem ponit ipsam horam suspensionis [Tenebræ autem factæ sunt] per lunam se soli supponentem, vt dicit *Diony.* & non per retractionem luminis, vt quidam mentiuntur. *Amos* 8. Occidet eis sol in meridie, & obtenebrescere faciã terrã in die luminis. *Iob* 5. Per diem incurrent tenebras: quasi in nocte sic palpabunt in meridie. *Ioelis* 2. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Iustum profectò fuit, vt cùm incorruptibile lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, patiebatur eclipsim: etiam exterius lumen occumberet, ne interioris luminis defectum aspiceret [super vniuersam terram] Origenes dicit, quòd sicut *Exod.* 10. Ægyptiis fuerunt tenebræ, & sanctis lux in eadem terra: ita nunc Iudæis cõuersis in Ægyptios erant tenebræ, & aliis hominibus lux. *Diony.* autem dicit quòd tenebræ extendebantur vsque in Phrigiam ad partes Iliacas, vbi fuit Troia. *Sap.* 17. Totus enim orbis lympido illuminabatur lumine solis: illis autem supposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ eos comprehensuræ erant [vsque ad horam nonam] durantibus tenebris: quando etiam lumen gratiæ in Adam occubuit. *Gen.* 3. Dum deambularet Dominus in paradiso ad auram post meridiem clamauit, & dixit: Adam vbi es? Et in eadem hora posteà clamauit in cruce obtenebrata vtraque interiori & exteriori luce: & hoc est, quod sequitur.

Et circa horam nonam clamauit IESVS voce magna, dicens: Eli, Eli, lammasabacthani? hoc est Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant: sine, videamus, an veniat Elias liberans eum. IESVS autem

iterum

iterum clamans voce magna, emisit spiritum.

Et circa horam nonam clamauit IESVS] & hoc est, quod ibi ostenditur, veritas assumptæ infirmitatis: & dicuntur tria. Primum est clamor pro magnitudine causæ Passionis, quæ est peccatum protoplasti: secundum est pertinax malitia turbæ circumstantis: tertium est iteratus clamor pro magnitudine passionis. Dicit igitur [Et circa horam nonam] quando sol declinauerat. *Ierem.* 4. Væ vobis: quia declinauit dies, & longiores factæ sunt vmbræ vesperi [exclamauit IESVS] licet esset debilitatus. Et cùm in debilibus, & præcipuè qui exangues, & iam pene exanimes facti sunt, sit vox acuta & debilis: tamen clamauit [voce magna dicens] vt demonstraret illud quod dixit *Ioan. capitulo* 10. Nemo tollit à me animam meam: sed ego pono eam; & iterum sumo eam. Et eadem virtute transcendens debilitatem nunc clamat. *Hebræor.* 5. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad Deum cum clamore & lacrymis offerens, in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Et hæc est vox turturis, quæ audita est in terra nostra. *Cant.* 2. [Eli, Eli] Bis dicit: quia in duabus naturis verè filius fuit: & in vtraque Pater verè suus Deus sibi in identitate essentiæ secundum deitatem, & in inhabitatione summæ gratiæ secundum humanitatem coniunctus. *Ioan.* 20. Ascendo ad Patrem meum & Pa. ve. Deum me. & Deum ve. [lammasabacthani] Miseriam protoplastorum deplorat, pro qua redimenda protectio diuinitatis infirmitatem humanitatis passioni exposuerat, & sic dereliquerat [hoc est, Deus meus &c.] Verbum est Euangelistæ interpretantis sermonẽ hebraicum. *Isa.* 54. Ad punctũ in modico dereliqui te: & in miserationibus magnis congregabo te. *Isa.* 60. In indignatione mea percussi te: & in reconciliatione mea misertus sum tui. *Isa.* 53. Nos putauimus eum percussum à Deo & humiliatum. Dicunt quidam, quòd post hunc clamorem Saluator legit centum quinquaginta versus, qui ab hoc loco psalterij vsque ad illum versum: In manus tuas commendo spiritum meum, continentur.

Quidam autem] Romanorum gentilium ignari sermonis hebraici [illic stantes] & custodientes eum [& audientes dicebant: Eliam vocat iste] propter figuram dictionis similem Eli & Elias: & peruersi cordis pertinacia, quod indicabant eum alieno indigere auxilio, cum de eo dicat *Ieremias* 32. Ecce tu Domine, fecisti cælum & terram in fortitudine magna: & non est tibi difficile omne verbum. *Isa.* 40. Quis adiuuit spiritum Domini: aut quis consiliarius eius fuit? [Et continuò currens vnus ex eis] volens vt magis puniretur [acceptam spongiam] quæ multum in se trahit humorem [impleuit aceto] quod [illegible] in actione & penetratiuum [& imposuit arundini] [illegible] videlicet, vt tangere posset ad os exaltati in cruce [& dabat ei bibere] vt impleretur illud *Thren.* 3. Repleuit me amaritudine, & inebriauit me absynthio. *Ioan.* 19. dicitur, quòd in cruce pendens dixit: Sitio: & quòd tunc accurrens iste fecit, quod hic dictum est, & sic bis potatus in lingua [illegible] eo quòd lingua congruit in duo officia, in gustum & in interpretationem: in quorum [illegible] peccauit protoplastus gustando vetitum, & loquendo cum serpente [Cæteri verò] damnabili detenti curiositate [dicebant: Sine] non inferendo ei acetum, quod exasperat arteriam vocalem, & sic raucescere facit vocẽ: Ac si dicat: Permitte eum clamare & inuocare Eliæ auxilium [Et videamus an veniat Elias liberans eum] *Isa.* 28. In loquela labij & in lingua altera loquar ad populum istum. Et sequitur: Et nec sic audient me, dicit Dominus.

IESVS autem iterum] præ magnitudine passionis, [clamans voce magna] Erat enim passio Domini omnibus passionibus maior: Tribus de causis, quarum vna est melior omnibus natura, vnione deitatis nobilitata, peccato non corrupta, non infirmitate, vel senio destituta: & ideò necesse est amarissimam fuisse separatione. Alia est bonitas vitæ, quæ maximè diligitur ab anima: ex malitia enim vitæ quidam tædium vitæ concipientes interficiunt seipsos. Tertia causa est sumpta ex circumstantiis: quia innocens: quia coram notis: quia à vilibus personis Sacerdotum ministris: quia ex causa inuidiæ, & huiusmodi. De prima dicitur *Thren. capitulo primo.* O vos omnes, qui transitis per viam: attendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus. De secunda dicitur *Ierem. cap.* 12. Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, tradidi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Et *Arist. in Ethicis li.* 3. Quod fortis virtuosus amariori morte moritur inquantum multis bonis priuatur sciens. Et *August.* narrat, quòd quidam stoicus magnæ virtutis in periculo maris valdè timere inuentus est, in quo seruus nauticus inuentus est non timere: & cum à periculo maris liberatus seruus nauticus insultaret stoico dicens: quare timuisset, cum probatum sit apud stoicos perturbationem non cadere in sapientem. Respondit stoicus non esse mirum, quòd timuit, cum sciret quantis bonis priuaretur per mortem: sed mirum esse, quòd seruus non se diu in mare præcipitauerit, cum desiderio sibi esse deberet, vt à tam turpi vita citiùs absolueretur. De tertio dicitur *Cant.* 1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Quid autem clamauerit in tanto isto clamore, dicitur *Luca cap.* 23. Quia duo clamauit, scilicet, Pater dimitte eis, quia nesciunt quid faciunt. Et illud. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hoc est, quod sequitur [emisit spiritum] Nullus igitur extorsit: sed propria voluntate & potestate, sicut voluit, pro pretio redemptionis in manus Patris posuit. Hic columba euolat de arca, reditura cum signo clementiæ Dei ramo virentis oliuæ. *Genes. capitulo* [illegible]. Hic benedicta gloria Domini recedit de templo. *Ezech. capitulo* 10. *Isai. cap.* 53. Si posuerit homo pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. In aliorum autem potestate non est ponere, vel emittere spiritum. *Luc.* 12. Stulte hac nocte repetent à te animam tuam. *Sap.* 16. Cum exierit spiritus, non reuertetur, nec [illegible] animam, quæ recepta est sub [illegible].

Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.

Sumit hic argumentum à mysticorum reuelatione: & hoc est, quòd [velum scissum est] quod

velabat

velabat arcam continentem signa gratiæ, & apparuit nuda veritas [in duas partes] mysticorum probantium veritatem, & per gratiam iuuantium ad bonitatem. Primum deseruit fidei, secundum virtuti [à summo] quod est significatum in cælo quoad gaudium felicitatis [vsque deorsum] in profundum inferni, vbi ostenditur iudicij seueritas in pœnis. *Isa.* 7. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà. *Apoca.* 11. Visa est arca testamenti Dei in templo Dei. Hanc expositionem probat *Apostolus* 2. *Corinth.* 3. Cum conuersus fuerit quis ad Dominum, auferetur velamen: Deus enim spiritus est.

Et terra mota est, & petræ scissæ sunt.

Accipit argumentum ab elementis mundi dupliciter: à terra quidem, ex qua materialiter corpus hominis constituitur: & ex lapide, per quem duities cordis infidelis designatur. Dicit igitur. [Et terra mota est] *Psalm.* 67. Terra mota est etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel. Et significat motus iste compunctionis iustificationem. *Isa.* 24. Commotione commouebitur terra, contritione confringetur terra. Tremore enim reuerentiæ concutitur à maiestate eius, quem susceptura erat. *Eccl.* 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino [& petræ scissæ sunt] In signum scissuræ duri cordis, quod sanguis passionis emollit. *Ezec.* 36. & *Ezech.* 9. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. *Ioël.* 2. Scindite corda vestra & non vestimenta vestra: & conuertimini ad Deum. *Zacha.* 14. Scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem & ad occidentem prærupto grandi valde.

Et monumenta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

Hic sumit argumentum ab ipsis mortuis & morte: & dicit tria, obedientiam elementi mortuos reddentis, & mortuorum resurrectionem, & fidei testimonium quod dederunt. De primo dicit [monumenta aperta sunt] ad literam *Ezech.* 36. Aperiam quippe tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus. Et attende, quòd licet aperta fuerint monumenta in Christi passione: tamen non surrexerunt corpora ante tertium diem. Christus enim primus liber inter mortuos surrexit. 1. *Cor.* 15. Primitiæ Christus: deinde ij qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt. *Apoca.* 1. Primogenitus mortuorum & Princeps Regum terræ [& multa] Non omnia [corpora Sanctorum] ibi sepultorum [dormierunt] *Psalm.* 126. Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini [surrexerunt] Et ideò in terra illa sepeliri petiuerunt Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph & alij: & hoc est significatum 4. *Reg.* 13. vbi ad tactum ossium Eliisei surrexit mortuus [& post resurrectionem eius] hoc est, Christi [venerunt in sanctam ciuitatem] olim: sed tunc per immunditiam homicidarum facta est Sodoma & Ægyptus. *Apoc.* 11. *Isa.* 1. Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ [& apparuerunt multis] Ita quod in Euangelio Nicodemi dicitur, quòd filij Sancti Symeonis duo, qui surrexerant coram Sacerdotum Principibus manifestè in templo testimonium dabant Resurrectionis. *Isa.* 29. Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus: & terram gigantium detrahes in ruinam, hoc est, homicidarum Iudæorum per Titum & Vespasianum.

Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes IESVM, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: verè Filius Dei erat iste.

Sumit hic argumentum à conuersione gentilitatis. Est autem Centurio, qui centum sub se habet milites [&] illi [qui erant cum eo] quì sibi commissi fuerant à Pilato, vt procuraret supplicium: & hoc est, quod sequitur [custodientes IESVM] custodem hominum. *Iob* 7. O custos hominum quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi grauis [viso terræmotu & his quæ fiebant] *Luc. cap. vigesimo tert.* Dicit, quòd videntes, quòd sic clamans expirasset, quòd scilicet ad clamorem tot apparuerunt signa, quòd totus mundus conclamauit se mortem illam sustinere non posse [timuerunt valdè] *Luc. cap. vigesimo tert.* Reuertentes percutiebant pectora sua, dicentes. Et sicut dicit *Lucas*, confessione fidei glorificauerunt Deum [Verè Filius Dei erat iste] *Eccl.* 36. Ostende, quia ab initio creaturæ tuæ sunt. *Suprà* 3. Hic Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ erant IESVM à Galilæa ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.

Hic tangitur obsequium sepulturæ: & primò tanguntur personæ, per quas officium illud completur, & secundò tangitur modus *Ibi* [Et accepto corpore Ioseph] Tertiò tangitur sepulchri custodia *Ibi* [Altera autem die, quæ est post Parasceuen] In primo tanguntur mulieres, quæ aromatibus sepulchrum visitare disponebant; secundò etiam tangitur Ioseph, qui reddi corpus impetrabat: & hæc patent in litera. In prima dicit tria, scilicet, communiter mulieres, & ad quid illuc conuenerant, & tertiò tangit principales. Dicit igitur [Erant autem ibi mulieres multæ] Quod significatum est *Iob capitulo decimo nono.* Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum. Os enim fortitudo est Christi: caro Apostoli, qui per fugam & dubitationem recesserant: pelli autem mulieres, quæ adhæsit ossibus [à longè] Contra *Ioann. capitulo decimo nono.* Stabant iuxta crucem IESV Maria mater eius, & soror matris eius. Responsio. Primo steterunt prope: quia non negabatur damnatis, vt sua cum suis disponerent; & tunc commisit matrem Discipulo. Et postea cum hoc factum fuerat, oportuit vt longius starent: & hoc tangit *Matthæus* [quæ secutæ erant IESVM] *Daniel. capitulo tertio.* Nunc sequimur te in toto corde

corde nostro, & timemus te [& ministrabant ei] de facultatibus suis. 4. *Reg.* 4. Ecce sedulo ministrasti nobis in omnibus. *Eccl.* 24. In habitatione sancta coram ipso ministrani. *Luc.* 10. Martha autem satagebat circa frequens ministerium [inter quas erat Maria] proprio nomine [Magdalene] cognomento à castro vnde orta est. *Marc.* 16. dicitur, de qua septem dæmonia eiecerat [& Maria] quæ erat [Iacobi] minoris & [Ioseph] qui cognominabatur iustus [mater] 2. *Machab.* 7. Supra modum mater mirabilis, & bonorum memoria digna [& mater filiorum Zebedæi] quæ *Suprà capitulo* 20. Regnum filiis postulauit. Dicitur autem quòd & Maria Salome ibi fuit, sed tunc fortè lassa ab eis parum diuerterat.

Cum sero autem factum esset, venit quidam homo diues ab Arimathia, nomine Ioseph, qui & ipse Discipulus erat IESV. Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus IESV. Tunc Pilatus iussit reddi corpus.

Hic describit personam quæ corpus impetrauit. Dicit *Matthæus* circa hoc: tempus, naturam, fortunam, locum, nomen, professionem, & modum impetrandi, & concessionem Pilati. Dicitur igitur [Cum sero autem factum esset] Postquam vterque sol lucem suam abscondit in Parasceue. *Psalm.* 29. Ad vesperam demorabitur fletus & ad matutinum lætitia [venit] quia de die manifestare non ausus fuit. Simile *Ioann. capitulo* 3. Hic venit ad IESVM nocte [quidam homo] Natura rationalis, & discernens, & humanorum studium habens. E contra de quibusdam dicit *Psalm.* 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hic est homo, qui ad imaginem Dei factus est & similitudinem hominis, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. *Ephe. cap.* 4. [diues] Ecce fortuna: Vnde *Luc.* 23. dicitur nobilis decurio, eo quòd officium publicum ministrabat [ab Arimathia] Quæ est ciuitas suæ natiuitatis: quæ est Remata Helcanæ & Samuelis ciuitas, vt dicitur 1. *Regum.* 1. [nomine Ioseph] præsago nomine, qui creuit in virtute. *Psalm.* 83. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion. In cuius figura Ioseph Patriarcha præcessit *Genes.* 37. Et Ioseph nutritius Domini fuit *Luca.* 1. *Matth.* 1. Et iste sequens obsequitur mortuo [qui] accessit [& ipse Discipulus erat IESV] Ecce professio. *Ioann. cap.* 8. Si manseritis in sermone meo, vere Discipuli mei eritis & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos [hic] vt amicus [accessit ad Pilatum] quia de curia (alias decurio) erat & familiaris. *Luc.* 23. Hic audacter accessit. *Ecclesiastici cap.* 6. Si possides amicum, in tentatione tribulationis posside eum [& petiit corpus IESV] *Ecclesiast.* 7. Mortuo non prohibeas gratiam: nec desis plorantibus in consolatione: Et cum lugentibus ambula [Pilatus verò iussit reddi corpus] Hoc est enim pignus, quod ante occasum solis debebat reddi *Exod. cap.* 22. Vnde etiam *Ioann. cap.* 19. quod petierunt vt non remanerent corpora in cruce in die Sabbati, vt frangerentur eorum crura & deponerentur.

Et accepto corpore Ioseph inuoluit illud in syndone munda: & posuit illud in monumento suo nouo, quod excíderat in petra: & aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit. Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

Tangitur hic modus sepulturæ: & dicit duo: modum sepulturæ, & mulierum nomina prænominatarum, quæ sepulturæ interfuerant vt locum sepulchri notarent. Modus autem sepulturæ describitur primò ex parte corporis, quod Ioseph [accepto corpore] vt munere pretioso [inuoluit illud in syndone munda] hoc est, linteo mundo: & ideo etiam statutum est, vt corporalia non nisi de lineo mundo fiant, quod significat munditiam sanctitatis. *Prouerb. vltimo.* Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio suarum manuum. Lanam ad vestimentum virtutis, & linum de innocentia candoris. Deinde describit ex parte sepulchri, dicens [& posuit illud in monumento] Quod quasi monimentum, eo quod in ipso fit monitio & recordatio mortuorum [suo] Non alieno, ne quisquam eiicere posset [nouo] ne si forte alius ibi sepultus fuisset, quod ille & non Dominus resurrexisse diceretur [quod excíderat in petra] Ne si fortè in terra esset, quòd effossum mentirentur: & si esset de pluribus petris, diceretur quod per remonitionem lapidum & repositionem esset ablatum [Et aduoluit saxum] integrum [magnum] non nisi plurium auxilio remouendum, vt indubitata esset fides integri sepulchri: & ideò dicitur *Isa. cap.* 11. Erit sepulchrum eius gloriosum. *Iob cap. quinto.* Ingredieris in abundantia sepulchrum sicut infertur aceruus tritici tempore suo, hoc est, in abundantia honoris [& abiit] dimittens sepulchrum custodiæ tortorum. *Ezech.* 3. Abij amarus in indignatione spiritus mei [Erant autem ibi Maria Magdalene & altera Maria] mater filiorum Zebedæi [sedentes contra sepulchrum] vt notarent locum. *Ruth* 1. Quæ te terra morientem suscepérit, hæc & me suscipiet. *Ioann. cap.* 11. Eamus, & moriamur & nos cum eo. Et non fit hic mentio de matre Domini, nec de tertia Maria: quia mater Domini afflicta nimis ad quietem ducta fuisse creditur: & in eius obsequio tertia Maria abierat, & quædam de mulieribus aliis.

Altera autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant Discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis. Et erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: habetis

Custodiam, ite, custodite sicut & scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

Hîc tangitur sepulchri custodia: & dicuntur tria: custodiæ impetratio, & custodiæ concessio & monumenti sigillatio. Custodiæ autem impetratio tangitur descripta secundum tempus & secundum dignitatem impetrantium, & rationem impetrationis, & ipsam postulationem. Et subiungit causam timoris si non custodiretur. Dicit igitur [Altera autem die, quæ est post parasceuen] hoc est, in die sabbati. Sed contra. Tunc non licuit operari, ergo nec sepulchrum munire. Ad hoc dicunt, quòd custodia sepulchri non est opus seruile, sicut nec sigillatio literarum. Aliter dicitur secundum *Remigium*, quòd parasceue non ponitur pro die, sed pro præparatione ad festum: vnde dies altera à præparatione fuit sexta feria, quæ erat luna 15. quia in quinta feria præparatio facta fuit: & hoc probabile fuit, quia nisi statim munitum fuisset sepulchrum in prima nocte, poterant timere furtum.

Conuenerunt] vt nec mortuo parcerent [Principes Sacerdotum] In quibus auctoritas [& Scribæ] in quibus magisterium erroris. *Ierem.* 4. Sapientes sunt, vt faciant mala: benefacere autem nescierunt [& Pharisæi] in quibus simulata sanctitas [ad Pilatum] qui præfuit reipublicæ [dicentes] detractoriè. *Ezech.* 22. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem. *Iob* 19. Cùm recessissem ab eis detrahebant mihi [Domine] Allegant rationem, qua persuadeant [recordati sumus] Multorum bonorum nullam habebant memoriam: sed eius, quod obesse poterat, optimè recordantur [quia seductor &c.] Et de talibus dixit *Ioan.* 8. Honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me. *Psalm.* 108. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Erat tamen seductor in bono *Ierem.* 20. Seduxisti me Domine, & seductus sum: fortior me fuisti, & inualuisti. Sed isti dicunt in malo, secundum quòd seductor dicitur: seorsum verò à veritate ductor. *Ioan.* 7. Quidam dicebant quia bonus est: alij dicebant non, sed seducit turbas [dixit adhuc viuens] Putabant enim eum in toto mortuum, qui dixit: ego sum via, veritas & vita *Ioan.* 14. [Post tres dies resurgam] *Suprà* 20. & tertia die resurget. *Osea* 6. Viuificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos [iube ergo] Petitio est [custodiri sepulchrum] Et licet hoc in malitia dicerent: tamen hoc Spiritu sancto præordinante dixerunt, vt quantò custodiuerint diligentius, tantò fides Resurrectionis certior appareret, & hoc significatum est *Iudic* 16. Vbi Philistiim obsiderunt Samsonem in Gaza gloriantes, quòd iam comprehendissent eum conclusum infra suas portas & seras [vsque in diem tertium] quando putabant & corruptum fuisse corpus, & falsificatum verbum: non attendentes, quod *Psalm.* 15. dicit. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem: notas mihi fecisti vias vitæ. *Act.* 2. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab illo. Et subiungunt timoris causam, quæ non fuit fides veritatis, sed mendacij pertinacia.

Ne fortè veniant Discipuli eius] & hoc mirabile est: quia Discipuli videntes eum permanere in morte, potiùs recederent detestando eum, & propalando vias eius, quàm quòd de morte causas erroris fabricarent: & propter hoc dicitur in *Psalm.* 40. Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis [& furentur eum] Turpe furtum esset fœtidi hominis mortui: & ideò dicitur *Iob* 19. En decies confudistis me: & non erubescitis opprimentes me [& dicant plebi] Hoc fuit eis tota causa timoris [quia surrexit à mortuis] Et est stultitia custodire quoad eos: quia si vincens mortem & infernum surgit à mortuis, quid prodest custodia infirmi hominis? Et hoc est, quod priùs dictum est, quòd omnia hæc ordinauit Spiritus sanctus in fidei demonstratione. *Osea* 13. O mors ero mors tua: morsus tuus ero inferne [& erit nouissimus error] de prædicatione vitæ immortalis per multos disseminatus [peior priore] qui per vnum & mortalem disseminatus est. 2. *Pet.* 2. Canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. Dicunt tamen verum quoad se: quia primò ignorabant: modò autem contemnunt pœnitentiam. *Act.* 13. Contemnitis verbum, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ. *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & oculos eius claude, & aures eius aggraua: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Ait illis Pilatus] annuens petitioni eorum qui humanum captabat fauorem. *Psalm* 52. Confusi sunt, qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos [Habetis custodiam]. hoc est, custodes sunt parati, milites videlicet Præsidis [Ite, custodite sicut scitis] Quasi dicat. Sufficiat vobis quòd in mortem consensi innocentis: quæ restant, facite sicut vultis. *Ierem.* 51. Leuate signum, augete custodiam, præparate insidias: quia cogitauit Dominus, & fecit quæcumque locutus est [Illi autem abeuntes] accepta potestate [munierunt sepulchrum] *Iob* 19. Obsederunt in giro tabernaculum meum. *Eccl.* 11. Multæ sunt insidiæ dolosi. Et subdit modum munitionis duplicem [signantes] anulis suis [lapidem] suppositum [cum custodibus in circuitu positis. *Dan.* 6. Obsignauit Rex lapidem, qui positus erat super os laci anulo suo, & anulis optimatum suorum. *Gen.* 49. Acquiescens accubuisti vt leo: quis suscitauit eum? Sic igitur terminatur sepulchri custodia.

CAP. XXVIII.

Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati; venit Maria Magdalene, & altera Maria videre sepulchrum.

Sicut Christus mortuus est propter delicta nostra, vt nos à morte absolueret: ita resurrexit propter nostram iustificationem, & nos ad immortalitatem secum educeret, & vt sua Resurrectio nostræ resurrectionis causa esset: & agit in isto vltimo capitulo, ostendens eam tripliciter, scilicet, in testimonio creaturarum & testimonio custodum inimicorum suorum: quia non est suspectum testimonium veritatis ab hoste perhibitum. *Deut.* 32. Non enim est Deus noster vt dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. Hoc autem testimonium inducit *Ibi* [Qui cum abiissent: Ecce quidam de custodibus &c.] Tertiò autem astruit fidem Resurrectionis cum demonstratione potestatis, qua dat mandata prædicandæ veritatis *Ibi* [Vndecim autem Discipuli] Prima harum subdiuiditur in duas, in quarum prima astruitur Resurrectio per creaturas Christo resurgenti deseruientes: & in secunda testimonium hoc confirmatur per apparitionem Christi apertè factam *Ibi* [Maria Magdalene &c.] Circa testimonium Resurrectionis duo inducuntur, scilicet, ipsum testimonium & rei testificatæ mulieribus iniunctum præconium *Ibi* [Citò euntes nunciate Discipulis, &c.] Circa primum tria dicuntur, scilicet, temporis congrui circumstancia, aduentus personarum quibus testificatio est facta, & ipsa Resurrectionis testificatio.

De primo horum dicitur [Vespere autem sabbati] Vesperam scriptura computat pro nocte vnde *Gen.* 1. Factum est vespere & mane dies vnus. Et sic coniungit hic duos terminos noctis, in quorum primo lux recumbit: & in secundo oritur: dicens [quæ] transacta nocte [lucescit] in mane [in primam] feriam [sabbati] hoc est à sabbato; & non facit mentionem noctis, significans, vt dicit *Petrus beati Gregorij diaconus*, quia hæc nox est, quæ sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in delicijs meis. *Michæa* 7. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Significat autem Euangelista ex modo loquendi, quod sanctæ mulieres in nocte post sabbatum venire disponebant: per hoc quòd aromata empta præparauerunt, & in diluculo peruenerunt: vnde *Marc.* 16. Valde mane vna Sabbatorum, hoc est, prima Sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole. Et ideò dicitur *Luc* 24. quòd ibant diluculo ad monumentum. Cum enim *Marc.* dicat: orto iam sole, intelligit quando radij solares apparent in nubibus, non super terram: & hoc est, quando lucescit hora in mane diei sequentis. Hoc est, quod dicit *Psalm.* 29. Ad vesperam demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.

Venit Maria] Tangit aduentum personarum, quibus factum est testimonium [Magdalene] quæ ardentiùs cæteris amabat eum [& altera Maria] vna de tribus Marijs. *Ruth.* 3. Scit tota domus Israel mulierem te virtutis esse [videre sepulchrum] Per metonymiam, hoc est, sepultum [vt vngerent eum] sicut dicit alius Euangelista. Si quæritur de tempore Resurrectionis: diuersi diuersa sentiunt. *Greg.* dicere videtur, quòd media nocte surrexit: per illud *Iudic* 16. Samson fortissimus media nocte surrexit, & portas Gazæ tulit ad supercilium montis. *Prouer. vlt.* De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis & cibaria, hoc est, refectionem de gaudio Resurrectionis ancillis suis. *Augustinus* videtur dicere, quòd ante auroram parum, vt tenebras nostras in lucem se mutare designaret. *Genes.* 28. Mane surgens Iacob &c. Et ideò beatæ fuerunt mulieres, quæ mane vigilabant ad ipsum. *Psal.* De mane vigilabo ad te. *Prouer.* 8. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. *Isa.* 26. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.

Et ecce terræmotus factus est magnus.

Hîc dantur Resurrectionis testimonia. Primò quidem de profundo inferni, & secundò de excelso supra sicut dicitur *Isa.* 7. De profundo dicit euidentiam testimonij, cum dicit [Ecce] *Psalm.* 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Secundò tangit rem testantem [terræmotus] Et tertiò quantitatem, cùm subdit [factus est magnus] quia ab intimis terra concutitur, quia Christus victor ab inferis resurrexit. *Psalm.* 67. Terra mota est: etenim cæli distillauerunt à facie Dei, Sinai, à facie Dei Israël. *Psalm.* 75. Terra tremuit & quieuit, dum resurgeret in iudicio Deus. Et hoc est testimonium de inferno. Testimonium autem de excelso supra subdit, cum dicit.

Angelus enim Domini descendit de cælo: & accedens, reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimenta eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.

Et diuiditur in duo. Primò enim ponit descriptionem testificantis, & secundò certitudinem testimonij *Ibi* [Respondens autem Angelus] Descriptio autem Angeli ponitur hîc, ab officio, ab auctoritate, à loco, à virtutis opere, à forma aspectus, ab habitu, & à terrore. Ab officio, cùm dicit [Angelus] quod est idem, quod nuntius. *Psalm.* 103. Qui facit Angelos suos spiritus. *Isa.* 18. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam & dilaceratam, hoc est, ad Discipulos dispersos, & tristitia dilaceratos, & dubietate conuulsos [Domini] Ecce auctoritas: quia ministri sunt Christi Domini sui, & ab ipso habent legationis auctoritatem. *Sup.* 4. Accesserunt Angeli & ministrabant ei. *Dan.* 7. Millia millium assistebant ei, & decies millies centena millia ministrabant ei. [descendit] & condescendit hominibus [de cælo] vt hominibus operaretur. Et videtur contrarium, quod dicit *Ioan.* 20. Vbi dicuntur duo Angeli visi fuisse, vnus ad caput, vnus ad pedes. Sed dicendum, quòd in monumento visi sunt duo: sed monumentum referauit vnus, nec alterius indiguit auxilio: & fortè multi valdè circa monumentum erant, cum & ipse Dominus esset circa monumentum: & hoc significatum est *Gen.* 32. Vbi dicitur: Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanaim, hoc est, castra Dei [Et accedens] vt suo accessu fiduciam daret [reuoluit lapidem] in suæ virtutis demonstrationem contra custodes. Præcipuè quia mulieres dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valdè

[& sedebat super eum] Qui sicut dicitur *Lu.* 2. in Natiuitate pastoribus gaudia nuntians stabat: Vt ipso situ ostenderet, quod qui in natiuitate pugnaturus venerat: modò resurgens à mortuis quietè in dextera Dei consideret. *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens. *Isa.* 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta [Erat autem aspectus eius] Descriptio est ab aspectu [sicut fulgur] in quo aspectu terror est malorum. *Apoca.* 1. Oculi eius sicut flamma ignis. *Psalm.* 143. Fulgura coruscationes, & dissipabis eos [vestimenta eius candida sicut nix] In quo notatur blandimentum eorum qui cælestis sunt conuersationis, & vestimētū decoris Christi. *Isa.* 49. His omnibus velut ornamento vestieris, & circundabis tibi eos velut amictum. *Psalm.* 103. Amictus lumine sicut vestimento [Præ timore autem eius] Describit hic à terrore fulguris. Tantæ enim maiestatis apparuit, qui fecit Angelos suos spiritus & ministros suos flammam ignis, quòd in corde [exterriti sunt custodes] Et quia cor omnibus membris ministrat motum & vitam: ideò etiam in corpore facti sunt velut mortui] *Exod.* 33. Non videbit me homo & viuet. Et ex quo sic emarcuerunt custodes ad visum vnius: quid esset si duodecim legiones talium misisset? *Dan.* 9. Domine, in visione tua solutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium. *Sapien.* 5. Videns autem &c.

Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos.

Hic tangitur testimonium quod continetur in duobus: in confortatione videlicet contra timorem, & veritatis demonstratione contra dubietatem. Sed hoc præmittit Euangelista dicens [Respondens] Non ad verba, sed ad corda trepidantia [Angelus dixit mulieribus] exteriùs sonans per corpus assumptum. Et hoc dignum fuit: quia istæ fuerunt quæ luctabantur oratione & desiderio cum Angelo, non dimittentes eum nisi benediceret eis. *Gen.* 32. Non dimittam te nisi benedixeris mihi. *Oseæ* 12. Inualuit ad Angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit eum. Et est concordans tempus: quia lucta Iacob facta est in aurora, quæ auream horam præfigurabat Resurrectionis, quando iam radij gloriosæ felicitatis diffusi sunt in nube assumptæ carnis [Nolite timere vos] Discretionem notat pronomen. Q. d. Illi timeant, qui ad gloriam nostram non pertinent: vos autem quid timetis, quæ vestros conciues videtis? *Iudic.* 6. Pax tecum, ne timeas, non morieris. *Dan.* 10. Noli timere vir desideriorum, pax tecum, confortare & esto robustus.

Scio enim quòd IESVM, qui crucifixus est, quæritis: non est hic:

Hic ponitur veritatis assertio, quam asserit à tribus: à conscientiæ reuelatione, vt cætera meliùs credant: à præteritorum recordatione: à præsentium demonstratione. De reuelatione conscientiæ est [Scio enim, quòd IESVM, qui crucifixus est, quæritis] *Psalm.* 23. Hæc est generatio quærentium Dominum. *Sap.* 1. In simplicitate cordis quærite illum. Quod autem dicit [qui crucifixus est] Non dicit ad specificandum, sed ad dubium de cordibus earum expellendum: & subinfert ex hoc assertionem, dicens [non est hic] corporali præsentia: sicut enim dicit alius Euangelista *Luc.* 24. Quid quæritis viuentem cum mortuis?

Surrexit enim sicut dixit.

Ecce astruitur à memoria præteriti. Dixit enim *Sup.* 20. Et tertia die resurget & 26. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. *Sup.* 12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus &c.

Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.

Astruit hic à demonstratione præsentium, dicens [Venite] *Ioan.* 20. Inclinauit se Maria & prospexit in monumentum [& videte] considerate diligenter locum. Quia sicut dicitur *Lu.* 24. Corpus IESV non inuenerunt: sed linteamina, & sudarium quod fuerat super caput IESV seorsum positum inuolutum in vnum locum [vbi positus fuerat Dominus] Vnde dicitur *Ioan.* 20. quòd sublatum credidit, & dixit: Domine, si tulisti ipsum, dicito mihi vbi posuisti eum: & ego eum tollam.

Et citò euntes, dicite Discipulis eius Quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Ecce prædixi vobis.

Hic iniungit nuntiationem Resurrectionis, in qua sanctæ mulieres Apostolæ sunt Apostolorum: sicut enim in prima præuaricatione mors per Angelum malum venit ad fœminam, & per fœminam ad virum: ita nunc nuntia vitæ per Angelum veniunt ad fœminas, & per fœminas ad viros. Dicuntur autem hic duo: iniunctio nuntij boni, & confirmatio veritatis. Iniunctio autem nuntij optimi perficitur in velocitate nuntiantium, & determinatione eorum quibus fit nuntium, & quid nuntietur. De primo dicit [Citò euntes] & notat velocitatem, & velocitatis continuationem. De velocitate dicit [Cito] *Isa.* 40. Current, & non laborabunt: volabunt, & non deficient [citò] inquàm, gaudio vos agitante & incitante. *Psalm.* 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. *Psalm.* 147. Velociter currit sermo eius [euntes] continuò sine mora interposita. 4. *Reg.* 4. Dixit Sunamitis pergens ad Prophetam. Ne mihi facias moram in eundo [nuntiate] 4. *Reg.* 7. Dies hæc dies boni nuntij est: si tacere voluerimus vsque mane, sceleris arguemur. *Prouer.* 25. Aqua frigida animæ sitienti nuntium bonum de terra longinqua [Discipulis eius] tristitia detentis, & dubietate vacillantibus. *Iob* 4. Vacillantes quoque cōfirmauerunt sermones tui, & genua debilia roborasti [& Petro] ne desperet propter negationem. *Luc.* 22. Simon: Ecce sathanas expetiuit vos, vt cribrares sicut triticum; ego autem rogaui pro te, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

Quia surrexit] Tria sunt nuntianda: Resurrectio, præcessio in Galilæam, & læta visio. Resurrectio intentionem eleuat, præcessio dirigit, & visio illuminat intellectum. Vel Resurrectio eleuat cor, præcessio rectificat opus, & visio con-

consolatur peregrinationem incolatus [Quia surrexit] de cætero immortalis sursum à mortalitate se erexit. *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram [Et ecce] Q. d. In euidenti est statim. *Mich.* 2. Ascendit iter pandens ante eos. *Ioan.* 10. Proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit: & oues eum sequuntur [in Galilæam] Quæ transmigratio facta interpretatur, vt à vitiis ad virtutes, à miseriis ad gloriam, à dissimilitudinis exilio in imaginem Dei transmigremus. De primo *Ezech.* 12. Eris transmigrans ante eos. De secundo *Psalm.* 10. Transmigra in montem sicut auis: & est translatio *Hiero.* De tertio, 2. *Cor.* 3. Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu [Ibi eum videbitis] visione lætitiæ, quæ merces est beatorum. *Isa.* 33. Regem in decore suo videbunt. *Isa. vlt.* Videbitis, & gaudebit cor vestrum: & ossa vestra quasi herba germinabunt [Ecce prædixi vobis] Confirmatio est dictorum, quòd verum est, quia ego nuntius veritatis dico vobis. *Apoc.* 3. hæc dicit, Amen, testis fidelis. *Rom.* 9. Veritatem dico in Christo IESV, non mentior.

Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare Discipulis eius.

Hic incipit mandati Euangelici perfectio, & quia obedientia velox meretur remunerationem: ideò inter obediendum visione Dei sacræ mulieres remunerantur, & certificantur de nuntio, quod Angelus asseruerat. Dicit igitur in primo quatuor: omnis enim honestatis mulieres nominat, velocitatem commemorat, exitus de monumento, cursum charitatis: etiam dicit ad nuntiandum Discipulis & quibus passionibus afficiebantur, dum ista perficerent. Dicit igitur [Maria] Bene Maria amaritudine plena de hoc quòd desolata, quem anima quæsiuit, non inuenit. *Ruth.* 1. Vocate me Mara, hoc est, amaram: quia amaritudine me valde repleuit omnipotens [Magdalena] territa. *Prouer.* 17. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam confugit iustus & saluabitur. *Cant.* 7. Collum tuum sicut turris eburnea. Collum nexus est capitis & corporis: & significat gratiam, quæ nectit nos cum capite, Christo: ebur autem candens & infrigidans, refrigerium est, & munditia castitatis: turris autem fortitudinem & altitudinem & rectitudinem, fortitudo est in aduersis, altitudo in prudentiæ & sapientiæ contemplatione & circumspectione, sed rectitudo in operibus iustitiæ & recta intentione [& altera Maria] altera amaritudo de peccatis in pœnitentia *Ezech.* 3. Abij amarus in indignatione spiritus mei. Hæ duæ sunt myrrha vngentes Dominum: vna amara, quia non est præsens ad dilectum: altera amara, quia à dilecto per peccatum recesserat. *Cant.* 5. Manus meæ distillauerunt myrrham: & digiti mei pleni myrrha probatissima.

Exierunt citò de monumento] non inuento corpore, nec ipso IESV. *Eccl.* 22. In omnibus operibus tuis esto velox. *Prou.* 22. Vidisti hominem velocem in opere suo: coram regibus stabit. *Ezech.* 1. Quatuor animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Notat autem quòd de monumento, vbi non est IESVS, citò exeundum est imperantibus Angelis, hoc est, de religione, in qua non inuenitur Christus, sed tantum vestis: ibi enim periculum est remanere. *Lu.* 24. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Illa enim sunt monumenta, quæ dicuntur sepulchra concupiscentiæ, vbi non est studium nisi ventris. *Rom. vlt.* Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri. *Phil.* 3. Quorum Deus venter est. *Num.* 11. Vocauit nomen loci illius, sepulchra concupiscentiæ [cum timore & gaudio magno] Ecce quibus affectibus mouebantur in corde. Timore enim non mali quod non aderat, sed magni quod apparuerat: & ille est timor, in quo cor fugit in stupore & admiratione; & gaudium est diffusio quædam, & dilatatio animi in conceptu boni: vt dicere possint: Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Et illud: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore [currentes] *Ioan.* 20. Cucurrit Maria & venit ad Simonem Petrum. 1. *Cor.* 9. Sic curro, non quasi in incertum. *Act.* 2. Nihil horum vereor, dummodo perficiam cursum meum [nuntiare Discipulis eius] *Isa.* 12. Notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelsum est nomen eius. *Psalm.* 21. Annuntiabo nomen tuum fratribus meis. Hoc enim conceptum gaudium proferendum est ad ducem. *Psalm.* 65. Narrabo vobis, quanta fecit animæ meæ. *Apoca. vlt.* Qui audit, dicat: veni.

Et ecce IESVS occurrit illis, dicens: Auete.

Hic ponit apparitionem Domini certificantem verba Angeli, & dicit quatuor: benignam & plenam affectu salutationem, deuotam sanctarum mulierum & plenam charitate adorationem, Domini apparentis quam mulieribus fecit fiduciam & confortationem, & iteratam vt gaudium Discipulis nuntient iniunctionem. Dicit igitur Euangelista [Et ecce] euidenter. 1. *Reg.* 2. Nunquid non apertè reuelatus sum domui patris tui. [IESVS occurrit illis] *Isa.* 64. Occurristi lætanti & facienti iustitiam in viis tuis. *Isa.* 21. Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti [dicens: Auete] Aue beatæ Virgini datum purgauit à væ culpæ in natiuitate; sed modo purgare fecit à væ miseriæ in Resurrectione. *Eccl.* 22. Amicum salutare non confundaris. Iste est ramus virentis oliuæ, quem columba anima Christi reuertens ab inferis ad corpus, fractis claustris inferni, reportauit ad mundum *Gen.* 8. hoc est osculum oris sui *Cant.* 1. Osculetur me osculo oris sui signo pacis, propulsata miseria infernalis pœnalitatis.

Illæ autem accesserunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis IESVS: Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.

Hic tangit tria accessum charitatis, tentionem pedum imitationis, & adorationem fidelis confessionis & veritatis. Dicit igitur [Illæ autem

tem acceſſerunt] quia dilectio quærit coniunctionem. Cant. 1. Inter vbera mea commorabitur. *Pſalm.* 33. Accedite ad eum & illuminamini [& tenuerunt pedes eius] Vt & reuerentiam exhiberent, & loca clauorum deoſcularentur, vt veſtigia imitarentur. *Pſalm.* 139. Adorauimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius. 4 *Reg.* 4. Cum veniſſet illa Sunamitis ad virum Dei, apprehēdit pedes eius [& adorauerunt eum] confeſſione deitatis. *Iſa.* 49. Vultu in terra demiſſo adorabunt te. *Iſa.* 60. Adorabunt veſtigia pedum tuorum. *Sup.* 2. Procidentes adorauerunt eum.

Tunc ait illis: Nolite timere] Ecce confortatio. *Lu.* 12. Nolite timere puſillus grex: quia complacuit patri veſtro dare vobis regnum. *Iſa.* 7. Noli timere, & cor tuum ne formidet [Ite nuntiare] Iniunctio eſt officij [fratribus meis] cohæredibus gloriæ meæ. *Hebr.* 2. Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes: propterea non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te. *Gen.* 45. Ego ſum frater veſter, quem vendidiſtis in Ægypto. Et ſequitur: pro ſalute veſtra miſit me Dominus ante vos. Non enim ſpernere poteſt fratres, qui ſunt os de oſſibus ſuis, & caro de carne ſua [vt eant in Galilæam] Hic enim locus competit, eo quòd iam à mortalitate ad immortalitatis gloriam tranſmigrauerim. *Iſa.* 9. Trans Iordanem Galilææ gentium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Etiam eſt & alia cauſa: quia finem principio coniungere voluit: ibi enim prædicare incepit: & ideò ibidem lucem voluit Reſurrectionis clareſcere. *Apoc.* 1. Ego ſum alpha & omega, principium & finis. Ibi me videbunt viſu purgante triſtitiam, quæ ex compaſſione acciderat. *Ioan.* 16. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Iſtud autem non eſt ſic dictum, quod ante non viderint: quia ipſo die Reſurrectionis quinquies viſus eſt. Primo Mariæ Magdalenæ in ſpecie hortulani, quando dictum eſt ei: Noli me tangere *Ioan.* 20. Deinde eidem Mariæ Magdalenæ cum aliis mulieribus, cum irent nuntiare Diſcipulis gaudia Reſurrectionis, vt hic dictum eſt. Tertiò viſus eſt duobus Diſcipulis euntibus in caſtellum Emaus in ſpecie peregrini *Luc.* 24. Poſtea viſus eſt Petro: quod qualiter & vbi factum ſit, nullus narrat Euangeliſtarum, ſed quod factum ſit *Lucas* commemorat *Lu.* 24. Deinde redeuntibus illis duobus in Ieruſalem, & narrantibus quomodo cognouerunt eum in fractione panis: ſtetit iterum IESVS in medio eorum: quod item eſt *Luc.* 24. Et poſt dies octo iterum viſus eſt ab eis, quando Thomas erat cum eis. Et iterum ad mare Tiberiadis, quando ſtetit in litore *Ioan.* 21. Et iſtæ ſunt ſeptem apparitiones, omnes factæ antequā in Galilæa videretur: ſed omnes illæ non ſunt factæ niſi ad fidem Reſurrectionis confirmandam: ſed in Galilæa prædixit locum, vnde fides illa per totum mundum, & ordo Eccleſiaſticus per prædicationem Apoſtolorum deriuaretur. Hic igitur eſt ſenſus literæ.

Quæ cum abiiſſent, ecce quidam de cuſtodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.

Hîc tangitur teſtimonium Reſurrectionis factum ab inimicis: & ideò eſt minus ſuſpectum. Tanguntur autem duo, quorum primum eſt ſimplex teſtificatio veritatis: ſecundum autem aſtuta nequitia inducens veritatis corruptionem & falſitatis aſſertionem *Ibi* [Et congregati cum Senioribus &c.] Circa primum notandum eſt: quando, & qui, & vbi, & quibus, & quid nuntiauerunt. Quando [Quæ] mulieres [cum abiiſſent] quia durante viſione & allocutione Angeli iacebant immobiles quaſi mortui. *Iob* 25. Poteſtas & terror apud eum eſt. *Sap.* 5. Videntes autem turbabuntur timore horribili, & mirabuntur à ſubitatione inſperatæ ſalutis. *Amos* 3. Leo rugiet: quis non timebit? *Exod.* 15. Fiant immobiles quaſi lapis: donec tranſeat populus tuus Domine: donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti [Ecce quidam de cuſtodibus] Non omnes: quia quidam illorum territi ſunt compuncti, & fugerunt. *Nau.* 3. Cuſtodes tui ſicut locuſtæ: paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum, quæ conſident in ſepibus in die frigoris: exortus eſt ſol, & auolauerunt [Et venerunt in ciuitatem] De qua *Iſa.* 1. Iuſtitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ. *Nau.* 3. Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilaceratione plena [& nuntiauerunt] Indocta enim ſimplicitas fatetur veritatem [Principibus Sacerdotum] *Iſa.* 1. Principes tui infideles, ſocij furum [omnia, quæ facta fuerant] miracula & apparitiones & terrores, quæ viderant. 2. *Mach.* 3. Heliodorus omnibus nuntiabat, quam expertus fuerat magnificam Dei virtutem.

Et congregati cum Senioribus, conſilio accepto, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite quia Diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia fecerunt ſicut erant edocti. Et diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos, vſque in hodiernum diem.

Hîc tangitur veritatis corruptio: & dicuntur duo, videlicet, corruptio & corruptionis nocumentum *Ibi* [Et diuulgatum eſt verbum iſtud] Corruptio autem tangitur ex parte corrumpentium, & ex parte corruptorum *Ibi* [At illi accepta pecunia] Ex parte autem corrumpentium tanguntur quinque, quorum primum eſt ad corrumpendam veritatem concordia: ſecundum eſt ſtudium: tertium eſt auaritiæ, quæ excæcat oculos, inſtrumentum: quartum eſt perſuaſum mendacium: quintum eſt aſſecuratio impunitatis: & hæc patent per ordinem in litera. De primo dicit [Et congregati cum Senioribus] vt ſimul poſſent quod ſinguli non potuerunt. *Iſa.* 8. Congregamini & vincimini: quia nobiſcum Deus. *Pſalm.* 15. Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea. *Pſalm.* 105. Operuit terram ſuper congregationem Abiron [conſilio inito] Ecce

Ecce ſtudium. *Geneſ.* 49. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non ſit gloria mea. *Iſa.* 8. Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet [pecuniam copioſam dederunt militibus] Ecce auaritiæ inſtrumenta, per quam corrupta concupiſcibilis: & ideò inducta eſt cæcitas bonæ rationis. Dicitur autem [pecunia copioſa] quæ tanta eſt, quod ſupplens neceſſitates etiam refundi poteſt ad alios: & ſic cuſtodes, & cuſtodum amici ditati ſunt ab eis. 1. *Tim.* 6. Radix omnium malorum eſt cupiditas. *Eccl.* 10. Pecuniæ obediunt omnia. *Deut.* 16. Non accipias munera quæ excæcant oculos prudentium, & ſubuertunt verba iuſtorum [dicentes, dicite] Ecce perſuaſum falſitatis mendacium [quia Diſcipuli eius venerunt nocte] quaſi eſſent fures mortui & fœtidi corporis, vt ſeipſos deciperent, & in falſitate detinerent, ex qua nihil emolumenti conſequerentur niſi perſecutionem & expoliationem rerum ſuarum, & mortem turpem: vnde conſtat nihil habere probabilitatis [& furati ſunt eum nobis dormientibus] Si enim dormiuerunt, quomodo viderunt? & ſi non dormiuerunt, quomodo auferre Diſcipuli potuerunt? *Pſalm.* 26. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui: & mentita eſt iniquitas ſibi. *Iob* 13. Diſputare cum Deo cupio: priùs oſtendens vos fabricatores mendacij, & cultores peruerſorum dogmatum. *Ierem.* 9. Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium: vt inique agerent laborauerunt [Et ſi hoc] Ecce Promiſſio impunitatis: vt ſicut concupiſcibilis corrupta corrumpit rationem; ita iraſcibilis corrupta per ſpem ſecuritatis, in corruptione teneat corruptam rationem, & non redeat ad veritatem [auditum fuerit à Præſide] qui inuitus condemnauit eum: & ideò citius puniret teſtes falſitatis [ſuadebimus ei] non ratione, ſed pecunia: & ita ſecuros vos faciemus à pœna, non à culpa: *Ierem.* 16. Verè mendacium obſeruauerunt patres veſtri, vanitatem quæ eis non profuit. *Iob* 16. Suſcitatur falſiloquus contra faciem meam contradicens mihi.

At illi accepta pecunia] Corruptio eſt ex parte corruptorum. 1. *Tim.* 1. Homines corrupti mente circa fidem naufragauerunt. *Pſalm.* 11. Vana locuti ſunt, vniuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt [fecerunt] igitur [ſicut erant edocti] *Ioan.* 8. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax eſt, & pater eius. 3. *Reg. vlt.* Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.

Et diuulgatum eſt verbum hoc] hoc eſt, in commune vulgus deriuatum apud Iudæos mendacium diligentes. *Iſa.* 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus [vſque in hodiernum diem] Sic impletum eſt illud *Pſalm.* 11. Defecerunt veritates à filiis hominum. Vſque in hodiernum enim diem in mendacio illo perſeuerant. *Hierony.* hic dicit in glo. quod eadem auaritia, quæ captiuauit diſcipulum comitem Domini, decepit & milites cuſtodes ſepulchri. Et qui rebus Eccleſiæ abutuntur in aliis rebus, quibus ſuam expleant voluptatem, ſimiles ſunt Scribarum & Phariſæorum & Sacerdotum redimentium mendacium per ſanguinem Saluatoris. Hæc eſt *glo. Auguſt.* ſumpta de concordiis Euangeliſtarum valde bona, quæ ſex determinat circa literam quæſtiones: quarum prima eſt de tempore terræmotus, quando acciderit: ſecunda quando Magdalenæ apparuerit: tertia de numero mulierum quæ quandoque duæ, quandoque tres dicuntur: quarta de apparitione Angelorum, quia quandoque duo, quandoque vnus leguntur apparuiſſe: quinta de Angelorum poſitione, quia quandoque ſtantes, quandoque ſedentes leguntur: ſexta de Angelorum allocutione. hæc *glo.* Incipit ſic *Auguſt.* prima ſabbati diluculo &c. & non eſt neceſſe quod verba *gloſſæ* ponamus: quia quilibet per ſeipſum relegere poterit.

Vndecim autem Diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis IESVS. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt. Et accedens IESVS locutus eſt eis dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.

Hîc incipit pars illa, quæ eſt de argumento veræ Reſurrectionis: facta ad hoc, quod fides indubitata per mundum ad ipſis teſtibus prædicetur. Habet autem quatuor paragraphos, in quorum primo fides aſtruitur Reſurrectionis, vt teſtes eius in veritate confirmentur: ſecundus demonſtrationem habet poteſtatis, vt ordo Eccleſiaſticus ab ipſo per gradus inſtituatur *Ibi* [Data eſt mihi omnis poteſtas &c.] Tertius ſub hac poteſtate continet collatam miniſtris poteſtatem docendi, ſacramenta diſpenſandi, & ordinem vitæ ſecundum diuina mandata determinandi *Ibid.* [Euntes autem docete [Quartus & vltimus continet indeficientiam fomeis in gratia, & poteſtate ſemper in Eccleſia manendi *Ibi* [Et ecce vobiſcum ſum &c.] In primo autem dicuntur tria, locus, viſus, & per confortationem tremor dubitationis ablatus. In loco duo ſunt: communis & proprius.

Dicit igitur [Vndecim Diſcipuli] qui principales erant, qui & Apoſtoli nominati ſunt *Sup.* 10. Cum quibus tamen multi alij pergebant credentes vt beata viſione fruerentur. 1. *Cor.* 15. Viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim: deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt [abierunt] à Ieruſalem [in Galilæam] Cauſa quidem eſt: quia Galilæa à gentibus in parte, & in parte à Iudæis habitabatur: & prædicatio à Iudæis debuit ad gentes tranſire. *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; ſed quia repellitis illud, indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Et hoc dixerat ſanctus Simeon *Luc.* 2. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ [in montem] Thabor vbi etiam transfiguratus eſt, vt patet *Sup.* 17. [vbi conſtituerat illis IESVS] *Sup.* 26. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Conſtituit etiam per ſermonem angelicum & proprium. *Iſa.* 2. Domus Iacob venite & ambulemus in lumine Dei noſtri. *Pſal.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis: turbati ſunt omnes [illegible] corde. [illegible] eſt mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. *Iſa.* 40. Super montem excelſum aſcende tu qui Euangelizas Sion [Et videntes] Ecce viſus qui

qui coniungitur deuotionis adorationi. Dicit igitur [Et videntes eum] corporeo intuitu in argumentum veræ Resurrectionis. *Gen.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *Luc.* 24. Palpate, & videte quia ego ipse sum [& adorauerunt] verum Deum & viuentem ex mortuis confitentes. *Exod.* 3 Adorauerunt proni in terram. *Psalm.* 65. Omnis terra adoret te Deus [Quidam autem] ex Apostolis adhuc [dubitauerunt] Dubitatio est tremor rationis, quo interminatè mouetur ad vtramque partem contradictionis : & hoc aliquando contingit ex stupore admirationis; aliquando ex magnitudine signorum ad vnam partem, & veritate trahente ad aliam ; & aliquando contingit ex pietate affectus, quæ ita detinet rationem ad vnū quòd eruere se non potest ad speculandum alterum : & ideo distinguitur multiplex dubitatio. Est enim dubitatio tarditatis, sicut fuit Thomæ & multorum Discipulorum *Luc.* 24. O stulti & tardi corde ad credendum. Est etiam dubitatio admirationis, vt hic & *Luc.* 24. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio. Est etiam dubitatio ratiocinationis *Joan.* 1. A Nazareth potest aliquid boni esse ? *Luc.* 1. Quomodo fiet istud ? Est etiam dubitatio erroris *Ioan.* 10. Quousque animas nostras tollis ? Si tu es Christus, dic nobis palam. Est etiam dubitatio pietatis *Sup.* 11. Tu es qui venturus es, an alium expectamus ? Quidam igitur hic dubitauerunt ex admiratione stupefacti. *Gen.* 27. Vltra, quàm credi potest admirans ait : Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit ad me ? *Isa.* 60. Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.

Et accedens] vt suo accessu ausum daret Discipulis : quia sicut dicitur *Gen.* 45. Cum diceret Ioseph : Ego sum Ioseph, non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti : ad quos ille clementer. Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope : Ego sum, ait, Ioseph frater vester [locutus est eis, dicens] multa pertinentia ad illuminationem dubitationis : Vnde *Marc. vlt.* Apparuit illis Iesvs & exprobrauit incredulitatem & duritiam cordis : quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt [Data est mihi omnis potestas] Et quare non dicit : omnis sapientia, vel bonitas ? Dicendum, quòd sapientia nota fuit eis, eo quod sciuerunt, sicut dicitur *Luc. vlt.* quòd fuit vir propheta potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo. Bonitas etiam nota fuit, eo quòd animam voluntarius posuit, & corporis & sanguinis communicationem dedit : Sed potentia in infirmitate multa, depressa videbatur : & ideò illam ostendit. Et tunc quæritur : Qualiter illam nunc datam sibi dicit, cum omnipotentiam ab æterno habuerit ? Si dicatur, quod dicit sibi datam secundum humanitatem : Non est solutio, quia illa etiam data sibi fuit ab instanti suæ conceptionis. Responsio, quia dicitur data, quando innotescit secundum *August.* *Phi.* 2. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen : vt in nomine Iesv omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum [in cælo & in terra] Quare non in inferno ? Responsio. Notum erat hoc per Resurrectionem : quia nisi potestatem super inferna habuisset, victor ab inferis non resurrexisset. *Eccles.* 18. Omne quodcunque voluerit faciet, & sermo eius potestate plenus. *Psalm.* 113. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra, & in mari, & in omnibus abyssis. *Supr.* 6. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Vel possumus dicere quod dicit [Data est mihi omnis potestas] & non potentia : quia potestas nomen est ciuile, & dicit potentiam stantem ad iuris ordinem : & ideo ordinaturus Ecclesiam facit mentionem de plenitudine potestatis, dicturus Petro de pastura ouium, sicut dicitur *Ioann. vlt.* Et commissurus Discipulis dispensationem doctrinæ & sacramentorum. *Rom.* 13. Non est potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et tunc planum est quare dicit [in cælo & in terra] In quibus operatur potestas clauium, quibus licet non præualeant portæ inferi : tamen non sunt claues inferni, sicut docuimus *Supra* 16.

Attende autem, quod propter apparitiones septem, quas suprà notauimus, *Aug. hic in glo.* ponit tres esse factas : octaua autem est, quæ narratur hic facta in monte Galilææ : & nona est, quando recumbentibus vndecim Discipulis apparuit *Marc. vlt.* Et est similis isti : sed non eadem, nec eadem die facta : quia etiam Discipuli non ita cito reuersi sunt de Galilæa. Decima autem fuit, quando eos eduxit extra Ierusalem in Bethaniam, & à monte Oliueti ascendit coram eis, sicut dicitur *Luc. vlt.* Et *Act.* 1.

Attende, quòd apparuit Discipulis plorantibus, vt Petro & Mariæ Magdalenæ *Joan.* 20. per quod intelliguntur pœnitentes, quibus apparet per gratiam. Apparet etiam piscantibus *Ioan. vlt.* per quod intelliguntur prædicantes. Apparet etiam currentibus cum timore & gaudio. *Sup. eod. cap.* per quod intelliguntur bene in charitatis feruore operantes. Apparuit & de se conferentibus in via *Luc. vlt.* per quod intelliguntur legentes scripturam. Et hæc omnia sunt de perfectione actiuæ vitæ. Apparet etiam vacantibus sine feriantibus otio sacro *Ioan.* 20. Cum sero esset, & fores essent clausæ : per quod intelligitur otium contemplationis. Apparuit etiam in Galilæam ascendentibus, vt hic : per quod intelligitur ascensus de virtute in virtutem. Apparuit etiam in monte *Marc. vlt.* per quod intelligitur exaltatio intellectus, & excessus in lumine. Apparet etiam cælum intuentibus, quod significat raptum cum Paulo in tertium cælum, hoc est, per considerationem Creationis, Redemptionis, & æternæ beatitudinis : quorum primum est in Christi natiuitate, secundum in Passione, & tertium in Resurrectione & Ascensione.

Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti : docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.

Commemorata potestate hic transfundit eam in personas Ecclesiasticas secundum ordines tres: prædicandæ fidei, dispensationis Sacramentorum, & ordinandæ vitæ : & hæc tangit per ordinem. De primo dicit [docete omnes gentes] Doctri-

na

na propriè rationi subiectorum est, sicut *Supra* capite [illegible] & hic impropriè sumitur : & ideo expressius dicitur *Mar. vlt.* Prædicate Euangelium omni creaturæ. Prædicare enim pertinet ad ea quæ sunt supra naturam, quæ noster intellectus non capit nisi per fidem. *Isa.* 6. secundum aliam translationem. Nisi credideritis, non intelligetis. Per hoc autem quod dicit [Euntes] notat instantiam. 2. *Tim.* 4. Prædica verbum : insta opportunè, importunè. Vnde *suprà* 20. Ite & vos in vineam meam. *Psalm.* 125. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. Quod autem dicit [omnes gentes] sine personarum acceptione, generaliter notat esse prædicandum. *Sap.* 6. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. *Iac.* 2. Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesv-Christi gloriæ. *Isa.* 49. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. Et attende quod iam dilatat Euangelium : vt totum capiat mundum, qui *Sup.* 10. dixerat. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.

Baptizantes eos] Hoc solum tangit Sacramentum : quia hoc est ianua Sacramentorum & dat esse spirituale, per hoc quod est generatio spiritualis, & est ad salutem necessarium & iusto & iniusto vbi Sacramentum non excludit necessitas : ibi enim Baptismus flaminis vel sanguinis vicem supplent Sacramenti. *Ioan.* 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. 4. *Reg.* 5. Vade & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua atque mundaberis. 1. *Corinth.* 10. Omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. De Baptismo [illegible] *Supra* 3. [In nomine] non in nominibus : quia vna est essentia trium quæ operatur in Baptismo. *Num.* 6. Inuocabunt nomen meum super eos : ego autem benedicam eis : & ideo [illegible] baptizantis : quia solus Deus [illegible] Sacramentis. *Ioan.* 1. Supra quem [illegible] descendentem & manentem super eum [illegible] qui baptizat [Patris, & Filij, & Spiritus sancti] ad fidei distinctionem : ideo [illegible] mi in Baptismo : & ideo hanc formam nulli licet mutare. *Ierem.* 14. Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos : ne derelinquas nos. 1. *Ioan.* 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo : Pater, Verbum, & Spiritus sanctus : & hi tres vnum sunt.

Docentes eos seruare] per memoriam & opus. Et hoc est tertium, quod est doctrina mandatorum : quod est secundum [illegible] quæ rationi consentaneæ sunt : vnde *Philosoph.* Innati sumus eas suscipere ; perficere autem est ab assuetudine. Et hæc sunt doctrinalia vasa, sicut dicit *Chrysostom.* Vnde *Iac.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. *Deuteron.* 30. Non longè est verbum à corde tuo. *Roman.* 10. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est Verbum fidei quod prædicamus [omnia] generaliter : quia dicitur *Iac.* 2. Qui offendit in vno, factus est omnium reus. [quæcunque mandaui vobis] *Psalm.* 118. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Hic igitur est congruus ordo : vt potestas detur per gratiam, intellectus purificetur per fidei doctrinam. *Actor.* 15. fide purificans corda eorum. Et peccatum emundetur per regenerationis Sacramentum. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et demum vita perficiatur per mandatorum obedientiam. *Ioan.* 14. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit : & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. de qua mansione subdit.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.

Et tangit quinque : potestatis videlicet diuinæ demonstrationem, & eiusdem verum & primum auctorem, & eiusdem in ministros transfusionem, & eiusdem per ministros successionem, & eiusdem vsque in finem seculi durationem. Demonstrationem notat, cum dicit [Ecce] vnde *Mar. vlt.* dicit. Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Signum enim fit in demonstrationem potestatis. Auctoritatem notat, cum dicit [Ego] *Ioan.* 15. Sine me nihil potestis facere. *Isa.* 26. Omnia opera nostra operatus es Domine in nobis. 2. *Corinth.* 13. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus ? Transfusionem potestatis notat per hoc quod dicit [vobiscum sum] *Isa.* 7. Et vocabitur nomen eius Emanuel, hoc est, nobiscum Deus. *Supra* 10. Qui vos audit, me audit : & qui vos spernit, me spernit. Est tamen Deus [illegible] nobiscum : est enim nobiscum [illegible] *Iob* 29. Quis mihi det vt sim [illegible] pristinos, quando secretò Deus erat [illegible] in tabernaculo meo ? Est etiam nobiscum [illegible] *Sapient.* 9. Vt mecum sit & mecum laboret. Est item nobiscum orantibus. *Supra* 18. Vbicunque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Est etiam nobiscum loquentibus vel prædicantibus. *Ierem.* 1. Ne timeas, quia ego tecum sum. Est item nobiscum fructus [illegible]ibus. *Ruth* 2. Dominus vobiscum. Et *Iudic.* 6. Gedeoni excutienti frumentum in area dicitur : Dominus tecum virorum fortissime. Et per istam comportationem intelliguntur studentes, grana veritatis colligentes. Est item nobiscum patientibus. *Psalm.* 90. Cum ipso sum in tribulatione. *Psalm.* 22. Non timebo mala, quoniam tu mecum es. Est etiam nobiscum pugnantibus. 2. *Paralipom.* 20. O Iuda & Ierusalem nolite timere, neque paueatis eos : cras egrediemini contra eos : & Dominus erit vobiscum. Est etiam nobiscum peregrinantibus. *Genes.* 28. Si Dominus Deus mecum fuerit in via ista qua ego ambulo, & dederit mihi panem ad edendum & vestimentum [illegible] operiar : erit mihi Dominus in Deum. 2. *Paralipom.* 15. Dominus vobiscum, eo quod fuistis cum eo. Est etiam nobiscum triumphantibus. *Iudith* 13. Aperite portas quoniam nobiscum Deus, qui fecit virtutem magnam in Israel. Hic autem intelligitur [vobiscum sum]

In

In operatione Ecclesiasticæ potestatis. *Ioan.* 17. Tu in me, & ego in eis; vt sint in vnum consummati [omnibus diebus]. Per hoc notatur successio huius Ecclesiasticæ: *Psalm.* 118. Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. *Psalm.* 44. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram [vsque ad consummationem seculi] Per hoc notatur duratio. Tunc enim nobiscum regnabit in secula. *Sapient.* 19. In omnibus magnificasti populum tuum & honorasti in omni tempore: in omni loco assistens eis. *Ezech. vlt.* Nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem. *Isai.* 62. Non vocaberis vltra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur. Hic enim Christus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

FINIS.

INDEX

INDEX

RERVM, ET VERBORVM NOTABILIVM, quæ in Commentariis in Matthæum continentur.

Litera a, *designat primam columnam*, b, *secundam.*

A

ABBREVIATVM verbum quomodo fecit Dominus super terram. 14.b
Ablutio corporis ex se nihil penitus confert ad munditiã mentis. 297.a
Abnegare seipsum quomodo oporteat qui vult venire ad Christum. 310.b
Abscondita quæ sint à sapientibus. 241.a
Absoluit Deus, absoluit Sacerdos, sed longè diuersa ratione, quæ sit, 308.b
Abstinere à quibus debeant ieiunantes. ibid.
Ex abundantia cordis quomodo loquatur homo. 258.b
Accessit diabolus Christum tentaturus aliter quam nos. 54.b
Accidentia quare maneant in sacramento Eucharistiæ. 411.a
Accidentia non afficiunt corpus Christi, sed circunstant ipsum. ibid.
vt Acciperet coniugem quomodo admonetur Ioseph ab Angelo cum non dimisisset eam. 19.b
Aciem militum quomodo nobis comparamus participando perfectionibus Angelorum. 132.a
Acus foramen dicebantur portulæ in muro Ierusalem. Vide in Luc.c.18. 331.a
Adam si in similitudine Dei incorruptus perstitisset, ad similitudinem illam omnes genuisset. in prologo.
Adam nomen veri patris amisit, & nomen corruptoris obtinuit. ibid.
Adam in monte Caluariæ sepultum, auctor non approbat. 431.a
Adimpleri & impleri quomodo differunt. 34.b
Adiutorium triplex contra tres infirmitates. 149.a
Admiratio quid sit. 283.a
Admiratio est initium omnis inquisitionis veritatis. ibid.b
Admiratio quomodo fuerit in Christo, 189.b
Admiratio ducit ad fidem. 199.b
Admonitus quare dicitur Ioseph in somnis. 37.b
Adoptiui filij in vero filio adoptantur. 306.a
Adueniat regnum tuum, quare dicitur, non autem, Veniamus ad regnum. 133.a
Quomodo aduenit regnum Dei. ibid.
Aduentum primum Domini in Galilæam tres Euangelistæ omittunt, solus Ioannes qui vltimo scripsit, commemorat. 59.b
Aduentus Antichristi duo signa sunt. 380.b
Adultera mulier quatuor peccata cõmittit. 100.a
Adultera quando dimittenda. 329.a
Adulterium quare appellatur fornicatio. 99.a
Ætates hominum significantur per horas quibus paterfamilias conduxit operarios. 334.a.& b
Affectum carnalem non esse præponendum operi spirituali. 263.b
Affectus malos nõ sẽper immittit diabolus. 296.b
Affligent calor & frigus in inferno, non in ratione qualitatum elementalium. 191.b
Agar quomodo interpretatur, & quid significat. in prologo.
Agens negotia eorum quibus tenetur, licet illicitè acquisita accipiat, potest ab eis accipere victum in stipendium necessitatis. 206.b
Ager est mundus. 276.b
Ager cordis notat optimam exercitationem per disciplinam. 274.a
Ager est cor humanum. 277.b
Ager dicitur mundus, Ecclesia, &c. 387.a
Ager figuli cur sic dictus. 426.b
Ager ille cur fuerit in sepulturam peregrinorum deputatus. ibid.
Agri fundus quomodo debeat esse dispositus. 267.a
Agilitatis visum non assumpsit Dominus quando ambulauit super mare. 290.b
Agricolæ indispositi ad virtutem. 351.a
Agricultura præcipuum est in quo laborat humana necessitas. 356.a
Alleluia, quæ pars. 84.b
Altare allegoricè dicitur fides, moraliter cor humanum. 91.b
Altaria quare deteguntur in die cœnæ. 410.a
Altus status non sanctificat. 216.b
Ambitio coniuncta gulæ, superbiæ, fauori populari, & laudi. 367.a
Ambitio quid sit. ibid.
Ambulo vnde dicatur. 262.a
Ambulatio IESV super mare quale fuerit miraculum. 290.a
Amen quæ pars, & cuius linguæ vocabulum. 34.a
Amen quare subiungitur orationi Dominicæ. 149.a
Amicitiæ quam Dominus prædicit, multiplex gradus. 229.b
Amor duplex: amicitiæ, & concupiscentiæ. 208.a
Amor, dilectio, & charitas quomodo differunt. ibid.& 362.b
Amor Christi præponendus amori suiipsius. 230.a
Anathoth interpretatur sub obedientia. 277.b
Ancilla vnde dicatur. 12.b
Andreas interpretatur fortis vel virilis. 63.a
Andreas & Petrus ter vocati sunt à Domino, ib.b
Angaria quid sit, & quomodo differat à perangaria. 430.b
Angaria est coactio ad opera seruilia. 106.b
Angelis suis mandauit de te, his verbis tria dicuntur. 57.b
Cum Angelis ambulant qui eorum dona participant. 132.a
Angelos Christus ad custodiam non habuit. 57.a
Angelum custodem deputatum habet quælibet anima. 221.a

Angelum vnum descendisse de cœlo qui reuoluit lapidem, dicit Matthæus: Ioannes vero ait duos visos fuisse in monumento, quomodo conciliantur. 437.b
Angelus idem quod nuntius. ibid.
Angelus Domini verax Satanæ, mendax. 17.a
Angelus quare non instruxit Ioseph antequam veniret in agopiam dubij. 20.b
Angelus quare dixit Ioseph, *Accipe puerum*, non autem tuum. 32.b
Angustia duplex: bona, & mala. 297.b
Anima iusti est sedes sapientiæ. 105.a
Anima dicitur ab animalitate, & ab animeitate. 157.b
Animam quomodo perdere debeamus, vt eam saluemus. 311.a
Animarum magna dignitas, Angelorum habere custodiam. 59.a, & 321.a
Animal monstruosum quare dicitur porcus. 202.a
Animales & terreni qui dicantur. 244.a
Animus quomodo est perfectus, & ordinator totius vitæ. 68.a
Anna ex tribus viris peperit tres Marias. 216.b
Annis septem permansit IESVS in Ægypto. 34.b
Antichristi aduentus duo signa. 380. a, & 382.a
Antichristi persecutio durabit tribus annis cum dimidio. 380.a
Antichristi tempore tribulatio magna erit propter tria. ibid.
Antichristus significatur per bestiam. ibid.b
Antichristus maximè regnabit in Iudæa. 379.a
Antichristus quare habebit aliquos sequaces eremiticè viuentes. 381.b
Anteiucanum noctis quid sit. 290.a
Antidota salutis tria, contra tres operationes dæmonum. 254.b
Antiquum quid dicatur. 88.b
Apex & iota quomodo differant, & quid significent. 85.b
Apostoli congruè duodecim. 215.b
Apostoli qui fuerint fratres, versu exprimitur. 216.a
Apostoli quomodo putauerunt Christum ambulantem super mare phantasma esse. 290.b
Apostoli quomodo fuerunt increduli. 316.a
Apostoli cur ante Resurrectionem iussi sunt solis Iudæis prædicare, & non Gentibus, triplex assignatur causa. 217.a
Apostolorum vocationes figuratæ sunt. 63. b. & seq.
Apostolus primus dignitate, non vocatione, Simon Petrus. 216.a
Apostolorum licet Petrus sit primus, tamen Andreas non dicitur secundus, nec Philippus tertius, &c. quare. ibid.
Apostolorum duodecim figuræ quantum ad ea quæ eis conuenium. 215.b
Apostolorum missiò significata est in Ioseph missione ad fratres. 222.a
Apostolorum pascitur ib cibo. 287.b
Apostolos non habuisse fidem quia montes non eradicauerint, arguitur. 346.a
Apostolæ Apostolorum factæ sunt mulieres. 438.b
Apostolicæ vitæ austeritas. 246.b
Apparere debuisse Dominum per seipsum Ioseph, & Angelum arguitur. 16.b
Apparere propriè quæ dicantur. 17.b
Apparitio in somnis multiplex. 18.a.& b
Apparitio facta Ioseph in somnis qualis fuerit. ibid.
Apparere Discipulis quare voluit IESVS post Resurrectionem. 440.a
Apparuit IESVS quinquies ipso die Resurrectionis. ibid.
Apparuit multiplici generi hominum. ibid.
Apparitio facta pastoribus de puero nato quare prætermittitur à Matthæo. 23.a
Apparitiones septem factæ sunt Christi post Resurrectionem antequam in Galilæa videretur. 440.a
Appetitus nimius munditiæ corporis inducit sordes mentis. 297.a
Appetitum principatus interdicit Dominus, & suadet actum humilitatis & vilitatis. 367. a, & b
Aquæ quomodo habeant vim regeneratiuam ex contactu Christi. 47.b
Arbor duplici causa exciditur. 45.a
Arbor bona dicitur delectabilis, & salutaris, & vtilis in fructu. 178.a
Arbor quædam mala, quædam inutilis. ibid.
Arbor bona quomodo non possit malos fructus facere, & bona malos facere. ibid.b
Arbor quæ bona, & quæ mala. 258.a
Arbor, frutex, herba, olus, & germen differunt etiam in eadem specie plantæ. 274.a
Arbori comparat Ioannes Baptista condemnandos. 45.a
Arboris præcisio est præcisio ab Ecclesia. 178.b
Area est Ecclesia. 46.b
Arena vocatur congeries peccantium. 182.b
Arguitur contra titulum Matthæi. 1.a
Arguitur contra vltimam quaterdenam genealogiæ Christi. 8.a
Arguitur contra hoc quod dicitur, *Nathan genuit Iacob.* 9.a
Arguitur contra genealogiam Christi ex hoc quod Ioseph non fuit eius pater. ibid.
Arguitur contra hoc quod dicitur, *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens.* 18.b
Arguitur Ioseph non fuisse iustum. 19.b
Arguitur Dominum per se debuisse apparere Ioseph, non autem Angelum. 16.b
Arguitur contra hoc quod dicitur, Bethlehem nequaquam minima. 28.b
Arguuntur Sacerdotes & Scribæ de tribus. 29 a
Arguitur Magos non intrasse domum. 30.b
Arguitur cum dicitur Ioseph mansisse in Ægypto, hoc non conuenire cum superioribus. 34.b
Arguitur contra hoc quod dicitur, *Rachel plorans filios suos.* 36.b
Arguitur Ioannem non baptizasse igni. 46.a
Arguitur Ioannem non debuisse recusare baptizare Christum. 47.b
Arguitur contra id quod dicitur, *Vt tentaretur à diabolo.* 51.b

Arguitur

Arguitur contra id quod dicitur, nos non debere facere nobis occasiones tentationis. 52.a
Arguitur neminem tentari à Deo. 53.b
Arguitur contra id quod dicit Matthæus, *Vocauit duos fratres Petrum & Andream.* 63.b
Arguitur filios Zebedæi non debuisse relinquere patrem. 64.b
Arguitur non fuisse sermonem Christi factum in monte. 67.a
Arguitur qui persecutionem patitur non esse beatum. 76.b
Arguitur contra hoc quod dicitur, Non veni soluere legem aut Prophetas. 82.b
Arguitur contra hoc dicit Christus se venisse adimplere legem, & non addit Prophetas. ibid.
Arguitur contra id quod dicitur, *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* 90.a
Arguitur Christum inconuenientes dixisse, non esse resistendum malo. 104.b
Arguitur ex hoc quod Christus non præbuerit maxillam alteram percutienti. 105.a
Arguitur eleemosynam semper esse dandam, 113.a
Arguitur Christum posse dici filium nostrum. 120.b
Arguitur debere dici, Pater mi, vel meus, non autem, *Pater noster.* 123.a
Arguitur hanc petitionem, *Panem nostrum quotidianum*, &c. non esse sufficientem. 138.b
Arguitur petendum esse panem annuum, vel mensuum, non autem quotidianum. 141.a
Arguitur Deum neminem inducere in tentationem. 144.b
Arguitur debere dici, Ne nos permittas in tentationem, non autem, *Ne nos inducas in tentationem.* 145.a
Arguitur pluribus mediis contra hanc petitionem, *Sed libera nos à malo.* 147.a
Arguitur Patrem cœlestem non dimittere nobis propter hoc quod proximo dimittamus 150 a
Arguitur contra hoc quod dicitur, *Nemo potest duobus dominis seruire.* 156.a
Arguitur diabolum posse esse Dominum hominis. 157.a
Arguitur solicitudinem non interdici. ibid.
Arguitur Deum non prouidere homini de necessariis. 160.b
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Nolite iudicare & non iudicabimini.* 164.a
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Attendite à falsis Prophetis.* 175.b
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Non potest arbor bona malos fructus facere.* 178.b
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Nunquam noui vos.* 180.b
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Discedite à me*, &c. 181.a
Arguitur contra id quod dicit turbas admiratas fuisse. 183.b
Arguitur non fuisse conueniens Christum tangere leprosum. 185.b
Arguitur leprosum curatum non paruisse præcepto, ep quod cœpit diffamare & prædicare. 186.b
Arguitur male dici, quod centurio accessit ad IESVM. 188.a
Arguitur, quod Dominus dixit se venturum ad seruum Centurionis, & non venit. ibid.b
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Audiens IESVS miratus est.* 189.b
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Non inueni tantam fidem in Israël.* 190.a
Arguitur contra id quod dicit fletum in inferno. 191.a
Arguitur in inferno non esse calorem nec frigus, ibid.b
Arguitur contra ordinem illorum miraculorum. 192.a
Arguitur neminem posse esse obsessum à diabolo. 193.b
Arguitur, quod Dominus fecisset ista miracula absens. 200.a
Arguitur contra hoc, quod dicit duos dæmoniacos occurrisse Domino. ibid.
Arguitur contra hoc quod dicitur, quòd Capharnaum fuerit ciuitas Christi. 203.a
Arguitur contra hoc quod dicitur: *Non veni vocare iustos*, &c. 207.a
Arguitur contra ordinem miraculorum, & soluitur. 209.a
Arguitur quod malè dicatur: *Filia mea defuncta est.* ibid.b
Arguitur cæcos illuminatos fecisse contra inhibitionem. 212.b
Arguitur contra hoc quod dicit: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum.* 221.b
Arguitur contra hoc quod dicit de cura Dei de passeribus. 228.b
Arguitur de hoc quod dicit: *Capilli capitis vestri numerati sunt.* 229.a
Arguitur contra hoc quod dicit granum sinapis minimum. 274.a
Arguitur contra hoc quod dicit: *Nolite arbitrari, quod veni pacem mittere in terram.* 229.b
Arguitur Ioannem non esse Prophetam. 235.a
Arguitur Ioannem male nominati Elisam. 236.b
Arguitur sabbatum non violari per opera templi. 248.b
Arguitur, Iudæos non dixisse Christum filium Dauid. 281.b
Arguitur, peccata semel dimissa redire post lapsum. 327.a
Arguitur Apostolos non habuisse fidem, quia montes non eradicauerunt. 346.a
Arguunt quidam Dominum tanquam physicæ disputationis ignarum. 296.a
Argumentum ab authoritate in Euangelio est infallibile. in prologo.
Argumenta ponuntur per ordinem de hoc, quod Ioseph ponitur in genealogia Christi, cum tamen non sit pater eius. 9.a
Aridam manum habens & curatus à Domino, cæmentarius fuit. 250.a
Ariolus, incantator, magus, mathematicus, &c. differunt. 24.a
Aristocratia quæ sit potestas, & vnde dicatur. 130.b
Aristocratiam spiritualem quomodo habemus. 132.a
Arma exercere torneamentis & cursibus equorum, & telis, erat officium militum. 132.a
Arma quibus roboratur regnum spirituale. ibid.b

Arma ista sunt solertiæ & audaciæ obuiandi tentamentis diaboli. ibid.
Arundo non fuit Ioannes. 234.a
Arundinis proprietates. ibid.
Arundo quassata fuit cor Iudæorum. 253.b
Ascendit Christus in montem, docens nos ascendere per verbum suum. 66.b
Ascensionibus suis Christus nostras ascensiones disposuit. 197.b
Ascendere nos fecit Christus via Passionis suæ de virtute in virtutem. 334.b
Aser beatus interpretatur. 23.b
Asina alligata cum pullo quid significet. 340.a
Asinæ laœuales phthisicis, quare. ibid.b
Asini proprietates quæ sint. ibid.
Asini plus valent in petrosis quàm equi. ibid.
Asinæ pullus quomodo dicitur fuisse cum ea: cum tamen Marci 11. dicatur stetisse ante ianuam. ibid.
Asinam & pullum quare iussit adduci: cum tamen non sedit super vtrumque. 341.a
Assumpsit diabolus Christum in sanctam ciuitatem: vide an portando, vel ducendo. 56.b
Attendendum quomodo sit à falsis Prophetis. 176.b
Auarus quare ieiunet. 151.b
Auaris maledicit Christus. 370.a
Audire non potest Pater cœlestis, contra quem clamet alius. 149.b
Audiens IESVS centurionem quomodo miratus est. 189.b
Augustini glossa de Resurrectione & apparitionibus commendatur. 440.c
Auris triplex notatur. 181.a
Aurum obtulerunt Magi in signum regalis dignitatis. 31.a
Aurum possidere interdicitur Doctoribus Christianæ religionis: non tamen vsus. 218.b
Aruspex, incantator, ariolus, magus, mathematicus differunt. 24.a
Austeritas vitæ Apostolicæ. 246.b
Authoritatem Euangelicæ veritatis omnibus humanis esse anteponendã determinatur. 293.a.b
Auctoritas prædicandi ex missione. 216.b
Azimo in pane quare consecramus. 407.b

B

Babylon quomodo diuidatur in tres partes. 183.a
Baculum in manibus tollere quid sit. 219.b
Baptizasse Ioannem igne falsum esse arguitur & soluitur. 46.a
Baptizari Christus quare voluit. 47.b
Baptizatus Christus statim ascendit, & quid hac ascensione nos docuit. 48.b
Baptismatis doctrina quantum ad id, quod in baptizando requiritur. 40.a
Baptismatis figura ponitur. 43.a
Baptisma Christi dicitur omne baptisma, in quo Christi gratia lauat interius. ibid.b
Baptismatis Ioannis finis ponitur. 45.a
Baptismus in se tria habet. 39.a
Baptismus Christi quomodo requirat pœnitentiam. 43.a
Baptismus Ioannis vtrum conferebat gratiam, vel non. ibid.
Baptismus Ioannis nullam conferebat gratiam, & huius tres sunt causæ. ibid.
Baptismi Christi efficacia in comparatione Baptismi Ioannis. 46.a
Baptismi formam nulli licet mutare. 443.a
Baptistæ Ioannis commendatio ponitur. 41.a
Baptista quare dicebatur Ioannes à Baptismate suo, non autem Petrus vel Paulus. 43.a
Bariona filius columbæ interpretatur, & quis sit. 307.a
Beatitudo quomodo differt à felicitate & virtute. 68.a
Beatitudo est potius perfectionis, quàm actus, vel operatio. ibid.b
Beatitudinis definitio declaratur. ibid.
Beatitudo quomodo sit status in optimo. ibid.
Beatitudines multiplicantur à Domino secundum status optimos. ibid.
In qualibet beatitudine à Matthæo inducta considerantur tria. ibid.a
Beatitudo quæ consistit in abdicatione rerum, status altissimus est. 69.b
Beatitudo secunda ponitur cum dicitur: *Beati mites.* 70.b
Beatitudo tertia: *Beati qui lugent.* 71.b
Beatitudo quarta: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.* 72.a
Beatitudo quinta: *Beati misericordes.* 73.a
Beatitudo sexta: *Beati mundo corde.* 74.a
Beatitudo septima: *Beati pacifici.* 75.b
Beatitudo octaua: *Beati qui persecutionem patiuntur.* 78.b
Beatitudinum octo sufficientia ponitur. 77.a.& b
Beatitudo multiplex, & quid sit quælibet. 306.b
Beatus quomodo vir Sanctus dici possit. 68.b
Beati mendici, habet translatio de Græco facta, vbi alia habet: *Beati pauperes.* 69.a
Beati pauperes spiritu, ibi, spiritu, potest accipi æquiuocè. ibid.
Beatis omnia bona parata sunt. 54.a
Beelzebub vir muscarum dicitur. 226.b
Bel, Baal, & Beelphegor quæ idola. ibid.
Benedictio qua Christus benedixerit panem ignoratur. 288.b
Benefacere debemus his qui nos oderunt. 109.b
Beneficium cui sit impendendum. 108.b
Beneficium quanto est magis requisitum, tanto est magis gratum. 191.b
Beneficium facienti tria conueniunt. 240.b
Benefici qui, & qui malefici dicantur. 337.a
Bersabee ponitur in genealogia Christi, non tamen sub nomine proprio, & quare. 6.a
Beseleel vmbraculum diuinum interpretatur, & signat Sanctos in vmbra alarum Dei sperantes. 127.b
Bestiæ tres quæ ascenderunt de mari, quid significent. 380.b
Bestia significat Antichristum. ibid.
Bethania domus obedientiæ interpretatur. 345.a
Bethlehem quomodo Maria venit quando peperit Filium, præterit Matthæus, quare. 23.b
Bethlehem Iudæ dicit ad differentiam alterius Bethlehem. ibid.& 28.b
Bethlehem dignitas notatur. ibid.
Bethphage est nomen compositum ex Græco & Hebræo. 339.b
Bethsaida interpretatur domus venatorum, & significat diuites. 240.a
Bethsaida est ciuitas sita in Galilæa. 238.b
Bigamia duplex quæ inducit irregularitatem, non peccatum. 328.b
Bimos pueros & infra, occidit Herodes: qui dicantur infra. 36.a
Blandiuntur missi à Iudæis ad tentandum Christum à quatuor. 359.a
Blasphemia est quando honor diuinus ad res mutas transfertur. 128.b
Blasphemos esse derelinquendos ostendit Iesus. 264.b
Blasphemia est impositio falsi criminis in Deum. 204.& 257.a
Blasphemiæ spiritus differt à blasphemia. ibid.
Bonum & malum quomodo habeant se ad inuicem penes diuisionem, & quomodo sint in genere. 147.b
Bonum increatum quibus adipiscimur. 168.b
Bona arbor quæ sit. 178.a
Bona non exeunt de corde, sed ex Deo. 296.b
Bonum multiplex significatum per septem panes. 301.a
Bonum vnum est Deus. 330.a
Bona omnia parata in nuptiis illis. 356.a
Bonorum quæ exercentur in Ecclesia ad meritum quinque sunt genera. 395.b
Bonos amariori morte mori, authoritatibus & exemplo probatur. 433.b

C

Cadere in [illegible] homini coram [illegible] 38.a
Cæci illuminati [illegible] 214.b
Cæcos duos illuminatos [illegible] Euangelista commemorat nisi [illegible] 215.a
Cæcum [illegible] viam [illegible] Marcus [illegible] 338.a
Cæli [illegible] aperti sunt Christo & membris. 49.a
Cæli natura est nobilis, [illegible] incorruptibilis: quare omnes Philosophi dixerunt locum Dei. 124.a
Cæli forma [illegible]
[illegible] ibid.
Cæli [illegible] in [illegible] ibid.
Cæli [illegible] habent in significando [illegible] ibid.
Cælum quomodo [illegible] Dei, & cur non liceat iurare per cælum. 102.b & 103.a
Cælum dicitur [illegible] regia. 124.a
Cælum vespere rutilans quid significet. ibid.
Cælum [illegible] oportet continuis profectibus intrare. 319.a
Cælum & terra transibunt, non quoad substantiam, sed quoad actum & generationem. 385.b
Cæremonialia legis præcepta quæ sint. 83.b
Cæremonialia omnia ad veritatem spiritus sunt reuocata. 295.a
Cæsarea Philippi ciuitas quare sic dicta. 304.b
Calceorum portatura notatur humilitas obsequii, & præparatio Euangelii. 45.b
Calceus quid significet. ibid.
Calceamentum est necessarium, quod intelligitur habuisse Dominus. 219.a
Calceamentis non esse vtendum, dixerunt quidam hæretici. ibid.
Calix dicitur calida potio. 336.a
Calix vnde dicitur, & quare dicitur passio. ibid.
Calix communicatio sanguinis Christi dicitur. ibid.
Calix in malo dicitur potio iræ vindicantis ibid.b
Calix dicitur aliquando obliuio insaniæ. ibid.
Calicem meum biberis, quomodo verificatum sit hoc verbum de Ioanne. ibid.
Calor & frigus quomodo affligunt in inferno. 191.b
Calores tres habet vinum nouum. 208.b
Caluariæ locus quare dicatur, Auctoris sententia. 431.a
Candelabrum est fastigium Ecclesiasticæ dignitatis. 81.a
Canis proprietates malæ quid significent. 166.b
Cantus columbæ dicitur meditatio. 223.b
Capharnaum incepit Christus prædicare, quare. 60.a
Capharnaum quomodo dicatur Christi ciuitas. 203.a
Capharnaum villa pulcherrima interpretatur. 204.a
Capilli capitis quomodo sint numerati apud Deum, & quomodo se habeant ad corpus, & an reassumendi in resurrectione. 228.b
Captiuitas siue comprehensio Iesu ponitur. 419.a
Capiti Ecclesiæ Christo quæ conueniant. 252.b
Carnalem affectum non esse præponendum spirituali operi innuit Christus. 263.b
Caro in qua quantitate reassumenda in resurrectione. 296.b
Castitatis amore Origenes dicitur seipsum mutilasse. 97.a
Castitas quibus custoditur. 391.a.& b
Casti debent esse tractantes florem castitatis. 13.a
Cathedra cur ponitur Doctoribus, & iudicibus thronus. 67.a.& 375.a
Census an Cæsari esset dandus vel non, quare Iudæi à Christo quæsiuerunt. 359.a
Census vinonceus debet offerri. 318.a
Centurio laudatur à Domino. 190.a
Centurionis potestati comparatur potestas Christi inquantum est homo. 189.a
Cepham vocant Hebræi & Syri quem nos Petrum vocamus. 307.b
Chananæa quæ mulier dicatur. 297.b
Charitas, dilectio, amor quomodo differant. 108.a.& 362.b
Charitas, qua Deus diligit nos spontaneè non ex meritis, aperit futuram. 142.b
Charitatis solicitudo deprehenditur in quatuor. 145.a
Charitas ligat Deum & hominem. 245.a
Charitas significatur per fermenti naturam. 215.a
Christus in patribus triplex opus perfecit. In prologo.
Christus est idem quod vnctus, & quomodo differt ab hoc nomine Iesus, & quare dicatur nomen officii. 2.b
Christus Rex fuit, & Sacerdos. ibid.
Christi generatio describitur dupliciter. 3.b
Christi generatio ineffabilis etiã humana. 10.a

Christi generationis & conceptus sinceritatem ponit,& tanguntur septem. ibid.
Christus nasci voluit de virgine desponsata,cuius ponuntur octo causæ. 11.a
Christum non natum esse de materia seminali ostenditur. 15.a
Christus Iesus potest nos saluare per hoc quod est Deus, & debet per hoc quod homo. 21.a
Christum gentibus iudicium non nunciaturum arguitur & soluitur. 253.a
Christi opus est congregare, diaboli dispergere. 256.b
Christus de Iuda nasci debuit. 28.b
Christus quo anno fuerit adoratus à Magis, baptizatus, &c. 47.a
Christus quot annos vixerit. ibid.
Christus quare baptizari voluit. ibid.b
Christus baptizatus quare statim ascendit. 48.b
Christus esuriit, quando voluit: & quando voluit, non esuriit. 54.a
Christus quare non videbatur ab hominibus, quando supper pinnaculum templi ipsum statuit diabolus. 57.a
Christus Angelos ad custodiam non habuit. ibid.
Christi aduentum primum tres Euangelistæ prætermittunt, sed solus Ioannes ponit. 59.b
Christus secessit in Galilæam,vbi prædicationem suam initiauit. ibid.
Christus secessit à Iudæa in Galilæam propter tres causas. 60.a
Christus non prædicauit apertè, adhuc viuente Ioanne, quare. ibid.
Christus quare non incepit prædicare Nazareth, vbi nunciatus, conceptus & educatus fuit. ibid.
Christum sequebantur multi, cuius quatuor tanguntur causæ. 65.b
Christus est Princeps, Dux & liberator. 66.a
Christus per quid. excitabatur montem ascendere. ibid.b
Christus quomodo impleuerit legem. 83.b
Christus dixit se venisse non soluere legem, & non addit Prophetas, quare. 84.a
Christus non potest dici filius noster. 120.b
Christus curauit infirmos multis modis. 194.a
Christus ascensionibus suis disposuit ascensiones in cordibus nostris. 197.b
Christus quomodo dicatur magister, quomodo Dominus, quomodo paterfamilias secundum tria in ipso. 226.b
Christum fuisse filium Dei quomodo dæmones sciuerunt. 201.a
Christum dixerunt filium Dauid propter quatuor. 212.a
Christi veritas omnibus, quæ diliguntur, est anteponenda. 229.a
Christi amor præponendus suiipsius amori. 230.a
Christi crucem quod debeamus quotidie portare. ibid.
Christi actus proprius. 252.b
Christus accipitur dupliciter, in persona, & in virtute operante in sacramentis. 381.a
Christum quieuisse in sepulchro tribus diebus & tribus noctibus, quomodo intelligitur. 260.b
Christus bis potatus fuit,suspendendus & suspensus. 431.a
Christus docuit nos antequam sumamus cibum, ad patrem cælestem aspicere. 288.b
Christus qua benedictione panem benedixerit, ignoratur. ibid.
Christus docet ad humilitatem confugere post magna facta. 289.a
Christus docet post magna orare, & ad Deum confugere. ibid.b
Christus quare solus erat in monte. 286.a
Christus incipit illuminare Discipulos. 304.a
Christi Discipuli veri tribus perficiuntur. 305.b
Christus traditus est à Patre, à se,à Iuda,à Iudæis, differentes. 316.b
Christus vtrum habuerit pecuniam ad soluendum didrachma,seu tributum. 318.a
Christus passionem suam ante reuelauit, quare. 334.b & 335.a
Christus dat resurrectionem celerem, quare. 335.a
Christus pro multis passus est efficienter; pro omnibus sufficienter. 338.a
Christum congruit pati in Ierusalem. 339.b
Christus quare passurus iuit ad montem Oliueti. ibid.
Christus describitur ab octo. 341.a
Christus eiecit vendentes & ementes de templo. 343.a
Christus in quo fecerit miraculum maximum. ibid.
Christum cognouerunt Iudæi quomodo,& quomodo non. 351.b
Christi hæreditas duplex. ibid.
Christus loquebatur in parabolis propter duas causas. 353.b
Christum tentauerunt Iudæi de veritate iudicij & iustitiæ. 359.a
Christum tentauerunt de veritate fidei & religionis. 360.a
Christum tentauerunt de veritate vitæ. 362.a
Christus secundum quod Deus, vbique est, secundum quod homo locum mutat. 393.b
Christus est liber vitæ, qui aperietur omnibus in iudicio. 430.b
Christi corpus differenter in altari & in cœlo. 412.a
Cibos corporis vel mentis non esse sumendos sine benedictione docuit Christus. 287.b
Cibus non bene nutrit nisi fractus. ibid.
Cibus triplex, verbi,exempli, & temporalis subsidij. ibid.
Circuncisionis Christi Matthæus non facit mentionem, tamen meminit nominis Iesu,quare. 20.a
Circunstantiæ ponuntur quibus danda est eleemosyna. 107.a
Ciuitas quæ fuerit in qua Dionysius vidit eclipsim tempore Passionis Christi. 33.b
Ciuitas Babylon quomodo diuidatur in tres partes. 183.a
Ciuitas quæ dicatur Christi. 203.a
Ciuitas dicitur alicuius dupliciter. ibid.
Ciuitatis munitio in quibus consistat. 90.a
Clamor triplex notatur, & quomodo Christus non clamabat. 253.a
Claues datæ sunt his qui sunt in regno Christi 233.b
Claues Ecclesiæ quæ sint. 308.a
Claues Ecclesiæ quomodo acceptæ à Petro & ab aliis in vnitate Ecclesiæ. ibid.
Cœna completa, Christus corpus suum dedit Apostolis, tamen nobis præcipitur vt ieiuni sumamus illud, quare. 410.a
Cœnam Domini qui cœnat, communicare debet. 408.a
Cœnandum an sit, & quomodo. 141.a
Cognitus an & quomodo fuerit Christus à Iudæis. 351.b
Cognitus an & quomodo fuerit Christus à Ioanne Baptista. 47.b
Cognoscenda tria in litera Euangelij. In Prologo
Coinquinatur homo eo quod de ore procedit. 295.a
Coitus non habens modum generantis in viro & adiuuantis in fœmina, damnatus. 328.a
Columbæ species conuenit spiritui. 49.a
Columba mea in foraminibus Petræ, exponitur. 50.b
Columba quæ nihil serpentis habet,est facile seducibilis. 223.a
Columbæ cantus dicitur meditatio,quare. ibid.b
Columbæ proprietates. ibid.
Columbas vendentes in templo significant vendentes Sacramenta. 344.a
De serpentina prudentia & columbina simplicitate. 223.a
Collum tuum sicut turris eburnea, exponitur mysticè. 419.a
Comedendi necessitas quotidiana vade. 140.b
Comedendum an sero. 141.a
Communicatio Sanguinis Christi dicitur calix. 412.b
Communionem generalem in pascha debet præcedere confessio & pœnitentia. 408.a
Compassio Christi describitur. [illegible]
Completa cœna corpus suum Christus [illegible] Apostolis. [illegible]
Complacuit quomodo Pater in Filio. [illegible]
Comprehensio Iesu, siue captiuitas. [illegible]
Concilium & consilium differunt. [illegible]
Concipiet & pariet quare. [illegible]
Concipere & in vtero habere [illegible]
Concordia Euangelistarum de [illegible] catione & enumeratione. [illegible]
Concupiscentia carnis immensa, & [illegible] desideriis. [illegible]
Concupiscibilium mundi enumeratio. [illegible]
Condemnatur nullus ad tantam pœnam [illegible] tam meruit. [illegible]
Condolendum [illegible]. [illegible]
Confessio triplex,laudis, veritatis in prædicatione, & peccati. [illegible]
Confitendum cui sit. [illegible]
Confessio & pœnitentia quando [illegible] 408.a
Congregare opus Christi, dispergere diaboli. 256.b
Consilio humano deficiente iustis semper adest diuinum. 16.a
Contemplatiuis studium virtutis,puritatis & decoris est proprium. 390.a
Contemplantibus aptus est locus desertus. 40.a
Contentio quid. 253.a
Contendere quomodo dicitur Christus. 253.a
Contemptum laudis post magna facta docet Christus. 289.a
Contemptus habitualis quis sit. 52.6
Contentorum in libro Euangeliorum Matthæi enarratio, & ordo. In prologo.
Conticinium pars noctis quæ sit. 290.a
Continentiæ inter virtutes attribuitur fructus, quare. 267.b
Contra Deum quomodo aliquis possit esse. 256.b
Contradicentibus veritati necessarium est resistere. 202.b
Contrarietas inter Matthæum, & Lucam, cuius filius sit Ioseph. 9.a
Conuersio est per spem. 243.a
Conuocatis duodecim,quare non vocatis. 215.b
Cophinus quid sit & quid significet. 288.b
Cordis munditia ad plenum tribus perficitur. 74.a
Corda dæmoniacis operationibus plena dicuntur vasa. 256.a
Cor quomodo terra habeat. ibid.
Cor tritum consuetudine peccati & delectationum, non recipit verbum Dei in profundum. 266.a
Cor terrenis solicitudinibus obumbratum,quomodo significetur per spinas. 267.a
Corbona quid sit, & quod tria repositoria erant in templo. 426.b
Corozaim est ciuitas in Galilæa sita. 238.b
Corozain secretum meum interpretatur. 240.a
Corpus terrenum & corruptibile obumbrat mentis [illegible]. 74.b
Corpus [illegible] accipitur, & quomodo, com[illegible] 151.a
Corpus [illegible] arguitur & [illegible] 361.b & 362.a
[illegible] dicitur tenebræ, quare. [illegible]
[illegible] fieri de panno [illegible]. 173.b
[illegible] esse à diabolo [illegible] arguitur & solui[illegible]. 193.b
[illegible], & alia, quæ [illegible]. 90.a
[illegible], non de ve[illegible]. 122.b
[illegible] 121.a
[illegible] 321.b
[illegible] 45.b
[illegible] Ecclesiæ si[illegible]. 288.b
[illegible], & quid significet. 399.a
[illegible] ipsi, exponitur 151.a
[illegible] omnis sensum habet, quo imperium [illegible] percipit & perficit. 199.b
Credendum non est, quòd Dominus curam necessariam prohibeat. 215.b
Credenti omnia sunt possibilia. 316.a
Crimen [illegible] dicitur [illegible] duobus modis. 151.a
Crucem significat [illegible], in qua Iesus ascendit. 197.b
Cruci conformata est vita Ecclesiastica. ibid.
Crucem Christi portare quotidie debemus. 230.a

Crucem suam Christus portauit. ibid.
Crucifixus quoto anno sit Dominus. 47.a
Crucifixi sunt cum Iesu duo latrones, quare. 430.b
Crucifixionem Christi concomitantia. idib.
Crucifixionem sequentia, potestatem ostendentia ponuntur. 432.a
Crucifixionis hora. ibid.
Culpa, vitium & macula quomodo differant. 61.b
Curam necessitatis Dominus non prohibet. 218.b
Cura de futuris quando fuit prohibita Apostolis, & quando non. ibid.
Cura & scientia prouidentiæ differant. 228.b
Curauit Christus infirmos multis modis. 194.a
Custodia castitatis. 391.a.b

D

Dæmonem vnum esse rarò in homine obsesso, probabile est. 200.b
Dæmon vnus est qui vni vitio dominatur. 262.b
Dæmon assumit septem alios spiritus nequiores se. 263.a
Dæmones quomodo sciuerint Christum fuisse filium Dei. 201.a
Dæmones dixerunt Christum venisse ad torquendum eos ante tempus, quomodo. ibid.
Dæmones in animal irrationale & mundum potestatem non habent nisi permissi. ibid.b
Dæmoniacus iste de quo Matthæus, non est idem illi de quo Lucas cap. 11. loquitur. 213.a
Dæmonium quid. 200.a
Dæmonium Latinum est, sed Græcè daymon est intellectus. 200.a
Dæmonium est collectiuum dæmonum. ibid.
Dæmonia quare quidam dicuntur habentes, cum tamen dæmonia potius habeantur. ibid.b
Dæmonia septem esse dicuntur, non per numerum personarum, sed malitiarum. ibid.
Damnatis in inferno debetur frigus, quare. 191.b
Damnantur iustè qui virtuti diuinæ detrahunt, innuit Dominus. 182.b
Damnum tale in porcis quare Dominus permisit fieri. 192.a
Dandum hilariter, cito, large, & opportunè, & discretè. 107.a
Dare eleemosynam quo tempore, & quomodo pauperes hoc præceptum impleant. 107.a
Dat Deus largè, prudenter, ... & sine improperio. 141.b
Dauid & Abraham in genealogia Christi quare præmittuntur. 3.a
Dauid filium vocauerunt Christum propter quatuor. 312.a
Dauid quatuor habuit virtutes. ibid.
Debita nostra dimitti petimus, quare dicitur, debita in plurali. 143.a
Debiti recognitio sine spe veniæ nihil valet. ibid.
Debitoribus nostris quomodo debitum dimittimus. 144.a
Debitoribus suis non dimittens, an possit dicere dominicam orationem. ibid.
Decentia quæ peti à Deo possunt. 115.b
Declinandi rabiem persequentium dedit exemplum nobis Christus. 252.a.
Defendere se quando licet, & quando non. 419.b
Defensio libertatis nimia, ne fiat scandali occasio, instruitur. 317.b
Demonstratur res homini multipliciter. 17.a
Denarius quantum valeat. 360.a
Denarius diurnus quis sit quem paterfamilias dedit operariis. 333.a
Dentium stridor ex frigore prouenit. 191.b
Deprecatio, oratio, obsecratio, postulatio, petitio, gratiarum actio differunt. 118.b
Detulerunt Christum tribus insigniis regalibus, quare. 430.a
Desertus locus aptus est contemplationibus. 40.a
Desertum intra cor & extra. 41.a
Desertum locus tentationi congruus, & quid sit desertum. 51.a
Desertum dicitur mens: vide quotuplex sit, & qui inhabitent. ibid.
Desiderantem intrare cælum oportet continuis profectibus intrare. 319.a
Desponsata de virgine Christus nasci voluit propter octo causas. 11.a
Deus quomodo dicitur tentare. 53.b
Deus à nemine comprehenditur, sed ipse est suiipsius visor & comprehensor. 75.b
Deus quomodo sit ens primum, simplex, fontale, immutabile, perfectissimum. 123.a
Deus an ducat nos in tentationem. 144.b
Deum an aliquis odit. 156.b
Deus æqualiter omnibus se exhibet, sed non æqualiter recipiunt. 241.a
Deus quomodo dicatur proficisci. 350.a
Deus vnde dicatur. 263.a
Dei notitia omnibus naturaliter est impressa. 364.a
Deus est nobiscum multis modis. 445.b
Dexter oculus quis dicatur. 96.b
Dextera manus quæ sit & quid significet. 98.a
Diabolo partus virginis occultatus est. 11.a
Diabolus quot modis tentet hominem. 52.b
Diabolus per quæ tentet, & quod tentare est officium eius. 53.a.b
Diabolus quasi deorsum fluens, vel criminator interpretatur. ibid.b
Diabolus quomodo differenter accesserit ad Christum, & accedat ad nos tentandos. 54.b
Diabolus quando statuit Christum super pinnaculum templi, quare non videbatur ab aliis. 57.a
Diabolus quando assumpsit Christum in ciuitatem sanctam, an portauerit vel duxerit ipsum. ibid.
Diabolus semper vsurpauit sibi reuerentiam creatori debitam, & ideò idololatriam introduxit. 58.a
Diabolus victus ab aliquo, non audet vlterius tentare. 58.b
Diabolus qui tentauit Christum, fuit Lucifer. ibid.
Diabolus semper est odio habitus. 156.b
Diabolum qui præest diuitiis, potius nominat quam alium, quare. ibid.
Diaboli tentamenta quomodo irruant in domum diaboli. 182.b
Diabolus qualem domum habeat. ibid.
Diabolus vtrum possit possidere hominem, & quomodo obsidet hominem. 192.b

Diabolus

Diabolus non illabitur animæ, sed operationes animæ impedit. ibid.
Diaboli voluntas semper est ad nocendum. 201.a
Diaboli opus est dispergere, congregare Christi. 256.b
Diabolus quomodo dicitur exire ab homine. 262.a
Diabolus dicitur inimicus homo. 272.b
Dicere, docere, & prædicare quomodo differant. 61.a
Didrachma est nummus duos valens vituales. 317.a
Dies accipitur pro claritate sermonis Christi. 254.a
Differenter conueniunt alicui sedere, stare, laborare, ambulare, iacere. 67.a
Differunt virtus, felicitas & beatitudo. 68.a
Dilatatio seminis patriarcharum notatur. 4.b
Dilatatio seminis tria exigebat. ibid.
Dilectio, libitum, complacitum, quomodo differant. 50.a
Dilectio, amor & charitas quomodo differant. 362.b & 108.a
Dilectionis causam in proximo quomodo Pharisæi acceperint. 109.a
Dilectionis proximi vera ratio. ibid.
Diligendi plus sunt parentes quam proximi. ibid.
Diligendus semper est Deus. 156.b
Diligere ex toto corde, ex tota anima & ex tota mente quid sit. 363.a.b
Diliges Dominum Deum tuum dicitur, & non dicitur, cognosces, quare. 364.a
Dimicatio post transmigrationem Babylonis pro patriis & Dei legibus facta, in quinque perficitur. 8.b
Dimissa peccata an redeant. 327.a
Dimitte nobis debita nostra: in ista petitione quatuor dicuntur. 142.a
Dimitte nobis debita nostra, quare dicitur debita nostra. 143.b
Dimittere proximo debemus, vt Pater cælestis dimittat nobis. 150.a
Dimitti adultera quando debeat, & quando non. 329.a
Dionysius vidit eclipsim in die passionis Dominicæ in ciuitate. 33.b
Dipondius quid sit. 228.b
Discedite à me quomodo Christus vt Deus dicere possit, cum vbique sit. 181.a
Discipuli vita peruersa redundat in infamiam magistri. 207.b
Discipuli Ioannis murmurauerunt, quare. ibid.
Discipuli Christi quare non ieiunauerunt. ibid.
Discipuli aptè sunt duodecim. 215.b
Discipuli duodecim figurantur in duodecim filiis Iacob. ibid.
Discipulorum spicas vellentium famis causa quæ fuerit. 246.b
Discipulorum vitæ austeritas notatur in hoc. ibid.
Discipuli obliti sunt panes, quos, & quare. 303.b
Discipuli veri Christi tribus perficiuntur. 305.b
Discipuli missi ad asinam adducendam creduntur fuisse Petrus & Philippus. 340.b
Discubitus est positio composita ex sedere & iacere. 206.a
Discumbebat Iesus vespere lunæ decimæ quartæ. 409.a
Dispensatio non debet fieri nisi causa publicæ necessitatis. 248.a
Dispensatiuè Christus passus est. 419.a
Dispergere est opus diaboli, congregare vero Christi. 256.b
Dispositio Doctoris Euangelici notatur. ibid.
Diuiditur totalis liber Matthæi in titulum & tractatum. 1.a
Diuina intelligere non possumus nisi sensibilibus coaptata. 264.a
Diuinationes ex somniis quomodo fieri possunt. 18.a
Diuinatio per cursus siderum aliquando est bona, aliquando mala. 24.b
Diuitiis qui præest, diabolum potius nominet, quam alium, quare. 157.b
Diuites illi significantur per Bethsaidam. 240.a
Diuitem intrare regnum Dei difficile est. 331.a
Diurnus denarius quis sit quem paterfamilias dedit operariis. 333.a
Docere, dicere & prædicare quomodo differant. 61.a
Docens quomodo se habere debeat, an sedere, an stare. 67.a
Docentis potestas quadruplex. 183.b
Docere non debet non doctus. 281.a
Docere in veritate quid sit. 359.a
Doctor Euangelij non debet sedere in vno loco. 65.a
Doctores in docendo comparantur ciuitati. 90.a
Doctores Ecclesiæ dicuntur Prophetæ. 175.b
Doctores veri & falsi qui dicantur, & quomodo differant falsi inter se, & quomodo cognoscantur fructibus eorum. 176.a & b
Doctor verbis propriis ostendit se ad opera obligatum. 215.a
Doctores operarij sunt pauci. ibid.
Doctores Christianæ religionis quomodo prohibentur possidere aurum. 218.b
Doctoris Euangelici dispositio. 264.b
Doctores quomodo sacram Scripturam exponerent, docuit Dominus. 300.b
Doctorem humilem decet humilis innocentia. 319.a
Doctores multi sunt sub Christo, ab ipso illuminati. 368.a
Doctores docendo debent sedere. 375.a
Doctor debet habere quatuor quæ tanguntur. 420.b
Doctrina sacra non debet esse diuisa per hæreses & schismata. 90.a
Doctrina verorum Prophetarum quæ sit. 177.a
Doctrinæ vsurpatio sine iustitia, non est veritas regni, sed vanitas nudi sermonis. 179.b
Doctrina propriè dicitur disciplina, quæ. 183.b
Doctrinæ veritatis contradicentibus resistere est necessarium. 202.b
Doctrinæ Apostolorum ordo determinatur secundum quatuor. 216.b
Doctrina nulla ita humilibus innititur sicut doctrina fidei.
Doctrinam homo ex se facere non potest. 294.b
Doctrina peruersa si dicitur fermentum, consequens est vt Catholica dicatur panis. 304.a
Doctrina bona est accipienda ab homine malo, & vita spernenda. 366.b
Dolores matris Virgo Maria inexperta. 11.b

Dominatio

Dominatio quid dicat secundum Dionysium. 241.a
Dominatus in quo consistat. 129.b
Dominatus pertinet ad potestatem qua continentur multitudines. 130.a
Dominatus est nomen potestatis: animata iustitia secundum Ambrosium. ibid.
Dominatu regni in spiritualibus quæ faciat. 131.b
Dominium an diabolus possit habere in hominem. 157.b
Dominus vbi est, & vbi non. 117. a & b
Hoc nomen, Dominus, quid dicat secundum Dionysium, & quid requiratur ad dominum secundum Ambrosium. 130. a
Domini potestatem oportet esse ordinatam legibus. ibid.
Dominus nomen maiestatis est. 185.b
Dominus an venerit ad seruum Centurionis sicut dixerat. 188.b
Dominus quomodo suscitator spiritualiter. 198.b
Dominus fortis: illius est mundus, conscientia & infernus. 256.a
Donum consilij attribuitur beatitudini misericordiæ, quare. 74.a
Dormiuisse Dominum super ceruical in naui dicitur Marci 4. Ex quo notatur, quòd aliquid commodi in via secum deferebatur. 198. a & b
Dormire in lecto eburneo est resolutum esse in voto castitatis. 358.a
Dote agilitatis non est vsus Dominus quando super mare ambulauit, sicut neque subtilitatis vsum assumpsit in natiuitate. 290.b
Dubitatio quid sit, & quomodo causetur, & quotuplex. 442. a
Ducentia ad bonum increatum, bonum virtutis, & lumen veritatis. 168. b
Duci & agi quomodo differant. 50. b
Ducit nos Deus in tentatione, sed non in tentationem. 144. b
Ductus est Iesus in desertum à Spiritu sancto. 63.b
Duodecim sunt discipuli aptè. 215. b
Duodecim discipuli figurantur in duodecim filiis Iacob. ibid.

E

EBrius dicitur extra briam, hoc est, mensuram bibens. 389. a
Ecclesia est area quam Christus permundabit. 46. b
Ecclesia quomodo fundetur in Apostolis. 215.b
Ecclesia Apostolica sancta est, & habet quatuor. 308.a
Ecclesiæ claues quæ sint. ibid.
Ecclesiæ sententia timenda est valdè. 324. b
Ecclesia dicitur ager, & est vnus. 387.a
Ecclesia ad hoc habet aurum, vt distribuat pauperibus. 388.b
Ecclesiastica bona qui petunt, ære sonante significantur. 344.a
Ecclipsis tempore Passionis & mortis Christi qualis fuerit. 432.a
Edulium hominis triplex. 137.b
Edulium compositum est panis Eucharistiæ. 138. b
Effectus tres peccati notantur. 61.b
Efficacia Baptismi Christi. 138.b
Eiecit Christus spiritus immundos verbo. 195.b
Eleemosyna præcipitur, cui, & quomodo sit danda, & quibus circumstantiis. 107 a
Eleemosynam innuit voluntariam esse. 113.a
Eleemosyna vnde dicatur. ibid.
Eleemosyna an sit danda. ibid.
Eleemosynam faciendi modus verus tangitur. 114.b
Eleemosyna cur vocatur omnis gratia. ibid.
Eleemosynæ perfectio vnde sit. ibid.
Elemosyna quomodo debet esse in abscondito. 115. a
Electi ad militiam non sunt permissi vxores videre. 131.a
Elegit Dominus piscatores, non nobiles, non literatos. 63. a
Eluidius hæreticus dicit virginem plures filios concepisse. 13. b
Emanuel, nobiscum Deus. 22.a
Æmorroissa vnde dicatur. 210. a
Emutilantes se sunt irregulares. 97.a
Ens primum, simplex, fontale & immutabile perfectissimum quomodo Deus sit. 123. a
Ens est nomen Patris. ibid.
Eunuchi in triplici gradu ponuntur. 329.a
Erroris causa tangitur dupliciter. 307.a
Errore tangi & errore duci differunt. 381.b
Eruendus an sit oculus. 97. a
Eruitur oculus dupliciter. ibid.
Esau significat illos, qui ex spiritu ad concupiscentiam mutantur. 4. a
Esuriit Christus quando voluit. 54. a
Esurire iustitiam, & sitire iustitiam differunt. 72. b
Euacuatur aliquid dupliciter, vide quomodo lex vetus euacuetur. 83.a
Euangelistarum primus cur ponitur Matthæus. in prologo.
Euangelistæ tres intermittunt facta Christi vnius anni, quæ solus Ioannes ponit, eo quòd vltimò scripsit. 59.b
Euangelistarum concordia circa enumerationem & vocationem Apostolorum. 216.b
Euangelij in litera tria sunt cognoscenda. in prologo.
Euangelium in omnibus abundat à prophetia. 22. a
Euangelij Doctor non debet in vno loco sedere. 65. a
Euangelium est bonum nuntium quod ducit ad regnum. ibid.
Euangelium secundũ finem differt à lege Moysi. 217.b
Euangelicæ veritatis auctoritas omnibus humanis est anteponenda. 232.a
Euangelizare non deberis vt manduceris. 161.b
Eucharistiæ panis quod efficacia & quomodo sumitur. 138.b
Eucharistia sanctum sacrans. 166. b
Eucharistiæ cibus quomodo confectus. 244.b
Eucharistia quibus administranda. 248.a
Eucharistiæ Sacramentum quare cœna vltima completa institutum. 410.a
Euge est interiectio aggratulantis. 397.b
Euge multiplices notat affectus in sacra Scriptura. 398.a

Exaltatio seminis Patriarcharum, ad quam duo exiguntur. 5.a
Exauditio orationis quatuor exigit. 149.a
Exaudit Deus semper suos quando oratio est ad salutem. ibid b
Excæcationis Deus non est causa, sed illuminationis. 242.a
Excæcationis meritum obstinatorum vnde veniat. 269.a
Excellentia scientiæ est in tribus. 372.b
Exciditur arbor duplici de causa. 45.a
Excommunicationis vi rapientes non suum, cum latronibus conueniunt. 344.a
Excutite puluerem de pedibus vestris, multipliciter exponitur. 146.a
Exempla duo ponuntur quomodo tentatio sit à Deo & quomodo à tentato. 160.b
Exercens se dignus est cibo & veste. 42.b
Exeundum est vsque ad Ioannem, Vide exeuntium triplicem diuersitatem, & quod significent. 332.b
Exitus patrisfamilias ad conducendum operarios qui & quot, & quid significent. 300.b
Exponi quomodo debeat sacra Scriptura, docet Dominus. 240.a
Exprobrat tribus generibus hominum Dominus. 238.b

F

FAcere & agere & operari quomodo differant. 396.b
Facta post magna docet Christus ad humilitatem confugere. 289.a
Facies hominis secundum totum librum Matthæo conuenit. 2.a
Falsus Propheta dicitur dupliciter. 175.b
Falsi Prophetæ Simon Magus, Theodas, Iudas Galilæus. 376.a
Familia est multitudo ex vno exorta & ab vno denominata. 226.b
Famis discipulorum spicas vellentium quæ fuerit causa. 246.b
Farina significat virtutis innocentiam. 275.a
Fastum interdicit Christus his, qui præsunt. 337.b
Fatue dicens sine causa, reus erit iudicio, non autem si cum causa. 91. a
Fatuæ virgines quomodo non sumpserunt oleum. 392.b
Fatuitas quid sit. 391.b
Fatuitas est virginis, accipere gestum meretricis. 392.a
Fatuum dicere illum quem Deus sale sapientiæ condiuit, furor non modicus est. 91.a
Fatuus quis dicatur. ibid.
Febris quid sit, & quomodo causetur. 192.a
Felicitas differt à virtute & beatitudine. 68.a
Felix quis sit. ibid.
Fermenti natura significat charitatem. 275.a
Fermentum erroris & corruptionis quid sit. ibid. b
Fermentum significat hæresim Pharisæorum. 301. b
Fermentum dicitur peruersa doctrina, ergo Catholica dicitur panis. 304.a
Festuca dicitur [illegible]: quare non ponit festucam in iudice. 165.a
Fibula datur regibus ad quid, & quid significet. 133.a
Ficus quatuor habet quando bona est. 177.b
Ficus fructum facit duplicem. 345.b
Ficus quare à Christo maledicta. ibid.
Fidem propriam quare paralyticus habuit, nota ibi de fide propria & aliena. 204.a
Fidei fuit debilis infirmus curatus: quod notatur ex hoc quod dicit: Confide. ibid.
Fides saluam fecit mulierem & Christus, sed differenter. 210.a
Fidei cur attribuuntur miracula, non spei, vel charitati. 192.a & 212.b
Fidei lumen absconditur à sapientibus. 241.b
Fidei verbum habet proprietates sinapis, & fides quomodo potest omnia, & quomodo fidei subiectum est prima veritas. 316. a
Fidem Apostolos non habuisse arguitur ex hoc quia non eiecerunt montes in mare. 346. a
Figura partus virginis. 11.b
Figura Baptismatis. 43.a
Figura numeri Apostolorum. 215.b
Figuratæ quomodo sint Apostolorum vocationes. 63.b
Filius David est Christus propter regnum, & Abraham propter sacerdotium. 3.a
Filius David dicitur Christus prius, & postea Abraham propter diuersas rationes. ibid.
Filius Melchisedech an deberet dici Iesus in genealogia. ibid.
Filius David & Abraham quare dicitur fuisse Christus potius quam aliorum. ibid.
Filios & patres legales Lucas frequenter ponit in genealogia, quare. 9.a
Filios quatuor reliquit Herodes. 38.b
Filij Dei quomodo nunc simus per gratiam, & postea per gloriam. 76.a
Filius noster, quare non dicimus in oratione Dominica, sed pater noster. 121.a
Filius non petit nisi quod est ad honorem patris. 122.a
Filium David vocauerunt Christum propter quatuor. 212.a
Filio Dei quomodo omnia tradita sint à Patre. 242. a,b
Filius qua notitia noscat Patrem, & quomodo nemo alius. 243.a
Filius fabri dicitur Christus. 281.b
Filium hominis quem dixerunt, & quibus motiuis mouebantur. 304.b
Filij omnes adoptantur in Dei filio. 306.a
Filium occidit & comedit mater. 379.b
Filij duo in vineam missi quid significent. 348.a
Fimbrias magnificare quid sit. 367.a
Finalis impœnitentia quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum. 258.a
Finis quadruplex, in prologo.
Finis Euangelistæ Matthæi triplex. ibid.
Finis alius est operis, & alius intentionis. ibid.
Finis studentium & legentium in Euangelio. ibid.
Finis baptismatis Ioannis. 41.a
Finis simpliciter est Christus, & est finis coniungens nos fini vltimo. [illegible]
Fletus quomodo causetur, & quae ad ipsum exigantur, & quomodo sit in inferno, & quomodo non. 191.a

Flos quare dicitur Iesus. 12.a
Flos quomodo dicitur Christus. 38.b
Fons quare dicitur Virgo Maria. 21.a
Fons vitæ est Pater, Filius, Spiritus SS. 306.a
Fons fundens vitam est Deus Pater. 123.b
Fontalitate causalitatis suæ Deus inebriat omnia bonis suis. ibid.
Foramen acus dicebantur portulæ paruæ in muro Hierusalem. 331.a
Forma Sacramenti Corporis Christi ponitur. 412.a
Forma Sacramenti Sanguinis Christi ponitur. 413.a
Formam Baptismi nulli licet mutare. 443.a
Fornicatio prohibetur. 96.a
Fornicatio pro adulterio ponitur. 99.b
Fornix & meretrix quomodo differant. 348.b
Forum ponitur pro theatro, quare. 237.a
Fractis speciebus Sacramenti, Corpus sub qualibet specie manet integrum. 411.a
Quare Frangitur in tres potestates hostia. ibid.
Frater tuus si habet aliquid aduersus te: quare non dicit tu aduersus illum. 92.a
Fratres Christum habuisse dicunt quidam hæretici. 263.b
Frater dicitur multis modis: de hoc dantur versus. ibid.
Frater quis dicatur quando dicitur, Qui irascitur fratri suo. 90.a
Frigiditas inducens somnum, ex tribus causis prouenit. 17.b
Frigus quare debetur damnatis in inferno. 191.b
Frigus & calor in inferno affligunt non in ratione qualitatum elementarium. ibid.
Fructus studij Euangelij duplex. in prologo.
Fructibus cognoscuntur Prophetæ falsi, & qui sunt fructus illi. 176.b
Fructus mali sunt indelectabiles, pestiferi, & inutiles. 178.a
Fructum centesimum quomodo faciant Virgines. 267.a
Fructum sexagesimum quomodo faciunt viduæ & trigesimum coniugati. ibid.
Fructus quare inter virtutes attribuitur potius continentiæ. ibid.b
Fructum ficus facit duplicem. 445.b
Frutex, herba, germen, olus, arbor differunt in eadem specie plantæ. 474.a
Fugere debere eum in Ægyptum qui natus est de Spiritu sancto, videtur mirabile. 33.a
Fugere quare debuit Iesus potius in Ægyptum quam in alium locum. ibid.
Fugere quando liceat Prædicatori, & quando non. 223.b
Fulgebunt iusti sicut sol: quomodo exponitur de dotibus beatorum. 277.a
Fulgur & fulgor quomodo differunt. 382.a
Fundatur Ecclesia in Apostolica. 215.b
Fundi bona dispositio. 267.a
Furor est non modicus dicere fatuũ illum quem Deus sale sapientiæ condiuit. 91.a
Futurum est vt Herodes quærat puerum: arguitur contra. 34.b

G

Gabaonitæ, procliues iniquitate. 219.a
Galilæa locus communis, in quo conueniebat Christum initiare suam prædicationem. 59.b
Galilææ erant duæ partes. 60.b
Galilæi dicebantur omnes credentes. ibid.
Gallicinium quæ hora noctis dicatur. 290.a
Gallus antequam cantet, tres Euangelistæ dicunt Petrum negaturum: Marcus, antequam bis: vide concordiam. 415.a
Gallus quare cantet in nocte. ibid.
Gaudium est diffusio animæ in conceptione & adeptione boni. 216.a
Gehenna est pœna acerba à iudice inflicta. 89.b
Hoc nomen, Gehenna, in veteribus libris non legitur, sed à Domino est impositum. 228.a
Genealogiam Christi quare incepit ab Abraham, & non Adam. 3.b
Genealogia quam Lucas ponit, ad quid sit. 2.a
Genealogiam Christi non texit Lucas sicut Matthæus. 3.b
Genealogia nulla per fœminas texi potuit. 9.a
Generare impotens pater, adoptare non potest. 306.a
Genuit quare dicitur in genealogia. 9.a
Generatio Christi est facta, vt in nobis perficiat regenerationem. 1.a
Generatio passiua Christi & actiua nostri significatur cum dicitur: Liber generationis, sed differenter 2.a
Generatio Christi describitur dupliciter. 3.b
Generationes quadraginta duæ, quare ponuntur in genealogia Christi à Matthæo. 9.b
Generatio Christi etiam humana est ineffabilis. 10.a
Generationis & conceptus Christi sinceritatem tangit, & ponit septem ad eam pertinentia. ibid.
Generatio temporalis & æterna quomodo conueniant & differant. 12.a
Generatio multiplex, & quomodo Christi generatio se habeat ad alias. ibid.
Generatio Christi refertur ad nostram regenerationem. 39.a
Generatio quare dicitur mala, quare adultera. 303.a
Generatio petens signum à Domino, qualis fuerit. 259.b
Genitalia membra quare erunt in resurrectione. 361.b
Gentes immundæ sunt, & significantur per canes. 257.a
Genu quare curuatur Deo. 315.a
Genuflexio est propriè ad humanitatem prostratio ad deitatem ibid.
Germen, herba, frutex, olus, arbor differunt etiam in eadem specie plantæ. 474.a
Gladij duo quos habet Ecclesia. 219.b
Glossa Augustini de resurrectione & apparitionibus Christi commendatur. 441.a
Granum sinapis minimum est. 274.a
Gratiam nullam conferebat Baptismus Ioannis, cuius tres ponuntur causæ. 43.a
Gratia omnis cur vocatur eleemosyna. 114.b
Gratias debemus agere in passionibus. 412.b
Gratiæ Christi plenitudo dicitur quadrupliciter. 252.a
Gratiarum actio quid sit. 240.b
Gratiam remissionis peccatorum significant & continent Sacramenta. 289.a

Gratis accepistis, gratis date, intelligitur tripliciter. 218.a
Gubernatio officiorum cælestium in Ecclesia dicitur regnum cælorum. 231.a
Gutta aquæ in calice vino mixta sufficit. 412.b

H

Habetur vir à muliere, & mulier à viro. 10.b
Hebeonitæ hæretici dicunt Christum habuisse fratres. 265.6
Hæreditas Christi duplex. 311.b
Hæresis noua confunditur, quæ dicit aliquos repelli posse ab auditu sacræ doctrinæ. 81.a
Hæresis significatur per leprosum. 217.b
Hæresis Pharisæorum, qualis fuerit. 303.b
Hæresis Saducæorum, qualis fuerit. ibid.
Hæreses sunt portæ inferi. 308.a
Hæretici Eluidiani dicentes Spiritum sanctum Patrem Christi, secundum temporalem generationem, mentiuntur. 19.a
Hæretici quidam nolentes petere nisi terrenascentia. 139.b
Hæretici quomodo dicuntur lupi rapaces. 176.b
Hæreticos quomodo Christus curet. 194.b
Hæreticum quomodo leprosus significet. ibid.
Hæreticus Porphyrius arguit Matthæum de leuitate. 206.a
Her & Anon frater suus quare non commemorantur in genealogia Christi. 4.b
Herba, olus, germen, arbor, frutex, quomodo differant etiam in eadem specie plantæ. 274.a
Herbæ quæ creuerunt sub fimbriis [illegible] Christi, habuerunt virtutem, quam fimbriæ Christi narratur. 210.b
Herodes quare plurimos libros combussit. 8.a
Herodes sub quo natus est Christus, non fuit tetrarcha, sed totam tenebat regni monarchiam. 23.b
Herodis dierum mentionem quare facit Matthæus, non autem Augusti Cæsaris. ibid.
Herodes quare turbatus fuit ex aduentu magorum. 27.a
Herodis dolosa de inquirendo puero simulatio. 29.a
Herodes quare & quando interfecit pueros, & quare se putauit illusum. 33.a
Herodis crudelitas comparatur crudelitati Pharaonis. ibid.a
Herode defuncto quare Angelus dixit, defuncti sunt qui quærebant, &c. 37.b
Herodes reliquit quatuor filios. 38.a
Herodes quis fuit qui tenuit Ioannem, & occidit Iacobum. 38.a
Herodes seipsum accusat. ibid.
Herodi quomodo dicere potuit Ioannes, non licet tibi habere vxorē, cū tamē fuit alienigena. [illegible]
Herodes fuit turpis in causa iurandi, [illegible] iurando, & impius in reddendo. [illegible]
In iuramento Herodis tria consideratur. ibid.
Herodis corruptio est occultè insidiari Christo. 303.b
Herodi persuaserunt Iudæi vt occideret Ioannem. [illegible]
Herodiani quare dicantur qui missi fuerunt à Iudæis ad Christum tentandum. [illegible]
Herodias erat filia regis Arethæ. [illegible]
Historia [illegible] ad Ioseph. [illegible]
Historia de interfectis pueris ab Herode [illegible]tur. 35.a
Historiam non ordinat Matthæus secundum quod gesta est. 246.b
Historia destructionis Iudææ & Ierusalem ponitur. 378.b
Hoc, quid demonstret in forma consecrationis corporis Christi. 412
Homo liberatur à malo tribus modis & per tria adiutoria. 148.a
Homo se exercens, dignus est cibo & veste. 160.b
Homo malus est peior omni animali in duobus, & nocinior in vno, diabolo. 224.b
Homo nunquam potest esse perfectus nisi capiat Deum. 244.b
Homo tria habet tempora. 265.b
Homo inimicus quare dicitur diabolus. 272 b
Homo non potest facere doctrinā ex se. 294.a.b
Homo rex, qui fecit nuptias filio, qualis fuerit. 354.b
Homini cum debilissimus sit, quare fortissima imperantur. 368.a
Homini nihil melius fieri potest quam quod diuinus sit. 334.b
Homines qui mirati sunt, quando Christus imperauit ventis & mari, an fuerint in naui. 199.a
Hominum duo genera quibus non est prædicandum. 217.a
Hominum tribus generibus exprobrat Dominus. 240.a
Hominum tria genera in quibus continetur tota hominum vniuersitas. 387.a
Horæ diei & noctis duodecim, & quomodo horæ noctis vocentur. 290.a
Hora quibus paterfamilias exit conducere operarios, quæ sint, & quid significent. 332. b. & 333.a
Hora tertia stantes otiosi quare à patrefamilias non reprehenduntur. ibid.
Hora mortis Christi, & de hoc concordia Euangelistarum. 432
Ho[illegible] commune est in cælo, quamuis [illegible] sint. 273.b
Ho[illegible] dicatur Virgo Maria. 22.a
Ho[illegible] habet in se. 220.b
Ho[illegible] in tres partes. 411.a
Hu[illegible] veritas Euangelistæ est anteponenda. 293.a
Hu[illegible] in proximum. 404.a
Hu[illegible] corde, opere & ore. 368.a
Hu[illegible] stat pede. 219.a
Hu[illegible] 368.a
Hu[illegible] quæ decet humiles [illegible] 319.a
Hu[illegible] 330.a
Hypocrit[illegible] 131.a
Hypocrit[illegible] 368.b
Hypocrit[illegible] 113.b
Hypocrit[illegible] vnde dicatur. 114.a

I

Iacobus [illegible] Christum resurrexit. 108.a
Iacobus [illegible]
Iacobus minor quare frater Domini [illegible]tur. [illegible]
[illegible]

Index rerum,

Idolum non fuit in templo, quod non corneret dum Iesus puer intrauit Ægyptum. 33.a
Idolum abominatur omnis humana ratio. 378.b
Ieconias de quo in genealogia, an fuerit vnus vel duo. 7.b
Ieiunant repleti, auari, hypocritæ differẽter. 151.b
Ieiunant iustus, medicus, simulator, auarus. 152.a
Ieiunatur sabbatho in honorem Virginis. 407.a
Quare ieiunauerunt Moyses & Apostoli. 208.a
Ieiunauit Iacobus donec videret Christum surrexisse. ibid.
Ieiunando à quibus abstinendum est, & quare non à vino. 150.b. & 152.b
Ieiunãtibus quare non prohibẽtur legumina. ib.
Ieiunantes quomodo debeant vngere caput, & faciem lauare. ibid.
Ieiunij præceptum affirmatiuum, non obligat ad semper. ibid.
Ieiunij tempus. ibid.
Ieiunium debet nobis esse voluntarium. ibid.
Ieiunium cur non habuerunt Discipuli Domini. 207.b
Ieiunium triplex: sanctificatiuum, contristatiuum, lætificatiuum. ibid.
Ieiunium quod fit in quarta feria, fit in honorem passionis, quia traditus & venditus est Christus. 407.a
Ieremiæ quare attribuitur testimonium, quod in eo non inuenitur. 427. a. Hieronymi, Augustini, & auctoris de hoc loco difficili sentẽtia. ib.
Iericho interpretatur defectus. 338.a
Ierusalem quare dicitur ciuitas sancta. 56.b
Ierusalem Ierusalem geminatio notat compassionis affectum. 373.b
Ierusalem & Iudææ destructio. 379.b
Ierusalem fuit locus solemnis & sacerdotum & religionis. 309.b
Iesse cur non nominatur in genealogia Isai nomine proprio. 3.a
Iesus quomodo sit Saluator, & quomodo sit nomen naturæ. 2.b
Iesus quare non assumpsit nostram naturam in sexu fœmineo. 20.a
Iesus quomodo dicatur flos. 38.b
Iesus cum sit nomen naturæ, quare dicitur Matthæi 1. Vocabitur. 20.a
Hoc nomen, Iesus, tripliciter consideratur secundum tria quæ sunt in ipso. ibid.
Iesus cum non nascatur Ioseph sed beatæ Virgini, quare non iniungit nominis impositionem beatæ Virgini. ibid.
Iesus quare fugere debuit in Ægyptum. 33.a
Iesus quando rediit ex Ægypto Nazareth, fuit septem annorum. 39.b
Iesus ductus est à spiritu Sancto in desertum. 50.b
Iesus Naue quare non ponitur in titulo generationis Iesu Christi. 3.a
Ignis vnde habebit actionem purgationis mundi innouandi. 84.b
Ignis quomodo possit agere in animam & spiritum. 85.a
Ignis cur semper incendit existentes in inferno. 281.a
Illuminationis Deus causa est, sed non excæcationis. 242.a
Illuminatio quatuor fuit. 304.a
Illuminari incipiunt discipuli. ibid.
Illustris quare Magi Dominum dicuntur, & quare Herodes sic putauit. 35.a
Illudere alicui, bonorum virorum non est. ibid.
Illusio Christi conficiebatur ex tribus. 423.a
Imperantur homini fortissima licet debilissimus sit. 168.a
Imperum naturæ præuenit Spiritus sanctus in Christo. 50.b
Impœnitentia finalis quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum. 258.a
Impugnatio agnitæ veritatis vocatur hoc peccatum. 257.b
Incitatiua tentationum quædam extra nos, quædam in nobis. 52.a
Incontinentia fatuitas dicitur. 391.b
Incredulitas dicitur dupliciter, & quomodo Apostoli fuerunt increduli. 316.a
Indifferens & otiosum differunt. 259.a
Indiuiduitas inter virum & mulierem quomodo causetur. 10.b
Inducatur Deus aliquem in tentationem. 144.b
Induci in tentationem quid sit. ibid.
Indulgentia quid sit, & quot requirantur ad indulgentias conferendas. 309.a
Indulgentias consequendo quantum oportet dare. ibid.
Indulgentiis stantibus omnibus causis totum remittitur. ibid.
Infantes quomodo laudare possunt. 344.a
Infelix, infelicior, infelicissimus quis sit. 68.b
Infirmus quis dicatur. 106.a
Infirmitatibus tribus adiutoria tria componuntur. 149.a
Infirmitatem triplicem incurrit homo per malum seu peccatum. 148.a
Infirmitates & tentationes contingunt quinque modis. 204.a
Infirmitas & languor quomodo differant. 214.a. & 215.b
Infirmitas impediens, à bono retrahens quotuplex. 217.b
Inflictio pœnæ duplex. 180.b
Influentia primi parentis excedit infinitatem maris. 123.a
Inimicis benefacere præcipit lex. 108.b
Inimicos diligere præcipitur. 109.a
Inimicus homo quomodo dicitur diabolus. 272.b
Iniquitas abundat dupliciter. 277.a
Iniqui iudices minus experiũtur de misericordia relaxante quàm alij peccatores. 164.a
In iniuria nostra decet nos esse patientes, sed nullo modo in diuina. 58.a
Iniuria potest repelli pluribus modis. 320.a
Innocentia, simplicitas, mansuetudo, in oue & homine differenter. 251.a
Innouandus quòd sit mundus, & quomodo, & ad quam speciem, & an totus, &c. 84.b
Insignia regalia quibus Christum deriserũt. 429.b
Institutio Sacramenti Eucharistiæ perficitur 680. 410. a.b
Instrumenta vitionis & ira iudicis. 356.
Intellectus bonos & memorias quæ faciant. 67.a
Intellectus est locus specierum. 124.b
Intellectus in anima & verbum eius habent se sicut pater & filius in diuinis. 243.b
Intelligere diuina non possumus nisi sensibilibus coaptata. 264.a
Intelligibilibus studens quare facilius fit intelligens. 244.a
Intempestum quæ hora noctis vocetur. 290.a
Interna quatuor in Euangelio Matthæi. In prol.

Intentio

& verborum.

Intentio legislatoris duplex. 89.b
Intentio dicitur oculus dexter, quare. 154.b
Intentio est voluntas cum fine secundum Augustinum. 155.a
Intentionis vsus est sicut vsus lucernæ. ibid.
Interrogasse Pharisæos Christum an liceat Sabbato curare, dicitur Matthæi 2. & Lucæ 6. dicitur Christus eos interrogasse. 250.a
Quare interrogauit Dominus non ignorãs. 304.b
Intitulat Euangelista Matthæus librũ suum, quòd sit de generatione Iesu Christi. 1.a
Intrare regnum cælorum vel non, & esse in regno cælorum, vel non, differunt. 87.b
Intrare in tentationem quid sit. 144.b
Intrare oportet nos ad vitam per angustam portam. 173.a
Non intratur in regnum cælorum nisi per obseruationem iustitiæ & legum. 179.a
Intrare in regnum cælorum est continuis proficiscendo proficisci. 87.b
Introitus ad vitam redemptionis Ecclesiæ, ad vitam gratiæ, ad vitam gloriæ. 173.a
Introitus ad perditionem duplex. 174.b
Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto: hæc locutio potest esse cõposita vel diuisa. 19.a
Inuidentia fraternæ gratiæ quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum. 257.b
Christus à nullo inuitatus. 345.a
Inuocatio perfecta perficitur ex tribus. 179.a
Ioannes incepit prædicare, cùm esset triginta annorum. 39.b
Ioannis Baptistæ commendatio. 41.a
Ioannes commendatur à vitæ perfectione. 42.a
Ioannes quare dicitur Baptista à baptismo suo, non autem Petrus, vel Paulus. 43.a
Ioannes reprehendit Pharisæos & Saducæos ib.b
Ioannes Baptista quo tempore sit incarceratus, & quando decollatus. 47.a
Ioannes, in quo est gratia, significat ministrum Ecclesiæ, non hæreticum. ibid.b
Ioannes baptizare Christũ qualiter recusauit. ib.
Ioannes quomodo cognouit Christum. 48.a
Ioannes quare dicit se debere baptizari, cum tamen sanctificatus fuerit in vtero. ibid.
Ioannes & Iacobus fuerunt consobrini Domini. 216.a
Ioannes Baptista vtrum dubitauerit de Christo. 232.b
Ioannes quomodo non fuit arundo, vel mollibus vestitus. 234.a.b
Ioannes commendatur auctoritate doctrinæ, & quòd non est solum Propheta, sed plusquàm Propheta. ibid.b
Ioannes commendatur ab officio & perfectione virtutis. ibid. & 235.a
Ioannis occisio describitur. 283. a. & b
Ioannes Baptista vbi sepultus sit. 285.b
Ioannis mortem persuaserunt Iudæi Herodi. 314.b
Ioanni quando Christus dixit, Calicem meum bibetis. 336.b.
Ionæ signum fuit signum mortis Christi: & quomodo intelligitur fuisse tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ. 260.a
Ioram qui nequam fuit, ponitur in catalogo Regum propter bonum patrẽ, quem habuit. 6.a
Ioseph à Matthæo dicitur filius Iacob, & à Luca, Eli. 9.a
Ioseph Iuue extimitur in quatuor, in Dei familiaritate, in clarorum virorum educatione, in proposito sanctitate, & in virtutis commendatione. 13.a
Ioseph vir Mariæ à fide sponsionis. 15.b
Ioseph apparitio, an somnium fuerit. 18.a
Ioseph quare Angelus non plenè instruxit, antequam veniret in agoniam dubij. 20.b
Ioseph accrescens significat Christum. 22.b
Ioseph quare non commembratur inuentus à Magis. 31.a
Ioseph quare debuit cum puero & matre fugere in Ægyptum potius quam in alium locũ. 33.a
Ioseph quare Angelus non determinauit tempus, quo maneret in Ægypto. ibid.
Ioseph quare nocte, & non die secessit in Ægyptum. 34.a
Ioseph quare potius timuit ire in Iudæam, vbi Archelaus regnauit, quàm in Galilæam, vbi Herodis filius regnauit. 38.a
Ioseph quare dicitur admonitus in somnis. ibid.b
Iota quare Dominus nominauit, & non iot, quid significet iota. 85.b
Ira quid sit, & dicuntur tria in gradibus iræ, & tria in pœnis iræ. 89.b
Ira duplex, passio & propassio. ibid.
Ira quædam est per zelum, quædam per vitium, & quomodo ira per zelũ sit magistra disciplinæ. 90.a
Ira iudicis & instrumenta vitionis. 356.b
Irascitur fratri suo qui sine causa irascitur: & qui eum corrigit, non peccat. 90.b
Isaias Propheta occisus lignea serra. 350.b
Iudas & fratres eius quos significent. 4.a
Iudas non credidit, quod deberent Iesum interficere. 426.a
Iudææ & Ierusalem destructio. 378.b
Iudæam Pompeius fecit tributariam. 317.a
Iudæi inexcusabiles. 25.b
Iudæos quare vocat Christus oues. 217.a
Iudæi resurrectionẽ non credẽtes arguũtur. 283.a
Iudæorum destructio. 356.b
Iudæi cur dicuntur fæces. 357.a
Iudæi tentauerunt Christum de veritate iudicij & iustitiæ. 359. a. item de veritate fidei & religionis. 360.a
Iudex debet cogi ab allegatis, & quomodo debet esse sciens. 164.a
Iudicis nostri ira & instrumenta vitionis. 35.b
Iudicis enimẽ dicitur maius duobus modis. 165.a
Iudices iniqui minus experiuntur de misericordia relaxante quam alij peccatores. 164.a
Iudicare prohibemur vt non iudicemur. 164.a
Iudicialia legis præcepta quæ sint. 83.b
Iudicio an liceat sua repetere. 106.a
Iudicium fit multis modis, & sufficientia, & qualiter liceat & qualiter non, & plura alia de iudiciis notantur. 163.b. & 164.a
Iudicium extremum quæ signa circunstent & sequantur. 383.b. & 384.a
Iudicium Sanctorum & cordium illorum propalario. 403.b
Iugum vinculi charitatis tollere debemus. 245.a
Iunci significant pietatem ex notitia Scripturarum. 304.a
Iuramentum quid sit, & eius necessitas & finis, & quæ exigantur ad iuramentum. 361.a
Iuramenti tres comites secundum Hieronymum, & quæ exigantur ad iuramentum licitum ibid.
Iuramentum semper oportet intelligi in illam partem in quam accipit ille, propter quem fit, quacumque arte verborũ iurans vtatur. ib.b

Iuramentum quare à iure denominatur. ibid.b
Iuramentum reddere quid sit. 102.a
Iurare periculosum est, & assuescens labitur in periurium. 102.a
Iuratur duobus duobus modis in genere. 101.b
Iurare quomodo prohibeat quando dicit: *Ego dico vobis non iurare omninò.* 102.b
Iurabant homines per creaturas duobus modis. ibid.b
Iurare quare non debemus per cœlum. 103.a
Iurare quare non debemus per terram, per Ierosolymam, per caput. ibid.b
Quare iurat Ecclesia per Euangelia & reliquias Sanctorum. ibid.
Iura & leges æquissimas, qui discunt propter cauillationes causarum, foueas astutiarum faciunt. 196.a
Ius naturale non contineri in his duobus mandatis ostenditur. 172.b
Iustitia duplex: generalis, & specialis: & quid vtraque 72.a
Iustitiam facere, & facere iustitiam iustitiæ modo, & appetere facere, & esurire iustitiam & sitire differunt. ibid.b
Iustitiam quomodo quis esuriat & sitiat, & quid sit saturari iustitia. 72.b. 73.a
Iustitia Pharisæorum quæ fuerit, & quæ scribarum. 87.b
Iustitia dicit rectitudinem. 87.b
Iustitiam facere coram hominibus monemur, sed non vt videamur ab eis. ibid.
Iustitia Pauli & iustitia Christi. ibid.
Iustitiæ secunda pars, scilicet oratio, incipit determinari. 115.b
Iustitiæ & castitati studens, facilius operatur iusta. 244.a
Iustitia dat lucem in merito, & ideò dat lucem in præmio. 277.a
Iustitiam rex negligere non potest. 356.b
Iustus dicitur à iustitia generali, & an Ioseph fuerit iustus. 15.b
Iustis semper adest consilium diuinum, deficiente consilio humano. 16.a
Iusti fulgebunt sicut sol. 277.a

L

LAbor spiritualis & corporalis, & quilibet duplex. 159.b
Labor causatur ex tribus. 243.b
Laborare quomodo tenetur homo. 159.b
Laborantes labore vniuersali possunt accipere ab illis circa quos laborant. ibid.
Lampas quid sit, & quid significet. 391.a
Lampades extingui est conscientias ab interni boni lumine destitui. 394.a
Languor quid sit. 65.a
Languor & infirmitas quomodo differant. 214.a
Lanis ouium induuntur diuites. 176.a
Lapides duodecim quos Ioannes demonstrauit venientibus ad se, quid significent. 44.b
Lapis significat cordis duritiam charitati contrariam. 171.a
Lapis quem reprobauerunt ædificantes, qualis fuerit. 352.b
Largus est Pater cœlestis in illos. 141.b
Latrones duo quare crucifixi sunt cum Iesu. 431.a
Laudare infantes quomodo possunt. 344.b
Laudabilis sollicitudo est multiplex. 158.a
Laus Ioseph coniugis Mariæ exprimitur, in quatuor. 13.a
Laudes de magnis factis contemnere docet Christus. 289.a
Legatis missis ad capiendos malos sunt duo necessaria. 222.b
Leget quilibet scripturam suorum meritorum in iudicio. 403.b
Legislator quid intendat, & quomodo eius intentio est duplex. 89.b
Legislatores ad continendam multitudinem, oportet tribus modis se habere ad eam. 99.a
Legumina ventosa sunt, quare non prohibentur ieiunantibus. 152.b
Lepra corruptio est nutrimenti. 184.b
Lepra est corruptio vasorum quæ corrumpunt nutrimentum. 186.b
Leprosum quare Christus non solo verbo curauit sicut Eliseus Naaman. 185.b
Leprosus cur non obediuerit præcepto, quando cœpit diffamare & prædicare. 186.b
Leprosus quare debeat se ostendere Sacerdotibus. 187.a
Leprosus quomodo significet hæreticum. 194.b
Leprosus efficitur coiens statim cum vna post leprosum. 360.b
Leui nomen dignitatis fuit. 205.b
Lex concupiscentiæ regnauit ante Abraham. 3.b
Lex à ligando dicta, & quomodo lex vetus euacuetur. 82.b
Lex continet moralia, iudicialia, cæremonialia, sacramentalia, & promissa. 83.b
Legem quomodo Christus impleuerit 84.a
Legem soluere est vincula legis non attendere, 86.b
Legem docens implere quare omittat aliqua mandata. 88.a
Lex talionis inuenta est pro pace. 107.b
Legem duplicem posuerunt Scribæ. 108.b
Lex nusquam continebat de odio inimici, imò præcepit inimicis benefacere. ibid.
Lex est ius scriptum asciscens honestum, prohibensque contrarium. 130.b
Lex licet iusto posita non sit, tamen à iusta mẽte. ibid.
Legum quatuor transgressiones. In prol.
Leges diuinæ inscribuntur cordibus nostris inuiolabiliter obseruandæ. 131.b
Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. 236.a
Lex terminata est dum Dominus in cruce dixit: Consummatum est. ibid.
Legem si iustus rex violat, exemplaris erit violatio & doctrinalis. 347.b
Legis veteris difficultas, & nouæ leuitas. 341
Libellus repudij quare permittebatur à Moyse. 99.a
Liber vitæ scriptus iusticia Dei aperietur omnibus in iudicio. 403.b
Liber secundum Philosophum dicitur, qui sui causa est. 134.a
Liber est homo, quando in Deum liberè & consultè & placitè mouetur. ibid.b
Liber primus in Veteri Testamento est de generatione, similiter in Nouo, sed differenter. 2.a
Libri in quibus scribitur cõsilia Apostolorũ. 91.a
Libera nos à malo, contra hanc petitionem multipliciter arguitur, nota etiam de quo malo intelligitur, & plura alia. 147.a, & b
Liberatur homo à malo tribus modis, & per tria adiutoria. ibid.

Liberatio Patriarcharum quatuor exigebat. 4.b
Libertas triplex, naturæ, consilij, & complaciti. 133.b
Libertas voluntatis triplex, naturæ, gratiæ, & gloriæ. 134.a
Libertas consilij quæ sit, & quæ beneplaciti. ibid.
Libertas naturæ est quando natura se nulli subdit seruili. ibid.
Libertas gloriæ perfectè habetur in patria: hic tamen habentur primitiæ. ibid.
Quæ sit libertas in qua debet fieri voluntas Patris. 135.a
Libertatis nimia defensio ne fiat scandali occasio, instruit. 318 a
Liberum arbitrium vocatur arbor bona. 178.b
Libido quid sit. 52.b
Libidinem faciunt tria. 152.b
Libido insatiabilis est. 386.b
Ligatio Sacerdotis præcedit absolutionem. 308.b
Per liliorum agri similitudinem prohibet sollicitudinem. 160.a
Locus orationis & exauditionis nostræ in cælo est duplici de causa. 136.b
Locustæ quales fuerint, quas Ioannes comedit. 42.b
Loqui in parabolis quid sit. 265.a
Loquuntur omnia sapientiam Dei in mysterio verbi absconditam. 276.a
Quare loquebatur Iesus in parabolis. 264. a & 353 b
Lucas non texit genealogiam Christi sicut Matthæus. 3.b
Luceat lux vestra, exponitur. 81.a
Lucerna ardens est Prælatus, lucens scientia & ardens charitate. 80.b
Lucerna corporis est oculus. 154.b
Lucifer tentauit Christum: quomodo relegatus sit in infernum. 58.b
Luctus duplex, & secundus habet gradus. 71.b
Lumen triplex, gratiæ, reuelationis diuinæ, & theophaniæ. 75.a
Lumen veritatis & bonum virtutis ducunt ad bonum increatum. 168.b
Lumen fidei absconditur à sapientibus. 241.a.b
Luminaria cœli in iudicio, & peracto iudicio quomodo mutabuntur. 383.a
Lunæ rubor quare est signum pluuiæ. 302.b
Lunaticus quem Dominus curauit, quomodo surdus & mutus factus sit. 315.a
Lupus non solum habet dentes mordaces sed & venenatos. 176.b
Lupi rapaces quomodo dicantur hæretici. ibid.
Lux vt nos illuminet, oportet obicem remouere. 241.a

M

MAcula qualis sit & cur dicatur peccatum. 161.b
Magister dicitur Christus Dominus & paterfamilias. 226.b
Magisterium non interdicit Christus, sed ne vacuum nomen appetamus. 367.a.b
Magisteriũ prælationis interdicit, non actũ. ibid.
Magnificare fimbrias quid sit. 367.a
Magnum esse in regno cœlorum bonum est, sed non magnum sibi videri. 318.b
Magnum mandatum quod sit. 362.b
Magus, maleficus, mathematicus, incantator, necromanticus, ariolus, aruspex, diuinator, differunt. 24.a
Magi euidenter & patenter inquisiuerunt de Christo. ibid.
Magi quomodo venerint offerre, narratur. ibid.
Magi in terras suas reuertendo multos conuerterunt. ibid.
Magi grammaticè magni sunt. ibid.
Magi vnde venerunt, & quomodo fuerunt reges. ibid. b
Magi quomodo fuerunt certi de nato rege. ibid.
Magis stella occultata erat propter tria. 25.a
Magi quanto tẽpore peruenerunt ad Christũ. 27.a
Magos quare Herodes clam vocauit. 29.b
Magi dicuntur inuenisse matrem & puerum: & nihil dicitur de Ioseph, quare. 31.a
Magorũ munera oblata puero quid significẽt. ib.b
Maior quomodo sit Ioannes. 235.a
Maius miraculum quod Christus fecit, quod fuerit. 345.b
Maledictio contra rectitudinem iuramẽti. 369.a.b
Maledictio de erronea mandatorum comparatione causata ex auaritia. 370.a
Maledictio contra vanitatem obseruantiarum. 371.a
Maledictio contra sermonis iactantiam. ibid.b
Malitia sua quæ diei sufficere dicitur, qualis sit. 162.a
Mali ortus. 272.b
Malum à quo petimus liberari in oratione Dominica, quod sit. 147.b
Malum an sit amplioris diuisionis, quam bonum, & quomodo in genere sint. ibid.
Malum est infirmitas modi commensurationis & harmoniæ. 148.b
Malum quomodo tribus infirmitatibus hominem destituat, & infirmum reddat. ibid.b
Mala an aliquando sint facienda, vt inde eueniant bona. 98.b
Malo quomodo non debeamus resistere, docet Christus. 104.b
A mali contagione, causa, & defectu quomodo liberatur homo. 148.a
Mali in inferno an possint consumi. 191.a
Malus minister regni cœlorum quomodo maior est Moyse, prophetis, & Ioanne. 237.b
Malus accipitur pro diabolo. [illegible]
Malus sẽper morte subitanea præoccupatur. [illegible]
Mali cur tolerantur. 273.a
Mali serui vel prælati stipendia. 395.b
Mammona quid significet. 157.a
Mandatum minimum, magnum, & maximum, quod dicatur. 85.b, & 86.a
Mandatum communicationis proximi. 172.a
Mandatum est signum voluntatis Dei. 361.b
Mandatum primum quod sit. 361. a.b
Mandatum secundũ cur dicitur simile primo. ib.b
Mandatorum via quomodo sit paranda. 41.b
Mandata quæ sint maximi meriti in obseruationibus, & minimi peccati in transgressionibus. 86.a
Mandata aliqua de his quæ ponuntur Exod. 20. quare saluator docens legis [illegible] omittit. [illegible]
Mansiones quamuis multæ sint in cœlo, [illegible] est vnum commune [illegible]. [illegible]
Manus organum est intellectus [illegible]. 17.b

Manus dextera & manus sinistra quæ sint. 98.a
Manus est organum organorum, & significat virtutem diuinam vniuersalem. 185.b
Manus Christi virtutem habet multiplicatricem. 288.a
Manum aridam habens & curatus à Domino, fuit cæmentarius. 250.a
Margarita quid sit, & quid significet. 167.a
Margaritæ bonæ dicuntur colore, natura & effectu. 278.b
Margaritarum conchæ sunt odoriferæ. 279.a
Margaritum dicitur congregatio talium margaritarum. ibid.
Maria, illuminatrix, stella maris, Domina, amarum mare. 12.b
Maria commendatur ex hoc quòd desponsata Ioseph virgini. ibid.
Maria virgo quare dicitur hortus conclusus & quare fons. 22.a
Marias tres genuit Anna, & qui sint earum filij, nota versus. 216.a & b
Maria Magdalena virgo fuisse creditur. 405.b
Maris motus dicitur magnus. 197.b
Maris motus seu tempestas quomodo causetur. 198.a
Martha secundum Ambrosium fuit quæ habuit profluuiũ sanguinis, & curata per Iesum. 210.a
Martyrem causa facit, non pœna. 336.b
Mater Iesu, mater immaculata, mater intacta. 11.b
Matris dolores virgo Maria est inexperta. ibid.
Mater & pater tripliciter accipiuntur. 328.a
Mater occidit & comedit filium. 379.a
Mathematicus, maleficus, magus, incantator, necromanticus, &c. differunt. 24.a
Mathematicus duplex sicut mathesis. ibid.
Mathesis dicitur dupliciter prout media est breuis vel longa. 24.a
Matrimonium verum fuit Virginis beatæ & Ioseph. 10.b
Matrimonium Virginis tribus suis bonis est perfectum. 11.a
Matrimonij actus & quis finis. 328.b
Matrimonium & fœcunditas sunt officia mortalium, non immortalium. 361.a
Matthæus nomen commune fuit. 206.a
Matthæum arguit Porphyrius hæreticus de leuitate. ibid.
Matthæus quando vocatus sit. ibid.
Matthæus non ordinat historiam secundum quòd gesta est. 246.b
Matthæus donator consilij. In prol.
Matthæus in conuersione quare sic dictus est, & [illegible] primus Euangelistarum ponitur. In prol.
Matthæus quare non facit mentionem circuncisionis, sed hominis Iesu. 20.a
Maxillæ percussionem quare potiùs tangit, quàm alterius partis. 105.a
Maxillam alteram quomodo debeamus præbere percutienti. ibid.
Maximum mandatum quod sit. 362.b
Mœchia prohibetur. 94.a
[illegible] & mensurantes. 218.b
Melchisedech figura Christi Rex fuit & Sacerdos. 2.b
Melchisedech [illegible] quare non debuit Christus dici. ibid.

Membra genitalia erunt in resurrectione. 361.b
Memorias & intellectus bonos quæ faciunt. 67.a
Mendacium prohibetur. 103.b
Mendacia dicuntur miracula duobus modis. 180.b
Mendicitatem in prædicatoribus quidam condemnant. 218.b
Mendicus & pauper differunt. 69.a
Mens vnde dicatur, & quotuplex sit in nobis. 51.a
Ad Munditiam Mentis nihil penitùs confert ablutio corporis. 297.a
Mensura eadem qua mensi fuerimus, quomodo remetietur nobis. 164.b
Meretrix omnis est crudelis. 284.b
Meretrih quomodo differat à fornice. 348.b
Meritum efficiunt quinque, quorum duo sunt necessaria 39.b
Merita Sanctorum sunt dispensatoribus credita. 308.a
Messis quidem multa dicitur, & non semina. 215.a
Messis est consummatio sæculi. 276.b
Milites non permittebantur vxores videre. 131.a
Militum duo officia. ibid.
Minister legis gratiæ quomodo sit maior Ioanne. 235.b
Ministri Ecclesiæ significantur per coruum, qui pabulum præbuit Eliæ. 288.b
Ministrorum Ecclesiæ duæ sunt vocationes formaliter distinctæ. 62.b
Minimus in regno cælorum quis dicatur. 87.a
Minor in regno cælorum qui est, maior est illo: exponitur multipliciter. 235.b
Mirabilia quare dicitur Iesus fecisse potiùs quàm miraculum. 344.b
Miraculum quantum fuit, quòd Iesus ambulauit super mare. 290.a
In expostulatione Miraculi tria exiguntur. 185.a
Miracula non eodem modo ordinant Euangelistæ. 14.a
Miraculorum effectus quare plus attribuitur fidei quàm spei & charitati. 210.b
Miracula quare Dominus fecerit aliquando absens, aliquando præsens. 200.a
Miracula omnia attribuuntur fidei. 212.a
Mirum omnium mirorum. 18.b
Miserabilis sollicitudo est multiplex. 138.b
Miseria duplex ex Prælatorum defectu. 214.b
Misericordia triplex, & quæ perfectissima. 73.a
Misericordia duplex relaxans & liberans. 74.a
Misericordia quæ debetur misericordiæ beatitudini 74.a
Misericordia relaxans si non remitteret, peccator in nihilum esset conterendus. 164.b
Misericordiæ opera Christus commendat. 402.a
Misericordiæ opera enumerando quare non facit mentionem de sepultura mortuorum. ibid.
Misericordiæ operum sufficientia. ibid.
Misit prædicare solum Iudæis in prima missione propter tres causas. 217.a
Missio Apostolorum significata est. 222.a
Mitis est aliquis tripliciter. 70.b
Mitem oportet prius esse pauperem spiritu. 71.a
Mitium magistrum se fecit Christus. ibid.

Militas

Mititas quam quidam mansuetudinem vocant, est trium graduum. 70.b
Modius tria significat. 80.b
Modus prædicationis duplex. 65.a
Mola asinaria significat hominem. 320.a
Mollities duplex. 234.a
Mollibus qui induantur moraliter. ibid.b
Monachi hypocritæ per struthiones significantur. 382.b
Monachi & moniales quales erunt tempore Antichristi. ibid.
Monarchia quid sit. 130.b
Moniales mortiferis cantibus animas decipientes, significantur per Syrenas. 382.a
Mons in quo diabolus Dominum tentauit, & qualis ille mons in nobis sit. 57.b, 58.a
Mons in quo ciuitas ponitur, quid sit. 67.a
Mons in quo IESVS transfiguratus est, fuit Thabor. 322.a
Montem se esse notat Christus. 67.a
Monstruosum animal dicitur porcus. 201.b
Monumenta in Christi passione aperta fuerunt, non tamen surrexerunt corpora ante tertium diem. 434.a
Moralia legis præcepta quæ sint. 83.b
Moriuntur boni morte amariori inquantum multis bonis priuantur. 433.b
Mors Christi significatur per dies, & per illam destruxit duplicem mortem nostram. 360.b
Morte subitanea semper malus præoccupatur. 388.a
Mortalium bona & officia sunt matrimonium & fœcunditas, non immortalium. 361.a
Mortui in peccatis & mortui in Domino. 197.a
Motus primi diuisio in primo primum & secundò primum non approbatur. 54.b
Motus maris dicitur magnus, & quomodo causetur. 197.b, 198.a
Mulier & vir quomodo se habent penes paritatem & suppositionem. 10.b
Mulier adulterans quatuor peccata committit. 100.a
Mulier quæ fuit in profluuio sanguinis, quomodo audebat tangere Christum. 210.a
Mulier hæc quare vocabatur Chananæa. 297.b
Mulier quæ lauit pedes & quæ vnxit caput, vtrum eadem fuerit. 405.b
Mulierem qui viderit, quare dicitur potius, quam qui odit, vel olfacit. 95.a
Mulieres formas prospectibus hominum obijcientes vituperantur. 96.b
Mulieres factæ sunt Apostolæ Apostolorum. 438.b
Multi primi nouissimi & nouissimi primi. 334.a
Multiloquium prohibendo, orationes longas non prohibuit. 118.a
Multiplicauit panes Dominus in deserto propter duas causas. 300.b
Munditia cordis ad plenum tribus perficitur. 74.a
Munditiæ corporis appetitus nimius, sordes inducit mentis. 297.a
Mundus est innouandus. 84.b
Mundus in quo sit innouandus, & quomodo innouabitur. ibid.b, 85.a.b
Mundus est ager. 273.b, 276.a
Munerum quæ magi obtulerunt puero IESV, expositio. 31.b

Munus quod offers, debet esse tuum. 91.b
Musicis dulcibus milites post exercitum erant dediti. 131.a
Mustum quare vaporosum est & bullit. 208.b
Mutandum nihil est in sacro eloquio. 29.a
Mutuare præcipitur nobis. 107.a
Mutus eiecto dæmonio loquutus est: hæc historia non est eadem quæ à Luca narratur. 213.a
Muti frequenter sunt surdi. 299.b
Myrrha quid significet, & quos effectus habeat. 31.b
Mysterium vnde dicitur. 267.6

N

Nasci voluit Christus de virgine desponsata, cuius ponuntur octo causæ. 11.a
Nasci debuit Christus de Iuda. 28.b
Natiuitati Christi tres sunt in cœlo qui testimonium dant. 23.a
Natura vel spiritus noster nubere altius vel gloriosius non potest quàm filio Dei coniungatur. 354.a
Naturæ impetum præuenit Spiritus sanctus in Christo. 50.b
Naturale est homini in mari timere. 198.b
Nauicula in quam ascendit Christus, significat crucem. 197.b
Nazaræus vocatur Christus. 39.a
Necessaria Deus omnibus prouidet. 160.b
Necessaria duo sunt ad vitam. 269.b
Necessitatis curam Dominum prohibere credendum non est. 118.b
Necromanticus, magus, mathematicus, maleficus, differunt. 24.a
Negauit Petrus Christum, nota concordiam Euangelistarum. 415.a
Negotia torum agens quibus tenetur ille qui illicitè accipit, potest ab eis accipere victum in stipendium necessitatis, si non habeat vnde viuat. 206.b
Nemo potest duobus Dominis seruire. 156.a
Nihil nostrum est, si agitur inter nos & Deum. 140.b
Nix est rara, alba & mollis, quare, & quid significet. 312.b
Nobilitas regni cœlestis in quibus consistat. 354.a
Nobiscum est Deus multis modis. 443.b
Nocumentum, quando veritas non lucidè docetur. 295.b
Nolite putare quoniam veni soluere legem, multis modis exponitur. 82.a
Nolo in omnibus condeclinijs relinquit voluntatem affirmatam, & negat volitum. ibid.
Nomen IESVS, & nomen Christus quid significent, & quomodo [illegible] 2.b
Nomen duplex, personæ & naturæ. 126.a
Nomen [illegible] ibid.
Nomen declarat rem cui datur. ibid.
Nomen [illegible] super rem, cui datur. ibid.
Nomen quod imponitur, [illegible] 443.b
Nomen [illegible] 127.b

Nomen Domini quatuor polluunt. ibid.
Nomen Patris quare potius sanctificatur in nobis quàm alia nomina. 129.a
Nominibus quomodo possumus genealogiam Christi coniicere. 8.a
Nominis IESVS ratio ponitur. 20.a
Nominibus diuinis quibus possit addi noster, vel meus. 121.a
Nomen patris cum dicitur pater noster, supponit pro tota Trinitate. ibid.
Noscit filius Dei Patrem: nota qua notitia. 243.a
Noster Pater, qui es in cœlis: nota quid significet ibi noster. 121.b
Noster Pater per communicationem inhabitantis gratiæ. 122.a
Noster Pater est per eam, qua in nobis inuicem obligamur, fraternitatem. ibid.
Noster Pater quare debemus dicere, & non Pater meus. ibid.
Noster Pater dicitur ad vsum & ad fructum. 123.a
Nostrum est aliquid secundum rem & legem, & aliquid semper rem & non legem, & aliquid non secundum rem sed legem. 140.a
Nostrum panem quare petimus, & non dicendo meum. ibid.
Nouissimus quadrans quis sit. 94.a
Nouius omni nouo. 14.a
Nouum quid dicatur. 88.b
Nouum vinum habet tres calores: nota quare rumpit vasa. 208.b
Nox mortis Christi non omnino fuit nox. 260. b
Nocte quare Ioseph fugit, cum tamen Angelus non dixit. 34.a
Noctis horæ sex sunt, & quomodo vocantur. 290.a
Nubere natura vel spiritus noster altius non potest, quam vt filio Dei coniungatur. 354. a, & 355.a
Nubes, in qua Dominus ad iudicium veniet, qualis erit. 384.a
Numerus beatitudinum. 77.a
Numisma vocatur impressio figuræ in denarium. 359.b
Nuptialis vestis est vestimentum charitatis & honestæ conuersationis. 357.b
Nuptias triplices fecit Christus. 355.a
In illis nuptiis quomodo omnia parata sint. ibid.
Nutrimentum quod accipitur de pane, magis adhæret membris. 139.a
Nutrientia bona sunt quatuor. 137.a

O

Obduratio quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum. 257.b
Obdurationis huius effectus tres. 269.a
Obedientia mandatorum plus dat intellectu in diuinis quam labor studiorum. 305.b
Obicem oportet remouere, si lux illa nos illuminare debeat. 241.a
Oblatio debet esse voluntaria. 91.b
Oblationem placabilem facit odij depositio. 92.b
Obligatum ad opera ostendit se Doctor verbis propriis. 215.a
Obsecratio, oratio, postulatio, petitio, deprecatio, gratiarum actio quomodo differant. 118.b
Obseruatio septimi diei alia est, & alia sanctificatio sabbati. 249.a
Obsessus à diabolo vtrum aliquis possit esse. 193.b
Obsessi qui sint, & obsidendi potestas vnde tradita sit dæmoni. ibid. & 193.a
In homine obsesso raro vnus, sed semper plures dæmones sunt. 200.b
Obsidentur multi secundum animam & corpus à dæmone. 193.b
Obsidio regni Dei duobus perficitur. 7.a
Obstinatorum excæcationis meritum vnde veniat. 269.a
Occisus Isaias lignea serra. 350.b
Occisus Hur sputis. ibid.
Occidens & oriens est duplex. 190.b
Occultum & opertum quomodo differant. 227.a
Oculus dexter si scandalizet, quare dicitur potius quam si sinister. 96.a
Oculus an eruendus sit. 97.a
Oculus eruitur dupliciter. ibid.
Oculus ex quibus componitur, & quæ proprietates, & quomodo attribuuntur intentioni. 154.b
Oculi bonitas est simplicitas, & eius malitia est duplicitas. 155.a
Odit aliquis Deum. 156.b
Odij depositio facit oblationem placabilem. 92.b
Odio habebis inimicum, an fuerit contentum in lege. 108.b
Odio semper sunt boni malis. 377.b
Offer munus tuum in testimonium illis, exponitur dupliciter. 187.a
Offerendum quid, & vbi, quia non in omni loco. 91.b
Offerre debes munus tuum. ibid. & 92.b
Officium seminandi recipit, qui habet causam, vel professionem prædicandi. 263. a
Oleum cuius naturæ, & quare iuit Christus ante Passionem in montem Oliueti. 339 b
Oleum non sumpserunt fatuæ Virgines, quomodo intelligitur. 392.b
Oleum est laus humani fauoris demulcens. 394.b
Olus, herba, germen, frutex, arbor, differunt etiam in eadem specie plantæ. 274.a
Omnis iustitia quæ dicatur. 48.b
Omnes aliquid magni præsumebant de Christo. 304.b
Onager est asinus agrestis, & dicitur ab onos. 304.a
Operandum est in donis bonis. 396 b
Operatur Deus ea quæ sunt in nobis nobiscum. 21.b
Operarius dicitur prædicator duplici de causa. 219.b
Operarius dignus est cibo, non voluptatis; sed necessariæ sustentationis. ibid.
Operarij conducuntur in vineam. 333.b
Operarios vocat Christus, quos prius vocat pastores. 219.b.
Operarij pauci, tales sunt doctores. ibid.
Opertum & occultum quomodo differant. 227.a
Opertum reuelabitur tripliciter. ibid.
Opes

Opes quomodo necessariæ sint Ecclesiæ. 396.a
Opinari, postulare, dubitare, quomodo differant. 82.a
Opinionis bonæ debet esse prædicator. 65.a
Opinionem bonam omnes homines habebant de Christo. 304.b
Opus virtutis oportet accipere ex nobis. 372.b
Opus prælati quomodo erit perfectum. 335.a
Opus & operatio differunt. 396.b
Opera magna ad tria reducta. 180.b
Opera misericordiæ commendat Christus. 73.b
Operum misericordiæ sufficientia. ibid.
Orans gemit, flectit, vel totum se prosternit in humilitate coram Deo. 116.1
Orante seu oratione cum ieiunio & eleemosyna nihil est validius. 316.b
Orantes solite multum loqui. 117.b
Orare an semper oporteat. 116.a
Orare multum, assiduè, diu & multum loqui in oratione quomodo differant. 117.b
Orare & post magna ad Deum confugere docet Christus. 289.b
Orare debemus in loco secreto. 117.a. 417 b
Orat sine intermissione, qui contrarium orationi nihil interponit. 116.a
Oratio an sit pars iustitiæ. 115.b
Oratio quid sit secundum Damascenum & secundum Augustinum cum definitionum declaratione. 116.a
Oratio, petitio suplex. 118.b
Oratio, postulatio, obsecratio, petitio, deprecatio, gratiarum actio quomodo differant. ibid.
Oratio vt proficiat ad salutem, oportet quod à nobis & in nobis impleatur voluntas Dei. 136.b
Oratio vt exaudiatur, quatuor exigit. 149.a
Oratio debet esse humilis. 416.b
Orationis effectus. 289.a
Orationi Dominicæ quare additur amen. 149.a
Orationem quare gentiles putabant consistere in multiloquio. 117.b
Orationes longæ non prohibentur, sed multiloquium. 118.a
Orationibus iuuatur prædestinatio. ibid.
Ordinant Euangelistæ Apostolos diuersimodè enumerando. 216.b
Ordinant hominem communitates, maximè misericordia, iudicium & fides. 370.b
Ordo diuinæ prouidentiæ non imponit rebus necessitatem. 33.b
Ordo tentationum Christi non idem apud Matthæum, & Lucam. 56.a
Ordinem gestorum Saluatoris quidem seruauerit Matthæus. 195.b
Ordo institutorum Prælatorum. 216.b
Oriens & occidens in cœlo est duplex. 190.b
Origenes castitatis amore dicitur seipsum emutilasse. 97.a
Os capitur pro corde. 295.0
Osanna, hoc est, obsecro, salua: compositum ex integro & corrupto. 342.b
Oua nutriunt & sunt conuertibilia ad omne quod inueniunt, siue bonum, siue malum. 137.a
Ouis substantia manente mutat lanam. 196.a
Ouis errans non est perdita, sed in via perditionis. 331.b
Oues vocat Christus Iudæos. 217.a
Oues in iudicio separabuntur ab hœdis. 401.a
Quibus comparantur Prælati missi. 222.a, b

P

Paleæ quid sint, & quid significent. 46.b
Palea dicitur peccatum. 265.b
Pallium est vestis exterior. 106.a
Panis plus aliis nutrit. 137.a
Panis spiritualis duplex, secundum affectum, & secundum intellectum. ibid.b
Panis dicitur verbum Dei propter tres proprietates panis. ibid.
Panis gratiæ quomodo fiat, ostenditur per auctoritatem Isaiæ. 138.a
Panis Eucharistiæ quis sit. ibid.b
Panis Eucharistiæ origine cœlestis, substantialiter deificus, causaliter viuificus, sacramentaliter vnitiuus, effectu viaticus, specie tenus est æternæ fruitionis signatiuus. ibid.
Panis Eucharistiæ est effectiuus quadruplicis gratiæ. 138.b
Panem nostrum supersubstantialem da nobis; cur dicatur supersubstantialis, & quare quotidianus secundum diuersas translationes; 137.a
Panem nostrum quotidianum, &c. ista petitio continet sex. ibid.
Panem petere docet Christus, quare non etiam potum. 138.a
Pane petito in oratione intelligitur omne esculentum necessarium. 139.a
Panis quare plus expressè petitur præ cæteris necessariis, assignantur tres causæ. ibid.
Panis petitus debet esse noster. 140.a
Panis vt sit noster, duo exiguntur. ibid.
Panem nostrum quare dicit, & non panem meum. ibid.
Panis dicitur dupliciter quotidianus. ibid.b
Panis est charitas quæ confortat. 171.a
Panes quinque & duo pisces, quibus saturauit quinque millia, quid significent. 287.b
Panes non dat Dominus ad seruandum, & quare Christus commendauit manibus ministrorum. 288.b
Panis filiorum quem sumere non est bonum, &c. quis dicatur. 299.a
Panes multiplicauit in deserto propter duas causas. 300.b
Partes septem significant septem partes pœnitentiæ. ibid.
Panes accipere obliti sunt discipuli propter quatuor causas. 303.a
Panis tritici, quare sit materia Eucharistiæ Sacramenti, & quam conuenientiam habeat ad corpus Christi mysticum. 410.b
Parabola de effectu verbi Dei. 271.a
Parabola prima, quæ docet profectum virtutis. 275.a
Parabola de duobus filiis missis in vineam. 347.b
Parabola de plantatione vineæ. 349.b
Parabolis locutus est Christus multa, & quid sit loqui in parabolis. 205.a
Parabolis locutus est IESVS propter duas causas. 253.b
Paralysis quomodo impediat viam sensus, & inducat virtutis motiuæ detrimentum. 187.b
Paralyticus

Paralyticus significat inconstantem ex longa peccati consuetudine. 194.b
Paralyticus vtrum habuerit etiam fidem propriam. 204.a
Paropsis est vas de æqualibus tabulis factum. 371.a
Paropsis vas magnum à paribus absidibus dictum. ibid.& 409.b
Parare viam in deserto quomodo debeamus. 41.b
Paranda est via mandatorum. ibid.
Parata omnia in nuptiis. 356.a
Paratum quid dicatur. ibid.
Parentes quando possunt relinqui à filiis. 64.b
Partes pœnitentiæ quomodo se contineant. 62.a
Partes pœnitentiæ septem significantur per septem panes. 300.b
Partus Virginis vt diabolo occultaretur, desponsata est viro. 11.a
Paruulus quis sit. 318.b
Pasce quare Petro ter dixit Dominus. 388.b
Passer in Ierusalem vendebatur, ad quid. 228.b
Passio quare dicitur calix. 336.a
Passio Domini omnibus passionibus erat maior, tribus de causis. 433.b
Passionem suam prædicit Christus, vt semper sit in cordibus nostris sanguis patientis. 316.b
Passionem suam Christus priusquam fieret, quare reuelauit. 335.a
Passus est Christus pro multis efficienter, pro omnibus sufficienter. 238.a
Pastorum defectus dupliciter intelligitur. 214.b
Pastores quos prius vocauit, vocat operarios. 215.a
Pastoribus malis improperat. 322.a
Pater quomodo supponit pro Trinitate tota, cum dicitur: Pater noster, qui es, &c. 121.a
Pater noster, qui es in cœlis, quare dicimus potiùs quam filius noster, & Spiritus sancte noster. ibid.
Pater noster, nota quare dicitur noster, & quare non dicitur, pater misericordiarum, pater benignitatis. ibid.b
Pater noster dicitur per communicationem inhabitantis gratiæ. 122.a
Pater noster per eam, quam in eo habemus communitatem. ibid
Pater noster est per eam, quâ nobis inuicem obligamur, fraternitatem. ibid.
Pater noster, quare dicere debemus, non, Pater meus, qui es in cœlis. 123.a
Pater noster dicitur ad vsum & fructum. ibid.
Pater sic influens meritò est orandus. ibid.
Patris primi influentia excedit infinitatem matris. ibid.
Patris semen semper simile sibi in sexu & aliis generaret, nisi, &c. in prologo.
Patris actus sunt sex, quibus filium facit, & tres quibus perficit ipsum. ibid.
Pater trahit per charitatem. ibid.
Patris tam corporalis quàm spiritualis semen fermento comparatur. 219.b
Patri inquantum genuit nos, tria conueniunt, amicitia patris, vsio eius ad natum, & consequens affectus in filium. 220.a
Pater sine gradu coniungitur filio, & sibi proximior est quam filius patri. ibid.
Pater noster qui, &c. quare Pater dicitur, non Dominus, non Deus, non magister. ibid.b
Patris nomine quomodo fiducia impetrandi causetur. ibid.
Pater noster, qui es in cœlis, quare dicitur, & non in cœlo. 125.a
Pater cœlestis largus est in filios. 141.b
Patris nomen quare in nobis sanctificatur potius quam alia nomina. 129.a
Pater impotens generare, adoptare non potest. 306.a
Pater & mater tripliciter accipiuntur. 328.a
Patrem vocare in terra interdicit Christus. 367.b
Paterfamilias quid significet, & quid eius exitus ad conducendum operarios. 382.a
Pati licet sit miserum, tamen pati propter iustitiam est gloriosum. 76.b
Pati Christum in Ierusalem congruit, quia per passionem itur in visionem æternæ pacis. 339.b
Patitur quis facilè, cum in gaudio & charitate patitur. 336.b
Patiuntur propter iustitiam, cur dicitur, non propter paupertatem, vel mansuetudinem, vel aliquid aliud. 77.a
Patientes decet nos esse in iniuria nostra, sed nullo modo in diuina. 58.a
Patientes propter iustitiam, tribus regnum constituentibus destituuntur. 77.a
Patriarcha est princeps pater. 3.b
Patriarcharum seminis dilatatio, ad quam tria exiguntur. 4.b
Patriarcharum seminis exaltatio, ad quam duo exiguntur. 5.a
Paucos pisciculos dicit, vt notetur virtus multiplicantis. 301.a
Pauperem persequentes maledicti. 403
Pauperes Spiritu quot modis dici possint. 69.a
Pauperes voluntarij quomodo habebunt præmium idem cum martyribus. 77.a
Pauperibus veris confertur tria ad regni sufficientiam requisita. 70.a
Pauperum rex & præmiator est Christus. ibid.
Pax multiplex. 75.b
Pax in affectibus carnalibus, & pax Christi differunt. 239.b
Pax quam promulgant prædicatores in hospitiis, permanebit. 210.b
Peccat Prælatus mortaliter si non prædicat. 216.b
Peccat aliquis in hominem multipliciter. 322.a
Peccant grauiter non recipientes prædicatores & verbum Dei. 221.a
Peccatum Dauid non præiudicauit veritati promissionis. 6.a
Peccatum quomodo dicatur culpa, quomodo vitium & quomodo peccatum. 61.b
Peccatum quomodo deleatur, & ea quæ se habent ad peccatum. 62.a
Ad peccati remissionem quatuor exiguntur. 342.a
Peccatum non recipientium verbum Dei, peccato Sodomorum comparatur. 221.b
Peccatum veniale dicitur venia dignum tribus modis, genere, [illegible] & circumstantia. 237.a
Peccatum dicitur [illegible] quia congruitatem remissionis non habet. ibid.b

Peccatum

Peccatum vt sit in Spiritum sanctum, exiguntur tria: & quot sint peccata in Spiritum sanctum in genere. ibid.
Peccatum dicitur palea. 261.b
Peccatum in Spiritum sanctum est impœnitentia gratiæ. 351.a
Peccati detestatio, cuius virtutis sit actus. 40.a, b
Peccati tres effectus. ibid.
Peccati seruus quamuis sit homo, tamen diabolus non est Dominus. 157.b
Peccata mortalia & hæresis sunt portæ inferi. 308.a
Peccata semel dimissa vtrum redeant post lapsum. 327.a
Peccatorum radices, non tentationum, quæ sint. 52.b
Peccatorum reliquiæ in genere sunt tres. 74.a
Pecuniam in vsus pauperum oblatam Christus noluit in vsum proprium conuertere. 318.a
Pera ponitur pro instrumentis quibus esculentum vel poculentum in futurum præparatum deportatur. 219.a
Percutienti maxillam dexteram quomodo debeamus præbere alteram. 105.a
Perdere quomodo debeamus animam vt saluemus. 321.a
Perditur omne quod in terra thesaurizatur. 153.b
Perfectus nunquam potest esse homo nisi capiat Deum. 243.b
Perficiuntur tribus veri discipuli Christi. 305
Periculum est remanere in religione, vbi non est Christus, sed tantum vestis. 439.b
Periurium quid sit, & quomodo dicatur analogicè de periuriis. 101.b
Periurio enormius crimen est blasphemia. 257.a
Perniciosum quid sit. 239.a
Persecutio magna erit tempore Antichristi. 380.a, b
Persecutionis Christi causæ fuerunt, inanis gloria, inuidia & superstitio. 252.a
Perseuerandum est in veritatis cognitione, in fide & charitatis affectione. 171.a
Perseuerantia vsque ad finem significata per [illegible]. 221.b
Personam hominis respicere seu recipere quid sit. 459.a
Peruersitas hypocritis triplex. 363.b
Quis in pestilentiæ cathedra sedeat. 361.b
An liceat aliquid petere. 138.b
Petere panem docemur, quare non etiam panes. 138.b
Non esse petenda nisi [illegible] quidam hæretici voluerunt. [illegible]
Petere habet homo non sibi soli, sed aliis etiam. 140.a
Petere non debemus panem [illegible], vel menstruum, &c. 141.b
Petite & dabitur vobis. Tria sunt necessaria ad implenda ista. 168.a
Petentium fiducia. 170.a
Petenti cui dandum sit. 167.a
Petitio postulatio, oratio, obsecratio, deprecatio, gratiarum actio differunt. 118.b
Petitio illa, *Panem nostrum quotidianum*, &c. continet. 137.a
Petitio omnis debet fieri in fraternitatis charitate. 140.a
Petitio, *Et ne nos inducas in tentationem*, videtur frustrà. 144.a, & b
Petitiones septem in oratione Dominica, & harum sufficientia, & quomodo regantur donis Spiritus sancti. 125.b
Petitioni huic, *Fiat voluntas tua*, non aliis, quare additur, sicut in coelo, & in terra. 136.b
Petitiones de amotione mali quare non sint plures. 147.a
Petrus & Andreas à Domino ter vocati sunt. 63.b
Petri dilectio. 291.a
Petrus quare sic dicitur, quare Simon, quare Cephas, quare vertex Apostolorum, &c. 305.b
Petrus præ omnibus & pro omnibus respondet. ibid.
Petrus Prælatos, Iacobus actiuos, Ioannes contemplatiuos significat. 312.a
Petrus præcipitur piscari piscium ad necessitatem hamo, animas autem sagena. 318.a
Petrus & Philippus missi creduntur ad adducendam asinam alligatam. 340.b
Petro dixit ter Dominus, Pasce. 382.b
Petrus vtrum necessariò negauerit Christum ex hoc quod ipse prædixerat. 415.a
Petrus quomodo sequebatur Iesvm, & quare non timuit illum, cuius amputauit auriculam. 421.b
Petri negationes. 423.a
Petrum quomodo respexerit Christus, an interiùs, vel exteriùs. 424.b
Pharisæi reprehenduntur à Ioanne. 43.b
Pharisæi & Saducæi quare dicuntur viperæ. ibid.
Pharisæorum iustitia quæ fuerit. 87.b
Pharisæi quid fecerint, vt iusti apparerent. 340.b
Philosophi qui sint. 241.a
Philosophiæ quare significantur per [illegible]. [illegible]
Pietas est beneuolentia in homines, & maximè in parentes. [illegible]
Pietas mirabilis in Christo [illegible]. [illegible]
Pilatus Pontius Præses [illegible]. 405.b
Pinnaculum templi quid sit. [illegible]
Pisces quare [illegible]. [illegible]
Pisces [illegible] sunt Iudæorum. 187.b
[illegible]
[illegible]
[illegible] 221.a
[illegible] 149.b
[illegible] 256.a
[illegible] 36.b
[illegible] 111.a
[illegible] per colorem cœli. 102.b
[illegible] 221.a
[illegible] in Palæstina sint. 190.a
[illegible] Deus operatur in nobis. 21.b

Pœnæ inflictio duplex. 180.a
Pœnæ vinculum multiplex. 308.b
Pœnitentia quid sit, & quomodo est prima virtus. 40.a
Pœnitentia in quo genere, & quando sit virtus. ibid.b
Pœnitentia est correctio malæ voluntatis, & non malæ naturæ. 61.b
Pœnitentia consistit in tribus partibus, quæ se continent. 62.a
Pœnitentiæ effectus tangitur, cum dicitur: Appropinquabit enim regnum cœlorum. ibid.
Pœnitentiæ partes septem significantur per septem panes. 300.b
Pœnitentiam agite, est prædicabile. 61.b
Polluunt nomen Domini quatuor. 128 b
Pompeius Iudæam primò fecit sibi tributariam. 317.a
Pontius Pilatus Præses dicebatur diuersis rationibus. 425.b
Porci proprietates pessimæ quid significent. 167.a
Porcus quare dicitur monstruosum animal. 201.b
Porcus nisi quis efficiatur per malos actus, dæmon non accipit potestatem in eum. 202.a
Porphyrius hæreticus arguit Matthæum de leuitate. 206.a
Per angustam portam oportet nos intrare ad vitam. 173.a
Porta quæ est introitus ad vitam redemptionis, Ecclesiæ, gratiæ, & gloriæ. ibid.
Porta quæ est introitus ad perditionem, est duplex. 174.b
Portæ inferi sunt hæreses & peccata mortalia. 308.a
Possessio in iure quid sit, & quid iure possideatur. 71.a
Possessio & possidere quid dicatur. 218 b
Possidere aurum interdicitur Doctoribus Christianæ religionis, conceditur tamen ad vsum. ibid.
Postulatio, petitio, oratio, obsecratio, deprecatio, gratiarum actio differunt. 118 b
Potestatem diminutam tentandi nos habet diabolus postquam est victus à Christo. 58.b
Potestas dominatus debet esse animata iustitia secundum Ambrosium. 130.a
Potestatem hanc oportet esse ordinatam legibus. ibid.b
Potestas regni duo habet genera potestatum. ibid.
Potestas regni debet [illegible] armorum & in[illegible]. ibid.
Potestas [illegible] admonet nos de quatuor. 146.a
Potestas docendi quadruplex. 183.b
Potestas Christi hominis & Centurionis comparantur. 189.a
Potestas obsidendi [illegible] sit tradita dæmoni. 193.b
An maioris potestatis sit [illegible] animam, vel corpus. 204.b
Potestas curandi [illegible] ibid.
Potestas humana triplex. [illegible]
Potestatem sibi [illegible] Dominus post resurrectionem, [illegible]
pientiam. 442.a
Potatus fuit Christus bis, nota quando & quare. 431.a
Præceptum eleemosynæ. 107.a
Præceptum ieiunij affirmatiuum est, & non ad semper obligat. 152.b
Præceptum primum, scilicet, *Diliges Dominum Deum*, &c. exponitur. 362
Præceptum secundum cur dicitur simile primo. 364.b
Præcepta tria dat Christus leproso sanato ad sanitatem conseruandam. 186.b
Præcipitur Petrus piscari pretium ad necessitatem hamo, animas autem sagena. 318.a
Prædestinatio iuuatur orationibus. 128.a, 204.a
Prædicare incipit Christus in Galilæa in ciuitate Capharnaum. 59.b
Prædicare, dicere, docere, quomodo differant. 61.a
Prædicare prohibuit Gentibus in prima missione, sed post resurrectionem misit prædicare omnibus, & hoc tribus de causis. 217.a
Prædicare pertinet ad ea quæ sunt super naturam. 443.b
Prædicandi authoritas est ex missione. ibid.
Prædicandum quibus non est, sunt duo genera hominum. 217.a
Prædicandum est sapientibus & insipientibus multis & paucis. 220.a
Prædicantur quæ fidei sunt: & quomodo Christus prædicauit. 213
Prædicauit Dominus his quos nouit præscitos & non deuotis, quare. 249.a
Prædicauit Deus solum Iudæis, non gentibus, cur. ibid.
Prædicationis officium, per metaphoram est rete. 63.d
Prædicationis retia reficiuntur studiis scripturarum & litteratorum virorum promotione. 64.a
Prædicationis officio nullus se ingerat, nec præce, &c. ibid.b
Prædicationis ponuntur duo modi differentes. 65.a
Prædicator sit bonæ opinionis & curam habeat de bono nomine. 65.a
Prædicator videns aulas plenas populorum incitatur ad prædicandum. 66.b
Prædicator dicitur operarius duplici de causa. 219.b
Prædicator dignus est cibo non voluptatis, sed necessariæ sustentationis. ibid.
Prædicator quando fugere debeat & quando non. 223.b
Prædicatores quando prædicant se quodam ornatu [illegible]. 265.b
Prædicatores de officio prædicationis [illegible] implere peras, significantur per Gabaonitas. 219.a
Prædicatores quale hospitium intrare debeant. 220.a
Prædicatores prohibentur discurrere per domos. ibid.
Prædicatoribus primis interdixit Dominus sollicitudinem [illegible], sed posteriores ad talia non obligantur. 218.b
Prædicat [illegible] Christus, vt semper sit in cordibus nostris sanguis patientis. 316.b
Prælationis magisterium interdicit Dominus, non actum. 367.b
Prælaturas desiderantes quomodo dicantur aues. ibid.
Prælatus quando carnali concupiscentiæ subiicitur, sal euanescit. 79.b
Prælatus lucens scientia & ardens charitate dicitur lucerna. 80.b
Prælatus quomodo corrigat. 90.a
Prælatus dicitur trabs. 165.a
Prælatus peccat mortaliter si non prædicet. 216.b
Prælatus debet quærere quæ sit opinio de eo, & in plebe, & inter alios Prælatos. 305.b
Prælatus quando visitat, tunc rex intrat ad discumbentes. 337.b
Prælatus malus est abominatio desolationis in templo. 378.b
Prælati prædicare debent per seipsos. 216.b
Prælati deberent per seipsos facere ea quæ sunt Christi. 222.a
Prælati mittuntur sicut oues. ibid.
Prælati opus quomodo & quando erit perfectum. 335.a
Prælati audiant verba Christi cum dicit, *Non est meum dare vobis.* 337.a
Prælati mali & auari latronibus comparantur. 344.a
Prælati attendant vineam sibi locatam, non datam esse. 352.a
Prælati dissoluti de subditis non quærunt nisi voluptatem. 389.a
Ex Prælatorum defectu miseria. ibid.b
Prælatorum institutorum ordo. 216.b
Prælatorum potestas, qua ordinantur ad subditos. 302.a
Prælatis missis ad capiendos malos, sunt duo necessaria. 222.b
Prælatis quæretur: quomodo intrasti, quomodo vixisti, quomodo exiisti. 358.a
Prælatis munditia necessaria. 391.a
Prælatis dantur quinque talenta. [illegible]
Prælatos Ecclesiæ ad instantiam operis inuitat. 332.a
Prælatos inuitat ad illuminationem subditorum per doctrinam. 318.a
Prælatos quos dicimus. 167.a
Præmium quod datur persecutionem patientibus propter iustitiam. 77.a
Præmium aureolæ quod debetur officio Christi. 189.a
Præparat Deus aliqua in nobis dupliciter. 21.a
Præscientia Dei non imponit rebus necessitatem. [illegible]
Præses Pontius Pilatus dicebatur diuersis rationibus. 425.b
[illegible] se inclinant per [illegible]. 146.a
[illegible] quomodo sit peccatum in Spiritum sanctum. 357.b
[illegible] 40.a
[illegible] magisterij, dignitatis, potestatis. 167.a
Primogenitum dicitur tribus modis. 225.b
Principes gentium dominantur eorum, &c. exponitur. 337.a, & b
Principatus appetitum interdicit, & suadet actum humilitatis, & vtilitatis. 367.a
Processus verbi à Patre primo rerum seminatore. 271.b
Prodigium & signum differunt. 381.a
Proficimus per tres gradus, vt ianuam regni pulsemus. 168.b
Proficisci quomodo Deus dicatur. 310.a
Prohibetur magis visus mulieris quàm auditus, vel olfactus, quare. 95.a
Prohibetur omnis libido innaturalis. 96.a
Prohibitio mœchiæ. 94.a
Promissio in tribus perfecta de semine nascituro. 190.b
Promissiones legis quæ sint. 84.a
Non promouentur ad officium prædicationis, nisi quem vocat Deus. 64.b
Propheta quare nemo acceptus est in patria sua. 282.a
Propheta quis sit, & quod Ioannes est plus quam Propheta. 234.b, 235.a
Prophetæ & lex vsque ad Ioannem, exponitur. 236.a
Prophetæ non sunt aliqui qui futura prædixerunt & adhuc prædicunt. ibid.
Prophetæ falsi, Simon magus de Samaria, Theodas, Iudas Galilæus, & alij quamplures. 376.a
Prophetia quomodo est signum futuri, & non causa. 21.a
Prophetia triplex, præscientiæ, prædestinationis, & comminationis. 20.b
Prophetia capitur largè & strictè. 32.b
Prophetia quomodo fuit finita vsque ad Ioannem. 371.b
Propria sapientiæ sunt quatuor. 325.a
Proprietates canis malæ quæ & quid significent. 266.b
Proprietates porci pessimæ quid significent. 167.a, & 201.b, & 202.a
Proprietates columbæ exponuntur plures mysticè. 213.b
Proprietates asini. 304.a
Prostratio toto corpore facta, quid significet. 31.a
Prouidentia Dei quomodo se habeat ad futura. 32.b
Proximus quare sit diligendus, & quis sit proximus. 108.a, & b, & 109.a
Proximus hominis quis, & quot modis dicatur aliquis proximus. [illegible]
[illegible] compassio describitur. 150.b
[illegible] qui sint, & quomodo differant à [illegible]. 241.a
[illegible], quid sit secundum Aristotelem. [illegible]
[illegible] mundi & [illegible] an sit mala. [illegible]
[illegible]
[illegible] à publico, & non à publico in publicum. [illegible]
[illegible] quomodo [illegible]
Pueri laudantur à multis. 337.a

Rr Prælationis

Pullus asinæ & asina alligata quid significent. 340.a.& b

Puluis in pedibus signum est itineris : nota multiplicem expositionem itineris. 221.a

Purgatur quis à peccatorum tenebris, & à peccatorum reliquiis. 74.a

Pusillus est paruus in fide. 319.a

Putare, dubitare, ambigere, opinari, credere, scire, existimare, coniicere, differunt. 82.a

Q

QVadrans nouissimus quis sit. 94.a

Quærere debet Prælatus quæ sit opinio de eo in plebe, & inter alios Prælatos. 305.b

Quæritur à Prælatis, quomodo intrasti, quomodo vixisti, quomodo existi. 358.a

Quærite primum regnum Dei, est locutio duplex. 161.b

Quærite consilium ab expertis, à scriptura, in vobisipsis. 168.a

Quæritur, quare Christus de desponsata Virgine nasci voluit, & assignantur octo causæ. 12.a

Quæritur, quare dicitur futurum, vt Herodes quærat puerum. 34.b

Quæritur, quare Ioannes dicitur Baptista à Baptismo suo, non autem Petrus, vel Paulus. 43.a

Quæritur, si aquæ haberent vim regeneratiuam ex contactu Christi, ad quid inuocatio Trinitatis. 47.b

Quæritur, quare Matthæus cap. 4. non adducit totam prophetiam, *Terra Zabulon, & terra Nephthalim, &c.* 60.b

Quæritur de mandatis, quæ Saluator omittit in enumeratione impletionis legis. 85.a

Quæritur, quare potius loquitur de viris, dicendo, *Qui viderit in literam*, quam de mulieribus, dicendo, quæ viderit virum. 95.b

Quæritur, quare dicitur, *Si oculus dexter scandalizauerit te*, & non sinister. 96.a

Quæritur, quare [illegible] præcipitur reconciliatio, & in secundo præcepto solum excluditur concupiscentia. 98.b

Quæritur, vtrum Moyses permiserit libellum repudii sine peccato. 99.a

Quæritur, an non resistere malo sit præceptum, vel consilium. 104.b

Quæritur, quare in [illegible] corporum potius [illegible] percussionem maxillæ. 105.a

Quæritur, an aliquis possit [illegible] 106.a

Quæritur, ex quo Deus scit [illegible] petimus, quare [illegible] 118.a

Quæritur, [illegible] dicitur, *Pater noster qui es in cælis*. [illegible]

Quæritur vtrum [illegible] noster, cum dicitur, Pater noster, Filius & Pater significetur communis nobis & Christo. ibidem. b

Quæritur, quare dicitur Pater noster, & non Pater misericordiæ, vel benignitatis, &c. ibid.

Quæritur, quare dicitur, *Pater noster qui es in cælis*, & non dicitur, in cælo. 125.a

Quæritur, quare dicitur in oratione Dominica, *Sanctificetur nomen tuum*, & non dicitur, sanctifica nomen tuum. 128.b

Quæritur cum nomen Patris sanctificatur, quid de aliis nominibus. 129.a

Quæritur, quare in oratione Dominica aliis petitionibus etiam non additur illa clausula, sicut in cœlo & in terra. 136.b

Quæritur, quare in oratione Dominica non docuit etiam petere potum sicut panem. 138.b

Quæritur, quare non docet plura petere quàm panem. 139.a

Quæritur, quare dicitur, *Panem nostrum*, & non meum. 140.a

Quæritur, an non dimittens debitoribus suis possit dicere orationem Dominicam. 144.a

Quæritur, vtrum Deus inducat aliquem in tentationem. ibid.

Quæritur, quid sit tentare, quid in tentationem induci, quid intrare in tentationem, & quid esse in tentatione. ibidem. b

Quæritur, quare quatuor sunt petitiones de boni adeptione in oratione Dominica, & tantum vna de mali amotione. 147.a

Quæritur de quo malo intelligitur petitio quæ dicitur, Libera nos à malo. ibidem.

Quæritur vtrum Deus aliquem odio habeat. 156.b

Quæritur, quare magis nominat dæmonem qui præest diuitiis quàm alium, quando dicit, *Non potestis seruire Deo, & mammonæ.* 157.a

Quæritur, vtrum diabolus possit dici Dominus alicuius hominis. ibid.

Quæritur, de qua sollicitudine intelligitur, quando dicit, *Nolite soliciti esse animæ vestræ, &c.* ibid.b

Quæritur, quare Dominus dictis suis addit rationem. 159.a

Quæritur, quare Dominus potius sumit similitudinem à volatilibus cœli, quàm à natatilibus, vel gressibilibus, vel reptilibus. ibid.b

Quæritur, quare addit Prophetas, dicendo, *Lex & Prophetæ, &c.* 173.a

Quæritur, quomodo Christus possit dicere, nunquam noui vos, & quomodo à Deo quis possit discere. 181.a

Quæritur, quare Christus [illegible] non solo verbo curauit, sicut Elisæus Naaman. 183.b

Quæritur, quare Dominus laudauit Centurionem

nem apud Discipulos tantùm, & non apud omnes. 190.a
Quæritur, quare nominat solum duas plagas dicens, *Multi ab Oriente & Occidente venient.* ibid.b
Quæritur, quare effectus miraculorum non ita attribuitur spei, vel charitati sicut fidei. 192.a
Quæritur, vtrum aliquis possit esse obsessus à diabolo. 193.b
Quæritur, vnde tradita sit dæmoni potestas obsidendi hominem. 194.a
Quæritur, qui homines fuerint in naui, quando Dominus imperauit ventis. 199.a
Quæritur, vtrum tam multi dæmones sicut legio possint esse in vno corpore. 200.b
Quæritur, vnde venerunt porci, in quos Christus permisit intrare dæmones. 201.b
Quæritur, quare Dominus permisit intrare in porcos, & non in aliud animal, & quare tantum damnum permisit fieri hominibus in porcis. 202.a
Quæritur, quæ ciuitas dicatur Christi ciuitas. 203.a
Quæritur, vtrum fidem propriam habuerit paralyticus, an aliena fide curatus. 204.a
Quæritur quare Christus vocauit Matthæum obligatum ratiociniis de susceptis vectigalibus, & qualiter comedit illicitè acquisita. 206.b
Quæritur, quare non reprehendit Archisynagogum sicut Regulum. 209.b
Quæritur de muliere, quæ fuit in profluuio sanguinis, quomodo audebat tangere Christum. 210.a
Quæritur, cum multoties Christus fecerit miracula coram turba, quare modo non facit similiter. 211.a
Quæritur, quare dicitur, *In ciuitatem Samaritanorum non intraueritis*, & non dicit viam. 217.a
Quæritur, vtrum Ioannes Baptista dubitauerit de Christo. 232.b
Quæritur, quare prædicauit Dominus non his, quos nouit deuotos, sed præscitis. 239.a
Quæritur, qua notitia Pater nouit filium, an creata vel increata. 243.a
Quæritur, quare Christus non fecerit mentionem suarum dignitatum. 237.b
Quæritur, quare Christus prohibuit Apostolis ire ad gentes, & tamen ipse in propria persona iuit. 297.a
Quæritur, quare Christus dicitur secessisse in partes Tyri & Sidonis, & non in locum. ibid.b
Quæritur, quare Matthæus dicit pullum fuisse cum asina, cum tamen Marcus dicit eum sedisse ante [illegible]. 30.b
Quæritur qualis fuit Christus, quis eum [illegible] fecit. 110.b
Quæstio [illegible] circa titulum libri Matthæi. 1.a
Quæstio, quare Matthæus non induxit personam aliquam in genealogia significantem nomen Salomonis sicut induxit significantes aliud. 3.a
Quæstio de hoc, quod allegatur ex Hieremia, & ibi non inuenitur. 417.a
Quæstionem an liceat sabbato curare, aliter formant Iudæi, aliter Christus. 250.a
Quæstiones plures mouentur. 20.a
Qui es in cœlis, ibi quinque notantur. 124.a
Quotidianus panis dicitur dupliciter. 140.b
Quotidiana necessitas comedendi vnde proueniat. ibid.

R

Racha Hebræum est interiectio indignantis. 90.b
Rachel quomodo dicatur plorare filios suos. 36.b
Reædificatio templi in sex perfici videbatur. 4.b
Ratio quæ & qualiter reddetur de verbo otioso. 259.a
Rationem dictis suis Dominus quare addit. 157.a
Radix charitatis est ad bonum sugendum, radix timoris contra malum. 156.b
Radices peccatorum non tentationum quæ sint. 12.b
Rhama est ciuitas Saul in sorte Benjamin. 36.a
Rhama verius dicitur esse appellatiuum, cum dicitur: *Vox in Rhama audita est.* ibidem.
Ranæ significant Philosophias hærentes ad phantasias. 381.a
Raptor violentiam sonat. 170.b
Recipienti se quid debet prædicator facere. 221.a
Recognitio debiti sine spe veniæ nihil valet. 143.a
Reconciliari quomodo debeamus aduersario. 92.b
Reddere iuramentum Domino quid sit. 101.a
De redemptionis nostræ Sacramento quæ dicuntur, omnia certissima sunt. 13.a
Redire quomodo dici possunt peccata post relapsum. 137.a
Reficere tecta quid sit. 5.a
Reficere est reparare deperditum ex labore, vel oneris grauitate. 144.b
Regalia insignia tria sunt, quibus Christum deferunt. 429.b
Regenerat nos Christus sua generatione, causans nostram spiritualem generationem. 19.a
Regeneratiua vis quomodo sit in aquis ex contactu Christi. 47.b
Regnum triplex notatur. 235.a
Regnum Apostoli exerçent in iudicio. 261.a
Regnum est sedere. 216.a
Regnum quid sit, in quibus consistit, & quid ad ipsum requiratur. 129.b
Regnum quare debet esse mundum. 133.b
Regnum quid sit secundum Dionysium. 132.b

Regnum quare dicitur Patris. 132.b
Regnum tuum adueniat: quare non dicit, veniamus nos ad regnum tuum. 133.a
Regnum Dei quando adueniat. ibid.
Regnum Dei dicitur retributio æterna. 161.b
Regnum quid sit, & quomodo regnum cœlorum vim patiatur. 235.b,& 236.a
Regnum in se diuisum desolabitur. 255.a
Regnum hoc erat distribuendum ex corde Christi in omnes Ecclesiæ Dei ministros. 256.a
Regnum quare sit simile grano sinapis. 273.b
Regnum cœlorum comparatur sagenæ missæ in mari. 279.b,280.a
Regnum cœlorum accipitur pro congregatione iustorum, vel pro completa potestate in officiis & legibus, vel pro gloria. 318.b
Regnum cœlorum quare dicitur gubernatio cœlestium officiorum. 332.a
Regnum cœlorum quid sit, & quomodo sit factum simile homini regi. 354.a
Regnum cœlorum quomodo clauditur, quando. 368.b
Regnum cœlorum non aliud intelligitur quam studium pulchritudinis. 390.a
Regni nomine importantur diuitiæ, & potestates. 58.a
Regni potestas debet esse determinata vrbanitatibus, & habet duo genera potestatis. 130.b
Regni dominatum in spiritualibus quæ faciant. 131.b
Regula in mandatis & votis. 248.b
Regulam Canonicam religiosis qui ingeminant, imitatores sunt Pharisæorum. 366.b
Religionem citò debemus exire, vbi non est Christus, sed tantum vestis. 439.b
Religiosi Monachi hypocritæ significantur per strathiones. 381.b
Reliquiæ peccatorum triplices, & quomodo ab eis purgamur. 74.a
Reliquiæ istæ sunt squamæ, quæ ab oculis Pauli ceciderunt. ibid.b
Reliquiæ peccatorum dicuntur progenies peccatorum. 127.b
Repellere violentiam & resistere malo differunt. 104.b
Repetere an aliquis possit sua coram iudice. 106.a
Reprehendit Ioannes Pharisæos & Saducæos. 43.b
Repudium quando datur. 329.a
Requies animarum est in visione veritatis, in amore bonitatis & in sinceritate æternitatis. 245.b
Requiem non inuenit cor hominis nisi in Deo. ibid.
Refectio [illegible] tria exigit necessaria. 67.b
Resistere malo quomodo non debemus. 104.b
Respicere personam hominis quid sit. 359.a
Respondentis prima virtus est interrogationem mentes cognoscere. 359.b
Resurgens IESVS apparuit Apostolis in Galilæa. 440.a
Resurget caro & alia membra. 396.b
Item. 361.b
Resurgent homines integrè. 385.a
Resurrectio generalis tribus procurabitur. 384.b
Resurrectionem celerem, scilicet tertia die, quare permisit Christus. 335.a
Resurrectio an fiet sine corpore. 361.b
Rete officium prædicationis. 63.a
Rete Petri trahit bonos. 280.a
Retia reficere quid sit. 64.a
Reuelatio in somnis fit multis modis & differenter. 38.a,b
Reuelatio fit per filium Dei. 242.a
Reuelauit Dominus illa paruulis, non dicit stultis vel hebetibus, quare. 241.b
Rex dicitur solus Dauid in genealogia Christi. 5.a
Rex licet sit supra legem, non tamen ei contrarius. 130.b
Rex in hoc regno est Deus. 132.b
Rex ferus & inhumanus degenerat in tyrannum. 354.b
Rex ille fecit nuptias, in natura, in spiritu, in gloria. 355.a
Rex iustitiam negligere non potest. 356.b
Reges sub quibus regnum Dei impugnari cœpit. ibid.b
Regibus cur dabatur fibula, sceptrum, diadema, &c. 132.b,133.a
Rubedo serotina & matutina quid indicet. 302.b
Rufa vitula enixa est agnam. 376.b
Ruinam facientia tria. 182.a

S

SAbaim conuersi venient ad filium & sequentur eum. 68.a
Sabbatizare præcepit Deus, vt homines in quiete cordis epulis Dei interessent. 356.a
Sabbatum an violaretur per opera, quæ erant ad cultum Dei. 248.b
Sabbati solutio fiebat in lege tribus modis. 248.b
Sabbati sanctificatio alia est, & alia obseruatio septimi diei. 249.a
Sacerdos quomodo & à quo absoluat. 309.a
Sacerdos tenetur diligenter cognoscere vultus pecoris sui. ibid.
Sacerdoti tenetur subditus semel se ostendere in anno. ibid.
Sacerdotis ligatio præcedit absolutionem. 302.b
Sacerdotes mali non differunt à latronibus. 344.a
Sacerdotes similes pharisæis, quibus maledicit Christus. 370.b
Sacerdotes & Scribæ quos congregauit Herodes propter Regem natum, arguuntur ex tribus. 29.a

Sacerdotibus cur leprosus curatus debebat se ostendere. 187.a
Sacra scriptura quomodo exponi debeat, docet Dominus. 300.b
Sacra scriptura non est contemplationis gratia, sed vt boni fiamus. 305.b
Sacramentalia legis veteris quæ sint. 84.a
Sacramentum primum destruens peccatum actuale, est pœnitentia. 61.b
Sacramentum Eucharistiæ quomodo sumitur. 138.b
Sacramenta non efficere sanitatem virtute propria, significauit Christus. 186.a
Sacramenta significantur per vasa piscatorum. 280.a
Sacramenta significant & continent gratiam remissionis peccatorum. ibid.
Sacramenta vendentes significantur per vendentes columbas in templo. 344.a
Sacramentum nemo aliter celebret quam institutum est. 408.b
Sacramentum Eucharistiæ quare cœna completa institutum. 410.a
Sacramentum Eucharistiæ Christus instituendo octo facit. ibid.a
Sacramentum sanguinis. 412.a.& b
Sacramentum Christi corpus & sanguis vnum sunt. ibid.a
Sacramenti veteris terminatio. 423.b
Sacramenti Baptismi formam nulli licet mutare. 443.a
Sacrificium non vult Deus nisi per accidens. 249.b
Saducæi & Pharisæi quare dicuntur viperæ. 43.b
Saducæi dicebantur Sadochæi à Sadoch. ibid.
Sagena bona & mala. 279.b. & 280.a
Sal præcipitur offerri in omni sacrificio. 79.a
Salis materia, ex qua generatur, est terra. 78.b
Salis definitio, effectus & proprietates. ibid.
Saltus filiæ Herodiadis, testimonium fuit lasciuiæ matris. 28.a.& b
Saluare potest nos Christus Iesus per hoc quod est Deus, & debet per hoc quod est homo. 21.a
Salutis antidota tria propter tres operationes dæmonum. 354.b
Saluum faciet populum suum, dicit Matthæus, & non omnes gentes, quare. 20.a
Sancti sicut obstupescunt in malis nostris, ita [illegible] ad bona nostra, & gaudent quando obtinemus ea. 125.a
Sanctorum & Christi merita sunt [illegible] credita. 308.a
Sanctum quid sit, cum dicitur, *Nolite dare sanctum canibus*: & differentia inter sanctum [illegible], & sacratum. 166.a
Sanctificatio quomodo sit destructio peccati in [illegible]. 127.b
Sanctificatio per emundationem est ex tribus. ibid.
Sanctificatio sabbati alia est, & alia obseruatio septimi diei. 249.a
Sanctificetur nomen tuum, an hoc sit nomen Patris. 126.a
Sanctificetur nomen Dei quod sanctum est, adhuc quadruplici sanctificatione. 127.a,& b
Sanctificetur quare dicitur, & non sanctifica. 128.b
Sanctitas quid sit, & quot modis dicatur sanctum. 127.b
Sanguinis Sacramentum. 412.a.& b
Sanguis & corpus Christi Sacramentum vnum sunt. ibid.a
Sapiens ordinare debet familiam ad rectitudinem. 325.a
Sapientes mundi qui sint, & quomodo differant à prudentibus. 241.a
Sapientia & prudentia mundi an sit mala. ibid.b
Sapientia diuina rusticæ simplicitati in omnibus se coaptauit. 276.a
Sapientiam Dei absconditam in mysterio verbi omnia loquuntur. ibid.
Sapientiæ, virtuti, & cælestibus studentem oportet amare solitudinem silentij. 277.b
Sapientiæ quatuor sunt propria. 325.a
Sata tria sunt tria quæ sunt in anima nobili. 119.b
Sata tria farinæ quid significent. 275.a
Scandalum actiuum nullus debet facere pro quacunque causa: Quid sit actiuum, quid passiuum. 106.a
Scandalum Ioannis præuenit Christus. 233.b
Scandalum erit impiis. 277.a
Scandalum prouenit ex duobus, & quomodo vitari scandalum actiuum debeat. 319.b
Scandalum infirmorum describitur tribus modis. 377.b
Scandalum passiuum docet vitare. 320.a
Scandala venire quomodo necesse sit. ibid.
Scandalizantes pœna quæ fuerit in Palæstina. 320.a
Scia duplex fuit in Christo. 290.a
Scia, prouidentia Dei & cura quomodo differant. 228.b
Scientia est habitus bene conuersandi. 215.a
Scientiæ liberales & virtutes sunt de perfectione naturæ humanæ, & etiam essent, si homo non peccasset. 61.b
Scientiæ excellentia est in tribus. 392.b
Scire, credere, existimare, opinari, & plura alia quomodo differant. 82.a
Sciuerunt dæmones Christum fuisse filium Dei. 201.a
Scorpio significat retro aspicere, quod est causa deceptionis. 171.a
Scribæ dicebantur magistri approbati, & quorum sermones scribebantur. 28.a
Scribæ & sacerdotes quos congregauit Herodes propter regem natum, arguuntur ex tribus. 29.a
Scribæ legis erant periti. 35.b
Scribarum iustitia quæ fuerit. 87.b
Scripturæ sacræ munitio. 80.a
Scripturæ sacræ librorum ordo. 31.b
Scripturarum studia significantur per aquam. 22.b
Scrutile verbum quod dicatur. 219.a
Secessisse dicitur Christus in partes Tyri & Sidonis, & non in totum. 227.a
Sectio [illegible] omnis partis per totum corpus. 396.a

Secretò quare assumpsit discipulos in montem. 334.b
Securi comparat Ioannes Baptista sententiam diuini iudicij. 45.a
Sedere in tenebris & in vmbra mortis, quid sit. 61.a
Sedere debet docens & studens. 97.a. 375.a
Sedere regnantis est. 336.a
Quis dicitur sedere in cathedra pestilentiæ. 365.b
Semen quod per patres descendit vsque ad Christum, quinque continet in genere notanda. 4.a
Semen patris tam spiritualis quam corporalis comparatur fermento. 119.b
Semen cum sit verbum Dei, in se habet naturam generantis. 265.b
Semen seminatum exponitur de homine. 270.b
Semen suscitare primi viri, quomodo secundus possit. 360 b
Seminis patriarcharum liberatio. 4.b
Seminis diuersitas ex parte suscipientis. 266.a
Seniorum traditio propter quam irritum fecerunt mandatum Dei. 294.a
Sensus communis, qui in corde est, vnus est. 117.a
De sensuum custodia interiorum & exteriorum. 390.a
Sententia Ecclesiæ timenda est valdè. 324.b
Separabit in iudicio oues ab hædis. 401.a
Sepelire mortuos pium est. 196.b
Septem mulieres apprehendentes virum vnum, sunt septem virtutes. 331
Septem spicæ pullulantes in Christo sicut in culmo vno. 300.b
Septem panes significant septem pœnitentiæ partes. ibid.
Septem sportæ sunt septem abundantiæ scripturæ. 301.b
Sepulchrum custodiuerunt Iudæi, instinctu Spiritus sancti. 436.a
Sepulturæ Christi modus. ibid.b
Sequebantur multi Christum, cuius tanguntur causæ, & quare Euangelista dicit, multi & non, omnes. 65.b 185.a
Sequere me, quare dicit Dominus, & non imitare. 206.a
Sequi volens Dominum debet abnegare seipsum. 310.b
Sequendus est Dominus propter tres rationes. ibid.
Sequutus est Matthæus Dominum imitando profectum virtutis. 206.a
Serenitatis signum quare & quomodo sit serotina rubedo. 302.b
Sermo vester sit, est est, quare dicitur, est est. 103.b
Sero an comedendum sit, & quid. 141.a
Serpens significat perfidiam erroris, contrarium fidei. 171.a
Serpens colombinos quis. 222.b. 223.a
Seruilia opera violant sabbatum. 248.b
Seruire nemo potest duobus Dominis. 156.a
Seruire diuitiis quid sit. 158.a
Seruitia coacta Deo non placent. 134.a
Seruitutis modus optimus quis. 244.b
Seruus peccati quamuis sit homo, non tamen diabolus est Dominus. 157.b
Serui isti fuerunt viri zelum Dei habentes. 350.a
Serui missi vocare ad nuptias regis, qui fuerint. 355.b
Serui mali stipendia. 389.b
Sidon, venatio. 297.b 238.b
Signum quale Iudæi à Christo petiuerint. 259.a. b
Signum Ionæ fuit signum mortis Christi. 260.a
Signum consummationis sæculi. 378.b
Signum & prodigium quomodo differant. 381.a
Signa quædam sunt, & non causæ, & quædam causæ. 21.a
Signa quæ circumstant iudicium extremum. 383.b 384.a
Similia duo pulcherrima in naturalibus de reuelatione quæ fit à patre per filium. 243.a
Simplicitas columbæ coniungitur serpentinæ prudentiæ. 222 b. 223. a
Simplicitas, mansuetudo, innocentia differenter sunt in homine & oue. 231.a
Sinapis proprietates. 273.a
Sinapis granum est minimum. 274.a
Sodomia quare non prohibetur à Domino expressè. 94.b
Sodomorum peccatum quomodo fuit pessimum, & quomodo non. 221.b
Sol & lumen eius, inducuntur pro simili, quomodo Pater omnia reuelat per filium. 243.a
Sol quomodo obscurabitur in aduentu Christi in iudicio, & quomodo cadet cum stellis aliis de cœlo. 383.a
Solem suum oriri facit super bonos & malos. 110.a
Sollicitudo duplex, & quæ non interdicatur. 157.b. 158 a
Sollicitudo charitatis deprehenditur in quatuor. 145.a
Sollicitudo laudabilis multiplex. 158.a
Sollicitudo laudabilis, vituperabilis, tolerabilis. 158.a
Sollicitudo futurorum primis Prædicatoribus fuit interdicta: ad hoc posteriores non obligantur. 218.b
Sollicitudinem prohibendo quare potius sumit similitudinem à volatilibus quam ab aliis animalibus. 159.b
Soluere legem est vinculum legis non attendere. 86.b
Solui Sabbatum dicit Dominus, ad quid. 249.a
Solutio sabbati fiebat in lege tribus modis. 248.b
Solus Christus in monte. 289.b
Somnium an fuerit apparitio Ioseph. 18.a
Somniis quomodo contingat videre & prædicere futura. ibid.b
Somnus est ligamentum sensuum, & vnde proueniat. 17.b
Somnus qualis fuerit Sancti Ioseph. 18.a
Somni diuersitas inducit diuersitatem apparitionum. ibid.
Spina nigra & magna significat hæreticos. 177.a
Spina

T

Spina alba siue tribulus, quid significet. ibid.
Spiritu quomodo [illegible] cum dicitur, *Beati pauperes spiritu.* 69.a
Spiritus immundos Christus eiecit verbo. 193.b
Spiritus blasphemiæ differt à blasphemia. 257.a
Spiritus nouus quem innouat Deus in visceribus nostris, duo operatur in nobis. 208.a
Spiritus non quiescunt in stante, vel ambulante, & in iacente non sunt puri, sed in sedente sunt puri & quiescunt. 375.a
Spiritus sanctus quare non dicatur pater Christi. In prol.
Spiritus sanctus præuenit naturæ impetum. 58.b
Spiritum sanctum esse patrem Christi secundum generationem temporalem affirmant Eluidiani hæretici. 19.a
Spiritus sancte noster cur non dicimus in oratione Dominica, sed Pater noster. 121.a
Sponsus quis dicatur, & quæ sponsa. 391.b
Stagnum Genezareth fluiditatem mundi significat. 62.b
Status altissimus est beatitudo quæ in abdicatione rerum consistit. 69.b
Stella occultauit se à Magis propter tria. 25.a
Stella quæ magos perduxit, differt ab aliis in quinque, natura scilicet, situ, motu, claritate & significatione. ibid.b
Stella quæ perduxit Magos, dicitur eius, hoc est, pueri nati quadrupliciter. 26.a
Stellæ perducentis Magos quis effectus mysticus, & quæ significatio. ibid.b
Stellæ quæ magos perduxit, iterata reductio, quid significabat. 30.a
Stellæ quomodo cadent de cælo tempore iudicij. 383.a
Stridor dentium ex frigore prouenit, & quomodo differt à tremore. 195.b
Struthiones significant monachos hypocritas. 381.b
Studentem virtuti, sapientiæ & cælestibus oportet amare solitudinem silentij. 277.b
Studium virtutis est thesaurus. 277.b
Studij Euangelij modus & duplex fructus. In prol.
Studia Scripturarum significantur per aquam. 123.b
Stylus dicitur quasi stans in alto. 133.b
[illegible] est dos electorum, non fit per [illegible]. 277.a
[illegible] tria sunt necessaria. 67.b
Sufficientia solum ex summo bono est. 69.a
Sufficientia [illegible] ex tribus accipitur. 70.a
Suffocare quid significet, & quomodo suffocemur spinis. 71.a
Suscitare semen primi viri quomodo secundus possit. 360.b
Quomodo suscitatur spiritualiter Dominus. [illegible]
Sylua, [illegible], & significat doctrinam Christi. 353.b
Synagogam extirpandam esse dicit Ioannes Baptista. 45.a
Tabernaculum vnum est legis, prophetiæ, & Euangelij, tricameratum tamen. 313.a
Tabernacula tria, admirationis, delectationis & quietis. 163.b
Tabor est mons, in quo transfiguratus est Christus. 312.a
Talentum vnum est naturale bonum. 398.b
Talenta quinque dantur Prælatis, sed aliis non dantur omnia. 396.a
Talenta quare non dantur tria. ibid.
Talenta cui duo dantur, plus recipit pondere: licet ille cui quinque, plus numero. ibid.
Telonium vnde dicatur. In prol. & 205.b
Templum vnde dicatur. 128.a
Templi reædificatio in sex videtur perfici. 2.b
Tempus quod exquisierat Herodes à Magis, quod fuerit. 36.a
Tempus ieiunij. 152.b
Tempus vitæ hominis est in vltimæ horæ adiectione. 408.b
Tempora tria habet homo. 265.b
Tentari Christus quare voluit, duplex ratio. 52.a
Tentari à Deo aliud est, & aliud à Diabolo. Tentatio quid est, & quot tentationis incitamenta, quædam extra nos, quædam in nobis. 52.a
Tentandi nos diabolus diminutam potestatem habet. 58.b
Tentat diabolus, & an tentatio sit peccatum vel cum peccato, & quod tentatio qua Christus tentatus fuit, non fuit nisi extrinsecus. 53.a
Tentat Deus. ibid.
Tentatio secunda à Matthæo posita, ponitur tertia à Luca. 56.a
Tentationum victoria quid in nobis efficiat. 57.b 58.b
Tentationis modi. 52.a
Tentationi locus congruus, est desertus. 51.a
In tentationem induci quid. 144.b
Tentationum occasiones non debemus nobis facere. 52.a
Tentationes & infirmitates contingunt quinque modis. 204.a
Tentationum victoria Christus nobis meruit Angelorum coniunctionem. 58.b
Tentatur Christus de veritate vitæ. 362.a
Tentauerunt Iudæi Christum de veritate iudicij & iustitiæ. 359.a
Tentauerunt Christum de veritate fidei & religionis. 359.a
Tentatis condolendum est. 145.a
Tentatoris potestas admonet nos de quatuor. 146.a
Tenebra quare dicitur corporeus actus noster. 153.a
Tenebræ interiores & exteriores quæ sint. 61.a
Terra triplex secundum quandam Glossam. 71.a
Terra quomodo habeat cor. 260.b
Terræ bonæ conditiones. 267.a
Terræ diuersitas in bona voluntate & malitia quomodo diuersificet fructum. ibid.
Terræ

Terrænascentia sola quidam hæretici petenda voluerunt. 139.b
Testamenti Veteris Sacramenti terminatio. 413.b
Testimonium natiuitati Christi tres dant in cælo. 23.a
Theatrum vnde dicitur. 237.a
Theophania est lumen à Deo descendens in animam, & quare sic dicatur. 75.a
Thesaurizare possumus nobis & Sanctis. 153.b
Thesaurus sapientiæ. 154.a
Thus quid significet. 21.b
Timocratia quid sit, & vnde dicatur. 130.b
Timocratiā spiritualē quomodo habeamus. 132.a
Tibicines fuerunt, tibiis canentes carmina lugubria. 211.a
Timor Dei corripit culpam. 284.a
Titulus libri Matthæi. 1.a
Tolerabilis sollicitudo est multiplex. 158.a
Tollite iugum meum super vos: seruitutis modus hic est optimus. 244.b
Trabs quis vocetur. 165.a
Traditio seniorum propter quam irritum fecerunt mandatum Dei. 294.a
Traditionis Christi pactum cum operis perfectione. 406.b
Traditus est Christus à Patre, à se, à Iuda, à Iudæis. 316 b
Trāsfiguratus est Christus in mōte Thabor. 312.a
Transgressiones quatuor legum. In prol.
Transitus ille quo dicuntur cælum & terra transire, quid sit. 84 b
Tremor in membris quomodo causetur. 191.b
Tribulatio quæ veniet tempore Antichristi, erit magna propter tria. 380.a
Tribus terræ quæ dicantur. 383.b
Triduum, quo turbæ sustinent Dominum, est compunctionis, confessionis, & satisfactionis. 300.a
Tributum & census qualiter dabantur à Iudæis. 317.b
Tristes fieri & tristes esse differunt. 152.a
Tristitia ieiunij prohibetur nobis. ibid.
Tristitia quædam est passio, quædam propassio, & quomodo Christus fuerit tristis. 416.a
Triticius panis, materia Sacramenti Eucharistiæ. 410.b
Triticum significat electos. 46.b
Triticum degenerat in siliginem & econtra. 410.b
Tuba vocatur quæ ex intentione propalat opus. 113.b
Tumor mentis est obstaculum veritatis. 241.b
Tunica est vestis interior corpori tegendo necessaria. 106.a
Turba secuta est Iesum propter quatuor causas. 185.a
Turba à turbando dicitur. 195.b
Turba tumultuantium cogitationum. 338.b
Turbæ quæ præcedebant & sequebantur Domino equitantem, quid significent. 341.a
Turbatio ciuitatis Hierusalem valde irrationabilis, cuius ponuntur tres causæ. 37.b
Turbatus est Rex Herodes & omnis Hyerosolyma in aduentu Regum. ibid.a
Turpe lucrum condemnatur. 140.a
Tyrus est ciuitas metropolis Phœnicis. 238.b
Tyrus angustia. 297.b

V

VÆ septem propter septem corruptiones. 368.a
Væ illis qui persequuntur pauperem. 403.a
Vasa quare rumpit vinum nouum. 208.b
Vasa dicuntur corda dæmoniacis operationibus plena. 256.a
Vendentes Sacramenta significantur per vendentes columbas in templo. 344.a
Vendere vniuersa quæ habentur, quid sit. 278.a
Velum templi scissum est, exponitur mysticè. 434.a
Venam habet vita in filio Dei. 306.a
Venatio duplex, bona, & mala. 297.b
Veniale peccatum dicitur venia dignum tribus modis. 257.a
Ventus periculosus in mari quis sit. 291.b
Venti habent de natura sua quatuor. In prol.
Ventilabrum vnde dicitur, & quare Iudæi sic dicti sunt. 46.b
Verbum Dei cum sit semen, generantis in se habet naturam. 265.b
Verbum Dei quomodo tractiuum sit. ibid.
Verbum Dei non recipit in profundum cor tritum consuetudine peccati & delectationum. 266.a
Verbum Dei suscipiendum est primo potius cum gemitu quàm cum gaudio. 270.b
Verbum Dei quantum in se est, non pullulat nisi in diuinum aliquid. 272.a
Verbum fidei habet sinapis proprietates. 273.b
Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram, quomodo intelligitur. 24.b
Verbum à quo vita dependet, quod sit. 55.b
Verbum triplex. ibid.
Verbum Dei dicitur panis propter tres proprietates. 137.b
Verbum & ipse intellectus in anima habent se sicut pater & filius in diuinis. 243.b
Verbum otiosum differt ab indifferenti, sterili & pernicioso. 259.a
Verbi processus à Patre primo seminatore. ibid.
Verbo, genuit, non vtitur Lucas, sed qui fuit. 4.a
Verbo eiecit Christus spiritus immundos. 183.b
Vereri timere est cum reuerentia. 351.a
Veritas per templum & omnem eius ritum figuratur. 247.a
Veritatis omnis inquisitio incipit ab admiratione. 183.b
Veritas Euangelica omnibus humanis anteponenda. 293.a
Vesperam scriptura computat pro nocte. 417.a
Vestimenta quinque habuit Christus, & quomodo diuisa. [illegible]
Vestis alba in transfiguratione significat Sanctos. 313.b
Vestis nuptialis est vestimentum charitatis & honestæ conuersationis. 352.b
Veteris Testamenti Sacramenti terminatio. 413.b
Vexatio triplex. 214.b
Via [illegible] 341.b
Via & vestimenta & alia quæ fiebant, Domino equitante, moraliter exponuntur. 341.
Viam regenerationis præparauit Ioannes. 253.a

Victoria tentationum in nobis quid efficiat. 58.b
Victoria tentationum Christus nobis meruit coniunctionem Angelorum. ibid.
Victus diabolus ab aliquo, non audet vlterius tentare. ibid.
Videbunt Deum qui sunt mundi. 75.b
Videri ab hominibus vanum est. 153.a
Vigilantis serui meritum. 388.a
Vigilare monemur. 387.b
Villa intelligitur omnis occupatio humani laboris à vocatione æternorum retinens. 356.a
Vim quomodo patiatur regnum cælorum, & quid sit vis. 236.a
Vinculum pœnæ & culpæ. 308.b
Vineam plantauit homo quidam. 349.b
Vineam sibi locatam non datam attendant Prælati. 352.a
Vinum quare non interdicitur ieiunantibus. 150.b
Vinum spiritum dirigit sursum, lætificat mentem, &c. 177.b
Vinum nouum tres habet calores. 208.b
Violabatur sabbatum in lege tribus modis. 248.b
Violentum quid sit, & quid violentia, & quòd violenti rapiunt cælum. 236.a
Vipera dicitur quasi vi pariens. 43.b
Vir dicitur Ioseph à vigore & virore. 9.b
Vir Mariæ quare dicitur Ioseph. ibid.
Vir & mulier quomodo se habeant penes paritatem, vel superpositionem. 10.b
Virga duplex. ibid.
Virginea sinceritas quid sit, & quomodo consistat in quinque. 13.a
Virginitas grata est Angelis. ibid.b
Virginitas est in carne corruptibili incorruptionis diuinæ æterna meditatio. 271.a
Virginitatis custodia & periclitatio. 390.b
Virginitatem conseruant quinque. 391.a
Virgo quæ fornicata fuit, quando lapidabatur & quando non. 11.a
Virgo continuè meditatur diuinam munditiam. 13.a
Virginis partus occultatus diabolo. 11.a
Virgines quomodo faciant fructum centesimum. 267.a
Virgines decem, quare dicitur in parabola. 390.a
Virgines quæ dicantur fatuæ, & quæ prudentes. 391.b
Virginibus fatuis ianuam clausam sponsus non aperit. 395.a
Virtus, felicitas, beatitudo differunt, & circa quæ consistant cardinales, & quid sit virtus secundum Tullium. 68.a
Virtus quælibet quando dicatur virtus, & quando iustitia. 35.b
Virtus multis modis dicitur prima. 40.a & b
Virtutis cuius actus sit detestatio peccati. ibid.b
Virtutis opus plus consistit in modo quàm in factis. 222.a
Virtutis opus accipi oportet ex nobis. 171.b
Virtutis profectus in comparatione ad finem. 278.a
Virtutis tres sunt profectus, & quomodo tria virtutum genera significantur per tria sata. 275 b.
Virtutis studium est thesaurus. 277.b
Virtutes multas non poterat facere Christus in patria sua, quomodo intelligitur. 282.b
Virtutes cælorum mouebuntur, exponitur diuersimode. 383.a
Virtutes inopes sunt sine charitate. 171.a
Virtutes & scientiæ liberales sunt de perfectione naturæ humanæ, & essent si homo non peccasset. 61.b
Virtutibus, sapientiæ, & cælestibus studentem oportet amare solitudinem silentij. 277.b
Visio duplex, rei, & videntis. 216.a
Visitare primò debemus templum in omni loco. 343.a
Vita indiuidua viri & mulieris triplicatur. 10.b
Vita Ioannis Baptistæ commendatur. 42.a
Vita dependet à verbo, non à pane nisi secundum quod virtus verbi est in ipso. 55.b
Vita Ecclesiastica est cruci conformata. 197.b
Vita quomodo est à patre, filio, & Spiritu sancto. 306.a
Vitæ austeritas Apostolorum & Domini. 246.b
Vitam contemplatiuam & actiuam quomodo dextra & sinistra significent. 98.a
Vitis proprietate sua quid significet. 177.a
Vitibus primitiui patres comparati. 349.b
Vitula rufa quæ in sacrificium offerebatur, enixa est agnam. 376.b
Vituperabilis sollicitudo multiplex. 158.b
Vituperantur mulieres, formas prospectibus hominum obiicientes. 96.b
Vlulatus & ploratus differunt. 36.b
Vmbram quomodo habeat virtus Altissimi. 18.b
Vocare venit Deus non iustos, sed peccatores. 207.a
Vocat generaliter omnes Deus. 243.b
Vocat Deus omnes homines, sed differenter. 393.b
Vocatio duplex, interior & exterior, quomodo fiat. 64.a
Vocationes ministrorum Ecclesiæ duæ sunt formaliter, licet plures materialiter. 62.b
Vocationes Apostolorum quomodo figuratæ sint. 63.b
Vocatus quando sit Matthæus. 206.a
Vocati sunt ter à Domino Petrus & Andræas. 63.b
Vocatorum Apostolorum idoneitas. 64.a
Volucres cæli quos significent. 196.a.b
Volucres significant dæmones. 266.a
Voluntas Dei ordinata quomodo imponat necessitatem rebus. 33.b
Voluntas non negatur per verbum, nolo, sed solum volitum. 82.a
Voluntas est in ratione. 135.a
Voluntas est vniuersalis in animæ regno. ibid.
Voluntas facit impetum ad opus. ibid.
Voluntas tua dicitur, scilicet, Patris cælestis quinque modis. ibid.b
Voluntas auctoritatis, voluntas Dei antecedens, voluntas consequens, quæ dicatur. ibid.
Voluntas est appetitus cum ratione. 133.b

Voluntatis tres sunt libertates. ibid.
Voluntas Dei est semper bonum nostrum. 186.a
Voluntas Dei bona, placens, & perfecta quæ sit. 362.b
Voluntatem Dei nullus hominum effugere potest. 136.b
Votorum & mandatorum regula. 248.b
Vouere voluntatis est, & reddere necessitatis. 91.b. 92.a
Vouere & non soluere, augmentum iniquitatis. 348.b
Vox tria habet in se. 41.b
Vrbanitates tres, Monarchia, Aristocratia, & Timocratia. 130.a
Vrbanitates spirituales quomodo efficiantur in nobis. 131.b
Vrbanitatibus regni potestas debet esse determinata. 130.a
Vsura est venenum aspidis quod latenter omnes facultates domus, quam intrat, ad se trahit. 107.b
Vsus cæli ad splendorem contemplationis in gloria. 124.a
Vsus Sacramenti Eucharistiæ. 411.b
Vt & similes coniunctiones quid notent. 27.a
Vtres veteres & noui qui dicantur. 208.b. & 209. a
Vulpes quasi voluipes. 196.a
Vxor non est nisi legitime coniuncta. 99.b

Z

Zebedæus non fuit diues, nec pauper. 64.b
Zebedæi filij an reliquerint patrem. ibid.
Zelus salutis nostræ in Christo mirandus. 56.b
Zizania quid. 272.a
Zizania quomodo superseminauit diabolus. ib.

F I N I S.

NDEX

INDEX

Locorum sacræ Scripturæ, qui in Commentariis in Matthæum explicantur.

A primam columnam designat, b secundam.

Genesis.

Cap. 2. FACIAMVS ei adiutorium simile sibi. fol. 10. col. b
4. *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terrâ.* 426.a
21. *Eiice ancillam & filium eius.* 424.a
22. *Expectate me hic cum asino, ego & puer illuc properantes, &c.* 115.a
24. *Suspendi inaures ad ornandum faciem eius, & armillas in manibus eius.* 10.b
32. *Missus de valle Hebron venit in Sichem.* 351.a
37. *Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph.* 428.a
42. *Ioseph iuratus per salutem Pharaonis.* 102.a
49. *Benjamin lupus rapax, manè diuidet prædam, & vespere diuidet spolia.* 222.b
49. *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* 23.b

Exodi.

3. *Qui est, misit me ad vos.* 125.a

Leuitici.

19. *Non periurabis in nomine meo, neque pollues nomen Dei mei.* 100.b

Deuteronomij.

32. *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.* 322.a
32. *Generatio enim peuersa, & infidelis filij.* 236.b
33. *Inundationes maris quasi lac sugent, thesauros occultissimos arenarum.* 279.a

Iosue.

7. *Siclos argenti, & regulam auream, & pallium coccineum abscondi.* 397.a

1. Regum.

22. *Venerunt ad David omnes, qui erant in angustiâ constituti, & oppressi ære alieno.* 244.a

3. Regum.

11. *Ahias scidit pallium suum nouum, & ait ad Hieroboam, Tolle tibi decem scissuras.* 272.b

2. Paralipomenon.

vlt. *Incurvatus sum multo vinculo ferri, & non est respiratio mihi.* 308.b

Iob.

1. *Erat vir ille magnus inter omnes orientales.* 15.b
8. *Nunquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aquâ?* 370.a
19. *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum.* 434.b
19. *Quis mihi det, vt scribantur sermones mei, &c.* 2. a
24. *Transibunt ab aquis niuium, ad calorem nimium.* 191.b
37. *Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflauerit terra austro.* 222.b
41. *Quis reuelabit faciem indumenti eius, in medium oris eius quis intrabit? portas vultus eius quis aperiet?* 146.b

Psalmorum.

1. *In cathedra pestilentiæ non sedit.* 365.b
4. *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.* 397.a
11. *Defecerunt veritates à filiis hominum.* 341.a
17. *Filij alieni inuetrati sunt, & claudicauerunt à semitis tuis. In prol.*
18. *In sole posuit tabernaculum suum.* 10.a
22. *Calix meus inebrians quam præclarus est.* 412.a.b
32. *In psalterio decem chordarum psallam tibi.* 391.a
37. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum.* 411.a
44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis.* 31.b
45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* 123.b
49. *Pulchritudo agri mecum est.* 271.b
49. *Congregate illi sanctos eius.* 385.a
56. *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* 6.a
54. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ.* 50.a
57. *Præuenerunt principes coniunctis psallentibus, &c.* 22.a
64. *Sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.* 328.a
67. *Dominus nomen eius.* 352.a

67. *Vnanimes habitare in domo.* 122.a
68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* 431.a
75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* 394.a
83. *Passer inuenit sibi locum, & turtur nidum, vbi ponat pullos suos.* 91.b
85. *Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur.* 303.a
95. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.* 342.b
103. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* 128.a
104. *Edi[illegible] in penetralibus regum [illegible].* 382.a
109. *In splendoribus sanctorum ex vtero, ante luciferum genui te.* 219.a
110. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.* 362.b
118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.* 95.b
119. *Sagittæ potentis acutæ.* 55.a
125. *Euntes ibãt, & flebãt mittẽtes semina sua.* 12.b
146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* In prol.

Prouerbiorum.

1. *Vt detur paruulis astutia, adolescenti autem intellectus, & scientia.* 223.a
5. *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus.* In prol.
9. *Illusor solus portabit malum.* 35.a
15. *Septies cadit iustus, & resurgit.* 9.b
16. *Qui dominatur animo suo, fortior est expugnatore vrbium.* 70.b
18. *Impius cum in profundum venerit, contemnit.* 143.a
30. *Oculum qui subsannat patrem, & despicit partum matris suæ, suffodiant eum corui de torrentibus.* 193.b
30. *Oculus subsannantis patrem, & qui despicit partum matris, suffodiant eum corui de torrentibus.* 97.a
30. *Tria sunt insatiabilia, & quartum quod nunquam dicit, Sufficit.* 386.b
31. *Mulierem fortem quis inueniet, procul, & de vltimis finibus pretium eius.* 12.b
31. *Quæsiuit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.* 455.b
31. *De nocte surrexit, deditque prædam, & cibaria.* 437.a

Canticorum.

1. *Osculetur me osculo oris sui.* 2.b
1. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* [illegible]
2. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* [illegible]
2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas.* [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

rum fructibus. 22.a
4. *Vulnerasti cor meum, in vno oculorum tuorum.* 155.b
5. *Messui Myrrham cum aromatibus meis, bibi vinum meum cum lacte meo.* 208.b
5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* 302.b
5. *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* 172.a. 410.b
7. *Collum tuum sicut turris eburnea.* 339.a
7. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* 219.a
8. *Pone me super cor tuum, & super brachium tuum.* 135.a

Ecclesiastici.

1. *In thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas.* 154.a
7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* 164.a
20. *Homo Acharis quasi fabula vana.* 79.a
31. *Beatus vir, qui post aurum non abiit.* 114.b
34. *Dona iniquorum non probat altissimus.* 91.b

Isaiæ.

8. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* In prol.
8. *Antequam sciat puer vocare patrem & matrem, detrahentur spolia Damasci.* 12.a
10. *Verbum abbreuiatum fecit dominus super terram.* 14.b
11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* 39.b
11. *Egredietur virga de radice Iesse.* 5.a
13. *Ecce suscitabo super vos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint.* 218.b
13. *In deserta habitabunt struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius.* 381.b
14. *Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen.* 127.b
26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* 21.b
16. *Præparabitur in misericordia solium eius, & sedebit super illud.* 151.a
21. *Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.* 308.a
24. *Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra.* 434.a
26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, saluator ponetur in ea, murus, & antemurale.* 80.a
29. *Terram gigantum detrahes in ruinam.* 434.b
30. *Tauri tui, & pulli asinorum terram operantes commistum [illegible] comedent.* 355.b
37. *Dies tribulationis, & angustiæ, correptionis, & blasphemiæ dies hæc.* 145.b
40. *Exalta in fortitudine vocem tuam.* 86.b
[illegible]
[illegible]

Ieremiæ.

[illegible]
[illegible]

23. *In Prophetis Ierusalem vidi similitudinem adulterij, & iter mendacij.* 176.a
46. *Fortis impegit in fortem, & ambo corruerunt.* 256.a

Threnorum.

4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.* 128.b
4. *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* 143.a

Baruch.

3. *Filij Agar qui exquirunt prudentiam, quæ de terra est, negociatores terræ, &c.* in prolog.

Ezechielis.

9. *Signa thau super frontes virorum gementium, & dolentium.* 215.b
32. *Descenderunt in infernum cum armis suis, & posuerunt gladios suos sub capitibus suis.* 281.a
34. *Facta sunt oues meæ in deuorationem bestiarum agri, eo quod non esset pastor.* 214.a
42. *Exedra fuerunt in templo.* 363.b

Danielis.

7. *Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.* in prol.

Oseæ.

4. *Ligauit eum Spiritus in alis suis.* [illegible]
11. *Puer erat Israel, & dilexi eum, & ex Ægypto vocaui filium meum.* [illegible]
12. [illegible]
12. [illegible]
14. [illegible]

Ioelis.

2. [illegible]
2. [illegible]
2. [illegible]
Vlt. [illegible]

Amos.

6. [illegible]

3. *In medio duorum animalium notum facies.* 431.b

Zachariæ.

8. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium.* 150.a

I. Machabæorum.

10. *Misit Ionathæ Alexander fibulam auream, sicut est consuetudo dari cognatis regum.* 333.a

Marci.

9. *Omnia possibilia sunt credenti.* in prol.

Lucæ.

4. *IESVS autem transiens per medium illorum ibat.* 131.b
12. *Nunc quidem Pharisæi [illegible].* 118.b
16. *Induebatur purpura, & bysso.* 234.a
15. [illegible] 174.b
19. [illegible] 350.a
20. [illegible] 411.a
21. [illegible] 176.a

Ioannis.

[illegible]

Actuum.

[illegible]

Ad Romanos.

[illegible]

Index Locorum Sacræ Scripturæ.

I. ad Corinthios.

2. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* 386.a
2. *Quod si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 201.a
4. *Veniet Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* 227.a
7. *Qui habet uxorem sollicitus est quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori suæ, & diuisus est.* 157.b
7. *Hæc autem dico secundum indulgentiam, & non secundum imperium.* 99.a
9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* 228.b
11. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* 408.b
13. *Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam.* 346.a
15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.* 362.a

II. ad Corinthios.

4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas non sit ex nobis, sed ex virtute Dei.* 277.b

Ad Ephesios.

2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* 229.b
2. *Legem mandatorum decretis euacuans.* 83.a

Ad Philippenses.

3. *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est.* 112.b
4. *Et pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.* 76.a

Ad Colossenses.

2. *Videte ne quis vos seducat per prophetiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum.* 375.b

I. ad Thessalonicenses.

4. *Ipse Dominus in iussu, & voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo.* 384.b

I. ad Timotheum.

5. *Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.* 323.b

Iacobi.

2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri IESV Christi gloriæ.* 337.a
3. *Nolite plures magistri fieri fratres mei.* 163.b

Apocalypsis.

1. *Dignus es Domine Deus accipere librum, & soluere signacula eius.* in prol.
2. *Vincenti dabo manna absconditum, & nomen nouum.* 126.b
3. *Si quis aperuerit mihi, intrabo, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.* 408.a
4. *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* 366.a
12. *In capite eius corona stellarum duodecim.* 331.b
18. *Cecidit Babylon illa magna & facta est habitatio dæmoniorum.* 183.a

F I N I S.

LVGDVNI,

Sumpt. Claudij Prost [illegible] / Petri & Claudij [illegible] / Hieronymi [illegible] / Ioan. Ant. Huguetan sub signo Sphæræ. [illegible] via Mercatoria.

D. ALBERTI MAGNI, RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM.

IN SACROSANCTA EVANGELIA LVCVLENTA EXPOSITIO.

INCIPIT EVANGELIVM Secundum Marcum.

CAPVT I.

INITIVM Euangelij IESV CHRISTI Filij Dei, sicut scriptum est in Isaia Propheta.

Sicut dictum est in prologo, septem sigilla per leonis aperta, quae secundum septem leonis proprietates accipiuntur, sunt istius libri materia. Et primum quidem est in rugitu clamoris testimoniorum Prophetarum, & Ioannis, quibus rugit de deserto. Et ideo quia hoc describit Marcus in leonis transformatur figuram: sicut & omnis tractans aliqua diuina, transformatur in imaginem eorum. Sicut Moyses Exod. 34. ex colloquio sermonis Domini in eandem imaginem mutatus, cornutus factus est, & splendidus. Et 2. Corinth. 3. dicit Apostolus: Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur. Praemittit igitur titulum in quo declarat libri sui partem primam de leonis rugitu. Cuius sensus est, quod initium Euangelij est secundum testimonium Prophetiae Isaiae. Quia sicut Isaias praedixit, quod primus rugitus praedicationis nouae gratiae veniret de deserto, ita etiam in opere & impletione Christus exhibuit, nouae gratiae praeconium inchoans per clamorem Ioannis in deserto. Titulus autem hic duo continet. Vnum quidem cuius sit titulus: quia non nisi primae partis, & primi sigilli leonis. Secundum autem continet rationem conuenientiae tituli, vbi inducit auctoritates conuenientiam demonstrantes. Dicit igitur.

Initium.

Est duplex initium: inducens videlicet, & inchoans. Inducens est non pars rei, sed praecedit causas. Et tunc Euangelium non est nisi de factis Christi: & sic praedicatio Ioannis non est de Euangelio, sed est medium Euangelij & legis: terminans legem, & inducens Euangelium. Et puto, quod sic sumitur hoc Matth. 11. Lex & Prophetae vsque ad Ioannem: à diebus autem Ioannis regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Alio modo dicitur Euangelium quaecumque continentur in codice Euangelij: & sic testimonium Ioannis est de Euangelio: & tunc initium est inchoans, & rei pars prima. Heb. 2. Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem: quae cum initium accepisset enarrandi per Dominum, ab his qui audierunt in nos confirmata est. Est igitur sensus: Istud est initium. Sequitur autem cuius sit initium, & dicit duo: nomen videlicet libri, & rationem nominis. Nomen, quando dicit.

Euangelij.

Singulariter dicit: quia licet scriptores plures sint, tamen secundum materiam vnum est Euangelium. Et hoc notatur Ezech. vbi dicitur, quod quatuor facies vni erant: & ideo quilibet Euangelistarum describit humana, & ad Passionem & Resurrectionem & naturam diuinam pertransit: & ideo iunctae sunt pennae alterius ad alterum. In initiis tamen & finibus, non in materia, sed modo discrepant. Matthaeus à generatione humana incipit: Marcus autem hanc praeterit, & incipit à Ioannis praedicatione: Lucas autem à Ioannis annuntiatione & natiuitate: Ioannes autem à coaeterna cum Patre

Verbi diuinitate. Item Matth. in Resurrectionem terminat, & potestatem Ecclesiastici ordinis collatam. Post resurrectionem Marcus procedit vsque ad Ascensionem, Lucas vsque ad manifestationem & ad mittendi Spiritus promissionem, Ioannes vsque ad manifestationem, & ad eam (quæ Petro facta est) Ecclesiæ commissionem. In medijs etiam quædam habent propria. Et ideò quatuor esse dicuntur animalia (spiritum sequentia ante thronum Dei stantia: *Apoc. 4.* Hæc igitur est causa, quòd singulariter dicit. Dicitur autem Euangelium, bonum nuncium, eò quod habet illud, quod est solum bonificans (vt ita dicam) omne quod bonum efficitur, hoc est, bonum gratiæ & gloriæ. *1. Reg. 7.* Dies hæc boni nuncij est. Ea autem quæ gratiæ sunt, quatuor qualitatibus describuntur; præceptis, mandatis, testimoniis, & exemplis. Præceptum est operis: mandatum, formæ operis. Et ideò præceptum est iustitiæ & obedientis (aliàs obedientiæ) mandatum autem charitatis meritoriæ omnia implentis & præcipientis. Præceptum quidem sufficienter declinat malum, mandatum autem meritoriè perficit bonum. Testimonium autem sunt fidei attestantia dicta & facta, de cælo & Spiritu sancto confirmata. Exempla autem ad perfectionem vitæ proposita sunt ad imitandum. Fidei ergo ad veritatem deseruiunt testimonia: vitæ autem ad formam & perfectionem manuducunt exempla. De præceptis quidem dicitur in *Ps. 118.* Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. *Matt. 5.* Audistis quia dictum est antiquis, &c. Et multa huiusmodi, quæ timorem inducunt, à peccatis facientem recedere. De mandatis autem *Ioan. 13.* Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem. *Matth. 22.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est primum & maximum mandatum. *Ps. 118.* Latum mandatum tuum nimis. De testimoniis sicut hic inducitur. *Malach. & Isa.* Ioannes testimonium perhibuit dicens, Ecce agnus Dei. *Ioan. 5.* Scrutamini Scripturas: quia ipsæ sunt in quibus vos putatis vitam habere; & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me. Et ideò *Matth. 2.* sæpè dicitur: Tunc adimpletum est quod dictum est per Prophetam. *Ps. 92.* Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. De exemplis *Ioan. 13.* Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Sic enim dicitur, quòd omnis Christi actio nostra est instructio. Sic igitur timor in præcepris, amor in mandatis, fides in testimoniis, spes in exemplis annunciatur in hac scriptura. Et ideò Euangelium (hoc est, bonum nuncium) vocatur. *2. Reg. 18.* Bonus est homo, bonum nuncium portat. Sequitur.

Iesu Christi.

Ratio nominis omnium est prima, esse nuncium bonum, quod est de omnis boni bono. Et tangit tria, Naturam diuinam in humana, in qua est boni auctoritas. Naturam humanam in diuina, ex qua est boni affluens copiositas. Et personam, in qua est vtraque natura, per quam est bona, perfecta, & perficiens nos operositas & officiositas. Primum est quod dicit [Iesu (quì saluator interpretatur Latinè, Græcè autem soter dicitur. Et sicut dicit Damasc. Naturam diuinam in humana dicit hoc nomen. *Luc. 2.* Vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo priusquam in vtero conciperetur. Nec est vacuum nomen: quia sicut dicitur *Matth. 1.* ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum. [Christi (vncti Latinè, Messiæ Hebraicè: vnctione Spiritus qui in ipsum à Patre, & ab ipso fluit in membra. *Psal. 44. Heb. 1.* Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. *Isa. 61.* Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me Dominus, ad euangelizandum pauperibus misit me: vt mederer contritis corde. Notat autem Christum vnctum, vnctione ipsa consecratum esse regem de genere Dauid, & Sacerdotem Pontificem æternorum bonorum. *Heb. 8.* Christus assistens Pontifex æternorum bonorum. De regno autem dicitur *Luc. 1.* Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Hæc vnctio exhibita est in doloris lenimentum, profecit in saporis condimentum, & in totius Ecclesiæ illuminationis fomentum. De primo *Eccles. 38.* Vnguentarius vnctiones conficiet sanitatis. De secundo *Sapient. 17.* Habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. De tertio *Ioan. 12.* Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. *1. Ioan. 2.* Vnctio docebit vos de omnibus.

Filij Dei.

Tangit personam in vtraque natura existentem. Et dicit [Filij Dei] cum Matthæus dixerit, Filij Dauid, filij Abraham: quia ille describens faciem hominis, per quos patres descendit, manifestat: iste autem describens faciem Leonis, terrorem rugitus ex Deo ostendit, & ideò omnem natiuitatem præterijt. Est autem Filius Dei ostensus in initio rugitus istius: quia iste incipit à Baptismo Ioannis, & in illo, cum baptizaretur Dominus, vox lapsa de cælo dixit: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Matt. 3.* & *Luc. 3.* Cum ibi ergo ostendatur esse Filius Dei, & non Dauid, neque Abraham, ideò dicit eum Filium Dei. Sequitur.

Sicut scriptum est.

Hic debet suppleri, est, vel, debet esse tale [Sicut scriptum est] &c. Et tunc non habet locum obiectio quam inducunt Glo. de sequenti immediatè auctoritate quæ non est Isaiæ, sed Malachiæ. Non enim inducitur hic Isaias nisi vt ostendatur quam congruenter exit Euangelium ex testimoniis legis & Prophetarum. Et si quæritur, quare potius dicit, quòd initium Euangelij sit, vel debeat esse secundum testimonium Isaiæ, quam alterius? Respondet Hier. in prooemio Bibliæ Galeato, quòd Isaias non tam prophetiam quam Euangelium videtur texere, quia lucidius omnibus prophetauit: & ideò magis est in initio Euangelij iumendum testimonium ab eo, quam ab alio. *Eccles. 48.* Isaias Propheta spiritu magno vidit vltima, & consolatus est lugentes Sion. *Isa. 9.* Hæc dicit Isaias quando vidit gloriam Dei. Sic enim iumpeo initio, Christus apparet gloriosus inter Eliam & Moysen. *Matth. 17.* Testimonium habens legis & Prophetarum. Sic ora in medio oræ esse ostenditur *Ezec. 1. Ps. 67.* dicit, quòd inter medium montium

medium montium legislatoris & prophetarum pertransibunt aquæ Euangelij. *Rom. 3.* Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est: testificata à lege & Prophetis. Dicit autem scriptum, & auctorem scripturæ, & inspirationem. Scriptum quidem (vt dicit Maximus) ob posteritatis vtilitatem. *Rom. 15.* Quæcunque scripta sunt: ad nostram doctrinam scripta sut. *Habac. 2.* Scribe visum, & exara eum super tabulas: vt percurrat qui legerit. Auctorem nominat magnificeo quod spiritu magno vidit vltima: sicut dictũ est.

Propheta.

Dicit: innuens infallibilitatẽ. Est enim (vt dicit Cassiodorus) Propheta diuina inspiratio rerum euentus sub immobili veritate denuncians. *Sap. 7.* Per nationes in animas sanctos se transfert: amicos Dei', & Prophetas constituit. Sic ergo terminatus est istius libri titulus.

Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam: qui præparabit viam tuam ante te.

Ex quo autem liber iste initiari debet secundum Isaiæ vaticinium, oportet quod ostendatur primum ipsum vaticinium: & postea inducatur secundum ipsum initium Euangelij. Et hoc facit ibi [Fuit Ioãnes, &c.] Vaticinium autem induci nõ potest nisi primum ostendatur auctoritas eius propter quem præmissum est vaticinium: & sic inducat vaticinium in persona illius cui collata est auctoritas. Et vt sciatur auctoritas inducitur testimonium *Malachiæ. 3.* In quo tria dicuntur de Ioanne: auctoritas, officium, & vtilitas. In auctoritate enim, missio diuina: in officio, præcursio à Ioanne celebrata: in vtilitate autem, est ad Christum reductio nostra. In auctoritate diuina tria sunt notanda: missionis euidentia: mittendi significantia: & legatio iniuncta. De primo dicit.

Ecce.

quod est demonstrandi aduerbium, quasi dicat, in euidenti est, & certum est. Tam euidens enim fuit, vt etiam Christus ipse esse putaretur. Propter hoc dicitur *Ioan. 5.* Ille erat lucerna ardens & lucens, quæ per seipsam claret & euidens est: & ideò dicitur Lucifer *Iob. 38.* Nunquid produces luciferum in tempore suo [ego] significantiam notat: & ideò non à quoquam nisi à Deo auctoritatem habuit. *Luc. 3.* Factus est spiritus Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto. *Ioan. 1.* Fuit homo missus à Deo vt testimonium perhiberet de lumine.

Mitto.

Scilicet legatione iniuncta. *Abd. 1.* Legatus ad gentes missus est. *Ezec. 2.* Ecce ego mitto te ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me. Deinde tangit officium: & duo dicit: officium, & dignitatem officij. De primo dicit.

Angelum.

Ioannem: non natura Angelum, sed officio: quia sicut Angeli mittuntur, sicut ministri salutis; ita & Ioãnes. *Heb. 1.* Nonne omnes sunt administratorij spiritus in ministerij missi. *Malac. 2.* Labia Sacerdotis custodiunt sapientiam: & legem Dei requirent de ore eius: quia Angelus Domini exercituũ est. *Exo. 32.* Angelus meus præcedet te

Meum.

Ecce officij dignitas: honor enim est, esse nunciũ Dei. *2. Cor. 3.* Idoneos nos fecit ministros noui testamenti: non litera, sed spiritu.

Ante faciem tuam.

Tangitur Præcursio, & præcursionis vtilitas. Dicit igitur.

Ante faciem tuam.

Hoc est ante præsentiam temporalem tuam, & ante præsentiæ eiusdem manifestationem. Hæc est facies de qua dicitur *Exod. 33.* Ostende mihi faciem tuam: & respondit Dominus. Ego ostendam tibi omne bonum. *Luc. 2.* Viderunt oculi mei salutare tuum. *Ps. 77.* Ostende faciem tuam & salui erimus. Ad hanc enim faciem conuendam non ducit nisi gratia Dei. *1. Ioan. 3.* Cùm apparuerit similes ei erimus: similes enim non erimus nisi gratia nos ducente. Et tunc implebitur in nobis istud *Iob. 33.* Videbit faciem eius in iubilo. *Ps. 15.* Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Si autem gratia Dei manu ducat (aliàs non manu ducat) coram stantem non cognoscemus: vnde *Ioan. 1.* Medius vestrum stetit quem vos nescitis. *Isa. 53.* Quasi absconditus est vultus eius, & despectus: & ideò sequitur.

Qui præparabit viam.

Tria dicit: præparationem illam, & illi cui præparatio fit, in ostensione & planatione: via autem, in exempli processione, & Christo paratur in intentionis directione, & hæc tria fecit Ioannes. De primo dicitur *Luc. 2.* Tu puer Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciẽ Domini præparare vias eius. *Et Luc. 1.* Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ. *Isa. 7.* Parate viam populo: planum facite iter, & eligite lapides. [viam] autem fecit se Ioannes per exemplum. *Iere. 6.* State super vias vestras: & interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, & ambulate in ea: optima enim via, doctor magni exempli est [Iuã] opere ô Christe fili, tua enim est, quia ad te dirigens. *Pro. 3.* Viæ eius viæ pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ.

Ante te.

Vt planè & rectè, relicto deuio prisci erroris: tu ad corda accedas. *Isa. 131.* Parani lucernam Christo meo. *Isa. 45.* Ego ante te ibo: & gloriosos terræ humiliabo.

Vox clamantis in deserto. Parate viam Domini: rectas facite semitas eius.

Inducto præcone, inducitur Isaiæ testimonium de voce præconis: & duo dicuntur, titulus videlicet, & dictum. Titulus est.

Vox clamantis.

Et vox respondet verbo quod vocem animat, quod manifestare venit Ioannes: sicut vox verbum. Vox enim est via & vehiculum verbi quo cordibus audientium inuehitur: & verbi manifestatio quæ dare præcipitur. *Ioan. 1.* Ego vox clamantis

clamantis in deserto. *Ps*.28. Vox Domini concutientis desertum. [Clamantis] autem vox dicitur vt dicit *Glo*. ad Iudæos surdos, propter peccata longe positos: indignationis clamore dignos. De surdis *Isa*.42. Surdi audite. De longe positis propter peccatum. *Isa*. 59. Expectauimus salutem: & elongata est à nobis. De inclamatione propter indignitatem *Isa*.42. Tacui, semper silui, patiens fui, vt parturiens loquar. *Isa*. 30. Labia eius increpatione sunt plena. Sequitur

In deserto.

Duo tangit quæ clamat: vnum, pertinens ad omnes quod necessariũ est ad salutẽ aliud pertinens ad perfectos: quod est expediens. De primo dicit quatuor: præparationem, viã, & cui paretur, & vbi. Vbi præmittit quidem dicens [In deserto] ad literam: quia ibi incepit prædicare Ioannes. Per locum designans quantum Iudæorum synagoga iã deserta à cultu iustitiæ: in proximo deserenda à ceremoniis. *Luc*. 3. Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto: venit in omnem regionem Iordanis, &c. *Ps*.64. Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Parate.

Hoc est, præparate. Paratur autem, offendicula deuia (aliàs de via) remouendo. Præpatur etiam sternendo viam, vt suauis sit & pulcra: suauis, per conuersationem exempli: & pulchra, per virorem fidei, & veritatis, & virtutis. *Matth*. 21. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus & prosternebant in via. Paratur etiam, humilia & suffossa eleuando, quæ mundanus timor suffodit: & alta, quæ tumor erexit, ad æqualitatem deprimendo, & distorta vitiorũ corrigendo. Et de his similiter dicitur *Isa*.40. Omnis vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

Viam.

Via est quæ trita est: & hæc est, vestigia præcedentium patrum qui iuerunt ad Christum: quæ quidem deleta fuit, quia filij non sequebantur fidem in deuotione patrum. *Thren*.1. Viæ Sion lugent eo quod non sint qui veniant ad solennitatem. *Ierem*. 6. Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona & ambulate in ea. Hæc est via obedientiæ mandatorum *Ps*. Viam mandatorũ tuorum cucurri: cùm dilatasti cor meum. *Tob*.4. Omni tempore benedic Deum & pete ab eo vt vias tuas dirigat: & omni tempore consilia tua in ipso permaneant,

Domini.

Et quoniam Dominus iturus est ad corda: & quoniã vos tenebitis mundè per fidei deuotionẽ ad Dominum *Psal*. 24. Vias tuas demonstra mihi: & semitas tuas edoce me. *Osea*.vlt. Rectæ viæ Domini: & iusti ambulabunt in ea,

Rectas.

Tangit id quod est perfectorum. Et dicit tria: rectitudinem, compendium, & opus quod est in nobis. Scias autem quod (vt dicit Plato, recta est breuissima linearum inter duos terminos: & hæc est via consiliorum. Semita autem dicitur à semis & iter quasi dimidium iter: quia circuitus mundi sollicitudinum amputat: de quo dicitur in *Ps*.11. In circuitu ambulant impij. *Et Iob*. 1. Circuiui terram & per ambulaui eam. Et hæ semitæ maximè Christi fuerunt: quia has verbo & facto exhibuit. *Prou*. 4. Adducam te & per semitas æquitatis: quas cùm ingressus fueris non arctabuntur gressus tui. *Isa*.26. Semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum.

Fuit in deserto Ioannes baptizans: & prædicans baptismum pænitentiæ in remissionem peccatorum.

Postquam præmisit prophetiam probantem congruum esse initium Euangelij per prædicationem Ioannis: consequenter hîc ipsam inducit prædicationem Ioannis. Et inducit tria: prædicationem, vitæ qualitatem, & testimonium, quo ostendit Christi veritatem. Primum, de perfectione virtutum: secundum, dat formam operis: tertium autem, finem confirmat fidei, & veritatis. Hæc autem patent in litera. Circa prædicationem duo inducit: qualitatem videlicet prædicationis ex parte prædicantis, & qualitatem eiusdem ex parte populi eum audientis. Ex parte autem docentis inducit duo: opus, & doctrinam. De opere dicit tria: nomen, locum, & formam operis. De nomine dicit.

Fuit Ioannes.

Qui gratia Dei interpretatur. Congruebat enim vt gratiam & veritatem quæ per Iesum Christum facta est *Ioan*. 1. gratia Dei inchoaret. 1. *Corin*.15. Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit. *Exod*. 33. Ego ostendam tibi omne bonum: inuenisti enim gratiam coram me.

In deserto.

Iudææ populo in proximo deserendo. *Matt*. 23. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. *Osea*.2. Adducam eam in solitudinem: & loquar ad cor eius.

Baptizans.

Ecce forma operis: & dicitur ipse baptizans quia non erat in baptismo Ioannis, nisi opus Ioannis: eo quod interiùs non conferebat gratiam. Vnde *Ioan*.1. Ego baptizo vos aqua. Non dicit in gratia. *Act*.19. Si Spiritum sanctum accepistis credentes. Qui dixerunt. Sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus. Et interrogauerunt eos Paulus & Apollo. In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: in Ioannis baptismate. Ideò etiam solus inter baptizantes Baptista vocatur. *Matth*.11. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Alij enim omnes in Christi baptismate baptizati, à Christo baptizati sunt. *Ioan*.1. Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum; hic est qui baptizat. Dicitur autem baptizans: quia in materia, & in actu, in quadam forma per similitudinem Christi baptisma præostendit & induxit. Baptizabat enim in forma venturi. *Act*.19. Ioannes quidem baptizabit docens in eum qui venturus est vt crederent.

Et

Et prædicans.

Ostendit qualis fuerit in verbo, modo, & materia, & intentione finis. Modo quidem cùm dicit [prædicans] dicit enim *Chrysost*. quod prædicatio est eorum quæ sunt supra intellectum: doctrina autem est intellectualium & rationabilium. 2. *Timot*.4. Prædica verbum: insta opportunè, importunè. Talia enim quæ sunt fidei non possunt doceri: sed inspirari necesse est. Sed exteriùs possunt annunciari: & hæc annunciatio, prædicatio est. 1. *Ioan*.1. Quia annunciauimus vobis de verbo vitæ.

Baptismum.

Ecce materia per quam assuescitur populus & inducitur paulatim ad formam noui sacramenti. Sic enim præcursor baptismi Christi fuit: quia sicut dicit *Beda*: Baptismum Christi quo peccata soluuntur suo baptismate (quo peccata solui non possunt) præcucurrit, Mundationem tamen corporis exhibuit: & in Christo ostendit fore mundationem mentis. 4. *Reg*.5. Lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua: atque mundaberis. Per corporale enim opus Ioannis venitur ad munditiam mentis per Christi baptisma.

Pœnitentiæ.

Tangitur hîc finis. Et intelligitur de pœnitẽtia interiori & exteriori. Et ideo dicitur *Luc*.3. formã sanctificationis imposuit. Et *Matt*.3. dixit: facite ergo fructus pœnitentiæ dignos. Christi autem baptisma exteriorem pœnitentiam & lamentum non requirit, sed omnia peccata gratis dimittit: & si requirit interiorem, hoc est, vt sit non fictus qui baptizatur *Sap*.1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.

In remissionem peccatorum.

Merito pœnitentiæ, non baptismatis: quia per pœnitentiam semper peccata soluta sunt. *Ezech*. 18. Quacunque hora peccator ingemuerit: omnium iniquitatum eius non recordabor amplius. *Iere*. 31. Postquam ostendisti mihi: percussi femur meum & egi pœnitentiam, confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. *Matth*.3. Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cælorum.

Et egrediebatur ad illum omnis Iudææ regio: & Ierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine: confitentes peccata sua.

Hic tangitur doctrina ex parte auditorum. Et tanguntur quatuor: deuotio scilicet, in egrediendo: generalitas, in affluendo: obedientia, in baptismo suscipiendo: compunctio & pœnitentia quam prædicauit, in peccato confitendo. Et hæc patent in litera. De primo dicit duo: egressum à propriis, & accessum in appropinquando sanctis. Dicit igitur,

Et egrediebantur.

Ex propriis actibus, & rebus, & negotiis. Actus pertinent ad peccata, & peccatorum circumstantias & occasiones: res autem pertinent ad infirmitatis solatia: & negotium ad curas. Nihil enim habet homo proprium nisi peccatũ. Omnia alia accepit à Deo. 1. *Cor*.4. Quid habes quod non accepisti? De hoc egressu *Gen*.12. dicitur: Egredere de terra, & de cognatione tua *Num*.16. Separate vos à tabernaculis hominum impiorum.

Ad illum.

Non enim sufficit egredi nisi perueniatur vsque ad illum per doctrinæ imbuitionem, & exẽpli informationem. Aliter enim dicetur nobis illud *Iob*.6. Modo venistis, & videntes pœnam meam timetis. *Deut*.33. Qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius.

Ierosolymitæ vniuersi.

In quibus notantur Prælati.

Et omnis regio Iudææ.

In quibus notantur subditi. Prælati enim Sacerdotum & regum erant Ierosolymitæ: & liberi erant respectu aliorum. *Iob*.3. Paruus & magnus ibi sunt & seruus liber à Domino suo. *Ps*. 48. Quique terrigenæ & filij hominum, simul in vnum diues & pauper. Admiratio enim tantæ sanctitatis attraxit omnes.

Et baptizabantur ab illo.

Ecce obedientia: quia hoc suadebat Ioannes. Egredi tantum ad Prophetam paruum est: nisi obediatur Prophetæ. *Isa*.1. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis *Zach*. 13. Erit fons patens Domui Iacob, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.

In Iordanis flumine.

Sicut per baptizationem tangit sacramenti modum; ita per Iordanem tangit figuratam præparationem ad baptismum. Iordanis enim interpretatur aliena descensio, siue humilis descensus. Et attende quod secundum *Hieron*. aquæ superiores affluunt super intrantem in Iordanem: aquæ autem inferiores separantur, & non attingunt intrantem. Vnde *Iosue*.4. Cùm intrauit arca in Iordanem: superiores affluentes ad arcam, stabilitatem & altitudinem acceperunt: inferiores autem in deterius mutatæ sunt, quia defluxerant in salsedinem maris. Sic Christo (arca Deitatis) intrante in baptizatum: aquas per vias rationis humanæ quæ fluunt ad ipsum stabilit per mentis continentiam: & exaltat per iustitiam. Quæ autem fluunt ab ipso inferiores sunt, quæ pertinent ad carnis concupiscentiã. Et has in deterius mutat amaritudinis æternæ. Et sic corpus Christi talibus non proficit: sed in deterius mutat. 1. *Corinth*.11. Qui manducat & bibit indignè iudicium sibi manducat, & bibit non dijudicans corpus Domini. Vel oportet aliena quæ non sunt secundum naturam, humiliter abluere. Sicut in figura docet Ioannes: & in iustitia exaltari; & inferioribus fluxibilibus in amaritudinem pœnitentiæ conuerti. *Psal*. 41. Iordanis conuersus est retrorsum. *Genes*.7. Cùm multiplicarentur aquæ: leuauerunt arcam in sublimi. Aquæ enim per motum peruietatis, & fecunditatis, & ablutione varietatis in bona stabiun-

Aliàs Christo intrâte.

A 3 tur

tur significatione: quæ confluentes exaltant hominem ad cęlestia.Per naturam autem fluxibilitatis, & frigiditatis, & instabilitatis, significant concupiscentiam. Et hæ debent defluere (aliàs mutari)in mare.*Gen.* 1. Diuisit Deus aquas quæ erant supra firmamentum, ab his quæ erant sub firmamento.*Danie.*3.Benedicite aquæ quę super cęlos sunt Domino.

Flumine.

Hoc est, affluentia donorum quæ præfigurantur in Christi baptismate futuro.*Psal.*45.fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei *Ezec.*37. Effundam super vos aquam mundam: & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

Confitentes peccata sua.

Præparando se ad baptisma. Prædicabat enim Ioannes *Luc.*3.Facite dignos fructus pœnitentiæ. In pœnitentia autem præcedit compunctio, sequitur confessio, & perfectionem inducit satisfactio: & fructus huius est plena peccati remissio. *Iacob. vlt.* Confitemini alterutrum peccata vestra: & orate pro inuicem vt saluemini, *Iosue.* 7.Confitere peccatum tuum & indica mihi quid feceris.Dicit autem [peccata] contra eos qui in confessione narrant: non peccata,sed maculant confessionem, aliorum actuum narratione interposita. Contra quod dicitur *Isa.*43. Dic tu iniquitates tuas,quasi dicat,alia non dicas: cum detestatione enim eorum quæ narrantur fit confessio. Quæ autem non sunt peccata, non sunt detestanda. *Psal.*31. Dixi confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino,hoc est, iniquitatem narrans:quæ sola est aduersum me.Sequitur [sua] Non aliena. Et hoc est contra eos qui in confessione produnt alios plus quàm seipsos: quod non est faciendum.*Rom.*14. Vnusquisque pro se rationem reddet Deo:non pro alio: *Iere.* 3.Leua in directum oculos tuos:& vide vbi nūc sis prostrata. De ista Confessione dicitur *Ecclesi.* 17.Viuus & sanus confiteberis: à mortuo enim velut ab eo qui non est perit confessio *Isa.* 39. Viuens viuens confitebitur tibi sicut & ego hodie.

Et erat Ioannes vestitus pilis camelorum: & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel syluestre edebat.

Dicit hîc qualitatem vitæ, quæ potius est in miraculum quàm quod aliquis imitari possit. Et hoc etiam omnes trahebat ad auditionem (aliàs audiendum) & vincebat ad credendum. Tangit autem qualis fuit in vestitu, & qualis in victu. De domo enim & familia nulla erat quæstio in eo qui eremi erat incola. De vestitu notantur quatuor: asperitas, humilitas,paupertas, & hoc in vestimento protegente, & quarta notatur continentia in veste non protegente. Per pilos enim notatur asperitas: per camelorum pilos humilitas: per vestitum talem,in quo sola est verecundiæ protectio, notatur paupertas. De asperitate *Matth.*11, Quid existis in desertum videre,hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. De humilitate *Eccles.*11.In vestitu ne glorieris vnquam. De vtroque horum dicitur *Iob.* 16. Saccum consui super carnem meam. *Hebr.* 11.circumierunt in melotis:in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus.De paupertate dicitur *Tob.*4. Pauperem vitam gerimus: sed multa bona habebimus. *Ps.* Concidisti saccum meum: & circundedisti me lętitia.De quarto vestimento dicitur.

Zona pellicea.

In quo notatur cingulū continentiæ & castitatis:& memoria mortis, & castigatio concupiscentiæ carnalis. Zona enim continet & constringit: pellicea,memoriam mortis inducit: & circa lumbos, locus est concupiscentiæ carnalis: mortificationem significans. *Isa.*11. Erit iustitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius. Hęc est enim iustitia quæ debetur carni: & fides quę debetur vero animę viro: ne suscipiatur adulter. *Luc.* 12. Sint lumbi vestri pręcincti.4. *Reg.* 1. Vir pilosus & zona pellicea circa lumbos eius. In lumbis enim vigor concupiscentiæ est:ideò de diabolo dicit Deus *Iob.* 40.Virtus eius in lumbis eius: & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Ecce qualis fuerit in vestitu.Sequitur.

Et locustas.

Parua animalia:oleo esibilia.

Et mel syluestre edebat.

Mel enim ros viscosus & spissus calore aeris in dulcedinem digestus: qui ad radium solis exsiccatur ad furuedinem & albedinem granulosam. Idem continetur *Luc.*3. *Matth.*4. Locustæ autem in quibus est volatus alacer, & citò decidens, significant saltus gaudiorum cordis diuinum bonum in contemplatione concipientis. mel autem significat dulcedinem spiritualis cōsolationis. Iste enim cibus est proprius eremitæ.De primo dicitur *Genes.* 49. Neptalim ceruus emissus. *Cant.*2. Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles. Salit enim in montibus gaudiorum: transiliens colles desideriorum.De melle dicitur *Cant.*4. Mel & lac sub lingua tua *Eccles.* 44. Hæreditas mea super mel & fauum. Aliter autem locusta plaga Ægypti significat eos qui licet verbis & fide de terra eleuentur, tamen decidui sunt in opere, depascentes viorem virtutis, dente concupiscentiæ & auaritiæ. *Psal.*104. Venit locusta & bruchus. Hos autem Ioannes sibi incorporauit verbo occidendo: & opere Christo capiti & Ecclesiæ incorporando. *Prou.*30. Regem locusta non habet & egreditur vniuersa per turmas.Mel autem syluestre significat dulces naturalibus virtutibus, syluestres tamen per infidelitatem: eo quòd non domitum per fidem habent intellectum. Et hos comedit, incorporando fidei venturum,quando docuit in eum qui post eum venturus erat vt crederent, Simile *Act.* 10.dicitur de Petro:macta & manduca. Abscissis enim vitiis à peccatoribus quod remanet,naturale & mundū est. 1.*Reg.*14. Comparuit super faciem agri mel fluens. *Et ibidem.* Gustaui paululùm de melle isto & illuminati sunt oculi mei.

Et prædicabat dicens, venit fortior post me.

Hic ponit testimonium. Et habet duo: testimonium virtutis,& dignitatis, ex parte legislatoris: & testimonium diffundendæ gratiæ in sacramento baptismatis.In vtroque autem horum quædam est comparatio Ioannis ad Christum: minoritatis & baptismatis Ioannis ad baptisma Christi: sicut exemplum similitudinis ad veram causam gratiæ & veritatis. In primo ergo Christi tangit dignitatem in virtute in ordine aduentus dicens.

Veniet.

Non in ludum(aliàs luctum)sed ad prædicandum, & baptizandum, & redimendum. *Mal.*3. Statim veniet dominator quem vos quæritis:& Angelus testamenti quem vos vultis.*Ibidem.* Ecce veniet, & quis stabit ad videndum eum? & quis poterit cogitare diem aduentus eius? Vincit enim omnem admirationem in altitudine, excellit omne desiderium in bonitatis consolatione, & omnem virtutem inimici vincit in fortitudine gratiæ redimentis.

Fortior me.

Quis fortior Ioanne qui in matris vtero,vincens naturam in occursum saluatoris exultauit? Qui in diebus iuuentutis mundum fugiens, heremum habitauit? Qui Spiritu Dei plenus ad baptismum venit? Qui Dei ore vitium omne vicit? Qui in spiritu & virtute Eliæ saluatorem suscepit?Nullus prorsus præter eum qui sibi fortitudinē hanc ministrauit. De quo dicitur *Iob.*9. Si fortitudo quæritur robustissimus est.*Num.*24. Deus de Ægypto eduxit eum cuius fortitudo similis rhinocerotis. Hic ergo tam fortis cùm veniet fortior me.

Post me.

Non dignitate, sed tempore. *Matth.* 20. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Sic *Matt.* 11. Qui minor est in regno cęlorum (secundum opinionem hominum) maior est illo.

Cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Ego baptizaui vos in aqua: ille verò baptizabit vos spiritu sancto.

Tangitur Ioannis indignitas nomine humilitatis: signo, & vltimę humilitatis obsequio. Dicit de primo.

Cuius non sum dignus.

*Isa.*40. Omnes gentes quasi non sint,sic sunt coram eo [procumbens] Ecce humilitatis signum. Ad calceamentum enim non procumbit nisi iacens in puluere. *Philip.* 2. In nomine Domini omne genu flectatur,cęlestium,terrestrium & infernorum.

Soluere corrigiam.

Notabile est quod dicit calceamentorum & corrigiam: quia secundum hoc ligatos calceos habuit. Nec ergo nudipes iuit: nec rostratos & superbos calceos habuit. Et est sensus: minimi obsequij non sum dignus exhibere famulatum. *Matth.* 8. simile. Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Vel mystice,pes est Deitas: & calceamentum,humanitas mortalis: & corrigia, est vnio vtriusque naturæ: quam dissoluere, hoc est,Sacramentum intelligere & exponere non est Ioannes idoneus.Vnde *Greg.*venit ad nos calceata diuinitas. *Psal.* 59.In Idumæam extendam calceamentum meū.Vel sicut dicitur *Deut.*25.& *Ruth.*4.Soluens calceamentum, accepit alij debitam vxorem & sponsam: & ideo Ioannes cum sponsus Ecclesiæ credi potuisset, non vsurpauit sibi nomen sponsi:& ideò Christum noluit discalceare. Sequitur [Ego baptizo vos aqua] Introductio est baptismatis Christi per comparationem inefficaciæ baptismatis sui.

Dicit ergo [Ego baptizo vos aqua] Quasi similitudinem quamdam in materia & actum quendam baptismatis exhibeo.Et dicitur [ego] discretiuè: non Deus sicut supra diximus. Et oportuit quod in aqua:quia *Ioan.*3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu,&c.In aqua enim *Gen.*1. primo fuit anima viuens. Et etiam ideò competebat figuram baptismatis in aqua præcedere [Ille verò] qui fortior me veniet: & baptizabit vos interiùs mundando [In Spiritu sancto] aspirando virtutes & sanctificando, intùs mundando à peccatis. *Act.*1. Ioannes quidem baptizauit aqua: vos autem baptizabimini spiritu sancto,non post multos hos dies.*Ioan.*1.Super quem videris spiritum descendentem & manentem super eum:hic est qui baptizat.

Et factum est in diebus illis: venit Iesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus est à Ioanne in Iordane.

Hic incipit ponere secundam leonis proprietatem, quæ est liberalitas in communicatione suorum. Communicatio autem Christi charismatum est per regenerationis sacramentum: per quod,Christi operatione diffunduntur charismata in omnes regeneratos. Ad hoc autem quod hoc fieri posset:oportuit quod Sacramento, gratia per Sacramentum diffundenda,infundatur. Et aquæ quidem infusa est vis regeneratiua per contactum carnis Christi:in qua sicut dicitur *Col.*2. Habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.Forma autē baptismi instituta est ex ipsa personarum presentia. Pater enim in voce,Spiritus in columba, & Filius in carne demonstrati sunt. Effectus autem baptismi ostensus est apertione cælorum.Præterit autem Marcus exhortationes & comminationes quas fecit Ioannes, quia festinat ad leonis proprietates, sciens illa per alios Euangelistas esse descripta vel describenda, & eorum vultibus illa magis congrua. Diuiditur autem pars ista,in tres partes,scilicet, significationem aquæ,quę est baptismi materia: & demonstrationem effectus baptismi, & demonstrationem formę operantis sanctitatem. Circunstantia autem aquæ sanctificationem, sunt,temporis oportunitas: sanctificantis benignitas: & eiusdem consummatoris & sanctificatoris perfecta humilitas: & ipsa perfectio sanctitatis. Temporis autem congruitas (aliàs opportunitas) importatur in duobus: ex præterito & præsenti.Ex preterito cùm dicit.

Et factum est.

Videlicet cum Ioannes verbo & facto præcurrens viam sanctificatori præparasset. *Eccles.*3.

Omnia tempus habent: & suis spatiis transeunt vniuersa. Tempus autem ex præsenti significatur, cùm dicitur.

In diebus illis.

Quando lux luci succederet in apertione veritatis. Hoc enim notat ipsa qualitas temporis. *Psal.* 17. Dies diei eructat verbum. Lux Ioannis testificans soli. *Isa.* 30. Erit lux lunæ sicut lux solis: & lux solis septempliciter sicut lux septem dierum, qui sunt septem sacramentorum, vel donorum illustrationes. *Ioan.* 5. Erat Ioannes lucerna ardens & lucens: & vos voluistis ad horam exultare in luce eius.

Venit Iesus.

Propria largitate & benignitate inductus: vt suam in mundi elementum diffunderet sanctitatem: quo omnes à peccatis mundarentur. *Ioel.* 2. Benignus & misericors. *Sap.* 1. Benignus est spiritus sapientiæ, hoc est, Iesu qui est Patris sapientia. Nominat autem Iesum: quia ipsius est salutem diffundere. *Matth.* 1. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

A Nazareth.

Hic tangitur consummatoris humilitas in duobus: in loco vnde venit: & in eo ad quem venit. Locus duplex communis, & minus communis. Dicitur enim [à Nazareth] vbi conceptus & educatus fuit: & designatus per locum: quia flos virtutum excellens in omni honestate: sic se humilem præbuit vt non ad se Baptistam vocaret: sed ipse de longinquo, longo labore venit. Per quod docuit quod nos indigentes Ecclesię ministros debemus quærere. *Ioan.* 13. Exẽplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis: ita & vos faciatis. Hic est flos de quo dicitur *Cant.* 2. Ego flos campi, & *Isa.* 11. flos de radice Iesse ascendet.

Galilææ.

Patria communis: quæ transmigratio facta interpretatur: eo quod ista sanctificatione migrandum est ab exilio ad patriam paradisi, vnde excidimus per primum peccatum. *Act.* 2. Omnes qui loquuntur Galilæi sunt, qui videlicet spiritum Christi acceperunt. *Isa.* 9. Trans Iordanem Galilæę gentium, populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.

A Ioanne.

Homine, Deus minore, maior: vt nullus refutaret Ecclesiæ ministrum se inferiorem. *Matth.* 3. Ego debeo à te baptizari & tu venis ad me. Et respondit Iesus: sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. *Glos.* ibidem: hoc est, perfectam humilitatem.

Et baptizatus est.

Ecce perfectio sanctitatis & consummatio. Baptizatus enim tetigit aquam secundum quod est aqua baptismatis. Nec etiam aqua aliter habet vim regenerationem, nisi secundum quod est materia baptismatis. Et hoc notat verbum passiuum baptizatus est: quod est suppletio verbi passiui. Patiens autem sic, agit in id à quo patitur. Tactus enim ab aqua: infundit aquæ vim regenerationis. Vnde *Isa.* 12. Hauritis aquas in gaudio de fontibus saluatoris. 4. *Reg.* 2. Sanaui aquas & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas.

In Iordane.

Qui aliena descensio interpretatur: vel, humilis descensus sicut superius diximus. Et sunt illæ aquæ propria materia per quas aliena, hoc est, peccata innaturalia in mare amaritudinis pœnitentię descendunt: & baptizatus humilis ab elemento propter Christum sanctificationem requirens descendit: aquæ reuerentiam exhibens. *Genes.* 32. In baculo meo transiui Iordanem istum, hoc est, in crucis virtute omnes transuexi. 4. *Reg.* 3. Facite alueũ torrentis fossas & fossas. Hæc enim dicit Dominus. Non videbitis ventum neque pluuiã: alueus iste replebitur aquis. Alueus est carnalis aquę humilitas: fossa & fossa, corda, timore Dei concita, non vento inanis doctrinæ circumagitata. Nec pluuia tentationum quę domum in arenam fundatam euertunt, subruta: & erunt plena aquis quæ sunt flumina gratiarum.

Et statim ascendens de aqua: vidit cælos apertos.

Hic tangitur virtus baptismi & effectus. Et quia duæ sunt res sacramenti istius: vna contenta est, & significata: alia autem significata, & non contenta: ideò duo hic dicuntur. Primo enim præsignat rem contentam & signatam in ascensu suo de aqua: rem autem signatam & non contentam præsignat in apertione cælorum: in quibus notatur adeptio beatitudinis. Dicit igitur.

Et statim ascendit de aqua.

Literaliter quidem ascendit ad ripam. Et quia humiles sunt alueus aquarum: respectu illius dicitur ascendisse quando rediuit ad terram: si autem præpositio, de aqua, notat causam ascensus: non in capite sed in membris, tunc notantur tria in verbo. Modus gratię baptismalis, & effectus, & causa. Modus in hoc quod dicit [statim] nescit enim tarda rerum molimina spiritus sancti gratia. Non enim indiget experimento & tempore, sicut virtus intellectualis: nec in difficilibus indiget longa consuetudine: sicut in moralibus habitibus: sed statim infundit se gratia spiritus sancti. *Actuum.* 2. Factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis [ascendit] Ecce effectus ascensionis de virtute in virtutem: quem in se Christus demonstrauit & in aliis effecit. *Psal.* 83. Ibunt de virtute in virtutem. *Isa.* 2. Ascendamus ad montẽ Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de viis suis: & ambulabimus in semitis eius.

De aqua.

Quæ causa est sanctitatis in membris quam caput demonstrauit. *Ezech.* 33. Effundam super vos aquam mundam: & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Et hoc figuratur apertiùs. *Luc.* 4. vbi dicitur. Iesus autem plenus spiritu sancto regressus est à Iordane.

Vidit cælos apertos.

Beatitudinis

Beatitudinis viam homini referatam. Et quo ad hoc dicitur baptismus aperire ianuam. Cùm enim Christi baptismus sit in aqua & spiritu sancto. *Gen. autem* 3. dicatur quod Cherubin & flammeum gladium collocauit Deus ad custodiendam viam ligni vitæ: ignis flamma extinguitur per sanctificationem aquæ: Cherubin autem remouetur per Spiritum sanctum. Et sic ianua vitæ referatur: & via facilis præbetur *Psal.* 106. Contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit, suscepit eos de via iniquitatis suæ. *Isa.* 45. Portas ęreas conteram: & vectes ferreos confringam. Portæ enim sunt maledictiones, & semen damnationis antiquæ in sono terribili pronunciatæ: sicut sonus ęris. Vectes ferrei sunt repagula peccati. Quod autem dicit.

Cælos apertos.

Vt dicit Hieron. non intelligitur factum esse reseratione elementorum, vel fractura: sed est visio occultorum (aliàs cęlorum) quæ fit spiritualibus oculis. Et hoc est quando visus in lumine reuelationis diuinæ iam non in cælo speculi & ęnigmatis (in quo celans est Deus) non in cælo figurali (aliàs figurarum) & in imaginarię visionis (in qua Deus multis Prophetarum celatus, ostensus est) sed potius in tertio cęlo intellectualis & reuelatę veritatis ostenditur: & occulta quę diligentibus se præparauit aperiuntur. 2. *Corint.* 12. Raptum huiusmodi in tertium cælum, & audiuit arcana Dei quæ non licet homini loqui. Et ideò dicitur pluraliter. *Apocal.* 12. Apertum est templum Dei in cælo, & visa est arca testamenti eius in templo eius. Arca est rota (aliàs rota) rerum diuinarum quas Deus suis præparauit. *Actuum.* 7. Ecce video cælos apertos: & Iesum stantem à dextris Dei. *Ezechiel.* 1. Aperti sunt cæli & vidi visiones Dei.

Et spiritum tanquam columbam descendentem: & manentem in ipso.

Ecce personarum demonstratio per institutionem formæ Sacramentalis. Et quia Spiritus sanctus per attributionem diffundit se & gratia: mittitur in nos sanctificandos. Pater autem non mittitur: vt dicit August. Et ideò Spiritus sanctus proximior nobis esse dicitur: ideò primo ponit Spiritus sancti manifestationem. Et dicit tria: auctorem sanctitatis, cùm dicit, Spiritum sanctum: figuram, cùm dicit, tanquam columbam: missionem autem & manifestationem, cùm dicit, descendentem, &c. Dicit igitur.

Et.

Supple, vidit Ioannes [Spiritum sanctum] Ideò baptismus Christi est in Spiritu sancto. *Act.* 1. Vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Licet enim baptismus operetur gratiam vt dispositio disponens in subiecto (aliàs subiectum) sicut etiam medicina operatur sanitatem: tamen efficienter homini operatur gratiam Spiritus sanctus.

Tanquam columbam.

Quia (aliàs quæ) sine felle esse dicitur: quia fellis peccati amaritudo per baptismum purgatur. *Ad Hieb.* 12. Ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat: & per illam inquinentur multi: Et ideò ei qui serpentinam habuit malitiam à Petro dictum est *Act.* 8. In felle amaritudinis & in obligatione iniquitatis video te esse. Hæc est columba quæ cum signo misericordię Dei in ramo virentis oliuæ reuersa est ad arcam, hoc est, Ecclesiam *Gen.* 8. *Cant.* 2. Columba mea in foraminibus Petræ: & in cauerna maceriæ. Petra, est Christus: foramina, vulnera: cauerna maceriæ, foramen lateris factum in iam macerato, & exangui, & exanimi corpore: his enim passionibus operatur in baptismo per columbam.

Descendentem & manentem in ipso.

Tria dicit: benignitatem spiritus, mansionem, & plenitudinem. Benignitas notatur in descensu. Non enim descendit per naturæ & personæ inferioritatem: sed per bonitatem inclinans se nobis. *Sap.* 12. O quàm bonus & suauis est Domine Spiritus tuus in nobis. Ideo dicitur cadere *Act.* 10. Cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audierunt verbum. Mansionem ad perseuerandum. *Isa.* 11. Et requiescet super eum Spiritus Domini: & hoc maximè competit Christo. In aliis enim inquietatur ad minus per venialia. Et licet maneat habitu in sanctis: tamen in continuo actu, & omni modo non mansit nisi in Christo. *Ioan.* 1. Qui misit me baptizare in aqua: ille mihi dixit, super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum: hic est qui baptizat. 3. *Reg.* 2. Requieuit spiritus Eliæ super Elizæum [in ipso] in hoc notatur plenitudo Spiritus, & demonstratio personæ filij in forma baptismi. Plenitudo enim Spiritus est in fonte vnde procedit. A Filio autem procedit sicut à Patre. Vnde in Euangelio Nazaræorum legitur in isto loco, descendit in eum fons omnis Spiritus. *Ioan.* 3. Non enim dat Deus filio ad mensuram Spiritum, ibi enim Filius Spiritum diffundit ad membra viuificanda. *Gen.* 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Et vox facta est de cælis: tu es Filius meus dilectus, in te complacui.

Demonstratio est personæ Patris vt verum sit quod dixit *Ioan.* 14. Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus. Tangit autem hic duo: originem vocis, & testimonium. Origo importatur in hoc quod dicit.

Vox de cælo facta est.

Vox quidem est verbi vehiculum: Et significatur processus verbi à paterno corde. *Psal.* 144. Eructauit cor meum verbum bonum. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis. *Psal.* 28. Vox Domini super aquas Deus maiestatis intonuit] de cælo [summæ Trinitatis à Patre. *Psal.* 18. A summo cælo egressio eius. *Psal.* 17. Intonuit de cælo Dominus: & altissimus dedit vocem suam [facta est] quia corporalis fuit in qua Pater sonuit, vt à nobis esset audibilis. 2. *Petr.* 1. Voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria.

Tu es filius meus.

Testimonium est Patris: & dicit duo: testimonium

nium vnius cum Patre diuinitatis,& spirationis: & testimonium acceptabilis operis redemptionis.In primo dicit [Tu] qui in carne videris esse humiliatus. *Philip.* 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens [es] quod est nomen Dei ineffabile.*Exod.*3.Ego sum qui sum. *Et ibidem.* Qui est : misit me ad te [filius meus] Ecce Deitatis cum Patre connaturalitas.*Philip.*2.Cùm in forma Dei esset : non rapinam arbitratus est se æqualem esse Deo. *Ioan.* 11. Ego credidi quia tu es Christus Filius Dei viui qui in hunc mundum venisti.

Dilectus.

Spiratio communis Patri & Filio, qua spirant Spiritum sanctum. Cùm enim dicit [dilectus] notatur dilectio procedere à Patre in Filium: & à Filio in Patrem,& in nos.*Col.*1.Eripuit nos de potestate tenebrarum : & transtulit nos in regnum filij dilectionis suę. *Matth.*3.Hic est filius meus dilectus.

In te complacui.

Acceptando opus meriti redemptionis. Tactus enim dolore cordis intrinsecùs , pœnituit me fecisse hominem *Genes.*6.Sed nunc commotio quieuit:ad complacitum veni in te,acceptando bonum tuum pro homine redimendo factum & faciendum : & in baptismo sanctifico & accepto redemptos. *Col.*1. Placuit in ipso omnẽ diuinitatis plenitudinem habitare : & per eum reconciliari vniuersa.*Prou.*3.Quasi Pater in Filio complacet sibi. Sic ergo terminatur pars in qua leo de tribu Iuda communicatiuus est suorum.

Et statim spiritus expulit eum in desertum.

Hic ostenditur proprietas leonis, qua imperterritus est in occursu contrapugnantium. *Prou.* 30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pauebit occursum. Demonstrat igitur vigorem in spiritu,& vigorem in corpore , & vigorem contra nequitias spirituales:& item super creaturas inferiores , & ad creaturam superiorem. Et hæc quinque per ordinem dicit in litera. Primum est deuotionis:secundum est, abstinentiæ corporalis:tertium,virtutis & fortitudinis: quartum, innocentiæ & primæ institutionis, & dignitatis: quintum , reuerentiæ & honoris. In his autem defecit primus homo. Primò enim,per eleuationem(aliàs elationem) quæ surrepsit menti,spiritus amisit vigorem : & secundò , per apperitum vetiti , corporalis concupiscentię sensit infirmitatem : tertiò,per consensum succubuit tentatori:quartò, propter reatum, super ea quibus præpositus fuerat amisit dominium. Et quintò, per exilium ad quod damnatus fuit,Angelorum perdidit consortium.De primo dicit.

Et statim.

Tangit autem spiritus in deuotione impetum, & virtutem,& motum,& locum. Impetum tangit cum dicit [& statim] *Ezech.*1.Vbi erat spiritus impetus illuc gradiebantur.*Chrysostom. super Ioannem.* Magnum , amor est , & igne vehementius: & non est aliquid quod eius proprium impetum possit sustinere.*Iob.* 32. En venter meus quasi mustum absque spiraculo quod laguncu-las nouas dirumpit] Spiritus] sanctus : qui est virtutis diuinæ vector,& inuector.*Psal.*32. Spiritu oris eius omnis virtus eorum *Iudi.* 6. Spiritus Domini induit Gedeonem:& in illa fortitudine confudit & prostrauit castra Madian. Et significatur quod congressuri cum Diabolo : primò spiritu Dei in deuotione sunt confirmandi.

Expulit eum.

*Luc.*4.Dicitur quod agebatur Spiritu. *Matth.* 4. Quod ductus est : hic autem , quod expulsus. Agitur autem cuius omnis actionis, Spiritus est motor & principium *Rom.* 8. Quicunque Spiritu Dei aguntur , hi filij Dei sunt. Ducitur autem cuius omnem exitum & processum regit sapientiæ Spiritus.*Psal.*142.Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Expellitur autem , cuius impetus deuotionis hominem non sinit quiescere, nisi veniat ad Dominum. *Psal.secundum Translationem Hieronymi,* Serua me Domine quoniam in te speraui : & non mihi benè est sine te. *Psal.* 110. Si dedero somnum oculis meis & palpebris meis dormitationem , donec inueniam locum Domino. Primum,sit dono virtutis : secundum , gubernatione lucis ; tertium autem,impetu charitatis. *Cant.*8. Lampades eius lampades ignis atque flammarum.

In desertum.

Locus est quieti silentij vbi tumultus mentem non euocat. *Osea.* 1. Adducam eam in solitudinem : & loquar ad cor eius.*Thren.*3. Sedebit solitarius , & tacebit quia leuabit se super se.

Et erat in deserto quadraginta diebus,& quadraginta noctibus: & tenebatur à Sathana. Eratque cum bestiis : & Angeli ministrabant illi.

Tangitur abstinentia per quam restituitur vigor corpori membrorum , in primis parentibus per concupiscentiam perditus. Circa hoc autem tangit duo, Locum ieiunij, & longitudinem.Locum,cùm dicit.

Et erat in deserto.

Ne putetur accessisse ad locum præparati cibi.*Psal.* 64. Pinguescent speciosa deserti. Hinc: primi Religiosi acceperunt quod ad desertum se transtulerunt : quia ibi nec delitiæ proferuntur (aliàs proponuntur) nec fauor laudis , nec elatio tentare possunt. *Iere.* 2. Recordatus sum adolescentiam tuam , quando secuta es me in deserto.*Infra.*5. Recedite paulisper in desertum locum & requiescite pusillum.

Quadraginta diebus.

Et ne putetur noctibus comedisse : addit [& quadraginta noctibus.] Numerus autem iste figuralis est pœnitẽtiæ,& effectus pœnitentię.Pœnitẽtię quidẽ,quia est decima anni.Effectus autẽ pœnitẽtiæ,quia partibus suis surgit in quinquaginta,qui est accessus ad quinquagesimũ Iubilęi: per quem signatur remissio perfecta.Hoc ieiuniũ præfiguratum est in Moyse *Exod.* 24. & in Elia 3.*Reg*,19. Perfectum autem à Christo. Moysen illuminauit ad legem intelligendam. Eliam ad Dominum euexit. Dominus autem ieiunans à tentatore

tentatore triumphauit.Et hæc tria facit in nobis ieiunium. Sequitur.

Et tentabatur à Sathana.

Tentatio prout hic sumitur, est propulsus ad illicitum,non quidem ab intra, sed ab extra:tentabatur autem, sed non mouebatur. Nos autem quia interiùs tentat à motu corruptionis sentimus : ideò etiam exteriore facta tentatione, interiùs moti ab illicito, tentamur. Vnde *Iacob.* 1. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. De Christi autem tentatione dicitur *Hebr.* 4. Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. *Luc.*22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Christi ergo tentatio ex parte tentatoris fuit tentantis malitia : & ex parte Christi fuit tentari exercitium , & victoria. Vtrùm autem per continuos quadraginta dies tentaretur, vel tantùm semel, non hic describitur, sed *Matth.*4.& *Luc.* 4. videtur innui,quòd semel:& tunc per tria tentabatur,scilicet, superbiam,auaritiam, & gulam, sicut notatum est super Matth. Et quia omnia reducuntur ad hæc quæ concupiscuntur , ideò dicit Apostolus in præinducta auctoritate:Tentatum autem per omnia. 1. *Ioan.* 2. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, an superbia vitæ. In his autem primus homo tentatus, nihil retinuit non corruptum ; rationalem quidem, per appetitum scientiæ boni & mali : irascibilem,per hoc quod voluit esse sicut dij : & concupiscibilem, per appetitum vetiti. Quæ Christus assumens vincendo,restituit. Rationalem quidem , per scripturas tentatorem repellens: irascibilem , regna mundi , & altitudinem gloriæ contemnens : concupiscibilem etiam , in fame naturalia desideria continens , & totum hominem, non tentando Deum (aliàs non tentatori) sed Deo se humiliter subiiciens.

Eratque cum bestiis.

Hic tangitur restitutio innocentiæ, & honoris perditi in primis parentibus. Sicut enim dicitur *Genes.* 1. ille sic factus fuit, vt præesset volatilibus cæli, & bestiis terræ , & piscibus maris: per peccatum autem, quia homo honorem Deo non exhibuit , amisit dominium & honorem, quo bestiis prælatus fuit : per Christum autem reparatur. *Iob.*5. Bestiæ terræ erunt tibi pacificæ. In signum huius Daniel inter leones illæsus permansit. *Dann.* 18. Interiùs etiam in baptizatis mansuescunt bestiæ, quando mitigantur motus brutales,& animales. Vnde animalia pacata fuerunt in arca Noë, *Genes.*7.*Iob.*30. Frater fui draconum & socius struthionum.

Et Angeli ministrabant.

Qui enim antè viam , & reditum ad vitam prohibebant:& si aliquando apparuerunt,adorare se permittebant,sicut *Genes.*18. & 19. Et in multis aliis locis. Et *Iosue.*6. vbi Iosue pronus in terram adorauit Angelum : nunc per exaltationem naturæ ministrant. Non enim Christus in persona ministerio indigebat, sed Christus in membris. *Hebr.* 1. Nonne omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis:Vnde etiam adorari se postea non permiserunt.*Apoc.vlt.* Vide ne feceris : conseruus enim tuus sum & fratrum tuorum:Deum adora. Hoc signatum est.3. *Reg.*6. vbi totus mons plenus equorum & curruum igneorum apparuit in circuitu Elisei.

Postquam autem traditus est Ioannes,venit Iesus in Galilęam, prædicans Euangelium regni Dei.

Leo dicitur esse rex bestiarum. Et hanc proprietatem ostendit hic Marcus. Hic enim ostendit qualiter leges vitæ per doctrinam posuit , & qualiter Senatus & Officiales Ecclesiæ (aliàs eius) instituit, quod proprium est regis. Tangit autem hic duo , verbum videlicet communis vocationis ad regnum , & vocationes speciales ministrorum. Verbum autem commune communis vocationis determinatur hic à tempore inceptionis, & à loco vnde procedit, & à modo propositionis, & à materia. Ab ipsa vocatione tempus tangitur, cùm dicit.

Postquam autem traditus est Ioannes.

Non quod immediatè post ieiunium.40. dierum Ioannes traditus sit : sed quia Marcus facta primi anni , quando Christus cum Ioanne prædicauit, prætermisit. Et propterea etiam præcipuè Ioannes scripsit suum Euangelium : vt illa facta poneret , quæ perpauca alij posuerunt Euangelistæ.Marcus autem in toto prætermisit,quia huiusmodi ab alio ponenda præuidit. Et quia Christus hoc non adeò publicè fecit sicut fecit postea, vnde *Ioan.* 2. dicitur , Hoc fecit initium signorum Iesus coram discipulis suis , & manifestauit gloriam suam : noluit Iesus manifestè prædicare quamdiu prædicauit Ioannes , ne Ioanni detogare videretur, & sic liuorem discipulorum Ioannis contra se suscitaret : quia *Ioan.* 3. continetur,quòd facta est quæstio ex discipulis Ioannis cùm Iudæis de purificatione baptismatis Christi & Ioannis : ita quod oportuit ipsum Ioannem liuorem pro se zelantium mitigare. Alia causa est : quia Ioannis officium fuit præire & parare viam:& ideò currente officio Ioannis, non debuit palam currere prædicatio Christi. Marcus igitur,cum non scribat nisi addendo diminuta circa manifesta facta Christi, non ponit aliquid eorum quæ facta sunt currente prædicatione Ioannis. Hæc igitur est ratio eius quod dicit [postquam autem traditus est Ioannes] in manus Herodis qui decollauit eum,sicut dicitur *Matth.*4. Tunc,inquam,oportuno tempore parata via, præeunte Angelo.

Venit.

Dominator Dominus ad templum sanctum suum facere sibi Ecclesiam.Et tangitur loci congruitas , vnde sermo procederet Euangelicus, cùm dicit [in Galilęam] eò quod vbi gentes simul & Iudæi habitabant , ibi debuit fundari lapis angularis , qui fecit vtrumque vnum : duos parietes , gentium & Iudæorum , in se concludens.*Ephes.*2.Vnde *Isa.*9. Trans Iordanem Galileæ gentium , populus qui ambulabat in tenebris , vidit lucem magnam : habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Loco autem sic determinato tangit modum,cùm dicit.

Prædi

Prædicans.

Prædicatio est eorum quæ sunt super intellectum, sicut dicit *Chrysost.* Et est prædicare præ audientibus dicere, hoc est, sacrata & dicata ostendere ea quæ dicuntur: prædicator enim tenetur ex officio sacrata ostendere quæ dicit, quod non tenetur Doctor: quia prædicator non habet aliud argumentum suorum dictorum nisi vitam. Vnde Apostolus ad *Rom.* 15. Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus. Sicut dicitur *Marc. vlt.* Prædicate Euãgelium omni creaturæ. *Act.* 1. Cœpit Iesus facere & docere. Et subiungit prædicationis materiam, cùm dicit.

Euangelium.

Quod est bonum nuncium. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum. 2. *Corinth.* 4. Non ambulantes in astutia neque adulterantes verbum: sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiã hominum. *Ezech.* 2. Loqueris verba mea ad eos si fortè audiant & quiescant. *Iacob.* 1. Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Aliæ enim fabulæ non saluant, velut recitationes bufarum, quas quæstuarij inducunt, in maiori parte mentientes. *Iob.* 13. Nunquid indiget Deus vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Hoc Euangelium non habet cum sit boni gratiæ & gloriæ nuncium: cuius etiam effectus non est mentiri.

Regni Dei.

Regnum autem est distributio confirmatæ & perfectę potestatis in sacris officiis, & exercitiis, & legibus Dei, sicut dicitur *Matth.* 6. Primùm quærite regnum Dei, & iustitiam eius: sicut dicitur *Luc.* 1. quod regnabit Christus in domo Iacob in æternum: & regni eius non erit finis. Sequitur modus vocationis, cùm subdit.

Et dicens: quoniam impletum est tempus, & appropinquabit regnum Dei; pœnitemini, & credite Euangelio.

Tangit autem quatuor: quorum primum est præfinitionis impletio, ad exhibendum gratiam: secundum est exhibitoris gratiæ præsentia: tertium est suasio remotionis impedimenti gratiæ ex parte nostra: quartum autem est in gratiam per fidem introitus. De primo dicit.

Quoniam impletum est tempus.

Quo pater promisit exhibere gratiam: & hoc est tempus vbertatis & plenum: de quo in *Psal.* 64. dicitur. Benedices coronæ anni benignitatis, &c. 2. *Cor.* 6. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. *Gal.* 4. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.

Et appropinquabit regnum Dei.

Per exhibitoris & regis præsentiam. *Act.* 17. Non longè enim est ab vnoquoque nostrum. *Ioan.* 1. Medius vestrum stetit. *Luc.* 17. Regnum Dei intra vos est. Et ideò dixit latroni *Ioan.* 19. Hodie mecum eris in paradiso. Hoc regnum patres diu expectauerunt. *Habac.* 2. Adhuc visus procul si moram fecerit, expecta eum: nobis autem propè. *Ephes.* 2. In Christo Iesu vos qui fuistis longè, facti estis propè.

Pœnitemini.

Hoc est à pœna doloris (aliàs pœnæ dolore) teneamini: & sic impedimenta regni remouebitis à vobis. *Luc.* 3. Facite dignos fructus pœnitentiæ. *Matth.* 3. Pœnitentiam agite: appropinquabit enim regnum cælorum. Sic enim per hoc quod pœniteamur, hoc est, puniamur pœna nos tenente continuè, ad vomitum non redimus: per hoc quod pœnitentiam agimus, operibus satisfactionis per iustitiam insistimus: per hoc autem quod dignos fructus pœnitentiæ facimus, dulcedinem virtutum quas per exercitium pœnitentiæ acquirimus, cum delectatione degustamus: & sic impedimenta regni à nobis remouemus.

Et credite Euangelio.

Hoc est intrare in gratiam nunciatam. Credere enim Euangelio, est consentire, & nos ei credendo committere ex toto corde. Et his promittitur salus. *Marc. vlt.* Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. *Infra.* 9. Omnia possibilia sunt credenti. *Ioan.* 3. Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Et præteriens secus mare Galilææ, vidit Simonem & Andream fratrem eius, mittentes retia in mare: erant enim piscatores.

Præmissa vocatione generaliter, tangit hic vocationem ministrorum duplicem. Vocantur enim quidam in plenitudinis potestatis successionem, sicut Petrus: & adiungitur ei coadiuuans frater Andreas. Et vocantur alij in partem solicitudinis, sicut Ioannes cum fratre Iacobo: & ista duo hic dicuntur: & ideò per istam duplicem vocationem omnis vocatio discipulorum intelligitur. In prima vocatione tria tangunturr: dispositio vocantis, actus & vsus vocatorum, & ipsa vocatio. Dispositio autem vocantis notatur in quatuor: in natura videlicet electionis, stabilimento suæ æternitatis, effectu suæ prædestinationis, & signo suæ bonæ voluntatis. Modus electionis notatur, cùm dicitur.

Et præteriens.

Omnis enim eligens quosdam ex multis præterit mentis consideratione, ponderatione meritorum: quia aliter forte, non aut eligeret. Vnde 1. *Reg.* 16. cùm ponerentur ante Samuelem filij Isai: præteriens dixit, Non hunc elegit Dominus: & sic de omnibus vsque ad Dauid: vnde *Psal.* 77. Elegit Dominus Dauid seruum suum & sustulit eum de gregibus ouium pascere Iacob seruum suum, &c. *Ioan.* 15. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et sic docet nos eligere Prælatos. Stabilimentum suæ æternitatis notatur cum dicit.

Secus mare Galilææ.

Non in mari: quia mare tumultuosum: & Galilæa transmigratio facta, significat inconstantem tumultum transeuntis huius mundi. 1. *Cor.* 7. Præterit figura huius mundi [secus] quia Christus iuit non transiens cum mundo: sed ad stabile æternitatis vocans suos. *Psal.* 103. Hoc mare magnum & spatiosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus. *Dan.* 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. *Ioan.* 21. Vident Iesum stantem in litore.

Vidit.

Effectum notat prædestinationis: quos enim ab æterno prædestinando præuidit: hos nunc videns per gratiæ appositionem vocauit. *Rom.* 8. Nam quos præsciuit conformes fieri imagini filij suiihos & vocauit. *Ioan.* 1. Cum esses sub ficu prius quam te Philippus vocaret vidi te. Videre enim est oculos misericordiæ in eos figere. *Psal.* 31. In via hac qua gradieris firmabo super te oculos meos. Sic videre est vinificare per gratiæ appositionem: vnde *Genes.* 16. Vocauit locum videntis & viuentis Abraham quia ibi visus est à Domino. *Sap.* 4. Respectus eius in electos eius. Signum autem suæ bonæ voluntatis notatur in conuenientia nominum cùm dicit.

Simonem.

Qui obediens interpretatur [& Andream fratrem eius] qui interpretatur virilis. *Exod.* 33. Inuenisti gratiam coram me: & te ipsum vocaui ex nomine. *Isa.* 49. De ventre matris meæ recordatus est nominis mei: signum enim optimæ voluntatis est per nomen scribi in corde filij Dei. *Apoc.* 3. Non delebo nomina eorum de libro vitæ. Hic autem in nominibus ipsis notantur tria: quis sit vocandus in plenitudine potestatis, quia obediens mandatis diuinis: quis in adiutorem quasi cardinalem, quia virilis à vi mentis strenuus: & mutuum vinculum societatis notatur in fraternitate. *Prou.* 18. Frater qui iuuatur à fratre quasi ciuitas firma. *Eccles.* 4. Væ soli, quia si ceciderit non habet subleuantẽ. Attende quod secundum historiam tres fuerunt vocationes discipulorum: primò enim vocabantur ad notitiam gratiæ *Ioan.* 1. quando Andreas testimonio Ioannis secutus est; & Petrus adductus per Andream: & Philippus, per istos duos: & Nathanael, per Philippum: secundò autem vocati sunt ad promissionem officij *Luc.* 5. vbi dicitur quod cùm vocarentur, subductis ad terram nauibus, secuti sunt eum: in hoc enim quod dicitur: subductis ad terram nauibus notatur quod propositum habebant reuertendi ad res quas custodiebant, commiserant, & nec dum reliquerant: hic autem *Matt.* 4. Tertiò vocati sunt: & omnibus quæ habebant renuntiabant, & secuti sunt Iesum absque proposito reuertendi ad sua.

Mittentes retia in mare.

Et tangit actum, & vsum, & rationem vsus. Notatur autem quod lucris intendebant: mittentes retia in mare, sine quorum vsu vitam agere non poterant. *Psal.* 127. Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. *Gen.* 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo: & subiungit laboris istius rationem.

Erant enim piscatores.

Hoc est, vsu piscationis viuentes: patres enim veteris testamenti pastores fuerunt ouium, sicut dicitur *Genes.* 47. Patres autem noui testamenti piscatores piscium fuerunt. *Ierem.* 16. Mittam eis piscatores multos & piscabuntur eos. *Luc.* 5. Duc in altum & laxate retia vestra in capturam.

Et dixit eis Iesus: venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.

Hic tangitur vocatio: & subiungitur simplex obedientia discipulorum. Vocatio autem ponitur & subiungitur ad quid vocantur: vocatio est ad veniendum, & modum dicit cum addit [post me] dicit igitur.

Venite.

Relinquendo vestra & vestros. *Dan.* 3. Nunc sequimur te in toto corde nostro & timemus te. *Iere.* 51. Qui fugistis gladium venite ad me & nolite stare. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.

Post me.

Neque ad dexteram neque ad sinistram declinando. 1. *Petr.* 2. Sequamini vestigia eius. Hoc enim perfectum est: & in hoc sequuntur idoneitatem, vt sint vicarij in potestate, si sint successores & suscitatores vitæ Christi.

Faciam vos fieri piscatores hominum.

Ecce ad quid vocantur. Homines enim submersi in concupiscentiis mundi, capiuntur & trahuntur ad litus stabilitatis, sagena prædicationis. *Habac.* 1. Facies homines quasi pisces maris. *Matth.* 13. Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti.

Et protinus.

Hic tangitur obedientia velox, & simplex, & perfecta: velox, in hoc quod dicit [protinus] simplex, in hoc quod dicit [relictis retibus] perfecta, in hoc quod dicit [secuti sunt eum] de primo *Prou.* 22. Vidisti hominem velocem in opere suo: coram regibus stabit. Sed contra. 1. *Petr.* 4. Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit. Respondeo quod non peregrinabantur in feruore: cum iam ante habuerint notitiam & experientiam per alias vocationes: sicut paulo ante diximus.

Relictis.

Vt sine impedimento sequerentur. Non enim camelus transit per foramen acus, nisi deposito gibbo. Et licet census hic relictus paruus sit, tamen affectus attendendus est qui maior est in paupere quàm in diuite: eo quod pluribus indigens plura concupiscit: vnde *Matt.* 19. *Luc.* 18. Ecce nos reliquimus omnia. *Matth.* 24. Qui est in agro non reuertatur tollere aliquid de domo sua.

Secuti sunt eum.

Hoc est perfectum, vt dicit Hieronymus, & quod fecit eos veros discipulos Christi. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus. *Philip.* 3. Sequar autem si quo modo comprehendam in quo

& comprehensus sum.

Et progressus inde pusillum: vidit Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius: & ipsos componentes retia in nauit: & statim vocauit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenariis: secuti sunt eum.

Tangit hic vocationem secundam quæ est in partem sollicitudinis vocatorum: & tangit quatuor, modum videlicet vocantis in vocando, actum vocatorum, & vocationem, & vocatorum obedientiam. Modum vocantis sicut prius tangit in electione, & in eligendorum visione, & vitorum nomine & genere. Dicit ergo.

Et progressus inde pusillum.

Dimissis inutilibus ad officium gratiæ. *Cant.* 3. Paululum cum pertransissem eos: inueni quem diligit anima mea.

Vidit.

Oculis beneplaciti. *Genes.* 22. Tu Deus qui vidisti me. 2. *Reg* 22. Ponam oculos meos super eum.

Iacobum Zebedæi.

Luctatorem contra vitia: filium fugitiui qui fugit mundum: talis enim eligi debet. *Malac.* 1. Iacob dilexi. *Zach.* 2. O ô o fugite de terra Aquilonis.

Et Ioannem fratrem eius.

In quo est gratia charitatis & scientiæ: hæc enim exiguntur in eligendis. 1. *Corin.* 15. Gratia Dei sum id quod sum: & gratia eius in me vacua non fuit. *Eccles.* 20. Homo acharis quasi fabula vana, acharis, est sine gratia: tales igitur vocandi sunt Episcopi. Determinat autem & opus istorum cùm dicit.

Et ipsos in naui.

Negotiationis [componentes] post piscationem [retia sua] tendiculas lucrorum suorum. *Prou.* 31. Facta est quasi nauis institoris: de longè portans panem suum: hi sunt enim de quibus dicitur. *Deu.* 33. Qui inundationes maris quasi lac sugunt: propter lucrum thesauros occultissimos venantes arenarum. Subiungit autem vocationem istorum subdens.

Et statim vocauit illos.

Sciens idoneos fore ministros. *Actuum.* 9. Vas electionis erit mihi iste vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël. Et sequitur festinata, & simplex, & perfecta obedientia.

Et relicto patre suo Zebedæo.

Viro tantæ honestatis & ætatis: & tam coniuncto per naturam, vt pater esset tam proficuo, vt filiis collaboraret. *Deut.* 33. Dixerunt patri suo & matri suæ, nescio vos: & fratribus suis dixerunt, ignoro illos. *Psal.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum.

In naui cum mercenariis.

Mercenarius cuius non sunt pisces proprij: sed conductus est mercede ad trahenda retia & ad nauigandum: & ostenditur hic relictis suorum bonorum. *Psalm.* 3. Quæ fuerunt lucra: hæc arbitratus sum vt stercora vt Christum lucrifacerem.

Secuti sunt eum.

Hoc est perfectionis. *Matth.* 19. Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.

Et ingrediuntur Capharnaum, & statim Sabbatis ingressus in synagogam docebat eos. Et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos quasi potestatem habens, & non sicut Scribæ.

Hic incipit ostendere leonis quintam proprietatem: quæ est propriæ fortitudinis demonstratio. Propter quod etiam hoc animal sæpe extendit vngues, & mouet eos, & crura, & ostendit ea, & respicit diligenter, propriæ fortitudinis exhibens & admirans signa. Hæc autè demonstratio in leone de tribu Iuda: sicut in prima istius libri glosa continetur, exhibetur per leonem quatuordecim modis. Primò quidem, in expulsione Dæmonis in synagoga: secundò, in liberatione socrus Simonis Petri: tertiò, in mundatione leprosi: quartò, in curatione paralytici: quintò, in restitutione manus aridæ in synagoga in Sabbato: sextò, in liberatione dæmoniaci à legione Dæmonum: septimò, in restrictione fluxus sanguinis tactu mulieris: octauò, in suscitatione filiæ Iairi in domo: nonò, in satiando quinque millia hominum de quinque panibus: decimò, in expulsione Dæmonis à filia Syrophœnissæ: vndecimò, in apertione aurium & linguæ surdi & muti hominis: duodecimò, in illuminatione cæci extra vicum Bethsaïdæ: tertiodecimò, in saturando quatuor millia hominum de septem panibus: quartodecimò, in liberando hominem à surdo & muto spiritu, quem discipuli liberare non poterant: omnibus his modis demonstratur virtus leonis istius. Sed quia in quolibet animali nunquam est ita vna facies quòd aliam faciem non habeat: ideò diuiditur pars ista in duas partes: in quarum prima virtus diuina Christi super omnem naturam, vt dictum est, demonstratur. Quia autem ad hoc demonstratur vt fides prædicata accipiatur, idcirco in secunda parte quædam de facie hominis cuius est docere: quædam ad doctrinam vitæ & dispensationis Ecclesiæ subnectuntur: sicut patebit infra ante medium noni capituli.

Et si obiicitur quod Matthæus qui faciem hominis gerit ista ponit; dicendum quod hoc non est inconueniens, cùm quodlibet animalium quatuor facies habuerit: sed Matthæus narrat illa, vt demonstret in homine esse virtutem diuinam: vnde narrat ea post sermonem qui propriè hominis fuit: iste autem ponit ista propter le: quia ostendit virtutem super omnem naturam, sicut leonis virtus omnes excedit: sic igitur patet diuisio istius partis. Opera autem virtutum quæ hic inducuntur, ad specialem fortitudinem leonis indicandam ordinantur: vnde prima quidem

dem miracula coniunguntur secundum ea quæ exiguntur ad destructionem peccati originalis. Hoc enim tripliciter consideratur secundum tria quæ sunt in ipso. Est enim ibi originalis iustitia in mente, quæ Dæmoni dat potestatem in homine: est etiam secundum fomitem igni concupiscentiæ in corpore: & secundum infectionem corruptionis in propagine. Restaurator ergo naturæ curam eius, quo ad vim Dæmonis in mente, præsignat in curatione Dæmoniaci corrumpentis hominem: cura autem eius secundum restrictionem, & temperamentum igni concupiscentiæ præsignatur, in curatione mulieris à febre: cura autem ipsius, secundum quod est infectio propaginis præsignatur, in leprosi curatione: sic igitur inducuntur ista tria miracula capituli istius: Exponamus igitur ista tria: postea procedemus vlterius diuidendo. In primo ergo miraculo duo sunt notanda: quorum primum est, excitatio ad miraculum: & secundum, est perfectio istius miraculi. De excitantibus autem ad miraculum, dicit Euangelista virtutis manifestationem, & virtutis admirationem, postquam ostensa est. Ad virtutis ostensionem exiguntur tria: locus, solemnis, communis, & proprius: & tempus solemne: & ipsa virtutis expressio. De loco communi solemni dicit.

Et ingrediuntur Capharnaum.

Quæ fuit Galilææ metropolis: & ideò solemnis ciuitas, in qua etiam Iesus plurima fecit miracula. *Matth.* 11. Tu Capharnaum nunquid vsque ad cælum exaltaberis. *Psal.* 76. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei: vnde dixerunt Iudæi. Quanta audiuimus facta in Capharnaum *Luc.* 4. Vnde etiam interpretatur villa pulcherrima, vel, villa consolationis. Postea subiungit de solemni tempore dicens.

Et statim Sabbatis.

Quando voces Prophetarum legebantur & feriantibus Iudæis plures conuenerunt. *Isa.* 58. Si auerteris à Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo: vocaberis Sabbatum delicatum, & sanctum Domini, & gloriosum. Congruum autem fuit tempus, vt in die quietis, in Deo solo quiescere doceret, per virtutis diuinæ ostensionem. *Isa. vlt.* Erit Sabbatum ex Sabbato: & ideò operibus ab institutione mundi perfectis, sanctificauit Sabbatum.

Ingressus Synagogam.

Locus solemnis priuatus vbi erat conuentus populorum. Sicut enim Ecclesia dicitur apud nos congregatio fidelium, & ipsa aula in qua congregantur, etiam dicitur Ecclesia: ita apud Iudæos, & populus Iudæorum dicebatur, Synagoga tunc, & etiam aula in qua congregantur. *Psal.* 34. Confitebor tibi in Ecclesia magna: in populo graui laudabo te. *Psal.* 7. Synagoga populorum circundabit te. Deinde ponitur veritatis & virtutis ostensio, cùm dicit.

Docebat eos.

Sap. 8. Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem: quibus est in vita nihil vtilius hominibus. *Isa.* 48. Ego Dominus docens te vtilia. *Matth.* 5. Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati, &c.

Et stupebant omnes.

Hæc est admiratio virtutis ostensæ: stupor enim motus est cordis per systolen in magno apparente.

Super doctrina eius.

Necesse enim fuit quod verbum increatum, vehens se in verbo creato in aures efficacissimè onaret. Et hoc notatur *Heb.* 4. Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, & compagum quoque ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Et subiungit rationem stuporis, cùm dicit.

Erat enim docens eos quasi potestatem habens.

Tripliciter: quia virtute vitæ ostendebat, signis confirmabat, & virtute increata incorporata, in voce creata sonabat. *Luc.* 4. In potestate fuit sermo ipsius. *Matth.* 7. Erat enim docens eos quasi potestatem habens: & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi. Et hoc est quod subiungit [& non sicut Scribæ] Hi enim verecundia turpis vitæ repressi, & non de Dei virtute sibi conscij quasi mortua dabant verba: vnde de illis dicitur *Matth.* 23. Dicunt & non faciunt. *Rom.* 2. Qui alium doces: teipsum non doces. Contra quod *Eccles.* 48. Dicitur. Surrexit Elias: verba eius sicut facula ardebant. *Luc.* 45. Fuit vir Prophetа potens in opere & sermone coram Deo & omni populo: hac igitur potestate excitatio facta est ad miraculum faciendum.

Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo.

In tribus autem tangitur hic miraculi perfectio: primò enim ponit Dæmonis coactam confessionem: secundò, virtutem Christi, ad Dæmonis expulsionem: tertiò, ponit miraculi perfectionem, adiungens eiusdem vtilitatem: dicit igitur.

Et erat in Synagoga eorum.

Fortè per se veniens, vel, forte, adductus fuit ad locum sanctum vt ibi liberaretur: sic *Gen.* 38. Verè locus iste sanctus est: & ego nesciebam: frequentia enim virorum Sanctorum dat loco reuerentiam.

Homo in spiritu immundo.

Virtute locutionis ostenditur quod in potestate erat præsidentis sibi, & immundi spiritus. Dicitur autem spiritus immundus ab effectu: quia immunda suadet & facit & loquitur: vnde *Matth.* 12. Cùm immundus spiritus exierit ab homine. 1. *Reg.* 16. Spiritus Dei bonus recessit à Saul: & exagitauit eum spiritus nequam à Domino. Et sic spiritus immundus habitat in mente peruersi hominis.

Et exclamauit dicens: quid nobis & tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? scio quod sis sanctus Dei.

Ecce confessio coacta Dæmonis. Et dicit tria.

Primò enim confitetur nihil in Christo esse commune cum Dæmone:& hoc est testimonium liberrimæ innocentiæ Christi: secundò, confitetur virtutem damnandi Dæmones habere Christum:tertiò,confitetur, Christum esse Deo acceptum. Primum, est perfectæ sanctitatis testimonium: secundum, magnæ potestatis præconium:tertium, est reconciliationis Dei & hominis signum veridicum:dicit igitur.

Quid nobis.

Dæmonibus [& tibi] supple commune:egressus de radice Iesse, & educatus in flore virtutis.

Iesu Nazarene.

Quasi dicat in omnibus ex conceptu viri & Mulieris natis(quia *Ephes.*2.Dicitur: Filij iræ nascuntur) aliquid commune habuimus vel habemus. *Psal.*50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum:& in peccatis concepit me mater mea, in te autem de virgine nato,nihil commune inuenimus 1. *Corinth.*6. Quæ conuentio Christi ad Belial:aut quæ pars lucis ad tenebras. *Sap.*7.Sapientia vincit malitiam. Ecce confitetur Dæmon se nihil iuris in Christo habere: & ideò cùm inter mortuos omnes,liber sit, Christus alicui peccato non obnoxius, extendens in eum manum malignus,ius amisit proprium.

Venisti ante tempus perdere nos.

Ecce potestatis præconium: tempus autem perditionis Dæmonum,triplex est. Perditus autè in miseria fuit,in primo casu:perditus in carceris horrore erit,in extremo iudicio:perditus autem in diminuta potestate erat,in Christi passione:& hoc tempus diminutæ potestatis nondum Dæmon instare putabat: & ideò iam perdi suam potestatem ante tempus clamauit. 2. *Petr* 2.Rudentibus inferni detractos in finem reseruari condemnandos: vnde dicitur *Ephes.* 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem: sed aduersus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. De tempore autem dicitur *Apoc.* 12. Descendit ad vos Diabolus habens iram magnam:sciens quia modicum tempus habet.

Scio quod sis sanctus Dei.

Et sic Deus homini est ex parte reconciliandus. *Iob.*6. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Sanctus enim in natura, sanctus in opere,sanctus in oblatione, siue hostia. *Io.* 17.Ego pro eis sanctifico meipsum. Sed obiicitur quia secundum hoc Dæmones sciebant Christum esse filium Dei,contra quod dicit Apostolus. Quem nemo principum huius sæculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, hoc est, crucifigi persuasissent. Responsio. Non sciuerunt,sed vehementer putauerunt ex sanctitate & testimonio Ioannis, & operum potestate: & hoc hic vocatur scire.

Et comminatus est ei Iesus, dicens: obmutesce,& exi de homine.

Hic notatur virtus in Dæmonem:& dicit duo, comminationem,& imperium. Comminatio signat excedentem in Christo potestatem: comminatione autem vtitur, quia efferata malitia non reprimitur,nisi timore pœnarum: vnde *Iac.* 2. Dæmones credunt & contremiscunt: verbo enim tracti(aliàs tacti)credunt: & iudicium eius contremiscunt. *Psal.* 111. Peccator videbit & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet, (hic enim peccator Diabolus est.)

Dicens tace.

Duo dicit contra duo:quia enim clamauit dicit [obmutesce] quia vexauit dicit [exi ab eo] obmutesce autem dicit:quia *Eccles.* 15. Dicitur. Non est speciosa laus in ore peccatoris. *Psal.*49. Peccatori dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas,&c. [exi] non tam loco quam vexatione: intus enim præsidens vexabat eum. *Act.*10. Pertransibat benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo. *Luc.* 4. Exibant Dæmonia à multis. *Matth.* 12. In digito Dei eiicio Dæmonia.

Et discerpens eum Spiritus immundus: & exclamans voce magna: exiit ab eo.

Hic ponit miraculi effectum,& perfectionem, effectum autem notat in tribus: vexatione exeuntis,clamore egredientis,& exitu recedentis. De primo dicit.

Et discerpens eum.

Alia litera habet [conuexans] habet [conuexans] & notatur in hoc malitia Dæmonis. Sed videtur contrarium: quia *Luc.* 4. Dicitur quod proiecit eum in medium:& nihil illi nocuit. Sed ad hoc dicendum quod discerpendo, sicut dicit Marcus,proiecit eum in medium, sicut dicit Lucas: sed hoc quod dicitur, nihil illi nocuisse,refertur ad hoc quod nullum membrum amputauit.Innuitur etiam quod nullus liberatur à Dæmone nisi discerpatur per conpunctionem. *Ioel.* 2. Scindite corda vestra & non vestimenta vestra.

Et exclamans.

Molestia diuinæ præsentiæ [voce magna] ab interioribus exeunte Dæmone. Iste est rugitus de quo dicitur.1.*Pet.*5 Aduersarius vester tanquam leo rugiens quærit quem deuorer: cui resistite fortes in fide. *Luc.*4. Exhibant Dæmonia à multis clamantia,&c.

Exiit ab eo.

Notatur quod intus fuit in visceribus, & spiritibus,& sanguine manens, & conturbans comprehensiones ipsius: & notatur in hoc liberatio hominis. *Isa.*19. Clamabunt Ægyptij ad Dominum à facie tribulantis:& mittet eis saluatorem, & propugnatorem qui liberet eos.

Et mirati sunt omnes:ita vt conquirerent inter se dicentes: quidnam hoc est? quænam doctrina hæc noua? quia in potestate Spiritibus immundis imperat, & obediunt ei. Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilææ.

Fructus miraculi importatur hic duplex, particularis in præsentibus: & vniuersalis,in his ad quos fama peruenit. In præsentibus autem sunt quatuor:

quatuor: via videlicet de ignorantia ad fidem quæ est admiratio, & inquisitio potentiæ facti, & quæstio de doctrina, & causa trium istorum quæ dicta sunt. Primum notatur cùm dicitur.

Et mirati sunt vniuersi.

*Iob.*9.Qui facit magna,& inscrutabilia,& mirabilia,quorum non est numerus. *Isa.*25. Glorificabo te quia fecisti mirabilia[ita vt inquirerent inter se dicentes] *Psal.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam [quidnam est hoc] quæstio est de potestate operis. *Isa.*44. Ego facio noua nè memineritis priorum. *Apocal.* 21. Ecce noua facio omnia.

Quænam est hæc doctrina.

Quæstio est de doctrina. *Act.*17.Simile: vbi Athenienses dixerunt Paulo. Possumus à te scire quænam est hæc doctrina? noua enim quædam infers auribus nostris. Et subiungunt causa tantæ admirationis & inquisitionis [quia in potestate] verbi solius quo dixit, & facta sunt omnia: & hoc est etiam [spiritibus imperat] qui sunt potentiores omni carne. *Iob.* 41. Non est potestas super terram quæ possit ei comparari, qui factus est vt nullum timeret [& obediunt ei] quia sicut dicit *Greg.* Illi militat etiam id quod per malitiam voluntatis obstat: sic enim inimicos suos ponit scabellum pedum eius.

Et processit.

Generalis est vtilitas in his ad quos fama facti peruenit [rumor eius] famæ [statim] audito miraculo [in omnem regionem Galilææ] quia in ciuitate metropoli vndique de terris adiacentibus confluxerant qui famam facti dispersérunthic est Christi bonus odor. 2. *Cor.*2. Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. *Cant.* 4. Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. *Eccles.*49. Memoria eius in compositione odoris facta est opus pigmentarij: in omni ore quasi mel indulcabitur memoria eius.

Et protinus egredientes de Synagoga: venerunt in domum Simonis & Andreæ,cùm Iacobo & Ioanne.

Tangit secundum miraculum, in quo declaratur potestas super incendium fomitis, & mollitiæ corporalis:& dicuntur duo, perfectio videlicet miraculi particularis, & propagatio gratiæ vniuersalis (aliàs vtilitatis aut vniuersalitatis)in omnes.Perfectio autē miraculi tāgitur in tribus, in aduentu saluatoris, in indigentia salutis,& in adiutorio gratiæ:& hæc plana sunt in litera, nec oportet vlterius diuidi de aduentu saluatoris vt modica:dicens.

Et protinus,

Auiditate etiam alios iuuandi. *Psal.*147.velociter currit sermo eius [egredientes de Synagoga] in qua virtus est ostensa super spiritum vexantem immundum.

Venerunt in Domum Simonis.

Sed nonne Petrus erat de Bethsaida:sicut dicitur *Ioan.*1.Qualiter ergo in Capharnaum habuit domum.Respondeo.Vxor eius fuit in (aliàs de) Capharnaum, & propter illam affinitatem domus matris vxoris suæ dicitur domus Petri. Dicit tamen Stephanus quod domus Petri, non dicitur possessiuè, sed ad quam declinare consueuit causa vendendi pisces. Et hac etiam familiaritate vxorem duxit de domo illa.Hæc autem domus dicitur etiam Andreæ propter inseparabilitatem eorum in lucris, & negotiatione (aliàs negotiationem) piscium:quoniam & lucra & expensas communes agebant & habebant.

Cum Iacobo & Ioanne.

Ecce ministri magni medici: obedientia præcepti,virilis virtus,lucta tentationis,& gratia deuotionis: iam exemplo docuit fieri: quod præcepturus erat per Apostolum.*Iac.*45.Infirmatur quis in in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ & orent pro eo: & oratio fidei saluabit infirmum.

Recumbebat autem socrus Simonis febricitans.

Ecce indigentia salutis.Et tangit tria, virium destitutionem:quia [recumbebat] magnitudine ægritudinis delicta. *Isa.* 38. Quasi leo sic contrita sunt omnia ossa mea. Tangit secundò,cum bonis affinitatem:& quam idonea sit ad curationem,cùm dicit.

Socrus Simonis.

Vt in ea attenderetur (aliàs eo accenderetur) affectus discipuli. Simile. 2. *Mach.* 3. Oniæ Pontifici gratias age:propter illum enim tibi vita donatur. Tertiò,tangit speciem infirmitatis, cum dicitur.

Febricitans.

*Luc.*4.Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt eum pro ea. Et significat incendium fomitis in natura humana. *Osea.*7.Ipse succensus quasi clibanus.

Et statim dicunt ei de illa: & accedens eleuauit eam, apprehensa manu eius.

Hic ponitur curatio in quatuor: in intercessorum suffragio, in vicinante sibi remedio: quæ sequitur curatio, & ad pristinum vigorem restitutio.Dicit igitur.

Qui statim dicunt ei de illa.

Sed *Matth.*9.& *Luc.*4. Dicunt intercedendo pro ea. *Iac.*5. Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua.*Pro.* 10.Desiderium suum iustis dabitur.

Et accedens.

Vicinando ad salutem. *Luc.* 10. Appropians alligauit vulnera eius. Accedit enim cùm per præsentiam inclinatur. *Deut.* 4. Non est alia natio tam grandis quæ habeat deos appropinquantes sibi: sicut Dominus Deus noster adest omnibus obsecrationibus nostris.

Leuauit eam.

Curatio est. Et est eleuatio corporis signans leuationem ad cælestia mentis:vt quæ prius æstu fomitis in carnis concupiscentia prostrata languerat,

guerat, nunc ab æstu vitiorum temperata, cælestia petat. *Thren.* 3. Leuemus corda nostra cum manibus ad cælum. *Col.* 3. Quæ sursum sunt sapite non quæ super terram [apprehensa manu] Ecce virtutis restitutio. Significat enim manus quam apprehendit, opus quod gratia Dei ad perfectum perducit. *Isa.* 45. Cuius apprehendi dexteram vt subiiciam illi gentes. *Psal.* 72. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

Et continuo dimisit eam febris ; & ministrabat eis.

Tangitur demonstratio sanitatis in purgatione febris, & deuotione gratiarum actionis. In qua notatur indicium restitutæ virtutis. Dicit igitur.

Et continuo dimisit eam febris.

Non enim est mora: quia velle suum, fecisse est. *Psal.* 113. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra. *Ester.* 14. Si decreueris saluare nos continuò liberabimur [& ministrabat eis] vires quas accepit: gratias agens, in obsequium sui saluatoris exercens. *Psal.* 58. Fortitudinem meam ad te custodiam. *Luc.* 10. Simile: Martha satagebat circa frequens ministerium.

Vespere autem facto, cùm occidisset Sol, afferebant ad eum omnes male habentes & Dæmonia habentes: & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. Et curauit multos qui vexabantur variis languoribus, & Dæmonia multa eiiciebat: & non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

Hîc tangitur in omnes propagatio salutis: & docemur hîc tria: quorum primum est, in operibus beneficentiæ ad proximorum vtilitatem communicatio: secundum autem est, aliquando extra tumultum propter quietem ad solitudinem contemplationis declinatio: tertium autem, cùm nos proximorum necessitas requirit, ad intendendum instructioni proximorum, reuocatio. Et hæc patent in litera. In primo horum rursus tria continentur, scilicet, salutis & eruditionis indigentia, & auiditas: Domini exhibentis salutem, gratuita benignitas: & in declinanda laudis gloria, in magnis quæ fecit, humilitas. Dicit igitur circa auiditatem eruditionis & salutis, determinans temporis opportunitatem, & salutis expectatæ auiditatem, & desiderantium instãtiam & multitudinem. Tempus enim opportunum innuit cùm dicit.

Vespere autem facto.

Mirabilis populi deuotio quos nec instans nox retrahit ab auiditate salutis [cùm Sol occubuisset] & tenebræ essent: quando horrent homines ambulare. Congruit autem mysterio, quia vespera finis est mundi: occubitus Solis, mors Christi quæ salutem in omnes profundit. *Ps.* 138. Nox sicut dies illuminabitur; & nox illuminatio mea in deliciis meis; *Ioan.* 12. Qui sequitur me non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. *Isa.* 60. Ambulabunt gentes in lumine tuo, &c.

Afferebant ad eum.

Auiditate salutis [omnes] qui habebant infirmos: dicitur *Mat.* 9. [omnes male habentes] in corpore [& Dæmonia habentes] & ideò languentes in mente. *Matth.* 11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiam vos.

Et erat omnis ciuitas congregata.

Nee. 8. Erat omnis populus congregatus quasi vir vnus: & steterunt ante Neemiam [ad ianuam] hoc est fidei introitum. *Ioan.* 10. Ego sum ostium: per me si quis introierit saluabitur.

Et curauit multos.

Gratuita benignitate [Multos] autem curauit efficienter, qui omnes curare potuit sufficienter, si se ad curam præparassent. *Ioan.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat. *Hester.* 1. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem [qui vexabantur variis languoribus] in corpore.

Et Dæmonia multa eiiciebat.

De eis qui vexabantur in mente, vt ostenderet se habere potestatem super spiritum & carnem, contra Manichæum; & curam salutis vtrique impendere: vnde *Marc. vlt.* Hæc duo etiam committit Discipulis in potestate. In nomine meo Dęmonia eiicient: & post pauca, super ęgros manus imponent & bene habebunt [& non sinebat ea loqui] Declinatio inanis laudis per humilitatem. Et notatur quod laudem à malis nobis factam obmutescere faciamus, quamuis de veris & scitis sit aliquando: quia ad iactantiam profertur. Et hoc est quod dicit [quia sciebant eum] præsumptione operum: non veritate perfecta sicut supra diximus. *Psal.* 104. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Osee.* 12. Ephraim pascit ventum & sequitur æstum. Non enim vadit emere oleum cum virginibus fatuis: sed potius accendit cum prudentibus lampades, vt videat viam salutis.

Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum: ibique orabat.

Hic docet nos à tumultu aliquando segregatos, contemplationis petere secretum: & circa hoc dicit quinque, mentis desiderium, in hoc quod dicit [diluculo valde] *Isa.* 26. Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. *Prou.* 8. Qui mane vigilauerint ad me inuenient me. Secundò, dicit mentis in Deum erectionem (aliàs directionem) cùm addit [surgens] *Ps.* 24. Ad te leuaui animam meam. *Cant.* 3. Surgam & circuibo ciuitatem: quæram quem diligit anima mea. Tertiò, subiungit à tumultu sequestrationem, cùm dicit [egressus] à suis, à se, & à turbis. *Genes.* 22. Expectate me hic cum asino: ego & puer illuc vsque properantes cum adorauerimus reuertemur ad vos. Quartò, addit desiderium in Deum perfectum, cùm dicit,

Ibat In desertum.

Ezec. 1. Ibant in similitudinem fulguris coruscantis: & erat in medio splendor ignis, per ignitum cordis desideriũ. Quintò, subiungit locum & opus, cùm dicit [in desertũ] mundi occupationibus remotũ, inquietudini sensuũ non vicinũ ab instantia suorũ sequestratũ, hoc est desertum, ad cuius interiora minauit greges Moyses, cùm videret Dei visionem magnam *Exod.* 3. [Ibique orabat] ecce opus: oratio autem, vt dicit August. est pius affectus mentis in Deum directus. *Ioan.* 4. Veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum.

Et prosecutus est eum Simon: & qui cum eo erant. Et cum inuenissent eum dixerunt ei: quia omnes quærunt te. Et ait illis, eamus in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicē: ad hoc enim veni.

Ecce iterata reuocatio (aliàs vocatio) ad beneficentiæ opera: & tanguntur tria, inuitatio discipulorum, consensus Domini ad prædicandum & benefaciendum, & suæ beneuolentiæ debitum. De primo dicit primo inuitantes [quia prosecutus est eum Simon] qui vertex futurus erat Apostolorum [& qui cum eo erant] qui attingere meruerunt ad suæ contemplationis secretum. *Ioan.* 17. Volo pater vt ibi ego sum: & illi sint mecum, vt videant claritatem meam.

Et cum venissent ad eum.

Ausu familiaritatis [dixerunt ei] inuitantes eum ad beneficentiæ opera: sicut & Moyses de deserto missus est ad persequentes *Exod.* 3. Et Ioannes de deserto, facta super eum manu Domini, missus est ad ignorantes *Luc.* 3. Et Elias ad incredulos & errantes de deserto missus est. 3. *Reg.* 19. [Et cùm inuenissent eum dicunt ei] eum inuitantes [quia omnes quærunt te] *Cant.* 3. Quæram quem diligit anima mea. *Isa. vlt.* Quærite Dominum dum inueniri potest: innocate eum dum prope est. *Psal.* 104. Quærite faciem eius semper.

Et ait illis.

Obediens ad benefaciendum [eamus] profectum verbi [in proximos vicos] ordinata charitate, quæ prius curat de proximis, quàm de longinquis: in vicis autem habitant rusticani pauperes. Sic igitur notantur in verbo quatuor, profectus verbi & operis, ordo charitatis, cura salutis generalis, sine personarum acceptione, & doctrina pietatis. De profectu verbi & operis *Ioan.* 15. Elegi vos vt eatis & fructum afferatis. *Matth.* 10. Ite: ecce ego mitto vos. De ordine charitatis *Cant.* 2. Ordinauit in me charitatem. 1. *Timot.* 5. Si quis suorum, & maximè & domesticorum, curam non habet: infidelis est, & infideli deterior. De vicis & ciuitatibus in quibus & parui, in vicis: & magni, in ciuitatibus habitant. *Cant.* 3. Circuibo ciuitatem per vicos & plateas. *Sap.* 7. Pusillum & magnum ipse fecit & æqualiter est ei cura de omnibus. *Iac.* 2. Nolite in personarũ acceptione habere fide Domini nostri Iesu Christi gloriæ. *Rom.* 2. Non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt & egent gloria Dei.

Et ibi prædicemus.

Ecce doctrina pietatis: quia non inani prædicatione, sicut sæpe diximus. *Prou.* 1. Sapientia foris prædicat: in plateis dat vocem suam *Prou.* 5. Deriuentur fontes tui foras: & in plateis aquas tuas diuide.

Ad hoc enim veni.

Recognoscit se huius beneficentiæ debitorem ex fine aduentus sui. *Ioan.* 18. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.

Et erat prædicans in Synagogis eorum & in omni Galilæa: & Dæmonia eiiciens. Et venit ad eum leprosus deprecans eum: & genu flexo, dixit: si vis, potes me mundare.

Hîc incipit cura originalis ab infectione naturæ procedentis in membra: quæ infectio per leprosum designatur. Tanguntur autem duo: scilicet, leprosum ad inueniendum excitans, & leprosi curatio. Excitans autem fuit fama mirabilium, quæ in omnes operabatur Dominus: & hoc est quod dicit de doctrina publica & generali: & confirmatione doctrinæ per magnalia operum. Doctrinam enim tangit cum dicit.

Et erat prædicans.

Et notat instantiam per hoc quod coniungit simul pręsens & præteritum imperfectum. Hoc enim, ex præterito, dicit temporis differentiam quæ præcessit: ex pręsenti, instantem: & ex imperfecto, futurum, continuatum autem præsentem actum. Erat enim fons sapientiæ nunquam exsiccandus *Eccles.* 1. Fons sapientiæ verbum patris in excelsis. *Eccles.* 24. Factus est trames immensus vt fluuius meus appropinquauit ad mare: solemnitatem autem notat, cùm dicit.

In Synagogis eorum.

Et generalitatem, cùm dicit [& in omni Galilæa] *Marc. vlt.* Ite in orbem vniuersum. *Luc.* 22. Ego palam locutus sum mundo: & in abscondito locutus sum nihil.

Et Dæmonia eiiciens.

Confirmans verbum per magnalia operum. *Hebr.* 2. Contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritu sancti distributionibus, secundum suam voluntatem. Præcipuè autem mira facit cura, vt homines à Dæmonibus liberaret, vt vires Dæmonum euacuaret. *Mat.* 12. Si in digito Dei eiicio Dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei. his igitur excitatus

Venit ad eum leprosus.

Dicit autem *Mat.* 8. Quod descendente Iesu de monte in quo sermonem fecerat: venit leprosus. Et ideò intelligitur quod in prædicatione de qua mentionem fecimus: totum istum sermonem fecit, quem Marcus transit breuitatis causa: quia Matthæus scripserat eum. De curatione autem leprosi huius notantur tria: deuotio leprosi in merito curationis: pietas Domini in promptitudine miserationis: doctrina, cautela [illegible]. Deuotio leprosi in quinque cognoscitur: in salutis inquisitione, in indigentiæ [illegible], in petitionis deuotione, in adorationis humilitate, & in fidei suæ professione. De primo dicit [venit ad eum] curam habens suæ

 salutis

ſalutis:non iuſſus venit,laborem viæ non abhorrens: nec venire dicitur vſque ad Chriſtum,qui non tangit eum imitationis affectu. *Pſal*33. Accedite ad eum & illuminamini: & facies veſtræ non confundentur [leproſus] *Luc*. 5. Dicitur homo plenus lepra. Et tangitur magnitudo indigentiæ. *Iob*.2. Percuſſit eum vlcere peſſimo: à planta pedis vſque ad verticem capitis,non erat in eo ſanitas.

Deprecans eum.

Deprecatio eſt petitio in amouendis malis: & notatur in hoc petitionis deuotio. *Iacob*. 5. Multum valet deprecatio iuſti aſſidua. *Pſal*. 63. Exaudi Deus orationem meam cùm deprecor [genu flexo dixit] humilitas tangitur adorantis. *Eccleſ*.35.Oratio humiliantis ſe penetrat nubes. *Epheſ*.3.Flecto genua mea ad Deum Patrem: ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. *Philip*. 2. In nomine Ieſu omne genu flectatur.

Si vis potes.

Profeſſio eſt fidei omnipotentiæ: quæ in voluntate habet poſſe: & hoc eſt quod dicit, ſi vis [potes] *Sap*. 12. Subeſt tibi cum volueris poſſe. *Pſ*.113. Omnia quæcunque voluit Dominus fecit.Potes.

Me mundare.

Quia ita præceſſit in Eliſeo qui erat ſeruus qui dixit.3. *Reg*.5. Recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis. Et de lepra ſpirituali quæ eſt infectio originalis dixit *Ezec*. 36. Mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Sciens ergo hunc eſſe ſaluatorem, profeſſus eſt in voluntate ſua eſſe poſſe,ad conſequendam ſalutem.

Ieſus autem miſertus eius extendit manum ſuam: & tangens eum, ait illi, volo;mundare.

Tangit Domini ad curam promptitudinem: & tangit duo, cauſam videlicet, & effectum ſaluris.Cauſam ſalutis tangit in quinque:in nomine ſaluatoris, in compaſſione cordis,in protenſione virtutis,in operatione poteſtatis,& in verbo plenæ curationis.Nomen ſaluatoris eſt.

Ieſus.

Fortis iuxta nomen ſuum in ſalutem gentis miſertus compaſſione cordis. *Iere*.31. Miſerans miſerebor eius.

Extendit manum ſuam.

In protenſione vſque ad nos ſuæ virtutis. *Pſal*.143. Emitte manum tuam de alto:eripe me & libera me de aquis multis (& tangens eum) operatione poteſtatis. Sed contra: *Leui*,13.præcipit non debere tangere leproſos: dixit autem *Math*.5. Non veni legem ſoluere ſed adimplere.Reſponſio. Eſt tactus ad inquinationem; & ille prohibetur:tactus autem ad emundationem non prohibetur:quia illud eſſet contra (aliàs tactus ille eſt ad) miſericordiam. De priori tactu *Eccleſ*.13. Qui tangit picem inquinabitur ab ea. De ſecundo.4.*Reg*.5.Putabam quod deſcenderet ad me: & tangeret locum lepræ & inuocaret Deum ſuum.

Ait illi volo.

Verbum eſt curationis. Et ſequitur (mundare) *Sapient*.16. Non herba neque malagma curauit eos: ſed ſermo tuus qui ſanat omnia. *Pſal*. 106.Miſit verbum ſuum & ſanauit eos.

Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra:& mundatus eſt.

Ecce effectus:dixit enim & facta ſunt. Tangit autem tria, velocitatem, purgationem, & mundationem dicit enim (ſtatim)in hoc enim ſupra naturã eſt verbũ Dei operans quòd quod ſtatim facit natura paulatim operatur.*Pſ*.147.velociter currit ſermo eius.Purgationẽ tangit,cùm dicit.

Diſceſſit ab eo lepra.

Pſal.102. Qui redimit de morte vitam tuam. Munditiam tangit cùm dicit (Et mundatus eſt) *Pſal*.15.Cor mundum crea in me Deus.Primum, eſt in opere diuinæ virtutis:ſecundum, in expulſione iniquitatis:tertium,in aduentu formantis.

Et comminatus eſt ei: ſtatimque eiecit illum: & dicit ei, vide nemini dixeris.

Hic tangitur noſtra inſtructio, tam in Saluatore, quàm in ſaluato. In ſaluatore quidem in quatuor: in comminatione ſerioſæ humilitatis, in abiectione materiæ humanæ laudis,in prohibitione prædicandi honoris,& in doctrina præcauendæ infirmitatis.De primo dicit.

Et comminatus eſt ei.

Hoc eſt contra quoſdam qui audientes de ſe magna loqui,viriliter recuſant: & tamen aurem præbent, vnde ſupra idem, Tace & obmuteſce. *Et ibidem*.Comminatus eſt ei. De ſecundo dicit.

ſtatim eiecit eum.

Nolens apud ſe habere materiam laudis: & non auertens detractionem & murmurationem Iudæ proditoris. *Pſal*. 111. Qui laudabant me aduerſum me iurabant,2. *Cor*.3. Nunquid egemus commendatitiis epiſtolis?Epiſtola eſt commendatitia quædam, quando quis ſecum circumferet materiam ſuæ laudis & oſtentationis & dicit ei [vide nemini dixeris] perfecta enim humilitas eſt quando nec abſens laudari deſiderat. *Pſal*. 52. Qui hominibus placent confuſi ſunt: quoniam Deus ſpreuit eos.*Gal*. 1. Si adhuc hominibus placerem Chriſti ſeruus non eſſem.

Sed vade oſtende te principibus Sacerdotum: & offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyſes in teſtimonium illis.

Doctrina eſt præcauendæ infirmitatis.Et præcipit quatuor: quod Sacerdotes quærantur, quod morbus oſtendatur, quod munus offeratur, quod mundicia per Sacerdotes teſtificetur: & hæc ſunt neceſſaria pœnitenti. Dicit igitur (ſed vade) piger enim expectat donec eum Sacerdos, quærat. Sed tu præueni Sacerdotem, prouide,diſcurre,feſtina, ſuſcita amicum tuum (oſtende te) per confeſſionem (principibus Sacerdotum)in ſe vel in vicariis eorum.*Iſa*. 43.Dic tu iniquitates tuas vt iuſtificeris; narra

ſi quid habes.*Ioſue*.7.Confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris.

Et offer.

Votum & conſtitutum (pro emundatione tua) teſtificanda & oſtendenda (quæ,præcepit Moyſes) *Leui*. 13. *Pſal*. 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor,&c. *Mich*.6. Quid dignum offeram Domino. *Rom*. 12. exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam,Deo placentem: rationabile ſit obſequium veſtrum [in teſtimonium illis] leproſis mundatis.Vel[in teſtimonium offer illis] vt videntes per miraculum teſtificatam virtutem deitatis, ſi credant ſit eis teſtimonium virtutis & ſalutis:ſi non credant; ſit eis teſtimonium condemnationis. *Pſal*. 92. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. *Iob*.10.Inſtauras teſtes contra me.*Ioan*.5.Opera quæ ego facio in nomine Patris mei: ipſa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.

At ille egreſſus cæpit prædicare, & diffamare ſermonem.

Doctrina hîc accipitur ex parte eius qui curatus eſt:& tanguntur duo,præconium videlicet curati,& fructus præconij. In præconio tanguntur tria: ſcilicet, apud diuerſos miraculi oſtenſio, diuina virtus teſtificata, & per alios in locis ad quæ venire non potuit virtus nunciata. De primo dicit.

At ille egreſſus.

Non enim in clanculo ſubſilenter: ſed vbique diſcurrens nunciauit. *Iſa*. 12. Annunciate hoc in vniuerſa terra [cæpit prædicare] oſtenſam in ſe omnibus virtutem diuinam.Hæc enim prædicatur *Tob*.12.Vos autem benedicite Deum & enarrate omnia mirabilia eius [& diffamare] per nuncios in locis ad quæ ipſe venire non potuit.*Pſ*.67.Venient legati ex Ægypto:Æthiopia præueniet manus eius Deo. Sed nunquid inobediens fuit? Dicendum quod eſt duplex & triplex præceptum:ſcilicet,cautelæ,probationis, & obedientiæ. In præcepto cautelæ non interdicitur actus,qui optimus eſt:ſed gloria quæ immiſcet ſe bonis & honeſtis: & tale præceptum fuit hîc (aliàs hoc) & hoc intellexit iſte præcipuè ex doctrina Angeli *Tob*. 12. In præcepto probationis non vult Deus actum, ſed oſtenſionem virtutis: quæ latet in eo cui datur præceptum: & eſt vtilis ſibi & aliis oſtenſio virtutis eius:Sicut *Geneſ*.22.Nunc cognoui quod timeas dominum. In præcepto autem obedientiæ vult Deus actum *Exod*.20.Per totum.

Ita vt iam non poſſet manifeſtè introire in ciuitatem: ſed foris in deſertis locis eſſe: & conueniebant ad eum vndique.

Tangit fructus præconij:& tanguntur tria: ſcilicet,excitatio deuotionis, multitudo populi venientis,& diuerſitas.De primo dicit.

Ita vt iam non poſſet.

Propter deuotionem quærentis eum populi [manifeſtè ingredi ciuitatem] omnibus eum trahentibus vbi erat manifeſtus. *Luc*.23.coegerunt illum dicentes: mane nobiſcum Domine [ſed foris in deſertis locis eſſe] quia nulla platea vel aula capere multitudines poſſet. *Iſa*. 2. fluent ad eum omnes gentes [& conueniebant ad eum vndique] de diuerſis locis. *Iſa*. 60. Videbis& afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum: quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris,fortitudo gentium venerit tibi.

CAPVT II.

Et iterum intrauit Capharnaum poſt dies octo, & auditum eſt quod in domo eſſet.

IN præcedenti capitulo demonſtrata eſt fortitudo leonis ſuper crimine originalis peccati: ſunt autem duo defectus originale peccatum conſequentes: contra(aliàs iuxta) quos oportet fortitudinem demonſtrare. Vnus quidem eſt inordinatus motus, cauſatus ex inobedientia corporis ad ſpiritum: alter autem eſt impotentia benè & rectè agendi ad meritum. Et primus ſignificatur in paralytico, ſecundus autem in habente manu aridam. Et ſic inducuntur hîc duo capitula ſequentia conſequenter poſt primum quod iam eſt expoſitum. Marcus enim, vt dicit *Hiero*. Flores carpit, & ordinat eos ad demonſtrationem virtutis leonis, ſuper defectum cauſatum in nobis.

Idud autem capitulum,quod eſt contra defectum diſſolutionis, diuiditur in quatuor partes: in quarum prima, in figura diſſolutionis prædictæ, ſecundum virtutem diuinam medicina exhibetur: in ſecunda,quibus ſit neceſſaria,oſtenditur, in vocatione infirmi telonarij, & ſubinfertur quod infirmis eſt parata: in tertia,non verus huius infirmitatis curationis modus excluditur: quem quidam eſſe putabant in exercitio iuſtitiæ corporalis, in factis exterioribus,ſine fide & deuotione perfecto: in quarta & vltima, vera medicina peccantium; non in lege,ſed ſupra legem eſſe oſtenditur: & in hoc terminatur capitulum,in veræ medecinæ declaratione.

In Prima harũ quatuor continentur: in quorum primo,fama medici excitat ægrotum:in ſecundo,ſollicitè quærit medicum:in tertio,medicinæ huius verus ordo probatur. In quarto & vltimo, perfectæ ſanitatis effectum ægrotus à medico conſequitur.Tangit autem in prima harum triamedici præſentiam videlicet, & medici famam, & aduentantium vndique multitudinem copioſam. Præſentia autem deſcribitur cùm dicit.

Et iterum.

Et in hoc miranda eſt inſtantia Domini, quia iterum & iterum ſæpiſſime ſe ingerens inſtitit: ſicut dicitur.2.*Timot*.4.Inſta opportunè, importunè,argue, obſecra, increpa,in omni patientia & doctrina. Miranda eſt etiam benignitas: quia ipſe non vocatus intrauit.*Gen*.24.Ingredere benedicte Domini,cur foris ſtas. Miranda(aliàs videnda) etiam ſapientia: quia locum ſolemnem vt multis prodeſſet.

Intrauit Capharnaum.

Et ideò dixit *Act.* 9. Vt portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israël, quia per solemnia loca, & solemnes personas verbum apertius deriuatur ad inferiora loca, & homines [post dies octo] visitans (aliàs rigans) ea quæ ante seminauerat: egressus enim fuerat in montem vbi sermonem fecerat, & in cuius descensu leprosum curauerat: & octauo die regressus, rigauit ea quæ seminauerat. *Eccles.* 24. Dixi rigabo hortum plantationum mearum: & inebriabo prati mei fructum.

Et auditum est.

Celebri enim sermone vulgatum est: sicut dicitur *Genes.* 45. [Quod esset in domo] simile *Luc.* 7. Vt cognouit quod accubuisset in domo: venit mulier peccatrix. In transitu enim consequi eum non poterant: qui exultauit vt gigas ad currendam viam: vnde mansio in domo significat expectationem per misericordiam (aliàs ad pœnitentiam.)

Et conuenerunt multi ita vt non caperent (aliàs caperentur) neque ad ianuam: & loquebatur eis verbum.

Tertium est, tangit tria: conuentum, & multitudinem, & auditum doctrinæ. Multitudinem autem dupliciter: in se, & in modo; quia ad ianuam contendebant: dicit ergo [& conuenerunt] non tam loco quam cordis vnitate. *Act.* 7. & 1. *Esdre.* 2. Conuenit omnis multitudo quasi vir vnus. Sic enim bonum & iucundum est habitare fratres in vnum [multi] ex omni natione quæ sub cælo est. *Matth.* 9. Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Et tangit modum dicens.

Ita vt non caperent.

Locum domus [neque ad ianuam] quia hi (aliàs bene) intrare non poterant: steterunt extra, contra ianuam per quam viderent & audirent eum. Et notantur duo in verbo: audiendi videlicet auditas, & inchoandi in veritatem, sermonis, intentio. Audiendi auditas notatur per hoc quod dicit [vt non caperent] & est modus loquendi: sicut etiam nunc videmus in auditis ad audiendum, quod de domo in qua docet, anticipant capere loca apta, in quibus melius potest audiri docens. Directio autem intentionis notatur per hoc quod dicit.

Neque ad ianuam.

Non enim per parietem venit liber sonus sed per ostium. Et significat quod volentes audire, deposito pariete peccati, qui diuidit inter eos & Deum suum: veniant ad veritatis ostium apertum, quod est Christus, dicens *Ioan.* 10. Ego sum ostium: per me si quis introierit saluabitur: & pascua inueniet. *Ezec.* 8. Fode parietem: & cùm perfodisset parietem, apparuit ostium per quod cognouit veritatem. *Eccles. vlt.* Appropinquate ad me indocti: & congregate vos in domum disciplinæ.

Et loquebatur eis verbum.

Verbum loquitur, quia in verbo vno, omnis notitia verborum Dei formatur: & ideò dicit *Aug.* Quod verbum est plena ratio omnium viuentium. *Ioan.* 1. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.

Et venerunt ad eum ferentes paralyticum qui à quatuor ferebatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba: nudauerunt tectum vbi erat: & patefacientes, summiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat.

Ecce excitati per famam ægroti, salutis petitio: & tanguntur tria: infirmitatis magnitudo, coniunctorum sibi deuotio, & præsentandi infirmum medico, solers sollicitudo. Dicit igitur.

Et venerunt.

Per se: non expectantes donec ad eos veniret Dominus [ferentes] potius compassione misericordiæ, quàm humeris corporis. *Gal. vlt.* Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi.

Ad eum.

Vsque ad eum, ita quod infirmus medico coniungebatur: hoc enim oportuit, quia medicus ipse medicina fuit. Coniungitur autem qui veritatem tangit; intellectum, fide: & charitate, affectum in amore: & opus, per exemplum in conuersatione. *Psal.* 33. Accedite ad eum & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.

Paralyticum.

Toto corpore dissolutum mollitie concupiscentiarum quæ frigidus humor membra resoluit: qui stillicidio humoris resistit spiritui mouenti: & frigiditate caritatis, & motu tremoris conuersationis honestati. *Thren.* 1. Peccatum peccauit Ierusalem: propterea instabilis facta est. *Iac.* 1. Inconstans est in omnibus viis suis [qui à quatuor portabatur] adeò enim fuit infirmus, & dissolutus, quod nulla pars aliam ferre potuit: & ideò æqualiter eum à quatuor portari oportuit: qui quatuor naturales virtutes signant: prudentiam, temperantiam, fortitudinem, & iustitiam. *Sap.* 8. Sobrietatem, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem: quibus in hac vita nihil est vtilius hominibus. Vel quatuor sunt recordatio præteriti, ad dolendum: spes futuri, ad veniam consequendam: ostensio delicti, ad confitendum: propositum emendæ, ad satisfaciendum. *Prou.* 30. Quatuor sunt minima terræ: & ipsa sunt sapientiora sapientibus.

Et cum non possent.

Ecce ostenditur ex conatu intra ferendi: [& cum non possent] multum sunt attendenda verba ista: quia significatur in eis quod aliquis in conspectu turbæ non potest intra ferri ad Dominum per apertam suorum criminum coram turba detectionem: quia faceret scandalum. Vnde *Isa.* 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt [nudauerunt tectum] tecta enim plana sunt in Palestina: & ideò ascendere poterant: nudare autem tectum est aperire tegulas, & tangitur solers cautela istorum aperte præsentandi infirmum Domino.

Cùm

Cùm autem domus sit scriptura, tectum domus est historia, & nudatio, est historiæ detectio vsque ad Christum per mysterium attingere. *Rom.* 10. Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Et hoc est quod sequitur.

Submiserunt grabatum.

Graba Syriacè est caput, & grabatum est lectulus in quo est quies capitis: sicut habent infirmi pauperes. Idem est autem *Matt.* 9.

Cum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico. Fili dimittuntur tibi peccata tua.

Hic tangitur medicinę expositio (aliàs medicina Christi) & tanguntur tria: primò enim origo medicinæ ostenditur: secundò, murmuratio quorumdam contra virtutem medici oritur: & tertiò, murmuratio compescitur.

Dicit igitur [cum vidisset] id est videri à turbis fecisset [Iesus fidem illorum] quia sicut dicitur. *Infra.* 9. Omnia possibilia sunt credenti [ait paralytico] benigne loquendo ne deterreret. *Ezech.* 36. Confractum consolidabo.

Fili.

Mira benignitas simul & vtilitas, vt dicit *Beda*, quia filium nominat quem alij abiiciebant. *Matth.* 9. Confide fili remittuntur tibi peccata tua. Et hoc est quod dicit [dimittuntur tibi peccata] *Luc.* 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Notatur autem ex modo loquendi quod paralysis huius ortum habuit, quia peccauit: & ideò primùm oportuit purgari peccatum in anima, quàm curari posset dolor in corpore: vnde *Glos.* Dicit quod quinque modis infliguntur infirmitates: quæ notantur in versu.

Iob probat: inclinat Paulum: sese manifestat
In cæco: purgat Mariam: punit Herodem.

Iob primo ostendit probatum per tribulationem. Paulum autem quem magnitudo reuelationum poterat extollere, inclinat per colaphos Satanæ. 2. *Cor.* 12. In cæco autem qui sicut dicitur *Ioan.* 9. Neque ipse peccauerat neque parentes eius, manifestat gloriam suam per factum miraculum. Et similiter in suscitatione Lazari. *Ioan.* 11. Mariam autem sororem Moysi quæ murmuraverat contra Moysen, per lepram purgat à peccato: & tunc sanat omnes. *Num.* 12. Herodem autem puniuit, vt ostenderet æternam eius damnationem hic in corpore. *Act.* 12. Vbi dicitur quod percussit Herodem Angelus Domini: & consumptus vermibus expirauit.

Erant autem illic quidam de Scribis sedentes & cogitantes in cordibus suis. Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?

Hic tangitur murmuratio quorundam: & tangit tria: qui videlicet, & qualiter, & quid dicentes murmurauerunt. Dicit igitur.

Erant autem quidam de scribis.

Non omnes: quia nec Nicodemus, nec Gamaliel, neque alij deuoti [sedentes] inter alios in auditu verbi fingentes se quiescere: vt accusarent eum [& cogitantes in cordibus suis] hoc est qualiter murmurauerint: quia in corde: in ore autem non audebant: putantes latere, sed non profecit. *Sap.* 1. Auris zeli audit omnia. *Et ibid.* Cogitatio illius ad Deum veniet.

Quid hic.

Ecce quid dicunt murmurantes: & dicunt tria: despiciunt enim loquentem, crimen imponunt, & rationem subiungunt. Quod enim dicunt [quid hic sic loquitur] despectiuum est: sicut & illud *Matt.* 13. Nonne hic est fabri filius & Mariæ.

Blasphemat.

Ecce criminis impositio: sicut etiam *Ioan.* 8. Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes. Blasphemia autem sumitur hic in hoc, quod vsurpare eis videtur diuinam operationem: cùm sit homo. *Ioan.* 10. Non de bono opere lapidamus te: sed de blasphemia quia tu homo cùm sis: facis teipsum Deum. Et subiungunt rationem.

Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?

Verum dicunt, & non intelligunt. *Beda* In persona Ecclesiæ contra Arrium. Nemo potest dimittere peccata in terra nisi solus Deus: ergo ipse est Deus. Ratio autem est, quia peccatum non remittit nisi ille in quem factum est: omne autem peccatum fit contra Deum, & ideò non dimittit nisi Deus. *Rom.* 8. Deus qui iustificat: quis est qui condemnet?

Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dixit illis. Quid ista cogitatis in cordibus vestris? quid est facilius, dicere paralytico: dimittuntur tibi peccata tua? an dicere, surge, tolle grabatum tuum & ambula?

Tangit murmuris repressionē: & tangit tria: virtutem videlicet, qua corda cognoscit: & murmurantium reprehensionem: & falsitatis conuictionem. Dicit igitur [quo statim sine inquisitione.

Cognito Iesus spiritu suo.

Qui est diuinus spiritus ab ipso procedens, qui nouit omnia. 1. *Corint.* 2. Ea quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei [quia sic cogitassent] & in hoc ostendit se esse Deum. *Psal.* 32 Qui finxit singillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

Quid ista cogitatis in cordibus vestris?

Matth. 9. Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris. *Isa.* 1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis [quid est facilius dicere] quasi dicat, quoad potentiam facientis, omnino eiusdem est facultatis curare in corpore supra naturam, & curare in mente: licet quoad potentiam eius in quo fit, magis sit curare in mente quam in corpore. *Luc.* 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Vt

Vt autem sciatis : quia potestatem habet filius hominis in terra dimittendi peccata, ait paralytico: tibi dico, surge: tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.

Verba sunt Euangelistæ: & est argumentum à visibili effectu potestatis, ad inuisibilem: vt demonstrata Deitate in corporali effectu, intelligatur operari inuisibiliter in mente. Et litera per se patet notabile autem est quod dicit.

Surge tolle grabatum tuum & vade in domum tuam.

Et dicit tria: quorum primum, cordis in Deum notat eleuationem: secundum, peccati in pondus transitionem: tertium, conscientiæ quietem [surge] enim est: sursum te age. *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit tibi Christus *Col.* 3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextra Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. *Thren.* 3. Leuemus corda nostra cum manibus in cælum.

Tolle grabatum tuum.

Vt pondus & onus sit, quod fuit delectatio resoluti. *Psal.* 37. Sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Ioan.* 5. Qui me saluum fecit, ille mihi præcepit: tolle grabatum tuum & ambula in pace [& vade in domum tuam] ire, est proficere in merito: in domum ire, est per profectum in pacata conscientia quiescere: in domum suam ire, est in merito proprio, & non in alienis actibus curiosum esse. De primo horum. *Ezec.* 1. Ibant in similitudinem fulguris coruscantis *Ps.* 125. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua. De secundo *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem. *Iob* 5. Scies quod pacatum sit tabernaculum tuum. De tertio 2. *Timot.* 3. Ex his quæ penetrant domos otiosæ simul & verbosæ. *Psal.* 104. Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.

Et statim surrexit ille: & sublato grabato abiit coram omnibus : ita vt mirarentur omnes & honorificarent Deum: dicentes, quia nunquam sic vidimus.

Duo tanguntur: salus, & salutis fructus. Salus autem est subita, integra, vigorosa, & aperta. Subita quidem, quia [statim] integra, quia dissolutus per omnes artus consolidatus [surrexit] vigorosa, quia [sublato grabato] suo [abiit] aperta siue manifesta, quia [coram omnibus] fructus autem triplex est: via enim ad fidem est admiratio: & hanc tangit, cùm dicit.

Ita vt admirarentur omnes.

Gratiarum autem actio, est secundum [& honorificarent Deum] laus autem, est in hoc quod dicis [quia nunquam sic vidimus] *Isa.* 45. Quis audiuit vnquam taliaeius quis vidit huic simile. *Ioan.* 15. Si non opera fecissem inter eos quæ nemo alius fecit: peccatum non haberent.

Et egressus est rursus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum: & docebat eos.

[Et egressus est rursus ad mare] de domo in qua fuit: tangitur autem in hac secunda parte capituli propagatio huius medicinæ ad spiritum secundum quod dictum est, vt sciatis quia filius hominis in terra, potestatem habet dimittendi peccata. Et tangitur verus huius medicinæ situs & modus. Dicuntur autem hic quatuor: primò enim, tangitur ægroti ad medicum vocatio: secundò, medici in profectu ægroti refectio; tertiò, murmurantium de hoc reprehensio; quartò & vltimò, ostensio, & per opera hæc, sui aduentus finalis intentio. In prima autem harum partium duo sunt: vocatio generalis omnium, & vocatio specialis eius cuius morbus malus apertus. Vocatio generalis inducitur per hoc quia.

Egressus.

Extra domum murmurantium [est rursus ad mare] quod inquietudinem significat peccatorum. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest [omnisque turba] fama excitata [veniebat ad eum] *Isa.* 2. Fluent ad eum omnes gentes.

Et docebat eos.

Isa. 48. Ego Dominus doceus te vtilia: vnde *Infra. vlt.* Docete omnes gentes. *Psal.* 118. In bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Et cum præteriret: vidit Leui Alphæi sedentem ad teloneum, & ait illi: sequere me, & surgens secutus est eum.

Tria tangit, vocandum primo describit: secundò, vocat: tertiò vocatus vocanti obsequitur. In descriptione autem vocandi quatuor dicit: misericordiæ respectum, nomen, genus, & studium lucrorum iniustorum, Misericordiæ respectum tangit: cùm dicit,

Vidit.

Sap. 4. Respectus eius in electos eius. *Gen.* 16. Propterea appellauit locum illum: viuentis & videntis me. [Leui] Alij nomen non proprium ponunt euangelistæ, sed cognomen: ipse autem de se ponit nomen vulgatum, causa humilitatis. *Matth.* 9. Genus tangit cùm dicit.

Alphæi.

Nec poneret nomen Patris, nisi voce & prædicatione dignificatus fuisset. *Tob.* 5. De magno genere es tu. *Sap.* 8. Generositatem illius glorificat: contubernium habens Dei. Et ideò fugitiuus interpretatur, quia eius qui fugit mundum filius: additus est electorum numero in Ecclesia primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis. *Hebræ.* 12. *Genes.* 31. Cur clam me fugere voluisti.

Sedentem ad teloneum.

Hoc est, secundum *Chrysost.* In lucris illicitis quiescentem, quia in teloneis plerumque illicita auferuntur [& ait illi] ecce vocatio [sequere me] relictis lucris terrenis. *Philip.* 3. Quæ mihi fuerunt lucra hæc arbitratus sum vt stercora: vt Christum lucrifacerem.

Et surgens secutus est eum,

Non prius dans rationem de illicitè (aliàs illicitò) accepto, sed totum dimittens: & est argumentum

mentum, quod in illicitè acceptis ministri non tenentur dominis ad ratiocinia. *Matth.* 13. Inuenta vna prætiosa margarita dedit omnia quæ habuit & emit eam. *Luc.* 5. Relictis omnibus secuti sunt eum. 3. *Reg.* 19. Eliseus relictis bobus, statim secutus est Eliam.

Et factum est: cum accumberet in domo illius: multi publicani & peccatores simul discumbebant cum Iesu & discipulis eius: erant enim multi qui sequebantur eum.

Tangitur hic refectio Christi in conuersione pœnitentium: tangit autem tria: Christi refectionem, peccatorum pœnitentium cum Christo & Discipulis epulationem, & de eorundem in sequendo perfectionem: dicit igitur.

Et factum est cùm accumberet in domo illius.

Quia sicut dicitur *Luc.* 5. Fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua: & sicut dicit *Chrysost.* De illicitis bonis: quæ quia cõmunitatis erant, poterant conuerti ad vsum eorum qui cõmunitati deseruierunt auctore Domino. Reficiebatur autem intus in pœnitentia publicani. *Apocal.* 3. Intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum. *Luc.* 15. Epulari & gaudere oportet: quia frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Multi publicani.

Illicita capientes [& peccatores] in concupiscentia carnis: *Matth.* 21. Publicani & meretrices præcedent vos in regnum cælorum [simul discumbebant] pœnitentes [cum Iesu] saluatore [& Discipulis eius] veris animarum medicis. in Ecclesiæ refectione. *Isa.* 25. Faciet Dominus in monte hoc conuiuium vindemiæ medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. Et adiungit id quod perfectum est.

Erant enim multi qui sequebantur eum.

Pœnitentes de actibus malis. *Matth.* 19. Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.

Et Scribæ & Pharisæi videntes, quia manducabat cum publicanis, & peccatoribus, dicebant Discipulis eius: quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit Magister vester?

Tangit murmuris repressionem: & dicit duo, murmur, & repressionem. Murmurantes in tribus reprehenduntur: In apparentia falli nominis, scientiæ, & religionis: & hoc est quod dicit.

Scribæ & Pharisæi.

Inuidiæ oculis [videntes] & inuidentes. *Matt.* 20. An oculus tuus nequam est: quia ego bonus sum? [quia manducabat cum publicanis & peccatoribus] occasionem autem acceperunt, quia *Deut.* 17. Prohibetur ne societatem habeat cum gentibus: ille autem, vt quidam dicunt, gentilis fuit: & ad minus officium gentile exercuit: quia vectigalibus præfuit, in quibus officiis gentiles à gentili potestate ponebantur. 1. *Cor.* 6. Cum huiusmodi nec cibum sumere. Sed non erat occasio sufficiens: quia isti sequebantur Christum iam imitantes, & prauis actibus renunciantes. *Act.* 10. Macta & manduca. *Et sequitur*, quod Deus sanctificauit, tu ne commune dixeris. 1. *Cor.* 6. Hoc aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri. Tertiò reprehenduntur de timiditate, quia non Christo, sed.

Discipulis dicebant.

Confutati enim à Christo, non audent aggredi Christum: sed sicut serpens Adam aggressus in debilitate Euæ; ita & isti, probantes verum esse quod Ioannes dixit de eis *Matth.* 3. Genimina viperarum quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira?

Quare cum publicanis.

Quasi dicant: turpem sequimini magistratum. *Matth.* 23. Liquantes culicem, camelum autem glutientes. Non attendentes quod attendens Apostolus dicit. 1. *Corinth.* 9. Omnibus omnia factus sum vt omnes lucrifacerem. Et *Sap.* 18. In veste poderis eius totus erat orbis terrarum.

Hoc audito, Iesus ait illis; non necesse habent sani medico, sed qui male habent: non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

Hic ponitur repressio (aliàs reprehensio) murmuris vno verbo [non necesse habent sani] verè sani, vel qui se sanos reputant: sani enim non indigent, qui autem se reputant sanos non requirunt [medico] nisi forte quoad medicinam præseruatiuam: sed hic loquitur de purgationibus.

Sed qui male habent.

Ideò dicitur *Eccles.* 38. Quod vnguentarius pigmenta facit suauitatis: & vnctiones conficiet sanitatis. *Luc.* 10. Appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum: & duxit in stabulum & curam eius egit. *Isa.* 61. Vt mederer contritis corde misit me.

Non enim veni.

Concludit hic omnia per sui aduentus intentionem: dicens [non enim veni vocare iustos] quia non vocatur nisi qui longè est, qui adhuc massæ perditionis coniunctus est: & hic iustus non est [sed peccatores] qui longè sunt. *Pro.* 8. Vocauit ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. *Rom.* 8. Quos præsciuit conformes fieri imagini filij sui, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit.

Et erant Discipuli Ioannis & Pharisæi ieiunantes: & veniunt & dicunt illi: quare Discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant: tui autem Discipuli non ieiunant?

Hic inducitur tertia historia, in qua non verus medicinæ spiritualis modus excluditur: & tanguntur tria: primò enim, ponitur istius inquisitionis data occasio: secundò, de medicinæ modo,

do,orta quæstio : tertiò, veræ medicinæ perrationes probatio:dicit igitur.

Et erant Discipuli Ioannis ieiunantes.

Vno speciali ieiunio, quod in exteriori obseruantia consistebat sine Christo : hoc est,sine deuotione fidei Christi : & hoc ieiunium habet quidem gloriam, sed non apud Deum. *Rom.* 4. *Isa.*58. Quare ieiunauimus & non aspexisti:humiliauimus animas nostras & nescisti?

Et Pharisæorum.

Alio ieiunio isti ieiunabant, hypocritarum scilicet : qui cum hoc venabantur pecuniam vt marsupia implerent:sicut patet *Matth.* 6. Exterminant enim facies suas vt appareant hominibus ieiunantes *Isa.* 58. Nunquid tale est ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animam suam, & contorquere quasi circulum caput.

Et veniunt & dicunt illi.

De exteriori iustitia præsumentes [quare Discipuli tui,] &c. Quæstio est de purificatione:& patet litera *Ioa.*3. Facta est quæstio ex Discipulis cum Iudæis de purificatione:ac si dicant,tu non purificas, neque sanas peccatores, quos concupiscentiæ carnis studere doces: *Philip.* 3. Quorum Deus venter est : & gloria in confusionem eorum qui terrena sapiunt : inducunt autem Ioannem (quem Christus laudauit *Matth.* 11. Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista)& Pharisæos (qui in lege erant probatissimi)vt sic ex lege & ex Ioannis fama ostenderent esse malum modum præsentiæ quem exhibuit.

Et ait illis Iesus : nunquid possunt filij nuptiarum quamdiu sponsus est cum illis ieiunare ?

Repressio (aliàs reprehensio) est murmuris (nunquid possunt)inducit hic tres similitudines, ex quibus ostendit veram medicinam esse in cordis interiori deuotione, eo quod tria sunt in pœnitentia:coniunctio scilicet reconciliati cum Deo, & hæc habet gaudium : nouitas conuersationis: & hæc habet iustitiæ decorem:& spiritus feruor, qui signatur per vinum. In primo dicit quatuor:primò enim, proponit in humanis acceptam similitudinem : secundò, accipit ex similitudine concessam veritatem : tertiò, prædicit causæ positæ sublationem : & quartò inducit ex hoc ieiunij Deo accepti dispositionem ; dicit igitur.

Nunquid possunt.

Ex congruitate lætitiæ, quam exigit festum [filij nuptiarum] hoc est ad nuptias pertinentes [quamdiu cum illis est sponsus] vt sponsus : & in sponsi lætitia,& habitu[ieiunare]ieiunare autem est aliqua lugubria exercere : nuptiæ autem sunt coniunctio Dei cum homine, & cum fideli anima in corde. *Ioan.* 2. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : filij autem nuptiarum sunt in gaudio illo nati.*Ioan.*1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomine eius : sponsus autem Christus,Dominus in carne patiens (aliàs adueniens, *Psal.* 18. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. *Cant.*3. Videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua in die desponsationis eius: & in die lætitiæ cordis eius : & est hic argumentum, quod cum magna est solemnitas,non est ieiunandum.

Quanto tempore habent sponsum secum non possunt ieiunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus:& tunc ieiunabunt in illis diebus.

Hic accipit ex similitudine proposita veritatem ab omnibus concessam:& litera patet.Intelligitur enim de potentia congruitatis quod dicit [non possunt ieiunare] plus enim proficit sponsi præsentia ad curam morbi : quàm omnis afflictio corporalis exercitij.1.*Timot.*4. exercitatio corporalis ad modicum vtilis est : pietas autem ad omnia valet, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ.

Venient.

Tertium est, in quo prædicit causæ lætitiæ ablationem : isti dies fuerunt dies passionis,cùm ablatus est à vita : & dies ascensionis,cùm ablata est corporalis præsentia : & de his dicitur *Ioan.* 14 .Mundus gaudebit, vos autem contristabimini : sed tristitia vestra conuerteretur in gaudium.

Et tunc ieiunabunt.

[Determinatio est boni ieiunij quod est Ecclesiæ:: & est tertium, ab inductis duobus superiùs. Et hoc est ieiunium de quo *Matth.*6.Cùm ieiunas vnge caput tuum, & laua faciem tuam : vt vnctio spiritus sit in mente per deuotionem, & ablutio faciei per pœnitentiam, & satisfactionem. *Daniel.* 10. Panem desiderabilem non comedi trium hebdomadarum temporibus.

Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri : alioquin aufert supplementum nouum à veteri : & maior scissura fit.

[Nemo assumentum] quod dicitur ab assuendo:& est secunda similitudo:& dicit duo, similitudinem, & similitudinis rationem. Intendit autem quod in prima hominis conuersione, adhuc remanent dispositiones veteris consuetudinis, sicut assumpta quædam veteta : & nisi illæ paulatim educantur,fortis & nouæ virtutis conuersatio, non potest coniungi cum illis:& idcò dicit Apostolus *Ephes.* 3. Exuentes vos veterem hominem cum actibus suis, Et non dicit quod nouus assuendus sit veteri. *Iere.*4. Nolite serere super spinas.

Alioquin.

Ratio est similitudinis : quoniam nouum ad se trahendo, peius lacerat venis quam primò fuerat:quia tales tristitia victi reuertuntur:vnde qui tales iniungunt pœnitentias,non sunt medici: sed crudeles animarum interfectores: similes stultis, qui potionem ita fortem dant infirmo, quod cum morbo occidunt animam. *Matth.*Alligant onera grauia, & imponunt ea humeris hominum: digito autem ipso nolunt ea mouere.

Et

Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres:alioquin dirumpet vinum vtres, & vinum effunderur & vtres peribunt.Sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet.

Tertia est similitudo, & dicit tria:similitudinem, & rationem, & veram & ordinatam præsentiam, vinum autem nouum,hic dicitur mustum.*Iob.*32. Ecce venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit:& hoc est verum de impetu spiritus in feruore charitatis qui in neophitis est temperandus. 1.*Petr.* 4. Nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit.

Alioquin.

Ratio est similitudinis inductiquia inspirando calorem, frangit vtrem debilem : sic nouitas feruor rumpit vim naturæ nisi restringatur. 3. *Esdra.*3. O viri ! fortius est vinum:& dicitur ibi quod fecit hominem per talenta loqui [sed nouum vinum] tangit veram formam bonæ vitæ: quod vinum nouum spiritus feruoris noui, mittitur in vas nouitatis spiritus confortatum. Hoc enim est vinum quod lætificat Deum & homines.*Iudi.*9. Cui lagunculæ noui cordis præparatur à spiritu qui sedet in throno, & dicit, ecce noua facio omnia.

Et factum est iterum cùm Sabbatis ambularet per sata : & Discipuli eius cœperunt prægredi & vellere spicas. Pharisæi autem dicebant ei : ecce quid faciunt Discipuli tui Sabbatis quod non licet?

In ista quarta historia, ostendit verum animæ medicinæ modum non esse in lege:& tanguntur hic tria : primum est, solutio legis in opere discipulorum, quoad vnum quod præcipuum esse reputabatur legis mandatum:secundum est,orta ex hac solutione disputatio : tertium autem, est iustitiæ quæ per fidem est supra legem ostensio. Dicit igitur primò duo : tempus, & factum. De tempore dicit.

Et factum est iterum cum Dominus Sabbatis ambularet per sata.

De hoc tamen non est quæstio:quia iter Sabbati quoliber in Sabbato poterat ambulare(aliàs ambulati) sicut dicitur *Luc.* 24. Factum autem subiungit[& Discipuli eius] idem autem continetur *Luc.* 6.& *Matth.* 12. Hic autem dicitur quod [vellebant] & hoc est quod radicitus extraxerunt ; alij autem dicunt quod fricabant: quia ad literam tales primitiæ primò vellunturr, & postea fricantur. Aliquando autem nisi testæ in calidis enim terris citò apparent quædam præcoqua : nec fuit istud factum ex paupertate, cùm multi ministrauerint Domino de facultatibus suis : sed potius, sicut innuitur in sequenti capitulo, & sicut dicit *Chrysost.* tanta fuit turbarum frequentia, quod temere comedendi liberum non habebant : & hoc innuitur,quia prægrediebantur vt domino viam facerent propter (aliàs per)turbas:sicut etiam Ioannes viam fecerat ad corda. *Luc.* 1. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Pharisæi autem dicebant.

Orta est ex facto quæstio : & quia euidens est dicunt [ecce quid faciunt] & reprehensionem addunt [quod non licet facere Sabbatis]de quo dictum est : nullum opus seruile facietis in eo. *Exod.*20. *Leui.*23.*Isa.* 55.Si abstuleris à Sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo : vocaberis Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum.

Et ait illis : nunquam legistis quid fecerit Dauid quando necessitatem habuit, & esuriit ipse, & qui cum eo erant: quomodo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe Sacerdotum : & panes propositionis manducauit, quos non licebat manducare nisi Sacerdotibus, & dedit eis, & qui cum eo erant. Et dicebat eis, Sabbatum propter hominem factum est : & non homo propter Sabbatum : itaque Dominus est filius hominis etiam Sabbati.

Hic tribus rationibus ostenditur iustitia Christi esse supra legem à causa videlicet, & ratione ordinis, & auctoritate noui legislatoris. A causa enim ostendit legem quandoque esse solubilem.A ratione ordinis verò, dicit legem homine esse inferiorem. Ab auctoritate legislatoris ostendit legem esse solutam. In ratione autem quam sumit à causa,duò inducit:ærcitatis reprehensionem, & solubilitatis legis ostensionem, dicit igitur.

Nunquam legistis.

Ad intellectum:quasi dicat,non studiosè legistis : quia sicut dicitur.2.*Corint.* 3. Cum legitur Moyses velamen est positum super cor eorum. [quid] 1. *Reg.*22. [fecerit Dauid] qui Propheta fuit & Rex: habens auctoritatem & inspirationem.1.*Reg.*22. Quis in omnibus sicut Dauid fidelis inuentus est. 1. *Reg.*16.& *Act.* 13. Inueni virum secundum cor meum qui faciet omnem voluntatem meam : & ideò factum eius non est calumniandum.

Quando necessitatem habuit.

Quæ est causa solubilitatis legis [& esuriit ipse] & ne dicatur quod ipse hoc potuit facere solus inspiratus fuit,subiungit [& qui cum eo erant]qui non erat Propheta: & ideò etiam Sacerdos ibidem non quæsiuit de dignitate Dauid; sed de idoneitate puerorum, dicens : si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus, manducent, quasi dicat mirum est quod hoc non ad intellectum legistis : & inducit scripturam historiæ vbi hoc legitur,dicens.

Quomodo intrauit in domum Dei.

Hoc est, in atrium interius vbi erant excubiæ Sacerdotum ministrantium in tabernaculo [sub Abiathar principe Sacerdotum : alij Euangelistæ dicunt,sub Abimelech:ad quod dicit *Chrysost.* quod binomius fuit ille. Hieronymus autem dicit quod pater fuit Abimelech quem interfecit Saul,

Saul: filius autem Abiathar, qui tunc in facto præsens fuit cum Patre, & nominatior fuit quàm Pater in agendis: & exulauit cum Dauid expulso: & ideò meruit hîc nominari: quia postea regnante Dauid, ministrauit: & ideò nomen eius inducitur celebre, quod sciatur quod ille nil fieri permisisset illicitum: & inducit factum, dicens.

Et panes propositionis manducauit.

De quibus *Exod.* 25. Et intelligitur hoc factum fuisse in die Sabbati quia, die Sabbati auferebantur propositi, & alij ponebantur [quos] secundum legem [non licebat edere nisi solis Sacerdotibus] maioribus & Leuitis, Et ne putetur solus hoc fecisse: subiungit.

Et dedit eis, &c.

Prius expositum est. Innuit autem rationem talem. Si propter necessitatem lex soluitur, constat legem esse solubilem: & sic malè reprehenditis. 1. *Malachiæ.* 2. Fecit edictum Mathathias vt pugnarent in die Sabbati.

Et dicebat eis.

Secunda ratio est: quia ex quo [propter hominem est Sabbatum] & non è conuerso: ergo homo melior est Sabbato: & sic conferens homini, præcipuè in anima: propter Sabbatum non est dimittendum. Et simile quid est de loco sancto. 2. *Machab.* 5. Non gentem propter locum, sed locum propter gentem elegit Dominus: propter hoc factus est locus particeps malorum populi: postea autem fiet & bonorum.

Itaque Dominus est.

Tertia ratio est: & est sensus. Ex quo propter hominem factum est Sabbatum, & homo melior est Sabbato; tunc multo magis melior est homo Deus caput hominis Sabbato: & sic est Dominus Sabbati. *Gal.* 3. Lex propter homines facta est: ordinata per Angelos in manu mediatoris. *Gal.* 3. Iam non sumus sub pædagogo, hoc est sub lege. Sic igitur ostensum est quoniam iustitia non est ex lege: sed per Christum, qui est Dominus legis. Et hoc est quod intendit.

CAPVT III.

Et introiuit iterum in Synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam: & obseruabant si Sabbatis curaret, vt accusarent illum.

HIc incipit agere de cura difficultatis bene operandi: & tangit duo. Primò enim, ostendit huius gratiæ in se esse potestatem: secundò autem, facit huius gratiæ in alios propagationem: vbi elegit ministros. Adhuc prima habet duas historias: in quarum prima, hanc gratiam in se ostendit esse expressè in figura vnius: in secunda autem ostendit hoc generaliter in multis. In prima dicuntur tria; scilicet, præsentia miseri: ostensio, per nouam gratiam quæ supra legem est, beneficij: tertiò, exhibitio eiusdem: dicit igitur,

Et introiuit iterum in Synagogam.

Vt in loco solemni doceret. Est autem hæc historia *Matth.* 12. & *Luc.* 6. [& erat ibi] ecce præsentia miseri. Dicit autem *Hiero.* de isto quod in Euangelio Nazaræorum legitur, quod iste fuerat cæmentarius furiosus: & quærulas voces prius emisit ad Dominum, vt curaret eum ne ignominiosè cogeretur mendicare: sicut notauimus super Matth. & ex istis vocibus Pharisæi non mouebantur ad misericordiam: excæcati per inuidiam. Significat autem genus humanum, cuius potentia operandi aruerat, eo quod extenderat ipsam ad vetitum: sicut. 3. *Reg.* 13. Manus Ieroboam aruit, quam contra virum Dei percutiendum extendit. Est etiam manus auaritiæ quam ad accipiendum extendit, contracta ad dandum. *Eccles.* 4. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta: & ad dandum contracta.

Et obseruabant eum.

In pietate, non moti pietate in pauperem: iam obliti quod probauerat se esse super Sabbatum, & Sabbatum propter hominem esse factum: capitulo præcedenti.

Et ait homini habenti manum aridam: surge in medium. Et dicit eis: licet Sabbatis benè facere, an malè? animam saluam facere, an perdere? & illi tacebant.

Beneficium hîc exponit; & ostendit esse concedendum in Sabbato. tangit autem tria, ostensionem miseriæ: veritatis iudicium ex ratione: & nō valentibus respondere, & cum inuidia perdurantibus, Christi super cæcitatem cordis eorum compassionem: & hæc facile est subdiuidere: dicit igitur.

Surge.

Ad cælestia te extendens vt dignus sis salute in medium] vt omnium in te prouoces compassionis affectum: vt pro te intercedant: & de illis quærit iudicij veritatis rationem [si licet Sabbatis bene facere] beneficium enim non est seruile: sed libertatis opus. *Heb. vlt.* Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci.

An malè.

Cum malum sit priuatio; non benè facere cum possit, & opportunum sit, est malefacere. *Prou.* 3. Noli prohibere benefacere eum qui potest; sed si potes & ipse benefac, & est quæstio generalis: & subiungit specialem [animam saluam facere] *Prou.* 4. Erue eos qui ducuntur ad mortem: & eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses [an perdere] hoc ipso enim perdunt: cum non iuuant cùm possint. *Ezec.* 3. Animam ipsius de manu tua requiram: eo quod non saluauit cùm potuit] at illi tacebant.] 1. *Reg.* 2. Impij in tenebris conticescent.

Et circunspiciens eos cum ira, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit homini: extende manum tuam, & extendit

extendit: & restituta est manus illi.

Tangit compassionem cæcitatis: & tangit tres affectus Dei: scilicet, prouidentiam per circunspectionem: iram, per zelum: & propassionem contristantium. Hæc enim secundum humanum affectum omnia in se habuit.

Super cæcitate cordis eorum.

Isa. 42. Quis cæcus nisi seruus meus. *Isa.* 6. Excæca cor populi huius: & aures eius aggraua: & oculos eius claude [dicit homini] impendendo beneficium: & tanguntur tria: impensum beneficium, & liuoris accensio in beneficium, & eiusdem cauta declinatio: ne per (aliàs propter) beneficium pateretur maleficium: dicit igitur.

extende manum.

Vt sicut extensa aruit per inobedientiam: ita extensa per obedientiam restituatur. *Prou. vlt.* Manum suam aperuit inopi: & palmas suas extendit ad pauperem. Et attende quod istum curat verbo, leprosum autem tetigit: quia nullam occasionem vult dare aduersario maledicti gratia. 1. *Timot.* 5. Quia non erat prohibitū quando in Sabbato verba dicerentur. *Psal.* 148. Ipse dixit & facta sunt [& extendit] laxatis neruis: induratis & contractis [& restituta est manus illius] *Matth.* 11. Claudi curantur: leprosi mundantur.

Exeuntes autem statim Pharisæi cum Herodianis consilium faciebant aduersus eum: quomodo eum perderent.

Ecce liuor in Pharisæis exciratus ex incontradicibili miraculo. Et ideò Pharisæi hypocritæ conciliant sibi milites Herodis: eo quod Herodes Ioannem persecutus fuit: & Ioannes Christo testimonium perhibuit, vt ex illo odio etiam Herodiani Christum persequerentur. Consiliatur ergo hypocrisis apertæ violentiæ: & hoc est quod dicit historia. Ex modo autem loquendi tanguntur quinque: à vero videlicet lumine recessus, cùm dicit.

Exeuntes.

Ioan. 13. Exiuit continuò: erat autem nox. Secundò, notatur impetus præceps in malum, cùm dicit [statim] non enim differebant vsque ad animi mitigationem. Tertiò notatur quod conciliabant sibi malos, cùm dicit [cum Herodianis] *Psal.* 49. Si videbas furem currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Quartò, notatur malignitatis studium, cùm dicit.

Concilium faciebant.

Isa. 8. Ini consilium, coge consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet. Quintò notatur nocumentum, cùm dicit [aduersus Dominum Iesum] *Gio.* magna insania, qui salute indigent, de nece saluatoris consiliantur. *Matth.* 26. Consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent & occiderent.

Et Iesus cum Discipulis suis secessit ad mare.

Hic ponitur qualiter Dominus subduxit se malis, ne haberent materiam malignandi: & dicuntur duo: scilicet, quò abiit, & quò fructus. Primum notat, cùm dicit.

Iesus autem cum Discipulis.

Sicut pastor cum grege. *Ioan.* 10. Cùm proprias oues emiserit ante eas vadit: & oues illum sequuntur [perrexit ad mare] subduxit autem se Dominus quatuor de causis: vt scilicet discipulos se subducere doceret. *Matth.* 10. Cùm persecuti vos fuerint in vna ciuitate: fugite in aliam. Et vt tempus passionis nondum impletum esse ostenderet. *Ioan.* 7. Nondum venit hora mea. *Et ibidem* Tempus meum nondum aduenit. Et vt non ibi sed in Ierusalem futuram suam passionem declararet. *Luc.* 13. Non capit perire Prophetam ex Ierusalem. Et quia adhuc Sacramenta prædicationis completa non fuerunt. *Luc.* 13. Ecce Dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie & cras: & tertia die consummor. *Ezec.* 4. Diem pro anno dedi tibi: hodie ergo & cras, hoc est, hoc anno & futuro, & tertio anno patiar. Perrexit autem.

ad mare.

Quia hoc congruit inquietis, quos vt in ipso requiem inuenirent, vocauit. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest. In Christo autem est quies. *Matth.* 11. Inuenietis requiem animabus vestris.

Et multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum: & ab Ierosolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanem, & qui circa Tyrum & Sidonem: multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerunt ad eum.

Ecce fructus: & tanguntur duo: primò enim, septem gentes sequentes: secundo autem, causa sequendi, ibi [audientes quæ faciebat] sicut & regina Saba à finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis. 3. *Reg.* 10. Et litera est plana.

Et dixit Iesus Discipulis suis vt in nauicula sibi deseruirent propter turbam, ne comprimerent eum: multos enim sanabat: ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent.

Hic tangitur propagatio sanitatis in multitudine: & demonstratur virtus redemptoris esse sufficiens ad omnes. Dicuntur autem tria: primò enim, petit vsum nauiculæ, vt ex illa ad litus loquens doceret: secundò, subiungit ostensionem virtutis, tam super spiritum, quàm super corpus: & hoc est quod dixit.

Vt in nauicula sibi deseruirent.

Et in hoc veram ostendit humilitatem. *Matt. vltim.* 4. vbi mare calcauit: ostendit deitatis potestatem: & subiungit causam [propter turbam ne eum comprimerent] *Luc.* 8. Turbæ te comprimunt: & causæ compressionis iterum subdit causam.

Multos enim saluabat.

Indigentes enim salute irruerunt in Saluatorem: non sicut Pharisæi qui salute indigentes: Saluatorem quærebant interficere.

Quotquot habebant plagas: & spi-

ritus immundi cùm illum videbant procidebant ei:& clamabant dicentes:tu es filius Dei: & vehementer comminabatur eis:ne manifestarent illum.

Tangitur virtutis propagatio: & tanguntur quatuor: scilicet,generalitas infirmorum: fides, cultus, & confessio. Et post hæc quatuor,ponitur doctrina humilitatis ex parte Domini:& hoc est[quotquot enim habebant plagas]in corpore nocumenta. *Isa.* 1. Vulnus & liuor, & plaga tumens non est circunligata medicamine : neque fota oleo[& spiritus immundos]in mente. *Matt.* 12.In digito Dei eiicio dæmonia.

Cum illum videbant.

Visu fidei. *Num.*21.qui aspexerit eũ viuet. *Luc.* 10.Beati oculi qui vident quę vos videtis. Non enim intelligitur de visu corporis simpliciter: sed de visu deitatis in carne saluatoris. *Ioan.* 15. Qui videt me : videt & Patrem meum [procidebant] ecce cultus qui Deo debetur. *Exod.*4.Audierunt quod visitasset Dominus filios Israël:& non despexisset afflictionem eorum: & adorauerunt proni in terram.

Et clamabant.

Ecce confessio inuita per dæmones,& voluntaria per homines. Et notatur quod dæmones profecerunt experientia signorum : quem enim suprà primò,dixerunt sanctum Dei;modo filium Dei confitentur. Sed adhuc non perfectè noueruntiopinando enim dicunt,quod dicunt. *Philip.* 2. Omnis lingua confitearur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Et vehementer.

Doctrina est humilitatis: causa enim comminationis est, quia dæmon non prædicat verum, nisi vt intermisceat falsum : & hoc non vult Dominus.Sed cùm verum falso miscetur, totum efficitur falsum: quia in falsa significatione verum inducitur : sicut nullus ita leprosus est, quin in aliqua parte sanus videatur : & tamen totus leprosus iudicatur, eo quod totum nutrimentum est corruptum.

Et ascendens in montem : vocauit ad se quos voluit ipse : & venerunt ad eum.

Hæc historia tangitur *Luc.* 6. Et *Matth.* 10. Inducitur autem hic vt ostendatur potestas curationum spiritualium à capite descendere in membra, quæ sunt ministri : & ideò duo hic inducuntur. In primò enim, ostenditur potestatis propagatio : & secundò probatur quod est diuina tam in capite,quàm in membris. Et ideò infra dicit. Filij vestri in quo eiiciunt:vt ostendat etiam Apostolos in digito Dei Dæmonia eiicere. In prima autem harum partium tangit duo: modum videlicet vocationis,& nomina vocatorum. Modus autem vocationis exprimitur in tribus:in vocatione, & vocatorum obedientia,& vocatorum numero & officio ? Hæc enim ad vnum referuntur;quia numerus est propter officia. Vocationis modus est in quatuor : est enim ad alta, & liber,& imitatiuus ;& Deo acceptus. Primum notatur,cùm dicit.

Et ascendens in montem.

Eminentis sanctitatis. *Isa.* 40. Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion. Secundum notatur, cùm dicit [vocauit]liberè,non pretio, non prece, nec violentia coactus, non sanguine inductus. *Hebr.*5.Nec quisquam sumit sibi honorem : sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.Tertium notatur,cùm dicit.

Ad se.

Ioan. 17. Vt vbi sum ego, & illi sint mecum. *Corinth.* 11. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quartum notatur, cùm dicit[quos voluit ipse]in quibus videlicet,fuit suum beneplacitum. *Psal.*146.Beneplacitum est Domino super timentes eum : & in eis qui sperant super misericordia eius. *Rom.*12.Probetis quæ sit voluntas Dei bona,& beneplacens,& perfecta[& venerunt ad eum] obedientia est, quia cùm vocamur ad magna, licet inuiti, tamen obedire tenemur ; vnde cùm excusaret se *Iere.* 1. Dicens:A à à Domine ecce nescio loqui, quia puer ego sum : tamen Domino dicente, noli dicere quia puer sum, quoniam ad omnia ad quæ mittam te ibis, & quæ mandauero tibi loqueris;obediuit. Et simile fecit Moyses *Exod.*3.& *Isa.*6.

Et fecit vt essent duodecim cum illo,& vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia.

Tangit officia:primò, secundum vniuersalem numerum:secundò, secundum officij actum:tertiò secundum officiatorum potestatem.

Dicit ergo [& fecit] statuendo [vt essent duodecim] quia patres veteris testamenti fuerunt duodecim:& boues sub mari æneo (quod Ecclesiam significat) duodecim : & stellæ in corona sponsæ in cælo, duodecim *Apocal.* 12. & sedes iudicantium, duodecim *Matth.* 19. Et iudicandorum numerus,duodecim *Apoc.*6. Et portæ ciuitatis duodecim *Ezec.vlt.*& *Apoc.*21.

Et vt mitteret eos prædicare.

*Rom.*10.Quomodo prædicabunt nisi mittantur?Prędicare autem,est officium Prælati:docere verò, est magistri. Et prædicatio est eorum quæ sunt supra intellectum humanum, sicut superius est notatum : est autem hoc officium non exercendum per alium. *Actuum.*6. Non est æquum nos relinquere verbum & ministrare mensis. 2. *Timot.* 4. Testificor coram Deo qui iudicaturus est viuos & mortuos : & per aduentum ipsius & regnum ipsius,prædica verbum.

Et dedit illis potestatem.

Ecce ministrorum potestatem ostendit à se in eos profluere& est super corpus,& super animam : & ideò dicit [curandi infirmitates]præcipuè illas quæ sunt ex incendio fomitis,& ex inobedientia carnis ad spiritum. *Marc. vlt.* Super ægros manus imponent, & bene habebunt [& eiiciendi dæmonia] à potestate quàm super animam. *Marc. vlt.* In nomine meo dæmonia eiicient. *Isa.*11.Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo:quia repleta est terra scientia Domini.

Et

Et imposuit Simoni nomen Petrus : & Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi : & imposuit eis nomina boanerges, quod est, filij tonitrui.

[Et imposuit Simoni nomen Petrus] quia agnitionem illam habuit super quam fundatur Ecclesia. *Matth.*16. Caro & sanguis non reuelauit tibi:sed pater meus qui est in cælis.Et tangit hic nomina vocatorum, secundum suas vocationes eis congruentia.Nomina autem sunt duodecim: quorum primi tres,*vt dicit glo. Hieron.* propter sublime meritum ipsorum in monte, quo audiuerunt tonitruum patris de nube:vnum nomen in communi accipiunt, præter specialia nomina quę ante acceperunt.Et primus quidem:non tam in Apostolum,quàm in vicarium Christi, & verticem Apostolorum : & hoc sua ostendit nominatio.Quia cum primo Simon,postea Petrus est vocatus : Simon obediens, vel deponens tristitiam interpretatur : per obedientiam mandatorum ad apicem venit Apostolicæ dignitatis. *Exod.* 24. Omnia quæ locutus est Dominus faciemus & erimus obedientes.*Heb.*12. Obedientes erimus patri spirituum, & viuemus. Hic tristitiam sæculi quæ mortem operatur deponit: vt in lætitia cordis & deuotione se totum referat ad Deum,dicens cum *Psal.*36. Delectare in Domino:& dabit tibi petitiones cordis tui. Item *Psal.* 76. Memor fui Dei, & delectatus sum,hoc est,per lætitiam interiorem,quæ est gaudium in Spiritu sancto : & per obedientiam mandatorum exteriorum (aliàs exteriorem) & hoc designat nomen Petrus.Vnde *Beda.* Sicut à Christo lux mundi vocantur Apostoli ; sic à Christo petra, Simon vocatus est Petrus. Item *Beda.* Idem est Græcè vel Latinè Petrus quod Syriacè Cephas:& hoc est idem quod rupes,vel caput. Rupes quidem,propter fundamentum confessionis veritatis. *Matt.*16. Tu vocaberis Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.Caput autem, propter verticem Apostolicæ dignitatis:quia vicarius est Christi in terris. Vnde in *Cant.*5.Dicit Ecclesia. Caput meum plenum est rore:& cincinni mei guttis noctium. Ros enim gratiæ Christi in hoc caput in plenitudine potestatis descendit : & guttæ lucentes, in nocte ignorantiæ huius mundi in sacra doctrina distillant à cincinnis,hoc est, à Doctoribus & Prælatis : qui dependent ab hoc capite. Duos autem suorum secretorum testes vocat & adiungit huic capiti.

Iacobum Zebedæi.

Hoc est, Iacobum filium Zebedæi [& Ioannem fratrem] eiusdem [Iacobi] qui cum Petro ad omnia secreta deitatis Domini præ aliis,quasi testes idonei adhibebantur. Interpretatur autem Iacob luctator:quia semper fuit in lucta virtutis,& sapientiæ. *Eccles.* 51. Colluctata est anima mea cum sapientia. In *Glos.*dicit *Hiero.* supplantata habet desideria carnis. Esaü sanguineus dicit de ipso *Genes.*27.Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera vice: quia in lucta virtutis, supplantauit in passionibus:in lucta autem veritatis, supplantauit in erroribus quos conculcauit. Ioannes autem : in quo est gratia,interpretatur : quia dicit *Hieron.* Hoc habuit per gratiam, quod alij per laborem. Duo autem habuit per gratiam : scilicet,Christi dilectionem, & altissimæ veritatis agnitionem. Signum primi, quod sibi Christus præ aliis matrem commendauit : & dilectus Discipulus specialiter est appellatus. Signum autem secundi, quod in pectore Domini recubuit *Ioan.* 21. Hi duo, filij dicuntur Zebedæi, hoc est, donati vel dotati:quia secundum spiritum sunt filij Christi speciales cui donatum est & qui præ omnibus est dotatus. *Genes.* 24. Omnia quæ habuit dedit filio suo. Hi duo adiuncti sunt Petro, in quo est plenitudo potestatis : quia perfectio virtutis in opere, & perfectio veritatis in contemplatione, comitari debent plenitudinem potestatis. Hoc significatum est *Exod.* 17. Vbi manus Moysi sustentabant Vt & Aaron. Aaron enim montanus significabat perfectionem virtutis: Vt autem ignis,significat perfectionem ignitæ veritatis.

Et imposuit eis.

Duobus illis fratribus Iacob & Ioanni [nomina] officiis eorum congruentia [boanerges] & hoc exponit Euangelista:dicens.

Quod est,filij tonitrui.

Quia adiuncti sunt summæ potestati, vt fulgurent signis,& exemplis in virtute:&prædicatione tonent doctrinam in veritate *Psal.*76. Vox tonitrui tui Deus in rota, hoc est, in scriptura. *Iob.*38. Nunquid emittes fulgura & ibunt:& reuertentia dicent tibi,adsumus.Isti ergo duo tanquam in arce, & primates vocati sunt vt assistant ei in quo est plenitudo potestatis : significati per duas columnas, quas Salomon posuit ante ostium templi. Quarum vnam vocauit firmitatem,& alteram fortitudinem. Significantur etiam per duas tubas de quibus dicitur *Num.*10. fac tibi duas tubas ductiles argenteas, quibus possis conuocare multitudines in die quando mouenda sunt castra.

Et Andream,& Philippum,& Bartholomæum.

Præinductis mutauit nomina tribus : Petro dans singulare,eo quod ipse singularis est dignitaris,ad quam vocatur:aliis autem duobus,communem dedit nominationem :significans quod dighitas eorum, quamuis sit maior aliis,tamen est pluribus communicabilis. Post hos autem notat eos qui ad inferiores gradus Archiepiscoporum, & Episcoporum vocantur, in nouem gradibus distribui : docens nos nouem esse attendenda in electionibus talium Prælatorum. Quorum tres primi sumuntur secundum statum innocentiæ, in quibus peccati considerantur immunitas : qui sunt Andreas,Philippus,& Bartholomæus:hi enim tres vocantur ad Apostolatum secundum tria, quæ exiguntur ad officium prædicationis : sine omni impedimento contrariæ dispositionis. Sunt autem sex : sic distributa, quod duo sunt in Andrea : duo, in Philippo : & duo,in Bartholomæo. Duo in Andrea, sunt secundum duas eius interpretationes: interpretatur enim virilis ,& respondens pabulo. Ex hoc

enim quod virilis est, talis est quod audet resistere aduersario. *Tit.* 1. Vt potens sit exhortari in doctrina sana: & contradicentes reuincere. *Ezec.* 13. improperat quibusdam dicens. Non ascendistis ex aduerso: nec opposuistis vos murum pro domo Israël. In hoc autem quod respondens pabulo dicitur: docemur quod non gratis debet comedere panem Ecclesiæ. 2. *Thes.* 4. Neque gratis manducauimus panem apud vos. *Ps.* 80. Sumite psalmum, hoc est, spiritualia: & date tympanum, hoc est, temporalia. 1. *Cor.* 9. Dominus ordinauit his qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Et tales Andreas in Ecclesijs debemus eligere: qui & Ecclesiarum sint defensores, & de facultatibus Ecclesiæ non consumant, nisi ad necessitatem, vt Ecclesias in spiritualibus ædificent.

Et Philippum,

Qui os lampadis interpretatur. Per lampadem, innuens ignitum lumen scientiæ diuinæ, quod resplendet ab ipso: & per os, eloquentiam (aliàs eloquentiæ) docens, qua (aliàs qualiter) vnicuique verbis congruentibus, & similitudinibus congruentibus, possit apto sermone respondere. De primo dicitur *Isa.* 62. Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam: donec egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius velut lampas accendatur. *Cant.* 8. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. De secundo dicitur in *Psal.* 44. Diffusa est gratia in labiis tuis. *Cant.* 2. Vox tua dulcis, & facies tua decora. Hæc enim est vox dulcis, quæ de lampadibus omnem sordem vitiorum consumentibus, procedit. Aliter enim decepti: dicunt illud *Genes.* 27. Vox quidem vox Iacob est, sed manus; manus Esaü sunt.

Et Bartholomæum.

Qui filius suspendentis aquas interpretatur: & in hoc duo notantur. Aquæ enim suspensæ differunt ab aquis deorsum fluentibus in duobus: quorum vnum est quod sunt altæ: secundum autem, quod non sunt actu humidæ, sed peruiæ, & luminosæ, cæli speciem præferentes. Aquæ autem sunt delectationes quæ in Prælato altæ esse debent, vt cælestes, & diuinæ sint: & in nullo alio terreno delectetur, dicens cum Dauid *Ps.* 37. Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Et illud *Psal.* 72. Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram. Et illud *Psal.* 15. Delectationes in dextera tua vsque in finem. Hæ autem delectationes sunt puræ & luminosæ: nihil cum cæca concupiscentia commune habentes. *Isa.* 66. Sugatis, & repleamini ab vberibus consolationis eius: & omnimodis deliciis affluatis, ab omnimoda gloria eius. Hæc igitur sunt considerandæ in officio electi vel eligendi.

Et Matthæum, & Thomam, & Iacobum Alphæi.

Tangit hic tres alios: in quibus docemur ea quæ in eligẽdo aliquando sunt tolerãda, dũmodo de præterito sint purgata: & ideò in quolibet illorum duo notantur: vnũ purgans, & alterum purgatum. Duo enim notantur in Matthęo: quorũ vnum est purgans, quod donatus est per gratiam: alterum autem, quod illicitis lucris intendebat: & hoc est, purgatum. *Matth.* 9. Vidit Iesus hominem sedentem in teloneo Matthæum nomine. Hic enim ipso facto illicita relinquens, & gratiæ adherens, dixit. Quæ mihi fuerunt lucra; hæc arbitratus sum vt stercora; vt Christum lucrifacerem. Et ideò salua pace quorundam, non est obiiciendum electo, si aliquando illicita quęsiuit: dummodo nunc gratiæ Dei se commiserit. Quamuis enim dicatur *Eccles.* 31. Beatus diues qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit: nec sperauit in thesauris pecuniæ, quis est hic, & laudabimus eum: fecit enim mirabilia in vita sua; & hic beatus est, qui quamuis aliquando maculam habuit, quando post aurum abiit: tamen vt sine macula esset, aurum reliquit: & vnde abierat, ad gratiam rediuit; & hic enim est laudandus, quia mirabilia fecit in vita sua: quàm ille qui nunquam abiit. Sic *Luc.* 19. Zachæus princeps publicanorum & diues, rediuit, & illicita non retinuit: sed reddidit, & reliqua, gratiæ Dei se totum cõmittens, pauperibus erogauit. Hoc ergo est dissimulandum.

Et Thomam.

Qui ipso nomine duo importat: quia geminus siue dubius interpretatur, & abyssus. Et significat dubietas, ignorantiam siue dubitationem in intellectu, circa veritatem credendorum, vel sciendorum, vel faciendorum, vel appetendorum. Abyssus autem, huius ignorantiæ vel dubitationis causam: scilicet tenebras abyssi, quia videlicet non procedit dubitatio ex contemptu, vel ex affectu: sed ex eo solùm quia non est illuminatus. *Genes.* 1. Tenebræ erant super faciem abyssi. Nec abyssus à se lumen habere poterit, nisi desuper sibi immitatur. Signum autẽ huius abyssi est, quia oblatum lumen facile recipit: nec contra obnititur per dispositionem malam quæ in ipsa est. Sicut & Thomas, licet obscurus fuerit per dubitationem detentus aliquandiu: tamen lumen facile recepit, & tunc in eadem solida confessione permansit. Hæretici autem lumini reluctantur: sicut dicitur *Iob.* 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini: & ignorauerunt vias eius, & nesciuerunt semitas eius: & hoc fit per malam infidelitatis dispositionem, quæ est in ipsis. 2. *Corint.* 4. Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat in eis illuminatio Euangelij gloriæ Christi. Sic autem Thomas non fuit abyssus, & dubius: sed potius ex solo illuminationis defectu, fuit dubius: & sine omni difficultate lumen paratus erat recipere. Taliter obscurus fuit Paulus qui. 1. *Timot.* 1. dixit. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea. Si quis igitur aliquando ex ignorantia huiusmodi dubitauerit: & tamen veritatem paratus recipere fuerit, non est excludendus à diuina electione: sed est erudiendus, & eligendus, hoc non obstante quod aliquando dubitauerit: quia hoc ipsum magis eum cautum in aliis reddit. Sic 2. *Cor.* 4. Dicitur: quod Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere: illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in faciem Christi: sicut dicitur *Ephes.* 5. Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. Hac igitur dispensatione Dominus eligit Thomam.

Et

Et Iacobum Alphæi.

Alphæus autem doctus, vel fugitiuus interpretatur. Iacobus autem interpretatur luctator: & significat duo. Quorum primum est doctum esse in lucta contra vitia: & hoc est, purgans. Secundum autem, fugitiuum esse: quia peccatis perpetratis, aufugit per pœnitentiam: & hoc est, purgatum. Propter quod non est quod fecerit in præterito: dummodo nunc aufugerit. *Hebræ.* 5. Non habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato. 1. *Cor.* 6. Nolite errare: neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Sed hæc aliquando quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri. Et ideò talia in eligendo, dummodo alias nunc bonus sit, sunt aliquando toleranda, & dissimulanda. Sic ergo per hos tres significatur quid in præteritis negotiis, ignorantiis, & peccatis aliquando sit dissimulandum in viris, qui aliàs vtiles sunt ad regimen animarum.

Hic autem attendum est (sicut dicit *Hier.*) de Matthæi Apostoli humilitate: quæ in duobus est. In vno quidem: quod cum Marcus hic: & *Luc.* 9. In electione Apostolici gradus Matthæum, Thomæ præponunt: ipse autem se *Matth.* 10. postponit eidem. *Eccles.* 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Secundum autem est, quod ipse se vocat publicanum à peccato, quod in negotio habuit: alij autem simplicem ipsius exprimunt nominationem, quæ gratiam liberæ innuit electionis. Quia sicut dicitur *Prou.* 18. Iustus à principio accusator est sui. Est etiam aduertendum, quod *Hieron.* Dicit quod Iacobus [Alphæi] qui & frater Domini dicitur; propter similitudinem corporis & religionis, & vicinitatem sanguinis: quia consobrinus eius fuit, quia Maria Alphæi soror matris Domini fuit, quam *Ioan.* 19. Mariam Cleophæ dicit: fortasse quod idem Alphæus, & Cleophas binomius fuit: vel, quia defuncto Alphæo: post natum Iacobum, Cleophæ nupsit. Iacobus idem, post resurrectionem Domini: statim Ierosolymorum ordinatur Episcopus. Quia secundum legem, si frater sine hærede decessit, alius frater vxorem eiusdem ducere debuit: & suscitare semen defuncto fratri. Tres igitur isti in tertio ordine dictis de causi sunt vocati.

Et Thaddæum, & Simonem Cananæum, & Iudam Scarioth: qui & tradidit illum.

Tangit hic eos qui in quarto ordine sunt vocati: & in illis instruit quid in eligendis, secundum præsentem iustitiam sit considerandum: significat autem sex: ita quod duo, in quolibet istorum. Thaddæus enim corculus, hoc est, cordis custos interpretatur. Innuit autem quod in eligendo: consideranda est bona conscientia. 2. *Cor.* 1. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. *Isa.* 35. Gloria Libani data est ei. Libanus candidatio interpretatur: & gloria Libani est gloria candidatæ conscientiæ: & hæc prouenit ex bona cordis custodia. *Prou.* 4. Omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Hic autem qui cognomine dicitur corculus: vero nomine Iudas vocabatur: quod confitens, & glorificans interpretatur: & significat eligendum debere esse amicum veritatis, & diuinæ laudis. *Isa.* 60. Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.

Et Simonem Cananæum.

Qui fuit natus à Cana ciuitate Galilææ. Interpretatur autem Simon, ponens tristitiam: eo quod in eligendo: secundum præsentem gratiam debet considerari, quod lingua sua placabili, scire debeat deponere tristitiam à cordibus subiectorum. *Isa.* 50. Dedit mihi dominus linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est, verbo. Sic tristitiam deposuit Paulus: qui dixit *Philip.* 4. Gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete: modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Cananæus autem zelotes interpretatur: quia in eligendo considerandum est, quod zelum legis habeat: & zelum animarum: vt dicat: Zelus domus tuæ comedit me. 1. *Machab.* 3. Phinees dum zelat legem, accepit peccatum Sacerdotij sempiterni.

Et Iudam Scarioth qui tradidit eum.

In quo notantur duo: quorum vnum fuit publicum, hoc est, præsens iustitia: quæ in nomine Iudæ importatur: & est id quod in eligendo est considerandum. Alterum autem est occultum, quod importatur per Scarioth: quòd est vicus vnde ortus fuit Iudas: & memoria mortis interpretatur. Et hoc in corde diu meditatus fuit, qualiter ad mortem Dominum traderet: & hoc tandem ad effectum perduxit & ideò sequitur [qui tradidit illum] sed quia nos occulta cordium scire non possumus: docuit nos Dominus quod nos occulta cordium in electionibus non discuteremus: sed sufficere quod eligamus talem, quem aperta probatum reddit iustitia. Vnde *Hieron. in Glos.* Iudas Scarioth, à vico in quo ortus est: de tribu Isachar, qui merces interpretatur, vel, pretium, scilicet perditionis. Scarioth. id est, memoria mortis: quia nõ repentè, sed præmeditatus, Dominum tradidit: hinc prouidè inter Apostolos eligitur: quia magna est veritas, quam nec aduersarius minister infirmat. Voluit Dominus tradi à Discipulo: vt tu à socio proditus, molestè non feras tuum errasse iudicium, tuum perisse beneficium. Sic electus est Saul. 1. *Reg.* 9. de quo dicitur, quod erat electus, & bonus, & non erat vir de filiis Israël melior illo. Et tamen postea fuit subuersus: quam subuersionem diu fuit præmeditatus. *Psal.* 35. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odiuit. Vnde docens nos Dominus dicit. 1. *Reg.* 16. Non secundum faciem oportet iudicare. Vnde *Ibid.* homines vident ea quæ patent: Deus autem intuetur cor. Et ideò etiam Apostoli *Act.* 1. videntes in Iuda proditore humanum errasse iudicium: in Matthia substituendo per sortes, explorabant iudicium diuinum: quo eligendus permanerer in

sorte

ſorte Apoſtolica,ad quam Iudæ ſuccederet.

Hi ergo tres vltimi ſicut dictum eſt : ſecundum conſiderationem præſentis iuſtitiæ ſunt electi.Primi ergo tres non tam ad gradum,quàm ad ſublimitatem regiminis diuini, ſunt electi:ſicut in veteri teſtamento Moyſes,& Aaron & Vr: penes tria, quæ ſunt in Hierarchia diuina : quæ ſunt; plenitudo poteſtatis,& plenitudo bonitatis,& plenitudo ſapientiæ. Secundi autem tres, electi ſunt penes tria,quæ ſunt in prima Hierarchia Angelica : quæ ſunt,feruor ignis diuini , ad omnia miniſtrans virilitatem : quia ſicut dicitur *Cant.*8.Fortis eſt vt mors dilectio, & plenitudo ſcientiæ ſplendens in verbo : & receptio regalis in omni materialitate, ſicut in throno in eo qui omnes appetitus , & aquas concupiſcentiæ ſuſpendit in altum. Tertij autem tres vocati ſunt penes tria, quæ ſunt in ſecunda Hierarchia Angelica : quæ ſunt, altitudo oſtentationis , quam dignitas nobilitatis ſuperponit : & diuitiæ pulchrorum,& honorum in decore altitudinis exaltant:& non nutans(aliàs non cadere valens) fortitudo tenet ne cadat :ſcabellaribus conculcandis appropinquando. Et hoc attribuitur Matthæo,qui ſicut dicit *Hiero.*Et talentorum Domini factus eſt diſtributor : & dignitatem regalem Domini,præ aliis deſcripſit. *Virtutes* autem (quarum eſt eſſe inuincibiles , ad omne,voluntatem Dei peragendum) attribuuntur Thomæ : quia confortatus in Domino , nihil impoſibile ſibi eſſe pro Domino faciendum propoſuit. Iacobo autem attribuuntur poteſtates , quæ ſunt in eadem Hierarchia : quia poteſtatum eſt arcere per limites diuinos,omne contrarium : & promouere bonum. Et hoc ipſe primus fecit , ſecundum murmurationem quæ de conuerſione gentilium primum facta eſt *Actuum.*15.Quarti autem tres, ſumuntur penes tertiam Angelorum Hierarchiam , in qua principum quidem eſt , omnem actum referre ad legis congruentiam, quod corculo attribuitur:quia cuſtos cordis,cuſtos eſt legis.Archangelorum autem eſt,omnem actum ad conſilium referre diuinum. Et hoc competit Simoni Cananæo , qui zelotes eſt, vt in omnibus conſilium Dei perficiatur. Iudas autem, in quo præſens tamen conſiderata eſt iuſtitia,reſpondet Angelis:quorum officium eſt, omnem actionem noſtram informare forma iuſtitiæ & virtutis. Hæc igitur hic diligentiùs proſecuti ſumus:quia iſtas Apoſtolorum vocationes ſuper Matthæum perfunctoriè tranſiuimus.

Et veniunt ad domum:& conuenit iterum turba , ita vt non poſſet neque panem manducare. Et cum audiſſent ſui:exierunt tenere eum,dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt. Et Scribæ qui ab Ieroſolymis deſcenderant, dicebant , quoniam Beelzebub habet: & quia in principe Dæmoniorum eiicit dæmonia.

Hic incipit pars illa in qua probatur quod hæc poteſtas eſt diuina , tam in capite quam in membris. Durat autem hæc pars, vſque ad principium quarti capituli. Diuiditur autem in tres partes:in quarum prima oſtenditur, quod eſt diuina in capite : & nulli niſi Deo,poteſt attribui: in ſecunda oſtenditur, quod eſt diuina in opere, prædicatione, & effectu verbi : & hæc incipit in principio quarti capituli. In tertia oſtenditur, quod eſt diuina in membris , quæ ſunt miniſtri capitis , & executores officij prædicationis : ibi [nunquid venit lucerna, &c.] Prima harum partium diuiditur in tres : in quarum prima, agitur de exceſſu poteſtatis , tam in ſermone quam in opere:in ſecunda autem oſtenditur,quod iſte exceſſus eſt poteſtatis diuinæ : ibi [& conuocatis eis in parabolis dicebat]in tertia oſtenditur,ab opere huiuſmodi poteſtatis , non eſſe vacandum ex aliqua carnali affectione:ibi [& venit mater eius] in harum prima tria notantur : ſcilicet, inſtantia quærentium , ſiue frequentantium : ſimplicitas deuota diſcipulorum : & malitia obſeruantium Scribarum & Phariſæorum. De inſtantia frequentantium dicit tria,& innuit quartum.Quorum primum eſt, quod ad locum quietis Dominus veniens , ab opere ſalutis noſtræ non quieſcebat : ſecundum eſt,quod propter hoc multi ad eum vndique conueniebant :tertium eſt , quod etiam auiditate operandæ ſalutis : operibus neceſſitati naturæ debitis,non indulgebat. Quartum quod innuit eſt,quod tam in ſermone quam in opere diuinæ poteſtatis,exceſſum oſtendebat. Dicit igitur.

Et veniunt.

Et ipſe ſaluator & ſui [in domum] ad quieſcendum poſt laborem actionis.*Sap.*8.Intrans in domum meam conquieſcam cum illa , ſcilicet ſapientia:non enim habet amaritudinem,conuictus eius:neque tædium,conuiuatus illius. *Ezec.* 3.Ingredere, & includere in medio domus tuæ. Sed nec ibi quieuit Saluator ab opere ſalutis noſtræ & hoc eſt quod ſequitur[& cũuenit iterũ] ſicut extra domum fecerat [turba] frequentantium & quærentium , tam animæ quàm corporis ſalutem. *Iſa.*2. Ibunt populi multi, & dicent: venite aſcendamus ad montem domini , & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de viis ſuis:& ambulabimus in ſemitis eius.

Vt non poſſet manducare.

Quod tamen erat naturalis neceſſitatis. Hoc autem factum eſt propter nimiam turbarum inſtantiam. *Pſal.* 101. Oblitus ſum comedere panem meum. Videns enim deſiderium ſalutis in turbis:vtilitatem hominum (propter quos venerat)neceſſitatibus naturalibus præpoluit :refectus interius ſalute ,& fide deuotorum. *Ioan.* 4. Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis:*Et paulo poſt.*Meus cibus eſt vt faciam voluntatem patris mei qui miſit me : & vt perficiam opus illius.*Tob.*12.Ego cibo inuiſibili vtor. Propter quod dicit [vt non poſſent manducare panem] Diſcipuli , qui adhuc animales exiſtentes, cibum corporalem attenderunt. Quartum autem quod innuit eſt , quod excitatus deuotione turbarum : adeò exceſſit in ſermone & opere, quod vltra hominis facultatem tunc eſſe videbatur : & diuinum quiddam micabat ab ipſo. Sicut & Paulus dicebat.2. *Corinth.*5. Siue mente excedimus Deo:ſiue ſobrij ſumus vobis. Intelligitur autem hic diuiſſe turbis ea quæ *Ioan.* 8. De corpore

corpore ſuo dixit, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem : non habebitis vitam in vobis. Qui furoris ſermo eſſe videbatur carnalibus, & animalibus diſcipulis.

Et cum audiſſent ſui diſcipuli.

Adhuc animales exiſtentes, & intellectum verborum capere non valentes [exierunt de domo] ad turbas cum quibus ſtabat Dominus [tenere eum] ex compaſſione carnali quam habebant ad ipſum. Non autem ideò tenebant eum, ne ſibi aliquod malum inferret : ſed potius ideò,ne diutius cum turbis manens , ſe nimis prædicando affligeret : ſicut *Marc.* 6.& *Matth.*9.& *Luc.*8.Turbæ te comprimunt,id eſt affligunt : & dicis:quis me tetigit.[dicebant enim]ſui diſcipuli [quoniam in furorem verſus eſt] furorem autem vocant , quia ex zelo contra peccata modum iræ cuiuſdam oſtendit : & ex nimio deſiderio ſalutis aliorum , corporalis ſuæ neceſſitatis videbatur oblitus. Sicut *Act.* 26. De Paulo dictum eſt:inſanis Paule:multæ literæ ad inſaniam te inducunt.Sic 1.*Reg.*21.Dauid vt ſuos ſaluaret immutauit vultum ſuum coram rege Achis , qui dixit. Vidiſtis hominem inſanum, cur adduxiſtis eum vt fureret coram nobis:ſic de Propheta Domini dicitur.4.*Reg.*9. Ad quid venit inſanus iſte ad te:ſic de Domino dictum eſt *Ioan.* 10. Dæmonium habet & inſanit:vt quid eum auditis?

Et Scribæ.

Qui ab Ieroſolymis deſcenderant , ad obſeruandum eum : & omnia quæ dicebat(aliàs docebat)& faciebat peruertebant [& dicebant] blaſphemantes eum [Beelzebub habet] quem vt diximus *Matth.*11. Principem eſſe putabant aliorum dæmonum:vnde dicunt [in Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia] & ſic blaſphemantes : contrariæ virtuti , ea quæ diuinæ erant,attribuerunt.

Et conuocatis eis, in parabolis dicebat illis : quomodo poteſt Satanas Satanam eiicere ? etſi regnum in ſe diuidatur : non poteſt ſtare regnum illud. Etſi domus ſuper ſemetipſam diſpertiatur : non poteſt domus illa ſtare. Etſi Satanas conſurrexerit in ſemetipſum : diſpertitus eſt : & non poterit ſtare , ſed finem habet. Nemo poteſt vaſa fortis , ingreſſus in domum diripere , niſi prius fortem alliget : & tunc domum eius diripiet.

Hic incipit oſtendere hoc quod dixerunt Scribæ blaſphemiam : & hoc quod ipſe dicebat & faciebat: non poſſe eſſe, niſi à virtute diuina. Habet autem hæc pars duas particulas. In quarum prima,rationibus, & ſimilitudinibus oſtendit quod dictum eſt.In ſecunda autem,deterrens eos de peccato blaſphemiæ:oſtendit irremiſſibilitatem ipſius.In primo horum duo ſunt:in quorum primo , modum oſtendit probationis : & in ſecundo,rationes perſuaſiuas inducit. Dicit igitur , & multa patientia & benignitate tolerans aduerſarios : & bonum contra malum opponens.

Conuocans eos.

Qui per inuidiam & iram , diſpertitum habentes cor, intelligere veritatem non poterant. Hos conuocauit,vt conuocati , vno corde intelligerent quæ dicebantur per rationem [in parabolis dicebat]hic autem vocat parabolas,ſermones per ſimilitudines rationabiles explanatos. *Pſ.*77. Aperiam in parabolis os meum : loquar propoſitiones ab initio.[quomodo poteſt Satanas]tangit rationes ſimilitudinarias tres. Quarum prima ſumitur ex ſimilitudine regni in ſe ipſum diuiſi : ſic quod omne regnum in contrarias poteſtates , & voluntates, & operationes diuiſum , deſolabitur : quia quod vna poteſtatum præcipit,altera inhibet;& quod vna ædificat, altera deſtruit. Et in hac ratione ſub quæſtione primò ponit concluſionem intentam dicens [quomodo poteſt Satanas]qui regnum ſuum intendit conſtruere[Satanam eiicere]deinde ponit medium iſtius rationis ſub conditione, dicens.

Etſi regnum Satanæ in ſe.

Hoc eſt contra ſe [diuidatur] per contrarias voluntates & poteſtates & operationes:ita quod vnus alium eiiciat [non poteſt ſtare regnum iſtud]ſed deſtruetur à ſeipſo. Deinde antequam inferat concluſionem : adducit ſecundam rationem,per domus ſimilitudinem , dicens [etſi domus]quantum ad familiam domus[ſuper ſemetipſam]hoc eſt, contra ſemetipſam [diſpertiatur] hoc eſt,diuidatur.

Non poterit domus illa ſtare.

Sed diſſoluetur:ſicut & regnum.*Oſea.*10. Diuiſum eſt cor eorum , nunc interibunt. Omne enim vnum,conſtruitur ex hoc, quod ſuæ partes ex quibus componitur , concorditer tendunt ad vnum:& ſi illę diſcordant,& in diuerſa tendunt: neceſſe eſt quod diſſoluatur. Hæc igitur ſunt cauſa naturalis omnis diſſolutionis:vt in quarto de cælo & mundo probatur.

His duabus inductis ſimilitudinibus, inducit intentam concluſionem dicens [etſi Satanas] in regno & domo ſua.

Conſurrexerit.

Vt contrarius [aduerſus ſemetipſum] hoc eſt aduerſus eum qui debet conſtruere regnum & domũ ſuam , quia ſic:aduerſus ſemetipsum dicitur[diſpertitus eſt]hoc eſt in contrarias voluntates,& poteſtates,& operationes diuiſus[&]ſic per ſimilitudines inductas [non poterit ſtare] in regno & domo ſua [ſed finem habebit]per diſſolutionem.*Matt.*12.Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur:& domus ſupra domum cadet.*Eccle.* 34.Vnus ædificans,& alter deſtruens, quæ vtilitas in vtriſque. *Gal.*2. Si ea quæ deſtruxi iterum reædifico,præuaricatorem me conſtituto.

Nemo poteſt.

Tertia ratio eſt:quæ ſupponit oppoſitum concluſionis antecedentium rationum : ſupponitur enim ex antecedentibus , quod Satanas in Satanam non eſt diuiſus : & ideò non eſt virtus Satanæ quæ diripit regnum,& domum Satanæ : & oportet quod ſit fortior virtus , quàm ſit virtus Satanæ:& oportet quod ſit,quia[nemo poteſt]in naturalibus

naturalibus virtutibus, & humanis [ingressus] violenter.

In domum.

Fortis[vasa fortis]quæ pacificè possedit;à possessione fortis,in contrarios vsus [rapere]contra voluntatem illius fortis, qui ea quæ possederat sibi attrahere[nisi prius]sua fortitudine [fortem] qui domum & vasa possederat [alliget] priuata vel diminuta potestare : quam prius in domo, & vasis habebat [& tunc]illo sic alligato [domum eius]hoc est, familiam : & vasa domus eius, in quibus confidebat [diripiet] ad suos vsus.

Sic ergo nemo potest Satanam fortem de quo dicitur *Iob*. 41. Non est potestas super terram quæ illi possit comparari : qui factus est vt nullum timeret:hunc,inquam,fortem, nemo potest de domo sua,& vasis:hoc est,cordibus eiicere,nisi fortior illo sit:& alliget eum,priùs ablata sibi potestate. *Matth*.12. *Luc*.11. Dum fortis armatus custodit atrium suum:in pace sunt omnia quæ possidet : si autem fortior illo superueniens alligauerit fortem: intrabit in domum fortis : & omnia vasa eius distribuet,in quibus confidebat. Et sic fecit Dominus fortior Diabolo per diuinam virtutem:intrauit per gratiam in domum Satanæ,tam in mundo, quàm in inferno : & distribuit sanctis:& patri Deo omnia vasa quæ Satan possederat:& hoc non potuit fieri in virtute Satanæ:sed in virtute diuina. *Isa*.49. Equidem & à forti tolletur præda:& quod ablatum est à robusto, saluabitur. Sic ergo in Beelzebub quæ (aliàs qui) est virtus Satanæ, non eiicio dæmonia : sed potius in fortiori virtute, & contraria satanæ, quæ est, demonstratio virtutis diuinæ. *Matt*.12. Si in digito Dei eiicio dæmonia:profecto peruenit in vos regnum Dei. *Luc*.10.8.Digitus Dei est hic : hoc est, demonstratio virtutis diuinæ.

Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, & blasphemiæ quibus blasphemauerunt. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum:sed reus erit æterni delicti : quoniam dicebant, spiritum immundum habet.

Tangit hic huius blasphemiæ (quam in eum faciebant)aggrauationem. Fuit autem hæc, impugnatio veritatis agnitæ : per rationem enim naturalem cognouerunt, quod virtus Christi, qui expulit dæmones, fuit virtus diuina: & tamen hanc per solam inuidiam gratiæ Christi impugnabant, & virtuti dæmonis attribuebant, & blasphemabant, quia diabolo,quod Dei erat, attribuebant: & ex inuidentia gratiæ Christi;veritatem quam per rationem agnouerant, impugnabant. Et ideò peccatum illud grauissimum fuit : & ideò exaggerat hic grauitatem peccati illius.Et hoc est quod dicit.

Quia omnia dimittuntur filiis hominum peccata.

Hæc enim sunt peccata filiorum hominum, quæ ab ignorantiis, vel infirmitatibus hominum oriuntur.Hæc enim ex humana proueniunt tentatione.1.*Cor*.10.Tentatio vos non apprehendat nisi humana. Hoc autem peccatum, quia agnitum fuit humana ratione, ex ignorantia non processit. Et quia ex carne & sanguine non fuit, non potuit attribui carnis infirmitati : & ideò nullam habuit radicem humanam, sed ex certa malitia inuidiæ procedens, radicem habuit diabolicam. Et ideò dicit [quia omnia dimittuntur filiis hominum peccata] quæ sunt per radicem filiorum hominum [&] similiter dimittuntur filiis hominum [blasphemiæ] quæ sunt per radicem ignorantiæ vel infirmitatis in filiis hominum [quibus] filij hominum, vt filij ignorantium,& infirmorum.

Blasphemauerunt.

Sicut ex ignorantia dicentium Christum non esse Deum:vel Filium cum Patre non esse vnum: vel aliquid tale. Et hæc vocantur apud *Matth*. 12. peccata in patrem & filium, quia peccatum infirmitatis est contra attributum Patris, quod est potentia : & peccatum ignorantiæ estcontra attributum filij,quod est sapientia.

Qui autem blasphemauerit.

Falsum imponens diuinæ virtuti [contra Spiritum sanctum]hoc est contra attributum Spiritus sancti,cui attribuitur bonitas. Et contra hoc blasphemat, qui ex certa blasphemat malitia, quia per rationem in conscientia sua scit suæ blasphemiæ oppositum:& nullam habet infirmitatemad hanc blasphemiam inclinantem & tentantem, & ideò [non habebit remissionem] hoc est, ex parte sua remissionis causam.

In æternum.

Quia nec hîc,nec in futuro. Vnde *Matth*.12. dicitur, Qui autem peccauerit in Spiritum sanctum:non remittetur ei,neque in hoc sæculo, neque in futuro[sed reus erit]hoc est,reatu tenebitur obligatus[æterni delicti] reatus æterni delicti dicitur tripliciter: scilicet, quoad causam,& quoad actionem, & quoad impotentiam reinittentis.

Causa æterni delicti non est nisi vna : quæ est finalis impœnitentia, in qua aliquis decessit in peccato mortali. Ille enim, quia non est vnquam susceptibilis gratiæ,reus erit semper æterni delicti:quia tunc non est susceptibilis gratiæ, quæ sola est causa remissionis delicti. Quoad actionem autem, reus æterni delicti est, qui in se dum peccat, non habet occasionem propter quam congruat sibi peccatum hîc, vel in futuro remitti:& sic peccans, ex sola & certa malitia in Spiritum sanctum, reus est æterni delicti. Etiam peccans in Patrem ex infirmitate, non est reus æterni delicti : quia propter infirmitatem sibi congruit peccatum remitti. Et peccãs in Filium ex ignorantia, non est reus æterni delicti: quia propter ignorantiam congruum est ei peccata dimitti. *Psal*. 24. Delicta iuuentutis meæ (quæ proueniunt ex infirmitate concupiscentiæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Sed qui peccat ex certa malitia, absque infirmitatis tentatione,& ignorantiæ obtenebratione,quantum ad huiusmodi congruitatem,reus erit æterni delicti ; quia in se non habet congruitatem, quare

quare remittatur sibi peccatum in æternum. Quo ad impotentiam autem remittentis, nullus potest esse reus æterni delicti;quia nullum peccatum est quod non possit remittere Deus. Et ideò etiam istud peccatum in Spiritum sanctum multis remisit,quando per pœnitentiam conuersi sunt ad ipsum. Et ideò *Act*. 3. illi quibus grande peccatum crucifixionis remissum est; ignorantiæ peccatum dicuntur admisisse, dicente Petro:Et nunc fratres scio quia per ignorantiam fecistis,sicut & principes vestri : pœnitemini igitur,vt deleantur vobis peccata. Secundo igitur modo dicitur hîc: ex certa malitia blasphemans, & veritatem impugnans, reus æterni delicti. Primo autem modo, soli iam in inferno damnati. Tertio autem modo, nemo [quoniam dicebant] inducit causam istius exaggerationis [quoniam dicebant] sic veritatem impugnando blasphemantes [spiritum immundum habet] in quo eiicit dæmonia,& signa operatur. Hæc autem peccata in Spiritum sanctum (sicut & alibi diximus) quinque ab antiquis esse dicuntur:scilicet, obduratio,præsumptio,desperatio, inuidentia fraternæ gratiæ, impugnatio veritatis agnitæ. Est autem opinio mea:quod nihil (aliàs nullum) horum sit peccatum in Spiritum sanctum : nisi sit coniunctum impugnationi veritatis agnitæ : obduratio enim,siue induratio est, quando aliquis actualem voluntatem habet non emolliendi cor ad amorem Dei, vel frangendi ad timorem. Et hoc non est peccatum in Spiritum sanctum : nisi in conscientia impugnet hoc, quod agnoscit esse verum: Quòd scilic.amoreDei cor emollitur:& ex timore conteritur, ad dimittendum peccatum. Similiter præsumptio est, quando aliquis sic misericordiam Dei extendit, quod peccata non vlciscatur, & ideò proponit manere in peccato : Et hoc iterum fit ideò, quia in conscientia impugnat hoc verum quod scit:quod scilicet iustitia(quæ se negare non potest) peccata non dimittat impunita. Similiter desperatio (quæ sic seueram facit iustitiam, quod sibi emenda exhiberi non possit : & ideo remanet in peccatis) impugnat hoc verum, quod in omni ordinato iudice, locum habet emẽda delicti : quia naturæ (aliàs natura) miseretur: dummodo cautela sufficiens emendationis pœnitentiæ possit exhiberi. Et hoc potest fieri Deo, per testimonium conscientiæ : quamuis hæc cautela apud hominem iudicem, qui interiora videre non potest,fieri non possit.Similiter finalis impœnitentia: quæ est propositum nunquam pœnitendi,& in peccato permanendi, eo quod placeat peccatum : est cum impugnatione conscientiæ contra veritatem hanc, quod secundum omnem (aliàs communem) veritatem, peccatum innatu rale est,& placere secundum naturam non potest: quinimo displicere necesse est. Eodem modo inuidentia fraternæ gratiæ est, cùm impugnatione huius veritatis, quod scitur hæc gratia fratris à Deo esse : & data à liberalitate diuina ad Ecclesiæ profectum: & tamen impugnatur inutilis & nociua.Impugnatio autem veritatis agnitæ, est scire (aliàs scientiæ)& agnitæ veritatis impugnatio:ita vt cùm negari non potest : contrariæ potestatis, & falsitatis,& mendacij auctori attribuatur:sicut hîc. Hoc igitur est quod dicit.

D.Alberti Magni,in Euang.D.Marc.

Et veniunt mater eius & fratres: & foris stantes miserunt ad eum vocantes eum. Et sedebat circa eum turba:& dicunt ei: Ecce mater tua, & fratres tui foris quærunt te. Et respondens eis, ait : quæ est mater mea, & fratres mei ? Et circunspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, ait: Eecc mater mea, & fratres mei : qui enim fecerit voluntatem Dei: hic frater meus, & soror mea, & mater est.

Tangitur hîc vltima pars istius disputationis, in qua ostenditur, quod non oportet retrahi ab opere diuino propter carnalem affectum. Dicuntur autem in ea tria. scilicet, carnalium propinquorum aduentus, eorundem ad ipsum procuratum negotium, & Christi determinatio, quia à spiritualibus, propter carnales, non sit recedendum : dicit igitur [& veniunt mater eius] carnalis [& frattres] eius : consobrini, non vterini: quia tales fratres non habuit. Causa autem aduentus fuit;quia accurrunt, quando turbæ ad improperia insurrexerunt: & quando sui, in furorem raptum esse dixerunt : volentes eum à turbis abstrahere, ne contumeliam pateretur [& foris stantes] extra ambitum turbarum; quia propter pressuram appropinquare vsque ad ipsum non poterant [miserunt ad eum] nuntios qui se pressuræ immiserunt [vocantes eum] vt à turbis abstraheretur : ne forte contumeliam pateretur. Et hoc non erat faciendum. *Luc*. 2. Quid est quod me quærebatis: nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?2.*Corinth*. 5. Nos neminem nouimus secundum carnem. *Galat*. 1. Non acquieui carni & sanguini[& sedebat]tunc[circa eum turba quiescens]*vt dicit glossa*, in spirituali intelligẽtia sermonum eius. Vnde *Philoso*.In sedendo & quiescendo, fit anima sciens & prudens [& dicunt,ei] illi qui missi ad eum fuerant, vt à turbis eum abstraherent [ecce mater tua]quæ propinquissima tibi est. *Tob*.4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius[& fratres tui] post matrem propinquiores. Et fuerunt consobrini Iacobus minor, & Iudas Taddæus, & Simon Cananæus, & Ioseph Iustus : hi enim fratres Domini dicuntur[foris quærunt te stantes] extra ambitum turbarum, vt per hoc à turbis abstraheretur: quia in tanta nequitia circundederant eum Scribæ & Pharisæi, quod propinqui Domini timorem habebant de ipso, nondum plenam fidem habentes de diuinitate ipsius. Vnde etiam postquam in hac disputatione de Pharisæis triumphauerat:beata Stella, ancilla beatæ Marthæ alta voce præ gaudio clamauit illud *Luc*. 11. Beatus ventet qui te portauit & vbera quæ suxisti. Et Dominus, vt spiritualia corporalibus præponenda esse significaret, dixit: Quinimo : beati qui audiunt verbum Dei; & custodiunt illud[& respondẽs eis,ait]spiritualia corporalibus preponẽda esse designans:& in retractione à spiritualibus,carnales non esse agnoscendos parentes [Quæ est mater mea] in talibus enim locum habet quod dixit

xit *Ioan.* 2. Quid mihi & tibi est mulier [&] qui sunt[fratres mei] *Deut.* 33. Qui dixerunt patri suo & matri suæ: nescio vos, & non cognouerunt fratres suos. *Psal.* 44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum: & hoc est quod sequitur. [& circunspiciens eos] Discipulos attentiores ad doctrinam [qui in circuitu eius sedebant] in doctrina quiescentes. *Psalm.* 33. Accedite ad eum & illuminamini, *Mat.* 12. Extendens manum in discipulos suos dixit. Ecce mater mea, & fratres mei [& ait.] Ecce mater mea in cuius cordis vtero formor spiritualiter: sicut in matris vtero corporaliter sum formatus. *Galat.* 4. Filioli mei, quos iterum parturio: donec formetur Christus in vobis. *Isa.* 26. A facie tua concepimus, & quasi parturiuimus & peperimus salutem [& fratres mei] Ex eodem patre cælesti forma mea formati, quia ego verbum formatus sum ex (aliàs à) Patre per æternam generationem, & in verbi formam formantur audientes me discipuli, ex eodem Patre cælesti. *Rom.* 8. Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Et subdit generaliter. [qui enim fecerit] Corde, & ore, & opere [voluntatem Dei] & beneplaciti & signi in præceptis, & consiliis, & exemplis. 1. *Thess.* 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. *Rom.* 12. Probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Bona enim est in preceptis, beneplacens in consiliis, perfecta in exemplis [hic est frater meus] ex eodem Patre in formam imaginis meæ figuratus. *Rom.* 8. & *Gal.* 4. Quia estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, Abba pater. Item *ibidem.* Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filij Dei: si autem filij, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. [& soror] Dicitur propter fœcunditatem quam ab alio, hoc est, à Verbo recepit. *Cantic.* 5. Veni in hortum meum soror mea sponsa. Sponsa quidem in amore: soror autem, in fœcunditatis castis amplexibus. Hæc venit in hortum: quando in ea oriuntur omnia aromata, quæ à verbo Dei in ea seminantur. [Et mater est] in cuius corde tanquam in vtero formor in gratia. *Ecclesiastici* 15. Obuiabit illi quasi mater honorificata. *Eccles.* 24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. Hæc ergo cognatio est omni carnali cognationi præponenda: & hoc est quod dicere intendit, non enim despiciens carnales propinquos, hæc dicit quæ hîc inducuntur: sed vt instruat, quod spiritualia propter eos non sunt dimittenda. Etsi aliquando à spiritualibus nos abstrahere nitantur; non esse talibus consentiendum, Hoc igitur est quod intendit.

CAPVT IV.

Et iterum cœpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa: ità vt in nauim ascendens, sederet in mari: & omnis turba circa mare super terram erat: & docebat illos in parabolis multa.

HIc ostenditur quòd diuina est potestas in officio prædicationis & officio) verbi, & nulli alteri virtuti nisi diuinæ attribuenda. Diuiditur autem hæc pars in duas partes. In quarum prima, hoc ostendit sub metaphora seminis. In secunda autem, ostendit idem sub eiusdem metaphoræ explanatione: ibi, qui habet aures audiendi audiat: Adhuc autem in prima tria dicuntur. In quorum primo, tangitur opportunitas ad parabolæ propositionem: in secundo, excitat attentionem; & in tertio, interponit parabolæ propositionem. Opportunitatem autem huius doctrinæ accipit à quinque: à loco scilicet, à multitudine audientium, à situ, ab attentione turbarum, & à à modo doctrinæ. De loco dicit [& iterum]

Post conuictionem Scribarum & Pharisæorum: quia potestas sua diuina est: & nulli alij poterit attribui[cœpit] Iesus, vt iam in se demonstrans potestatem [docere] sicut potestatem habens. *Matth.* 7. Erat enim docens quasi potestatem habes: & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi [ad mare] vt opportunitate loci, ea quæ dixit demonstraret. Mare enim amarum est, saporis qualitate: magnum, amplitudine: profundum, submersione: inquietum, tempestate: periculosum, belluarum marinarum atrocitate & fortitudine: incautum, Carybdis, & Scyllæ, & Acroceraunij scrupulositate & inæqualitate. Et in his qualitas mundi demonstratur. Mundus enim, mare est amarum, poenalitatis labore. *Thren.* 3. Repleuit & inebriauit me amaritudine. Hoc mare magnum est: quia amplitudine tentationis omnes inuoluit. *Psal.* 103. Hoc mare magnum & spaciosum manibus: quia omnes operantur in tentationibus eius. Hoc profundum est submersione, quia in profundo iniquitatis eius omnes submerguntur. *Exod.* 13. Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Hoc est inquietum tempestate: hoc est, diaboli tentatione & suggestione. *Dan.* 7. Quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Quia tentat diabolus: vel vano gaudio, vel spe vanioti in adipiscendis temporaliter desideratis, vel adeptis: aut dum inducit tristitiam seculi de malis illatis: vel contrahit cor timore futurorum de bonis seculi perdendis. His enim quatuor exsufflatum mare, ibat, & intumescebat super eos. *Ione* 1. Hoc mare periculosum est, belluarum marinarum atrocitate: quia tyranni contra luxuriosos, & auari contra prodigos, & hi contra iracundos, & simul isti contra gulosos pugnant. *Psal.* 103. Illic reptilia

est numerus. Draco isto carnalis concupiscentiæ quem formasti ad illudendum ei, hoc est, vt illudatur ei ab amicis tuis: qui hoc mare transeunt, hoc est, incautum Carybdis absorbitione, & Scyllarum impulsu, & Acroceraunij prominenti scrupulositate. Et Carybdis quidem est absorbitio secularis tristitiæ. 2. *Corinth.* 12. Magis consolemini eum, ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur. Scylla autem quæ prominet, sicut caput caninum, est procacitas contumaciæ, in quam multi impelluntur, naui suæ mentis confracta. 1. *Reg.* 17. Nunquid canis ego sum: quia tu venis ad me cum baculo? Hoc dixit verum Philistæus, quia quoties Dauid, bonus Prælatus, venit cũ baculo correctionis, procax ille Philistæus resistit procacitate, sicut caput canis latrans contra correctionem. Acroceraunia autem sunt cornua sub aqua, inuisibiliter in altum sub aqua porrecta, in quæ impingunt naues & franguntur. Et significant erectiones (aliàs correctiones) latentes ambitiosorum & superborum: sicut fuerunt Dathan & Abiron. *Psalm.* 74. Nolite in altum extollere cornu vestrum, nolite contra Deum loqui iniquitatem. *Psalm.* 93. Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur? His igitur de causis docens accessit ad mare vt ipsa maris qualitate, qualis sit mundus doceret. [& congregata est ad eum turba multa] Secundum est [congregata est] omnibus sensibus vocatis in cor & intellectum: vt intellectum melius intelligeret. 1. *Esd.* 3. Congregatus est omnis populus sicut vir vnus in platea aquarum, hoc est, in via doctrinarum Christi. *Baruch* 4. Quos dimisisti dispersos veniunt ad te. Sic enim corde congregato audiendum est verbum Dei [ita vt in nauim ascendens] Tertium est in quo demonstratur situs & positio docentis [sedebat] autem in naui: ne à turbis in litore comprimeretur. Nauis autem est vita ecclesiastica: per quam gubernamur in fluctibus. *Sapient.* 14. Transeuntes mare per nauim, siue ratem liberati sunt. Et hæc fundata est in fide crucis Christi. *Sapient.* 14. Benedictum lignum per quod fit iustitia. In hac autem doctor quiescere debet: & hæc est cathedra de qua docere debet. Iste est gradus ligneus de quo *Nemia* 8. Sedebat autem in mari inquietati seculi: docens eos vt à mari ad stabilitatem litoris æternitatis transirent. *Isa.* 57. Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest [& omnis turba] Quartum est in quo notatur deuotio & attentio audientium: quia [omnis turba] iam per fidem & appetitum [iuxta mare] seculi corporaliter stans [super terram] stabilitatis æternæ [erat] *Eccles.* 1. Generatio præteriit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat [Et docebat eos] Modum tangit doctrinæ idiotarum, & simplicium in parabolis: hoc est, per similitudines corporales eis notas: in quibus cælestia capere aliqualiter possent. Quia sicut dicit *Dionysius*, impossibile est nobis lucere diuinum radium, nisi sacris velaminibus circumuelatum. Et *Gregor.* Regnum cælorum idcircò terrenis rebus simile esse dicitur: quatenus ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita quæ non nouit [in parabolis multa docuit [quæ tamen multa ad vnum tendunt æternitatis & spiritus. *Osea* 12. Ego visiones multiplicaui eis: & in manibus Prophetarum assimilatus sum.

Et dicebat illis in doctrina sua, audite.

Secundum est in quo attentos reddit [in doctrina] enim [sua] per parabolas spiritualia docens [dicebat illis] attentos reddens [audite] autè interiori, quæ sit parabolarum significatio. *Eccles.* 39. Sapiens in absconditis parabolarum conuersabitur. *Prouerb.* 1. Animaduertet parabolam, & interpretationem; verba sapientium, & ænigmata eorum.

Ecce exiit seminans ad seminandum.

Hic tangitur parabolæ propositio: & dicit duo: dispositionem seminantis, & diuersitatem fructus seminis. Dispositio seminantis est in quinque: scilicet, in euidenti manifestatione: & hæc tangitur per aduerbij demonstrationem: quia qui occultè seminat, hæresim prædicat: & hic non est seminator sed inimicus homo. *Matth.* 13. Dum dormiunt homines Prælati per inertiam; venit inimicus, & superseminat zizania. Oportet enim seminare manifestè: & hoc est quod dicit [ecce] Secundum autem est quod [exiit] hoc est foras à contemplatione processit. Qui autem nunquam intus fuit in consideratione sui; & verbi Dei studio & contemplatione: ille nunquam exiit; & ideò non seminat: quia semen bonum & purum de domo cordis, in agrum mundi non exportat. *Genes.* 24. Egressus est Isaac ad meditandum in agro. *Cant.* 5. Egrediamur in agrum: commoremur in villis [seminans] Tertium est, in quo notatur instantia seminantis. Semper enim seminans est ex præsenti in futuro, & ex præterito: quia hoc notat præteritum imperfectum, ex quo formatur participium. *Eccles.* 11. Mane semina semen tuum; & vespere non cesset manus tua; quia nescis vtrum hoc, an illud oriatur. Et si vtrumque melius erit. Quartum autem est finis, quia exiit [ad seminandum] Non agrum destruendum, vel ad fructus alienos colligendos: multi enim non exeunt, nisi vt colligant fructus alienos, hoc est, temporalium: quos tamen colligere non habent potestatem, nisi seminent spiritualia semina. 1. *Corinth.* 9. Si nos vobis spiritualia seminamus: magnum est si carnalia vestra metamus. q. d. non est magnum: sed certè, si spiritualium non essemus seminatores; damnabile esset si carnalia meteremus. 1. *Corinth.* 9. Si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare eis. *Galat.* 5. Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui catechizat se in omnibus bonis. Ad seminandum ergo exeat, & non ad aliud.

Et dum seminat.

Quintum est, in quo notatur proprium officium & actus, *Act.* 17. Paulus prædicator gentium vocatus est seminator verborum. *Isa.* 37. In anno tertio seminate & metite: & quod seminatum fuerit, faciet fructum sursum, & radicem in terra deorsum. Tertius enim annus, est annus gratiæ, ab anno legis naturæ, & ab anno legis Mosaicæ: tunc enim exiit Christus, ad seminandum verbum & suis præcepit ad exeundum. Tunc

enim fructificauit in cœlum sursum per præmium: & radices misit deorsum,per congregationes fidelium. *Psalm.*125.Euntes ibant,& flebant,mittentes semina sua. Tunc viri ecclesiastici fecerunt quod dicitur *Ierem.*4.Innouate vobis nouale; & nolite serere super spinas, quia nouas ecclesias, non in curis seculi, quæ per spinas significantur: sed in nouitate spiritus fundauerunt.Sic ergo tangitur dispositio seminantis.

Aliud cecidit secus viam: & venerunt volucres,& comederunt illud.

Tangitur hic diuersitas fructus seminis,in quatuor differentiis: quarum tres sunt in malitia agri recipientis: & vna in bonitate: quia sicut dicit *Dionysius*. Malum est omnifariam; Bonum autem est ex vna sola,& tota causa. Nulla autem est ex malitia seminis:quia semen quod est verbũ Domini,semper est bonum, & faciendum ad fructum. Prima autem diuersitas in malo est, quòd [aliud cecidit secus viam] Via autem est cor:quod se fecit viam tritam in vitiis. *Isa.*51.Posuisti corpus tuum vt terram, & viam transeuntibus. Malitiæ enim omnes viam faciunt per corpus, & animam talis hominis: & ideò conculcatur & durum efficitur: ita quòd semen ad interiora non penetrat. Sed quod audit & suscipit in superficie proiectum: habet auibus expositum. *Iob.*20. Vadent & venient super eum horribiles. [&] ideo venerunt per insidias tentationum[volucres cœli] hoc est,dæmones in hoc aëre caliginoso celati [& comederunt illud] hoc est, Sibi quidem verbum non incorporauerunt:sed abstulerunt, ne in fundo in quem cecidit,fructificaret.*Iudic.*6. Cum sæuisset Israël ascenderunt Madian,& Amalech,& cæteri orientalium nationum: & apud eos tentoria figentes: sicut erat in herba cuncta vastabant. Madian iniquitas; Amalech autem, potus sanguinis. Et significat dæmones in spiritualibus & carnalibus peccatis. Cæteri autẽ orientalium nationum, sunt vniuersitas dæmonum: qui à principio mundi orti, fructum seminis per inuidiam impediunt.Et illi vastant fructum verbi in fundo: quem conculcant consuetudine vitiorum.*Osee* 8. Culmus stans, non est in eis germen, non faciet farinam, quòd si fecerit, alieni comedent illud. *Aggei* 1.State super vias vestras. Et sequitur. Seminastis multum, & intulistis parum: & qui congregauit mercedes,misit eas in saccum pertusum. Hæc est ergo diuersitas seminis cadentis in via.

Aliud vero cecidit super petrosa: vbi non habuit terram multam, & statim exortum est: quoniam non habebat altitudinem terræ: & quando exortus est sol, exæstuauit: & eo quòd non habebat radicem, exaruit.

Secunda diuersitas seminis fructum non facientis. Sunt autem [petrosa]corda dura,quæ nec timore,ad pœnitentiam conuertuntur:nec amore, molliuntur: nec pluuia doctrinæ, interius humectantur. De quibus dicitur *Eccles.*3. Cor durum malè habebit in nouissimo. *Iob* 41. Cor eius indurabitur quasi lapis: & strigetur quasi malleatoris incus. Quanto enim plus verberibus atteritur, tanto plus per obdurationem stringitur ad malum. Sicut incus quæ stringitur ictibus malleorum. Hæc igitur est terra petrosa [vbi non habuit terram multam] Ex litera ista videtur quòd petrosa terra dicatur, cuius fundus est petra solida; & paruam & tenuem desuper habet terræ corticem. Et talis ad literam terra male fructificat, quia calor qui pro tempore est ex radio solis, in petra confortatur, & incensiuus, & combustiuus efficitur: & comburit illud modicum terræ, quod est desuper & incinerat: ita quòd amarum ad modum salis efficitur: & ideò infrũctuosum. *Psalm.*106. Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.Adhuc autem algor hyemis etiam confortatur in lapide: & terram paucam prius incineratam & amaricatam calore, conuertit in frigiditatem mortificatiuam, & hoc iterum mortificat radices plantarum: ita quòd talis terra efficitur sterilis. *Psalm.*147.Ante faciem frigoris eius, quis sustinebit? Hoc est igitur quod dicit [Vbi non habuit] semen proiectum [terram multam] hoc est, profundam, quæ defendi posset à qualitatibus lapidis incensiuis, & congelatiuis. Hoc autem est cor, quod quasi nihil habet humanæ & terrenæ compassionis, & contemperationis ad virtutem: sed sua ignita libidine ad turpia incenditur: & algore ab omni charitate, timore mundano, & humano congelatur. *Psalm.*76. Incensa igni & suffossa ab increpatione vultus tui petibunt.Incensa quidem,igne libidinis:& suffossa,timore algoris (aliàs timoris algore) quia omnis timor frigidus est. Ad literam. Et ideò pallor occupat timentes. Sequitur [& statim] paucula & paruula radice exortum est] ad modicum viroris apparentis coram hominibus. 2.*Timoth.*3. Habentes quidem speciem pietatis: virtutem autem penitus abnegantes [& quoniam non habebat altitudinem terræ] hoc est, profunditatem in qua dulcedo lætaminis incombusta, & non congelata, iuxta radicem conseruaretur [&] ideò [quando exortus est sol] tribulationis in persecutione, vel laboribus pœnitentiæ[exæstuauit]combustiones(aliàs combustionis)æstu extrahente ad exteriùs virtutem seminis. *Iacob.*1. Exortus est sol cum ardore & exsiccauit fœnum, & flos eius decidit: & decor vultus eius deperiit [eo quod non habebat radicem] profunde fixam, quæ (aliàs in qua) dulcedinem succi sibi continuè imbibitam herbæ exorta subministraret [exaruit] & ariditate illa periit, combustum & exsiccatum ab omni humore pietatis. *Isa.* 60. Arefactum est fœnum & cecidit flos: quia & spiritus domini exsufflauit in eo, hoc est,ventus exsiccatiuus.

Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ & suffocauerunt illud: & fructum non dedit.

Tertia est diuersitas perditi seminis. Spinæ autem nigræ, spissæ, pungentes, & falso quodam flore per modicum tempus florentes, & acutum valdè fructum acaciarum ferentes: sunt hi qui nigri sunt affectus terrenitate: *Ierem.*13. Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietatem suam; potestis & vos benè facere, cum didiceritis malum.Terrenus enim per cupiditatem affectus, vix aut nunquã mutatur: quia sicut dicit *Philosophus*:Senescẽte homine iuuenescit & inualescit

lescit in eo cupiditas. Spissæ autem sunt, & ideò densissimæ vmbræ, quam nulla vis Solis poterit penetrare: & ideò, quia radix Solis caret beneficio, non haber calorem cælestem, qui eleuet humorem de profundo in radicem. Et ideò etiam quod paruum oritur sub vmbra talis, statim pallescit & putrescit cum fœtore. *Sapient.17.* Ignis quidem nulla vis, nec siderum lympidæ flammæ poterant illuminare noctem illam horrendam. Punctura autem spinarum sunt, eo quòd acutis angulis surgunt, & manum secant tangentis: & sic cupidus, cùm manu reprehensionis tangitur, statim pungentibus verbis improperiorum, & maledictionum, & contradictionum, repungit tangentem: nisi talis sit, cui talia inferre non audet. *2.Reg.23.* Præuaricatores quasi spinæ euellentur, quæ non tanguntur manu, & si quis voluerit eas tangere, armabitur ferro aut ligno lanceato. Falsus autem flos, quoad tempus respergitur, gloria est diuitiarum temporalium quoad tempus florẽs. *Ierem.48.* Date florem Moab, quia florens egredietur. *Psalm.128.* Fiant tanquam fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit. Dicitur autem fructus acaciarum nigerrimus. Et est possessio diuitiarum, quæ labore turpi, & difficili acquiruntur: & cum magno & anguſtioso timore retinentur: & cum dolore post modicum perduntur; & ideo etiam non verè fruuntur eis possessores earum: quia non fruitur aliquis (vt dicit *August.*) nisi cognitis: in quibus voluntas delectata conquiescit. Nec propriè vtuntur: quia dicit *Augustinus:* Frui est cum gaudio vti. *Eccl.5.* Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructus non capiet ex eis: quinimo amaritudinem accipiet. *Eccles.5.* Est & alia infirmitas pessima quam vidi sub Sole: diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: hoc est ergo quod cecidit inter spinas: quas profert terrena cupiditas laborantí. *Genes.3.* Spinas & tribulos germinabit tibi [Et ascenderunt spinæ] curæ diuitiarum, quæ continuè crescunt [& suffocauerunt illud] ita quòd fœtore semen perit. *Eccles.5.* Noli anxius esse in diuitiis iniustis: non enim proderunt in die obductionis & vindictæ [&] ideò [fructum non dedit] *Genes.3.* Cùm operatus fueris terram: non dabit fructus suos, hoc est, cùm opere cupiditatis colis terrenum affectum. *Psalm.61.* Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.

Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem, & crescentem, & afferebat vnum trigesimum, & vnum sexagesimum, & vnum centesimum: & dicebat, qui habet aures audiendi, audiat.

Quarta est differentia seminis, quæ fructum facit: terra autem bona est cor bonum & optimum: naturalibus optimè institutum, & virtute ciuili ordinatum, gratia stabilitum, verbo Dei seminatum, doctrinis sanctis complutum, consolatione Sancti Spiritus emollitum & omni pietate affectum. *Matth.13.* Qui in corde bono & optimo verbum Dei retinent, & fructum afferunt in patientia. Et hoc est quod sequitur [Quod dabat fructum ascendentem & crescentem] per meritum & intentionem. *Isa.36.* Quod seminatum fuerit faciet radicem deorsum: & fructum sursum. *Isa.4.* Erit germen Domini in magnificentia: & gloria & fructus terræ sublimis [& afferebat, vnum] semen pro diuersitate terræ in quam (aliàs qua) seminatum est [trigesimum] in fide Trinitatis, & obedientia decem mandatorum fructificans: ter enim decem triginta efficiunt. Et hoc fit, dum totum nostrum posse, quod Patri attribuitur, per omnia decem mandata expenditur. Et totum nostrum nosse, quod Filio attribuitur, per eadem decem mandata ducitur: & totum nostrum velle, quod Spiritui sancto appropriatur: eisdem decem mandatis inseritur. Vt sic Deum in obedientia mandatorum suorum probaremur nos diligere ex toto posse, & ex toto nosse, & ex tota affectus voluntate. *Deut.6.* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Sic enim cor ad affectum deuotionis refertur: & mens ad notitiam, & vires ad potestatem.

Et vnũ sexagesimum] Et hoc fit in sex operibus misericordiæ, multiplicatis in decem mandata: sex autẽ opera misericordiæ sunt: cibare esurientẽ, potare sitientem, vestire nudum, hospitari peregrinũ, consolari infirmum, visitare captiuum. Hæc autẽ per mandata multiplicantur, dum quodlibet istorũ proximo impendimus, in fide vnius Dei, in reuerentia nominis diuini, quod in vanum non accipimus, dum ipsum in misericordiæ operibus honoramus: & dum corde Sabbatum, hoc est, quietem in his operibus agimus: & dum parentelæ bonum Patris cœlestis, quod in proximo relucet, in his operibus honoramus: & ideò subuenimus, ne proximus deficiat in natura, propter defectum necessariorum. Ideò enim dicitur. Pasce fame morientem, quòd si non paueris occidisti: & ne cogatur transgredi fidem thori propter inediam, nos sibi subueniendo beneficiis præuenimus. Adhuc autem benefaciendo, præcauemus ne furetur, vel fraudet: & ne mentiens falsum testimonium dicere cogatur: & similiter, ne cogatur aliena concupiscere. Adhuc autem, ne propter hoc aliquam concupiscentiam veneteam cui subueniat habere compellatur. Sic enim serie accepta secundum eleemosynæ compassionem: decem mandata sexagesimum fructum perficiunt.

Et vnum centesimum] Hoc autem vnum semen, habet in se cælestis ordinis decem virtutes. Quarum virtutum prima est diuina, in Dei similitudine: aliæ nouem sunt angelicæ: quod cordis amore totum in Deum feruear, vt Seraphin: quòd in eo veritatis splendor effulgeat, vt Cherubin: & quòd ipsum in omni tranquillitate pacis Deum recipiat & ferat, vt Thronus: & quòd nobilitas sua quæ est ex Deo in ipso, nulli vilitati appropinquet inclinata, vt Dominationum: quòd virtus eius & vigor inuincibilis sit ad omnem Dei voluntatem peragendam, vt Virtutum: & quòd potestas eius ordinata sit ad omnis boni promotionem, & mali repressionem, vt Potestatum: & quòd omne negotium eius lege regulatur, vt Principum: & omne opus eius ad consilium diuinũ referatur, vt Archangelorum: & omnis actus forma virtutis informetur, secundum custodiam Angelorum. Et quodlibet istorum, ad impletio

impletionem cuiuslibet mandati retorqueatur. Sic enim fert fructum centuplum. *Gen.* 26. Seminauit Isaac in terra illa: & inuenit in ipso anno centuplum. Primum *in glos.* attribuitur coniugatis, qui curam habent familiæ: secundum autem viduis, quæ curam domus dimiserunt: & ideò operibus misericordiæ licentiùs intendere possunt: tertium spectat ad virgines, quæ cælibatum professæ sunt: Et ideò cælestibus bonis intẽdere possunt. 1. *Corint.* 7. Mulier innupta & virgo cogitat quæ domini sunt: vt sit sancta & corpore & spiritu. Sic igitur diuersificatur semẽ in terra bona, & in terra mala. *Hebr.* 6. Terra sæpè super se venientem bibens imbrem: & generans herbam conuenientem, illis à quibus colitur accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledicto proxima: cuius consummatio erit in combustionem ignis [& dicebat.] In fine excitans ad parabolæ spiritualem intellectum [qui habet aures] exteriores (aliàs interiores) ad intellectum spiritualem quem spiritus loquitur [audiendi] spiritum in verbis sonantem. 1. *Cor.* 14 Spiritus loquitur mysteria [audiat] intus ea quæ dicta sunt. *Matth.* 13. Hæc dicens clamabat qui habet aures audiendi audiat.

Et cum esset singularis: interrogauerunt eum hi, qui cum eo erant duodecim parabolam: & dicebat eis. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem qui foris sunt omnia in parabolis fiunt: vt videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant: nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata.

[Et cùm esset singularis] à turbis sequestratus [interrogauerunt eum] plus ei familiares [hi qui cum eo erant] cæteris familiariùs [duodecim] Apostoli, de quibus dicitur *Matth.* 13. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis: exponere [parabolam.] Hic agitur de parabolæ interpretatione. Diuiditur autem in tres partes; in quarum prima causam dicit de parabolæ propositione: in secunda, dat increpationem de Discipulorum cæcitate: in tertia, tangit de parabolæ compendiosa interpretatione. De primo dicit. [Et dicebat illis] causam dans parabolicæ prædicationis. [Vobis datum est] per me (aliàs mea) multa spiritualia documenta quæ feci vobis [nosse] per spiritum [mysterium] hoc est secretum intellectum [regni Dei] hoc est prædicationis iustitiæ diuinæ: per quam & in cœlo & in terra regnat Deus. [Cæteris autem] idiotis [qui foris sunt] extra mysticum intellectum: & doctrinas spirituales non recipiunt: quibus ad fidem sunt introducti [in parabolis] datum est prædicari diuina: quia spiritualia intelligere non possunt, nisi in corporalium rerũ similitudinibus. 1. *Cor.* 3. Ego Fratres non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis [omnia fiunt] spiritualia: quia & tabernaculum, & templum, & omnia vasa, & festa, & gesta, & sacra legis parabolicè proposita sunt: vt spiritualia intelligantur in ipsis. [Vt videntes] in figuris parabolarum: cælestia [videant] inuoluta. Propter quod etiam velum expansum est ante sancta sanctorum *Exod.* 28. [& non videant] spiritualia nuda & exposita: quia sic ea intelligere non possunt: Et ideò *Numer.* 4. præcipitur: vt Leuitæ portantes vtensilia tabernaculi priùs inuoluant ea, ne à rudi populo videantur: quia talis rudis populus quod non intelligit lacerat dente canino, & non vt sanctum veneratur. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus: & margaritas nolite proiicere ante porcos. [Et audientes] in parabolis inuoluta [audiant] & sic vt magna venerentur [& non intelligant] inuoluta. quia intelligere talia non possunt. Et meliùs est eis inuoluta vt magna venerari, quàm euoluta despicere. Vnde 3. *Reg.* 9. Cùm euoluta & expressa Hiram videret dona Salomonis: magna quidem & præcipua: tamen non valens capere doni pretiositatem, despexit: dicens Chabul? Hæccine sunt oppida quæ dedisti mihi frater? & ea in quibus fideles habitabant amici Dei, fecit gentilis erroris habitationes: & ad gentilem transtulit ritum ea, in quibus ipse fidem Dei discere potuisset: si paulatim parabolarum intellectum per spiritum inuestigasset. Hæc enim oppida sunt symbola in quibus fideles idiotæ habitant, sacra inuoluta venerantes, quæ dum incautè idiotis exposita proponuntur: non valentes capere virtutem eorum, hæretici efficiuntur [nequando conuertantur.] Hoc de duris intelligitur, qui ex parabolis proficere nolunt: sicut Iudæi, carnali sensui adhærentes, & sanem eos [& dimittantur eis peccata] cæcitatis. & adducitur auctoritas de prophetia *Isa.* 6. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur & sanem eum.

Et ait illis. Nescitis parabolam hanc: & quomodo omnes parabolas cognoscetis?

Secundum est in quo increpat ruditatem cordis eorum. [Nescitis parabolam hanc] Acsi dicat, hoc est mirum post tot documenta suscepta, post tot miracula visa, post tot testimonia ostensa. *Matth.* 15. Adhuc & vos sine intellectu estis. *Hebr.* 5. Cùm deberetis magistri esse propter tempus: rursùs indigetis vt doceamini, quæ sunt elementa sermonis iustitiæ: & facti estis quibus lacte opus sit, & non solido cibo [& quomodo omnes parabolas cognoscetis?] cum istam quæ facilior est inter alias, & seipsam offert ad interpretationem, non intelligitis. Vos enim magistri esse deberis aliorum: & ideò capaciori sensu, perfectiora intelligere deberetis. *Ioan.* 3. Tu es magister in Israël & hæc ignoras?

Qui seminat, verbum seminat.

Tangit expositionem parabolæ sub eisdem differentiis fructificationis, sub quibus proposuit eam (aliàs eas.) Et hoc est [Qui seminat] doctor, vel prædicator: [verbum seminat.] *Isa.* 27. Qui ingrediuntur impetu ex Iacob, florebit & germinabit Israël: & implebunt faciem orbis semine. Et tangit ibi Propheta dignitatem doctorum

ctorum noui testamenti; per hoc quod dicit: Qui ingrediuntur impetu ex Iacob, sicut Apostoli ex Iudæis. Tangit fructum, cum dicit: florebit, in flore virtutis, & honoris: & germinabit, germine operis Israël rectissimus per iustitiam. Tangit etiam diligentiam, & latitudinem prædicationis: cùm dicit, implebunt faciem orbis semine: quia in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Hi autem sunt qui circa viam vbi seminatur verbum: & cùm audierint: confestim venit Satanas, & aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum.

[Hi autem sunt qui circa viam.] Tangit primam differentiam seminis non fructificantis. *Matth.* 13. Quod secus viam conculcatum est & volucres cæli comederunt illud [vbi] in via conculcationis [seminatur verbum] in corde: quod à sarculo disciplinæ nõ est fossum, nec aratro culturæ virtutis est aratum: sed strepitu vitiorum cõculcatum: sicut cor, quod cum omnibus vitiorum delectationibus fornicatur semper: quasi in viis sedens, & expectans fornicantes vt meretrix. *Eccl.* 9. Omnis mulier fornicaria quasi stercus in via ab omnibus conculcabitur. *Ierem.* 3. In viis sedebat expectans eos quasi latro. *Ierem.* 16. Diuisisti pedes omni transeunti [& cum audierint] sed in corde nõ profundatur: sed in superficie accipiunt auibus expositum [confestim] per tentationes [venit Satanas] omnis boni aduersarius [& aufert] verbum à corde. Non quod sibi incorporet, quia hoc abhorret [quod seminatum est] per auditum [in cordibus eorum.] *Deut.* 32. Deuorabunt eos aues morsu amarissimo. *Ezech.* 39. feris & auibus cæli, & bestiis, & cunctis volatilibus dedi te ad deuorandum.

Et hi sunt similiter qui super petrosa seminantur: qui cùm audierint verbum, statim cùm gaudio accipiunt illud: & non habent radicem in se, sed temporales sunt: deinde orta tribulatione, & persecutione propter verbum, confestim scandalizantur.

Secunda differentia non fructificantis seminis *Ezech.* 36. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum: & spiritum meum ponam in medio vestri. *Psalm.* 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra [seminantur] per auditum prædicationis [qui cum audierint verbum] propter modicam humanæ pietatis terram, quam habent in ipsis [statim] sine magna deliberatione, ex inconstantia potius, quàm ex amore religionis [cum gaudio] quodam instabilitatis [accipiunt] superficie tenuis [verbum: & non habent radicem] pietatis fixam in se. *Cap.* 4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas [sed temporales sunt.] *Matth.* 13. quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. [Deinde orta tribulatione] quæ per Solis exæstuationem significatur. *Ionæ* 4. Percussit Sol super caput Ionæ, & æstuabat Ionas æstu vehementi [& persecutione propter verbum] quod auferre quærit diabolus [confestim scandalizantur] hoc est offendunt & cadunt. *Apoc.* 16. Æstuauerunt homines æstu vehementi: & blasphemauerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas.

Et alij sunt qui in spinis seminantur: Hi sunt qui verbum audiunt, & ærumnæ sæculi, & deceptio diuitiarum, & circa reliqua concupiscentiæ, introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur.

Tertia est differentia non fructificantis seminis [quia in spinis seminantur.] *Isa.* 7. In spinas, & in veprees erunt. *Prou.* 24. Per agrum pigri hominis transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant urticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. [Hi sunt qui verbum audiunt] auditu exteriori [& ærumnæ sæculi] hoc est solicitudines, & curæ sæculares. *Matth.* 13. A solicitudibus huius mundi suffocantur [& deceptio diuitiarũ, quæ sicut dicit Augustinus sufficientiam promittunt: & non soluunt. *Psal.* 4. Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Ose.* 12. Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum tota die: mendacium & vastitatem multiplicat [& circa reliqua concupiscentiæ] 1. *Timot.* 6. Radix omnium malorum est cupiditas [introeuntes] in cor audientis [verbum suffocant] hoc est extinguunt [&] ideò [sine fructu efficitur] 1. *Timot.* 6. Præcipe diuitibus non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Qui enim volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli: & in desideria multa, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem.

Et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum & suscipiunt, & fructificant, vnum trigesimum, vnum sexagesimum, & vnum centesimum.

Tangitur hic quarta differentia, quæ est seminis fructificantis in terra bona, in naturalibus melioribus impinguati (aliàs impinguata) virtutibus, & exculta (aliàs exercita) gratuitis, & infusa sancti Spiritus consolatione, euocata calore deuotionis, expurgata à malis stirpibus per confessionem & pœnitentiam, fossa sarculo disciplinæ, semina ta verbo, adæquata cordis pace, perflata visitatione sancti Spiritus: de qua dicitur in *Psal.* 84. Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. *Isa.* 45. Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Hæc est de qua dicitur in *Psal.* 23. Domini est terra & plenitudo eius. Super hanc ergo terram [seminati sunt qui audiunt verbum] auditu deuotissimo. *Cant.* 2. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. *Et ibidem.* Mel & lac sub lingua eius. *Psal.* 118. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo [& suscipiunt] in corde per meditationis conseruationem, & impleuit desiderium. *Iacob.* 1. In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras [& fructificant] per opus, & per exemplum, & prædicationem in alio. *Ioan.* 15. Posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat [vnum trigesimum]

in viduis, & misericordiæ operibus deditis [& vnum centesimum] in virginibus, cælibatui intendentibus. *Ierem.* 17. In tempore siccitatis non erit solicitum : nec aliquando desinet facere fructum. *Ezech.*47. Per singulos menses afferet primitiua. Sic ergo in ministerio prædicationis ostẽditur esse potestas diuina : quæ tamen ad tantum & talem fructum pertingere poterit. Hoc igitur est quod dicit secundum literam.

Et dicebat illis : nunquid venit lucerna vt sub modio ponatur, aut sub lecto ? nonne vt super candelabrum ponatur ?

Hic ostendit quod hæc potestas etiam in ministris est diuina. Et habet tres partes, in quarum prima, docet qualis debet esse potestas ministrorum : in secunda ostendit qualiter in fructu continuum accipit incrementum *sbi* : Et dicebat ; Sic est regnum Dei &c. In tertia ostendit esse ipsam potestatem fluentem à capite, ad confortationem & consolationem ministrorum *sbi*. Et ait illis in die illa cum sero factum esset. In prima harum tria sunt, in quorum primo, sub metaphora ostenditur qualis debet esse actus diuinæ potestatis ministrorum : in secundo, dicit explanationem metaphoræ in communi : & in tertio, determinat in particulari, vt perfecta sit doctrina. In prima duo dicit per metaphoram : scilicet, qualis non debet esse actus diuinæ potestatis ministrorum: & qualis esse debet, vt perfecta sit doctrina per affirmationem & negationem certificata.

Dicit igitur [Et dicebat illis] per similitudinem lucernæ, actum potestatis ministrorum explanans [Nunquid venit lucerna] Lucerna est prælatus in potestate ecclesiastica, quinque de causis. Prima est, quia super candelabrum ecclesiasticæ dignitatis est exaltatus. *Matth.* 5. Nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur lumen videant. Hoc (aliàs hæc) significatur per candelabrum aureum quod fieri fecit Dominus *Exod.* 27. Hinc est quòd *Apoc.* 1. Dominus ambulare dicitur in medio candelabrorum aureorum. Secunda causa est, quia igne diuino debet esse succensus, hoc est, igne charitatis. *Isa.* 61. Saluator eius velut lampas accendatur. *Can.* 8. Lampades eius, lampades ignis atque flammarum. Hinc est quòd *Apoc.* 1. eius qui ambulat in medio candelabrorum, oculi dicuntur esse sicut lampades ignis. Tertia causa est, quia lucere verbo & exemplo debet, sicut lumen ignis. *Matth.*5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrẽ vestrum qui in cælis est. *Phil.*11. Inter quos luceris sicut luminaria in mũdo. Quarta causa est, quia plenus esse debet oleo pietatis ad Deum, & diuinum cultum : & oleo misericordiæ ad proximum, ita vt semper abundet oleum. *Eccl.* 9. Oleum de capite tuo non deficiat. *Prouerb.* 21. Thesaurus desiderabilis, & oleũ in habitaculo iusti : & vir imprudens dissipabit illud. Quinta causa est, quòd castitate corporis debet pollere, adeo quòd splendidus & perlucidus sit vt vitrum. *Iob* 28. Non adæquabitur aurum vel vitrum.

His lampadibus & luminaribus, Virgines sapientes Christo procedunt obuiam *Matth.* 25. His lampadibus Gedeon dux fortissimus Israël expugnat hostes *Iudic.*7. Hoc igitur est quòd dicit [nunquid venit] à Deo in mundum, ad totius mundi illuminationem [lucerna] quæ est vas, & ministra luminis per verbum Dei & exemplum. *Ioan.*5. Ille erat lucerna lucens & ardens. *Ps.*118. Lucerna pedibus meis verbum tuum : & lumen semitis meis. *Ps.* 131. Paraui lucernam Christo meo. Per hanc enim lucernam, in tenebris huius mundi Christo via paratur. *Iob* 29. Lucerna eius splendebat super caput meum : & ad lumen eius ambulabam in tenebris. Si autem sic instructa fuerit lucerna sicut diximus, tunc non extinguetur. *Prouerb.* 31. Non extinguetur in nocte lucerna eius. Aliorum autem lucernæ heu! extinctæ sunt ; quia nec habent oleum pietatis & misericordiæ, nec perspicui sunt corporis castitate, nec ardent charitate, nec lucent veritate : sed tantùm in confusionem sui & Ecclesiæ stant exaltati super candelabrum ecclesiasticæ dignitatis. *Prou.* 24. Lucerna impiorum extinguetur. *Prou.* 21. Exaltatio oculorum est dilatatio cordis : lucerna impiorum peccatum.

Vt sub modio ponatur] hoc dupliciter exponitur. Sub modio enim ponitur, quando sub mensura pretij vel mercedis, vel census alicuius coarctatur. Item, sub modio ponitur, quando intra terminos vnius gentis, vel parochiæ, vel conuẽtus cohibetur. De primo modio dicitur *Act.* 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem : quia existimasti donum Dei pecunia possideri. *Matth.*10. Gratis accepistis : gratis date. *Isa.* 55. Venite, emite absque argento & absque vlla commutatione vinum & lac. Vinum cælestium gaudiorũ, & lac nutrimenti gratiæ Christi, quæ emuntur sola commutatione ementis, quòd seipsum det, & non commutatione pretij. 2. *Cor.*12. Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. De secundo modio dicitur *Isa.*49. Parum est mihi vt suscites mihi tribus Iacob : & fæces Israël conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Rom.* 3. An Iudæorum Deus tantùm? nónne & gentium? *Malach.* 1. Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus : & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda [Numquid] ergo [venit lucerna] gratiæ in ecclesiastica potestate [vt ponatur sub modio]q.d. Non ad hoc venit [aut] venit ad hoc vt ponatur [sub lecto] Turpius est abscondere sub lecto, quàm sub modio. Lectus enim est in quo homo corporaliter quiescit : & significat ea, in quibus homo commodum per libidinem quærit corporalem : & est lectus libido carnis, in qua dilectus non inuenitur. *Cant.*3. In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Prælati autem multi in lecto lucernam abscondunt : qui per libidinem, quæ in lecto significatur & exercetur, gratiã obtenebrant. *Apoc.*2. Ecce ego mittam eam in lectum: & omnes qui fornicantur cum ea, in amaritudine maxima erunt. *Amos* 6. Dormitis in lectis eburneis: & lasciuitis in stratis vestris. Ebur castitatem significat. Dormire ergo in lecto eburneo, libidinem est quærere in statu, cui annexum est votum castitatis. Et hic est sacer ordo, vel religio. Et lasciuire in hoc strato (aliàs in stratis) est venereis intendere in statu tali : & sic, lucernam prædicationis & prelationis offuscare. Sic ergo sub lecto, lucerna non est abscondenda.

Nónne

Nónne ſuper candelabrum] Deſcribit per affectionē. Iam autem dictum eſt quid vocatur candelabrum ; labrum ſcilicet candelæ,hoc eſt, candentis lucernæ : hoc eſt labrum ſuper quod ponitur lucerna candens(aliàs ardens) & lucens.Labiū autem hoc eminens aliis vita eſt Apoſtolica,ſuper quam exaltanda eſt lucerna Eccleſiæ,hoc eſt,Prælatus qui eſt lumen & oculus Eccleſiæ, ſicut dicit *Matth.* 11. *Luc.* 8. Lucerna corporis tui eſt oculus tuus.Quia occulus Eccleſiæ eſt Prælatus:exaltatus, vt omnibus luceat. Eſt autem candelabrum hoc aureum, in fulgore ſapientiæ diuinæ, habens in quatuor partibus ſcyphos in nucis modum: quia de quatuor partibus potum ſui luminis effundit. Hoc eſt, de ſcientia hiſtoriæ , allegoriæ, tropologiæ & anagogiæ. Habet etiam ſphærulas in quolibet ſcypho,quæ rotundæ ſunt,totum ambientes:quia in quolibet illorum conſiderat æternitatem deitatis. Habet lilia per quodliber iſtorum, in flore lilioſæ caſtitatis, & honeſtatis. Habet haſtilia tria:quia per naturam iuuatur in ſpeculo & imagine : per legem veterem, iuuatur in figuris & exemplis patrum : per reuelationem nouæ gratiæ , iuuatur per gratiam & veritatem. Habet etiam ſeptem lucernas : quia lucent in eo ſeptem illuminationes, ſcilicet fidei, ſapientiæ,intellectus , conſilij & ſcientiæ , donorum Spiritus Sancti,induſtriæ naturalis & ſtudij ſcripturarum. Hoc igitur eſt candelabrum ſanctum *Exod.* 27. *Zach.* 4. Vidi ,& ecce candelabrum aureum totum : & lampas eius ſuper caput eius , & ſeptem lucernæ ſuper illud. Super hoc ergo candelabrum ſtat Prælatus : & anima cuiuſliber boni clerici, & doctoris : & fortè cuiuſliber fidelis ſecundum ſuam poſſibilitatem : & hoc eſt quod dicit[nónne vt ſupra candelabrum ponatur]quaſi dicat : ſic.

Non eſt enim aliquid abſconditum, quod non manifeſtetur, nec factum eſt occultum, quod non veniat in palam. Si quis habet aures audiendi, audiat.

Hic tangit expoſitionem metaphoræ in vniuerſali dicens [non eſt enim aliquid] in doctrinis & ſacramentis Eccleſiæ [abſconditum] quod lucem timeat,& ad lucem venire non audeat:quia *Ioan.4.* dicitur,qui malè agit non venit ad lucem, vt non manifeſtentur opera eius. 2.*Corint.4.*quod ſi opertum eſt Euangelium noſtrum : in his qui pereunt eſt opertum [quod non reueletur] hoc eſt, quod non ſit tempore ſuo omnibus reuelandum. *Matth.* 10. Non eſt abſconditum quod non reueletur. *Iſa.*40. & 52. Reuelabitur gloria Domini , & videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri [nec factum eſt occultum] in allegoriis ſcripturarum [quod non in palam] hoc eſt in publicum[venit]per veritatis manifeſtationem. 1.*Cor.*4. Veniet Dominus qui illuminabit abſconditâ tenebrarum , & manifeſtabit conſilia cordium , & tunc erit laus vnicuique à Domino. *Matth.* 10. Quod in aure auditis prædicabitur in tectis.Veritas enim non quærit angulum , nec latebras tenebrarum : mendacium autem hæreticorum opertum eſt angulo. Lucerna enim in alto poſita ; per ſeipſam manifeſtat ſe omnibus : mendacium,quo magis oſtenditur : tantò turpius apparet, & tenebras deſiderat [ſi quis habet aures audiendi , audiat] quia metaphorica dixerat,& non niſi in vniuerſali expoſuerat : ideo ad attentionem inuitat, vt ſpiritualiter audiantur. *Apoc.*2. Qui habet aurem audiendi , audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Et dicebat illis, videte quid audiatis in qua menſura menſi fueritis,remetietur vobis,& adiicietur vobis. Qui enim habet, dabitur illi : & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo.

[Et dicebat illis] excitans ad attentionem in particulari, vt res perfectè cognoſcatur:quia non eſt ſcientia perfecta, niſi quod ex vniuerſali peficitur in particulari:& hoc eſt [videte] conſideratione diligēti , vniuerſale ad particulare coaptādo [quid audiatis] vt intellectum diuinorum ſecundum quòd res quæliber habet,capiatis. Sicut enim dicit *Boetius in lib.de Trinitate.* Sapientis eſt de qualibet re, ita vt ſe habet, reddere rationem [in qua menſura] tangit hîc duo,ſcilicet,menſuram,& rationem menſuræ. Primum tangit in hoc quòd dicit [in qua menſura] doctrinæ , & exempli , & laboris , & ſtudij ad profectum proximi [menſi fueritis] proximo commiſſo vobis [remetietur vobis[vnde *Matth.*25. Qui fidelis fuit in decem ſibi commiſſis, conſtituitur ſuper decem ciuitates: & qui fidelis fuit in quinque , conſtituitur ſuper quinque. *Luc.* 6. Eadem quippe menſura , qua menſi fueritis , remetietur vobis. Et in bono, & in malo [& adiicietur vobis] ex benignitate, & liberalitate diuina in bonis. Quamuis nihil adiiciatur in malis : quinimo,citra condignum punitur, qui punitur. Vnde *Luc.* 6. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam,& ſupereffluentem, dabunt in ſinū veſtrum. Supereffluenter enim bona noſtra remunerat largitas diuina. *Eſther.*3.Largitus eſt munera iuxta magnificentiam principalē. *Iacob.*1. Dat omnibus abundanter & non improperat.

Qui enim habet dabitur illi]tangit rationem,& cauſam eorum quæ dixerat[qui enim habet]meritum ex ſtudio charitatis, & virtutis [dabitur illi] & incrementum gratiæ hîc , & magnitudo præmij in futuro. *Luc.*19.*Matth.*25. Omni habenti dabitur. Vnde etiam Rex Aſſuerus non eſt largitus munera, niſi principibus,& optimatibus regni ſui. *Sap.*3.Dabitur enim illi donum fidei electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima , hoc eſt, donum quod tantæ fidelitati (aliàs fidei) debetur [& qui non habet] ſtudium virtutis , & meritum laboris [etiam quod habet] in bonis naturalibus & habitibus acquiſitis , & bonis fortunæ extrinſecus poſſeſſis [auferetur] per condemnationem [ab illo] Non tantùm in futuro:ſed etiam hîc continuè perdit in bonis naturæ,& acquiſitis habitibus quod acceperat : quamuis fortè in maiorem ſuam condemnationem retineat bona fortunæ, quæ extrinſecùs , ad tempus videtur poſſidere. *Matth.*25. & *Luc.* 19. Auferte ab eo mnam , & date illi qui habet decem mnas.

Et dicebat : ſic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo iaciat ſementem in terram , & dormiat : & exurgat nocte & die,& ſemen germinet, & increſcat dum neſcit ille. Vltrò enim terra fructificat primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Et cùm ex ſe produxerit fru-

ctus ſtatim mittit falcem : quoniam adeſt meſſis.

Hîc eſt ſecundum quod eſt de incremento profectus operationis miniſtrorum in diuinis. Tangit autem hîc duo, ſcilicet, incrementi modum & incrementi principium & conſummationem. Incrementi principium & conſummatio ibi tanguntur : Et dicebat, cui aſſimilabimus. In primo tanguntur ſex Primum ſcilicet, quid, cui comparatur : ſecundum, in quo incremento imperceptibili : tertium eſt, virtute cuius : quartum eſt, in gradibus profectus: quintum, in conſummatione: ſextum, in temporis opportunitate, quæ expectatur ad maturandum. Et hæc omnia plana ſunt in litera. Dicit igitur [Et dicebat] iterum rudes docens in ſimilitudine parabolarum [ſic eſt regnum Dei] comparatum terrenis. *Iob* 38. Nunquid noſti ordinem cæli ; & rationem eius pones in terra? [quemadmodum ſi homo] quia in humanis melius cognoſcitur : quia homo per rationem operatur [iaciat ſemen] in agrum excultum, ſicut iam ante dictum eſt. Semen autẽ eſt verbum Dei. *Ierem.* 4. Innouate vobis nouale : & nolite ſerere ſuper ſpinas [ſuper terram] bonam excultam : quia ſicut dicit *Philoſophus*, ruſticus iuuat terram aratione, & ſeminatione [& dormiat] à labore quieſcendo : & ideò fructum in futurum committendo. 1. *Cor.* 3. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Dormiens hîc in ſanctis agricolis : cùm vel ſomnus imminet mortis, vel forte contemplationis, & orationis : in quo cum Deo requieſcunt. *Pſ.* 126. Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris [& exurgat] ſemen continuis profectibus [nocte ac die] ſemper ſeipſo melius, & maius effectum. 2. *Reg.* 3. Dauid proficiens, & ſemper ſeipſo robuſtior [&] ad quantitatem debitam virtutis deductum [ſemen germinet] in altum. *Iſa.* 66. Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, hoc eſt, fortiores virtutes. *Pſalm.* 91. Iuſtus germinabit ſicut lilium : & florebit in æternum ante Dominum [& increſcat] etiam in germine illo in profectu proximorum. *Geneſ.* 1. & 9. Creſcite & multiplicamini, & replete terram [dum neſcit ille] ſeminator : quia in hac vita prædicator incrementa ſui fructus deprehendere non poterit : & ideo non tantùm de Deo in ſe : ſed etiam in ſuis dicitur *Iſa.* 48. Verè tu es Deus abſconditus. Et huius reddit rationem & cauſam, dicens.

Vltro enim] ſine operatione rationis ſeminalis per virtutem cæleſtem [terra] quæ benedictionem cæli accepit [fructificat] virtute diuina. *Geneſ.* 27. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini & olei. Et non dicit de labore tuo : quia ros cæli in gratia Dei, & pinguedo terræ in conſolatione ſancti Spiritus, terram faciunt fructificare frumentum, in ſolido cibo virtutis, & vinum in gaudiis ſpiritualibus, & oleum in infuſione pietatis, ſola virtute diuina. Fructificata autem per gradus [primum herbam] in virore fidei. *Ierem.* 17. Erit quaſi lignum viride, quod ad humorem mittit radices ſuas, tamen *gloſſ.* dicit, quòd herba eſt in timore, qui facit recedere à malo. Quoniam, ſicut dicitur in *Pſal.* 110. Initium ſapiẽtiæ timor Domini [deinde] poſt herbam [facit ſpicam] quæ eſt locus fructus : ita poſt virorem fidei, facit folliculos virtutum : vel poſt timorem, facit pœnitentiam. *Gen.* 41. Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque formoſæ. Hæ ſunt ſeptem virtutes: tres theologicæ : fides, ſpes & charitas : & quatuor cardinales ; prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia. Vel ſeptem partes pœnitentiæ ; compunctio cordis, confeſſio oris, & ſatisfactio operis, quæ fit per tria : orationem, ieiunium, & eleemoſynam : ſeptimum autem eſt, quod fundamentum huius eſt, propoſitum ad peccatum non redeundi. Sic ergo facit ſpicam poſt fidei, vel timoris virorem [deinde plenum fructum] in opere meritorio quod fit per charitatem. *Iacob.* 5. Ecce agricola expectat pretioſum fructum terræ : patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Et habet fructum [in ſpica] hoc eſt, in virtute, vel pœnitentia.

Et cum produxerit ex ſe fructum] & ſufficientem : & tangit tempus collectionis agricolæ ſeminantis [ſtatim] ergo [committit] hoc eſt, hunc fructum in horrea cœli Deo congregat. *Ioan.* 4. Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam. Sua autem diligentia Prædicator, & Prælatus debent Deo tales fructus congregare : & non ſibi lucra quærere ex ipſis. *Matth.* 13. Triticum congregate in horreum meum. *Luc.* 3. Triticum congregabit ad horreum ſuum : paleas autem comburet igni inextinguibili. Mittit igitur [falcem] quia præcidit fructum à laude & lucro hominis, & reponit Deo in horreum. Sic enim fecit Filius incrementa ſancto Patri aſſignans. 1. *Corinth.* 15. Cum tradiderit regnum Deo & Patri [quoniam] tunc tempore maturi fructus [adeſt meſſis] vt totum Deo attribuatur, & reſeruetur : & hoc fit, vel in fine mundi, vel in fine mortis cuiuſlibet hominis. *Apoc.* 14. Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ.

Et dicebat : Cui aſſimilabimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud?

Tangit hîc demonſtrationem huius profectus quem dixit in particulari, ſecundum initium, & conſummationem. Tangit autem hîc tria, ſcilicet, diligentiam inueſtigationis doctrinæ parabolicæ, parabolam huius profectus & fructus, & vtilitatem talis doctrinæ quæ fit per parabolas. De primo dicit [Et dicebat] excitans ad diligentiam doctrinæ parabolicæ. *Prouerb.* 1. Animadtertet parabolam & interpretationem : verba ſapientium & ænigmata eorum [Cui aſſimilabimus] humano operi [regnum cælorum] in terra cognoſcitur [aut cui parabolæ comparabimus illud] quia humanus & rudis intellectus ad cæleſtia non eleuatur, niſi parabolicis ſit adiutus ſimilitudinibus. Omnis enim cognitio intellectiua, fit ex his quæ nota ſunt nobis : & aliter doceri non poſſumus. 1. *Cor.* 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.

Sicut granum ſinapis : quod cum ſeminatum fuerit in terra, minus eſt omnibus ſeminibus quæ ſunt in terra ; & cùm natum fuerit, aſcendit in arbo

arborem, & fit maius omnibus oleribus, & facit ramos magnos : ita vt poſſint ſub vmbra eius aues cæli habitare. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire. Sine parabola autem non loquebatur eis. Seorſum autem diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.

Hoc eſt ſecundum, in quo tangit parabolam: & tangit tria, ſcilicet, quid, cui comparatur, in quo quantum ad initium humilitatis, & in quo quantum ad conſummationem perfectæ magnitudinis. Dicit igitur [ſicut granum ſinapis] ſupple, ſic comparatum eſt regnum cælorum : hoc enim acutum eſt in ſapore, ſubtile in ſubſtantia, vaporoſum per calorem, repletiuum per dilatationem ſui, purgatiuum capitis per virtutem, malarum ſtirpium extinctiuum per plantationem. Acutum quidem per fidei feruorem. *Luc.* 17. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare, & tranſplantare in mare: & obediet vobis. Subtile autem eſt in ſubſtantia: & hoc habet fides ad intellectum verbi Dei, de quo dicitur *Hebr.* 4. quod penetrabilius eſt omni gladio anciſiti: & diſcretor intentionũ & cogitationum cordis. *Sap.* 7. Spiritus Sapientiæ dicitur eſſe ſubtilis. Vaporoſum autem eſt per charitatem. *Sap.* 7. Vapor quidem virtutis Dei, & emanatio Dei ſincera. Repletiuum autem eſt per conſolationem Spiritus, quæ nihil aliud admittit. *Pſal.* 89. Repleti ſumus miſericordia tua : & exultauimus, & delectati ſumus. Purgatiuum autem capitis per gratiam quam habet contra peccatum, quod eſt in ratione mentis. *Act.* 15. Fide purificans corda eorum. Sed ſuffocatiuum eſt malarum ſtirpium per plantationem : quia vbi in hortis plantatur, aliæ ſtirpes non conualeſcunt: & ſic eſt fides extirpans hæreſes, & malas doctrinas. *Ierem.* 1. Poſui te, vt euellas & deſtruas : diſſipes & diſperdas: & ædifices & plantes.

Sic igitur eſt ſicut granum ſinapis [quod cum] primum [ſeminatum fuerit in terra] per prædicatores noui teſtamenti [minus eſt] quantum ad humilitatem ſeminum & ſeminantium [omnibus ſeminibus] verborũ, & Legum, & Doctorum: duo enim ſemina ante iacta ſunt in terram vel tria, ſcilicet, lex naturalis per Patriarchas, & lex ſcripta per Moyſem, & eos qui cum eo erant : & ſi tertium addere volumus, ſemen legum humanarum per plebiſcita, & Reges & Imperatores: & hæc ſemina magna fuerunt poteſtate humana & ſapientia & coactione pœnarum : verbum autem Euangelij nihil horum habuit. Sed minus inter omnia fuit ſapientia humana, quia ſtultitia reputabatur per crucem habere vitam : & minus fuit poteſtate, quia hoc idem reputabatur infirmitas. 1. *Cor.* 1. Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam. Similiter prædicatores eius nullius fuerunt eminentiæ mundanæ reſpectu eorum, qui ſeminauerunt legem naturalem & Moſaicam & humanas leges. 1. *Cor.* 1. Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus vt confundat ſapientes : & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia : & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret : vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Et ſic humilitate incœpit, & in humilitate profecit. *Iac.* 4. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. *Luc.* 1. Depoſuit potentes de ſede: & exaltauit humiles. Sic ergo non veritate ſed humilitate omnibus ſeminibus minus eſt [in terra] ſeminantis, hoc eſt, in agro humani cordis.

Et cum natum fuerit] in cordibus fidelium [aſcendit] profectu virtutis, & poteſtatis, & dignitatis. Virtute autem mira operatur : poteſtatem habet claudere & aperire cælum & infernum: dignitate ſibi flectunt genua omnia regna : & hoc eſt quod dicit Gloſſa [aſcendit in arborem] quæ altitudine, amplitudine, annoſitate, herbarum tranſcendit naturam : alta eſt, quia ad cæleſtia ſuſtollit: ampla, quia totum mundum occupauit: annoſa, quia finiti non potuit. Hoc eſt ergo quod dicit: aſcendit creſcens [in arborem] multorum ramorum. *Pſal.* 79. Extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius. Operuit montes vmbra eius, & arbuſta eius cedros Dei [& fit maius] virtute & amplitudine & vtilitate [omnibus oleribus] in horto Dei plantatis, hoc eſt, doctrinis & legibus humanis [& facit ramos magnos] hoc eſt, prouinciales Eccleſias & diſtinctiones Epiſcopatuum. *Ezech.* 36. Vos autem montes Iſraël ramos veſtros expandite, & floraete, & fructum facite populo meo Iſrael [ita vt poſſint ſub vmbra] protectionis eccleſiaſticæ [aues cæli] contemplatiui, vel fideles pennati pennis virtutum, & volantes ad cælum [habitare] in caſis & nidis Eccleſiarum. *Dan.* 4. Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca vniuerſorum in ea. Subter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli : & ex ea veſcebatur omnis caro.

Et talibus multis parabolis loquebatur] tertium eſt, in quo tangitur huius doctrinæ vtilitas [prout poterant] humano modo, qui lacte indigent, non ſolido cibo [audire] hoc eſt, auditu per humanas ſimilitudines percipere. *Iſa.* 8. Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtilo hominis. Hoc eſt, ita vt humanus intellectus intelligat [ſine parabola autem] hoc eſt, ſine humanis ſimilitudinibus [non loquebatur] quia diuina ſimplicitas, & pura ſpiritualia ab animalibus hominibus non poſſunt ſine humanis ſimilitudinibus intelligi. *Iſa.* 29. Et erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati, quem cum dederint ſcienti litteras, dicent: Lege iſtum : & reſpondebit : Non poſſum, ſignatus eſt enim [ſeorſum autem] ſequeſtratus à turbis [Diſcipulis ſuis] qui capaciores erant [diſſerebat omnia] aperte cæleſtia oſtendens : ſicut & *Num.* 3. Lenitæ nudè videbant, quæ cæteri videre non poterant niſi inuoluta. *Luc.* 24. Interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Ex hoc autem patet, quod parua pars euangelicæ Sapientiæ deſcripta eſt: quia de interpretationibus parabolarũ non eſt ſcripta niſi vna: cum tamẽ hîc expreſsè dicatur, quòd Dominus omnia dicta parabolica per ſeipſum diſſeruit.

Et

Et ait illis in die illa, cum ſero eſſet factum: tranſeamus contra. Et dimittentes turbam aſſumunt eum, ita vt erat in naui: & aliæ naues erant cum illo. Et facta eſt proceſla magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipſe in puppi ſuper ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magiſter, non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens comminatus eſt vento, & dicit mari: tace, obmuteſce. Et ceſſauit ventus: & facta eſt tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi eſtis? nondum habetis fidem? & timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum: Quis putas eſt iſte, quia & ventus & mare obediunt ei.

Et ait illis in illa] eadem [die] & tangitur hic pars, in qua oſtenditur, quod omnis poteſtas tam miniſtrorum quàm myſteriorum à capite Chriſto deſcendit. Tanguntur autem hic ſex, ſcilicet, factum quod eſt illius miraculi occaſio: periculi in mari cauſatio: Saluatoris diſpenſatiua diſſimulatio: periclitatorum apud Saluatorem interpellatio: tempeſtatis ex parte diuina ſedatio: timidorum in præſentia tanti Saluatoris increpatio: & omnia hæc videntium admiratio & laudatio: & hæc per ordinem in littera continentur. Dicit igitur [cum ſero factum eſſet] quando die tota de nauicula prædicauit turbis ſtantibus in littore: in ſero autem dixit Diſcipulis [tranſeamus] & ad aliud littus maris, quod mare Galilææ vocatur [contra] hoc eſt, ad aliud littus: vt ibi homines illuminaret: vel quia ibi deſertum fuit, vt ibi in oratione pernoctaret. *Pſal.* 41. In die mandauit Dominus miſericordiam ſuam: & nocte canticum eius. Quia ex miſericordia in die hominum intendit ſaluti, & in nocte ſpiritu liberè cantauit Domino.

Et Diſcipuli ad præceptum Domini dimittentes turbam aſſumunt eum] Chriſtum ſecum ad nauigandum [ita vt erat in naui] quia ad locum non deſcendit à naui in qua docuerat [& aliæ naues] diuerſorum ſecum nauigantium [erant cum illo] in quibus erant teſtes miraculi. *Sap.* 14. Vt non eſſent vacua ſapientiæ tuæ opera: ideo exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. Iſtæ enim naues beneficia crucis & pœnitentiæ, per quam crucem tollimus, ſignificant: & ideo de Eccleſia dicitur *Prou. vlt.* Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longe portans panem ſuum. *Gen.* 49. Zabulon (qui habitaculum fortitudinis interpretatur) in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens vſque ad Sidonem. Statio autem nauium, eſt ſtatio in crucis communicantia, in pœnitentiæ tenentia, & in religionis perſeuerantia: his enim tribus nauibus ſine periculo tranſitur mare huius ſeculi, & ad littus æternæ ſtabilitatis peruenitur: & pertingitur in his tribus vſque ad Sidonem: quia Sidon venatio interpretatur: quia in his tribus homines, qui in beſtias ſylueſtres conuerſi ſunt, capiuntur & ligantur, per crucem quidem ligamentis fidei ſecundum intellectum, per pœnitentiam autem ligamentis iuſtitiæ ad ſatisfactionis effectum, per religionem autem ligamentis honeſtatis ad ordinandum affectum: hoc ſignificatum eſt *Ioan.* 22. vbi dicitur, quòd Diſcipuli Ieſu ad ipſum nauigio venerunt.

Et facta eſt proceſla magna venti] ſecundum eſt, in quo tangitur periculum, & dicitur [proceſla magna venti] quæ ex vento exſurgit: quæ fit in mari ſeculi, vel cordis per ſuaſionem & tentationem diaboli. *Dan.* 7. Quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. Hoc eſt, pompa mundi, carnis concupiſcentia, inquietudo ſpiritus, & incentiuum diaboli [& fluctus] exurgens [mittebat] aquam [in nauim] ad ſubmergendum, hoc eſt, in regimen mentis, ad mergendum hominem in peccatis. *Pſ.* 68. Saluũ me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animã meam [ita vt impleretur nauis] ad mergendum. *Exod.* 15. Submerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus. Sicut multos ſubmerſos eſſe videmus in aquis concupiſcentiæ.

Et erat ipſe] Chriſtus [in puppi] hoc eſt, in vltima parte nauis iuxta gubernaculum [ſuper ceruical] hoc eſt, ſuper humanæ neceſſitatis infirmitatem, qua caput propter nos reclinauerat [dormiens] hoc eſt, tentationem iſtam diſſimulans: & hoc eſt tertium de ſuperius dictis. *Pſal.* 3. Ego dormiui & ſoporatus ſum. Secundum prouidentiam tamen Deitatis, ſemper ſuos cuſtodiens vigilauit. *Pſal.* 120. Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael.

Et excitant eum] quartum eſt interpellatio ad adiuuandum: quia ad hoc dormiuit, vt ad pulſandum excitaretur. *Pſal.* 77. Excitatus eſt tanquam dormiens Dominus. *Matth.* 8. Suſcitauerunt eum Diſcipuli eius [& dicunt ei] interpellando eum [Magiſter] cuius doctrina & imperio aggreſſi ſumus nauigium. *Ioan.* 3. Scimus, quia à Deo veniſti Magiſter [non] hoc eſt, nonne [ad te pertinet] qui curam noſtram ſuſcepiſti, & iuxta gubernaculum iaces & dormis [quia perimus] quaſi diceret; ſic: ad te hoc pertinet. *Matth.* 8. Præceptor, Salua nos, perimus. 1. *Petr.* 5. Omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quia ipſi eſt cura de vobis.

Et exurgens] actum protectionis ad exteriora extendens. *Pſal.* 43. Exurge, quare obdormis Domine? Exurge, & ne repellas in finem [comminatus eſt ventis] diaboli perſuaſionibus. *Naum* 1. Dominus in tempeſtate & turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedũ eius. Increpans mare & exſiccans illud [& dixit mari] cordis inquietudini, vel ſeculi tentationibus [tace] & [obmuteſce] à tempeſtate. *Tob.* 3. Poſt tempeſtatem tranquillum facis: & poſt fletum, & lacrymationem, exultationem & gaudium infundis [& ceſſauit ventus] à fundo maris exurgens [& facta eſt tranquillitas magna] ſedata tempeſtate. *Matth.* 8. Surgens Ieſus imperauit ventis & mari: & facta eſt tranquillitas magna.

Et ait illis] increpans eos de timiditate, quæ de modicitate fidei prouenie bat [quid timidi eſtis] vobiſcum habentes Saluatorem [nondum habetis fidem] hoc eſt fidei perfectionem. *Matth.* 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti [& timuerunt timore magno] non timore pœnæ, ſed timore reuerentiæ ad magnitudinem poteſtatis Chriſti. *Dan.* 3.

Nume

Nunc ſequimur te in toto corde noſtro, & timemus te. *Ierem.* 10. Quis non timebit te ô Rex Gentium? [& dicebant] factum magna laude extollentes[alter ad alterum]omnes qui ſimul nauigabant. *Pſal.* 106. Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo [quis putas eſt iſte]hoc eſt, quantæ dignitatis & poteſtatis eſt iſte , qui in humana carne videtur latere? *Pſal.* 23. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potens. *Exod.* 15. Quis ſimilis tui in fortibus Domine? terribilis atque laudabilis,& faciens mirabilia? [quia venti & mare]quæ inſenſibilia ſunt:clam[obediunt ei] ad nutum obſequendo. *Matt.* 8. Qualis eſt hic, qui ventis imperat & mari, & obediunt ei?Sic ergo ſuam oſtendit diuinam poteſtatem.

CAPVT V.

Et venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum. Et exeunti ei de naui, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo.

HIc adhuc quintam leonis proprietatem proſequitur,quæ ſicut dicitur, eſt propriæ fortitudinis demonſtratio. Sed in iſto ſexto miraculo , incipit oſtendere fortitudinem contra peccatum actuale deſtruendum.Hoc autem tripliciter conſideratur, ſcilicet, in his, quæ tentant de peccato illo: & in his,quæ ſunt in ipſo peccato: & in his, quæ ſunt conſequentia peccatum in peccante.Et ideò diuiditur in tres partes: in quarum prima fortitudinem exercet contra tentantia de peccato ipſo, quæ ſunt dæmon, & caro, & mundus: in tribus miraculis quæ ſunt,expulſio dæmonum, & reſtrictio ſanguinis, & ſuſcitatio filiæ principis,Et hæc in hoc quinto capitulo dicemus. De reliqua parte iſtius diuiſionis infra in ſexto dicetur.Conſtat autem quod iſtud capitulum in tres partes diuiditur ſecundum tria tentantia de actuali peccato, quæ inducta ſunt. Et quia Dæmon principale tentans eſt inter iſta: ideò primo ponitur. Hiſtoria autem hæc diuiditur in quinque partes: ita quod in prima exponit Dæmonis in tentando,& poſſidendo tentatum,ferocitatem:in ſecunda,deſcribit qualiter Dæmon ad leonem de tribu Iuda amittit ſuæ ferocitatis fortitudinem *ibi* [videns autem Ieſus à longe]tertiò oſtendit, in quos accipit licentiam exercendi ſuæ ferocitatis tyrannidem, *ibi* [erat autem ibi circa montem,&c.]In quarta deſcribit qualiter ex hoc facto circunſtantes acceperunt inſtructionem, *ibi* [qui autem paſcebant eos , &c.] In quinta & vltima parte, oſtenditur qualiter is qui liberatus fuerat contra talem tentationem,accepit cautionem, *ibi* [cùmque aſcenderet nauim,&c.]

In prima harum partium dicuntur tria: ſcilicet,vbi factum, & in quo, & contra quam ferocitatem factum eſt miraculum. De primo dicit [& venerunt] Ieſus & Diſcipuli eius [trans fretum] ſtagni Geneſareth , ad ripam ad quam nauigabant [in regionem Geneſareorum] quæ à ſtagno Geneſareth, cui adiacet, regio Geneſareorum vocatur. Venerunt autem, vt & ibi prædicarent: & diaboli regnum extirparent. 1. *Corint.* 9. Omnibus omnia factus ſum: vt omnes ſaluos facerem [& exeunti de naui]ſecundum eſt, in quo oſtenditur in quo factum eſt miraculum. Exitus autem iſte ſignificat exitum de conſideratione ſalutis propriæ,ad intentionem ſalutis proximorum. 1. *Cor.* 10. Non quærens quod mihi vtile eſt , ſed quod multis,vt ſalui fiant[ſtatim occurrit] per oppoſitionem: quia Dæmon contraria ſaluti hominum procurat & intendit. *Zach.* 3. Satan ſtabat à dextris Ieſu, vt aduerſaretur ei [de monumentis homo in ſpiritu immundo] quia Dæmon auctor (aliàs actor) mortis, mortuorum damnatorum loca diligit. *Sap.* 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte ipſius. Contra hoc autem quod hic dicitur,homo,videtur eſſe quod dicitur *Matth.* 8. Quod duo homines erant. Sed ad hoc dicendum quod in veritate duo erant: ſed quia vnus erat clarę dignitatis de prouincia,alter autem plebeius: ideo alij Euangeliſtæ, præter Matthæum,non faciunt mentionem niſi de vno: Matthæus autem veritatem ſequens hiſtoriæ, ſicut is qui miraculo interfuit, mentionem facit de duobus. Quod autem dicit[in ſpiritu immundo]non eſt intelligendum, quod ſpiritus immundus ſit per naturam, ſicut dixit Manichæus, vocans ſpiritus immundos,qui facti ſunt à Deo tenebrarum: ſed ideò dictum eſt, quia cùm ab auctore omnis munditiæ mundus creatus eſt: ipſe ſe auertens ab auctore munditiæ per voluntatem, ſeipſum fecit immundum. *Matth.* 12. Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa, hoc eſt, munda,ab humore immunditię exſiccata:quęrens requiem & non inuenit,quia non niſi in immunditiis delectatur.

Qui domicilium habebat in monumentis. Et neque catenis iam quiſquam poterat eum ligare: quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, dirupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet:& nemo poterat eum domare. Et ſemper nocte ac die in monumentis,& in montibus erat clamans,& concidens ſe lapidibus,

Hic deſcribit Dæmonis ferocitatem in quinque,ſcilicet,habitatione, fortitudine, inquietudine, vexationis continuitate, & malitiæ ferocitate.Dicit igitur[qui domicilium habebat in monumentis] quia auctor mortis, in inquinamentis mortuorum delectabatur. *Baruch* 3. Coinquinatus es:cum mortuis deputatus es,cum deſcendentibus in infernum. Et ſignificabat quod eos qui tentationi eius conſentiunt, ad immunditiam & habitationem deducit mortuorum.Per hoc etiam Chriſtus quando reuocat eos, de loco & habitatione reuocat mortuorum,dicente *Apoſtolo Eph.* 5. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

Et neque catenis] à fortitudine hic deſcribit dæmo

dæmonium:& hoc eſt[& neque catenis] iam fortitudine dæmonis præualente [quiſquam] homo [poterat eum ligare] *Iob* 41. Non eſt poteſtas ſuper terram quæ poſſit ei comparari: qui factus eſt, vt nullum timeret. Et hoc probat per effectum dicens[quoniam ſæpe compedibus] quibus pedes eius ſtringebantur [& catenis vinctus] quibus conſtricta fuerunt brachia [dirupiſſet catenas] violentia Dæmonis [& compedes comminuiſſet] catenæ autem iſtæ, leges diuinas ſignificant, quibus Dæmon tentans ligare non poterit. *Pſ.* 147. Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis. Compedes autem ſignificant ligamenta affectionum. *Eccleſ.6.* Iniice pedem tuum in compedes illius. Vincula enim illius, alligatura ſalutaris. Catenæ autem, ſignificant ligamenta operum, quibus ſancti viri affectus, & opera ligant: vt legibus diuinis pertrahantur. *Iſa.45.* Vincti manicis & pergentes te adorabunt, teque deprecabuntur. Et hæc omnia in inſanis, & Dæmoni conſentientibus, Dæmon confringit, & comminuit.

Et nemo poterat eum domare] ab inquietudine deſcribit, quia domi retineri non poterat, ſed inquietè per infinita deſiderabilia mouebatur. *Prouer.7.* Mulier vaga, garrula, quietis impatiens, quæ non valet in domo conſiſtere pedibus ſuis: nunc foris, nunc in plateis, nunc in angulis platearum [& ſemper nocte ac die] à continua deſcribit vexatione [in monumentis] vbi iacebant corpora in inferno damnatorum[& in montibus] ſyluoſis & deſertis agitabatur. *Thren.5.* Ceruicibus minabamur, laſſis non dabatur requies. Sic 1. *Reg.* 16. Spiritus nequam exagitauit Saul à Domino. Sic maledictum Domini eſt in eis, qui ſibi ſeruire nolunt: dicentis *Ierem.* 16. Seruietis Dominis alienis in terra non veſtra: qui non dabunt vobis requiem die & nocte: quia & in aduerſis, & in proſperis Dæmon eos exagitat. In aduerſis, per impatientiam: in proſperis, per elationem.

Erat clamans] deſcribit hîc malitiam Dæmonis à malitiæ ferocitate [clamans enim erat & concidens ſe lapidibus] clamans autem erat peccati enormitate: & lapidibus ſe concidens, per peccati obdurationem. De primo dicitur *Gen.4.* Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Gen.* 18. Clamor Sodomorum venit ad me. De ſecundo dicitur *Act.* 7. Dura ceruice, & indomabili corde, vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Iſti ſunt lapides de quibus dicitur *Ioan.* 8. Tulerunt lapides Iudæi vt iacerent in eum. Concidunt autem ſe his lapidibus Dæmoniaci, quando ſuaſu Dæmonis addunt peccatum peccato. *Iſa.*1. Vulnus & liuor & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

Videns autem Ieſum à longe cucurrit, & adorauit eum: & clamans voce magna, dixit: Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? adiuro te per Deum ne me torqueas. Dicebat enim illi: exi ſpiritus immunde ab homine iſto. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? dicit ei: Legio mihi nomen eſt: quia multi ſumus. Et deprecabatur eum multum, ne ſe expelleret extra regionem.

Secundum eſt huius hiſtoriæ, in quo oſtenditur qualiter vis Dæmonis compeſcitur & debilitatur ad aſpectum leonis de tribu Iuda. Dicit autem hîc quatuor, ſcilicet, Dæmonii deſtitutionem, cauſam deſtitutionis, manifeſtationem Dæmoniacæ multitudinis, & deprecationem iniquæ voluntatis. De primo dicit tria: adorationem timoris, profeſſionem extortæ (aliàs exortæ) veritatis, & adiurationem iniquæ voluntatis. De primo horum dicit[videns autem Ieſum] per conſiderationem diuinæ poteſtatis, quam timebat Dæmon. *Iac.* 2. Dæmones credunt, & contremiſcunt. Vidit enim Dæmon non intellectu veritatis, ſed credulitate æſtimationis. *Mich.* 7. Videbit me inimica mea, hoc eſt, legio Dæmoniaca: & operietur confuſione [à longe] non ſolum diſtantia loci, ſed dimenſione diſſimilitudinis. *Pſal.*118. Longe à peccatoribus ſalus[encurrit] coactus & indeuotus[& adorauit eum] quia ſibi militat (*vt dicit Greg.*) etiam id quod per malitiam voluntatis obſtat. Et ideo dicitur *Philip.*2. Quod in nomine Domini Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, quia in gloria exiſtentes adorant beatum, & gloriæ auctorem: terrigenæ, autem gratiæ remuneratorem: & infernales, tremunt poteſtatem[& clamans voce magna] ex magnitudine iræ & furoris. *Apoc.* 12. Deſcendit ad vos diabolus, habens iram magnam: ſciens, quia modicum tempus habet. Senſit enim iam ſe expellendum, & deſtituendum à poteſtate [dixit] profeſſus coactæ confeſſionis veritatem [quid mihi & tibi]eſt communeſ Ieſu fili Dei altiſſimi] quaſi dicat, nihil. Et ideò: iſtum ex iniquitate, meo iure poſſeſſum, non debes tibi per meam expulſionem vendicare. 2. *Cor.*6. Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial: aut quæ pars fideli cum infideli? Dicit autem[Ieſum filium Dei altiſſimi] non per ſcientiam certam: ſed ſicut per æſtimationem. *Luc.*3. Exibant autem Dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es Chriſtus filius Dei viui [adiuro te] adiuratio eſt iniquæ ad nocendum voluntatis: & eſt ſenſus: per hanc iuſtitiam, quæ videtur eſſe ex hoc, quod tibi mecum nulla eſt communicatio [adiuro te]per hoc iuſtitiæ Sacramentum[per Deum] qui iuſtitiæ auctor eſt[ne me torqueas] ab iſto expellendo: quia mihi tortura eſt à nocumento compeſci: cùm totus animus malitiæ meæ delectetur in nocendo homini. *Iſa* 27. Viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum: & interficiet cetum qui in mari eſt. Gladius autem ille verbum Dei eſt. *Iſa.* 11. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Sic ergo imperio verbi Dei timuit torqueri.

Dicebat enim illi]Ieſus Dæmoni. Et tangit hic cauſam eorum quæ inducta ſunt [exi ſpiritus immunde ab homine] quoniam licet tu mea maledictione, quam homini propter peccatum ſuum inflixi, iuſtè torqueas; tamen quia mea creatura eſt homo, quem decepiſti fraudulenter, & tu homines contra me iniuſtè detines: & ideo præcipio vt exeas. *Luc.* 11. Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. *Act.* 10. Pertranſiit benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo[& interrogabat eum] Ieſus Dæmonem. Non vt ignorans quod neſ-

ciebat

ciebat inſtrueret, ſed vt aſtantibus nomen Dæmonis ſignificaret. *Ioan.*16. Non opus eſt tibi vt quis te interroget [quod tibi nomen eſt] quia à malitia ſuæ voluntatis, & permiſſæ poteſtatis ſortiuntur nomina [& dicit ei] Dæmon Chriſto[legio nomen eſt mihi] & ſubiungit cauſam [quia multi ſumus]& numero perſonarum, & numero malitiæ. *Mar.*1. Dæmonia multa eiiciebat, & curauit multos. *Luc.* 8. Maria Magdalena, de qua Dæmonia ſeptem exierant. Et *Ibidem Greg. in glo.* Septem Maria Dæmonia habuerat, quæ vniuerſis vitiis plena fuerat.

Et deprecabatur eum] princeps legionis Chriſtum[multum] obnixè [ne ſe expelleret extra regionem]quia ad prædicandum Chriſtus in regionem illam venerat: & per prædicationem ſe Dæmon expellendum timebat. Homines autem illius regionis mali erant, & vexari à Dæmonibus meruerunt. *Gen.* 13. Homines Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, paſcens in agris. Et deprecabantur eum ſpiritus, dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et conceſſit eis ſtatim Ieſus. Et exeuntes ſpiritus immundi, introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare, ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

Hîc tertiò oſtenditur in quos accipit Dæmon licentiam ſuam exercendi tyrannidem. Tangit autem quatuor, ſcilicet, qualitatem eorum in quos licentia conceditur: & licentiæ poſtulationem, quam non habet niſi concedatur: & iuſtæ licentiæ à Deo conceſſionem, quæ à Deo permittitur; & nocumentum, quod ab iniqua Dæmonis voluntate procuratur. Dicit igitur[erat autem ibi circa montem]in campis ſuperbiæ. *Ierem.*51. Ecce ego ad te, mons peſtifer, qui corrumpis gentes [grex] per vitij conſonantiam [porcorum]quaſi ſpurcorum [paſcens magnus] quia magnis ſpurcitiis delectabatur. Iſte enim grex, gregem ſpurcorum deſignat in aquis: quia agreſtibus & feralibus delectabatur in glandibus, & humana non curabat. *Luc.* 15. Miſit eum in villam ſuam vt paſceret porcos.

Et deprecabantur eum] Chriſtum [ſpiritus] immundi [dicentes] hoc eſt nocendi licentiam petentes: quia nec porcis nocere poſſunt niſi fuerit permiſſum, Vnde *Iob* 1. dixit Satan Domino: Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet[mitte nos in porcos] vt ſi in corpore & anima incolas vexari non permittis, ſaltem in poſſeſſis noceamus immundis animalibus: & maxime in his quæ immunditiæ habent ſignificationem, & in luto volutantur. 2. *Pet.* 2. Canis reuerſus ad vomitum ſuum: & ſus lota in volutabro luti. *Iſa.*65. Qui comedunt carnem ſuillam, & ius profanum in vaſis eorum [vt in eos introeamus] intus ad nocumentum impellentes: quia interius quærit Dæmon poſſidere, vt animam habeat. *Geneſ.*14. Da mihi animas: cætera tolle tibi.

Et conceſſit eis ſtatim Ieſus] non ſatisfaciens iniquæ voluntati Dæmonum: ſed puniens ad in-

ſtructionem peccata prauorum, qui hæc animalia iniuſtè poſſeſſa tenebant. *Iſa.*14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem. Hoc enim iuſtè facit Deus ad inſtructionem: vt ſciant hi, qui iniuſta detinent, & porcino more viuunt, ſe à Dæmonibus poſſidendos fore. Ideo ergo conceſſit, & miſericorditer egit: quia illos in ſuis immundis animalibus, & non in ſeipſis erudiuit. *Sap.*12. O quam bonus & ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus! Ideoque eos qui exerrant, partibus corripis, hoc eſt, paulatim, & particulariter, & nō ſtatim conſumis: & admones, vt relicta malitia, credant in te Domine. *Thren.*3. Miſericordiæ Domini quod nōn ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius. *Habac.*3. Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis [exeuntes autē de homine]ſpiritus immundi [introierunt in porcos]hoc eſt, in porcorum corpora Chriſti permiſſione: vt incolæ regionis in porcis poſiti erudirentur. Et impellebantur porci à Dæmonibus, ſicut impulſus ad decipiendum fuit ſerpens *Geneſ.*3.

Et magno impetu]Dæmonum[grex]porcorum [præcipitatus eſt in mare] Geneſareth ad ſubmergendum. *Apoc.*18. Hoc impetu mittetur Babylon illa magna ciuitas in mare, & vltra non inuenietur, quia Babylon, quæ confuſio interpretatur, idem ſignificat quod ſpurcitia porcorum [ad duo millia] quantitas eſt nocumenti [duo millia] quia peccato ſpiritus & animæ ad innumerabilem multitudinem vitiorum obligari tenebantur [& ſuffocati ſunt]hoc eſt, extincti[in mari]amaritudinis Dæmonum. *Exod.* 14. Deſcenderunt in profundum quaſi lapis.

Qui autem paſcebant eos fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem & in agros. Et egreſſi ſunt videre quid eſſet facti, & veniunt ad Ieſum: & vident illum qui à Dæmonio vexabatur, ſedentem veſtitum, & ſanæ mentis, & timuerunt. Et narrauerunt illis, qui viderant, qualiter factum eſſet ei, qui Dæmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum, vt diſcederet de finibus eorum.

Hîc oſtendit quam, & qualem de hoc facto circunſtantes acceperunt inſtructionem. Tanguntur autem hîc quinque: quorum primum eſt fuga paſtorum: ſecundum, nuntiatio eorundem: tertium, exitus ad Ieſum audientium, & comprobatio miraculi per viſum: quartum, timor eorundem ad magnitudinem & reuerentiam Domini: Quintum, obſecratio receſſus Domini: quia præſentia ipſius ſe indignos eſſe reputabant. Dicit[qui autem paſcebant eos] porcos, quod quidem ſecundum ſpiritualem intellectum malum eſt: quia paſcere porcos eſt delectamenta procurare ſpurcitiæ. *Luc.* 15. Miſit eum in villam ſuam vt paſceret porcos. *Oſeæ* 12. Ephraim paſcit ventum & ſequitur æſtum: tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat. Ille eſt filius prodigus, qui in regione diſſimilitudinis [illegible] porcos paſcendo, hoc eſt, viuendo luxurioſe cum meretricibus. 2. *Machab.* 6. Templum luxuria erat plenum & ſcortan-

E 2 tium

tium cum meretricibus : sacratisque ædibus mulieres se vltrò ingerebant, & faciebant quæ non licebat. Tales igitur etiam in templo pascebant spurcos porcos. Hi ergo videntes Dæmones potestatem accipere in porcos [fugerunt] sapienti vsi consilio, declinantes consortia spurcorum. *Gen.* 19. Non stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac. *Eccl.* 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum[& nuntiauerunt in ciuitatem] ciuibus qui in possessione spurcitiæ delectabantur [& in agro]in villis rusticorum vbi spurcitiæ custodiebantur. *Ps.* 95. Annuntiate inter gentes gloriam eius : in omnibus populis mirabilia eius. Munditiæ enim amator spurcitias abominatur.

Et egressi sunt] de ciuitatibus & villis spurcitiarum relinquendo spurcitias[videre] per experimentum [quid esset factum] probare per experimentum[& veniunt]per deuotionem [ad Iesum] *Gen.* 12. Egredere de terra,& de cognatione tua : & veni in terram quã monstrauero tibi : quæ est terra Christi, vbi nemo in spurcitiis delectatur [& vident illum qui]prius [à Dæmone] hoc est, à legione spurcitiæ [vexabatur] sicut sus lota & reuoluta in volutabroluti [sedentem] in verbis sapientiæ quiescentem[vestitum] honestate conuersationis,& virtutis circumamictum. *Isa.* 61. Induit me Dominus vestimento salutis : & indumento lætitiæ circundedit me [& sanæ mentis] per gratiam Christi. *Ierem.* 17. Sana me Domine, & sanabor:saluum me fac,& saluus ero: quoniam laus mea tu es.

Et timuerunt]timore reuerentiæ, [eum]Christum. *Apoc.* 14. Timete Dominum omnes Sancti eius. *Psal.* Nihil deest timentibus eum[& narrauerunt illis]egressis pastores[qui viderant]in porcis [qualiter factum esset]miraculum [ei qui Dæmonium]hoc est,à legione Dæmonum quam[habuerat]liberatus esset[& de porcis] narrauerunt qualiter in mari præcipitati essent : quia spurcitiæ signa erant : quæ auctor munditiæ ad instructionem eorum perdi concesserat.

Et rogare cœperunt eum] hoc est, Christum [vt discederet de finibus eorum] non se dignos reputantes sua præsentia, nisi prius mundarentur. *Luc.* 5. Exi à me,quia homo peccator sum Domine. 3. *Reg.* 17. Nunquid venisti ad me vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? Sic viri Bethsamitæ percussi sunt in conspectu arcæ Domini, & petierunt eam à se educi 1. *Reg.* 6 Et sic, isti timuerunt percuti in præsentia sanctitatis Domini:& ideo rogauerunt eum recedere,donec per receptionem satisfactionis Deum placarent.Et sic digni sua receptione efficerentur.

Cúmque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari qui à Dæmonio vexatus fuerat, vt esset cùm illo : & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi fecerit Dominus, & misertus sit tui. Et abiit : & cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus:& omnes mirabantur.

Tangitur hic doctrina cautelæ illius qui sanatus fuerat. Tanguntur autem hic quinque, scilicet, sanati ad sequendum deuotio : & eiusdem à Christo repulsio:& quid facturus sit instructio:& instructi simplex obeditio : & audientium eum admiratio:dicit igitur.[Cúmq; ascenderet]Christus[nauim]vt recederet à finibus eorum,sicut petiuerant : quia libenter Dominus annuit petitionibus deuotorum quæ sunt rationabiles. *Marc.* 11. Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis : & fiet vobis [cœpit illum]Iesum [deprecari] qui à Dæmonio vexatus fuerat & liberatus [vt esset secum]sequendo eum inter discipulos : vt ex præsentia ipsius contra Dæmones confortaretur. Ex humilitate enim non magna sensit de seipso, quod sine Domino perfectus esset ad cauendum à Dæmonibus. *Rom.* 12. Non alta sapientes : sed humilibus consentientes. *Psal. secundum Ieronymi* (aliàs septuaginta) Translationem. Serua me Domine quoniam confido in te : & bene mihi non est sine te. *Psal.* 40. Non discedimus à te, viuificabis nos:& nomen tuum inuocabimus.

Et non admisit eum] quia vidit eum ex beneficio accepto iam ad prædicandum esse perfectum. Sic *Philip.* 1. Dixit Apostolus. Cupio dissolui & esse cum Christo, multo magis melius. Propter vtilitatem autem proximorum subintulit:Permanere autem in carne, necessarium propter vos. Sic magnus Patriarcha remisit de se filium suum *Gen.* 37. Dicens : Fratres tui pascunt oues in Sichimis : veni mittam te ad eos. Et hoc est quod sequitur.

Sed ait illi] instruendo eum quid acturus sit [vade in domum tuam] vt te sciant homines esse mansuetum. *Eccle.* 32. Præcurre prior in domum tuam:& illic auocare, & illic lude, & age conceptiones tuas. *Matth.* 8. *& Ioan.* 8. Vade in domum tuam. *Sap.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum sapientia[ad tuos] quibus ex ordine charitatis plus teneris. 1. *Timot.* 5. Siquis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior [& nuntia illis]primum.

Quanta beneficia tibi fecerit Dominus]quia probabile est quod etiam illi communicationem habuerint cum spiritibus spurcitiarum. *Luc.* 16. Vt testetur illis ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum [& misertus sit tui] te liberans à spiritibus spurcitiarum. *Iob* 26. Spiritus Domini ornauit cælos : & obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus.

Et abiit] non mente, sed corpore separatus à Domino. *Mar. vlt.* Illi autem profecti prædicauerunt vbique. 1. *Corinth.* 5. Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos [& cœpit prædicare in Decapoli] Decapolis est regio mari Genesareth in vna parte adiacens, in qua sunt decem ciuitates. *Luc.* 19. Domine, mna tua decem mnas acquisiuit. Quia in decem ciuitatibus prædicauit.Et *Ibi.* Et tu esto super decem ciuitates [quanta sibi fecisset Dominus Iesus]magnalia *Act.* 2. Audiuimus eos nostris linguis loquentes magnalia.

Et omnes mirabantur] & per eum ad fidem ædificabantur:& se præparabant, vt digni præsentia Saluatoris efficerentur. *Ioan.* 7. Vnum opus feci,& omnes miramini. *Psal.* 97. Cantate Domino canticum nouum,quia mirabilia fecit. *Dan.* 3. Signa & mirabilia fecit apud nos Deus excelsus. *Exod.* 15. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis

lis atque laudabilis, faciens mirabilia. Sic ergo terminata est pars, quæ est de fortitudine leonis, contra vim Dæmonis de actuali peccato tentantis.

Et cum transcendisset Iesus in naui rursus trans fretum, conuenit turba multa ad eum, & erat circa mare. Et venit quidam de Archisynagogis nomine Iairus: & videns eum, procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis est: veni, impone manum tuam super eam, vt salua sit, & viuat. Et abiit cum illo. Et sequebatur eum turba multa: & comprimebant eum.

Tangitur hic historia, quæ est de remedio ordinato contra peccatum tentans in carne. Et habet hæc pars quinque partes, in quarum prima dicitur qualiter ex parte Domini ventum est illud miraculum: in secunda exaggeratur mulieris infirmitas, ad ostendendum quantum est miraculum: in tertia prædicatur deuotio mulieris, quæ impetrauit miraculum: in quarta ponitur qualiter miraculum est publicatum ad ædificationem multorum: in quinta confirmatur miraculum, & docetur qualiter conseruatur donum sanitatis perceptum: & hæc per ordinem continentur in litera. In primo horum continentur quatuor, in quorum primo ostenditur Domini ad ripam oppositam per mare Genesareth nauis vehiculo reditus: in secundo ad mare turbæ concursus: in tertio Archisynagogi ad Iesum supplex aduentus: in quarto Domini ad id quod petiuit Archisynagogus consensus.

Dicitur igitur] Et cùm ascendisset Iesus in nauim] quia sine vehiculo nauis transire potuit, sed volens vt nos doceret remedio crucis, & suffragio [illegible], & religionis Christianæ vti in mari [illegible]. *Eccles.* 43. Qui nauigant mare narrant pericula ipsius. Sic Noe remedio arcæ fluctus euasit *Gen.* 7. Et alij submersi sunt] rursus transfretauit] de Decapoli, in qua Dæmoniacum sanauerat. *Sap.* 14. Nauigantes mare per ratem liberati sunt [trans fretum] versus Tyberiadem, & Capharnaum, vbi plurimum prædicauit Iesus.

Conuenit turba multa] ad eum: quia turba deuotione trahebatur. *Ioan.* 6. Multitudo maxima veniebat ad eum & sequebatur eum: quia videbat signa quæ faciebat super his qui infirmabantur [& erat turba circa mare] occurrens ei: & ideo *Amos* 4. dicitur. Præparare in occursum Dei tui Israel.

Et venit quidam] honore dignior cæteris [de Archisynagogis] qui & principatu & merito dignus erat. *Isa.* 32. Non vocabitur vltra is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur maior. Princeps enim ea quæ sunt digna principe cogitabit [nomine Iairus] qui illuminatus interpretatur. *Psal.* 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis. *Eccles.* 24. Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus. *Eccle.* 43. Mundum illuminans in altissimis Dominus [& videns eum] oculis fidei, & sapientiæ diuinæ. *Luc.* 10. Beati oculi qui vident quæ vos videtis. *Iob* 42. Auditu auris audiui te; nunc autem oculus meus videt te. *Cant.* 2. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora [procidit ad pedes eius] quibus salutem omnibus circumportauit. *Psal.* 131. Adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius [& deprecabatur eum multum] ex multo desiderio [dicens quia filia mea] pignus naturæ meæ [in extremis est] nec est spes salutis in ea nisi per te] [veni [per misericordiam appropinqua] impone manum [adiutricem] super eam [in qua manu tua vis est Deitatis [vt salua sit] ab infirmitate [& viuat] perfecta sibi restituta sanitate. *Mar.* vl. Super ægros manus imponent & benè habebunt. *Psalm.* 143. Emitte manum tuam de alto: eripe me, & libera me de aquis multis (lacrymarum & tribulationum) de manu filiorum alienorum, hoc est, Dæmonum, qui sunt filij quidem per naturam, sed alieni facti sunt per auersionem & culpam.

Et abiit] ecce tangit qualiter benignus Dominus, qui omnibus deprecantibus se satisfacit, cum principe synagogæ [abiit] hoc est, abire dignatus est [& sequebatur eum turba multa] vt videret miracula quæ faciebat [& comprimebant eum] quia quilibet desiderabat esse propinquior: & in talibus necesse est fieri compressionem. *Ioan.* 14. In mundo pressuram habebitis: in me autem pacem. Quod autem hic dicitur [in extremis est] *Luc.* 8. Dicitur quod moriebatur. *Matth.* 9. Quod modo defuncta est. Quia primo veniente Iairo, vt dicit *August.* in extremis laborabat: adorante autẽ eo Dominum, & deprecante, & inducente ad veniendum, incipiebat mori: & veniente Domino cum Iairo, defuncta fuit: sicut & hic postea dicetur: quia turbæ comprimentes retardabant eum ne citò veniret.

Et mulier quæ erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: cum audisset de Iesu, venit in turba retro, & tetigit vestimentum eius: dicebat enim: quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius, & sensit corpore quia sanata esset à plaga.

Hic exaggeratur infirmitas mulieris, vt maius cognoscatur esse miraculum. Hanc autem mulierem *Amb.* dicit esse Martham. Dicit enim *in Tractatu de Salomone*, quod Dominus in Martha profluuium sanguinis restrinxit: de Maria autem septem Dæmonia eiecit: & Lazarum quatriduanum in monumento suscitauit. *Hieronymus* autem dicit in *tripartita historia* quod hæc mulier, postquam sanata est à profluuio sanguinis, deuotissima ad Christum remansit, & in horto suo imaginem ad figuram Christi construxit, & hanc simili vestimento vestiuit, iuxta quam quædam herba in horto similem virtutem curandi fluxum sanguinis habens, nata fuit: & quando vestimentum herba attigit, tunc perfectam virtutem cu-

tandi herba accepit. De qua imagine Iulianus apoſtata audiens in Cæſarea Philippi, eam auferri de loco illo præcepit, & ſuam præcepit ſubſtitui, quæ fulmine ſtatim cõbuſta & contrita fuit:& tunc imago Chriſti reſtituta, quam poſtea pagani per infidelitatem confregerunt:poſtea vero conualeſcentibus fidelibus,partes collectæ ſunt imaginis Chriſti, & in Eccleſia quadam collocatæ. Hæc ergo mulier quæcunque fuerit[quæ erat in profluuio ſanguinis]menſtruorum,qui profluuius fluxum ſignificat tentationis carnalis. *Oſea* 4.Sanguis ſanguinem tetigit.*Pſal.*50. Libera me de ſanguinibus, Deus, Deus ſalutis meæ [annis duodecim]anni autem duodecim ſunt annus vnius circuli cæleſtis, qui vocatur circulus natiuitatis, ex duodecim domibus compoſitus, ad quas omnes ſtellæ cæli reducuntur : & ſignificat hîc, quod ex defectu naturali ſibi innato hanc paſſionem habuit:& ideo ad curandum magis erat difficilis: & huius ſignum eſt quod ſequitur[& fuerat multa perpeſſa à compluribus medicis] purgantibus eam per pharmacias, & reſtringere volentibus fluxum [& erogauerat omnia ſua]non parcens expenſis,vt peritos haberet medicos [nec quicquam profecerat] per medicinas paruorum medicorum [ſed magis] iam deſtituta natura per medicinas [deterius habebat]& huius cauſa redditur *Sap.*16. Quia nec herba, nec malagma ſanabat eos : ſed ſermo tuus qui ſanat omnia.*Pſal.* 106.Miſit verbum ſuum,& ſanauit eos:& eripuit eos de interitionibus eorum.

Hæc igitur mulier [cum audiſſet de Ieſu] quia talem & tantam virtutem habuit curationum. Et hîc tangitur de mulieris huius deuotione [venit in turba] quia per ſeipſam humilis venit : ante enim venire non præſumpſit [retro] autem venit: quia verecunda fuit ad ſimilitudinem mulieris, de qua dicitur *Luc.* 8. Stans retro ſecus pedes eius [& tetigit] fidei deuotione [veſtimentum eius] ſciens quod ſcriptum eſt. Vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam: barbam Aaron. Quod deſcendit in oram veſtimenti eius [dicebat] per fidem intra ſe [quia ſi tetigero vel]hoc eſt,ſaltem [veſtimentum ſuum] in fide & deuotione nominis eius[ſalua ero]*Matth.*9. Dicitur:Quia ſi tetigero fimbriam veſtimenti eius:ſalua ero ab infirmitate mea[& confeſtim]quia neſcit tarda rerum molimina Spiritus ſancti gratia [ſiccatus eſt fons ſanguinis] confortatis vaſis naturalibus ad ſanguinis retentionem. *Ezech.*16. Dixi tibi cum eſſes in ſanguine tuo : viue [& ſenſit]per immutationem vaſorum ad ſanitatem & confortationem ſui[corpore]hoc eſt,corporaliter : non ſolum ſpiritualiter[ſe eſſe ſanatam]à plaga infirmitatis. *Pſ.* 146. Qui ſanat contritos corde: & alligat contritiones eorum. *Pſal.*111. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis : qui ſanat omnes infirmitates tuas, *Ibidem.*Qui redimit de interitu vitam tuam : qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.

Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo cognoſcens virtutem, quæ exierat de illo, conuerſus ad turbam aiebat : Quis tetigit veſtimenta mea ? Et dicebant ei Diſcipuli ſui : vides turbam comprimentem te, & dicis:quis me tetigit? Et circunſpiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier autem timens & tremens, ſciens quod factum eſſet in ſe, venit, & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ieſus autem dixit ei : Filia, fides tua te ſaluam fecit : Vade in pace,& eſto ſana à plaga tua.

Tangit hic de miraculi huius publicatione. Dicuntur autẽ hic quatuor, quorum primum eſt quòd cognouit Chriſtus virtutem de ſe exiſſe per ſenſum, quam ante nouit per Deitatem : & quia quæſiuit quis me tetigit ad turbæ inſtructionem, non ad ignorantiam ſuam inſtruendam : & quia diſcipuli mirantes de quæſtione, cauſantur turbæ tactum per Chriſti afflictionem : & quia cum circunſpiceret;vt corporali viſu mulierem admoneret,vt miraculum patefaceret, mulier venit & patefecit : dicit igitur [Et ſtatim Ieſus] qui omnia cognouit antequam fiant ſecundum Deitatem [in ſemetipſo cognoſcens] per experimentum ſenſus ſecundum humanitatem [virtutem] curationes [quæ exierat de illo] quia virtus de illo exibat,& ſanabat omnes.Et *ibidem.*Rogabant vel fimbriam veſtimenti eius tangerent:& quotquot tangebant ſani fiebant.

Conuerſus]corpore : quia ante turbam præcedebat[ad turbam ait] vt ex facto turbam inſtrueret de virtute Deitatis, quæ habitabat in eo corporaliter [quis tetigit veſtimenta mea] quæ propter tactum corporis mei etiam habent in ſe curationis virtutem. Et quærit : vt ex propria confeſſione tangentis,turba congruentius inſtruatur. *Geneſ.* 27. Statim vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam,benedicens illi,ait:ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Odor enim iſtius virtutis ſanatiuæ ſignificat diffuſionem.

Et dicebant ei]Chriſto[diſcipuli ſui] qui melius, & familiari auſu reſpondere ſibi conſueuerunt : & ipſo reſponſo illuminationem ab eo petiuerunt : quia ſciuerunt quod ad hoc quæſierat, vt ex reſponſo multos ad fidem illuminaret [vides turbam comprimentem te] *Matth.*9. *Luc.*8. Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt [& dicis,quis me tetigit]non eſt intelligendum quod diſcipuli inconuenientem reputent quæſtionem Domini:ſed potius, ſe non intelligentes quæſtionem ſignificant. Ac ſi dicant : Videmus quidem quod & tu vides,quia turbæ te comprimunt:quis autem ſpeciali deuotione fidei tetigerit ignoramus : & ideo de hoc da nobis illuminationis tuæ inſtructionem. *Ioan.* 16. Nunc ſcimus quia ſcis omnia : & non opus eſt tibi, vt quis te interroget.

Et circunſpiciebat videre eam]quæ ex hoc viſu & reſpectu moueretur,quòd hoc factum in gloriam Dei publicaret. *Sap.* 4. Gratia & miſericordia eſt in ſanctis eius & reſpectus eius in electos illius. [Mulier autem timens]corde, timore reuerentiæ[& tremens]corpore, ad maieſtatem Deitatis, cuius virtutem iam in ſe experta fuit. *Pſal.* 104.Timor & tremor venerunt ſuper me [ſciens] per experimentum[quod factum eſſet in ſe] ſanitatis miraculum[venit]fidei deuotione [& procidit ante eum] pœnitentia confitens quod verè Deus eſſet : quia eam de tam intima & miſerabili pœna infirmitatis erexerat. 1 *Cor.* 14. Cadens in terrã pronuntiat quod verè Deus in nobis ſit [& dixit

dixit ei] confitendo publicè [omnem veritatem] ſcilicet de quantitate & prolixitate infirmitatis, & de fide & deuotione tangendi, & de perceptione integræ ſanitatis. *Rom.* 9. Veritatem Dico in Chriſto Ieſu : non mẽtior,teſtimonium perhibente mihi conſcientia mea in Spiritu ſancto [Ieſus autem dixit ei] ſicut ſalutis auctor : oſtendens id quod dicitur *Sap.*16.Tu es qui vitæ & mortis habes poteſtatem. 1.*Reg.* 2. Deducit ad inferos & reducit[filia]iam ad imaginem meam in gratia reformata[fides tua te ſaluam fecit] hoc eſt, hanc ſalutẽ tibi meruit. *Matth.*15.O mulier magna eſt fides tua : fiat tibi ſicut petiſti [vade in pace]mea, mihi per deuotionem reconciliata. *Luce* 7. Fides tua te ſaluam fecit : vade in pace. *Ioan.* 14. Pacem meam do vobis [eſto ſana] perſeuerantia ſanitatis perceptæ [à plaga tua] *Pſal.*67.Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Sic dicitur *Gen.* 1. Quod vidit Deus cuncta quæ fecerat,& erant valde bona.Qui enim fecerat poteſtate Deitatis, vidit oculo beneplaciti, confirmans,vt manerent:& ſic manentia, eſſent valde bona.Bona enim erant facta:ſed valde bona erant perſeuerantia. Hoc igitur eſt quod leo de tribu Iuda oſtendit contra tentationes in carne, quæ in fluxu ſanguinis iſtius mulieris deſignantur.

Adhuc eo loquente veniunt nuntij ad Archiſynagogum, dicentes,quia filia tua mortua eſt : quid vltra vexas Magiſtrum ? Ieſus autem audito verbo quod dicebatur, ait Archiſynagogo : Noli timere : tantummodo crede. Et non admiſit quemquam ſe ſequi, niſi Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem Iacobi.

Hîc tertiò tangitur de ſuſcitatione filiæ Archiſynagogi,quæ pompam mundi ſignificat : quæ multos tentat & perimit : & ſuſcitatio ipſius ſignificat poteſtatem, & fortitudinem leonis ſuper pompam mundi tentantem, fortitudinem gratiæ ſuæ extendentis. Diuiditur autem hæc particula in ſex partes,in quarum prima oſtenditur id quod ad miraculi facit magnitudinem,& veritatem : in ſecunda docetur id quod facit ad miraculi impetrationem : in tertia, aſſumuntur Diſcipuli ad inſtructionem : in quarta, contra irridentes oſtendit ſuam in ſuſcitando facilitatem : in quinta adſunt parentes, ad miraculi teſtificationem:in ſexta & vltima,inducit miraculi perfectionem,& veritatis probationem. Et hæc per ordinem in littera continentur.

Dicis igitur [adhuc eo loquente] de cura tentantis in carne[veniunt nuntij]mortis [ad Archiſynagogum] qui in gloria mundi princeps erat [dicentes] triſtia [quia filia tua mortua eſt] & hi plenam fidem de Chriſto non habebant : & ideò non putabant quod etiam à mortuis ſuſcitare poſſet:& hoc eſt[quid vltra vexas magiſtrum]cùm à mortuis ſuſcitare non poſſit. *Pſal.* 87. Nunquid medici ſuſcitabunt,& confitebuntur tibi:quaſi dicat,non ſuſcitabunt. Iſti enim opinabantur de Domino ſicut de medico diuino, qui per inuocationem Dei quædam curaret genera infirmitatum. *Iob* 5. Ipſe vulnerat & medetur:percutit & manus eius ſanabunt. [Ieſus autem audito verbo quod dicebatur] à nuntiis : & tangitur de confortatione ad fidem,quæ impetrat miraculum [ait Archiſynagogo] confortãdo eum ad fidem Deitatis ſuæ [noli timere]in fide dubitãdo. *Ioan.*15.Non turbetur cor veſtrũ, neq; formidet:creditis in Deum,& in me credite[tantũmodo crede] *Mar.*9.Si potes credere,omnia poſſibilia ſunt credenti. Quod autem dicit[tantummodo crede]non ſic intelligitur quod ſola fides informis ſufficiat ; ſed ea quæ per dilectionem operatur, & in operibus oſtenditur: hæc eſt enim quæ impetrat apud Deum. *Luc.*1. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. *Gen.*18.Nunquid Deo quicquam eſt difficile? *Rom.* 4.In repromiſſione Dei non hæſitauit diffidentia: ſed confortatus eſt fide, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit ei Deus, potens eſt & facere [& non admiſit ſe ſequi quenquam] Tangitur hic de inſtructione principalium Apoſtolorum [niſi Petrum] qui vertex erat & caput poteſtatis Eccleſiaſticæ [& Iacobum] qui primus erat inter Apoſtolos confirmatus fide per paſſionem [& Ioannem fratrem Iacobi] qui inter alios, altiùs ſcripturus erat de diuinitatis ſublimatione:vt per iſtos etiam alij inſtruerentur. *Pſal.* 46. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham. *Dionyſius dicit.*Lex diuinitatis eſt:per prima media, & per media vltima reducere. Et ſic Chriſtus reduxit in fidem medios per primos principes Apoſtolorum ; & poſtea per Apoſtolos medios, reduxit omnes mundi fideles.

Et veniunt in domum Archiſynagogi, & vidit tumultum, & flentes, & eiulantes multùm : & ingreſſus, ait illis : Quid turbamini & ploratis ? Puella non eſt mortua, ſed dormit. Et irridebant eum. Ipſe vero eiectis omnibus, aſſumit patrem & matrem puellæ, & qui ſecum erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens : & tenens manum puellæ, ait illi : Tabitha cumi, quod eſt interpretatum,puella(tibi dico) ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat : erat autem annorum duodecim. Et obſtupuerunt ſtupore magno. Et præcepit illis vehementer,vt nemo id diceret : & iuſſit dari illi manducare.

Tangit hic facilitatem ſuſcitandi quantum ad potentiam ſuam. De acceſſu autem corporis deificati ad defunctum, dicit [Veniunt]Ieſus, & tres Apoſtoli [in domum Archiſynagogi] in qua iacuit puella mortua, ſignificans mortuam animam in conſcientia. *Exod.*12.Non erat domus in qua non iaceret mortuus in tota, ſupple, regione impiorum : & præcipuè in pompa ſeculi,quæ multos interficit. Vnde *Sap.*18. dicit,quod præclarior natio in qualibet domo mortua iacebat [& vidit tumultum] vlulantium defunctam. *Ier.*6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum [& flentes] in lachrymis [& vlulantes] in querelis & clamoribus ; quia tangebantur dolore cordis intrinſecus. *Ierem.* 31. Vox in excelſo audita eſt lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios ſuos : & nolentis conſolari. *Ierem.* 9. Quis da-

bit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei [& ingressus ait illis]consolando eos de facilitate suæ potestatis ad suscitandum [quid turbamini]ita quod dolor vobis aufert cordis serenitatem[& ploratis] fletu qui vobis aufert vitæ exultationem. 1. *Thes.* 4. Nolumus vos ignorare de dormientibus vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habet. *Heb.* 11. Arbitrans, quia à mortuis suscitare potens est Deus. Et hoc est quod sequitur[puella non est mortua]mihi[sed dormit]quia ita facile est mihi suscitare eam, sicut à somno excitare illam. *Ioan.* 11. Lazarus amicus noster dormit: eamus vt à somno suscitem eum [& irridebant eum]arbitrantes quod de dormitione somni diceret: & eam esse mortuam nesciret. [Ipse vero Iesus eiectis omnibus]qui indigni erant interesse tanto miraculo. *Matt.* 7. Nolite sanctum dare canibus; & margaritas nolite spargere ante porcos. Sic Ioseph eiecit Ægyptios: ne quis alienus interesset agnitioni mutuæ inter eum & fratres suos. *Genes.* 45. [Assumit patrem & matrem puellæ]quos in fide cõfortatos tãto miraculo honorare disponebat: quia sicut dicitur *Mat.* 9. *Luc.* 8. Multi pro illis allegabant, quod digni essent tanto beneficio. *Rom.* 13. Cui honorem, honorem, [& qui secum erant] tres Apostolos quos specialiter instrui voluit, [& ingrediuntur vbi puella erat iacens]in secreto cubilis. *Cant.* 3. Apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ: & in cubiculum genitricis meæ [& manum] quæ potentiam operatiuam animæ rationalis designat [tenens puellæ] vt tactu viuificæ suæ manus vita rediret ad mortuam [ait illi] *Psalm.* 72. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me. [Tabitha cumi] & subiungit Euangelista post verbum Hebræum [quod est interpretatum puella]hoc est, ô puella, quia vocauit ad vitam. *Rom.* 4. Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, qui viuificat mortuos, & [tibi dico]imperando [surge]hoc est, ad vitam & sanitatem sursum te age. *Ephes.* 5. Surge qui dormis, & exurge de mortuis, & illuminabit te Christus[& confestim]sine mora temporis. Et vt diuinum, & non naturale esse factum intelligatur [surrexit puella] *Act.* 9. Tabitha surge. At illa aperuit oculos: & viso Petro resedit, dans autem illi manum, erexit eam [& ambulabat]in testimoniũ restitutæ sanitatis [erat autem annorum duodecim]hoc dicit ad miraculi commendationem: quia iam pubes erat, & nubilis: quia infantes ex nimio humore cerebri, sæpe simile aliquid lethargiæ patiuntur: sed præcipuè puellæ. Sed hoc non patiuntur ad pubertatem venientes: & ideo non aliquid simile lethargiæ passa fuit: sed erat verè mortua [& obstupuerunt]parentes, & Apostoli, & alij qui aderant [stupore maximo] hoc est, admiratione stupenda. *Act.* 3. Impleti sunt stupore & extasi in eo quod contigerat illi [& præcepit illis vehementer]præcepto disciplinæ eruditi gloriam declinare[vt nemo id sciret] ad gloriam inanis: sed ad gloriam Dei dilatandam illud scire conueniens erat. In præcepto enim disciplinæ non intenditur actus simpliciter, sed aliquid circa actum, sicut obedientia vel cautela: hæc autem cautela inanis gloriæ intenditur maximè apud principem, qui de pompa mundi tentabatur. *Tob.* 12. Opera Dei reuelare & confiteri honorificum est. Et *ibidem.* Benedicite Deum qui fecit vobiscum misericordiam suam: & enarrate omnia mirabilia eius. [Et iussit illi]puellæ suscitatæ[dari manducare]vt exteriorbus viribus restitutis, scilicet, insumptionis cibi, & digestionis, & nutritionis, veritas eius resurrectionis probaretur: qui enim phantasticè surgunt, hos actus nutritionis non habent. Vnde & *Luc.* 24. Cum Dominus suam discipulis vellet probare resurrectionem, dixit. Habetis hic aliquid quod manducetur. Hoc est igitur quod dicit.

CAPVT VI.

Et egressus inde, abiit in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui. Et facto Sabbato cœpit in synagoga docere.

Hic incipit tangere ea quæ sunt de essentia actualis peccati, contra quæ leo de tribu Iuda fortitudinis suæ ostendit vigorem. Sunt autem tria in in peccato actuali, quorum primum est ab incommutabili bono auersio, quæ prouenit ex defectu gustus boni spiritualis: & hunc defectum leo iste fortitudine sua per ministerium alimenti (quod habet in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem) curat: tale enim edulium ministrat omnibus æterni boni inediam patientibus, abundanter & sine labore. Secundum autem, quod est in actuali peccato, est vexatio improbi appetitus, & libidinis per cogitatum, & voluntatem, & consensum mali, quod perpetrat iam in corde, & statim perpetrandum est in opere: & contra hoc fortitudinem suam ostendit in cura filiæ Syrophenissæ circa medium septimi capituli, *ibi*: & inde surgens abiit in fines Tyri. Tertium autem, quod est in peccato actuali, est quod membra corporis exhibentur arma iniquitatis peccato ad malum in opere: & contra hoc iste leo fortitudinem ostendit post medium septimi capituli, *ibi*: & iterum exiens de finibus Tyri. Et sic hæc pars tota terminatur ad principium capituli octaui.

In prima harum partium quatuor continentur, quorum primum est de fama illius leonis, quę multitudinem pascendam attraxit. Secundum autem est, de pastu multitudinis, *ibi*: & ascendentes in nauim, abierunt in desertum. In tertia autem post miraculum quædam fit vniuersalis ostensio potestatis leonis, *ibi*: & statim coëgit discipulos suos, &c. In quarta autem & vltima, demonstratio fit regalis dignitatis in ponendis legibus suis, & euacuandis legibus alienis: hoc enim etiam pertinet ad leonem de tribu Iuda: & hoc incipit in capitulo septimo, *ibi*: & conueniunt ad eum Pharisæi & quidam de Scribis. Adhuc autem prima partium istarum subdiuiditur in particulas quatuor. Cùm autem actum potestatis in qualiber doctrina, præcedat potestatis declaratio; tangitur in prima particula, impedimentum declarationis illius potestatis ex infidelitate quorundam. In secunda magna illius potestatis ostenditur declaratio, per ministrorum missionem, *ibi*: & conuocauit duodecim,

decim;& cœpit eos mittere. Quia autem per hanc declarationem fama peruenit ad Herodem; quia cùm Ioanni Baptistæ apparuit: ideo ex incidente inducitur qualiter Ioannes ab Herode est decollatus, *ibi*: Et audiuit rex Herodes. In quarta & vltima particula, continetur relatio ad Dominum facta de potestate, quæ per ministerium eorum iam fuit declarata, *ibi*: & conuenientes Apostoli ad Iesum, &c.

In prima harum particularum quatuor continentur, scilicet, qualiter ordinata charitate saluator primum suis, salutiferæ potestatis operationem exhibuit: secundò qualiter sui potestatem in ipso admirati sunt: qualiter potestatem hanc propter sui generis paruitatem & infirmitatem despexerunt: & qualiter ipse Christus Iesus rationem reddidit de huiusmodi contemptu, & incredulitate: & hæc per ordinem in litera continentur. In primo tria dicuntur, scilicet, Saluatoris ad suos accessio: Discipulorum instruendorum concomitatio: & potestatis, ad salutem suorum in locis solennibus publica ostensio.

Dicit igitur[& egressus inde] à locis in quibus puellam suscitauerat [abiit in patriam suam] vt ostenderet ordinem charitatis ad suos. *Cant.* 2. Ordinauit in me charitatem. *Isa.* 58. Carnem tuam ne despexeris. 1. *Timot.* 5. Siquis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. *Gal.* 6. Dùm tempus habemus operemur bonum ad omnes: maximè autem ad domesticos fidei. Patria autem sua Nazareth vocatur, vbi & conceptus, & nutritus est[& sequebantur eum Discipuli eius] sicut pulli gallinam, & sicut oues pastorem, & sicut Discipuli magistrum. De primo *Matth.* 23. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? De secundo *Ioan.* 10. Ante eas vadit: & oues illum sequuntur. De tertio *Isa.* 8. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus[& facto Sabbato] die solenni; quia tunc multis confluentibus, multis prodesse poterat [cœpit docere] doctrinam diuinam [in synagoga] tanquam in loco publico diuinis doctrinis consecrato. *Ioan.* 18. Ego semper docui in synagoga & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. *Isa.* 45. Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso.

Et multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi & Ioseph & Iudæ & Simonis? nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? & scandalizabantur in illo.

Secundum est, in quo tangitur admiratio suorum audientium eum. Et tangit tria, scilicet, admirationem in communi, & in speciali admirationem sapientiæ, & in spirituali, admirationem potestatis. Dicit igitur[& multi] de suis cognatis [admirabantur] alta videntes in opere & verbo, & exigua recolentes in genere, & bonis fortunæ: & ideò causam altorum in ipso non cognoscentes: non aduertentes quod scriptum erat 1. *Reg.* 2. Suscitans de puluere egenum, & de stercore erigẽs pauperem; vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Admirabantur maxime[in doctrina eius dicentes]. & Deitatem in eo non credentes. *Ioan.* 7. Nec enim fratres eius credebant in eum. *Ioan.* 1. In propria venit, & sui eum non receperunt[vnde huic] tam despecto, & abiecto[hæc omnia] tam magna, & mirifica: quæ Prophetis, & Patriarchis, & Regibus negata sunt, scire & facere. Sed causam huius Ioannes Baptista considerauit dicens *Ioan.* 3. Pater amat filium, & omnia dedit ei in manus. Et *ibidem*. Non enim Deus dat ad mensuram Spiritum Filio: sed dat spiritum superaffluenter in plenitudine omnium donorum.

Et quæ est sapientia, quæ data est illi] specialis admiratio sapientiæ, in verbo doctrinæ. Benè autem dicunt [data] quia non acquisita fuit studio literarum. *Ioan.* 7. Vnde hic scit literas, cùm non didicerit: sed Paulus *Col.* 2. dicit causam. Quia in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi[& virtutes] specialis admiratio est potestatis: quia virtus vltimum est potestatis[quæ per manus eius] operatiuas in diuersis magnalibus [efficiuntur] quia opera negare non poterant. *Ioan.* 15. Si opera non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. *Ioan.* 5. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, ipsa testimonium perhibent de me. Hæc igitur magna considerauerunt inuiti & nolentes. Sic enim vt dicitur *Eccl.* 50. Etiam ab inuidis dedit Dominus confessionem Sancto suo & Excelso in verbo gloriæ.

Nonne hic est faber] Magna visa & audita conferunt ad generis infima, & ad fortunæ bona, quæ videbantur paruitatem ostendere: dicentes[nonne hic est faber] non ab vsu actus fabricandi dicitur faber, sed ab officio patris putatiui: quia Ioseph faber lignarius dicitur fuisse. Nescientes tamen dicunt verum: quia ipse est faber, magni fabri filius, de quo scriptum est in *Psal.* 73. Tu fabricatus es auroram & solem. *Iob* 34. Quem constituit aliũ super terram: aut quem posuit super orbem quem fabricatus est. *Iob* 37. Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ex ære fusi sunt [filius Mariæ] quæ secundum fortunam huius mundi quæstu manuum victum quæsiuit: & ideo à sanctis quæstuaria vocatur. 1. *Corinth.* 4. Laboramus operantes manibus nostris: & nudi sumus. Non enim recognouerunt, quòd propter nos assumpsit istam paupertatem, vt mundi doceret contemptum, & diuitias quærere spirituales. 2. *Cor.* 8. Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi: quia propter nos egenus factus est, cùm esset diues: vt nos illius inopia diuites essemus[frater Iacobi] frater dicitur hic non vterinus, sed consobrinus: quia fuerunt isti filij Mariæ Alphæi filiæ: Iacobus minor, & Iudas Taddæus, & Simon Cananæus siue Zelotes[nonne & sorores] non vterinæ, sed beatæ Virginis sorores, hic in loco isto natæ [nobiscum sunt] inter nos conuersantes, in quibus nihil est tantæ sapientiæ, & nihil tantæ virtutis[& sic scandalizabantur] hoc est occasionem offendiculi & casus sumpserunt in illo. *Luc.* 2. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel: & in signum cui contradicetur. *Isa.* 8. In lapidem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israel: in laqueum & in ruinam habitantibus

tibus Ierusalem offendent ex eis plurimi,& cadent & conterentur,& irretientur,& capientur. *Matt.* 11. Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.

Et dicebat eis Iesus : quia non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in cognatione sua, & in domo sua. Et non poterat ibi virtutem vllam facere : nisi paucos infirmos impositis manibus curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum.

Et dicebat eis Iesus] rationem reddens de huiusmodi scandalo, quæ à consuetudine hominum mala accipitur. Dicuntur autem hic tria, scilicet, qualiter Propheta inter suos sine honore consueuit esse : qualiter hoc ipsum impedimentum fuit salutis suorum:& qualiter tãdem vndique Dominus suam salutem ingessit. Dicit igitur[Quia non est Propheta]qui tamen ex spiratione accepta,potens est in opere & sermone,sicut dicitur *Luc.*24. [sine honore] reuerentiæ sibi propter Dei dona, quæ in ipso sunt,exhibendo. *Esther* 6. Sic honorabitur quem Rex voluerit honorare. *Psa.*20.Gloriam & magnum decorem posuisti super eum[nisi in patria sua] in qua scitur quod principia eius humilia sunt : & Dei dona in ipso non considerantur [& in cognatione sua]quæ eum sibi similem esse existimat [& in domo sua] ex qua secundum carnem processit.Vnde *Hilarius* : Inhonoratur Dominus à suis; quamquam & docendi prudentia, & operandi virtus, ad admirationem moueat.Ioseph in patria sua affligitur à fratribus : in Ægypto ab extraneis sublimatur *Genes.*41.*Num.* 12. Maria & Aaron Moysen obiurgant propter vxorem Æthiopissam.Et *Num.*16.Chore,Nadab, & Dathan, & Abiron & alij quidam : & Leuitæ contra Aaron & Moysen surrexerunt. *Genes.* 12. Abraham in Chaldæa affligitur: & ideò dicitur ei: Egredere de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui. *Matth.*7. Dicitur.Inimici hominis domestici ipsius.Sic ergo quasi in omnibus est,quod is in quo Dei dona sunt,à suis despicitur, & ab extraneis honoratur. Sic & Saluator à Iudæis abiicitur, & à gentibus adoratur[& non poterat] non de impotentia, sed de inconuenientia: non enim conueniens fuit margaritas spargere ante porcos [virtutem vllam facere]quia ea quæ fecit irridebant,& contrariæ virtuti Dæmonis attribuebant[nisi paucos]deuotos & fideles[impositis manibus] deificis [curauit] ab infirmitatibus suis. *Matth.*9.Impone manum tuam super eam & viuet. *Marci.vl.*Super ægros manus imponent, & bene habebunt ;& mirabatur propter incredulitatem illorum] *Beda* : Non quasi de improuiso, sed mirandum ostendit : quia nec Prophetis credunt, nec ipsi quem præsentem cernebant. Ideo dicitur *Eccles.*11. Non spernàs hominem in visu suo, hoc est,propter hoc quod humilia vides in ipso. Breuis enim in volatilibus est apis,& initium dulcoris habet fructus eius:quia si aliquis mel contemnat, ideo quod breuissima & indecora apis inter volatilia illud fructificat,ille stultus reputatur.

Et circuibat castella in circuitu docens.

Antipophora est. Posset enim aliquis dicere quod Christus aliquid omisisset de contingentibus circa suos, & quod ideò erant increduli : & ideò obuiat dicens, quod nihil omisit : quia frequenter[circuibat castella] non tantum ciuitates habitationis eorum vndique in circuitu prouinciæ[docens] & doctrinam per miracula & exempla confirmans. *Matth.*4. Circuibat Iesus ciuitates & castella prædicans, & docens Euangelium regni. *Psal.*26. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vocif. rationis.

Et conuocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos,& dabat illis potestatem spirituum immundorum.

Hic incipit pars secunda:in qua famæ potestatis leonis per ministrorum missionem ostenditur declaratio.Et habet quatuor paragraphos.In quorum primo significat missorum potestatem & auctoritatem. In secundo, tangit eorundem per obseruantias institutionem. In tertio, innuit non recipientium eos condemnationem. In quarto autem, Missorum per ministerium suum tangit fructum & vtilitatem. In primo horum facit tria: ostendit enim hanc missionem esse missionis Apostolicæ principium : & ostendit mutuæ societatis eorum solatium:& confert eis contra impedimentum diaboli(aliàs diabolicæ)potestatis,sancti Spiritus adiutorium.

De primo dicit [& conuocauit duodecim] in vnum cor, & in vnam fidem, & in vnam animam, & in vnam veritatem prædicandam. *Ephes.* 4. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. *Psal.* 49. Congregate illi sanctos eius : qui ordinant testamentum eius super sacrificia. *Genes.* 49. Congregamini filij Israël congregamini : & audite Israël patrem vestrum.Duodecim autem conuocauit:quia isti Hierarchæ erant, & ordinatores aliorum. Vnde *Luc.* 9.dicitur quod misit & alios septuaginta duos in omnem ciuitatem, & gentem (aliàs locum) quo erat ipse venturus. Sed illi mittebantur vt Presbyteri : duodecim autem vt Episcopi & maiores Prælati[& cœpit eos mittere]hoc est, prima missione misit eos,quando dixit *Matth.*10. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis : ite tantum ad oues quæ perierunt domus Israël. Hæc enim fuit prima missio,in quam mittere cœpit. Post Resurrectionem autem misit ad gentes.Et hæc fuit vltima & completa missio ad prædicandum,quando dixit *Mar. vlt.*Ite in orbem vniuersum,& prædicate Euangelium omni creaturæ. Cœpit autẽ mittere [binos] quia charitas minus quam inter duos haberi non potest. Et quia adhuc infirmi erant : vt haberent mutuæ societatis solatium.*Prouerb.*18. Frater qui iuuatur à fratre est quasi ciuitas firma. *Eccles.* 4. Melius est esse duos quam vnum:habent enim solatium mutuæ societatis.Væ soli,quia si ceciderit, non habet subleuantem. Quando autem perfecti erant in spiritu post Resurrectionem,& Ascensionem, & Spiritus sancti perceptionem : misit eos simpliciter siue binos,siue solos, quia tunc erant Spiritu sancto solidati. Sic ergo misit, vt ex missione haberent auctoritatem.*Luc.*10.Ite, ecce ego mitto vos. *Matth.*10. Ecce ego mitto vos. *Isa.*6. Ecce ego,mitte me. *Ierem.* 1. Ad omnia quæ mittam te, ibis : & quæcunque mandauero tibi, loqueris ad eos [& dabat illis potestatem spirituum immundorum]hoc est ; dabat illis potestatem spiritus sancti : qua potestate possent compescere spiritus immundos,ne possent impedire audientes se à fidei receptione & sacramentorum. Et hanc potestatem exercet Ecclesia in suis exorcismis. *Ioan.*20.Accipite spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata,remittuntur eis. *Luc.*19. Dedit illis potestatem super omnia dæmonia : & vt languores curarent.

Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : non peram, non panem, neque in zona æs,sed calceatos sandaliis : & ne induerentur duabus tunicis.

Secundus est paragraphus, in quo tangit ministrorum per obseruantias institutionem. Tanguntur autem in hoc paragrapho duo,scilicet,institutio pertinens ad viam,& institutio pertinens ad hospitium. In primo dicit septem, quorum primum est vniuersaliter tollendorum in via prohibitiuum, cùm dicit [Et præcepit eis] in prima missione[nequid]hoc est,aliquid pretermcessariorum [tollerent in via] vt tota solicitudo eorum congregata conuerteretur ad euangelizandum. Tunc enim misit amatos, non odiosos ad fratres & oues, qui semper apud se repositam habebant decimam, quæ peregrinis debebatur,sicut dicitur *Exod.*22. Sicut enim dicitur *Deut.*10. Dominus amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum. Præterea illi,ad quos tunc missi,à patribus instituti erant ad hospitalitatem ; & ideò de necessariis nihil oportuit eos esse solicitos. *Mat.*6.& *Luc.*12. Nolite soliciti esse dicentes:Quid manducabimus aut quid bibemus:Scit enim Pater vester cælestis quid vobis necesse sit.*Psalm.*77.Male locuti sunt de Deo ; dixerunt:Nunquid poterit Deus parare mensam populo suo ? nunquid & panem poterit dare ?

Nisi virgam tantùm] Hoc est secundum, vbi concedit sustentantium accipiendi potestatem. Et videtur esse contrarium *Matth.*10.& *Luc.*9. Vbi inhibet in via accipere baculum. Ad hoc dicendum quod ista institutio, quam super *Matthæum* notauimus, non fuit nisi per primam missionem, in qua non odiosi erant Apostoli : & mittebantur ad eos, qui hospitales erant, & apud se vnam trium decimarum habebant semper repositam, per quam peregrinis recipiendis sufficiebant. Virga autem significabat tria, secundum tres actus ipsius. Sustentat enim lassum, dirigit regendum, & defendit & impugnat. Et quoad primos duos actus virga hic conceditur. Quia per virgam secundum quod sustentat lassum,potestas intelligitur accipiendi ea,quæ ad sustentationem pertinent necessitatis, ab his, quibus euangelizatur : vnde *Luc.*9. dicit ; quod dignus est operarius cibo suo. Et *ibidem.* Edentes & bibentes,quæ apud illos sunt. *Galat. vltim.* Communicet is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. 1.*Corinth.*9. Dominus ordinauit his,qui Euangelium annuntiant,de Euangelio viuere.Hoc igitur significat virga sustentationis lassi ; virga autem dirigit regendum,sicut dicitur in *Psalm.*44. Virga directionis,virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem. *Exod.*4.Virgam quoque hanc tolles in manu tua, in qua facturus es signa. Et hoc modo iterum hic conceditur virga. Tertius vsus est virgæ percussionis & defensionis : & quia Apostoli non erant armati, nemo eos in hac missione impugnauit ; & ideò virga in hoc vsu interdicitur. *Matth.*10. *Luc.*9. & *Isa.*14. Contriuit Dominus brachium (aliàs baculum) impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem crudeliter. 1.*Timoth.*3. Inter cætera quæ de Episcopo dicuntur, dicitur,quod oportet eum non esse percussorem. Sic igitur virga hic interdicitur.

Non peram] Tertium est quod interdicitur. Pera autem significat gestatorium oneris sæculi, sicut dicit *Gloss.* Et hoc est, quando Euangelium conuertitur in quæstum, sicut faciunt quæstuarij. 1.*Timoth.*6. Æstimantium quæstum esse pietatem. *Sapient.*15. Æstimantes vitam hominum compositam esse ad lucrum : & oportere vndecunque, etiam ex malo acquirere. Hanc peram portant, qui cum Giezi vendunt Sacramenta & gratias ; vel emere intendunt cum Simone & Iasone. De Giezi 4.*Reg.*5. De Simone. *Act.*8.De Iasone 2.*Machab.*4. Sic ergo pera, Euangelici quæstus seruatorium,interdicitur.

Non panem] hoc est quartum, huius iam assignata est ratio: quia panem sibi debitum in omni loco inuenerunt paratum in prima missione in repositione decimæ, qui pauperibus debebatur. Vnde *Matth.*16.Quid cogitatis inter vos modicæ fidei,quia panes non habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis ? Neque septem panum in quatuor millia hominum : & quot sportas sumpsistis ? *Sap.*16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore. *Genes.*48. Domine qui pascis me à iuuentute mea. Tamen *Gloss.* dicit quod in pane prohibet delicias. *Genes.*49. Aser, pinguis panis: & præbebit delicias regibus.

Neque in zona æs] ad emendum viaticum. Et tunc videtur esse contrarium quod dicit *Ioan.*4. Vbi dicit, quòd discipuli abierunt in ciuitatem vt cibos emerent.Sic ergo Dominus portabat æs quo emebantur necessaria : & tunc etiam debuit illud concedere Apostolis.Adhuc autem *Ioan.*13. habebat loculos : & ea quæ mittebantur portabat. Videtur ergo, quod & Apostoli exemplo Domini ista portare debuerant. *Ioan.*13. Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.Ad hoc dicendum,quod nunquam prohibuit Dominus simpliciter ne æs in zonis portaretur: sed prohibet eis(aliàs æris)solicitudinem,vbi æs non est necessarium : apud amicos autem hospitales, & eis qui habent apud se vnde tenebantur ex lege recipere, non erat æs necessarium: & ideò ibi prohibet : & ad tales in prima missione Apostoli mittebantur : & ideò in illa missione prohibuit. *Luc.*22.quando misi vos sine pera & sine sacculo,& sine calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Et illi dixerunt : Nihil. Sacculus autem idem signat apud *Lucam*, quòd in zona æs apud *Marcum*.Ad id ergo quod obiicitur de Domino : Dicendum, quod cibos emi fecit in ciuitate Samaritanorum, qui peregrinos Iudæos non receperunt ; quia ibi erat æs necessarium, & ideò patet quod non est instantia ; quia in ista missione interdixit Apostolis, ne intrarent in ciuitates Samaritanorum. Ad aliud dicendum, quod iste Dominus cum Discipulis factus fuerat odiosus

odiosus,propter veritatis prædicationem: & ideò cogebatur recipere quæ amici mittebant, vt necessaria emerentur: & hoc in tali casu etiam non interdixit Apostolis. Vnde *Luc.*22. Et nunc qui habet peram tollat, similiter & sacculum: & qui non habet,vendat tunicam,& emat gladium. Nec hoc est contra Christi exemplum, vel verbum.

Sed calceatos sandaliis] Sextum est. Et videtur esse contrarium ad id quod dicitur *Matth.*10. & *Luc.*9. vbi prohibentur calceamenta. Sed ad hoc dicendum, quod sandalium non est calceamentum sed solea, qua sola planta ab attritione vel punctione spinarum,vel aliarum acutarum rerum obuiantium in via defenditur: ne læso pede iter Euangelizantis impediatur. Per calceamentum autem superfluus cultus intelligitur calceorum: & ideò non est contrarium. In terra enim calida sufficit vsus solearum: & in terra glacialibus frigoribus constricta non interdicitur vsus calceorum,& caligarum. *Act.*12. Præcingere, & calcea te caligas tuas. Hinc inoleuit vsus,quod Episcopi vtuntur sandaliis. *Cantic.*7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. *Eph.*6. Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.

Et ne induerentur duabus tunicis] Duæ tunicæ sunt duæ induuiæ tunicarum, quarum altera est ad necessitatem,& altera ad decorem: & idem est ac si dicat, non habeatis mutatoria vestimentorum: quia & Dominus quinque genera vestium legitur habuisse *Ioan.*19. Sed quia omnes erant necessariæ: ideo omnes pro vnica tunica computantur: & ideò dicit *Glossa.* Ne vnam induti,aliam in futuro seruent: quia hoc esset superfluum, & esset habere mutatoria vestimentorum: & ideò addit *glossa.* Non quod vna tunica in locis glacialibus contenti esse debeamus. De talibus enim superfluis dicit *Iacob.*5. Vestimenta vestra à tineis comesta sunt: diuitiæ vestræ æruginauerunt, & ærugo earum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis.

Et dicebat eis: quocunque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde.

Tangit hîc inuiolabilis hospitij institutionem: & est tantùm vna institutio: quod scilicet, per domos non discurrant: quia hoc signum esset animi vagabundi, & instabilitatis, sicut dicitur *Prou.*7. de muliere vaga, garrula, quæ quietis est impatiens, & non valet in domo consistere pedibus suis, nunc foris,nunc in plateis. 2.*Timoth.*3. Ex his qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis: & hos deuita: *Ierem.*14. Populus hic dilexit mouere pedes suos, & Domino non placuit. Vtile enim est vt doctor veritatis, & pastor animarum, locum habeat notum, in quo ab omnibus certissimè possit requiri. Tamen quamuis honestum præcipiat eligere locum, & hospitem: tamen contributionem pro expensis ab aliis faciendam non interdicit. Vnde Apostolus laudat Philippenses,*vltimo*: quia tales filij mittebant contributiones, dicens: quia & Thessalonicam semel & bis misistis in vsum mihi. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratione vestra. Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.

Et quicunque non receperint vos, nec audierint vos,exeuntes inde,excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis.

Tangit hîc pœnam non recipientium prædicatores salutis. Dicit ergo [Quicumque non receperint] hospitio [nec audierint] id est audire noluerint: verbum salutis à vobis [exeuntes] de domibus & ciuitatibus illorum[excutite puluerem] qui significat laborem vestri itineris susceptum pro salute illorum [de pedibus vestris] Quod erit signum, quòd animas vestras liberastis, faciendo quod in vobis est; nec effugistis laborem, vt illi saluarentur [in testimonium illis] ne iniustè condemnentur, qui salutem sibi oblatam recipere noluerunt. Vnde *Matth.*10. & *Luc.*11.additur. Tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die illa,quàm illi ciuitati,quoad hoc, quod perfectæ gratiæ prædicatores ad illos non sunt missi. Sic puluerem pedum excussit Paulus *Act.*20. quando dixit: Innocens ego sum à sanguine omnium vestrum. Non enim effugi quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei. Sic dicit Dominus *Ezech.*3.Si dicente me ad impium,morte morieris: tu autem annuntiaueris ei, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, tu animam tuam liberasti:& ille in peccato suo morietur.Hæc igitur est expositio literalis. Alias autem expositiones in *Matthæo* & in *Luca* aliquis requirere poterit.

Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur.

Tangitur hîc istius legationis fructus & vtilitas. Tanguntur autē hîc quatuor,scilicet,doctrina in verbo,quam notat quando dicit [Et exeuntes[de præsentia contemplationis vultus Domini. *Isa.*30. Egtedere & dic eis *Cant.*7. Egrediamur in agrum: commoremur in villis [prædicabant] verbo doctrinæ. *Prou.*5. In plateis aquas tuas diuide. *Marc. vlt.* Docete omnes gentes. Prædicabant autem [vt pœnitentiam agerēt] quia sic etiam Christi prædicatio & Ioannis Baptistæ, incipiebat *Matth.*4. & *Luc.*4. Pœnitentiam agite,appropinquauit(alias appropinquabit)enim regnum cælorum. Pœnitentia enim tabula est, per quam euadunt naufragium passi: & est prima virtus eius, qui à peccatis recedere intendit. *Act.*3. Pœnitemini igitur, vt deleantur vobis peccata [Et dæmonia multa eiiciebant] Secunda vtilitas est in compescendo vim dæmonis per exorcismos factos in nomine Christi. *Luc.*10. Domine in nomine tuo etiam dæmonia subiiciuntur nobis. Dicit autem[multa]quia infra dicent,quod quendam eiicere non poterant,propter fidei suæ paruitatem: quem tamen Christus eiecit in oratione & ieiunio[& vngebāt oleo]sacrato & infirmorum [multos ægros] Et hæc est tertia vtilitas, quæ est dispensatio Sacramentorum:& ab hinc intelligitur institutum Sacramentum extremæ vnctionis. *Iacob.*5. Inducat presbyteros Ecclesiæ, vngentes eum oleo:& oratio fidei sanabit infirmum. *Ps.*88. Oleo sancto meo vnxi eum: nihil proficiet inimicus

micus in eo[& sanabantur] quarta vtilitas in effectu Sacramentorum. Sanabantur autem & in anima, & in corpore. *Psal.*102. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Hoc est igitur quod dicit de institutione suorum Legatorum.

Et audiuit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) & dicebat: Quia Ioannes Baptista resurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant: quia Elias est. Alij vero dicebant: quia Propheta est, quasi vnus ex Prophetis. Quo audito, Herodes ait: Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis resurrexit.

Hoc est quartum, quod est de celebritate famæ gratiæ Christi: in quo per accidens inducitur de decollatione Ioannis Baptistæ. Habet autem hæc pars duas partes, in quarum prima tangitur famæ Christi celebritas: in secunda autem, Herodis interpolando Ioannem ferocitas, *ibi*[ipse enim Herodes] in prima harum tanguntur quinque, quorum primum est famæ Christi celebritas: secundum est opinionis Herodis falsitas: tertium est dicentium Christum esse Eliam probabilitas; quartum est dicentium Christum esse Prophetam quædam opinata veritas: quintum & vltimum, erroris Herodis obstinata cæcitas. Et hæc per ordinem in litera continentur. Dicit igitur[& audiuit] exeuntibus Apostolis, & vbique odorem suauitatis diffundentibus[rex Herodes] 2. *Cor.*2. Christi bonus odor sumus Deo, in his qui pereunt: & in his, qui salui fiunt. Et *ibidem.* Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. Sic ergo etiam ad Herodem odor gratiæ Christi peruenit [manifestum enim factum est]omnibus[nomen eius]quod inuocabatur ab Apostolis, quod inuocatum sanitates conferebat ægrotis. *Act.*4. Non est aliud nomen datum hominibus sub cælo, in quo oporteat nos saluos fieri. *Philipp.*2. Dedit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.

Et dicebat Herodes] falsa opinione deceptus [quia Ioannes Baptista resurrexit]audierat enim à Iudæis de resurrectione mortuorum: & quod resurgentes fortioris sunt virtutis, quàm adhuc animaliter viuentes. Resurrexit[à mortuis]qui tantæ fuit virtutis, quod Christus credi potuisset [& propterea] quia corpora resurgentium, & ipsi resurgentes maiorum sunt virtutum [virtutes] immortalis vitæ [operantur] ad facturam miraculorum[in illo]Ioanne resurgente: vnde *Beda.* Benè sentit de resurrectione, quod scilicet maioris potentiæ sunt futuri post resurrectionem. Et ideò quamuis Ioannes ante mortem signum fecerit nullum, sicut dicitur *Ioan.*10. tamen quia virtutes resurgentium sunt maiores & validiores, quam mortaliter & animaliter viuentium, putabat quod virtutes Ioannis resurgentis modo operarentur in Ioanne ad operationem miraculorum.

Alij autem] quidam [dicebant]probabilius dicentes[quia Elias est] hic enim Elias tantæ fuit virtutis, vt & mortuum suscitaret 3. *Reg.*17. Vt & ignem de cælo deponeret 4. *Reg.* 1. Tamen & isti minus quàm verum esset dicebant [alij autem]sapientiam, quæ non humano modo acquisita fuit considerantes[dicebant: quia Propheta est] in lege *Deut.*18. promissus[quasi vnus]per inspirationem diuinam habens sapientiam [quasi vnus ex Prophetis] *Ioan.*6. Hic est verè Propheta qui venturus est in mundum. *Luc.*24. Fuit vir Propheta potens in opere & sermone coram Deo, & omni populo. Isti ergo minus quàm in veritate esset, dicebant

Quo audito Herodes] de diuersis hominum fallacibus opinionibus [ait] in falsa sua opinione perdurans [quem ego] tunc infirmum [decollaui Ioannem]& confitetur suum scelus in gloriam suæ turpitudinis. *Prouer.* 2. Lætantur cum malefecerint: & exultant in rebus pessimis. *Psal.*51. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate [hic]Ioannes deuicta morte; & mortis infirmitate [à mortuis resurrexit] & ideò nunc tam validæ est virtutis, quòd signa super vires hominum existentia operatur,

Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes Herodi: non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi; & volebat eum occidere, nec poterat. Herodes autem metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum; & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

Hic incidenter tangit historiam de decollatione Ioannis Baptistæ: quæ quidem historia secundum veritatem non est Euangelica, cùm non sit de Christo: sed quia in Christi nomine fecit quæ fecit; ideo in Euangelio historia hæc describitur: & diuiditur in tres partes, in quarum prima tangitur causa decollationis eius: in secunda modus: & in tertia sepultura. In causa decollationis adhuc tria continentur, scilicet, causa in communi, & causa in speciali, & machinatio Herodiadis in mortem Ioannis, quæ potissima fuit causarum. De primo dicit[ipse enim Herodes]qui versipellis interpretatur, qui pium se finxit cùm crudelissimus esset. *Luc.*13. Dicite vulpi illi, quia Dæmonia eiicio, & sanitates perficio hodie & cras; & die tertia consummor: vnde sicut sitiuit sanguinem Ioannis, vt sine reprehensione viueret in consueto contubernio; sic adhuc timens à Christo reprehendi, Christum occidere quærebat. *Luc.*13. Transi hinc, quia Herodes quærit te interficere. Hic ergo Herodes, filius eius qui pueros interfecit [misit]ministros sceleris sui [ac tenuit] captiuum[Ioannem]innocentem [& vinxit eum in carcere] vt se probaret malitiæ paternæ [illegible] & hoc fecit propter Herodiadem]adulteram, & incestam, & [illegible] vxorem Philippi fratris sui hoc est, Herodis, qui Philippus tetracha fuit Ituræ & Trachonitidis regionis sicut dicitur *Luc.*3. [illegible] adhuc viuente Philippo[duxerat]Herodes quia secundum legem

legem erat morte plectendum crimen. *Deut.* 22. Qui duxerit vxorem fratris sui, fecit rem illicitam, vterque moriatur. Post mortem quidem fratris potuisset duxisse: vt semen fratri defuncto suscitaret, sicut dicitur *Deut.* 25. Glossa autem marginalis tangit historiam qualiter hoc accidit, dicens: vetus historia narrat Philippum maioris Herodis fuisse filium, & fratrem Herodis, sub quo passus est Dominus: & duxisse vxorem Herodiadem, filiam Arethæ Regis: & postea Aretham ortis simultatibus, filiam suam tulisse, & Herodi inimico Philippi, in dolorem ipsius copulasse. Et quia hoc arguit Ioannes, vinctus fuit.

Dicebat enim Ioannes] & tangit causam in speciali [non licet tibi habere vxorem] alterius: & multo minus tibi licet habere vxorem [fratris tui] quia Herodes vt magis acceptus esset Iudæis, & regnare posset super eos, legem acceperat Iudæorum. *Malach.* 2. Contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit, hoc est, matrimonium, & habuit filiam Dei alieni: quia Herodias gentilis fuit. Disperdat Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum de tabernaculo Iacob. Vnde sicut Elias arguit Achab per Iezabel 3. *Reg.* 19. & ideò Iezabel insidiabatur Eliæ. Ita Ioannes arguit Herodem de Herodiade: & ideò Herodias insidiabatur Ioanni. Et hoc est quod sequitur

Herodias] delectata in incestu Herodis [insidiabatur illi] hoc est, Ioanni. *Psal.* 9. Sedet in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem [& volebat illum occidere] latenter. 3. *Reg.* 19. Ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sicut Iezabel quæsiuit occidere Eliam [nec poterat] satisfacere malitiæ. *Iob* 5. Dissipat consilia prauorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Quare autem non poterat: subdit [Herodes autem metuebat Ioannem] propter Iudæos super quos regnare ambiuit: qui Ioannem sanctum & magnum habebant: & ideò non metuebat metu reuerentiæ: quia quo sanctiorem sciuit, libentiùs occidisses: sed metu illo, quòd tumultus inter Iudæos pro morte eius fieret; & ipse sic de regno deponeretur. 3. *Reg.* 22. Est hic Propheta Domini, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non Prophetat mihi bonum, sed semper malum [Sciens eum virum iustum] & ideò esse obiurgatorem vitiorum. *Isa.* 58. Clama, ne cesses: annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum [& sanctum] & ideo stupra & incestum detestantem. 2. *Corint.* 6. Quæ societas lucis ad tenebras: aut quæ pars fidelis cum infideli? [& custodiebat eum] ne ab Herodiade posset occidi. Hoc tamen non amore iustitiæ faciebat: sed illa de causa quæ dicta est: quia vulpes versipellis erat [& audito eo] Ioanne [multa faciebat [simulatoriè, & non ex veritate. Dicit autem [multa] quia non faciebat: sed quædam alia in quibus vis non fuit. *Mat.* 23. Liquantes culicem: camelum autem glutientes. Et *ibidem.* Decimatis mentam & ciminum & omne olus: & relinquitis ea quæ grauiora sunt legis. Iste enim adulterium & incestum non dimisit: sed quædam parua, in quibus vis non erat [& libenter eum audiebat] hoc est, se audire simulabat. *Prouer.* 11. Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia. *Iob* 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei.

Et cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cúmque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, simulque recumbentibus, Rex ait puellæ: pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi: quia quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.

Tangit hic modum decollationis Ioannis: modus autem accipitur partim ex parte Regis, partim ex parte puellæ petentis, & partim ex parte Herodiadis: & ideo habet tres partes. Ex parte Regis tria inducuntur: profani festi celebratio: turpis ludi delectatio: & stultæ promissionis obligatio. De primo dicit [& cum dies opportunus] ad profanum festum celebrandum [accidisset] annua reuolutio [Herodes in natali die suo] quo maledictus ex maledicto, & ad maledictum natus fuit [cœnam] quæ solennior esse consueuit quàm prandium [fecit] cum magno apparatu [principibus] maioribus [& tribunis] inferioribus, qui prouinciis & ciuitatibus præerant [& primis] qui loco senatorum erant [Galilææ] *Isa.* 1. Solennitates vestras odiuit anima mea. *Psalm.* 48. Vocauerunt nomina sua in terris suis. *Gen.* 11. Celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in terras. *Osea* 7. Dies regis nostri cœperunt principes furere à vino: extendit manum suam cum illusoribus. *Gloss.* Soli Herodes & Pharao leguntur natalis sui diem celebrasse: & vterque solennitatem sanguine fœdasse. Sed Herodes tanto nequius, quanto sanctum, & veritatis doctorem, & regis cælestis præconem occidit: & pro voto saltatricis, caput occisi ante conuiuas inserere non puduit. Pharao peccantem eunuchum occidit. Vtriusque exemplo, melius est nobis diem mortis semper commemorando timere, quam diè natiuitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur: & sancti per mortem transeunt ad requiem. Et ideò *Iob* 3. Pereat dies in qua natus sum. *Hieron.* Nullum alium legimus celebrasse diem natalis sui, nisi Herodem & Pharaonem: vt quorum par erat impietas, esset vna solennitas.

Cúmque introisset filia ipsius Herodiadis] hæc filia videtur non fuisse filia Philippi: quia cùm Ioannes pro Philippo loqueretur, filia contra Patrem caput Ioannis non petiisset: neque videtur filia fuisse Herodis: quia de hoc non fit mentio in litera; cùm tamen pater magis commemoretur in natis, quàm mater: & quia nomen patris tacetur, videtur vilem & ignobilem habuisse patrem, eo quod Herodias semper scorto dedit operam. Saltatrix enim non esset (nisi filia alicuius ignobilis) saltibus histrionicis coram Herode & principibus. *Eccles.* 9. Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam: ne forte pereas in efficacia illius. Hæc autem efficacia est, qua curuatur ad libidinis gestus: & tecta nudat, & exhibet efficaciter ad libidinem [& placuisset Herodi] filia enim saltibus libidinem Herodis prouocabat, qua mater impia scortatoris libidinem satiabat [simulque recumbentibus] qui libidini studebant sicut & ipse Herodes. *Eccles.* 9. Ne des fornicariis animam tuam in vllo tempore: ne perdas te & animam tuam & hæreditatem tuam.

Rex

Rex ait puellæ] stulto & impio se astringens promisso (alias iuramento) Pete à me quod vis] Non debuit in voto impudicæ ponere, quòd peteret quod vellet: quia illa non nisi malum velle dignoscebatur [& dabo tibi] quod satisfacit impudicæ voluntati [&] quod stultius est [iurauit illi] indiscretè se obligauit [quia quicquid petieris, dabo tibi] Profusæ hoc fuit prodigalitatis [licet dimidium regni mei] Saltatrici talia dona promittere, stultissimum fuit: promittere autem tanta simpliciter profusæ fuit prodigalitatis. *Beda.* Non excusatur à periurio: ideò enim forte iurauit, vt occasionem inueniret occidendi. Et si illa patris aut matris interitum postulasset; non vtique consensisset Herodes: vnde periurus erat iurando illicitum. *Exod.* 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum.

Quæ cùm exisset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Ioannis Baptistæ. Cúmque introisset statim cum festinatione ad regem, petiuit dicens: Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.

Quæ cum exisset] extra conuentum recumbentium [dixit matri suæ] Tangitur secundus modus ex parte puellæ, qui est petitio consilij ab incesta & impia matre. *Ezech.* 16. Filia matris tuæ tu es. *Tob.* 4. Consilium à sapiente require. Ab incesta enim non requiritur nisi consilium turpe [At illa dixit] læta quod nacta fuerat opportunitatem Ioannem occidendi: & est tertium, quod est modus ex parte impiæ] matris Herodiadis: & tanguntur hic quatuor, scilicet, matris impium consilium, filiæ scurrilis statim acquiescentis votum, Regis simulatoris & versipellis ad decollandum edictum, & caput allatum, datum in saltus, & scorti præmium. Dicit igitur [caput Ioannis Baptistæ] petes. Timebat enim sicut dicit *gloss.* ne aliquando resipisceret: vel amicus fratris efficeretur, propter verba Ioannis: & ideò linguam Prophetæ, quæ scortum detestabatur, voluit habere in potestate. *Eccles.* 25. Non est caput nequius super caput colubri: & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam [Cúmque introisset statim cum festinatione ad regem] ne aliud interueniret consilium. *Ierem.* 8. Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus vadens impetu in præceps [petiuit] voto cum matris voluntate concordante [dicens] vt talis matris filiam se esse probaret [Volo vt protinus] non adhibito consilio saniori [des mihi in disco] Discus est scutella lata in medio aliquantulum concaua [caput Ioannis Baptistæ] Huius enim sanguinem inter dapes esurio, & inter vina sitio. *Apocal.* 17. Vidi mulierem ebriam sanguine sanctorum. *Eccles.* 25. Brevis est omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat super eam.

Et contristatus est Rex: propter iusiurandum, & propter simul recumbentes, noluit eam contristare: sed misso spiculatore præcepit afferri caput eius in disco. Et decollauit eum in carcere, & attulit caput eius in disco & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.

Hic tangitur Regis ad decollandum imperium: tanguntur autem hic quinque, scilicet, nefanda versipellis religio: detestanda perniciosi contristatio; abominanda saltatricis placatio: crudele præceptum, & miserabile ludi præmium. Dicit igitur [Et contristatus est rex] simulatoriè, non verè vt dicit *gloss.* 2. *Timoth.* 3. Habentes speciem pietatis; virtutem autem eius penitùs abnegantes. *Prouerb.* 12. Viscera impiorum crudelia [propter iusiurandum] se simulauit esse contristatum, qui hoc ipso quod illicitè iurauit periurus fuit, & in turpi voto decretum mutare debuit. *Ierem.* 5. quod si etiam, Viuit Dominus, dixerint: & hoc falsò iurabunt [& propter simul discumbentes] coram quibus iurauit: & simulat se contristari, ne illi eum periurum & variabilem in promissis existimarent. Illi autem omnes erant sibi similes & scelesti sicut ipse: & ideò verecundatur, si scelestus coram eis non videretur. *Eccles.* 27. Volatilia ad sibi similia conueniunt [noluit eam contristare] quod pessimum fuit, quia talem fatuam compescere debuit, & punire propter crudelem petitionem. *Eccles.* 9. Ne des mulieri potestatem causæ tuæ ne ingrediatur in virtute tua & confundaris [Sed misso spiculatore] hoc est, eo qui spiculum ex officio portabat, quo capita damnatorum amputabantur [præcepit] crudeli edicto [afferri] ante conuiuas [caput Ioannis in disco] *Gloss.* Vult omnes simul sceleris sui esse consortes: vt in luxurioso conuiuio cruentæ epulæ deferrentur. *Apoc.* 16. Dedisti eis sanguinem bibere sicut digni sunt [& decollauit eum] spiculator minister sceleris [in carcere] quia ad iudicium publicum suum ipsum producere noluit. *Isa.* 59. Qui recessit à malo, prædæ patuit [Et attulit] spiculator ad conuiuas [caput eius] hoc est Ioannis [in disco] vt satiaretur fœmina crudelis sanguine Prophetæ [& dedit illud puellæ] saltatrici in præmium [& puella dedit matri suæ] in ludibrium: vt illi mortuo illuderet, qui suum incestum detestabatur: sicut Iezabel occidi fecit Naboth: & sicut minata est occisionem Eliæ. *Eccles.* 35. Omnis malitia, nequitia mulieris.

Quo audito Discipuli eius venerunt, & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento.

Tangitur hic de sepultura Baptistæ [Discipuli enim audito] quod factum erat [venerunt] ad corpus quod Rex ipsis reddi iussit [& tulerunt corpus eius, & posuerunt illud] feudenter [in monumento] Et sicut dicitur *Luc.* 9. Venientes nuntiauerunt Iesu. Dicit autem *gloss. Bedæ:* quod Iosephus narrat Ioannem vinctum in castellum Macheronta adductum, & ibi truncatum. Ecclesiastica narrat historia in Sebaste vrbe Palestinæ, quæ dicta est quondam Samaria tempore veto Iuliani, paganos inuidentes Christianis (qui sepulchrum eius solicitè frequentabant) monumentum inuasisse, & ossa eius per campos dispersisse: & rursus collecta igni tradidisse, ac denuò per agros sparsisse. Fuisse tamen ibi de Ierosolymis monachos, qui immisti paganis ossa legentibus, maximam eorum partem congregauerunt, & ad Philippum Ierosolymam deuulerunt: & ille ea misit Athanasio

nasio Alexandriæ vrbis Apostolo: & ibi postea seruata, Theophilus (iubente Theodosio) omnibus gentium phanis destructis, expurgato à sordibus templo Serapis, ossa eadem ibidem posuit, & tunc basilicam in honorem sancti Ioannis consecrauit. Hæc in *Gloss.*

Et conuenientes Apostoli ad Iesum, renuntiauerunt illi omnia, quæ egerant, & docuerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.

Hæc est quarta pars, in qua Apostoli redeuntes de legatione sibi iniuncta, relationem fecerunt ad Dominum: habet autem tres paragraphos, in quorum primo præinducta ponitur relatio: in secundo, post actionem virtutis, de quiete in contemplatione veritatis ponitur instructio. Quia autem hanc in deserto fieri docet, ideò tertiò ostenditur causa esse huius, hominum nimia frequentatio. Dicit igitur [Et conuenientes Apostoli ad Iesum] in vna deuotione & gratiarum actione. *Psalm.*101. In conuertendo populos in vnum, & reges vt seruiant Domino. *Eccl.*1. Ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. *Iob* 38. Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & reuertentia dicent tibi. Adsumus: q.d. Non tu, sed ego, *Baruch* 3. Qui emittit lumen, & vadit: & vocauit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus. Et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas [renuntiauerunt omnia quæ egerant] in virtutum operibus, & exemplis, & miraculis: vt de singulis gratias exhiberent. 1.*Thess.*5. In omnibus gratias agite. *Genes.*37. Renuntia mihi quid agatur. Hoc est holocaustum gratiarum actionis, quod in igne deuotionis totum Deo incenditur: quod beatus Iob offerebat per singulos filiorum suorum *Iob* 1. Consurgens diluculo offerebat holocausta per singulos [& docuerant] vt coram Domino conferrent, an rectè docuissent. *Galat.*2. Contuli cum illis Euangelium, quod predicò in gentibus: ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. Et hinc originem accepit examinatio Episcoporum & Doctorum.

Et ait illis] omnium illuminator Dominus, vt ad quietem contemplationis informaret, & inducerer [venite] sapientiam quæ est in me sequendo. *Psalm.*33. Accedite ad eum, & illuminamini. *Eccles.*40. Appropinquate ad me indocti: & congregate vos in domum disciplinæ. *Deuter.*33. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius [seorsum] sequestrando vos à vobis & vestris tumultibus. *Isa.*52. Recedite, recedite: exite, exite: pollutum nolite tangere. *Zachar.*2. O, ô, fugite de terra Aquilonis. *Psalm.*44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui [in desertum] vbi negotia non impediunt. *Eccles.*38. Qui minoratur actu, percipiet sapientiam. *Exod.*3. Minabo gregem ad interiora deserti; & videbo visionem hanc magnam. *Psalm.*131. Audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis syluæ. Introibimus in tabernaculum eius [locum] Immutabilem immobilis veritatis locationem signat. *Genes.*28. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. *Psalm.*47. Deus in loco sancto suo. *Ezech.*43. Locus scabelli pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israël [& requiescite] ab actionis labore. *Genes.*22. Expectate me hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes ibimus: & cum adorauerimus, reuertemur ad vos. Ita dixit Abraham ad seruos, qui significant actionem solicitudinis & laboris: Asinus autem, onus significat corporis: puer autem spiritus puritatem. Et significat, quod à curis & solicitudinibus, & à laboribus actionum, & onere corporis est quiescendum, & cum puritate spiritus ad contemplandam veritatem pergendum [pusillum [quia necessitas vitæ non permittit quiescere nisi pusillum: quia etiam delectatione amplexuum castorum sapientiæ reputatur pusillum. De primo dicitur *Apoc.*8. Factum est silentium in cælo (hoc est, in cælestis veritatis contemplatione) hora quasi dimidia. De secundo dicitur *Isa.*26. Abscondere paululum ad momentum: donec pertranseat indignatio mea. *Genes.*29. Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. *Psalm.*83. Melior est dies vna in atriis tuis super millia. Beatus *Bernard.* contra solicitudines. Expectate me hic cum asino corpore isto: ego & puer illuc properantes reuertemur ad vos: & heu reuertimur quam citiùs. Subtrahit enim nos à vobis amor veritatis: sed iterum nos reducit ad vos necessitas charitatis.

Erant enim qui veniebant, & redibant multi: & nec spatium manducandi habebant.

Tangit causam declinationis in desertum, dicens [Erant enim qui veniebant] ad Christum, vt audirent eum [& redibant] à Christo ad propria. *Matth.*8. Multi venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Meridie: & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum. Isti enim veniebant & redibant secundùm obedientiæ sancta mandata. *Isa.*43. Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te; dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere. Et qui veniebant ad Christum, veniebant ad veritatis contemplationem: qui autem redibant, ibant ad veritatis actionem. De primo dicitur *Isa.*2. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos de viis suis. De secundo dicit *Psalm.*83. Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion [& nec spatium habebant] Christus & Discipuli [manducandi] Venientes enim petebant doctrinam veritatis: euntes autem, dimitti volebant in gratia actionis & virtutis. Vnde *Glossa* dicit: Felix studium discentium, & felix labor docentium. *Psalm.*101. Oblitus sum comedere panem meum. Sic Christus neglecto cibo proprio dixit *Ioan.*4. Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. *Tob.*12. Ego cibo inuisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, vtor. *Glossa* tamen dicit, quòd veniebant ad gratiam accedentes, vt latro; redibant, à gratia cadentes, vt Iudas. De primo dicit *Matth.*12. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. De secundo dicitur *Ioan.*6. Nunquid & vos vultis abire? *Gloss.* Sicut in arca Noë, animalia quæ intus erant, foras mittebantur, vt coruus: & quæ foris erant, intus eruperunt: sic introducta est columba, quæ ibat & redibat. Sed hæc expositio est Allegorica: & prima est literalis.

Et

Et ascendentes in nauim, abierunt in desertum locum seorsum. Et viderunt eos abeuntes, & cognouerunt multi: & pedestres de omnibus ciuitatibus cucurrerunt illuc, & præuenerunt eos. Et exiens vidit turbam multam Iesus, & misertus est super eos: quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa.

Postquam sufficienter ostendit famæ virtutis Christi, leonis de tribu Iuda, diffusionem: tangit hîc leonis ipsius contra inediam fortitudinem: & tanguntur sex in ista historia, in quorum primo describit turbæ ad doctrinam Christi auiditatem: propter quod digna fuit Christi pastura: secundò describit Christi ad eos qui pastu indigebant miserationem, *ibi* [& exiens vidit] tertiò Discipulos instruit qualiter de officio suo pasturæ tenentur habere solicitudinem & prouisionem, *ibi* [& cum iam hora multa fieret] quartò ostendit Pastorum qua pascere debent facultatem, *ibi* [& dixit eis quot panes habetis] quintò ostendit pasturæ istius per diuinam virtutem perfectionem, *ibi* [& acceptis quinque panibus] sextò & vltimò ostendit diuinæ virtutis in pascendo quantitatem, & magnitudinem, *ibi* [& manducauerunt omnes] in primo horum duo dicit, scilicet, desiderium Discipulorum ad eundum in locum solitarium ad contemplationem, & auiditatem turbarum ad doctrinæ perceptionem.

Dicit igitur [& ascendentes] Discipuli cum Christo, quorum omnis actus ascensio fuit. *Psal.* 83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum [in nauim] qua fluctibus & tumultibus huius seculi eximerentur. *Prouer. vlt.* Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum [abierunt] à turba [in desertum] vltra mare Genesareth, quæ est Tyberiadis sicut dicit *Ioan.* 6. [Locum] solitudinis quieti deputatum [seorsum] *Exo.* 33. Est locus apud me: & stabis supra petram, hoc est, contemplando solidum veritatis: quia illum locum, gratia contemplationis post actionem Apostoli desiderabant [& viderunt eos] turbæ, quæ omnia facta eorum contemplabantur ad instructionem [abeuntes] à turbis ad desertum quietis, sicut oues quæ in aspectu virgarum conceperunt. *Gen.* 29. [& cognouerunt] turbæ quia illic erant in auditu & contemplatione veritatis [multi] quia, 1. *Tim.* 1. Vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire [& pedestres] fatigationem non sentientes. Erubescebant enim pedestrem Dominum in equis & quadrigis sequi [de omnibus ciuitatibus] qui ciuilitate legum scripturarum erant instituti. *Luca* 8. Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. Exiit qui seminat, seminare semen suum [cucurrerunt illuc] charitate veritatis eos impellente. *Psal.* 98. Viam mandatorum tuorum cucurri: cùm dilatasti cor meum, *Isa.* 40. Current, & non laborabunt: volabunt, & non deficient [& præuenerunt eos] Christum & Discipulos, *Psal.* 47. Præuenerunt principes coniuncti plaudentibus, Nimio enim desiderio præuenerunt ad locum, vbi in spiritu putabant psallere Discipuli.

Et exiens] Iesus [vidit] & est secundum istius partis. Exiuit autem extra quietem & doctrinam Apostolorum, de intimis deserti [vidit turbam] oculo miserationis, *Exod.* 3. Videns vidi afflictionem populi mei qui est in Ægypto, & gemitu eius audiui [& misertus est super eos] *Luc.* 15. Vides eũ, misericordia motus est. *Marc.* 8. Misereor super turbã, quia ecce iã triduo sustinent me: nec habent quod manducent [quia erant sicut oues] mansuetæ, obedientes, & simplices. *Isa.* 53. Omnes nos quasi oues erraumus: vnusquisque in viam suam declinabat. 1. *Pet.* 2. Eratis enim quasi oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarũ [non habentes pastorem] & ideò negligentia eorum & error non fuit ex ipsis: sed ex defectu pastoris. 3. *Reg.* 22. Vidi cunctum Israël sicut gregem dispersum in montibus: sicut oues non habentes pastorem. *Zachar.* 10. O pastor & idolum derelinquens gregem. Quia Sacerdores & Scribæ & Pharisæi neglexerunt eos [& cœpit] non nunc primò: quia sic semper in feruore fuit ac si nunc inciperet. *Psalm.* 76. Dixi nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi [illos docere multa] de regno Dei: quia licet ad vnum tendant: tamen per multas docetur similitudines. *Osee* 12. Ego visiones multiplicaui eis: & in manibus Prophetarum assimilatus sum.

Et cùm iam hora multa fieret, accesserunt Discipuli eius dicentes: Desertus est locus hic, & iam hora præteriit: dimitte illos, vt euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos, quos manducent. Et respondens ait illis: date illis manducare. Et dixerunt ei: euntes emamus ducentis denariis panes: & dabimus illis manducare. Et dicit eis: Quot panes habetis? Ite, & videte. Et cum cognouissent, dicunt: quinque, & duos pisces. Et præcepit illis, vt accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes, per centenos & quinquagenos.

Tertium est, & dicuntur hîc tria: quæstio Discipulorum: illuminatio Christi de officio eorum: & à Discipulis allegatio defectus facultatum. Dicit igitur [& cum iam hora multa fieret] non solũ vnius diei, sed triduí, quo Christum ex desiderio sustinuerunt docentem: & iam vespera esset, sicut dicit *Lucas* [accesserunt Discipuli eius] ex compassione fatigationis ad Christum [dicentes desertus est locus] refectioni & quieti lassorum non aptus [& iam hora præteriit] ad turbas diutius retinendas [dimitte illos] in benedictione tua: nec amplius docendo protrahas [vt euntes in proximas villas] quia ad propria ante noctem remeare non possunt: vt vel hospitium peregrinum sibi inueniant [& vicos] rusticorum, vbi pastores habitant iuxta desertum [emant sibi cibos] necessarios [quos manducent] post tantam lassitudinem; quia multa indigent recreatione. *Isa.* 21. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. *Isa.* 27. Reficite lassum, hoc est meum refrigerium.

Et respondens ait illis] omnium illuminator benignus Dominus [date illis manducare] vnde

Matth. 14. Dicitur. Non habent necesse ire; date illis vos manducare. *Glo.* interlinearis. Quasi dicat vestrum est officium pascere verbo, & pascere virtutis exemplo, & pascere temporali subsidio. *Ioan.* 21. Pasce oues meas, Petro dictum est ter, propter triplicem pasturam, verbi, exempli, & temporalis subsidij.

Et dixerunt ei] paupertatem suam in facultate pascendi allegantes: nescientes se esse diuites factos in Domino [euntes emamus] si loca in quibus emeremus propinqua essent, & census suppeteret [ducentis denariis panes: & dabimus illis manducare] *Ioan.* 6. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis; vt vnusquisque modicum quid accipiat. Denarius autem iste imagine regis insignitus, verbum veritatis significat, quod imaginem summi regis praetendit. Centenarius autem est decalogus per bonum diuinum, & bona nouem ordinum Angelorum multiplicatus: & idem centenarius in duo mandata charitatis. Isti sunt enim ducenti denarij, qui sunt in facultatibus Discipulorum Christi [& dicit eis] omnibus abundans Dominus. *Rom.* 10. Idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant eum [quot panes habetis.] panes enim habebant, sed non erat eis tanta cura de temporalibus, quod scirent numerum panum suorum. *Psalm.* 54. Iacta cogitatum tuum in Domino: & ipse te enutriet [ite & videte] magis dixit Dominus propter curam spiritualium (quae semper computare & scrutari debemus, quae significant isti panes) quàm propter curam temporalium, quorum prohibuit solicitudinem *Marc.* 6. *Mat.* 16. 1. *Cor.* 2. Nos non spiritū huius mundi accepimus; sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quae à Deo donata sunt nobis [& cum cognouissent] quot panes habebant [dicunt ei] Christo [quinque] panes [& duos pisces] ad panis dulcoramentum: quia sicut dicitur *Ioan.* 6. Panes erant hordeacei.

Et praecepit illis] sciens potestatem suae diuinitatis in multiplicandi potentia [vt accumbere facerent omnes] Discipuli, quorum intererat distinguere limites, & terminos Ecclesiarum. *Psal.* 45. Distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera. Isti enim accubitus distinctiones significant Ecclesiarum [secundum contubernia] hoc est, secundum societates in quibus venerant. Illi enim qui ad vnum tabernaculum militiae pertinent, contubernales vocantur. *Sap.* 8. Generositatē eius glorificat, contubernium habens Dei [super viride foenum] quia sicut *Ioan.* 6. Dicitur: foenum multum erat in loco, de quo coniecto, sedes per ordines diuersos discumbentium fecerunt. Hoc autem foenum carnem significat. *Isa.* 40. Omnis caro foenum: & omnis gloria eius, quasi flos foeni. Viride autem est, virore virtutis castitatis. *Ierem.* 17. Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: erit enim quasi lignum viride. Discumbere autem super foenum, est suppressam habere carnem disciplina continentiae. 1. *Cor.* 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis praedicauero, ipse reprobus efficiar [& discubuerunt] secundum ordinem Apostolicum [in partes] hoc est, societates per centenos] qui perfectionem decalogi in caelestem & Angelorum bonam conuersationem implebant. *Philip.* 3. Nostra conuersatio in caelis est: vnde & Saluatorem expectamus Dominum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae [& quinquagenos] qui auersionem quinque sensuum, in quorum delectabilibus sensualitas auertitur, per obseruationem decalogi reformabant: & ad annum Iubileum remissionis tendebant. *Baruch* 4. Sicut auersi fuerunt sensus vestri vt prouocaretis Deum decies, tantùm conuertentes requiretis eum.

Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus, intuens in caelum, benedixit, & fregit panes, & dedit Discipulis suis, vt ponerent ante eos: & duos pisces diuisit omnibus.

Hic tangit istius miraculi de pastu perfectionem: & est in sex, scilicet, in acceptatione: in qua docet, quod omne, quod nobis apponitur, debet esse acceptum & non contemptum. Vnde dicitur [& acceptis] hoc est, acceptatis, quamuis hordeacei fuerint. *Psalm.* 50. Acceptabis sacrificium iustitiae. Ideo dicit *Luc.* 10. Edentes & bibentes quae apud illos sunt. Accepta enim nobis esse debent dona Dei, quae pro tempore ministrantur ne murmuremus cum istis, qui in sepulcris concupiscentiae sepulti sunt *Num.* 11. [quinque panibus] hordeaceis, vt dicitur *Ioan.* 6. & *Luc.* 9. Non enim multa requirere debemus, nec delicata. *Tob.* 4. Noli timere fili, quoniam quidem pauperem vitam gerimus: hoc est, parum habentem. Non enim respicimus ad praesentia, sed dicimus cum *Paulo* 2. *Corint.* 3. Sufficientia nostra ex Deo est. *Psal.* 21. Edent pauperes & saturabuntur. Parum enim habentes, & sibi non sufficientes, sunt pauperes [& duobus piscibus] pro dulcoramento duri panis & hordeacei: & est dulcoramentum, non incentiuum libidinis, sed caloris concupiscentiae refrigeratiuum. *Eccles.* 18. Fili post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.

Intuens in caelū] vt nos dona Dei, nobis ad vsū concessa, ad Deū per gratiarum actionem dirigere doceret, & intentionē nostrā in summo necessariā ad ipsum referre: vt dicamus cum *Ps.* 110. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se [benedixit] vt sanctificaret per Dei verbum. 1. *Timot.* 4. Creatura Dei bona, & nihil immundum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. *Iob* 3. Antequam comedam suspiro: & tanquam inundantes aquae sic rugitus meus. Quia timeo quòd panem, quo vescor, indignus accipiam. Ne dicatur mihi *Psal.* 40. Qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem [fregit] vt vnicuique cōpetens secundum suam facultatem proportionaret nutrimentum. *Isa.* 8. Frange esurienti panem tuum: & egenos, vagosque induc in domum tuam. Econtra de incompetentia proponentibus, dicitur *Thren.* 4. Paruuli petierunt panem: & non erat qui frangeret eis. Hinc est quòd *Luc.* 24. Discipuli cognouerunt Dominum in fractione panis, hoc est, in panis spiritualis competenti expositione, capacitati vniuscuiusque proportionata [& dedit Discipulis] vt ministrare: isti enim ministrare habent dona Dei turbis sibi commissis. *Matth.* 24. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? *Luc.* 9. Date illis vos manducare

ducare [vt ponerent ante eos] Non vt sibi retinerent, vel furarentur. *Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. *Luc.* 6. Date & dabitur vobis [& duos pisces] pro dulcoramento [diuisit] fractos [omnibus] *Act.* 4. Diuidebatur vnicuique prout opus erat.

Isti autem quinque panes quamuis à Sanctis, & à nobis spiritualiter, multipliciter in aliis locis expositi sint; tamen hic non deficientes in panibus, ponimus quinque panes poenitentium, & ad Deum venientium refectionis: panem scilicet lacrymarum in compunctione: panem humillimae veritatis in confessione: panem arctum in iustitiae districtione (aliàs distributione) in satisfactione: panem virtutis in perfectione: & panem consolationis in reconciliatione. De primo pane dicitur *Psal.* 79. Cibabis nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in mensura. *Tob.* 2. Cum luctu & tremore panem manducabat. *Psalm.* 31. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte. De secundo pane dicitur in *Psalm.* 101. Cinerem tanquam panem manducabam: & poculum meum cum fletu miscebam. Cinis enim (quia in nobis est causa humilitatis *Eccles.* 10. Quid superbis terra & cinis) significat verae confessionis humilitatem. 3. *Reg.* 19. Ecce ad caput Eliae panis subcineritius, & vas aquae: comedit ergo & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius, vsque ad montem Dei Horeb. De tertio pane dicit *Isa.* 30. Dabit tibi Dominus panem arctum, & aquam breuem: & non faciet vltra auolare à te praeceptorem tuum: quia in satisfactione peccati, districta seueritas iustitiae cibat poenitentes, & praestat refrigerium vt aquam. 3. *Reg. vltim.* Mittite virum istum in carcerem: & cibate eum pane tribulationis, & aqua angustiae. Refrigerium timoris ne forte quos facit, non sint satis digni fructus poenitentiae. Carcer autem est censura custodiae. De quarto pane virtutis in profectu poenitentium dicitur in *Psal.* 113. Panis cor hominis confirmat. *Isa.* 4. Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris cooperiemur. De quinto pane dicitur *Matth.* 15. Catelli, hoc est, humiles poenitentes edunt de micis, hoc est, de consolationibus, quae cadunt de mensa dominorum suorum, hoc est, Sanctorum & Angelorum: quia in spē reconciliationis peccatorum, dulce aliquid gustant de refectionibus beatorum. *Genes.* 49. Aser pinguis panis eius: & praebebit delicias regibus. 1. *Reg.* 21. Dicitur de istis panibus omnibus simul ad Sacerdotem à Dauid: Nunc ergo siquid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, vel quicquid inueneris.

Isti sunt hordeacei ex quibus cibatur homo iumentinus, qui in peccato animaliter & brutaliter vixit. Et virtute huius duri & hordeacei panis, percutitur & confringitur tabernaculum Madian *Iudic.* 7. Duo autem pisces dulcorantes hos panes sunt spes veniae, & timor Dei: de quorum vno, scilicet, de amore Christi dicitur *Ioan.* 21. Viderunt prunas & piscem superpositum: quae prunae beneficia Dei sunt ad charitatem incendentia: piscis autem dulcedo dilectionis. De secundo autem pisce dicitur *Luc.* 11. Quis vestrum patrem petit piscem, numquid pro pisce porriget illi serpentem? Ac si dicat, non facit. Non enim petenti veniam porrigit desperationem, quae est venenum salutis. *Augustinus* autem dicit, quòd quinque panes, quinque sunt libri legis: & duo pisces austeritatem legis dulcorantes, sunt Prophetiae, & psalmi: de quibus dicitur *Luc.* 24. Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege, & Prophetis, & psalmis de me. Sed de hoc alibi satis dictum est.

Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui manducauerunt, quinque millia virorum.

Tangit hic miraculi veritatem, & quantitatem in isto paragrapho. Veritatem quidem in hoc quòd dicit [Et manducauerunt omnes] Qui non manducassent, nisi verus panis, & veri pisces fuissent [& saturati sunt] *Psalm.* 77. Manducauerunt & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis: non sunt fraudati à desiderio suo [& sustulerunt]. Quantitatem determinat per quantitatem reliquiarum, & per numerum comedentium. De primo dicit [& sustulerunt] Discipuli ad praeceptum Domini *Matth.* 13. *Ioan.* 6. Colligite quae superauerunt fragmenta, ne pereant [reliquias fragmentorum] vt pauperibus erogarentur [duodecim cophinos] hoc est, magnas sportas, quae circulis, per quos brachia inseruntur, in dorso portantur. Et est vnum de magnis miraculis, quòd fragmenta nec plures nec pauciores cophinos implebant quam numerus erat Apostolorum: & vt instruerentur Apostoli, quoniam non ad vnum, vel duos, & sic deinceps, pertinet pastura pauperum; sed ad omnes Apostolos, & successores eorum [plenos] quia gratia omnibus abundat. *Iacob.* 1. Dat omnibus affluenter, & non improperat [& de piscibus] Supple, sustulerunt sacramenta omnibus abundantia [erant autem qui manducauerunt] de quinque panibus, & duobus piscibus [quinque millia virorum] exceptis mulieribus & paruulis.

Et statim coëgit Discipulos suos ascendere nauim, vt praecederent eum trans fretum ad Bethsaïdam, dum ipse dimitteret populum. Et cùm dimisisset eos, abiit in montem orare.

Hic post pastum leonis, vniuersaliter fit demonstratio virtutis leonis, in creaturis elementorum ostensa, vt melius fortitudo describatur. Diuiditur autem pars ista in tres partes, scilicet, in potestatis manifestationem; in manifestationis istius vtilitatem: ibi [& plus magis intra se stupebant] Et in manifestatae potestatis aedificationem, ibi [Cùmque egressi essent de naui, &c.] In primo horum quatuor sunt partes, scilicet, qualiter separatus est ab eis Dominus, & qualiter ex hoc periculum incurrit nauis & laborem nauigantes, & qualiter territi sunt de manifestatione potestatis Domini ambulantis super aquas, & qualiter à Domino sunt confortati, & consolati per manifestationem potestatis eius in aere. In primo autem horum dicit quatuor, scilicet, qualiter Discipulos à se recedere compulit, & quò eosdem recedentes direxit, & qua de causa à Discipulis ad tempus separatus fuit, & quid separatus ab eis fecit.

Dicit igitur. [Et ſtatim] *Gloſſ. inter.* Quia ſic dicit *Ioan.6.* Sciuit quòd ſtatim poſt hanc refectionem venturi eſſent; vt caperent eum, & facerent eum regem, ideò à Diſcipulis(inter quos quærebatur à turbis) fugit in deſertum: & hoc eſt [coegit eos] quia inuiti etiam ad tempus ſeparabantur. 4.*Reg.*4. Viuit Dominus & viuit anima tua: quia non dimittam te. *Pſalm.76.* Non diſcedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. *Exod.*33. Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto [Diſcipulos ſuos] qui tanquam ad magiſtrum ad eum intenderunt [aſcendere in nauim] abſque eo: per quam ſufftragium pœnitentiæ intelligitur: quia Chriſtus non pœnituit, eo quòd non peccauit. *Sapient.*14. Tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.

Vt præcederent eum trans fretum] hoc eſt, vt præcederent eum vltra mare Galilææ quod eſt lacus Geneſareth ad aliam ripam ſtagni [ad Bethſaidam] Videtur eſſe contrarium quod dicitur *Ioan.6.* Vbi dicit, quòd nauigantes trans fretum venerunt Capharnaum.Et ad hoc dicendum,quòd nauigantes primò venerunt Bethſaidam: & tandem Capharnaum: quia Bethſaida & Capharnaum vltra ripam laci illius ſitæ ſunt: Et Bethſaida nauigantibus à Tyberia prius occurrit: Bethſaida autem nominatur, quia ciuitas fuit principalium ſuorum Apoſtolorum Petri, & Andreæ, & Philippi: & ibi principales habebant amicos: & domus venationis interpretatur, quia venatores ſpirituales erant Apoſtoli. *Ierem.*16. Mittam eis venatores multos, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. *Geneſ.*27. Tolle arma tua, pharetram & arcum,& affer mihi de venatione tua; vt comedam,& benedicat tibi anima mea.

Dum ipſe] Chriſtus [dimitteret] ſub forma benedictionis alicuius [populum] qui manducauerat: & ideo ſibi quaſi inſeparabiliter adhærebat. 2.*Reg.*6. Dauid benedixit populo in nomine Domini exercituum,& partitus eſt vniuerſæ multitudini tam viro quam mulieri ſingulis collyridam panis vnam, & aſſaturam bubalæ carnis vnam, & ſimilam frixam oleo: & abiit omnis populus,vnuſquiſque in domum ſuam. Collyridam quidem panis, in confortationem cordis in pane quem dedit:aſſaturam autem bubalæ carnis, in labore quem impendit, in quo ſe charitatis igne aſſauit: & bubalus trahens onus eorum fuit: & hoc idem per piſces ſignificatur. Similam autem frixam oleo,impendit in oratione pura,quam ex miſericordia ad Patrem fecit,quando in cælum ſuſpexit. Et ſic vnuſquiſque in domum conſcientiæ ſuæ rediuit [Et cum] ipſe Chriſtus ſic [dimiſiſſet eos]in domos ſuas [abiit] ab eis fugiens, ne raperent eum in regem [in montem] deſerti adiacentis, quod eminentiam ſpiritus deſignat [orare] & gratias Patri pro beneficiis agere,& nobis formam orandi dare. *Theſſ.vlt.* Sine intermiſſione orate, & de omnibus gratias agite.

Et cùm ſero eſſet, erat nauis in medio mari,& ipſe ſolus in terra.Et videns eos laborantes in remigando(erat enim ventus contrarius eis)

Tangitur hîc de periculo quod inciderunt ex abſentia: quia ſicut præſentia gubernatoris nauis cauſa eſt ſalutis nauis; ita abſentia gubernatoris cauſa eſt periculi nauis. Tanguntur autem tres cauſæ periculi, & vna ſola cauſa liberationis. Prima autem cauſa eſt abſentia luminis veritatis, quam tangit cùm dicit[Cum ſero factum eſſet]& ſol occubuiſſet, & tenebræ eſſent ex defectu ſcientiæ veritatis. *Act.* 27. Tribus diebus, neque ſole, neque luna,neque ſidere apparentibus, ablata erat à nobis ſpes ſalutis. Sol autem, eſt illuminatio veritatis diuinæ: luna autem eſt lumen veritatis eccleſiaſticæ: ſidus autem eſt illuminatio conſilij ſanctorum. Secunda cauſa pericuſi, eſt tempeſtas maris ſeculi: & hanc tangit cum dicit [erat nauis in medio mari] Vbi mare in maiori fuit fluctuum ſuorum tempeſtate. *Pſalm.*92.Mirabiles elationes maris. *Ionæ* 1. Mare ibat & intumeſcebat ſuper eos. Et hoc ſignificat tyrannorum perſecutionem, & Dæmonum in tentationibus exſufflationem. Tertia cauſa periculi eſt abſentia gubernatoris, quam tangit cùm dicit [& ipſe] Chriſtus gubernator [ſolus erat in terra] certæ & firmæ ſtabilitatis. Alij autem ſine ipſo in fluctibus. *Matth.*14. & *Ioan.6.* Nauicula in medio mari iactabatur fluctibus. Deinde tangit cauſam liberationis[Et videns eos] Chriſtus oculo miſericordiæ potius,quam corporis. *Sapient.*4. Reſpectus eius in electos eius. *Pſalm.*31. In via hac qua gradieris firmabo ſuper te oculos meos [laborantes] vltra vires [in remigando] nauem gubernando ad præceptum ipſius Domini,qui eos remigare præceperat. 2.*Corinth.*11. In laboribus plurimis. Et ſubiungit cauſam laboris [Erat enim ventus] perſuaſionis Dæmonum, & malorum hominum [contrarius eis] quia contra ſanctos moliuntur Dæmones,& mali homines. *Epheſ.*6.Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem tantum: ſed aduerſus mundi rectores & poteſtates,contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Sic ergo videns eos laborantes,

Et circa quartam vigiliam noctis,venit ad eos ambulans ſupra mare: & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem ſupra mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt.

Et circa quartam vigiliam] noctis [venit ad eos] Et tangitur hîc tertium, quod eſt terror & conturbatio Diſcipulorum.Tanguntur autem hîc tria:cauſa conturbationis ex parte Domini: cauſa conturbationis ex parte Diſcipulorum, quæ fuit falſa opinio de Domino: & generalis exiſtimatio iſtius falſæ opinionis.Dicit igitur[Circa quartam vigiliam] Quatuor ſunt noctis vigiliæ, conticinium, intempeſtum,gallicinium,antelucanum. Conticinium eſt,quando beſtiis collectis ad antra ſua,& hominibus ad ſilentia,cuncta conticeſcunt. *Oſea* 4.Nocte tacere feci matrem tuam. *Sap.*18. Dum quietum ſilentium tenerent omnia. Et hæc vigilia vocatur crepuſculum, quando lux ſolis & lux ſenſuum perfectè occidit. Secunda vigilia vocatur intempeſtum, quando tempeſtas ſomni ſuper ſenſus fortiter irruit. 3.*Reg.*3. Surgens intempeſtæ noctis ſilentio, tulit filium meum de latere ancillæ tuæ dormientis, & poſuit in ſinu ſuo: ſuum autem filium, qui erat mortuus (dormiens quippe

quippe oppressit eum)posuit in sinu meo. Tertia vigilia vocatur gallicinium, à media nocte incipiens, quando galli ex auræ mutatione cantare consueuerunt. *Matth.* 26. Hac nocte priusquam gallus canter, ter me negabis. Et hoc est, quando somnus à profundo soporis attenuari incipit. Quarta vigilia est antelucanum, quando tenebræ noctis cum aurora miscentur reorientis Solis. *Exod.*14.Factum est in vigilia matutina, respexit Dominus supra castra Ægyptiorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Prima aptatur iuuentuti, secunda ætati virili, tertia senectuti, & quarta ætati decrepitæ in homine: vnde *Marc.*13.Nescitis quando Dominus venturus sit:sero, an media nocte, an gallicantu, an mane:Item,prima aptatur legi naturæ, secunda legi scriptæ, tertia Prophetiæ, & quarta aduentui Christi: quando Christus venit ad Discipulos in mundum. *Isa.* 21. Custos quid de nocte? custos quid de nocte:Dixit custos: venit mane. Ita enim quæsierunt sancti Patres, quæ horæ, siue vigiliæ longæ noctis transierunt: & quantum adhuc restaret vsque ad lucem Christi. Adhuc autem istæ vigiliæ aptantur lucibus nostris: quia prima est lux naturæ in ratione per peccatum occumbentis: secunda autem est lux virtutis ciuilis, obtenebrata perfectè per peccatum: tertia autem,lux fidei,micans obscurè in recogitante de peccatis suis: quarta autem,est lux gratiæ in pœnitente,quando Christus venit. Duabus enim primis vigiliis lux cadit, & duabus secundis resurgit: vnde in tertia vigilia Dominus respexit Petrum *Matth.* 26. Et quarta respexit supra castra Ægyptiorum *Exod.* 13. *Psalm.*130. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. In prima vigilia fit nox à nocendo dicta. *Ioan.* 9. Venit nox in qua nemo potest operari.In secunda vigilia percutiuntur primogenita Ægyptiorum. *Sap.*8. Cùm nox in suo cursu medium iter haberet: omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus veniens, in mediam exterminij terram exiliuit.Et post pauca sequitur:stans in terra replenit omnia morte. Sic ergo [circa quartam vigiliam noctis] tota alia parte noctis expensa in oratione contra timores nocturnos [venit] per gratiæ suæ respectum & salutis pœnitentiam [ad eos] Discipulos suos, quos diu in periculo relinquere non poterat. *Psal.*90. Cum ipso sum in tribulatione:eripiam eum & glorificabo eum.

Venit autem [ambulans supra mare] non quidem assumpta agilitate, vt quidam dicunt:sed potius hoc fecit vt Deus: quia corporis grauitate manente, & liquiditate aquarum saluata,super liquidum ambulauit elementum:& hoc est miraculum miraculorum,quando remanente impotentia ad actum, actus tamen demonstratur:sicut quando virgo manens virgo, peperit: & quando manente corporis soliditate & continuitate,per clausa ostia Dominus intrauit.Et hoc alibi à nobis est declaratum[& volebat]hoc est,ad modum volentis se habebat[præterire eos]*Gloss.interlinearis*, vt gratior esset liberatio. Simile *Luc.* 24. Ipse se finxit longius ire, vt instantiùs inuitaretur ad manendum. [Et illi vt viderunt eum] hoc est, postquam Discipuli respexerunt eum graui corpore super liquidum ambulare elementum: & ignorabant adhuc potentiam Deitatis ipsius. *Psal.* 76.In mari viæ tuæ: & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur [putauerunt] falsa phantasia decepti, quia iudicauerunt corpus Deitati vnitum,eiusdem esse impotentiæ cum corpore non vnito Deitati[phantasma esse] & non veritatem. *Gloss.interlineaur.* Non enim putabant verum corpus super aquam incedere posse: quia non intellexerunt Prophetam *Isa.* 43. Cum transieris per aquas,tecum ero: & flumina non operient te [&]ideò[exclamauerunt] alto clamore de intimis erumpente.*Ione* 1. Clamauerunt in fortitudine ad Dominum. Causam autem clamoris vniuersalis subiungit, cùm dicit [omnes enim qui viderunt eum]supra mare, contra consuetum humani corporis ambulantem [conturbati sunt] quia talia phantasmata non apparent, nisi tempore quo futurum est aliquod infortunium.*Isa.* 30.Ad vocem clamoris tui, statim vt audierit,respondebit tibi. Et ideò sequitur.

Et statim locutus est cum eis,& dixit illis:Confidite,ego sum,nolite timere.Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus.

Et tangitur hic consolatio timentium, & liberatio in periculo existentium: & de consolatione dicit[& statim] consolator Dominus [locutus est cum eis] vt eum per vocem cognoscerent, quem ambulantem in vndis non cognouerunt. *Cant.* Sonet vox tua in auribus meis:vox enim tua dulcis[& dixit,confidite]confidentia enim est amplitudo animi in spe periculum euadendi. *Ioan.* 16. Confidite, quia ego vici mundum, cuius pressuram significat tempestas exorta.2.*Corint.*1.Vt non simus fidentes in nobis; sed in Deo qui de tantis periculis nos eripuit & eruit: in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus vobis in oratione pro nobis: quia[ego sum] hæc enim est causa confidentiæ,quod ipse est, qui verè est:quia omnem seculi motum sua comprimit immutabilitate: & omne quod apparet, & non verè est(eo quod mutabile est) sua certificat veritate, & illuminatione.1.*Tim.*6. Qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. *Exod.* 3.Ego sum qui sum[nolite timere]in periculis,vel phantasiis apparentibus; quia præsentia mea vobis erit causa salutis.*Psalm.*90. Non timebis à timore nocturno,à negotio perambulante in tenebris[& ascendit ad illos in naui] vt liberaret à periculo tempestatis:sicut certificauerat contra phantasma[& cessauit ventus]tentationis,qui fuit causa turbationis.*Matth.*8.Imperauit ventis & mari: & facta est tranquillitas magna.

Et plus magis intra se stupebant: non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. Et cùm transfretassent, venerunt in terram Genesareth, & applicuerunt.

Secundum est diuisum contra præcedens totum, vbi ostenditur necessitas miraculi quod inducitur,vt plenè intelligatur potentia multiplicationis panum. Dicit igitur[quod plus stupebant] de hoc quòd super mare ambulabat[&magis plus] quia ad imperium eius ventus cessabat. *Eccles.* 43 In sermone eius siluit ventus, & cogitatione sua placauit abyssum,& plantauit illum Dominus Iesus[non enim intellexerunt de panibus,] hoc est,

de

de poteſtate ſua demonſtrata in panum multiplicatione: & ideò neceſſarium fuit adiungere hoc miraculum, in quo non tantum in terreſtribus, ſed & in aquis & aëre potens eſſe cognoſceretur. *Prouerb.* 20. Aperi oculos tuos, & ſaturare panibus [erat enim] adhuc [cor eorum obcæcatum] ne Dominũ in omnipotẽtia ſuę Deitatis agnoſcerẽt. *Luc.* 24. Oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent. *Matth.* 16. Adhuc & vos ſine intellectu eſtis [& cum transfretaſſent] à periculo liberati [peruenerunt in terram Geneſareth] ad aliam ripam ſtagni verſus Bethſaidam, & Capharnaum] & applicuerunt] ibi ſalutem omnibus offerentes, quam ſecum adduxerant: & hoc eſt quod ſequitur

Cúmque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum: & percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabbatis eos, qui ſe male habebant, circumferre, vbi audiebant eum eſſe. Et quocunque introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.

Tangit enim hic diffamatæ poteſtatis vtilitatem in Domini cognitione, in populorum ad ipſum acceleratione, in languentium congregatione, in vniuerſali omnium ſanatione, in fidei perfectione, in hoc quod etiam ſalutem ex fimbriis eius ſibi prouenire credebant: & hoc eſt quod dicit [cúmque egreſſi eſſent de naui] ſaluati à periculo [continuò cognouerunt eum] incolæ regionis illius, quòd ſine nauis adminiculo venerat, ſicut dicitur *Ioan.* 6. Et in hoc etiam miraculo cognouerunt eum in potentia diuina [&] ideò [percurrentes] accelerando. *Prouer.* 6. Diſcurre feſtina, ſuſcita amicum tuum [vniuerſam regionem illam] quæ adiacet ſtagno [cœperunt in grabbatis] hoc eſt, capitalibus lecticis [illos qui male ſe habebant] infirmitate corporis laborantes [circumferre] ad locum vbi audiebant eum eſſe, quia ſicut dicitur *Luc.* 6. Virtus de illo exibat, & ſanabat omnes *Iſa.* 66. Adducent omnes fratres veſtros donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum, hoc eſt, ad eminentiam veræ ſalutis, Ieſu Saluatori meo. [Et quocunque introibat in vicos] hoc eſt, in rura [& in villas] maiores [aut ciuitates] vbi ciuilitas quærebatur [in plateis ponebant infirmos] vt ex publico aſpectu infirmorum miſericordia motus ſanaret eos verbo & voluntate: quia hoc ad ſanitatem ſufficiebat. *Pſa.* 113. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cælo & in terra. *Act.* 5. Simile legitur de Petro. In plateis ponebantur infirmi in lectulis: vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis [& deprecabantur eũ] ſide plena [vt vel] hoc eſt, ſaltem] fimbriam veſtimenti eius tangerent] *Matth.* 9. Dicebat enim: ſi tetigero fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero [& quotquot tangebant eum] plus tactu fidei quam corporis [ſalui fiebant] *Zach.* 8. Apprehendent decem viri ex omnibus gentibus fimbriam vnius viri Iudæi, dicentes: ibimus vobiſcum. Audiuimus enim quod Dominus vobiſcum eſt. Vnicus ille vir Iudæus glorificans Deum, eſt Dominus Ieſus Chriſtus ſaluans omnes, cum quo Deus ſingulariter eſt per vnionem. Et ideò vocatur nomen eius Emmanuel, hoc eſt, nobiſcum Deus *Iſa.* 7. Et hoc eſt.

CAPVT VII.

Et conueniunt ad eum Phariſæi & quidam de Scribis, venientes ab Ieroſolymis. Et cum vidiſſent quoſdam ex Diſcipulis eius, communibus manibus, id eſt, non lotis, manducare panes, vituperauerunt.

HIc incipit pars illa quæ eſt de fama dignitatis regalis in legum poſitarum poſitione, & iniuſtarum legum poſitarum euacuatione: hoc enim facere cõpetit leoni de tribu Iuda, ſicut in ante habitis dictum eſt. Diuiditur autem hæc pars in tres particulas, in quarum prima, traditiones ſtultæ & turpes euacuantur: in ſecunda, leges iuſtæ omnibus promulgantur, *ibi* [& aduocans iterum turbas dicebat illis: audite & intelligite] in tertia vero, legum ſuarum ponit interpretationem, *ibi* [& cùm introiſſet in domum à turba] Adhuc autem prior iſtarum habet quatuor particulas, in quarum prima tangitur introductionis iſtius partis occaſio: in ſecunda humanarum obſeruationum apud Iudæos obſeruatio: in tertia quare has Diſcipuli Chriſti non ſeruent interrogatio: in quarta autem, per reſponſum Chriſti obſeruationum huiuſmodi oſtenditur euacuatio: & hæc per ordinem in litera continentur. In prima harum particularum continentur tria, ſcilicet, per quos facta eſt Diſcipulorum Chriſti reprehenſio, & de quo facta eſt & qualiter.

Dicit igitur [& conueniunt ad eum] hoc eſt, ad Chriſtum mala conuentione. *Pſalm.* 2. Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius [Phariſæi] qui de obſeruantia legis ſuæ gloriabantur. *Luc.* 18. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe, orabat, gratias ago tibi Deus, quia non ſum ſicut cæteri hominum, &c. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo [& quidam de Scribis] qui de falſi nominis ſcientia gloriabantur. 1. *Corint.* 8 Scientia inflat: charitas vero ædificat [venientes à Ieroſolymis] vbi fuit locus religionis; & ſapientiæ, legis, & auctoritatis. *Iſa.* 2. De Sion exibit lex: & verbum Domini de Ieruſalem. Et ideò iſti maiora aliis præſumpſerunt, & forte ad explorandum & obſeruandum Chriſtum miſſi fuerant. *Gen.* 44. Per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis, ad conſiderandum immunita terræ veniſtis. [Et cùm vidiſſent] tangit de quo reprehendebant quia [cùm] obſeruando, oculo nequam [vidiſſent]. *Matth.* 20. An oculus tuus nequam eſt: quia ego bonus ſum? [quoſdam] ſimplices, non omnes [ex Diſcipulis eius,] ſcilicet, Domini

IESV [communibus manibus, hoc eſt, non lotis] manibus: quia Iudæi, communia Gentilibus opera vel eſcas, immunda reputabant [manducare panem] quia quamuis nihil inquinamenti manibus adhæreret: tamen communes reputabant niſi lauarent, quod ſuperfluum fuit & ſuperſtitioſum. Reputabant enim, quòd contactus aliquis immunditiã manibus impreſſiſſet: & hoc exponendo ſubinfert Euangeliſta [communibus id eſt, non lotis manibus manducare panem]. quia non niſi ad exteriora reſpiciebant: & hoc ſuperſtitioſum eſt reſpicere exteriora, interioribus neglectis. *Iob* 9. Si lotus fuero velut aquis niuis, & fulſerint mundiſſimæ manus meæ: tamen ſordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea, hoc eſt, quantumcunque lotus fuero extra, tamen intus ſordidus exiſtens, à te reputabor immundus; & veſtes extra mundatæ interiorem immunditiam deteſtantur [vituperauerunt] Interiora non habentes reprehendere, ad exteriora ſe contulerunt: vnde dicit de talibus Apoſtolus *Rom.* 10. Ignorantes iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.

Phariſæi enim, & omnes Iudæi, niſi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum: & à foro, niſi baptizentur, non comedunt: Et alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare, baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum. Et interrogabant eum Phariſæi & Scribæ: Quare Diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem?

Phariſæi enim] præcipuè [& omnes Iudæi] à Phariſæis inſtructi. Tangit enim hic obſeruationes ſuperſtitioſas Iudæorum. Dicit autem tria, ſcilicet, obſeruationes in lotura manuum, & obſeruationes in lotura corporum, & obſeruationes in lotura vaſorum. Dicit igitur [Niſi crebro lauerint manus] ſuas quas putant ex tactu diuerſorum contrahere immunditias [non manducant] *Pſ.* 25. Lauabo inter innocentes manus meas; & circumdabo altare tuum Domine. Hoc enim de lotura corporali intelligebant [tenentes] in hoc [traditiones] hoc eſt inſtitutiones traditas [ſeniorum] Phariſæorum & Iudæorum, qui carnaliter legem intelligentes iſta tradiderant ſeruanda [& à foro] venientes, in quo cum diuerſis negotiati fuerant, quorum aliquos immundos [illegible] vel timebant [niſi baptizentur] hoc eſt lauentur prius [non comedunt] quia ſe immunditias contraxiſſe reputabant. *Iſa.* 1. Lauamini mundi eſtote. Hoc enim de corporali munditia intelligebant; non attendentes quod ſequitur: Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. *Iſa.* 52. Mundamini qui fertis vaſa Domini [& alia multa ſunt] de corporalibus munditiis & immunditiis [quæ tradita ſunt illis] à ſuperioribus [illegible] [ſeruare] qui carnaliter legem intelligebant [illegible] hoc eſt loturam [calicum] vaſorum ad bibendum [& vrceorum] vaſorum ad liquores [illegible] retinendum [& æramentorum] vaſorum [illegible] ad diuerſos vſus deputatorum [& lectorum] in quibus quieſcebant, qui ex diuerſis cauſis immundi reputabantur. *Hebr.* 9. Non poſſunt iuxta conſcientiam perfectum facere ſeruientem, ſolummodo in cibis, & in potibus, & in variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis, vſque ad tempus correctionis impoſitis.

Et interrogabant eum Phariſæi] à facto Diſcipulorum occaſionem accipientes: dicentes per modum accuſationis [Quare Diſcipuli tui] qui tibi obediunt: & ita peccatum eorum in tuam redundat culpam [non ambulant] in conuerſatione ſua [iuxta traditiones] carnales [ſeniorum] qui perfecti in lege ſunt reputati. Et hoc conqueritur Dominus *Iſa.* 29. Timuerunt me mandato hominum & doctrinis: ideò ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo: peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur [ſed communibus manibus] hoc eſt, non lotis manibus [manducant panem] quod illicitum eſt, quantumcunque pulchræ ſint manus. Et Dominus quidem non reprehendit munditiam corporalem: ſed hoc reprehendit, quòd relicta munditia interiori, tantùm exteriorem munditiam ſufficere putabant. Adhuc autem, quia mandatis Dei grauioribus omiſſis, exteriori munditiæ ſtudebant: & paruas ſuas traditiones firmius, quam Dei mandata obſeruari faciebant. *Matt.* 23. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce munda prius quod intus eſt: vt fiat id quod deforis eſt mundum.

Et ille reſpondens, dixit eis: Benè prophetauit Iſaias de vobis hypocritis, ſicut ſcriptum eſt: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, & præcepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum; & alia ſimilia his facitis multa.

Ponitur hic talium obſeruationum irritatio: hic autem duo facit. Primò enim carnalem intellectum per Iſaiæ auctoritatem redarguit: ſecundò per comparationem mandatorum Dei ad ſuas traditiones, eos irritare legem Dei oſtendit. In primo tria facit, ſcilicet, redarguit: auctoritatem per quam redarguit, inducit: & auctoritatem exponit. Redarguit cùm dicit [Benè] quia verè [prophetauit de vobis hypocritis] qui vos iuſtos ſimulatis cum non ſitis [Iſaias] 29. [ſicut ſcriptum eſt] in libro Iſaiæ ad memoriam rei æternam [Populus hic labiis me honorat] verbo confitens me, & non opere & veritate. *Tit.* 1. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem abnegant. Contra quod dicitur 1. *Ioan.* 4. Non diligamus verbo neque lingua: ſed opere & veritate [cor autem eorum longe eſt à me] quia in corde non habent affectum ad me. *Ierem.* 12. Prope es tu ori eorum, & longe à renibus eorum. Contra quod dicitur 1. *Reg.* 16. Non ſecundum [illegible] hominum ego iudico: homines enim vident ea quæ parent, Deus autem intuetur cor [In vanum autem colunt me] exteriori obſeruantia: quia ego illam, neglecta

neglecta interiori munditia, nec respicio nec remunerationem exhibeo. *Isa.*1. Cum extenderitis manus vestras, & multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Sicut enim Cain extra obtulit, quia intus iniustus fuit: & ideò Deus ad Cain, & ad munera eius non respexit *Genes.*4. [docentes doctrinam hominum] per traditiones carnalium munditiarum exteriorum [& præcepta hominum] districtè seruantes. Sicut & tempore isto seruantur valde statuta hominum in potestate constitutorum: & puniuntur transgressores eorum. *Isa.*10. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniquitatem scripserunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei [Relinquentes enim mandata Dei, tenetis traditiones hominum] *Matth.*23. Irritum fecistis mandatum Dei propter vestras traditiones. Litera autem Isaiæ in eodem sensu est sub aliis verbis: sic enim legitur *Isa.*29. Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me; cor autem eius longe est à me: & timuerunt me mandato hominum & doctrinis [baptismata vrceorum] Hîc interpretatur in quo sunt istæ doctrinæ hominum. Quia [facitis baptismata vrceorum & calicum] tanquam in hoc consistat vis legis [& alia similia his] in exterioribus loturis. Propter quod dicit *Isa.*46. Redite, redite præuaricatores ad cor. Exteriora enim illa à lege & à patribus præcepta, indicant quid in interioribus facere debeatis. *Matth.*12. *Luc.*11. Immundus spiritus qui per dationem legis à Iudęis exisse dicitur, in domum, vnde exiuit, reuertitur: quando exteriori munditiæ vacant, interiori neglecta: & septem alios se nequiores secum reduxit.

Et dicebat illis: Bene irritum fecistis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis. Moyses enim dixit: honora patrem tuum & matrem tuam: & qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Si dixerit homo patri aut matri corban (quod est donum) quodcunque ex me, tibi proderit: Et vltra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: & similia huiusmodi multa facitis.

Et dicebat illis] ostendens qualiter magnam de minimis, & paruam vel nullam de maximis curam habebant. Dicit autem quatuor. Primò enim ostendit generaliter quòd irritum faciunt Dei mandatum: secundò ostendit in quo potissimè hoc faciunt: tertiò ostendit qualiter: quartò autem concludit quòd in aliis multis faciunt similiter. Dicit igitur [Bene] hoc est, veraciter sine excusatione [irritum facitis præceptum Dei] Quod Deus & in natura hominis, & in tabula *Exod.*20. descripsit [vt seruetis] hoc est, vt seruari faciatis [vestrã traditionem] quam ad auaritiam vestram faciendam tradidistis. *Luc.*11. Stulti: nónne qui fecit quod deforis est, fecit & quod intus est? Veruntamen quod superest date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Ac si dicat. Si aliquid adhæsit vobis maculæ, non per loturam manuum, sed per eleemosynam purgatur. Et idem intendit hic probare [Moyses enim] ex verbo Dei [dixit] Et ostendit hic, in quo potissimè irritum Dei mandatum fecerunt [Honora patrem tuum & matrem tuam] *Exod.*20. Qui honor maximè consistit in temporalium administratione: quia crescente virtute lucrandi, & prouidendi in filiis, decrescit eadem virtus in parentibus: & ideò filij parentum vicem tenentur in senectute supplere. 1. *Timo.*5. Discat domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum est coram Deo [& qui maledixerit] *Exod.*21. & *Leuit.*20. [patri vel matri] potius maledictione operis quam verbi, hoc est, quando necessaria subtrahuntur: tunc enim maledictioni exponuntur [morte moriatur] Dignum enim est vt qui suæ vitæ principia & causas maledicit, auferatur ab ipso vita potius quam ab eis auferatur. *Prou.*30. Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ: effodiant illum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ. Et hæc sunt præcepta diuina.

Vos autem dicitis] in traditionibus vestris id, per quod præceptum diuinum euacuatur [Si dixerit homo patri & matri] à se necessaria petentibus ad vitæ sustentationem: quam aliàs habere non possunt [corban] Corban fuit theca, in qua reponebantur vota, & oblationes ad sacerdotes pertinentes: & ponitur hic per metonymiam, continens pro contento, vt sit sensus, quòd filius dicat parentibus necessaria petentibus [corban] hoc est, hoc quod habeo, est deuotum Sacerdotibus, & pertinet ad corban, in quo reponuntur Sacerdotum vota: & ideo sacratum est, & non licet ad vsus vestros hoc resumere. Et in hoc sensu subdit Euangelista expositionem dicens [corban quod est] dicere [donum] Sacerdotibus deuotum [quodcunque] est [ex me] hoc est, ex mea voluntate sacratum [tibi proderit] hoc est, repetens [tibi ne proderit?] hoc est, prodesse poterit. q. d. non proderit. Quia *Pro.*20. dicitur. Ruina est hominis deuotare sanctis: & post vota retractare. Et ideo si retractarem votum, esset ruina, & mihi & tibi. Et hoc est verum, quando votum fit de superfluo, præter quod adhuc habetur, vnde pauperes parentes sustentari possunt: de necessario enim ad sustentationem parentum pauperum, & aliàs non habentium, non debet fieri votum. Hoc autem Sacerdotes non attenderunt, sed populum angariauerunt, vt de necessario ad propriam & parentum sustentationem vota facerent in corbonam.

Simile aliquid faciunt nostri temporis Religiosi & Sacerdotes, qui sibi victum pauperum offerri faciunt & cogunt, dicentes: has bonas esse consuetudines, & seruandas. *Mich.*4. Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. *Isa.*1. Principes tui infideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *Eccles.*34. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui auferit in sudore panem, quasi qui occidit proximum. Hoc est quod conqueritur de Sacerdotibus Deus *Malach.*2. Operuistis

ruisti lacrymis altare meum, quia cùm pauperes coguntur ad offerendum de necessario super altare, fundunt lacrymas contra Sacerdotes. Hoc etiã est contra decretum Apostolicum 2. *Cor.* 8. Non enim vt aliis sit remissio: vobis autem tribulatio. Remissio autem in talibus, & consolatio sit Sacerdotibus: aliis autem sit tribulatio paupertatis. Vnde *ante parum* dicit *Apostolus*: non ex tristitia & ex necessitate, supple, fiat eleemosyna, vel oblatio. Ex omnibus his patet quod de necessario sibi, vel parentibus, non debet fieri votum: & quod Sacerdotes peccant contra veritatem Euangelicam, si de talibus vota fieri præcipiant, vel cogant, vel etiam recipiant oblationes. Et de talibus dicit [& vltra] postquam sua vouit in corban [non dimittitis] de facultatibus sic in corban sacratis [eum] filium [quicquam] boni ad vitæ sustentationem pertinentis [facere patri suo aut matri] suæ indigentibus, & aliter vitæ sustentationem non habentibus: & sic [rescindentes] ab effectu estis [verbum Dei] quod sub præcepto legis naturæ & scriptæ posuit [per traditionem vestram] Deo & naturæ contrariam [quàm tradidistis] ad auaritiam vestram satiandam. 1. *Timot.* 2. Radix omnium malorum est cupiditas. Et ideò tales leges, & decretales, & statuta, quæ sunt ad exhauriendas bursas, nihil aliud vtilitatis habentes, vocat *Isa.* 10. Iniquas, dicens. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitias scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ prædæ eorum, & pupillos diriperent. De religiosis autem hoc idem facientibus dicitur *Matth.* 23. Comeditis domos viduarum in oratione longa orantes: propter hoc amplius accipitis iudicium. *Ezech.* 13. Violabunt me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis. Sic ergo ostensum est quomodo contra pietatem sunt traditiones illorum: & ideò in irritum reuocandæ.

Et aduocans iterum turbas dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare: sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. Siquis habet aures audiendi, audiat. *Alias coinquinant.*

Et aduocans iterum turbas] *Gloss.* Confutatis superbis humiles aduocat & docet [dicebat illis] suas æquissimas leges promulgans: & facit tria: attentos reddit, veritatem proponit, intellectum ex spiritu accipiendum fore prædicit. Dicit igitur [audite omnes] quia res est, quam omnibus persuadet naturalis ratio [& intelligite] attentè ne erretis: quia nihil est ita verum, quin malus intellectus in eo possit accipi. *Dan.* 10. Intellectu opus est in visione. 2. *Timot.* 2. Intellige quæ dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Ipse enim dicit [intelligite] idem est, quod intus in corde legite: quia cor vestrum idem vobis dictabit. [Nihil est extra hominem] ab extra [introiens in eum] vt cibus & potus [quod possit eum] hominem [inquinare] ad animæ inquinationem: & hæc est propositio veritatis Christianæ. Etsi obiicitur quod 2. *Machab.* 6. Eleazarus potius mortem elegit, quam carnem suillam comederet. Dicendum quod hoc non fecit propter cibum, sed propter præcepti legis prohibitionem: sicut & Adam non ex cibo, sed ex inobedientia inquinatus est, & nos omnes inquinauit. Si autem obiicitur de veneno, quod inquinat hominem. Dicendum, quod venenum non est de naturaliter ingredientibus in hominem: sed potius de corrumpentibus ipsum. Verbum autem Christi de his quæ naturaliter ingrediuntur intelligitur. 1. *Timot.* 4. Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.

Sed adhuc obiicitur, quia verbum Christi ad propositum facere non videtur. Isti enim causabantur quod non lotis manibus manducarent: & Christus instat de cibis. Ad hoc dicendum quòd Christus ostendere voluit, quòd non esset vis in exterioribus immunditiis: & arguit à Maiori: quia si non est vis in cibis, in quibus magis vis esse videbatur: tunc multo minus vis facienda est in ablutionibus exterioribus [sed quæ de homine procedunt] ab interiori radice voluntatis informata [illa sunt quæ] vt causa [communicant hominem] quia causa immunditiæ spiritualis non potest esse nisi mala voluntas. *Matth.* 12. Malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. *Mat.* 7. Non potest arbor mala bonos fructus facere.

Si quis] docet à spiritu intellectum verum in dictis esse accipiendum, dicens [si quis] hoc est, si aliquis: quia pauci erant tunc tales [habet aures] quibus auditum & [audiendi] virtutem ministrat Spiritus sanctus: illæ enim sunt [aures audiendi] cæteri habent figuram aurium, & non veras aures. *Psal.* 113. Aures habent & non audient. *Luc.* 8. *Matth.* 13. IESVS hæc dicens, clamabat: qui habet aures audiendi, audiat [audiat] hoc est audiendo, veritatem in dictis percipiat. *Romanor.* 10. Fides est ex auditu: auditus autem per verbum Christi.

Et cùm introisset in domum à turba, interrogabant eum Discipuli eius parabolam. Et ait illis: sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare: quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas. Dicebat autem quoniam illa quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum cogitationes malæ procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia mala hæc ab intus procedunt, & communicant hominem. *Alias. Coinquinare.* *Coinquinant.* *Coinquinant.*

Tangitur dictorum interpretatio: & dicit Tria: interrogationem Discipulorum, increpationem non intelligentium, & interpretationem dictorum tam in cõmuni quàm in singulari. Dicit igitur [& cùm introisset in domum] sequestratus ab insidiatoribus, qui digni non erãt ad audiendam veritatem. *Gen.* 30. Iustum est, vt aliquando domui meæ

prouideant[interrogabant eum Discipuli] qui veritatem sermonis præ cæteris intelligere studuerunt : & videbant quòd multa de cibis videbantur lege prohibita, & sic esse immunda : sicut patet *Leuit.*11. Per totum. Et hæc fuit causa quare reputabant apud se, quod Dominus illa dixerit parabolicè : & dicit quod ideò [interrogabant eum Discipuli parabolã] *Matth.*15. Edissere nobis parabolam istam [& ait illis]increpando quod post tot doctrinas spiritualium ab ipso auditas, sermonem tam apertum & rationabilem, parabolam esse reputauerunt, dicens[Sic & vos]quos spiritualiter docui [imprudentes estis] non intelligentes quid parabolicè, & quid secundum expressam dictum sit veritatem. *Hebr.*5. Cùm deberetis magistri esse propter tempus, rursus indigetis vt doceamini, quæ sunt elementa sermonis iustitiæ. *Matth.*15. Adhuc & vos sine intellectu estis [non] hoc est, nonne[intelligitis]quia de facili id intelligere potestis: quia hoc dictat ratio naturalis[quia omne extrinsecus introiens] sicut esculentum & poculentum[in hominem]naturæ est conueniens, & in naturam corporis conuertibile. Et ideò [non potest eum communicare[aliàs coinquinare]hoc est, immundare: sicut nec ipsa natura sui corporis eum immundat : quia aliter semper esset & maneret immundus, & nunquam posset mundari. Et causa, quod non immundat eum, est [quia non intrat in cor eius]hoc est, in animam, quæ causa est omnis immunditiæ spiritualis [sed in ventrem] hoc est, in locum digestionis[&]digestum ibi[in secessum exit] & ponit secessum in neutro genere : & ideo subdit [purgans omnes escas] quia secessum emittit impurum, per quod id quod est purum in esca purgatur.

Ex hoc autem quod dicit, quòd secessum purgat omnes escas: quidam dixerunt, quod omnis esca emittitur, & nihil de esca incorporatur, sed corpus augetur & nutritur per multiplicationem sui in seipso, sicut dicunt Dominum multiplicasse quinque panes. Et si hoc est verum, tunc miraculosum est totum naturæ opus. Adhuc autem calor digestiuus præternecessarius est, quia nihil de cibo incorporat. Etsi dicatur quod humor cibi impedit ne substãtia corporis à calore naturali cõsumatur. Hoc nihil est : quia substantia tota est de veritate humanæ naturæ, & consumi non potest. Et si dicatur quod consumi potest, tunc detur quod consumatur : & nihil debet sequi impossibile. Si ergo hoc detur, tunc consumpta non multiplicatur in seipsa : & hoc est contra positionem, & secundum istos impossibile: ergo falsum & impossibile est secundum istos quod cõsumi possit cibus: ergo totus superfluè sumitur & inutiliter. Adhuc autẽ, ad quid diceret Dominus, purgãs omnes escas: quod enim purgatur in escis, ab impuro deputatur, & cùm totũ emittatur, nihil remaneret purgatum; & sic inutiliter, & non verè diceret Dominus, purgãs omnes escas. Ad hoc dicendũ, quòd reuera esca transit in corporis substantiam, in naturæ humanæ veritatem : & falsum est, quod incrementum accipiat per sui in se multiplicationem, & est hæc quorundam trufatorum falsa positio. Et hoc quod dicit [purgans omnes escas] verè intelligendum est, quod omnes purgat secundum speciem escarum, & nullam dimittit non purgatam : sed non purgat omnes secundum materiam : quia aliquid de materia cibi efficitur purum, quòd manet. Vnde sicut probatur in primo de generatione, & corruptione, quod totũ nutritur secundum speciem, & non nutritur totum secundum materiam; ita econuerso dicendum est, quod omnes & totæ escæ per digestionem purgantur secundum speciem, & non omnes vel totæ purgantur secundum materiam: & sic omnes escæ purgantur & emittuntur secundum speciem, & non omnes vel totæ secundum materiam. Et hic est intellectus verus huius sermonis. Alibi autem diximus hunc sensum in aliorum Euangelistarum expositionibus : sed hîc ratio perspecta & naturaliter est assignata.

Dicebat autẽ] reliquam partem sermonis explanans[quoniam quæ de homine exeunt] & ab homine causantur & principiantur [illa] ex malitia radicis, quæ nõ est nisi mala volũtas [coinquinãt] immunda peccati macula hominẽ [ab intus enim de corde hominum]quod sine gratia semper prauũ est. *Ierem.* 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile [procedunt cogitationes malæ] sicut malitiæ principia. *Matth.* 9. Vt quid mala cogitatis in cordibus vestris? *Isa.*1. Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis [adulteria]quæ sunt in nocumentum proximi, in quantum ex coniuge inuatur ad sustentationem & multiplicationem speciei. *Exod.*20. Non mœchaberis[fornicationes] quæ sunt secundum libidinem corrumpentes & rationem & sensualitatem: sicut quando ex ratione consentit in concupiscentiam soluti concubitus. Et ideò vt dicit *Aristot.* Fornicator peior est incontinente, quia incontinens detestatur passionem concupiscentiæ : sed violentia tentationis vincitur & trahitur ad eam. Fornicator autẽ eligit delectari & delectatur in concupiscentia. *Apocal.*2. Ecce egõ mittam mulierem Iezabel in lectum: & qui fornicantur cum ea, in amaritudine maxima erunt. Dicitur autem fornicatio prostitutio, quæ primo facta est sub fornicibus, hoc est, arcubus triumphalibus, qui tyronibus in titulum suæ strenuitatis ædificabantur : ad quos spectandos, quia frequenter conuenerunt iuuenes mulieres libidine sola ductæ ibi se prostituerunt; vt multos coëuntes secum inuenirent[homicidia] siue voluntaria, siue quæ consilio procurantur, siue quæ fiunt per effectum. *Exod.* 20. Non occides[furta] quæ fiunt in illicita contrectatione rei alienæ inuito Domino, & præcipuè in furno, hoc est, in nigro siue in tenebris; quando nescit ille cui subtrahitur. *Exod.*20. Non furaberis [auaritiæ] quæ fiunt in illicita cupiditate rei alienæ. *Exod.* 20. Non concupisces domum proximi tui. *Eccles.* 10. Auaro nihil est scelestius. Hic enim animam suam venalem habet : & in vita sua proiecit intima sua[nequitiæ] hæ sunt cordis malitiæ, quando tam magna mala machinatur, quæ vires suas excedunt; ita quod ea perficere nequit. *Isa.* 16. Superbia eius & arrogantia eius plus quam fortitudo illius [Dolus]est fraus, quæ malum quod intendit, simulatione non nocendi operit. Vnde *August.* Dolus est occulta malitia, blandis verbis adornata. *Isa.*32. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnabit ad perdendos mites, cùm loqueretur pauper iudicium [impudicitiã] *August.* Impudicitia est immunditia cordis ad libidinem incontinentiæ pertinens. Sicut tactus impudici, & impudica oscula, & amplexus, & nutus oculorum meretricij & huiusmodi. *August.* Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius.

Pudicitia enim est pudor virginalis, quæ signa venereorum non admittit. *Thren.*5. Adolescentibus impudicè abusi sunt [Oculus malus] hoc est, inuidia, quæ intus videt bonum proximi, & vulneratur ex ipso ad cordis tristitiam & deiectionẽ. *Eccles.*14. Nequam est oculus inuidi, & auertens faciem suam, & despiciens animam suam [Blasphemiæ] impositio falsi criminis in Deum; dum vel Deo attribuitur quod non conuenit, vel aufertur ab eo quod conuenit. *Leuit.*24. Educ blasphemum extra castra : & lapidet eum omnis populus. *Matth.*12. Spiritus blasphemiæ non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro [Superbia] quæ est propriæ excellentiæ suæ dignitatis improba delectatio. *Tobiæ* 4. Superbiam in tuo animo nunquam dominari permitte : quia ab ipsa sumpsit initium omnis perditio [Stultitia]hoc est, stoliditas quando homo est insipiens. Et talis est, vt dicit *Ptolomæus*, qui semipsus ignorat quantitatem. *Apoc.*2. Putas te aliquid esse, cum nihil sis. *Galat.*6. Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. *Apoc.*3. Dicis quod diues sum, & nullius egeo : & nescis quia miser es, & miserabilis, & cæcus, & nudus, & pauper. Et subdit generaliter [Quia hæc mala ab intus] à corrupta voluntate [procedunt] ad extra [& communicant]hoc est, coinquinant [hominem] Exteriora autem creaturæ Dei sunt, & hominem secundum seipsa coinquinant. *Genes.*1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. *Tit.*1. Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Sic igitur terminatur pars de fama potestatis leonis.

Et inde surgens abiit in fines Tyri & Sidonis : & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum vt dæmonium eiiceret de filia eius.

Hic incipit pars illa, in qua leo curam suæ fortitudinis ostendit, contra id quod est in actuali peccato, per vexationem improbæ libidinis, quæ fit in cordis voluntate per consensum statim perficiendum in opere : & hoc sub typo curæ filiæ Syrophœnissæ. Diuiditur autem hæc pars in tres partes, in quarũ prima miraculi huius describitur locus, in secunda describitur huius miraculi impetrationis modus, in tertia autẽ miraculi describitur plenus effectus. In prima dicuntur [illegible] communis, & locus proprius, & [illegible] Dicit igitur[Et inde surgens] [illegible] & obseruationes Iudæorum [illegible] ab indignis recedens [abiit in fines Tyri & Sidonis] hoc est in extremam partem Sidonis, in qua Tyrus erat, & illa pars Iudææ [illegible] Ingressus Iesvs secessit in partes Tyri & Sidonis. Sed videtur contra suum dictum facere, quia *Matt.*10. dicitur : In viam gentium ne abieritis. Ad hoc dicendum quòd in finibus illis, Iudæi & gentes permixtim habitabant, & ipse ad Iudæos declinabat. Adhuc autem non declinabat ad manendum, sed ad transeundum : sicut & venit in Sychar, ciuitatem Samariæ *Ioan.*4. [& ingressus domum]causa quietis, ex labore viæ. *Ioan.*4. Iesvs fatigatus ex itinere, sedit sic super fontem[neminẽ voluit scire] Vt nos erudiret, humiliter nos ad hominum laudem occultare. *Marc.*6. Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum [& non potuit latere]Non de impotentia propria, sed de prædicatione suæ laudis. Sicut dicitur *Matth.*5. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Et ideo tangit causam quare latere non potuit, dicens.

Mulier enim] Et hæc est pars secunda de modo impetrationis miraculi : & hæc impetratio fuit per mulierem : & hæc commendatur à sex, scilicet, à fide, ab affectu naturæ, à sui aduentus deuotione, à cultus rectitudine, ab orationis supplicatione, à suæ indignitatis humana recognitione: à fide, quia [statim vt audiuit de eo] fide mota est ad ipsum. Vnde *Matth.*15. O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. *Matth.*8. Non inueni tantam fidem in Israel. Non enim tardauit, sed[statim vt audiuit]festina cucurrit, sciens, quòd in digito Dei eiiceret dæmonium : & quòd sic in ipsam perueniret Dei regnum, regno diaboli expulso. *Matth.*12. [cuius filia habebat spiritum immundum] Ab affectu naturæ ordinato hic commendatur: quia filiam diligens, non diligebat in ea spiritum immundum : per contrarium eorum, qui non nisi ad spiritum immundum diligunt suos natos. *Isa.*49. Si potest mulier obliuisci filium suum, vt non misereatur filio vteri sui. Spiritus autem immundus erat, qui ad immunditias vexando impellebat libidinum immundarum. *Psalm.*105. Initiati, hoc est, consecrati sunt Beelphegor : & comederunt sacrificia mortuorum. Beelphegor est idolum tentiginis, quod extenso veretro figurabatur : & hoc vexabat ad libidinem Maacha matrem Ioas, qui fuit sacerdos in templo Priapi. Sed ista non ad hoc dilexit filiam, sed potius ad munditiam : & ideo ad fontem munditiæ per fidem festinauit. *Eccles.*42. Super filiam luxuriosam confirma custodiam, nequando faciat te in opprobrium venire inimicis[intrauit] Laudatur à deuotione, per quam appropinquans intrauit ad Dominum, Sicut *Luc.*7. Mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt audiuit quia Iesvs discubuit, non iussa venit [& procidit ante pedes eius] Ecce laudatur à cultu : creatorem & Deum esse confitens per cultum, qui soli Deo debetur. 1. *Corinth.*14. Cadens in faciem suam adorabit Deum, pronuntians quòd vere Deus in vobis sit. *Psalm.*131. Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. Et tangitur fidei ipsius commendatio cum dicit [Erat enim mulier]Cuius virtus magis est commendabilis quam viri, quanto minus ad virtutem per constantiam animi disponitur. 2. *Machab.*7. Supra modum mater commendabilis, & bonorum memoria digna : quæ fœmineæ conditioni masculinum animum ingerens, propter spem quam in Deum habebat[gentilis]Non edocta per Prophetas & legem. *Rom.*2. nemo indicabat quod per naturam est præputium, te, qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es [Syrophœnissa] hoc est, de Syro & Phœnice exorta [genere] Huic autem contrarium videtur quod dicitur *Matth.*15. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa. Ad hoc respondet *Hilarius.* Chananæi terræ, in quibus sunt in-

coluerunt, qui remanentes, aliis gladio consumptis, aut in loca vicina dispersi sunt, aut in seruitutem subiecti, & nomen tantùm sine patria circumferunt. Ex illa ergo dispersione contigit, quòd hæc Chananæa à primis progenitoribus fuit; & tamen propinqui genitores ipsius erant de Syria & Phœnice: & Iudæis admista, Proselytorum formam tenebat. Vnde ex vicinitate Iudæorum, legem existimatur cognouisse, & cognitionem habuisse, quòd Christum, & Deum, & Dominum, & Filium Dauid esse cōfitebatur [& rogabat eum] Instantes clamans, vt dicit *Matth.* 15. post eum: ita vt etiam Discipuli dicerent Domino: Dimitte eam, quia clamat post nos [vt dæmonium eiiceret de filia sua] Et commendatur à simplicitate orationis. *Matth.* 15. Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.

Qui dixit illi: Sine prius saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa respondit, & dixit illi: Vtique Domine, nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua. Et cum abiisset domum, inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exiisse.

Tangit hic commendationem à suæ indignitatis recognitione: & dicit duo, scilicet, obiectionem indignitatis & recognitionem. De primo dicit [Sine prius saturari filios] Filij dicuntur Iudæi. *Osee* 11. Ex Ægypto vocaui filium meum. *Exod.* 10. Dimitte populum meum. Hos ergo prius gratia mea dimitte saturari, vsque ad nauseam, ita quòd abiiciant eam: & tunc deriuabitur hæc gratia ad te, quæ es gentilis. *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei. Sed quia repellitis illud, & indignos vos indicatis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes. Et tangit causam huius, per metaphoram loquens [Non est bonum] Ordinis debiti bonum non obseruaretur aliter [sumere panem filiorum] à filiis qui sunt Iudæi, & mittere canibus, hoc est, gentilibus: nisi priùs panis à filiis saturatis proiiciatur. *Matth.* 15. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum. Panis autem gratia curationis, & diuini verbi refectio vocatur.

At illa respondit] obiectam sibi recognoscens indignitatem [Et dixit ei Vtique domine] Supple, canis sum, & cane immundior [Nam] hoc est, quia tantùm in misericordia tua, non in dignitate mea confidens, gratiam tuam peto. *Daniel.* 9. Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis [Nam] hoc est, quia [catelli] imbecilles, & saturitatem filiorum expectare non valentes [edunt sub mensa] interim, dum adhuc reficiuntur filij [de micis] minutis [puerorum] hoc est, filiorum. Ita ego necessitatem patiens in filia, non possum expectare conuiuium Gentilium, qui canes sunt, refectionem: sed statim dum reficis filios, est mihi succurrendum. Vnde *Matth.* 15. dixit: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Micæ autem significant subtiles intellectus, & gratias Spiritus sancti.

Et ait illi] Tangens perfectionem miraculi impetrati [Propter hunc sermonem] magnam tuam fidem & deuotionem indicantem [vade] sciens me corpore absentem, potentia deitatis quæ vbique præsens est, posse curare [exiit] iam fidei tuæ merito [à filia tua dæmonium] *Matth.* 15. Fiat tibi sicut petisti. *Luc.* 7. Fides tua te saluam fecit, vade in pace [Et cum abiisset domum] plenè credens sermoni Domini. *Rom.* 4. In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide: plenissimè sciens, quia quæcunque promisit Deus, potens est & facere [inuenit eam quiescentem super lectum] strati sui, à quo ante per dæmonium præcipitabatur [& dæmonium] inuenit ab ea [exiisse] & à vexatione immunditiæ cessasse. *Matth.* 15. Et sanata est filia eius ex illa hora, qua hoc dixit Dominus.

Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

Tangit hic curam actualis peccati ex fortitudine leonis de tribu Iuda prouenientem contrà peccatum actuale: secundùm hoc, quòd exhibentur membra corporis, arma iniquitatis peccato, quando perpetratur in opere. Habet autem hæc pars duas partes, scilicet, locum in quo factum est miraculum, & historiam de miraculi perfectione. In primo tangit locum quem reliquit, dicens [Et iterum exiens de finibus Tyri] Vbi permistim Iudæi & gentiles habitabant. Exiuit autem, vt & alibi gratiam suam indigentibus communicaret & prædicaret. *Luc.* 4. Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare: ad hoc enim missus sum [venit per Sidonem] transiens vt venator animarum: quia Sidon venatio interpretatur. *Genes.* 27. Cùmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum vt comedam, hoc est, mihi incorporem. Hoc dixit Patriarcha filio suo. Venit autem sic transiens [ad mare Galilææ] hoc est, stagnum Genesareth: Quæ (inquam) Galilæa quantum ad partem prouinciæ in quam venit [est inter medios fines Decapoleos] hoc est, decem ciuitatum ibi ædificatarum, quarum territoria ibi conueniunt: & significant congregationes fidelium, qui decem mandatis decalogi coniunguntur. *Luc.* 19. Tu esto super decem ciuitates.

Et adducunt ei surdum & mutum; & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

Hic tangitur historia miraculi: habet autem tres particulas, intercessionem ad impetrandum, modum specialem ad perficiendum, & vtilitatem ad ædificandum. In intercessione tria sunt: adductio, intercessio, & manus impositio. De adductione dicit [Et adducunt ei] per fidei suæ deuotionem. *Psalm.* 28. Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum, hoc est, prælatorum & prædicatorum: qui arietes, hoc est, duces sunt gregis: & filios sibi commissos adducere debent ad Dominum vt curentur [surdum] quia aures arma iniquitatis peccato exhibuerat: ideò diabolus in auribus fecerat surditatem: & maximè à verbo Dei audiendo. Aures enim sic aperuerat serpenti

serpenti prima mater: & sic aures exhibuerat mulieri à serpente persuasæ primos pater [& mutum] omnis enim surdus naturaliter est mutus: quia quid loquatur audiendo, non potest discere. Tamen iste (vt inferius patebit) & linguam ligatam habuitne ad loquendum mouere posset: vnde infra dicitur: solutum est vinculum linguæ eius. *Ezech.* 3. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris tacens. *Psalm.* 37. Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum. Et hoc etiam merito primæ præuaricationis incurrerat, in qua lingua ad loquendum cum serpente contra Deum soluta fuerat. *Psal.* 136. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui: hoc est, quia nō ero memor tui sed potius verborum Diaboli, cum quo loquerer [& deprecabantur eum] hoc est Dominum. Et hæc est intercessio astantium: quæ significat sanctæ Ecclesiæ intercessionem. *Iacob.* 5. Orate pro inuicem vt saluemini: multùm enim valet deprecatio iusti assidua [vt imponat illi] muto & surdo [manum] omnipotentem, quæ eum condiderat: illius enim erat & reformare corruptum. *Iob* 5. Ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt. *Psalm.* 138. Posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam. Sciebant enim quod dicitur *Iob* 26. Obstetricante manu eius, eductus est coluber tortuosus. Et ideò hoc beneficium manus petierunt. *Marc. vlt.* Super ægros manus imponent: & bene habebunt.

Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius.

Tangitur modus perfectionis miraculi dupliciter, scilicet, ex parte Domini facientis & ex parte infirmi in quo factum est. Ex parte Domini triplex tangitur modus in factis, in aspectibus, & in verbis. In factis tangitur quadruplex modus: primò enim tangitur modus apprehensionis, in qua Dominus infirmo iungitur, & significat apprehensionem misericordiæ & charitatis quibus Deus nos apprehendit. *Hebr.* 2. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Et hoc est quod dicit [apprehendens illum] *Phil.* 4. Sequor si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum ab ipso. Secundum est apprehensi de turba segregatio: & significat segregationem à massa perditionis & perditorum, quæ fit per gratiæ apprehensionem. *Num.* 16. Separamini à tabernaculis hominum impiorum, ne forte & vos terra viuos absorbeat. *Galat.* 1. Cum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me: continuò non acquieui carni & sanguini. Segregatio enim ab vtero matris Synagogæ, separatio est à massa perditorum: & hoc est quod significat, cum dicit [à turba seorsum] Tertium factum est, quia [misit digitos in auriculas eius] digiti enim isti significant virtutem operatiuam, qua cuncta condidit per potentiam, sapientiam, & bonitatem. *Isa.* 40. Qui appendit tribus digitis molem terræ. Et isti sunt tres primi digiti. Digitus etiam est index virtutis Sancti Spiritus per dona sapientiæ, & intellectus, & cætera, quæ *Isaiæ* 11. Enumerat. *Matth.* 12. Si in digito Dei eiicio Dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Digiti etiam sunt, quibus perfecit fideliter opus Redemptionis in magna amaritudine Passionis. *Cant.* 5. Manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Et contra hos digitos nulla potuit stare virtus inimici Dæmonis: quia ex primis digitis expulit impotentiam audiendi, & ignorantiam audiendo non percipiendi, & malitiam auditum diuinum repellendi. Ex quarto digito expulit peccatum per Spiritus sancti donum. Et ex quinto expulit obligationem ad surditatem per solutum pretium per passionem. Hos ergo digitos potius spiritualiter intellectos immisit, quam corporales digitos exterius immiserit: quia illis intus tetigit, & vim Dæmonis effugauit. Dicit autem [in auriculas] quia auris habens solam figuram auris, & non habens virtutem audiendi, diminuta est & non perfecta [& expuens, tetigit linguam] quartum factum est. Sputum autem quod à capite descendit saporem significat diuinorum, quo sapor redit ad linguam, & soluitur vinculum ad loquendum. 1. *Reg.* 14. Gustaui paululum de melle isto, & illuminati sunt oculi mei, quòd modo video quid saporandum & loquendum sit. Mel autem, quod est sub lingua Domini, significat dulcedinem doctrinæ eius. *Cant.* 4. Mel & lac sub lingua tua. Hoc igitur melle tetigit linguam illius.

Et suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: ephphetha, quod est, adaperire.

Ecce hic tangitur modus duplex suspectionis: vnus quidem in oculis corporis significat, quòd ad Patrem omnia refert per concordiam & vnitatem quam habet ad ipsum: & alter cordis, qui significatur per gemitum, quo ingemuit pro nobis: & hunc tangit cum dicit [ingemuit] *Ioan.* 11. dicitur de primo: Iesus eleuatis oculis in cælum dixit: Pater gratias ago tibi, quia audisti me. Docet etiam nos ad cælum dirigere intentiones nostras, cum aliquid volumus impetrare. 2. *Paral.* 20. Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. De gemitu autem dicitur *Cant.* 2. Vox turturis audita est in terra nostra: quæ gemitum habet pro cantu: quia Christus gemuit pro nobis. *Psal.* 37. Rugiebam à gemitu cordis mei [& ait] tangit modum miraculi in verbis, dicens [ephphetha] in Hebræo. Et hoc exponens Euangelista subinfert [quod est, adaperire] iam in vinculis aurium, quam in vinculis linguæ, vt & audiat & loquatur. *Isa.* 50. Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. *Isa.* 50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo.

Et statim apertæ sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè.

Tangit modum perfectionis miraculi in effectu ex parte infirmi: & tria dicit: secundum in auribus [Et statim apertæ sunt aures eius] quæ priùs erant surdæ, modo factæ aures: quia auditui [sunt apertæ] vt intret sonus & vox ad audiendum. *Prou.* 20. Aurem audientem, & oculum videntem, vtraque fecit Dominus. *Isa.* 35. Tunc

aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt [& solutum est vinculum linguæ eius] secundum est, ex parte linguæ eius. *Isa.*35. Aperta erit lingua mutorum. *Luc.* 11. Erat Iesus eiiciens Dæmonium, & illud erat mutum: & cum eiecisset Dæmonium, locutus est mutus [& loquebatur rectè] tertium est ex parte actus demonstrantis solutum esse vinculum linguæ & aurium: qui non loqueretur nisi audiret. *Isa.* 32. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt. Et cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè.

Et præcepit illis ne cui dicerent.

Tangitur ædificatio secuta miraculum. Tanguntur autem duo: ædificatio ad humilitatem ex parte Domini: & ædificatio laudis diuinæ ex parte turbæ & amicorum curati. Dicit igitur [& præcepit eis] non præcepto obseruationis, sed præcepto instructionis, ad humiliandum in magnis factis exemplo Domini [ne cui dicerent] & per hoc non iactare bona sua discerent. *Ecclesiast.*3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. *Matth.*11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.

Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant: & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit: & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Tangit secundum: & dicit tria, scilicet, ædificationem ad ampliorem gloriam: ædificationem ad ampliorem admirationem: & ædificationem ad ampliorem laudem. Dicit igitur [quanto autem eis] & abundantiore humilitate [præcipiebat] præcepto instructionis [tanto magis prædicabant] gloriam ipsius. Quia (sicut dicit *Tullius in fine primi rhetorica*) gloria est ore multorum prædicata laudatio. *Tob.*12. Opera Dei reuelare & prædicare honorificum est. *Isa.*46. Prædicabunt in populis virtutem meam: & annuntiabunt in gentibus gloriam meam [& eo amplius admirabantur] quantum ille ex humilitate non dilatandum esse præcepit. *Esther.*15. Valde mirabilis es Domine: & facies tua plena gratiarum. Hoc enim valde mirabile: quia in tanta facie, hoc est, præsentia gratiarum tam humilis fuit [dicentes] in magnifica laudis ædificatione [bene omnia fecit] hoc est, bene se omnia facere posse probauit, hoc est, omnipotentiam demonstrauit. *Rom.*9. Voluntati eius quis resistet [& surdos fecit audire] quotquot voluit [& mutos loqui] surdi enim prius est audire, vt sciat quid loquatur. *Prou.* 18. Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & reprehensione dignissimum. Sic ergo per virtutem leonis curatur actuale peccatum.

CAPVT VIII.

In diebus illis iterum cùm turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent.

HIc incipit pars illa quæ est de ostensione virtutis leonis contra sequelas peccati actualis, quæ sequelæ sunt tres: prima quidem est inedia, quæ causatur ex longo defectu carentiæ refectionis spiritualis ex cibo gratiæ, propter quam fit deperditio virium ad vitam spiritualem: & contra hunc defectum adducitur miraculum refectionis turbarum. Secundus defectus, est defectus visus in discretione credendorum, & agendorum, & appetendorum, quæ Domino placent: & hic defectus causatur ex longa obscuratione cordis, contra tenebras peccatorum: contra hunc defectum inducitur miraculum de cæci illuminatione, *ibi* [& veniūt Bethsaïdam & adducunt ei cæcum] tertius est difficultas ad faciendum bonum, & recedendum à malo: & contra hunc defectum inducitur miraculum Dæmoniaci, quem Discipuli curare non poterant: & incipit post principium capituli noni, *ibi* [& veniens ad Discipulos vidit turbam, &c.] Prima autem harum partium diuiditur in duas partes, in quarum prima inducit miraculum contra defectum prædictum. Sed quia quidam non intelligebant quod contra talem ordinaretur defectum, ideò in secunda parte de hoc plenam inducit instructionem, *ibi* [& statim ascendit in nauim] adhuc autem historia de miraculo diuiditur in tres partes, in quarum prima, inducit ad istud miraculum faciendum inducentia: in secunda, inducit ea quæ sunt Discipulos de miraculo faciendo instruentia: in tertia autem, ponit ea quæ sunt miraculum perficientia. In prima harum partium dicit tria, scilicet, opportunitatem temporis, congruentiam deuotionis, & affectum misericordiæ & miserationis.

De primo dicitur [in illis diebus] significans quod pluribus diebus eum turba sustinuerat: quia aliter pluraliter, in illis diebus, non diceret. *Psal.* 138. Dies formabuntur: & nemo in eis, supple, defluit. *Genes.*29. Videbantur ei dies pauci præ amoris magnitudine. Dicit enim *Auicenna*, quod homines delectati in diuinis tempus non percipiunt, ita & isti non perceperunt tempus nec defectum corporis, ex desiderio & delectatione auditus Christi. *Psal.*98. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo. Sic Moyses in monte perseuerauit cum Domino. 40. diebus, & 40. noctibus, panem non comedit & aquam non bibit [iterum] notat quod ante fecerat miraculum de refectione quinque panum in quinque millia hominum: & ideò addit hîc: iterum. Deus enim diues in misericordia non defecit, nec finem ponit beneficiis: sed semper influit & effluit. *Iacob.*1. Dat omnibus abundanter, & non improperat [cùm turba multa] quia multa de causa sequebatur: quidam vt satiarentur de panibus. *Ioan.* 6. Quæritis me, non quia vidistis signa: sed quia manducastis de panibus. *Eccles.*6. Est amicus socius mensæ. Quidam

dam

dam autem propter curiositatem videndi signa. *Ioan.*6. Sequebatur eum turba maxima, quia videbant signa super his qui infirmabantur. Quidam autem vt caperent eum in sermone. *Mat.*22. Conuenerunt ad IESVM Pharisæi vt caperent eum in sermone. Quidam autem sequebantur propter deuotionem, vt Discipuli *Ioan.*6. Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et sic ex diuersis causis sequens turba multa, & multiplex erat cum eo: & hoc est quod dicit [Cum turba multa esset cum IESV] Cum eo enim esse, est esse cum auctore salutis: & sine eo esse, est salutem perdere. *Matth.*12. Qui non colligit mecum, dispergit: & qui non est mecum, contra me est. Et hoc est secundum quod mouit ad pascendum, quia secum erant [nec haberent quod manducarent] Ecce necessitas quæ inducit ad miraculum faciendum, quia nec habebant, nec de facili habere poterant quod manducarent in loco deserto, in quo esculentum non inueniebatur: suis enim nunquam in necessitate deest Dominus. *Psalm.*110. Memoriam fecit mirabilium suorum: escam dedit timentibus se. Ideò dicit *Matth.*6. Nolite solliciti esse dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus? scit enim Pater vester cælestis quid vobis necesse sit.

Conuocatis Discipulis, ait illis: misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; Et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis, de longe venerunt.

Conuocatis Discipulis] Non vt ignorans quid acturus esset, consuleret: sed vt nobis formam daret, etiam à minoribus aliquando consilium habendi. *Ioan.*6. Hoc autem dixit tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Conuocauit etiam, vt ex facto instrueret & ad fidem ædificaret [ait illis] instruens & ædificans ad fidem [Misereor super turbam] Ecce tangit inclinationem misericordiæ: tangit autem tria. Primum quidem multitudinem, quia multitudini compatiendum erat: & hoc notat cum dicit [misereor super turbam] Multos enim fame affligere erat miserabile. Vnde *Matth.*6. Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est: qui solem suum facit oriri super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Defert enim toti multitudini propter bonos qui sunt in ea. Secundum est quod dicit [quia ecce iam triduo sustinent me] quamuis puniantur graui pondere necessitatum: sustinentiæ autem causa, fuit desiderium audiendi: propter hoc enim libenter sustinebant famem & laborem. *Matth.*20. Portauimus pondus diei & æstus. *Genes.*31. Nocte & die æstu vrebar & gelu: fugiebatque somnus ab oculis meis [& si dimisero eos ieiunos] sic laboribus & fame affectos [in domum suam] reuertentes [deficient in via] Talis enim est natura hominis, quod abstractus à se & ad diuina suspensus, defectus proprios non sentit: reuersus autem ad se sentit, & tunc deficit. *Ps.*16. Satiabor cum apparuerit gloria tua: & si illa subducta fuerit, in media propria deficiam. Causam autem subiungit cùm dicit [Quidam enim ex eis à longe venerunt] & ideò diu ieiunarunt, quia sibi ad viaticum nihil prouiderunt, putantes ex abundantia tuæ largitatis saturari: & hæc est literalis expositio.

Triduum autem quo sustinuimus IESVM fuit status naturæ, & legis, & Prophetiæ. *Genes.*40. Tres enim adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao magnus rex regum ministerij tui: & restituet te in gradum pristinum. Vel triduum morale, est triduum contritionis, confessionis, & satisfactionis. *Exod.*8. Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ad sacrificandum Deo nostro. Et triduum anagogicum, est contemplatio vestigij, imaginis, & speciei expressæ. *Genes.*22. Abraham immolaturus filium, tertia die vidit locum quem ostendit Dominus. Quod autem dicit [nec habent quod manducent] Significat nostrum, qui ex nobis est, defectum boni gratiæ reficientis. *Isa.*3. In domo mea non est panis neque vestimentum. *Luc.*11. Non habeo quod ponam ante illum ad reficiendum spiritum. Quod autem dicit quod [Quidam de longe venerunt] Significat pœnitentes de regione longinqua dissimilitudinis venisse. *Isa.*60. Filij tui de longe venient: & filiæ tuæ de latere surgent. *Isa.*43. Affer filios meos de longinquo: & filias meas ab extremis terræ. *Psalm.*118. Longe à peccatoribus salus. Quod autem dicit [Si dimisero eos ieiunos in domum suam] denuo non pascens [deficient in via] Significat quòd nisi pascamur gratia Dei in affectu, & verbo Dei in intellectu, & corpore Domini in Sacramento: quod deficiemus, quomodocunque ex nostro sensu in bonis naturalibus, & in bonis fortunæ abundemus. *Psalm.*33. Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non deficient vllo bono. *Luc.*2. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. Iste ergò est sensus spiritualis.

Et responderunt ei Discipuli sui: Vnde istos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine? Et interrogabat eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt ei: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram.

Hic tangitur pars quæ est de instructione Discipulorum. Dicit autem tria, scilicet, Discipulorum quæstionem, quæ exigit illuminationem: Domini interrogationem, quæ excitat Discipulorum ad id quod faciendum erat intentionem: & turbæ ad refectionem dispositionem. Dicit igitur [Et responderunt ei] Domino [Discipuli sui] qui ex omnibus erant instruendi [Vnde] hoc est, ex quibus abundantiis [istos] tam multos tam famelicos [quis] quantumcunque diues [poterit] ex facultatibus suis [saturare] quia fame affecti multa vorabunt [panibus] etiam sine pulmentario: & hoc [in solitudine] vbi nihil est esculenti vel poculenti. Ac si dicant, Nullus homo posset hoc facere. *Psalm.*103. Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore, ne deficiant. Et quia homini hoc impossibile est: speratur hoc à benignitate & misericordia tua. Ergo fac quod dicit *Psalm.* Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. *Et iterum.* Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Et quod dicunt de solitudine, nihil est: quia multa millia 40. annis in deserto

pauisti *Psalm.*77. Panem Angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia.

Et interrogabat eos] Instruens de facilitate qua cum gratia Dei pasci poterant. Sapientis enim interrogatio, instructio est. Vnde *Hieronymus.* IESVS sedens in medio Doctorum, magis docet dum prudenter interrogat [Quot panes habetis] Ac si dicat: Scrutamini secreta vestrarum facultatum: & videte quid à Deo habeatis: hoc enim, quantumcunque paruum sit, cum adiutorio Dei sufficiet. 3.*Reg.*17. Vidua Sareptana non habuit nisi parum farinæ & modicum olei in lecytho: & suffecit ad pastum Prophetæ, & sustentationem domus suæ. 4.*Reg.*4. Vidua non habuit in domo sua nisi modicum olei quo vngeretur, & cum gratia Dei suffecit ad debitorum solutionem, ad filiorum redemptionem, & ad vitæ suæ & filiorum sustentationem. 2.*Corinth.*9. Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis: vt in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Videte ergo [quot panes] gratiæ [habetis: Qui dixerunt] ex magistri interrogatione iam ad spem refectionis & abundantiæ eleuati [septem] panes, qui vel significant septem virtutes, tres theologicas; spem, fidem, charitatem: & quatuor cardinales: prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam: de quibus dicitur *Isa.*4. Apprehendent septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum. Quælibet enim virtutum suum panem ministrat, dum quælibet suam intus ministrat refectionem: prudentia quidem, in eligendo id quod adiuuat ad vitam: iustitia autem, ad operum rectitudinem: fortitudo ad strenuitatem in aduersis: & temperantia ad modum conuenientem in prosperis. Fides autem pascit intellectum in vero: spes eleuat in expectando æterno: & charitas reficit in bono amato.

Ecce septem] panes habent Discipuli Domini, septem Spiritus sancti donorum dulcedines intus reficientes, de quibus dicitur *Isa.*11. Sapientia enim diuinorum reficit sapore. 1.*Petr.*2. Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. *Psalm.*33. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Intellectus autem reficit mentem, & pascit in vero audito. Quia *Gregorius* dicit, quòd intellectum dat, de auditis mentem illuminat. *Sapient.*16. Angelorum esca nutriuisti populum tuum. Consilium autem stabilit & pascit in dubiis, dum consilio Dei mens stabilitur. Quia sicut *Gregorius* dicit, consilium Dei est immobilis diffinitio de faciendis. *Luc.*1. Esurientes impleuit bonis. Fortitudo autem spe vincendi pascit in aduersis. 3.*Reg.*19. Elias in fortitudine cibi panis vicit Iezabel, & peruenit ad montem Dei. Pietas autem beneuolentia, qua per affectum fluit ad omnes, pascit dulcedine largitatis: & in hoc casu verum est ænigma Samsonis *Iudic.*14. A comedente exiuit cibus: quia dum pauper pascitur & cibatur, cibus per gratiam exit ab ipso, & cibat pascentem. Scientia dum docet immaculatè conuersari in medio nationis prauæ & peruersæ, reficit intus gaudio dum malis prodest, & non maculatur ab illis. *Psalm.*118. Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini. De refectione dicitur *Prouerb.*15. Secura mens quasi iuge conuiuium. Timor autem Domini in conspiratione displicentiæ mali, magnam affert refectionem: & iste est panis doloris: quia semper reficit in hoc quòd dolet de malis. *Psalm.*126. Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.

Vel septem panes, sunt septem gratiæ sacramentales, dum gratia Baptismi reficit contra originalem iniustitiam. *Eccl.*11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: & post multa tempora inuenies eum. Lotio enim aquæ per tinctionem corporis de Baptismo transit: & refectio gratiarum intus per totum tempus inuenitur. Confirmatio autem contra fomitis incendium reficiendo confortat, vt confirmatus intrepidè Christum confiteatur corde, ore, & opere. *Psalm.*103. Panis cor hominis confirmat. Pœnitentia autem maculas actuales purgat, & defectum restituit. 3.*Reg.*19. Ad caput Eliæ subcinericius panis & vas aquæ, quo fugiens Iezabel impiam refectus euasit. Eucharistia autem deperditum in spiritualibus propria refectione reparat & restituit. *Sapient.*16. Paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem. Ordo autem in potestate diuina reficit, vt etiam diuinos actus facere possimus in omnium spiritualium dispensatione: & iste est panis filiorum Dei, qui comedunt ad Dei mensam. *Ierem.*31. Inebriabo animas sacerdotum pinguedine, & populus meus abundabit bonis. *Luc.*14. Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Isti enim ministri Dei in regno decoris cum Deo sedent ad mensam. *Luc.*22. Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum; vt edatis & bibatis super mensam in regno meo. Extrema vero vnctio reficit transeuntem ad corporis & animæ refectionem. *Isa.*21. Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. A facie enim gladij fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie grauis prælij. Gladius enim peccati reliquias reliquit, contra quas reficit Vnctio; gladius imminens, infirmitas est corporis: arcus autem, qui extenditur de longe feriens, reliquiæ fomitis ex prima transgressione. Ab omnibus enim his confugit homo ad refectionem gratiæ, quæ datur in Extrema vnctione: matrimonialis autem gratia reficit dum concupiscentiam fluentem in præceps recipit, & vnionem castam & fœcundam spiritus creati cum increato ostendit: sic enim dicitur de muliere bona *Prouerb. vltim.* Considerauit semitas domus suæ, hoc est, matrimoniales vtilitates: & panem otiosa non comedit. Quia refectionem in omnibus talibus gratiis habuit: & non otiosè ad libidinem matrimonium suscepit. Istos omnes panes secum habent Discipuli Domini, qui vere Discipuli Domini sunt & ministri, quos super familiam suam constituit.

Adhuc septem habent panes, quibus turbas reficiant. Septem enim sunt in verbo Dei, quibus pascere tenentur, & facultatem vnde pascant semper secum habere. Primum quidem est, quod verbum Dei illuminatiuum est ad fidei veritatem: secundum autem est, quod est ædificatiuum ad omnem spei promissionem: tertium est, quod est ignitiuum ad diuinæ bonitatis charitatem: quartum autem est, quod diuinam in se habet potestatem: quintum autem, quod perfectam confert libertatem: sextum autem, quod ad omnem

omne iniustitiam semper habet contrarietatem: septimum & vltimum est, quod contra omnem vincit falsitatem.

De primo dicitur in *Psal.*118. Lucerna pedibus meis verbum tuum: & lumen semitis meis. Quia ad credenda, & facienda, & appetenda quæ Deo placent, est illuminationem præbens. *Baruch.* 4. Animæquior esto populus Dei: quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis. De secundo dicitur in *Psal.*118. Memor esto verbi tui Domine: in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea. Firmitas enim verbi quo promisit, stabilit spem hominis: quia verbum Dei nunquam excidit. *Hebræor.*6. Firmissimum habemus solatium, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut animæ anchoram habemus tutam & firmam. *Psalm.*118. Adiutor & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui. De tertio dicitur in *Psal.*118. Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud. *Ier.*20. Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis æstuans, claususque in ossibus meis: & laboraui ferre non sustinens. De quarto dicitur in *Psal.* Audient verba mea quoniam potuerunt. Hoc est, perfectam potestatem habuerunt: vt veniant semper ad effectum. *Isa.*55. Verbum quod egredietur de ore meo non reuertetur ad me vacuum: sed faciet quæcunque volui: & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Vnde *Matth.*7. Loquebatur docens tanquam potestatem habens. De quinto *Ioan.*8. Si vos manseritis in sermone meo: veri Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. *Gal.*4. Non sumus ancillæ filij sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit. Liberat autem, per formam & imaginem verbi sui nos formando. De sexto dicitur *Matth.*5. Esto consentiens cum aduersario tuo dum es in via. Vbi dicit *Gloss.* Quod aduersarius noster, verbum Dei est. *Iob.*7. Quare me posuisti contrarium tibi: & factus sum mihimet ipsi grauis? De septimo dicitur. 2. *Corinth.*10. Arma nostræ militiæ non sunt carnalia: sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Christi. Hinc est quod *Ephes.*6. Dicitur quod accipiamus gladium spiritus: qui est verbum Dei. 2. *Mach.*15. Accipe gladium sanctum munus à Deo, quo deijcies aduersarios populi mei Israel.

Per istos septem effectus dum verbum Dei in nobis fuerit, nos intus reficit & confortat: & ideo panis vocatur quo turbæ à Christi successoribus sunt cibandæ. De pane quidem veritatis dicitur *Exod.*12. Comedetis panes azymos. Et *Leuit.*2. Panes absque fermento offeretis, quia verbum [illegible] dei sincera debet esse, & fermento hæreticæ prauitatis non admista. De pane autem qui ex spe confortat dicitur *Leuit.*8. Panes consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Deus. Panes enim spei (quia ex meritis in conscientia repositis surgit spes) edunt in loco sancto: qui ex tali spe propter conscientiam meritorum reficiuntur. Panis autem charitatis *Iosue* 9. Panes quando egressi sumus de domibus nostris, vt veniremus ad vos calidos sumpsimus. Quando enim aliquis sua relinquit, vt ad populum Dei veniat, oportet accipere refectionem verbi ignei, quæ per calidum panem designatur. Ibi est panis calidus, qui proponitur ante conspectum Domini 1. *Cor.*10. Panis autem potestatem perfectam dans est, de quo dicitur in *Psal.*103. Panis cor hominis confirmet. Hoc pane confortatus est Paulus, vt contra omnes posset in verbi Dei potestate. *Act.*9. Cùm accepisset cibum confortatus est. Panis autem conferens libertatem, est panis filiorum, qui liberi sunt. *Matth.*15. Non est bonum sumere panem filiorum: & mittere canibus. Et iste est panis, quem de simila Abraham parauit Angelis cum repromissionem Isaac in futuro per liberam acciperet. *Genes.*18. Accelera, tria sata farinæ similæ commisce: & fac subcinericios panes azymos: quia libertatem, quam ex verbo Dei habemus, sub tegumento huius corticis humilitatis occultamus. Sextus autem panis, qui reficit ex hoc quod inimicitiæ nostræ aduersatur, est quidem panis sed non desiderabilis. *Daniel.*10. Panem desiderabilem non comedi, quia desideriis non obediui: sed refectus sum dulco sermone Domini aduersante mihi. Panis vincens falsitatem & in hoc reficiens, est panis verbi per disputationem elicitus, qui conterit omnem falsitatis & mendacij panem. *Isa.*30. Panis frugum terræ, vbicunque seminaueritis in terra, erit vberrimus & pinguis. Dulcissimus enim veritas & pinguis, ad delectationem à patribus per disputationem est elicita, omnem panem mendacij destruens & elidens: de quo pane mendacij dicitur *Prouerb.*20. Suauis est homini panis mendacij, & postea implebitur os eius calculo. Quia primò mendacium hæreticæ prauitatis suaue est homini decepto: sed cùm in iudicio calculo veritatis arguitur, tunc conuertitur in amaritudinem.

Et præcepit turbæ] per Apostolos ordinantes eos per contubernia discumbere super terram, quæ corpus designat & subijci debet. *Sap.*9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sic ergo instructi sunt Apostoli.

Et accipiens septem panes, gratias agens fregit: & dabat Discipulis suis vt apponerent, & apposuerunt turbæ.

Tangit ea quæ faciunt ad miraculi perfectionem dupliciter: ex parte Christi facientis, & ex parte turbæ comedentis. Ex parte quidem Christi facientis tangit quatuor: acceptionem Dei munerum, collationem eorundem in [illegible] Discipulorum, & per Apostolos eorundem munerum in communitatem & vtilitatem turbarum distributionem, & per pisciculos paucos, panum [illegible]. In primo horum dicuntur quatuor: munerum Dei acceptatio, munerum Dei per quantitatem determinatio, gratiarum de muneribus perceptis actio, & ad communicandum fractio.

Dicit igitur [Et accipiens] hoc est, Dei munus [illegible] quod dat Deus, [illegible] [illegible] *Isa.*56. [illegible] [illegible] LXX [illegible] [illegible] Christi [illegible] [illegible] Deo [illegible] & gratia [illegible] primò Deo debet [illegible] *Ad Phil.*4. Repletus sum acceptis ab Epaphra

Epaphrodito: quæ misistis in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo[septem panes] Ecce munerum Dei per quantitatem determinatio. Et sunt quidem pauca numero: sed cum benedictione Dei sunt & sufficientia, & abundantia: & ideò potius in benedictione Dei quam in muneribus est sperandum. Vnde in *Psalm.*144. Aperis tu manum tuam, supple, ad benedicendum: & imples omne animal benedictione. Hoc etiam testatur veritatis inimicus. *Iob* 1. Operibus manuum eius benedixisti: & possessio eius creuit in terra. Quia quamuis parua sunt quæ ad manus habemus: hæc tamen Dei benedictione crescunt in abundantias [gratias agens]Ecce gratiarum actio de muneribus à Deo acceptis. 1.*Thess.*5. In omnibus gratias agite, 2.*Corinth.*9. Gratias ago Deo super inenarrabili dono eius.

Fregit] Ecce ad communicandum Dei dona fractio, vt in multos diuidi possint. *Psalm.*111. Dispersit dedit pauperibus. Et hoc modo non fit, quia modo vnus solus totum in se colligere conatur, quod in omnes indigentes à Christo frangitur. *Isa.*58. Frange esurienti panem tuum. *Thren.*4. Paruuli, i. humiles pauperes petierunt panem, & non erat qui frangeret eis: quia nostri temporis Sacerdotes, & Abbates, & cæteri Religiosi totum ad se recolligunt, vt integrum recipiant, quod à Christo in multos est fractum[& dabat Discipulis suis] Non vt sibi retinerent: sed[vt apponerent turbis] Et tangitur commissio munerum Dei in dispensationem Discipulorum: omnia enim quæ committuntur Apostolis, dispensanda turbis committuntur. *Matth.*24. Fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis cibum in tempore. *Matth.*10. Gratis accepistis, gratis date. 4.*Reg.*4. Dixit Eliseus filiis Prophetarum. Infunde turbæ vt comedant: & non erat amplius quicquam amaritudinis in olla. Propter turbas enim & augentur dona Dei, & dulcorantur vt sapiant & placeant. *Psalm.*67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus [& apposuerunt turbæ] Appositio notat quod vnicuique sibi competens collatum est: quia non est appositum per appropinquationem partis ad eum cui confertur: nisi vnicuique quod sibi competit tribuatur. Hinc est quod *Matth.*20. dicitur. Tolle quod tuum est, & vade. Tuum enim est, quod [illegible] secundùm capacitatem & vsum vitæ proportionatur: & ideo non apponitur paruulo, quod competit perfecto: nec competit rustico, quod clerico est proportionatum: nec militi expedit, quod artifici est debitum. *Matth.*25. Dedit vnicuique secundum propriam virtutem.

Et habebant pisciculos paucos: & ipsos benedixit, & iussit apponi.

Tangit hic panis dulcoramentum: pisces enim dulces sunt; pisciculi autem humiles, humilium dulces consolationes; pauci vero ideò, quia raro & raptim per breue tempus in hac vita datur consolatio diuina. Talis autem consolatio nunquam debet Christi deesse Discipulis: quin verbum consolationis semper sit in ore eorum: non enim semper donare debent in terrore & timore. Vnde *Exod.*16. Manna quod pluit Dominus, saporem habuit panis oleati: vt cum refectione etiam haberet saporis dulcoramentum. Similiter *Leuit.*2.6.& 24. vbi Dominus panes offerri præcepit, semper adiungit lagana oleo lita. Lagana autem panes frixi sunt in oleo, vt refectionis habeant dulcoramentum. Et quia panes, & virtutes, & dona, & gratias sacramentales, & verbi Dei effectus esse diximus: ideò cum consolatione dulcedinis omnia ista sunt miscenda: vnde *Hebr.*13. Rogo vos autem fratres, vt sufferatis verbum solatij quod scripsi vobis. Quia solatij verbum est, quod cum consolatione est propositum. *Eccles.*6. Verbum dulce multiplicat amicos. *Ezech.*34. Cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersus est grex meus. De Aser autem (qui beatus interpretatur) dicitur *Genes.*49. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus [& ipsos] pisciculos [benedixit] vt sicut dictum est, & multiplicarentur ad sufficientiam, & dulcorarentur ad saporem. *Sap.*17. Habentem in se omne delectamentum, & omnem suauitatis saporem [& iussit apponi] quia non per se dulcia ministrantur Discipulis, sed pro subditis sibi commissis: vnde 4.*Reg.*4. Cùm etiam amaritudo mortis esset in olla, tamen hano ipsam Eliseus in dulcedinem conuertit: ne turba fidelium amaritudine diffideret. Et hoc fit quando Prælatus in dulcedine verbi, & conuersationis, & affabilitatis, subiectis verbum salutis proponit. *Eccles.*49. In omni ore quasi mel indulcorabitur memoria eius, & vt Musica in conuiuio vini. *Psalm.*103. Vinum lætificat cor hominis. Et ideò significat lætificantia subiectos.

Et manducauerunt, & saturati sunt, & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducauerant, quasi quatuor millia: & dimisit eos.

Tangit perfectionem miraculi ex parte turbæ comedentis. Tanguntur autem quinque: comedentium generalitas, quia nulli abstinebant: comedentium saturitas, quia nulli inanes, & famelici remanebant: superexcrescentis quantitatis quantitas, quam in alios pauperes Apostoli releuabant: comedentium numerosa quantitas, quæ virtutem diuinæ benedictionis ostendebat: & saturatorum dimissio, quæ Domini benignitatem significabat. Dicit igitur [Et manducauerunt] refectionem accipientes internam [& saturati sunt] quod de phantastica refectione non fieret. *Prouerb.*13. Iustus comedit & replet animam suam. Venter autem impiorum insatiabilis. *Psalm.*77. Manducauerunt & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati à desiderio suo[& sustulerunt]Apostoli & Discipuli [quod superauerat] per excrescentiam [de fragmentis septem sportas] quia communicata gratia in alios, ipsa gratia crescit in communicante. 2.*Corinth.*9. Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: vt in omnibus omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. *Prouerb.*3. Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus: vt impleantur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.

Septem

Septem enim sportæ significant id quod vniuersaliter excrescit de gratiis Dei proximo communicatis: quia tot sunt sportæ, quot sunt panes: quia de vno quoque pane mystici intellectus superexcrescunt: vnde *Dan.*12. Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia. Vel septem sportæ, quæ sunt vasa munda, in quibus portantur panes, sunt impletiones septem petitionum, quæ in Dominica oratione continentur: quæ omnes, communicata gratia Dei, ad proximum superimplentur. Hoc est quod sub alia metaphora *Genes.*41. dicitur: septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formosæ. Culmus enim ille, in quo omnium petitionum nostrarum pullulat vbertas, misericordia est communicationis eorum, quæ nobis à Domino communissa sunt in pauperes. Sic fit, quia *Ioelis* 2. dicitur. Implebuntur areæ frumento: & redundabunt torcularia vino & oleo.

Erant autem qui manducauerant] Ecce comedentium numerosa quantitas[quasi quatuor millia] Quaternarius vel ad mundi plagas refertur, à quibus veniunt qui à Deo saturantur. *Isa.*43. Ab Oriente adducam semen tuum: & ab Occidente congregabo te: dicam Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere. *Matth.*8. Multi venient ab Oriente & Occidente, & ab Aquilone, & Meridie, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum. Millenarius autem refertur ad perfectionem præmiorum: quadratur enim millenarius in longum, latum, & profundum, ex denario: quia decies decem decies, sunt mille: & hæc quadratura est quando præmium respondet capacitati naturæ, & capacitati meriti, & capacitati spei, & capacitati largitatis diuinæ quæ satisfacit charitati. *Luc.*6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. Vel forte quatuor, ad quatuor referuntur passiones, quæ sunt, timor, spes, tristitia, & gaudium: omne enim quod timetur, elongabitur: & omne quod speratur, habebitur: & omne contristans, vincetur: & omne quod gaudium facit, exuberanter dabitur nobis. Vel quatuor referuntur ad ea quæ generaliter sunt in omni eo quod rectè fit. Hoc enim ad rationem est electum, hoc est, operanti debitum: hoc in opere habet modum, & hoc ipsum contra impedientia est virtuosum & strenuum; & omne tale ad millenarium est perfectum, sicut diximus, ad naturam, & meritum, & spem, & largitatis diuinæ excessum relatum [Et dimisit eos] Ecce demonstratio diuinæ benignitatis. Dimisit enim in pace sine improperatione eos quos pauit. *Iacob* 1. Dat omnibus abundanter, & non improperat.

Et statim ascendens nauim cum Discipulis, venit in partes Dalmanutha. Et exierunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cælo, tentantes eum.

Hic de miraculo facto contra inediam (quam ex defectu boni inducit peccatum) plenam inducit instructionem. Diuiditur autem hæc pars in duas particulas, in quarum prima mala doctrina Pharisæorum, & periculorum corrigitur: & in secunda, bona doctrina Discipuli informantur ibi[Et dimittens eos ascendit iterum]In priori autem harum tria dicuntur: primò enim occasionem à loco accipiunt peruersi cum Domino conquirendi: in secunda ponitur inquirentium peruersa intentio doctrinam Christi peruertendi: in tertia redargutio Domini ponitur contra istos, ne facultatem accipiant malignandi. Dicit igitur[Et statim] dimissa turba [ascendit in nauim] vt à litore remotus, doctrinæ vacaret Discipulorum [cum Discipulis suis] Hoc est significatum *Gen.*7. Vbi solus Noë cum sua familia intrauit in arcã, dimissis omnibus in diluuio submersionis[& venit in partes Dalmanutha] Hæ partes sunt iuxta Genesareth, quæ *Mat.*15. partes Magedan vocantur. Et sunt partes idem locus, quia etiam plerique codices in hoc loco habent Magedan. Interpretatur autem Magedan, poma, vel hortus: quia (ad literam) in locis hortorũ poma & fructus ferẽtium applicuerunt: ibi enim propter loci amœnitatem, quia interlucentes horti fuerunt: & propter vmbrositatem, quia feruor radij solaris ibi non accessit: & quia solitarius locus fuit, Christus cum suis libenter conuersabatur. Talia enim loca & à tumultu sunt sequestrata, & animos hominum eleuant ad sapientiæ diuinæ contemplationem, propter loci solitudinem. Vocatur autem Dalmanutha, hoc est, paupertas requiescens superius: quia in talibus hortis pauperes rusticani, de pomis hortorum viuentes, requieuerunt: & ad illos instruendos semper declinauit Dominus. De primo dicit *Cant.*4. Hortus conclusus, fons signatus. *Cant.*8. Quæ habitas in hortis, amici auscultant te. De secundo dicit *Matth.*11. *Luc.*7. Pauperes euangelizantur. *Eccli.*7. Ne oderis laboriosa opera, & rusticationem ab altissimo creatam. Quod autem in talibus locis doctrina sit conueniens sapientiæ, dicitur *Eccli.*27. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructus eius: sic verbum excogitatum hominis cor, supple, ostendit. Hac igitur de causa ad talem locum Dominus, post turbarum tumultum, declinauit.

Et exierunt Pharisæi] scientes quia in talibus locis quiescere cum Discipulis frequenter inueniretur: vnde *Ioan.*18. Egressus est IESVS cum Discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit IESVS cum Discipulis suis. Sciebat autem & Iudas locum, quia frequenter IESVS conuenerat illuc. Ita & isti loca talia obseruabant, vbi eum tentarent. Exisse autem dicuntur de vicinis villis, & ciuitatibus in quibus conuenientes de malitia suæ tentationis tractabant. Exeuntes ergo sic ad eum [cœperunt conquirere cum eo] de diuersis, vt caperent eum in sermone. Quia erant de talibus de quibus dicitur 2.*Timoth.*3. Semper discentes: & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quia non quærunt ad hoc vt inueniant, sed potius vt teneant & accusent. *Eccli.*1. Accessisti ad Dominum maligno corde, & cor tuum plenum est dolo. *Hier.*12. [illegible] ipse enim cognouit [illegible] [illegible] [quærentes ab illo signum de cælo] [illegible] in [illegible] [illegible] Dei [illegible] & [illegible] de cælo [illegible] signum. Si[illegible] autem de cælo [illegible] sicut quod ad ignem de cælo [illegible], sicut Elias 4.*Reg.*1. Vel

solem

solem & lunam stare faceret, sicut fecit *Iosue* 10. Vel solem retrocedere faceret, sicut fecit *Isaias* 4.*Reg*.20. & *Isa*.38. Quasi parua quædam essent: quæ fecit de terra, in curatione infirmorum, & quæ fecit de abysso, in suscitatione mortuorum: & quæ fecit de mari, in sedatione tempestatum: & quæ fecit de aëre, in quietatione ventorum. Non tamen hæc ideo petunt, quòd illa si faceret non calumniarentur: sed potius ideò: quia si non faceret, infirmitatem suam coram populo prædicarent. Videbantur autem in petitione inniti verbis *Isa*.7. qui Regi Israël hoc offerebat petendum, dicens. Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. *Ioel*.2. & *Act*.2. Dabo prodigia in cælo sursum: & signa in terra deorsum. Et est sensus, ac si dicant. Si de cælo venisti, proba in hoc quod signa de cælo ostendas: quia patres nostri sæpe talia signa demonstrauerunt. Dicebant autem hoc [tentantes eum] Vt de inani gloria notabilem facerent, vel infirmum, coram populo demonstrarent. Filios autem se Diaboli ostenderunt, qui simile aliquid attentauit contra Dominum *Matth*.4. Si filius Dei es, mitte te deorsum. Cui respondit Dominus illud *Deut*.6. quod his etiam responderi potest. Non tentabis Dominum Deum tuum. *Matth*.22. Quid me tentatis hypocritæ?

Et ingemiscens spiritu, ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.

Tangitur hîc correptio: & dicuntur tria: gemitus compassionis peruersorum, demonstratio indignitatis signum quærentium, & negatio cum confirmatione petitorum. Dicit igitur [Et ingemiscens spiritu] pro compassione peruersorum. *Cant*.2. Vox turturis audita est. Quia turtur gemit pro cantu. *Psalm*.78. Gemitus meus in conspectu tuo semper. *Ioan*.11. IESVS fremens in semetipso venit ad locum [ait] Ostendens petentium signum indignitatem [Quid generatio ista signum quærit] Signum enim quamuis exhibeatur infidelibus: quia per hoc ad fidem trahuntur. 1.*Corinth*.14. Signa non fidelibus, sed infidelibus data sunt. Tamen signum non fit nisi in fide & deuotione Ecclesiæ: quamuis ab his aliquando fiat qui fidem non habent formatam, sed informatam: & ideò dicit *Augustinus*, quòd signum impetratur in fide, & deuotione Ecclesiæ. Hi autem non sunt digni quibus signum exhibeatur. *Matth*.7. Nolite sanctum dare canibus: & margaritas nolite spargere ante porcos. Quia isti per signa non attraherentur, qui venerant ad tentandum. Adhuc autem isti pœnitentiæ locum petere deberent: & se indignos reputare ad signa videnda. 2.*Paralip*.vltim. Non sum dignus videre altitudinem cæli præ multitudine iniquitatis meæ. *Luc*.17. Nolebat oculos ad cælum leuare [Amen dico vobis] Confirmatio est de negatione signi [si (aliàs non) dabitur generationi isti signum] Iuramentum est execrationis, ac si dicat. Si dabitur &c. non credatur mihi. Vnde *Gloss*. dicit: Non dabitur generationi isti, quæ viperea est, & adulterina. Viperea, quia lacerat veneno detractionis omne quod videt *Luc*.3. Genimina viperarum quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Adulterina autē, quia etiam signa quæ videt, Deo vero animæ sponso non attribuit, sed Beelzebub. *Matth*.12. & *Luc*.11. Generatio mala & adultera, signum quærit: & signum non dabitur ei.

Et dimittens eos, ascendit iterum nauim, & abiit trans fretum. Et obliti sunt sumere panes: & nisi vnum panem non habebant secum in naui.

Secunda pars in qua dimissis indignis, instruit dignos de miraculo facto: habet autē tres paragraphos, in quorum primo à negotio sumit instructionis occasionem, in secundo ponit instructionem, in tertio malè intellectæ instructionis ponit interpretationem. In primo horum dicit tria: indignorum dimissionem, cum dignis ad locum alium nauigationem, & negotium à quo instruendi accipit occasionem. Dicit igitur [Et dimittens eos] Pharisæos sicut indignos. *Osee* 4. Dimitte eos, separatum est conuiuium eorum. Non enim spiritualis epuli debent esse conuiuæ, qui indigni sunt, & tentantes veniunt [Ascendit iterum in nauim] ad aliam ripam transiens. Et hoc est [& ibant] ipse & Discipuli [trans fretum] Genesareth, vbi tentantes non fuerunt. *Habac*.3. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. Equi sunt Apostoli Dominum circumportantes: lutum autem tenax mundi concupiscentia, qui tales equos tenere non potuit. *Isa*.51. Dedisti in mari viam vt transirent liberati [& obliti sunt] Ecce negotium vnde sumitur instruendi occasio [& obliti sunt] vt homines. Dicit autem *Augustinus*: Nullius rei obliuisci, sed omnium habere memoriam, non hominis naturæ est, sed diuinæ. Tamen hæc obliuio à diuina fuit dispensatione. *Psal*.54. Iacta cogitatum tuum in Domino: & ipse te enutriet [Panes sumere] Sicut enim dicit *gloss*. Qui secum habent panem vitæ Christum: cuius qui reficiuntur amore, minus curant de terreno pane [& nisi vnum panem] quem casu aliquis puerorum sumpserat [non habebant in naui] qui tamen ad tot hominum refectionem [non sufficiebat] Sportas enim quas intuleranr, in cibos pauperum erogauerant.

Et præcipiebat eis, dicens: Videte & cauete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis.

Ecce hic ponitur instructio, scilicet, cautelæ præceptio [Videte] per intellectus discretionem] & cauete] per fidei puritatem [à fermento] hoc est, corruptione. 1.*Corinth*.5. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio [Pharisæorum] *Gloss*. hoc est, legem Dei traditionibus hominum postponere: vel verbis prædicare, factis impugnare: Dominum tentare, doctrinæ eius vel operibus, non credere. Hæc enim fuit corruptio Pharisæorum. *Osee* 7. Quiescit ciuitas paululum à commistione fermenti: donec fermentaretur totum [& à fermento] hoc est, corruptione [Herodis] Cuius fermentum vt dicit *gloss*. est incestus adulterij, homicidium, temeritas iurandi, & simulatio religionis. 1.*Corinth*.5. Modicum fermentum totam massam corrumpit. Fermentum enim spiritualem habet calorem in tota conspersione vaporabiliter diffusa. Et sic facit prauitas hæretica:

tica : quæ totam corrumpit doctrinam & vitam Christianam. Et ideò diligenter est excludenda. 2. *Timot.* 2. Multum proficiunt ad impietatem : & sermo eorum vt cancer serpit. Talibus enim fermentis sana doctrina corrumpitur & Apostolica.

Et cogitabant ad alterutrum, dicentes: quia panes non habemus.

Hic malè intellectæ instructionis ponit interpretationem: & habet duas particulas, in quarum prima ponit malum intellectum, propter quem necessaria est interpretatio: in secunda autem, interpretationem, quæ est mali intellectus correctio. Dicit ergo [& cogitabant ad alterutrum] occultè sibi inuicem significantes & [dicentes] sub silentio [quia panes non habemus] putabant enim quod hoc ideò Dominus diceret: quia veniens trans mare Galilææ, vbi erat potestas Herodis, & vbi multi Pharisæi habitauerunt, nollet à ipsis accipere refectionem : & ideò ad refectionem Domini & suorum necessariò erant panes secum accipiendi: non aduertentes, quia his qui cum Domino in domo sua sunt, nihil deesse poterit. *Psal.* 33. Timete Dominum omnes sancti eius : quoniam nihil deest timentibus eum : requirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Et ad hunc sensum peruersum intellectum eorum corrigit Dominus: & hoc est quod subdit.

Quo cognito, ait illis Iesvs : Quid cogitatis, quia panes non habetis? Nondum cognoscitis nec intelligitis? Adhuc cæcatum habetis cor vestrum? Oculos habentes non videtis? & aures habentes, non auditis? Nec recordamini, quando quinque panes fregi in quinque millia : & quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei : duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia : quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei: septem. Et dicebat eis : quomodo nondum intelligitis?

Dicuntur autem hic tria, scilicet, diuinæ potestatis indicium, redargutio diuinam potestatem ex operibus non intelligentium, & illuminationis ad intelligendum beneficium. Dicit ergo [quo cognito] per Deitatis potentiam nullo nuntiante. *Eccles.* 23. Oculi Domini lucidiores sunt super solem: intuentes in absconditas partes [ait illis] corrigens errorem intellectus eorum [quid cogitatis] obiurgatio est: & est quadruplex: prima de peruerso intellectu sermonis [quid] hoc est, quare [cogitatis] conferendo in cordibus vestris [quia panes] materiales [non habetis] vobiscum. *Matth.* 6. Nolite soliciti esse, dicentes : quid manducabimus aut quid bibemus? scit enim pater vester cælestis quid vobis necesse sit [nondum cognoscitis] secunda obiurgatio de defectu interioris cognitionis, quæ haberi de facili poterat ex iustitiæ signis. Est autem cognitio accepta ex sensibilibus experimentalis scientia, quam Discipuli de facili habere potuissent : & ideò obiurgationem accipiunt, quia saltem hanc non habent : vnde *Luc.* 24. O stulti & tardi corde ad credendum. Intellectus autem vocatur hic, quando ex cognitione experimentali intus in corde legitur, quòd non nisi à diuina potestate tale procedit opus : & quia etiam hunc intellectum de facili habere poterant : propterea de defectu huius intellectus, & Apostolos Dominus obiurgat, dicens [nec intelligitis] *Psalm.* 81. Nesciebant, neque intellexerunt qui in tenebris ambulant [adhuc cæcatum habetis cor vestrũ] tertia est obiurgatio de defectu illuminationis interioris, quæ & diuina illuminare poterat si habita fuisset : dicitur enim cæcum cor quod diuina de super immissa cãtet illuminatione. *Isa.* 6. Excæca cor populi huius. 2. *Corinth.* 3. Velamen est positum supra cor eorum [oculos habentes] quarta obiurgatio de defectu ordinis sensuum ad rationem, ex quo contingit quod fides ex auditu non accipitur: & hoc est quod dicit [oculos habentes] cùm visus sic sensus disciplinalis, quando ad rationem visus ordinatur [non videtis] per rationem visa discernentes [& aures habentes] cùm auditus etiã sit sensus disciplinalis [non auditis] auditu interioti discernente de acceptis per auditum. *Isa.* 6. Aures eius aggraua & oculos eius claude. *Psalm.* 113. Oculos habent, & non videbunt : aures habent, & non audient.

Nec recordamini] hic excitat ad illuminationis beneficium, per duo miracula panum quæ fecit [nec recordamini] corde, & memoria præterita reuocante ad cordis oculos [quando quinque panes] *Sup.* 6. [fregi] distributos [in quinque millia] saturanda, exceptis mulieribus & paruulis [& quot cophinos plenos] qui magnæ sunt vasa capacitatis [fragmentorum sustulistis] in alios pauperes erogandos [dicunt ei] Discipuli Domino veritatem confitentes [duodecim] secundum numerum Apostolorum: in quo ostenditur quod omnibus sufficientiam Deus ministrabit suis [quando & septem panes] in secundo miraculo [in quatuor millia] fregi distribuendo [quot sportas] vasa minoris capacitatis: tamen capientia vltra sufficientiam hominis [fragmentorum tulistis] à Discipulis quæsit : vt confitentes veritatem, magis sint in recordatione miraculi [dicunt ei] Discipuli Domino [septem] in quo notatur abundantia donorum Domini [& dicebat illis] occasionem sumens ex verbis eorum [quomodo nondum] tot signis visis, tot eruditionibus auditis, tot exemplis ostensis [intelligitis] ac si dicat. Hoc mirum est de vobis. *Matth.* 16. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis: cauete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum? Tunc intellexerunt, quia non dixerat cauendum à fermento panum: sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum. Sic ergo terminata est pars, quæ est de miraculi huius illuminatione.

Et veniunt Bethsaïdam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum vt tangeret illum.

Hic inducitur miraculi ordinatum contra defectũ relictum ex peccato, quiest cordis obscuratio. Diuiditur autem in partes duas, in quarum prima potentiam Ieonis manifestat in miraculo: sed quia ostensa potestate non satis adhuc intelligitur, ideò in secunda parte adiungit doctrinam per quam expla

explanatur, *ibi* [& ingressus est IESVS, & Discipuli eius in castella] historia autem miraculi diuiditur in tres partes, in quarum prima ponitur impetrantium miraculum deuotio: in secunda miraculi perfectio: & in tertia, humilitatis contra elationem, quæ ex magnalibus surgere consueuit, ponitur instructio. In prima harum tria dicuntur, scilicet, loci opportunitas, eorum qui cæcum adduxerunt dignitas, & intercessionis simplicitas.

Dicit ergo. [Et veniunt Bethsaidam] quæ est ciuitas supra mare Galileæ: vnde fuerunt Andreas, & Petrus, & Philippus, & Nathanael frater suus. Et ideò ad honorem talis loci congruum fuit ibi fieri miraculum. Adhuc autem quia Bethsaida domus venationis interpretatur, & ideò de venatione sua benedictus à Deo filius, aliquem gustum summo Patri Deo offerret, competens fuit. *Iere.* 16. Mittam eis venatores multos & venabuntur eos. *Genes.* 27. Affer mihi de venatione tua, vt comedam: & benedicat tibi anima mea [& adducunt ei] hac digni adductione: quia noti fuerunt, Apostolorum compatriotæ existentes [cæcum] qui conuenienter ducitur ad illuminatorem. *Ioan.* 9. Quandiu in mundo sum, lux sum mundi. Item *Ibidem.* Ego in iudicium veni in mundum: vt qui non vident, videant. Ductio autem istorum deuotionem & fidem eorum designat, per quæ digni sunt impetrare quod petunt. *Matth.* 21. Soluite & adducite mihi [& rogabant eum] ecce intercessionis simplicitas *1 Cob.* 5. Orate pro inuicem vt saluemini: multum enim valet deprecatio iusti assidua [vt illum tangeret] firmiter credentes quod ad tactum suæ manus, Deitas vnita manui salutem operaretur. *Iob* 5. Percutit, & manus eius sanabunt. Sicut autem tangi petebant extra: ita tangi per compunctionem petebant intra, scientes quod nisi peccatum intus soluatur, infirmitas extra non curatur. Et hoc est quod dicit *interlinearis.* Tangitur, qui compungitur. *Psalm.* 143. Tange montes, hoc est, superbos: & fumigabunt.

Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogauit eum si aliquid videret.

Hic tangitur miraculi perfectio. Est autem hic duplex perfectio: vna significationis, quæ est difficultas purgationis reliquiarum peccati: & altera significans perfectionem potentiæ medici. Prima est duplex: scilicet, ex parte medici, cuius potentia potest super morbum: altera ex parte morbi, cuius difficilis est cura ex parte infirmi. Dicit igitur in primo quatuor, quorum primum est de coniunctione infirmi ad medicum, cum dicit [& apprehensa manu cæci] hoc est, potentia operatiua cæci: vt intus potentia operatiua obicem operatrici gratiæ non poneret. Ideò eam manus gratiæ apprehendebat & tenebat. *Psal.* 72. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Manus enim hæc est quæ formauit in creatione: sed nunc apprehendit ne à reformatione excideret, sicut exciderat à formatione. *Iob* 9. Manus tuæ Domine fecerunt me: & plasmauerunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me?

Si autem quæritur quare manum apprehendit cum oculos sanare debuerit: dicemus quod manus, vt dicit *Philos.* instrumentum, & organum est intellectus: & est organum organorũ, quod in diuersas congruit operationes: quæ diuersæ operationes non congruunt nisi intellectui mouenti, qui est oculus interior: & ideo vt significet quod causa ab interiori incipit, organum interioris apprehendit. Vnde *Gloss.* dicit quod manum apprehendit, vt ad bonum opus confortet. *Matth.* 8. Extendens manum IESVS apprehendit eum [eduxit eum extra vicum] Secundum est remotio impedimenti curationis: quia in vico in tumultu occasionis peccatorum, non potest curari. In his enim vicis & plateis, hoc est, viis strictis, & latis concupiscentiæ sponsa non inuenit Deum *Cantic.* 3. *Isa.* 43. Educ foras populum cæcum. *Genes.* 19. Non stes in omni circa regione: sed in monte, extra homines peccatores, saluum te fac [& expuens in oculos eius] tertium est, quod est applicatio saporis sapientiæ diuinæ: quia saliua, & à capite descendit, & salis habet saporem: & significat donum sapientiæ, quod à capite Christi Dei descendit, & sapore suo gustum peccati tollit, quod velamen oculis interiùs obduxit: vnde *Ioan.* 9. Lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos meos: & laui, & modò video. Vnde *Gloss.* Expuens vt videat per flatum Spiritus sancti voluntatem Dei. & [impositis manibus suis] quartum est, quod significat applicationem exempli exterioris, quod in humanitate ostendit: quia hæc etiam lux fuit ad illuminandum. *Ioan.* 8. Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Vnde etiam Apostolis exemplum Domini sequentibus dicitur *Matth.* 5. Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra opera bona: & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. His quatuor adhibitis: intus, adiutorio gratiæ applicatione sapientiæ: & extra, remotione impedimenti, & adhibitione exempli [interrogauit eum si quid videret] non quod ignorans interrogat: sed docens quod defectus interior (qui est ex peccato) non curatur sine nostro consensu, & voluntate: quia dicitur *Sap.* 1. In maleuolam animam non introibit sapientia: nec habitabit in corpore subdito peccatis, hoc est, quod adhuc subiectum vult esse peccatis. Interrogat ergo vt consensum in curam eliciat: non vt hoc quod nesciuit addiscat.

Et aspiciens, ait: video homines velut arbores ambulantes.

Tangit hic inceptionem curæ ex parte infirmi, quæ difficultatem significat recessus reliquiarum (aliàs de reliquiis) peccati. Vnde dicit quod [aspiciens] hoc est, iam aspicere incipiens [ait] significans sibi aliquid de lumine gratiæ apparere. *Dan.* 7. Aspiciebam in visu noctis, hoc est, visu adhuc permisto tenebris [video] visu gratiæ [homines] rationales, quos ante rationales videre non curaui [velut arbores] quia coadunatum visum non habuit: & ex humore infirmum visum habuit. Talibus enim breuia, longa: & parua, magna videntur [ambulantes] quia etiam stantia talibus moueri videntur: sicut omnibus per experimentum patet, qui infirmum habent visum ex humore defluente in pupillam. Significatur spiritualiter, quod quamdiu aliquis humorem concupiscentiæ habet feruentem ad oculum cordis, ordinatum visum intellectus habere non poterit. Et hoc ideò fuit quod longa cæcitate obtenebratus fuit: & ideò ex parte

parte sui lumen citò redire non potuit. *Psal.* 108. Cor meum conturbatum est: dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Deinde iterum imposuit manus super oculos eius: & cœpit videre, & restitutus est, ita vt clarè videret omnia.

Tangit potentiam leonis de tribu Iuda super cæcitatem ab inimico luminis procuratam, dicens [Iterum imposuit manus super oculos eius] Hæc autem iterata manus impositio significat potentiam gratiæ redimentis, quæ per Christum facta est, illa enim omnem extersit à nobis cæcitatem. *Ioan.* 1. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Sed potius ipsa lux tenebras omnes dissipauit: & hoc est quod dicit [& cœpit videre] clarè [& restitutus est] sanitati [ita vt videret clarè] hoc est, distinctè & discretè [omnia] visibilia. *Psalm.* 12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Quia in dormitatione oculi obtenebrantur. *Psalm.* 118. Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, & si in vicum introieris, nemini dixeris.

Hic, incipit doctrina cautelæ: & dicuntur duo, scilicet, custodia sui, & custodia humilitatis. Custodia sui adhuc dupliciter: custodiæ discussio importatur per hoc quod dicit [Et misit illum in domum suam] vt familiam propriæ domus discuteret: ne in ea peccati occasionem haberet. *Prou. vltim.* Considerauit semitas domus suæ: & panem otiosa non comedit. *Genes.* 18. Scio quia præcepturus sit domui suæ, quod timeat me [dicens: Vade in domum tuam] Custodia tui ipsius. *Sapient.* 8. Intrans in domum meam conquiescam cum sapientia. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius [& si in vicum introieris] Præceptum est cautelæ. In vicum autem intrare, est cum mundanis, & peccatoribus conuersari, in medio prauæ & peruersæ nationis: ad quos vir sanctus intrat, vt eos conuertat. 2. *Petr.* 2. Aspectu enim & auditu iustus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant [nemini dixeris] ad iactantiam vanitatis. Tamen dicere poterat & debuit ad prædicationem diuinæ laudis. *Ps.* 38. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui & non aperui os meum. Hæc est igitur sententia de intentione historiæ huius miraculi, contra defectum peccati inductum.

Et ingressus est IESVS, & Discipuli eius in castella Cæsareæ Philippi: & in via interrogabat Discipulos suos, dicens eis: Quem me dicunt esse homines? Qui responderunt ei, dicentes: Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij vero quasi vnum de Prophetis. Tunc dicit illis: Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei: Tu es Christus. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

Post potestatis suæ operationem dat hic eiusdem potestatis manifestationem, per doctrinam, quam consequẽter hic ponit post miraculum. Duo autem sunt documenta: ostendit enim primò quod hæc potestas fundat Ecclesiam: & secundò ostendit quod hæc potestas æterna conferat gloriam *ibi* [Et dicebat illis. Amen dico vobis: quia sunt quidam de hic stantibus, &c.] Adhuc autem prior diuiditur in partes tres, in quarum prima ostendit quod ista diuina potestate fundatur Ecclesia: in secunda ostendit quod ista diuina potestas infirmitate Passionis perficitur in gratia *ibi* [Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis, &c.] In tertia autem fundatos in gratia monet ad sequendum in humilitatis & patientiæ via *ibi* [Et vocata turba cum Discipulis] Adhuc autem in prima dicit tria, scilicet, inquisitionis famæ de potestate sua occasionem, & ipsam de fama quæstionem, & humilitatis instructionem. In primo horum tria notantur, scilicet, honestas eorum à quibus quæritur, locus vbi quæritur, & ipsa inquisitio.

Dicit igitur [Et ingressus est IESVS] auctor salutis cuius omnis actus ingredi fuit. *Ezech.* 10. Vnumquodque animalium ante faciem suam erat ingredi, hoc est, dispositum & extensum ad ingrediendum. *Psalm.* 83. Ibunt de virtute in virtutem [& Discipuli eius] Ecce honesta societas. Fama enim honoris & virtutis à bonis & notis exhiberi desideratur: vt dicit *Philosophus* [in castella Cæsareæ] Vbi honesto negotio dediti erant, hoc est, fidei prædicationi, & virtutis doctrinæ. 2. *Corint.* 2. Deo autem gratias qui odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. *Act.* 10. Pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat in illo. Hæc enim castella sunt munita virtute. *Genes.* 32. Castra Dei sunt hæc. Munita autem humilitate. *Luc.* 10. Intrauit IESVS in quoddam castellum. Et sunt Cæsarea, hoc est, possidentia principatum gratiæ dignitate. *Michæ* 5. Non es minima in principibus Iuda, hoc est, in castris Iuda principibus existentia. Et est translatio. LXX. Nostra autem habet, in millibus Iuda, hoc est, in castris Iuda: quæ sunt tot millia.

Et in via] Ecce locus: quia in via in sua laude, non diu morans, sed potius in transitu ad ædificationem de ea ab honestis quærens. In via autem quærebat, vt *interl.* dicit: Vt nec in eundo docere cessaret. *Psalm.* 130. Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus super me. 2. *Corinth.* 12. Si gloriari oportet: non expedit quidem [interrogabat Discipulos suos] Quibus omnia sua nota erant, & qui tantæ erat bonitatis, quod adulando nihil dicebant. *Psalm.* 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meũ. Adhuc autẽ, quia fidei doctrina indigebant. *Matth* 13. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis. Dedit autem exemplum Prælatis: vt etiam ab inferioribus famam suam discerent, quia sic cautius aliorum subditorum suorum famam diiudicarent. *Iob* 31. Si contempsi iudicium subire cum seruo meo, & cum ancilla mea cùm disceptarent

rent mecum. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Dominus, & cum interrogauerit, quid respondebo illi? [dicens] ad formam exempli & doctrinam veritatis [Quem me dicunt esse homines] hoc est, in tali potestate miraculorum videntes, quem in persona & natura dicunt esse? Natura enim ex potestate cognoscitur, & persona ex natura. Quia si diuina est natura, tunc is qui operatur est diuina persona: quia operatio personæ,& potestas operandi est naturæ. *Ioan.* 3. Scimus quia a Deo venisti magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis: nisi fuerit Deus cum illo. Sic ergo ab omnibus scientibus audita diiudicate quærit, qualem de ipso habeant homines opinionem. *Matth.*16. Venit IESVS in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit Discipulos suos, dicens. Quem dicunt homines esse filium hominis? Filium enim hominis vident homines: sed coniicere possunt de Filio Dei per opera.

Qui respondeunt illi dicentes]Non ignoranti: sed responsionem audire voluit: vt conuenientem instructioni eorum acciperet occasionem: & vt fidei sincerè dicerent confessionem:& in illa perficeret Ecclesiæ fundationem: & ideò duo respondent: opinionem hominum, & suæ fidei solidum veritatis fundamentum. Opinio autem hominum (magna quidem est, sed non sufficiens) tripertita. Vnde dicunt [Alij Ioannem Baptistam] Et fuit opinio Herodis, sicut dicitur *Matth.*14. Ioannes Baptista surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in illo. Sed obiicitur contra hoc quia *Ioan.*10. dicitur. Ioannes quidem signum fecit nullum. Omnia autem quæ dixit Ioannes de isto vera sunt. Cum ergo Ioannes nullum signum fecerit, quomodo probabile fuit Ioannem esse Christum: quia Christus multa signa fecit? Ad hoc dicendum quod Ioannes tantæ vitæ fuit, sicut dicit *Gregorius*, quod propter vitæ eminentiam à multis Christus crederetur. Sed propter resurrectionem, quia resurgentes maioris potentiæ sunt quàm ante resurrectionem: credebant quod Ioannes per potentiam resurrectionis signa & virtutes operaretur. Maximè quia Discipuli Christi baptizabant: quod & officium Ioannis fuerat.

Alij Eliam] Propter duas causas, quarum vna fuit, quia in illo figura Baptismi in transitu Iordanis, & diuisione præcesserat. 4.*Reg.*2. Alia autem causa fuit, quia Eliam aduentum Christi præcedere Prophetatum fuerat. *Malach. vltim.* Mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam & percutiam anathemate terram. Putabant enim isti Christi aduentum in fastu & gloria mundi esse venturum: & videntes Dominum in humilitate, non putauerunt ipsum esse Christum: sed antecessorem eius Eliam.

Alij vero quasi vnum ex Prophetis] Hæc opinio duplex fuit: quidam enim dicebant ipsum esse illum Prophetam, qui vnicus & singularis, loco legislatoris in omnibus erat audiendus. *Deuter.*18. Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris: tanquam me audietis illum. Et secundum hoc sensus est [quasi vnum] hoc est, quasi vnicum & singularem, qui est ex Prophetis in lege promissus. Alij autem exponunt istud de Propheta non principali: & illi etiam in duo diuiduntur: quidam enim dicebant eum esse Ieremiam, quia *Matth.*16. dicitur: alij vero Ieremiam. Et hi suæ opinionis rationem accipiebant à sanctitate & benignitate Domini, quæ in Ieremia præfigurata est: & a patientia quam habuit in passionibus tribulationum. *Eccl.*49. Malè tractauerunt illum, qui à ventre matris consecratus est Propheta, euertere & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renouare. Et quia Dominum videbant euertere traditiones antiquas, & quædam noua facere: putabant ipsum esse Ieremiam: & præcipuè propter patientiam passionum. *Ierem.*11. Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui quia cogitauerunt contra me consilia, dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Alij vero illum Prophetam Eliseum esse opinati sunt: propter hoc quod magnalium operum erat Eliseus, & in ipso sicut & in Elia figura Baptismi præcesserat: vnde etiam Discipuli *Luc.*24. dixerunt: Fuit enim Propheta potens in opere & sermone coram Deo & omni populo [Tunc dicit illis] fidei volens scire confessionem [Vos verò] qui specialiter de me estis instructi [quem] in natura [quem] & in persona [me esse dicitis]fidei sincera confessione [Respondens autem Petrus] qui ab hac confessione solidæ & fundamentalis veritatis Petrus dictus est. *Matth.*13. Ego dico tibi quia tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [ait] vnus pro omnibus vt dicit Beda: quia omnes vnum sciebant [Tu es Christus] In Christo enim vngens Pater intelligitur, & vncta humanitas, & vnctio quæ est deitas, & sancti Spiritus vnguentum, quod est plenitudo charismatum. *Isa.*61. Spiritus Domini super me: eo quod vnxerit me: Dominus ad Euangelizandum mansuetis misit me. Vnde hæc confessio implicitè continet in se illam quæ scribitur *Matth.*16. Tu es Christus Filius Dei viui: quia vnctio diuinitatis vitam habet in semetipso. *Ioan.*6. Sicut habet Pater vitam in semetipso: sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. Vnctio enim deitatis non tantum sanat, sed etiam viuificat: quia ipsa est vita in semetipsa [Et comminatus est eis] Discipulis[ne cui dicerent de illo] quod ipse esset Christus. Omittit autem hic *Marcus* beati Petri commendationem: & in hac confessione, Ecclesiæ fundationem: quia illa sciuit plenè à *Matthæo* esse descripta. Comminationem autem hanc fecit Christus tribus de causis, scilicet, causa humilitatis, causa non impediendæ Passionis, & causa non scandalizandi suæ congregationis. Causa quidem humilitatis: quia de se non magna prædicari voluit, sed humilia. *Isa.*53. Absconditus est vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum. Causa non impediendæ Passionis, quia si prædicaretur, & crederetur esse Christus: non crucifigeretur. 1.*Cor.*2. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Tertia causa, ne sua congregatio Discipulorum scandalizaretur: quia si modo magna de eo prædicata fuissent, & subitò postea ignominiosa in eo vidissent, scandalizati fuissent. Et ideò melius fuit quod per gloriam resurrectionis probaretur esse Deus: quia tunc vlteriùs in eo scandalizari non poterant. *Matth.*11. Beatus est

est qui non fuerit scandalizatus in me. Multi enim ex talibus in eo scandalizabantur: quia post virtutes, infirmas in eo videbant passiones. *Luc.*2. Ecce hic positus est in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël: & in signum cui contradicetur.

Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & à summis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & post tres dies resurgere. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. Qui conuersus, & videns Discipulos suos, comminatus est Petro, dicens: vade retro me Satana: quoniam non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Hic docet quod omnis Ecclesiæ fundatio & veritatis confessio perficitur in gratia Passionis & infirmitate: & habet tres paragraphos, in quorum primo ostendit summam perfectionem gratiæ fundantis Ecclesiam in virtute Passionis & Resurrectionis: in secundo autem, ostenditur dispensatiua Petri reprehensio, & conturbatio de humilitate Passionis: in tertio autem, instructio ponitur diuinæ ordinationis. In primo horum tria dicit, scilicet, Passionis opportunitatem, Passionis multiplicitatem, & finem & modum quo proponit hanc doctrinam. Dicit igitur [cœpit docere] quia ante ostendit potestatem: nunc autem incipit efficaciter docere Passionis humilitatem. *Psalm.*76. Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio dextræ excelsi. Dextera enim Dei est quæ hanc facit virtutem: vt post Passionem omnis infirmitatis, omnis virtus nostri leonis perficiatur. 2.*Corinth.*11. Virtus in infirmitate perficitur[quoniam oportet]hoc est, conueniens est secundum ordinationem diuinam. *Lu.* 24. Nonne sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam[filiũ hominis]quia in natura filij hominis pati potest: in natura autẽ filij filij Dei inquam) nihil penitus pati poterit [pati] vt Passione consummetur. *Hebræor.*2. Decebat enim eum per quem omnia, & propter quem omnia: qui multos filios in gloriam adduxerat, per Passionem mortis consummari.

Multa]tangitur Passionis multiplicitas: quia ex multis generibus passionum cõposita est: fasciculus myrrhæ dicitur *Cant.*1. Dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Tangit autem quandam inter multa istius fasciculi compositionem, cùm dicit [& reprobari à senioribus, & à summis Sacerdotibus.]Reprobatio enim hæc causa sibi fuit Passionis: quia Sacerdotibus eum ad reprobationem condemnantibus, etiam populus reprobare eum est inductus. *Matth.* 26. Summus Sacerdos quærebat falsum testimonium aduersus IESVM, & omne concilium. Sacerdotes enim primam auctoritatem in mortem Domini habebant [& summis senioribus]qui vice Senatorum habebantur. 1. *Esdræ.*9. Manus magistratuum fuit in transgressione hac prima [& Scribis]qui vice sapientum & literatorum habebantur. *Isa.* 5. Dixi: forsitan pauperes sunt & stulti: ignorantes viam Domini & iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates & loquar eis. Ipsi enim cognouerunt viam Domini & iudicium Dei sui. Ipsi autem simul magis confregerunt iugum: ruperunt vincula [& occidi] *Dan.*9. Occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est [& post dies tres resurgere] læta ponit post tristia. 1. *Petr.* 1. Pronuntians quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias. *Osea* 6. Viuificabit nos post duos dies: & in die tertia resuscitabit nos.

Et palam verbum loquebatur] tangit modum doctrinæ: quia coram Discipulis adhuc imperfectis palam verbum hoc de sua Passione loquebatur: & ideò Petrus fuit contristatus. *Matth.* 10. Non est occultum quod non reueletur: neque absconditum quod non sciatur. *Isa.*45. Nihil in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso. Hæc est consuetudo Christi & omnium Discipulorum eius, quod humilia de se prædicant omnibus, & sublimia tacent, & occultari præcipiunt. *Rom.*12. Non alta sapientes: sed humilibus consentientes. *Philip.*2. Hoc sentite in vobis quod & in Christo Iesu. Et sequitur. Exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens. Humilia enim de se sentientes, prædicare alta non possunt [& apprehendens eum Petrus]seorsum abstractum à Discipulis. Volens iam seruare documentum Euangelicum *Matth.* 18. Argue eum inter te & ipsum solum [cœpit increpare] dicens hoc quod dicitur *Matth.* 16. Absit à te Domine: non erit tibi hoc. Zelum enim Dei habens: sed non secundum scientiam, arbitrabatur nimis esse turpe, Dominum maiestatis sputis liniri, probris exponi, flagellis cædi, morte multari, & cruce turpari.

Qui] scilicet Dominus [conuersus ad Discipulos]à quibus eum Petrus abstraxerat: tanquam esset indignum sibi coram suis Discipulis, talia de se futura prædicare, eo quòd Discipuli magnum aliquid secundum fastum mundi de Domino existimabant, & contendebant quis eorum esset primus in regno. Etiam quia statim putabant Dominũ fore inthronizandum. Dominus autẽ econtra volens humilia Discipulos de se sentire[& videns Discipulos suos] quos ad humilitatem suæ crucis instruere intendit [comminatus est Petro]ne alta saperet: quia & primus Angelus, & primus homo, per superbiam ceciderant: ne & ipse alta sapiens similiter caderet. Vnde *Luc.*10. Cùm Apostoli gloriantes de magnis, ad ipsum redirent dicentes, quia in nomine tuo etiã Dæmonia subiiciuntur nobis: ad humilitatem reducens eos dixit. Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem. Ac si diceret illud *Roman.*11. Noli altum sapere: sed time. Si enim Deus naturalibus ramis, per naturam in alto plantatis non pepercit: sed per superbiam condemnat, ne forte nec tibi parcat. *Iac.*4. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam [dicens]ad instructionem Petri [Vade] profectu humiliatis [retro me] vt humilem humilis, & humiliter sequaris [Satana] qui saluti & viæ salutis, quæ per humilitatem Passionis est, aduersaris: Satan enim aduersarius interpretatur. *Zach.*3. Stabat Satan à dextris Iesu Sacerdotis magni: vt aduersaretur ei. *Matth.*16. Vade retro me Satana: scandalum mihi es [quoniam] in isto facto humilitatem Passionis recusans[non sapis]ea[quæ sunt Dei] quoad consilium diuinum, qui per humilitatem crucis releuare vult casum superbiæ primi hominis: hæc enim Dei sunt consilia & iudicia [sed] sapis ea

[quæ sunt hominum] qui præsentia quæ vident appetunt:& in his eleuari & superbiam quærunt. Græca tamẽ translatio habet vt dicit *Gl.* Propitius esto tibi Dominemnõ erit tibi istud,id est,nõ potest fieri:nec recipiunt autes meæ vtDei Filius sit occidendus. *Isa.*21. Propterea repleti sunt lũbi mei dolore,angustia possedit me, sicut angustia parturiẽtis : contrai cum audire, turbatus sum cum videre: emarcuit cor meum,tenebræ stupefecerunt me. In tali enim affectu doloris dixit hoc Petrus,nesciens quid diceret:sed Christus instruxit eum in affectu charitatis,& humilitinæ redemptionis.

Et conuocata turba cum Discipulis suis, dixit eis:Si quis vult me sequi,deneget semetipsum:& tollat crucem suam,& sequatur me.

Et conuocata turba cum Discipulis suis] fundatis in gratia, monet ad sequendum in humilitatis & patientiæ via. Diuiditur autem hæc pars in partes duas, in quarum prima suadet ad sequendum humilitatis & patientiæ viam:in secunda autem, quod hæc via tenenda sit, adhibet rationem *ibi*[qui enim voluerit animam suam]in prima harum partium quinque dicuntur. Quia enim hæc via ad salutem est necessaria ; ideò communiter omnibus proponitur.Quia autem est omni laude digna,& magno præmio remuneranda ; ideò non compellitur, sed libertati nostræ electionis relinquitur. Tertiò tria quæ ad ipsam requiruntur per ordinem determinantur, quæ cum istis quinque efficiuntur.

Dicit igitur[& conuocata turba]à turbantibus in vnum cor & animam vnam [cum Discipulis suis]quia non Discipuli debent esse cum turbis:sed potius turbæ cum Discipulis. *Ierem.* 15. Ipsi conuertentur ad te,& non conuerteris ad eos [dixit eis]id quod saluti communi necessarium est. *Prou.* 9. Sapientia foris clamitat : in plateis dat vocem suam [si quis vult] in adoptione & electione nostra ponitur. Quia vt dicit *Ioan. Damascenus*,non suadet malitiam ,& non compellit virtutem : vt laudabile sit opus virtutis. Per hoc autem quod dicit[si quis] notat charitatem. *Matth.*20. Multi sunt vocati : pauci vero electi. Quamuis rari sint, tamen præ omnibus sunt Deo chari. *Iudi.* 5. Cor meum diligit principes Israël:qui propria voluntate obtulistis vos discrimini,benedicite Domino. Ideò ergo dicit [si quis vult post me] imitando meæ humilitatis & patientiæ viam. *Iob* 24. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, nec declinaui ex ea[sequi]quia qui sequitur, consequitur. *Philipp.* 3. Sequor autem si quo modo comprehendam : in quo & comprehensus sum. *Cant.* 5. Dilecte mi comprehendam te. Nihil enim sequi prodest,nisi consequi possit. *Dan.* 3. Nunc sequimur te in toto corde nostro : & timemus te,& quærimus faciem tuam ne confundas nos. Quia qui sequitur & non consequitur,est confusus:sicut confundentur qui viam erroris sequuntur.

Deneget semetipsum]intus quoad veterem hominem:vetus enim homo est,qui vetustatem sequi persuadet : & hoc est animalitas, quæ non capit quæ Dei sunt. 1. *Corinth.* 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Hanc ergo animalitatem oportet abnegare. *Genes.*21. & *Galat.*4. Eiice ancillam & filium eius. Ancilla enim est per quam vt dicitur *Prouer.*30. Tota naturæ humanæ mouetur terra, quando fuerit cohæres dominæ suæ,hoc est,spiritualis rationis. Hanc ergo primũ oportet denegare : ne suasionibus eius & motibus illicitis in illam consentiatur : & hoc est primum in recedendo à malo[& tollat crucem suam] *Mat.* 16. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequatur me. Tollere autem crucem,est exaltare cruciatum crucis nostræ pœnitentiæ in satisfactionem peccati commissi. *Galat.* 5. Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Nihil enim delet peccatum, nisi crux:quia & in Christo crux suscepta, nostra peccata deleuit : & à nobis exaltata,pro peccato satisfacit. *Thren.* 4. Ante faciem nostram Christus Dominus captus est in peccatis nostris. 1. *Petr.* 1. Peccata nostra in corpore suo portauit super lignum : vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus,cuius liuore sanati sumus. Huius (aliàs hæc) igitur crucis stigmata portantes in pœna pœnitentiæ : in fide crucis nostram crucem tollamus, & eleuemus à terrenis : dicentes cum *Paulo Galat.*6. De cæteto nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini mei Iesu in corpore meo porto. Sicut igitur abnegatio sui valet ad vitationem peccati quod poterat committi;ita tollere crucem suam vnicuique debitam, valet ad satisfactionem commissi [& sequatur me] in hoc est perfectio, quod hoc perficit ad virtutis operationem:vt cùm iam peccatum cauetur ne fiat, & deletur quod factum erat ; studeatur ad hoc, quod opus virtutis perficiatur ad meritum:vnde *Eccle.* 24. Gloria magna est sequi Dominum. Gloriosum enim est imitari Dominum virtutis. *Eccles.* 11. Quid est homo vt sequi possit regem factorem suum?

Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me & Euangelium,saluam faciet eam.

Hic tangit eorum quæ dixit rationes : & sunt tres per ordinem, prima quarum sumpta penes ordinem virium animæ ad meritum salutis : & hanc tangit cum dicit [qui enim voluerit animã suam facere] anima autẽ hic dicitur ab animando (spiritus enim qui est substantia animæ nostræ) secundum quòd corpus animat, desiderat ea quæ sunt corporis, in quibus perditur totum bonum eius :, quia totum bonum spiritus nostræ animæ, est in auertendo se à carne, & abstrahendo se à desideriis concupiscentiæ : sic enim vincit passiones, & virtute perficitur, & contemplationi coniungitur superiorum , & depuratur & emundatur vt sit honestatis subiectum,& diuinæ sapientiæ speculum:vnde & *Plato* dicebat concupiscentiam in inferno sepultam esse, quo pergit homo cùm ad infima coniungitur:& hoc est[qui enim voluerit] quia hoc in nostra ponitur electione [animam suam] spiritu qui carnem vincit [saluam facere] quia omne quod saluatur, in bonis sibi connaturalibus saluatur, per quæ à contrariis corrumpentibus liberatur : bona autem connaturalia animæ sunt bonum virtutis,& sapientia veritatis : & per hoc liberatur à passionibus corporis,& à vanitate seductionis. Hic ergo sic saluans animam [perdet eam]

eam] Perdit autem, quando auertit ab eo quod animat & desiderat. *Eccli.*18. Fili post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere. Si enim præstes animæ tuæ concupiscentias suas, faciet te in gaudium inimicis tuis. Hæc concupiscentia est Dalila,quæ Samsonem perdidit *Iudic.*16. Quia dum dormiens in sinu concupiscentiæ Samson,rasum caput habuit(hoc est,à robore virtutis,& mera mentis,& ratione prudentiæ,& certitudine scientiæ, & veritate intellectus,& ab industria artis, & lumine sapientiæ) quasi septem pilis, quos habuit : statim in gaudium inimicis factus fuit : & sic totus fuit perditus. Consilium ergo est quod perdatur Dalila, vt Samson Sol fortis saluetur. Hoc est igitur quod anima in animando corpus, concupiscentiis viuens, perdatur: quia sic in bonis spiritui animæ connaturalibus saluatur [qui autem] sic [perdiderit animam] hoc est,animalem sensum [propter me] hoc est, vt me lucretur [& Euangelium] hoc est, euangelicam veritatem quæ à carne auertit[saluam faciet eam] quia in Christo, & in Euangelio sunt bona animam ab omnibus contrariis saluantia : vnde *Osee* 13. Perditio tua ex te Israël : tantum in me saluatio. *Ioan.*10. Per me si quis introierit saluabitur, & pascua inueniet. *Ioan.*17. Quos dedisti mihi custodiui : & nemo ex eis periit.

Quid enim proderit homini si lucretur mundum totum, & detrimentum animæ suæ faciat? Aut quid homo commutationis dabit pro anima sua?

Secunda ratio est, sumpta à nocumento, quod affert animæ perditio, in comparatione ad lucrum quod affert concupiscentia : & hoc est quod dicit [Quid enim prodest] quia in momentaneis delectationibus secundùm veritatis rationem nullus est profectus[homini]secundum quod homo : quia homo,sicut dicit *Philosophus*, est intellectus,& bonum quod prodest homini, in quantum homo,est bonum intellectuale:& hoc,vt dicit *Philosophus*, est bonum diuinum [si lucretur] ad sensibilem & momentaneam delectationem [totum mundum]præsentem:de quo dicitur. 1. *Ioan.* 2. Omne quod est in mundo : aut est concupiscentia carnis, aut est concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Et est ac si diceret. Si totum mundum habeat in delicias carnis, aut aspectum vanitatis,sicut delectatur auarus in contemplandis diuitiis:aut habeat mundum in fastum sui dominatus subiectum, sicut habent eum in prælaturis & dominatibus gloriantes. Et per hæc præsentia, lucrata ad ambitionem vel cupiditatem [detrimentum animæ suæ]in bonis spiritui animæ connaturalibus [faciat] q. d. Nihil prodest, & minus quam nihil : quia lucrum concupiscibilium in mundo,magis in bonis animæ relinquit nocumentum : quod peius est & damnosius, quam si nihil lucratus esset : vnde *Prouerb.* 6. loquens de concupiscentia sub metaphora mulieris dicit. Pretium scorti vix vnius est panis, hoc est,momentaneæ delectationis:mulier vero, hoc est,intellectus & emollita concupiscentia, pretiosam animam viri tollit : quia virilitatem eneruat, & tollit totum robur mentis. Melius ergo est perdere sensum animalem,& in tristibus & difficilibus exercere : vt saluetur anima in bonis sibi connaturalibus. 2. *Corinth.*4. Licet is qui foris est noster homo corrumpatur : tamen is qui intus est renouatur de die in diem[Aut quam homo]rationalis qui facit æstimationem bonorum : quanti ponderis sit vnumquodque diligibilium [commutationem] in aliena à natura animæ bona [dabit] vel [accipiet pro anima sua] vt illa in bonis sibi connaturalibus perdatur : & ideò dicit *Apostolus* 2. *Corinth.*4. Id enim quod in præsenti momentaneum & leue est tribulationis nostræ,in quo,supple, perditur animalis sensus secundum pœnitentium delectationes, supra modum in sublimitatem æternæ gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus, hoc est, non æstimantibus nobis ea quæ videntur : quæ enim videntur,temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna.& hoc est quod dicit:

Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice : & filius hominis confitebitur eum, cùm venerit in gloria Patris sui cum Angelis sanctis. *Alius confusus.* *Alius confundetur.*

Tertia ratio est,quæ sumitur ex comparatione præmij perdentis animam,& saluantis eam. Dicit igitur [Qui] hoc est, quicunque sine personarum distinctione. *Act.*10. In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus [me confusus fuerit] Confundor,eris, accepit hic *Marcus* pro verbo deponentis generis, pro verbo, erubuerit: & ideò sensus est [Qui me confusus fuerit] hoc est,qui me erubuerit sequi[& verba mea]erubuerit implere [in generatione ista] quæ saluat animalem sensum sequendo carnis delectabilia : & ideò dicit [adultera] quia super verum animæ sponsum admisit Diabolum adulterum in delectabilibus carnis. *Isa.*57. Iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum [& peccatrice] quia per hoc quod in libidine suscepit adulterum, statim diffunditur in peccata diuersa, & accepit peccati consuetudinẽ. *Luc.*11. Generatio prauа atque perversa signum quærit. *Deuter.*32. Generatio prauа, hæccine reddis Domino, popule stulte & insipiens ? Hæc enim generatio gloriam reputat, sequi concupiscentias, & saluare sensum animalem in concupiscentiis suis : & hi sunt, de quibus dicitur *Prouerb.*2. Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, & homo perversus inter tales confunditur non esse similis : & sic confunditur filium Dei, & saluare animam in bonis & veris animæ connaturalibus[Et filius hominis] hoc est, IESVS Christus [confundetur eum]hoc est, erubescet eum [cum venerit ad Patrem] cum omni gloria regni sui, hoc est,in gloria Patris sui, in qua omnes gloriantur,qui non confundunturanimas suas in bonis & iustis & veris connaturalibus animæ : & nullus secutus est sensum animalem in carnis delectabilibus. *Psalm.*149. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Omnes enim isti pedes affectuum habent compeditos, vt carnis delectabilia sequantur : & manus operationum, manicis ferreis omnia domantibus habent ligatas; ne ad opus peccati possit extendi iudicium conscriptum,in lege & scriptura Domini : gloria hæc est omnibus sanctis eius. Et ibi confusio eius erit

magna his, qui secuti sunt concupiscẽtias suas: isti sunt de quibus dicit *Apoc.*12. quod non dilexerũt animas suas vsque ad mortem, hoc est, animalem sensum in concupiscentia, quæ mortem æternam inducit: [cum Angelis suis] qui in puritate spiritus concupiscentias animo conculcarunt. *Matth.*22. *Luc.*20. In resurrectione neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælis. Ideò quod hic dictum est continetur *Ioan.*12. Qui amat animam suam perdet eam: & qui perdiderit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Et hoc est quod dicit in hoc loco.

CAPVT IX.

Et dicebat illis: Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

TANGIT hic Ecclesiæ fundationem in gloria. Diuiditur autem in partes duas, in quarum prima, præmittit istius gloriæ reuelationem: in secunda autem, facit reuelationis exhibitionem *ibi* [Et post sex dies] In primo horum dicit quatuor, in quorum primo dicit quibus hæc reuelatio promittitur: secundo, quando: tertio, quid: quarto, quale est quod videbunt. Dicit igitur [Et dicebat illis] fundationem in gratia ordinans ad fundamẽtum spei in gloria [Amen dico vobis] Quia de inuisibilibus est quod promittit: ideo præmittit confirmationem. *Apoc.*3. Hæc dicit amen, testis fidelis & verus [quia sunt quidam] exceptæ dignitatis inter alios: Petrus, Ioannes, & Iacobus maior [qui non gustabunt mortem] per experimentum resolutionis animæ à corpore. Hæc autem ideò dicit, quia dictum fuerat *Exod.*33. Non videbit me homo & viuet. Et ideò Christus ostensionem gloriæ vitæ æternæ promittit ante mortem: vt magis Discipuli in fide firmentur. Dicuntur autem isti [de hic stantibus] quia recti isti stant in gratia. *Rom.*14. Stabit autem. Potens est enim Deus statuere illum [donec videant] oculis corporalibus [regnum Dei] hoc est, figuram decoris regni Dei, in signo & claritate transfigurationis. *Exod.* 33. Ego ostendam tibi omne bonum. Inuenisti enim gratiam coram me. Quibus ergo ostenditur, in communi non determinatis nominibus, declaratur. Quando autem, quia ante mortem. Quid, quia regnum Dei in decore transfigurationis. *Sap.*10. Ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam sanctorum: honestauit illum in laboribus, & compleuit labores illius [viuentis in virtute] hoc est, vitam ostendentis non in infirmitate, sed in immortalitatis virtute & potestate. Alia litera habet [venientis in virtute] quia secundus aduentus Christi non erit in infirmitate, sed in potestate & virtute: & hanc gloriam præmonstrauit in transfiguratione. *Luc.*23. Amodo videbitis filium hominis venientem in virtute. De hac visione dicitur *Isa.*30. Ipsi videbũt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. 2.*Petr.*1. Non indoctas fabulas secuti annuntiauimus vobis Domini nostri virtutem: sed speculatores facti illius magnitudinis voce ad eum delapsa à magnifica gloria. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre: plenum gratiæ & veritatis.

Et post dies sex assumpsit IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem: & ducit illos in montem excelsum solos, & transfiguratus est coram ipsis.

Tangit hic reuelationem gloriæ: tangit autem tria, scilicet, quandò, & quibus reuelauit: secundò, qualem gloriam reuelauit: tertiò, qualiter disparuit, & ad quid reuelata fuit. Dicit igitur [Et post sex dies &c.] à doctrina inducta: quia sex diebus ab initio perfecit Deus mundum: & per quietem salutiferam in gloria quietem ostendit. Possunt tamen per sex dies, sex gratiæ illustrationes significari, quibus Sol iustitiæ Christus Deus noster super nos illuxit: & post quos gloriam suam, quam nobis daturus est, demonstrauit: scilicet: naturæ sanctificatio, in humanæ naturæ susceptione: maledictæ generationis reparatio, in mundissima & sanctissima sui de illibata Virgine generatione: concupiscentiæ damnatio, in circumcisione: originalis peccati detersio, in baptismi sanctificatione: damnatoris nostri Diaboli deuictio, in tentatione: omnium animarum illuminatio, in prædicatione, & doctrinæ per exempla & signa confirmatione. Per hos enim sex dies in nobis lux gratiæ diffusa & confirmata est: & post hos ad gloriæ demonstrationem sublimamur. In primo die sicut dicitur *Ezech.*43. Ingressa est gloria lucis Domini in templum naturæ humanæ: & resplenduit terra à maiestate eius. In secundo Sol iustitiæ nubem primæ maledictionis dissoluit. 2.*Machab.*1. Tempus affuit quo sol refulsit qui prius erat in nubilo. In tertio tenebras fugauit Ægypti, quæ tenebant oculos omnium natorum. *Ioan.*1. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt: quin potius vt dicit *Chrysostom.* Lux tenebras nos tenentes dissipauit. In quarto, ad illuminationem naturæ damnatæ illuxit, & ipsam ad lucem reduxit: & fit quod dicitur *Rom.*13. Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. In quinto, adducit lucis serenitatem, iam quasi in meridie exaltatus Sol, ad depulsionem authoris tenebrarum: & fit quod dicitur *Eccli.*43. In meridiano Sol exurit terram: & refulgens radiis suis obcæcat oculos, scilicet, ne videant terrena quibus incitentur in tentationem. In sexto & vltimo, fit Sol in multitudine stellarum, quas illuminauit ad lucem gratiæ stans in decore suo, sicut, dicitur *Eccli.*43. Species cæli gloria stellarum mundum illuminans in altissimis Dominus.

Post tales igitur sex suæ gratiæ illustrationes [assumpsit] hoc est, ad se sumpsit: quia infirmitas humana ad hoc non sufficeret, nisi virtute Christi eleuata assumeretur in tantæ lucis accessum. *Psalm.*88. Domini est assumptio nostra: & sancti Israël regis nostri. Vnde etiam *Paulus* 2.*Cor.*11. dicit raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. *Exod.*33. Cum Moyses visurus esset Dei gloriam, prius assumptus est dicente Domino: Est locus

locus apud me, & stabis supra petram, hoc est, in solido veritatis reuelandæ. Assumpsit [autem Iesus] auctor salutis, quæ salus tota in luce consistit. De quo dicitur. 1.*Tim.*6. Qui solus habet immortalitatẽ & lucem habitat inaccessibilem [Petrum] vt Apostolicum verticem, & suum in terra vicarium, illuminationes diuinas omnibus conferre debentem, & inferni tenebras dissipantem suorum vinculorum potestate. *Matth.*16. Tibi dabo claues regni cælorum: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Adhuc autem assumpsit [Petrum] qui tenebras & nubes carnis, & humanarum opinionum transcenderat, & visum iam fixerat in globis æternæ lucis. *Matth.*16. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui est in cælis [& Iacobum] qui primus inter Apostolos constanter moriendo fidem probauit. *Act.*12. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio [& Ioannem] qui secreta cælestia verbi æterni omnibus describeret, & sic veritatis lucem demonstraret. *Ioan.*21. Hic est Discipulus ille qui testimonium perhibet de his: & scripsit hæc: & scimus quia verum est testimonium eius [& ducit illos] quia nisi ipse ductor esset, deuiarent. *Deut.*31. Dominus solus ductor eius fuit: & non est cum eo Deus alienus [in monte] locus est in quo est transfiguratus, qui erat mons Thabor, qui veniens lumen interpretatur: mõs iste visionis est. *Genes.* 22. In monte Dominus videbit. *Psalm.* 67. Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Mons enim iste spiritus eminentiam designat. *Ierem.*31. Benedicat tibi Dominus pulchritudo iustitiæ, mons sanctus [excelsum] quia designat celsitudinem intellectualis visionis. *Ezechiel.*40. Adduxit me in terram Israël, & dimisit me super montem excelsum nimis. *Apocal.*21. Sustulit me in spiritu in montem excelsum & eleuatum [seorsum] à strepitu frequentantium. *Marc.*6. Venite seorsum in desertum locum [solos] vt nullus alienus tantæ visionis turbaret secretum. *Thren.*3. Sedebit solitarius & tacebit, quia leuabit se supra se.

Et transfiguratus est] quamuis transfiguratio mutationem sonet figuræ corporeæ; non tamen hic sumitur in tali significatione: sed cùm filius Dei sit in figura hominis vt homo verus *Philipp.*2. Formam, hoc est, figuram hominis accipiens: & habitu inuentus vt homo. Figura (vt dicit *Phil.* inter omnia quæ corpori accidunt propriã speciẽ & naturam designat: & ideò cum mutatione speciei in animalibus continuo mutatur & figura: & quorum est vna figura communis, eorum est species vna: & animalia conuenientiam habentiã in figuris, conuenientiam habent in aliquo. Hanc autem figuram humanam in infirmitate nostra filius Dei inter homines ostendit. Quia autem filius Dei in natura fuit & est diuina: ideò etiam figura diuinæ substantiæ esse describitur. *Hebr.*1. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ipsius. Quia igitur in monte coram Discipulis, non humanitatis, sed gloriæ diuinæ claritatem ostendit, quam ostendere non erat consuetus: ideò transfiguratus esse dicitur, hoc est, claritatem quã figura substantiæ diuinæ & splendor æternæ gloriæ est, demonstrasse. *Sap.*7. Candor enim est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis: & imago bonitatis illius.

Et vestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum Iesu.

Tangit hic qualiter transfiguratus est: tangit autem hic quinque istius gloriæ testimonia, scilicet, fulgorem vestimenti, idoneitatem testium legis & prophetiæ, idoneitatem testium gratiæ, testimonium cælestis luminis, & testimonium paternæ vocis. Omittit autem *Marcus* splendorem corporis quem *Matthæum* posuisse cognouerat *Matth.*17. Splenduit facies eius sicut Sol. In hac enim claritate futuræ resurrectionis claritatem ostendit) in qua in dispari claritate erit par gaudium. 1.*Corinth.*15. Alia claritas solis, alia lunæ, & alia claritas stellarum. Stella autem à stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum. *Matth.*13. Tunc fulgebunt iusti sicut Sol in regno Patris eorum.

Et vestimenta eius facta sunt] non est credendum quod vestimenta Domini in monte ex laneis in cælestia mutata sint: sed potius quia tanta fuit sui corporis claritas, quod radij & lumen diffusum ab ipso, eum per modum vestimenti cinxerunt: & hanc claritatem vestitus eius laneus vel sericeus quem habuit abscondere non potuit, sed per vestimentum vndique diffusa claritas emicuit: & hoc vocatur vestimentum *Iob.*40. Circunda tibi decorem: & speciosis induere vestibus. *Psalm.*103. Amictus lumine sicut vestimento. *Psalm.*92. Dominus regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinẽ, & præcinxit se. Sic ergo etiam exteriora vestimenta ab interiori habitu luminis [facta sunt splendida] *Psal.*109. In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te [& candida] lumine vndique impleta: ipsa dicitur enim candor, albedo, quæ ad modum argenti candet, vndique diffuso lumine in clara superficie. *Luc.*9. vestitus eius albus & refulgens. *Mat.*17. Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix [qualia fullo super terram] arte quacunque [non potest candida facere] huius causa est, quia interius lumen fullo non potest infundere, quod clarescat per colorem habitus exterioris: tales enim colores, vt dicit *Philosophus*, artifices facere non possunt, in quibus lumen interius diffunditur per perspicuitatem alicuius corporis colorati circunstantis, sicut est in Iride & chelis (aliàs celis) cælestibus, & huiusmodi. Talis autem candor, candorem sanctorum in Ecclesia futurum significat, qui cælestis est, & viribus & arte terrenis fieri non potest: vt *Isa.* 49. Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris, & circundabis eos velut amictum tibi.

Et apparuit illis Elias cum Moyse] ecce testes idonei legis & prophetiæ. Apparuit enim Moyses, vt ostenderet in eo impleri testimonium legis. *Ioan.*5. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Elias autem Prophetarum eximius, qui & post se successorem vnxit Eliseum, qui præfuit congregationibus Prophetarum. 4 *Reg.*2. & 3. *Reg.vlt.* Tulit testimoniũ prophetiæ. *Eccles.*36. Da mercedem, Domine, sustinentibus te: vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Sic ergo isti duo apparuerunt. Venit autem Moyses de inferno, vt consolationem patribus nuntiaret:

ret:Elias de paradiso spirituum, vt sic ruinam angelicam esse reparandam significaret:Discipuli autem venerunt de mundo, vt viuentes redimendos esse docerent. Et sic fieret quod dicitur *Phil.2.* In nomine Iesv omne genu flectatur cælestium, terrestrium,& infernorum:& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus est in gloria Dei Patris, transfiguratus [loquentes cum Iesu] *Luc.9.*Dicitur,quod loquebantur de excessu quem expleturus erat in Ierusalem. Loqui autem ipsorum:est talem gratiam redemptionis futuram per Christum,testimoniis legis, & Prophetarum præfiguratam esse ostendere. 1. *Petr.* 1. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in nobis gratia prophetauerunt, scrutantes quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi,prænuntians eas quæ in Christo sunt passiones,& posteriores glorias.

Et respondens Petrus,ait Iesu:Rabbi, bonum est nos hîc esse:& faciamus tria tabernacula: tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Non enim sciebat quid diceret:erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos.

Inducuntur hîc testes idonei de mundo venientes, qui tres sunt:Petrus pro omnibus loquitur sicut vertex Apostolorum. Tanguntur autem hic duo,scilicet,manendi testificata felicitas: & ignorantia ordinis ad manendum.De primo dicit[Rabboni]magistrum vocat cuius in hac schola felicitatis[vellet esse Discipulus. *Matth.* 23. Vnus est magister vester Iesus Christus.*Ioan.* 13. Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim[bonum]hoc est, felix [est nos hîc esse]vbi præsentia gaudij omnem abstergit miseriam. Vnde *Gloss.*Quamuis stupefactus:insitum tamen sibi affectum indicat.*Psa.secundum Hieronymi Translationem.* Bene mihi non est sine te. Totum enim bonum felicitatis est interesse contemplationi beatitudinis: quia videtur illic, & habetur omne bonum. *Exod.* 33. Ego ostendam tibi omne bonum.Hoc autem Petrus secundum *Chrysost.*Dicebat propter visionis felicitatem : & ideo quia Christus dixerat se crucifigendum,cui cùm Petrus diceret:absit à te Domine, non erit tibi hoc:& esset redargutus à Christo, non apertè audet dicere contra crucifixionem aliquid,sed occulte suadet in monte esse remanendum : ne crucifixores in Domino crucifigendi habeant locum : & secundum hunc sensum,latere intendit Petrus : ne cum Domino,cum quo mori & viuere elegerat, incideret in periculum.*Isa.*4. Super omnem gloriam protectio:& tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu,& in absconsionem & securitatem à turbine & à pluuia. Ab æstu enim iræ Iudæorum petabat protegi, & à turbine comminationum defendi, & à pluuia tempestuosæ persecutionis abscondi.

Et subintulit[faciamus hîc tria tabernacula]in quibus nostra habitatio sit. *Apocal.*21.Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Tabernacula enim sunt hîc tanquam habitacula: sciuit enim quod diu sub dio habitare non posset, secundum hoc quod etiam dixerunt filij Prophetarum.4.*Reg.*6. Ecce locus vbi habitamus coram te angustus est nobis: eamus vsque ad Iordanem,& tollant singuli materias singulas:vt ædificemus nobis locum ad habitandum. Sicut enim desiderauerunt habitare cum Eliseo;ita iste desiderauit habitare cum Domino,& non redire ad turbationes mundanorum. *Psal.*83.Beati qui habitant in domo tua Domine : in secula seculorum laudabunt te.Et illud *Psal.*83.Elegi abiectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum[tibi vnum] in quo & ipse cum condiscipulis cum Domino habitare cupiebat [Moysi vnum]quem secundum à Domino esse volebat[& Eliæ vnum] qui erat à Moyse secundus, & à Domino tertius : qui tanquam omnium arbitri ad Dominum pro tempore vocarentur.Hæc tabernacula tria voluit esse Petrus:vt in vno,decor Domini consideraretur in contemplatione familiarium: in secundo, virtus armata muniretur contra insurgens contrarium : in tertio, opus officij cõpletetur ad quodcunque à Domino prædiffinitum negotium.Sicut enim sciuit esse tria cæli tabernacula in hierarchiis,in quarum prima(quæ in vestibulis est apud Deum)decor consideratur regni cælestis, in igne diuino spiritus absumente, in luce veritatis spiritus illustrãte,in quiete & spiritualitate receptionis diuinæ spiritus mouente & regente, & gubernante. In secunda autem est armata militia,in dominatu, virtutes eleuatæ nescabellaribus inclinatæ vilificentur, in virtutibus inuincibiliter omnia perficiẽtibus, quæ sunt voluntatis diuinæ , in potestatibus , seuera & libera ordinatione comprimentibus omne contrarium , vt id quod bonum est,ad actum liberum expediatur. In tertia autem ordinat omnis opus officij : vt legibus fit consonum , quod per Principes decernitur: vt ad consilium diuinum sit prædiffinitum , quod Archangeli perficiunt:vt omni forma virtutis sit formatum , quod custodia perficitur Angelorum. Sic ergo ordinem cæli conspectum habuit in mente,& rationem eius voluit ponere in monte:sciens Angelos non deesse , vbi Dominus habitaret Angelorum : & præcipuè Domini Senatores, quibus Angeli ministrauerant. Hoc etiam significatum vidit *Genes.*6. Vbi dicitur. Cœnacula, & tristega facies in ea. Tristega enim sunt tricamerata, propter tres ordines beatorum spirituum , qui dicti sunt[non enim sciebat]stupefactus & totius ordinis temporis oblitus [quid diceret]volebat enim beatitudinis obtinere locum : & non tenere ordinem à Deo diffinitum , quo ad ipsum veniretur per passionis meritum. Postea autem sciuit quando.1.*Petr.*1. Dixit:pronuntians quæ in ipso sunt passiones & posteriores glorias. *Rom.*8. Si tamen cõpatimur & simul glorificemur. Causam autem stupefactionis istius subiungit Euangelista, inuiens quod omnes idem cum Petro sentiebant [erant enim]scilicet,omnes tres Apostoli [timore exterriti]hic autem timor,magni & non mali fuit expectatio,qui est timor admirationis:si enim malum & non magnum expectassent, non dixissent: bonum est nos hîc esse.Est enim *vt dicit Damasc.* Timor in magna phantasia. *Act.*3.Repleti sunt timore & extasi in eo quod contigerat illi. *Habac.* 3.Domine audiui auditum tuum,& timui : consideraui opera tua,& expaui.

Et facta est nubes] tangitur hîc testimonium cælestis luminis. Dicens enim [& facta est nubes obumbrans eos]non est credendum quod hæc nubes tenebrosa vel obscura fuerit : Cùm *Matt.*17. & *Luc.*9. dicatur : Et nubes lucida obumbrauit eos. Spissitudo enim calcati luminis vocatur nubes ; sicut solent Philosophi vocare tentorium Solis, spissitudinem luminis à corpore solis refulgentis.Sic enim nunc vt dicit *Psalm.*18. Christus in Sole, hoc est,in fulgore Solis, posuit tabernaculum suum. Et hoc texit Apostolos & perstrinxit : & hoc vocatur nubes. Et quod dicit[obumbrans eos] intelligitur quia & vmbram, hoc est, formam æterni luminis expressit : sicut exprimit forma speculi siue vmbra figuram eius, quod in speculo resultat : & Apostolis per modum vmbræ refrigerium attulit securitatis à turbine mundi, quem ex verbo Christi sibi imminere timebant: vnde *Gloss.* dicit, quod Petrus petens tabernaculum, accepit nubis vmbraculum. Et in hoc sensu nubes hæc, testimonium fuit claritatis æternæ: quia suo lumine figuram æternæ claritatis expressit. Sic dicitur *Luc.*1.Virtus Altissimi obumbrabit tibi.*Isa.*49.& 51.In vmbra manus suæ protexit me.

Et venit vox de nube dicens : Hic est Filius meus charissimus , audite illum.

Testimonium quintum est à voce Patris, quæ maximè certificauit certitudinem æternæ gloriæ: vox enim ista Patris de cælo fuit. Dicuntur autem hîc tria : quid sonuit, vnde,& quis. Quid sonuit quia [vox venit] quæ semper cum intentione profertur : quia pater illa voce totam suam intentionem expressit : vox enim illa est , in qua verbum formatum est. 2.*Petr.*1.Voce delapsa ad eum à magnifica gloria.Hæc est vox dulcis,quam sponsa desiderauit *Cantic.*2. Sonet vox tua in auribus meis : vox enim tua dulcis [de nube] Ecce vnde sonuit [quia de nube] tãquam de corporali & materiali elemento formata fuit. *Psalm.*76. Vocem dederunt nubes. *Psalm.*17. Intonuit de cælo Dominus : & Altissimus dedit vocem suam. *Ezech.*1.Audiui sonum sicut sonum sublimis Dei [Hic est Filius meus]Ecce quid sonuit : & tria dicit : naturæ dignitatem , affectus dilectionem, & obedientiæ auditionem.

Primum tangit cum dicit [Hic] in persona demonstratus[est Filius]hominis:quia Christus homo, & Christus Deus, vna est persona in deitate & humanitate : & meo iudicio quamuis duas verè habeat natiuitates : vnam æternam,& vnam temporalem, cum vna & eadem filiatione est Filius. Et ideò dicit : Hic est filius[meus]quia filiationem, qua filius est,à me & non ab alio habet. Et hoc quidem Pater bis dixit,& in baptismo, & in monte : in baptismo quidem, quia ibi sanctificationem fecit regenerationis per Filium : in monte autem, quia ibi ostendit futuræ gloriæ beatificationem etiam futuram per Filium. Has enim duas formas dat imago Patris quæ est Filius : formam scilicet,gratiæ per regenerationem, & formam gloriæ, per beatitudinem; formam autem naturæ etiam per Filium dedit in creatione : & sic ad imaginem Patris (quæ est Filius) & formamur , & reformamur , & beatificamur. Et hoc aliter fieri conueniens esse non potuit : & hoc tangitur *Rom.*8. Quos præsciuit conformes fieri imaginis filij sui , hos & vocauit : & quos vocauit , illos iustificauit : & quos iustificauit, illos & magnificauit. Ideo ergo dicit : Filius meus.

Charissimus]In quo sonat dilectionis affectus, quia in eadem dilectione qua pater diligit filium, etiam nos reformamur ad formam dilectionis, & in ea nos ipse Pater diligit : quia ipsa dilectio, Spiritus sanctus , à Patre in Filium : & à Filio in Patrem , & ab vtroque in nos sanctificandos , & illuminandos, & perficiendos : per hoc quod per ipsam reducimur ad huius fontem dilectionis. *Rom.*5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris , per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Sic dicit *Apostolus Coloss.*1. Qui eripuit nos à potestate tenebrarum , & transtulit nos in regnum filij dilectionis suæ.Sic ergo Filius charus in obedientia, quam pro nobis subiuit ; charior in spiritu , quem nobis inspirauit : charissimus autem in seipso , in quo fons redundat charitatis. *Genes.*37. Israël amabat Ioseph præ omnibus filiis suis : eo quod in senectute sua genuit ipsum : fecitque ei tunicam polymitam. Israël magnus Patriarcha rectissimus Patrem Domini significat: Ioseph autem accrescens Christum significat hominem, per quem multi fideles Patri accreuerunt. Hunc præ omnibus vt præ omnibus amabat:quia de corde suo genitum non minus quàm seipsum dilexit. Hunc etiam in senectute quidem,hoc est, in fine seculi : non quidem genuit iteratò , sed in carne nasci fecit : & sic generationis eius carnalis auctor fuit. Et fecit ei tunicam polymitam, hoc est , vitæ conuersationem cum morum honestate picturatam. Sic ergo est charissimus.

in 1.d.10.

4.7.& 1.

p. sum. theol. tr. 8.q.36.

Audite illum]Tertium est quod præcepit voci suæ in omnibus esse obediendum. *Deut.*18. Qui verba eius , quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit : ego vltor existam. *Psalm.*94. Hodie si vocem eius audieritis , nolite obdurare corda vestra. Iste enim est audiendus quatuor de causis, quarum prima quia ipse solus verbum Patris. *Isa.*56. Verbum quod egredietur de ore meo,non reuertetur ad me vacuũ:sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.Vacuum autem esset , si non esset auditum & exauditum. Secunda causa est , quia ipsum est cordis diuini manifestatiuum solum. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus qui est in sinu Patris , ipse enarrauit. Et ideò est audiendus , & nihil contra eum est audiendum. *Matth.*11. Nemo nouit Patrem nisi Filius , & cui voluerit Filius reuelare. Tertia causa est,quia omni sapientia & gratia plenus in auditu. *Coloss.*2. In ipso sunt thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi. Quarta causa est,quia ipsum est in potestate effectiua omnium eorum quæ dicit : est enim verbum illud Angelus siue nuntius intelligentiæ actiuæ. Hæc autem factiua est per verbum : vnde quando miracula fecit , verbo suæ potestatis effecit. Quia sicut dicit *Psalm.*32. Verbo Domini cæli firmati sunt. Et hoc modo dicit *Ps.* Audient verba mea, quoniam potuerunt, hoc est,potestatem effectiuam habuerunt. Et *Matth.*7. Loquebatur enim sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Omne enim verbum hominum respectu verbi Filij Dei , est quasi mortua vox absque potestate effectiua eorum quæ dicunt. Sic ergo audite illum.

Et statim circumspicientes , nemi-

nem

nem amplius viderunt, nisi IESVM tantum secum.

Tangitur hîc istius visionis terminatio & vtilitas: tanguntur autem hîc tria, in quorum primo tangitur visionis terminatio: in secundo de visione eruditio: tertio eruditionis non bene intellectæ declaratio. In primo horum tria dicuntur, in quorum primo notatur Discipulorum ad gloriam Dei contemplandam auiditas: in secundo notatur subducta ab oculis eorum gloriæ maiestas: in tertio notatur ex his tanta vtilitas. Dicit igitur [Et statim] quia magnitudo desiderij videndi, moram non admittendam esse persuasit. *Eccl.* 11. Dulce lumen & delectabile oculis videre solem [circumspicientes] vndique oculos circumducentes ex contemplandi auiditate. *Genes.* 32. Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. *Tob.* 10. Quotidie exiens circumspiciebat vias omnes, per quas erat spes remeandi [neminē amplius viderunt nisi solum IESVM] Et hæc fuit vtilitas vt in nullo alio spes salutis poneretur. Dixerat enim Petrus Moysi & Eliæ debere fieri tabernacula (tanquam familia Domini in tria esset diuidenda) nesciens quid diceret: & ideò solus IESVS permanens ostenditur: vt omnes saluandi ad tabernaculum Domini pertinere noscantur. *Ioan.* 10. Fiet vnum ouile & vnus pastor. Et hoc docet Moyses, & ideo non manens transit: & hoc docet Prophetia, & ideò euacuatur & transit. *Psalm.* 72. Quid enim mihi est in cælo: & à te quid volui super terram? Ideo ergo solum IESVM secum [tantum viderunt] *Apoc.* 21. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis: & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quod vidissent narrarent: nisi cùm filius hominis à mortuis resurrexerit. Et verbum continuerunt apud se.

Tangit secundum de instructione dicens [Descendentibus illis] de statu contemplationis ad actionem virtutis [de monte Thabor] Qui significat eminentiam spiritus. *Psalm.* 103. Ascendunt montes (contemplationis) & descendunt campi (fructiferi fructu virtutis) in locum quem fundasti [præcepit illis] præcepto instructionis [ne cuiquam] hominum [quod vidissent narrarent] de gloria transfigurationis [nisi cum filius hominis à mortuis resurrexerit] Quia sicut dicitur *Eccles.* 3. Omnia tempus habent: & tempus est tacendi, & tempus loquendi. Causa autem præcepti est, quam iam in ante habitis diximus: quia gloriam referentes his, qui postmodum Christum in tot opprobriis erant visuri, potius irrisionem fecissent quam fidem certificassent: & ideò tacendum præcepit vsque ad tempus, quo gloria transfigurationis confirmetur per gratiam immortalitatis: quando ad opprobria patienda nunquam redibat Christus: quia tunc ex præteritis narratis scitur quod voluntariè propter nos passus fuit: vt nos ad gloriam per Passionem reduceret perpetuæ Resurrectionis. *Eccli.* 27. Qui denudat arcana amici, perdit fidem & non inueniet amicum. Et illud: denudare amici mysteria, desperatio est animæ infelicis [& verbum continuerunt] Tangit in hoc obedientiam trium Apostolorum: quia [verbum] istud [continuerunt apud se] in secreto, nemini dicentes, sicut præceptum fuit ipsis. *Psalm.* 118. In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi. *Iob* 4. Ad me dictum est verbum absconditum: & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius.

Conquirentes quid esset cùm à mortuis resurrexerit. Et interrogabant eum dicentes: Quid ergo dicunt Pharisæi & Scribæ, quia Eliam oportet venire primum? Qui respondens ait illis. Elias cum venerit primò restituet omnia: & quo modo scriptum est in Filium hominis, vt multa patiatur & contemnatur. Sed dico vobis, quia & Elias venit: & fecerunt illi quæcumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.

Tangitur hîc tertia pars in qua inducitur illuminatio ad eruditionem non plenè intellectam: & habet tres particulas, in quarum prima, ponitur verbi quod non intelligunt conquisitio: in secunda, illuminationis à Domino petitio: & in tertia, Domini perfecta illuminatio. Dicit ergo [conquirentes] hoc quod præcessit apud se querentes. Dialecticum est, & refertur & ad antecedēs & sequens: quia & apud se verbum continuerunt sub silentio illud claudentes: & apud se erant conquirentes de hoc quod dubitauerunt. Quia non libenter audiuerunt in parte: & ignotum erat in parte quod dixit: & ideò quæsierunt [quid esset] hoc dictum quod dixit [cùm à mortuis resurrexerit] Moriturum enim Dominum non libenter audiuerunt. De resurrectione autem nullum habebant intellectum: quia non erat agnitus qui reuersus esset ab inferis. *Sapient.* 2. *Isa.* 39. [Et] ideò [interrogabant eum] petentes de hoc dubio illuminationem [dicentes: Quid ergo dicunt] Putabant enim Apostoli visa gloria Domini, aduentum Domini in gloria illicò manifestandum: & ideò Dominum de cætero non moriturum, sed in omni gloria in perpetuum regnaturum: & ideò quærunt de signis præcedentibus hunc in gloria aduentum, dicentes [Quid ergo dicunt Pharisæi] qui sectam fidei tenebant probabiliorem. *Act.* 26. Secundum probabilissimam nostræ religionis sectam, vixi Pharisæus [& Scribæ] qui eminent in scientia legis [quia Eliam oportet] secundùm scripturam *Malach. vltim.* [venire primum] ante aduentum Messiæ in quo regnaturus est in gloria. 4. enim *Reg.* 2. legitur quod Elias per turbinem in curru equorum igneorum leuatus est in cælum: & reseruatus, vt veniat ante diem Domini magnum & manifestum. *Malach. vltim.* dicitur: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum: ne forte veniam & percutiam terram anathemate. De hoc igitur quærunt Apostoli.

Qui respondens ait] dans plenam dictorum illuminationem [Elias, &c.] *Gloss.* Non est hic aduentus quem putatis, quem præcedet Elias. Quia [Elias cum venerit] ante secundum aduentum,

tum, qui erit in maiestate & gloria [primò] ante aduentum meum, quo iudicabo mundum [restituet omnia] destructo iam (aliàs destructa) Antichristo: & manifestato errore, & assumpta fide Ecclesiæ ab omnibus, conuertet enim corda patrum ad filios, hoc est, ad fidem Apostolorum: & corda filiorum, Iudæorum, qui in fine (aliàs infidi) inuenientur, ad patres eorum, hoc est, ad verum patrem eorum, quod est ad verum Patriarcharum intellectum [restituet] etiam debitum mortis quod debet: quia sententiam primi maledicti exoluet [& quomodo scriptum est in filium hominis] hoc est, contra filium hominis [vt multa patiatur] probra, illusiones, & flagella, & vulnera, & mortem [& contemnatur] per crucis confusionem. Sic supple, multa patietur Elias ab Antichristo, & insepultus abiicietur in opprobrium. Hoc autem scriptum est *Isa.* 54. & *Dan.* 9. Occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Hoc igitur erit ante secundum aduentum qui in gloria est futurus [sed dico vobis] quamuis ita futurum est ante secundum aduentum: tamen dico vobis [quia Elias] non in corpore & persona: sed in spiritu & virtute [venit] iam ante (in gratia) meum aduentum *Luc.* 1. Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ parare Domino plebem perfectam: & euertere incredulos ad prudentiam iustorum. Hic autem est Ioannes Baptista qui me præcessit [& fecerunt illi] in contemptu & passione decollationis [quæcunque voluerunt] malam suam voluntatem probris & passionibus eorum satiantes [sicut scriptum est de eo] scilicet, Ioanne Baptista *Sup.* 7. *Matth*, 23. Ecce ego mittam ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas: & ex illis occidetis, & flagellabitis: vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.

Et veniens ad Discipulos suos vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est: & expauerunt, & accurrentes salutabant eum. Et interrogauit eos: quid inter vos conquiritis?

Hic incipit historia in qua figuraliter ostenditur fortitudo leonis de tribu Iuda, contra defectum, qui est facilitas faciendi bonum: & hoc vltimum suæ fortitudinis signum, secundum diuisionem glossæ, quam prosecuti sumus à principio. Diuiditur autem historia hæc in quatuor partes, in quarum prima huius miraculi docet occasionem: in secunda huius miraculi docet magnitudinem & significationem *ibi* [& respondens vnus de turbis] in tertia curæ huius infirmitatis docet perfectionem *ibi* [Iesus autem ait illi: si potes credere] in quarta & vltima de miraculo isto sumit Discipulorum instructionem *ibi* [& cùm introisset domum, &c.] In prima harum particularum dicit tria, scilicet, turbarum cum Discipulis conquisitionem: aduentus sui ad turbas exultationem: & causæ conquisitionis eorum à Domino interrogationem.

Dicit igitur [& veniens ad Discipulos] de quibus curam habuit sicut gallina de pullis. Vidit enim quod aquilæ pullos inuaserant [vidit turbam magnam circa eos] quam Pharisæi & Scribæ concitauerant: & ideò addit [& Scribas] qui insultabant Discipulis de infirmitate: ac si Magister eorum potestatem eis super omnia Dæmonia dedisset, & verbum eius effectum non haberet: & hoc est [conquirentes] siue disputantes [cum illis] Discipulis Domini. Non enim valentes resistere sapientiæ Domini, aggressi sunt Discipulos adhuc infirmos: vt ex illa parte reprehensibilem Dominum facere coram turbis videantur, sicut *Ioan.* 3. Orta est quæstio ex Discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Vnde sicut serpens primus *Genes.* 3. Primum Adam aggressus est ex parte infirmiori; ita nostrum secundum Adam isti venenati, primi serpentis filij, ex parte infirmiori sunt aggressi: quamuis non proficiant: quia semper suis in adiutorium venit Dominus dicens illud *Iosue* 1. Non te deseram neque derelinquam: confortare, & esto robustus [& confestim omnis populus] simplicium turbarum [videns Iesum] quem toto corde videre desiderabat. *Exod.* 4. Videns te lætabitur corde [stupefactus est] ex admiratione: quia igneum quiddam, *vt dicit Hieron.* radiabat ab oculis eius, quod omnes conuertit in stuporem [& expauerunt] aspectu magnitudinis & reuerentiæ ipsius. *Esther.* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum [accurrentes] certatim ad ipsum. *Isa.* 40. Current, & non laborabunt: volabunt, & non deficient [salutabant eum] humilitatis & congratulationis officiis eum suscipientes: mos enim erat eis, quod humilior superiorem salutaret: vnde *Ioan.* 12. Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini [& interrogauit eos quid inter vos conquiritis] benignissimus illuminator non vt discat interrogat, sed vt occasionem ab eis accipiat illuminationes suas eis infundendi. *Eccles.* 24. Doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus: & enarrabo illam vsque in longinquum.

Et respondens vnus de turba: dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum: qui vbicunque eum apprehenderit, allidit illum, & spumat, & stridet dentibus & arescit: & dixi Discipulis tuis vt eiicerent illum, & non potuerunt.

In hac secunda particula huius miraculi ostendit magnitudinem & significationem. Tanguntur autem hîc quinque, in quorum primo tangitur infirmi ad Saluatorem allatio: in secundo infirmitatis difficultas & magnitudo: in tertio defectus fidei in intercedentibus exprobratio: in quarto spiritus immundi in præsentia Domini maior afflictio: in quinto vero, debilissimæ fidei in intercessoribus significatio. de primo dicit duo, scilicet, afferentis infirmi humilitatem, & infirmi allationem. Dicit igitur [& respondens] ad interrogationem Domini de quo conquirerent inter se [vnus] quia alij Scribis iam consentire cœperant. 3. *Reg.* 19. Ego relictus sum solus, *Iob* 1. Euasi ego solus, Iob, vt annuntiarem tibi [de turba] humilis, plebeius, de plebe. *Iudith* 9. Humilium & mansuetorum tibi semper placuit deprecatio. Non enim erat de Principibus & Scribis: quia illi conquisitionem cum Discipulis faciebant. *Ioan.* 7. Nemo ex principibus credidit in eum, neque ex Pharisæis:

ſed tuba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt [dixit] tangit infirmi allationem [Magiſter] Magiſtrum vocat tanquam ſapientem diuinum aliquem: quia perfectam Deitatis fidem nondum habuit. *Ioan.* 3. Scimus quia à Domino veniſti magiſter [attuli filium meum] pignus naturæ meæ, ſuperſtitem hæreditatis, baculum meæ ſenectutis. *Tob.* 10. Lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpes poſteritatis noſtræ ad te] Saluatorem, qui ſaluas omnes in te ſpetantes [habentem ſpiritum mutum] tangitur hic infirmitatis magnitudo & difficultas: & ideò duo continet hæc particula. Magnitudo autem infirmitatis conſideratur in ſeptem, quæ per ordinem in litera continentur; quorum primum eſt habitus ſpiritus immundi, quod notatur cum dicit [habentem ſpiritum] non enim haberet ſpiritum immũdum, ſed haberetur ab ipſo ſpiritu, niſi cauſam vel ipſe, vel parentes dediſſent: quia illi habent ſpiritus immundos, qui eos ad ſe vocant peccatis: & ſeipſos, Dæmones præueniendo, exhibent ad malum. *Sap.* 1. Impij manibus & verbis acceſſierunt illam, ſcilicet, mortem. *Iſa.* 28. Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Secundum nocumentum eſt quod dicit [mutum] quia linguam à locutione impediuit: & autes ab auditu ſermonis. *Luc.* 11. Erat Ieſus eiiciens Dæmonium & illud erat mutum. *Pſal.* 37. Ego tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Mutus tamen maximè erat à laude diuina. Tertium eſt & impetuoſa apprehenſio: quod notatur in hoc quod dicit [qui vbicunque eum apprehenderit] 1. *Reg.* 16. Exagitabat eum ſpiritus nequam: apprehendit à Domino. Illos enim ſpiritus nequam apprehendit, quos totos in poteſtatem accipit & furioſè exagitat [allidit] quartum eſt nocumentum quod alliſit eum ad parietes, & ad lapides, & ad terram cum impetu deiiciens: vnde *Luc.* 9. Magiſter, obſecro te reſpice in filium meum, quia vnicus eſt mihi: & ecce ſpiritus apprehendit illum, & ſubitò clamans elidit, & diſſipat eum cum ſpuma [& ſpumat] quintum eſt nocumentum. Spuma autem fiebat ſpiritu malo corporeo, cerebro reſoluto ad guttur deſcendente: & ſaliuam in ampullas conuertente. Et quia hoc cerebrum ſubuertit: propter hoc dicit *Gloſſ.* quod hoc ſtultitiæ eſt ſignum. *Iob* 5. Virum ſtultum interficit iracundia: & paruulum occidit inuidia. *Luc.* 9. Spuma vix diſcedit dilanians eum [& ſtridet dentibus] ex furore quo agitat & incitat ad mordendum ſe, & alios. *Prou.* 30. Generatio quæ pro dentibus habet gladios. *Matth.* 8. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. *Galat.* 5. Quod ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſummamini. Et hoc eſt ſextum nocumentum. Septimum autem eſt quod dicit [& areſcit] in ſtipite, omni vigore naturalis refectionis deſtitutus: & ſignificat eos, qui areſcunt & marceſcunt ignauia. Illi quaſi moriuntur in ſeipſis: vnde *Matth.* 17. Dicitur, quod lunaticus eſt & malè patitur. Sic ficulnea arefacta eſt, cui maledixit Dominus *Mat.* 21. Iſti ſunt ignaui, ſtultitia libidinis ſpumantes, in ſe aridi: de quibus *in Epiſtola Iudæ* dicitur. Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ: fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones.

Et dixi Diſcipulis tuis] quibus tu poteſtatem dediſti ſuper ſpiritus immundos, & vt langores curarent [vt eiicerent illum] ſpiritum immundum. Et tangitur hic iſtius infirmitatis difficultas [& non potuerunt] Diſcipuli tui hunc tanti nocumenti ſpiritum eiicere. Sed hoc videtur contrarium ei quod dicitur *Ioan.* 14. Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Sed ad hoc dicendum quod Diſcipuli adhuc in fide erant imperfecti. Ioannes autem loquitur de perfectione fidei Apoſtolorum poſt aduentum Spiritus ſancti: tunc enim non erant miſſi niſi ad Iudæos, vt eos ad Dominum reducerent tanquam ad perfectiorem: & ideò in aliquo maior debuit apparere virtus in Domino, quàm in Diſcipulis pro tempore illo. *Luc.* 9. Rogaui Diſcipulos tuos vt eiicerent illum, & non potuerunt. *Matth.* 17. Obtuli eum Diſcipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Et hoc ſignificat magnam difficultatem agendi bonum, & dimittendi malum: ad quam curandam non ſufficit niſi virtus diuina. 1. *Ioan.* 5. Eſt peccatum ad mortem, non pro ipſo dico vt oret quis, hoc eſt, quicunque: quia oportet habere diuinam virtutem curantem.

Qui reſpondens eis dixit. O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me: & attulerunt eum.

Qui reſpondens eis] pro infirmo intercedentibus [dixit] & hæc eſt tertia particula, defectus fidei exprobratio: & dicuntur hic duo: exprobratio ſcilicet, & infirmi ad præſentiam Saluatoris poſtulatio. De primo dicit [ô generatio] quia clamans [ô] non eſt ſignum impatientiæ, ſed compaſſionis [generatio] autem dicit, quia à patribus hanc prauitatem habuiſſe dignoſcuntur. *Pſal.* 94. Quadraginta annis offenſus fui generationi huic: & dixi, ſemper hi errant corde. Ipſi verò non cognouerunt vias meas [praua] vero dicitur: quia intus & obſtinatione deprauata. *Matth.* 12. Generatio praua & peruerſa ſignum quærit. *Deut.* 32. Generatio praua atque peruerſa: hæccine reddis Domino populeſtulte & inſipiens [& incredula] ad omnem Dei veritatem. *Ezech.* 2. Incteduli, & ſubuerſores habitant tecum. *Iſa.* 21. Qui incredulus eſt, in vos infideliter aget [quamdiu apud vos ero?] Sine profectu docens, ſigna faciens, beneficia impendens, & omnia conſilia Dei vobis oſtendens. *Pſalm.* Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem? *Matth.* 17. O generatio incredula, & peruerſa, quouſque ero vobiſcum [quamdiu vos patiar] pro doctrina verborum obſeruatores, in miraculis malos interpretes, & pro beneficiis malorum redditores. *Mat.* 17. Vſquequo patiar vos? *Luc.* 9. O generatio infidelis & peruerſa, vſquequo ero apud vos & & patiar vos? Hoc enim mirè fuit patientiæ quod tot pro beneficiis mala pertulit: etenim per ſeipſum ab eis ad gentes non receſſit: ſed expectauit donec completa malitia eorum poſt Reſurrectionem per Diſcipulos ab ipſis recederet. *Iſa.* 57. Neque cogitaſti in corde tuo, quia ego tacens & quaſi non videns [afferte illum ad me] ecce non laceſſitus iniuria: ſed in ſeipſo benignitate & miſericordia flexus, infirmi expoſtulat oblationem. *Ioel.* 2. Benignus eſt & patiens, & multum miſericors & præſtabilis ſuper malitia. *Gloſſ.* iſtum puerum, non

non Dæmonem, vt oſtendat illi Dæmoni traditum propter peccatum ſuum, vel propter peccatum parentum: & ideò oportuit quod offerrent eum ad Dominum: in quo à Dæmone auerſio, & ad Chriſtum conuerſio denotatur. *Ioel.* 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro [Et attulerunt] ad Dominum conuerſi. *Luc.* 9. Adduc huc filium tuum. *Matth.* 17. Afferte illum ad me. *Pſalm.* 28. Afferte Domino filios arietum, hoc eſt, Prælatorum Apoſtolorum. *Luc.* 4. Omnes qui habebant infirmos, ducebant illos ad IESVM, & curabantur.

Et cùm vidiſſet eum, ſtatim ſpiritus conturbauit illum: & eliſus in terram volutabatur ſpumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis eſt ex quo ei hoc accidit? at ille ait, ab infantia: & frequenter eum in ignem & in aquam miſit, vt eum perderet.

Et cùm vidiſſet illum] IESVS in præſentia ſua poſitum: & tangitur hic quartum, quod eſt ſpiritus immundi in præſentia Domini maior afflictio: & tanguntur hic tria, ſcilicet, afflictio incitata ex præſentia Domini: diuturnitas afflictionis ægroti: & interpellatio patris ad miſericordiam Domini. Dicit igitur [Statim illum] in præſentia Domini [ſpiritus] immundus [turbauit] vt vel ad modicum tempus pœnis eius ſatiaretur. *Apoc.* 12. Deſcendit ad vos Diabolus, habens iram magnam: ſciens quia modicum tempus habet [& eliſus in terram] *Gloſſ.* quia dum poſt peccatum ad Deum conuerti volumus, magis à Diabolo impugnamur: vt vel excruciet virtutem, vel ſuam vindicet expulſionem [volutabatur ſpumans] *Iudic.* 5. Ante pedes eius voluebatur. *Luc.* 9. Cum accederet, eliſit illum dæmonium & diſſipauit. [Et interrogauit IESVS patrem eius] Nec interrogat, quia ignorat: ſed vt ex reſponſo acciperet erudiendi occaſionem: vnde *gloſſ.* dicit: non quaſi ignarus interrogat: ſed vt diuturnitas infirmitatis oſtenſa, curationem faciat gratiorem. *Eccli.* 10. Breuem languorem præcidit medicus: languor prolixior grauat medicum [Quantum temporis eſt ex quo hoc ei accidit] Non ideò quia longitudo temporis faciat difficultatem ex parte curantis Chriſti: ſed vt oſtendatur, quod longitudo temporis magnam facit curationis difficultatem ex parte ægroti: vnde *Ioan.* 5. Triginta octo annos habentem in infirmitate: & ille dixit: Domine, non habeo hominem: vt cum mota fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio ego, alius ante me deſcendit. Ac ſi dicat. Longitudo dierum effecit quod nec meo auxilio, nec humano alieno adiutorio curari poſſum. Et ideò Dominus hoc exponi voluit: vt ſciretur quod non poſſit ſubuenire niſi auxilium diuinum [At ille ait] ſcilicet pater [Ab infantia] *Pſalm.* 50. Ego enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea. Et repetit malitiam [& frequenter eum in ignem & aquam miſit] Duo genera tentationum in hoc ſignificantur, quorum vnum eſt amor malè inflammans, vel libidinis, vel malæ cupiditatis, vel iræ. Quia etiam ira prouenit ex improbo ſuiipſius amore: quia dum nimis ſe amat aliquis, quærit vindicare in alium iniuriam: quàm vt ſibi videtur intulit alius. Aqua autem (quæ frigida eſt) timorem ſignificat: quia cordis & ſanguinis frigiditas retrahit ab omnibus Dei obſequiis: dum vel pelli ſuæ more humano, vel rebus ſuis timet, timore mundano. *Pſalm.* 79. Incenſa igni & ſuffoſſa ab increpatione vultus tui peribunt. *Gloſſ. Ibidem*: Incenſa amore malè inflammante: ſuffoſſa autem timore malè humiliante. De igne quidem ſecundum ſe dicitur *Deuter.* 32. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo: & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Quia ignis concupiſcentiæ non extinguetur. De aqua autem malè infrigidante dicitur in *Pſalm.* 68. Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia. Et tangit Dæmonis malam intentionem [vt eum perderet] & in anima, & in corpore; non enim finem ponit nocumentis niſi nouiſſimum interitum. *Ioan.* 10. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat. *Eſther* 13. Volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere.

Sed ſiquid potes, adiuua nos, miſertus noſtri. IESVS autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.

Hic ponitur debiliſſimæ fidei in interceſſoribus ſignificatio. Tanguntur autem hic tria, ſcilicet, ſignificatio debilitatis fidei: ex parte Domini exhibitio adiutorij: & ex parte interceſſoris petitio ad maiorem fidem auxilij. Dicit igitur [Sed ſiquid potes] tu, quod Diſcipulis non tradidiſti: tu enim ſolus plus omnibus poſſe debes. *Sap.* 12. Subeſt tibi cum volueris poſſe. Ex hac ergo omnipotenti virtute [adiuua nos] Filium in afflictione, me autem in compaſſione laborantem. *Pſ.* 78. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui libera nos [miſertus noſtri] *Matth.* 15. Miſerere mei Domine, fili Dauid: filia mea à dæmonio vexatur. *Eccli.* 36. Miſerere noſtri Deus omnium, & reſpice nos: & oſtende nobis lucem miſerationum tuarum [IESVS autem ait] inuitans ad fidei perfectionem [Si potes credere.]

Videtur autem hæc eruditio ſuperuacua: quia dicit *Auguſtinus*, quod credere eſt gratia fidelium: Poſſe credere, omnium. Sed ad hoc eſt dicendum quod duplex eſt poſſe, ſcilicet, imperfectum, quod eſt ex natura liberæ voluntatis & rationis: & hoc eſt omnium, quia inditum eſt omnibus per naturam. Aliud eſt poſſe perfectùm ad actum credendi: & hoc eſt poſſe credere ex habitu fidei: & hoc eſt non omnium, ſed tantum fidelium: & ad hoc prouocat hic Dominus patrem iſtius infirmi. Sed adhuc dicitur contra hoc: quia ſic poſſe credere non fuit in eo: ſed potius in dono Dei, quod non fuit in poteſtate ipſius. Quid eſt ergo quod dicit, ſi potes credere? Ad hoc dicendum quod reuera ſic poſſe credere, quodammodo eſt in nobis: & quodammodo non. Humiliare enim nos ad hoc, eſt in nobis: complectio autem ipſius eſt in dono Dei. Et quia hoc donum nulli negatur ſe ad ipſum humilianti, ideò dicit [Si potes credere] q. d. in te eſt, ex viſis & auditis à me, te ad fidem meæ deitatis humiliare, tunc fiet quod petis. *Iacob.* 2. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Qui enim

enim hæsitauerit similis est fluctui maris qui à vẽto mouetur & circumfertur. Non ergo existimet homo ille quod aliquid accepturus sit à Deo. Omnia possibilia sunt credenti:etiam montes, & montis arbores transferre : sicut dicitur *Matt.*17. Amen dico vobis,si habueritis fidem & non hæsitaueritis : non solum de siculnea facietis , sed & si huic monti diceris tolle te & iacta te in mare,& ita fiet. Et omnia quæcunque petitis in oratione credentes accipietis. 1.*Corinth.*4. Si habuero omnem fidem : ita vt montes transferam.

Sed quæritur. Quare hoc potius attribuitur fidei, quàm spei,vel charitati?Et confitetur ad hoc dici : quia fides innititur omnipotentiæ diuinæ: quia quamuis multi articuli sint in Symbolo, tam Apostolorum, quàm Nicænæ synodi ; tamen primus est articulus omnipotentiæ,qui est : Credo in Deum Patrem omnipotentem. Vel credo in vnum Deum Patrem omnipotentem.Quia etiamsi credimus Deum esse hominem, vel passum,vel resurtexisse,& quicquid aliud credimus : non habemus vnde hoc probemus , nisi quia Deus omnipotens est : & hoc & omnia alia in se facere potuit & fecit ex sua omnipotentia. Huic autem omnipotentiæ non sic innititur spes,neque etiam charitas:& ideò non dicitur quod omnia possibilia sunt speranti,vel charitatem habenti:sed quod omnia possibilia sunt credẽti.*Luc.*1.Non erit impossibile apud Deũ omne verbũ.*Gen.*18. Nũ Deo quicquã erit difficile? *Rom.*4.Plenissimè sciens quia quæcunque promisit ei Deus,potens est & facere.

Et continuo] adiutus ad fidem ex verbis Domini [exclamans] in deuotione fidei[pater pueri] dæmoniaci [cum lacrymis] dolorem cordis indicantibus. *Ierem.6.* Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum [aiebat] fidem suam confitens. *Rom.*10. Corde creditur ad iustitiam : ore autem confessio fit ad salutem[Credo Domine]*Ioan.*11. Vtique Domine:Ego credidi quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti. Et quia ante dubitauit de potentia Domini , modo suam recognoscit imperfectionem & quod non potest perfici nisi à Christo : & ideò dicit [Adiuua] fidei gratiam apponendo [incredulitatem meam] hoc est,fidei meæ imperfectionem. *Psalm.*138.Imperfectum meum viderunt oculi tui.*Sapient.*8.Sciui quia non possum esse continens nisi Deus det : & hoc ipsum erat sapientia summa , scire cuius hoc esset donum. Et quia sic imperfectionem propriam humiliter recognouit, & à Domino perfici postulauit : quod non postulasset nisi eum perfectorem omnium esse credidisset ; ideò fit ei quod dicitur *Sapient.*3. Dabitur ei fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Et hoc est quod sequitur.

Et cùm vidisset Iesvs concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo , dicens illi : Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi , exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et clamans & multum discerpens eum:exiit ab eo , & factus est sicut mortuus , ita vt multi dicerent quia mortuus est. Iesvs autem tenens manum eius , eleuauit eum : & surrexit.

Tangitur autem hic huius miraculi perfectio: & habet quatuor particulas , in quarum prima impetrantis innuit perfectionem : in secunda vocem omnipotentis imperij facit prolationem : in tertia Dæmonis exeuntis ostendit malignitatem: in quarta ponit infirmi à nocumento Dæmonis perfectam liberationem. Dicit ergo [Et cùm vidisset] hoc est, videri ab omnibus fecisset [Iesvs] auctor fidei & salutis [credentem] iam per fidem deitatis [turbam] quia multorum intercessio multum facit ad impetrandam misericordiam. *Matth* 9. Videns Iesvs fidem illorum dixit. Confide fili,remittuntur tibi peccata tua[comminatus est]verbo in quo erat virtus deitatis : vnde *gloss. interl.* Comminatio potentia est.*Matth.*17. Et increpauit eum,scilicet , Dæmonem Iesvs. *Luc.*10. Increpauit Iesvs spiritum immundum. *Psalm.67.* Increpa feras arundinis. Hæc autem increpatio fuit nocumenti repressio, & potestatis Dæmonis diminutio,& alligatio : quod nunc Ecclesia facit in suis Exorcistis [dicens illi] spiritui immundo [Surde & mute spiritus] per effectum: quia & surdum & mutum fecerat puerum [Ego præcipio tibi] omnipotẽti imperio. *Sapient.*18. Omnipotens sermo tuus Domine , exiliens de cælo , à regalibus sedibus venit [Exi ab eo] cui modo præsides [& amplius non introeas in eum] remisso & sanato iam peccato , propter quod introeundi in eum accepisti licentiam. *Ioan.*5. Iam amplius noli peccare ne deterius tibi aliquid contingat.Si enim amplius peccatis indulsisset : tunc assumptis aliis septem nequioribus Dæmon ad ipsum rediuisset : & facta fuissent nouissima hominis illius peiora prioribus,vt dicitur *Matt.*12. *Luc.*11.Et ideò quod dicit hic [& amplius ne introeas in eum] non est confirmatio hominis liberati,sed potius consilium : vt de cætero locum non daret Diabolo. *Ephes.*4. Nolite locum dare Diabolo.

Et clamans] Tertium est de nocumento Dæmonis exeuntis [Et exclamans]puer præ dolore affligentis Dæmonis ?vel [exclamans] Dæmon quia exire cogebatur. *Luc.*4. Exibant Dæmonia à multis clamantia & dicentia : quia tu es Christus filius Dei viui [& multum discerpens eum] corporaliter lanians , quia laceratio interiorem animæ in bono naturali significat lacerationem. *Luc.*10.plagis impositis abierunt semiuiuo relicto [exiit ab eo] relinquens eum laceratum & semiuiuum. *Habac.*3. Egredietur Diabolus ante pedes eius [& factus est sicut mortuus] Quantitatem exaggerat nocumenti [ita vt multi dicerent] immobilitatem pueri considerantes [quia esset mortuus] Et hoc significabat eum iam mortuum esse peccato,& viuere Deo.*Colos.*3.Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. *Galat.*2. Viuo ego,iam non ego:viuit vero in me Christus. Quod autem nunc viuo , in fide viuo filij Dei , qui dilexit me & tradidit animam suam pro me.2.*Corinth.*4.Mors operatur in nobis : vita autem in vobis [Iesvs autem tenens manum eius] hoc est,gratiam subleuationis porrigens ad opera vitæ & virtutis.*Psalm.*72.Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me [eleuauit eum]ad altitudinem virtutis & operis. *Ephes.*5. Surge qui dormis & exurge de mortuis , & illuminabit tibi Christus.*Psalm.*143.Dominus erigit elisos : Dominus diligit iustos [& surrexit] hoc est , sursum se

se corpore & mente erexit.*Col.*3.Si consurrexistis cum Christo:quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens : quæ sursum sunt sapite,non quæ super terram.

Et cùm introisset in domum, Discipuli eius secretò interrogabant eum: quare nos non potuimus eiicere eum? Et dixit illis : hoc genus in nullo potest exire , nisi in oratione & ieiunio. Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam : nec volebat quenquam scire.

Hic ponitur ex miraculo perfecta Discipulorum instructio. Dicuntur autem hic tria, scilicet, à Discipulis illuminationis petitio:Magistri illuminatio : & salutis & illuminationis in omnem locum dilatatio. Dicit ergo [& cum introisset in domũ]vbi seorsum cũ suis accepit secreta silentia. *Matth.*13. Seorsum autem omnia Discipulis disserebat[Discipuli eius] qui omnia sciebant per eũ cum sapientia agi. *Iob 5.* Nihil in terra sine causa fit:& de humo non egreditur dolor populi. *Plato in Timeo.* Nihil ortum est sub sole cuius legitima causa non præcesserit [secretò] quia scandalum fuisset coram ignorante turba , infirmitatem Discipulorum exponere , & mystica diuinorum consiliorum aperire. *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus [interrogabant eum]illuminationem petentes.*Psal.*12. Illumina oculos meos , nequando obdormiam in morte.2.*Corinth.*4. Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere,illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Euangelij in faciem Christi [quare nos non potuimus eiicere eum] ac si dicant. Fuit ne hæc impotentia in nobis,vel in ipso ? Quia si fuit in nobis,videtur esse in te defectus,qui completam non dedisti potestatem:si autem in ipso fuit causa impotentiæ nobis collatæ , videtur resistere cui contrarium tu dixisti *Matth.* 16. Dicens:portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Adhuc autem *Luc.*10.Reuertentes Apostoli dixerunt : Domine, etiam Dæmonia in nomine tuo subiiciuntur nobis Qualiter ergo hoc Dæmonium restitit nobis: ita quod non eiecimus illud?[& dixit illis]ad omnia hæc dans illuminationem[hoc genus]Dæmoniorum in spiritu & in carne simul , secundum causam radicatum [in nullo] potestatis remedio [potest exire] ita quod non habeat potestatem in homine[nisi in oratione]quæ curat pestes mentis & spiritus[& ieiunio]quod curat pestes corporis. Oratione enim Iacob vicit fratrem ad malum concitatum *Genes.*32. Apparuit vir luctans cum eo. Et *Infra.* Non dimittam te , nisi benedixeris mihi : & benedixit eum in eodem loco. *Osee* 12. In fortitudine sua directus est cum Angelo. Inualuit ad Angelum & confortatus est. Flevit & rogauit eum.Sic Tobias & Sara à se,orando, Dæmonium conpescuerunt *Tob.*8.Ieiunio autem Niniuitæ misericordiam , ne Dæmonibus traderentur , inuenerunt *Ion.*3. & *Ioel.*2. Conuertimini ad me in toto corde vestro,in ieiunio,& fletu,& planctu , & scindite corda vestra ,& non vestimenta vestra..

Quæritur autem cùm etiam eleemosyna sit vna cura peccati;quare de eleemosyna non facit mentionem , cùm dicatur *Tob.*12.quod eleemosyna à morte liberat?Ad hoc dicendum quod eleemosyna non potest esse generale satisfactiuum , quantum ad elargitiones exteriores : quia non omnes habent vnde dent eleemosynam. Hic autem loquitur de generalibus satisfactiuis quantum ad omnes.Adhuc autem quæritur hic quare Dominus nec orationem , nec ieiunium isti iniunxit : & tamen Dæmonium expulit:ergo sine oratione & ieiunio exire potuit ? Ad hoc dicendum sicut sæpe diximus quod Domini potestas in eiiciendo Dæmones non fuit operans, sicut per claues:sed sicut absoluta & libera potestas,cui nihil obstat : & idcò in sua operatione non fuit opus ininunctione orationis & ieiunij.Sed hanc potestatem Discipulis non dedit : quia hæc est potestas excellentiæ,& diuina:sed potiùs dedit Discipulis potestatẽ clauiũ: vt per ministeriũ instrumenti orationis,& ieiunij, & exorcismorũ contra malitiam Dæmonis operaremur:& ideò *Mat.*12.Dãs potestatem ligandi & absoluendi , præmittit potestatem ligandi, dicens: quodcunque ligaueris super terram , erit ligatum & cælis.Et subiungit potestatem soluendi, dicens: & quodcunque solueris super terram,erit solutum & in cælis : ac si dicat. Si vis vt non erret clauis, liga prius ad opera satisfactionis : & tunc solue à vinculis Dæmonum,quibus ligati sunt peccatores: tunc portæ, hoc est , malitiæ Dæmonum tibi non præualebunt. In opere autem Dei & Christi absolutio præcedit ligationem : quia aliter aliena,& non propria:& potestas ministri , non Domini:& ligata,& non absoluta potestas videretur.

Hoc est igitur quod de ministrorum potestate dicitur [hoc genus Dæmoniorum non eiicitur] ministrorum potestate [nisi in oratione]iniuncta [& ieiunio]iniuncto : & hoc omiserunt Apostoli: & ideò non fuit causa quod non eiecerunt, diminutio potestatis collatæ:sed potiùs error clauis adhibitæ ad Dæmonem excludendum. Sicut adhuc multi errant , eo quod clauibus secundum debitum ordinem potestatis non vtuntur. Hoc est igitur quod dicit. Quod enim minister sibi vsurpet potestatem diuinam & absolutam , hoc dicit esse *Hieron.*de supercilio Pharisæorum , & de superbia Luciferi , qui sine merito, in summo suam voluit sedem collocare [& inde] de loco illo [profecti] vt vbique prædicarent , & lucem spargerent [prætergrediebantur] loca illa[prætereuntes in[Galilæam]vt loco in quibus prædicauerant , visitarent. *Act.* 15.Reuertentes visitauimus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Dei quomodo se habebant [nec volebat quenquam scire] vt formam daret humilitatis. Vel verius:vt in secreto docere posset Discipulos.*Osee* 2.Adducam eam in solitudinem : & loquar ad cor eius.Hoc est ergo quod dicit.

Docebat autem Discipulos suos, & dicebat illis : quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum : & occident eum , & occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum, & timebant eum interrogare.

Hic postquam perfectè *Marcus* fortitudinem leonis de tribu Iuda descripsit : quia in quolibet quatuor animalium facies hominis fuit , ideò hic

faciem hominis in doctrina veritatis assumit: & durat hæc pars vsque ad principium cap. decimi quarti, vbi de Passione agere incipit: & diuiditur in duas partes, in quarum prima doctrinam ponit quantum ad viam iustitiæ: in secunda autem docet quorundam ad vitam & regnum iustitiæ assumptionem, quorundam autem reprobationem: & hæc incipit *cap.11.* ibi [& cum appropinquaret Iesus Iero solymam, &c.] adhuc autem prior istarum diuiditur in partes duas, in quarum prima docet viam iustitiæ quantum ad idoneitatem Apostolicam: in secunda autem docet viam iustitiæ quantũ ad hoc quod conuenit omnibus, quantũ ad salutem ad regnum Dei necessariam: & hæc incipit in *c.10.* ibi [& exinde exurgens venit in fines Iudææ, &c.] Adhuc autem anterior harum diuiditur in quatuor, quæ ad perfectionem Apostolicam requiruntur: quorum primum est doctrina patientiæ & humilitatis: secundum autem est de debito & merito susceptionis eorum qui accipiunt à Christo officium prædicationis *ibi* [quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit, &c.] tertium autem est de diligentissima scandali vitatione pusillorum *ibi* [& quisquis vnum de pusillis istis in me credentibus, &c.] Quartum autem est de discretione habenda Prælatorum *ibi* [omnis enim igne salietur, &c.] Adhuc autem duo dicuntur in prima parte, scilicet, instructio ad pacis perfectionem, & instructio ad humilitatis profunditatem *ibi* [& venerunt Capharnaum] in primo horum duo tangit, scilicet, doctrinam patientiæ per suæ passionis exemplum, & quod hoc erat à carnali intellectu Discipulorum absconditum. In primo horum quatuor dicuntur, scilicet, modus, quo dixit: traditio, quam prædixit: Passio mortis, quam sustinuit: resurrectio, quæ horum prædictionem mitigauit.

Dicit igitur [docebat autem Discipulos suos] docere propriè, est informatio ad scientiam per causę assignationem: vndę *Philosoph.* Signum sapientis est posse docere. Et quoad hoc intelligimus quod Christus in hac doctrina causas conuenientiæ assignauit, quare conueniens esset eum pati pro redemptione generis humani. *Ioan.* 11. Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente: sed vt filios Dei qui erant dispersi congregaret in vnum. Dicit autem *Chrysost. sup. Matth.* quod docuit naturalia sicut virtutes. Et sic intelligimus quod suæ Passionis proposuit exemplum, ad patientiæ informationem. *Isa* 48. Ego Dominus docens te vtilia, & gubernans in via quam nescis. *Ps.* 118. Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas [& dicebat illis] in doctrina pro redemptione hominis [quoniam Filius hominis] quia quamuis etiam sit Filius Deitamen tradebatur in eo quod Filius hominis, hoc est, in natura quam accepit de homine [traditus] est autem à bonis & malis: à bonis quidem, à Patre, & à seipso: à Patre quidem sicut dicitur *Rom.* 8. Etiam proprio suo Filio non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit illum. à seipso autem sicut dicitur *Isa.* 53. Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus exorauit, vt non perirent. A malis autem est traditus, à proditore Iuda, & à Iudæis: à Iuda quidem sicut *Ioan.* 13. Cùm Diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariothis. A Iudæis autem, sicut dicit Pilatus *Ioan.* 18. Gens tua, & Pontifices tui te tradiderunt mihi: quid fecisti? Sed Pater & Filius tradiderunt Filium hominis in hostiam redemptionis: Pater quidem, authoritate: filius, obedientiæ operatione & Passione. Iudas autem & Iudæi tradiderunt Filium hominis in mortem ad perdendum: Iudas quidem, prodendo: Iudæi autem, accusationes condemnationis in eum coram iudice proferendo. Sic ergo Filius tradetur [in manus hominum] omnibus quatuor modis, hoc est, in hominum malorum potestatem: vt malitiosam in pœnis suis patient voluntatem. *Iob* 16. Saturati sunt pœnis meis.

Et occident eum] ecce mulcta mortis quam homines, in quorum manus traditus est, malitiosè inflixerunt: sed tamen traditione Patris, per occisionem istam hostia oblata est reconciliationis mundi. *Heb.* 10. Vnam offerens hostiam consummauit in æternum sanctificatos. Et per traditionem, qua tradidit seipsum in mortem, dilectio cum effectu liberationis nobis exhibita est. *Ioan.* 13. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Iudas autem in occisione damnatus est. *Matth.* 27. Iudas videns quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos dicens: peccaui tradens sanguinem iustum. *Et post paucа*: Abiens, laqueo se suspendit. Iudæi autem negantes Christum (non populus Dei) abiecti & excæcati facti sunt. *Dan.* 9. Occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Sic ergo pro nobis occidetur. Et quia hæc duo tristia erant valde, lætitiam magnam subiungit: ne abundantiori tristitia absorbeantur Discipuli, dicens [& occisus] in eo, quod de nobis accepit pro nobis [tertia die] virtute suæ Deitatis [resurget] non solum ad vitam: sed ad immortalitatis, & beatitudinis gloriam. *Osee* 6. Viuificabit nos post dies duos, & in die tertia suscitabit nos, & viuemus: sequemurque vt cognoscamus Dominum. Iacuit enim Christus per duas noctes & vnum diem, qui intermedius fuit duarum noctium, vt dicit *August.* in sepulchro: vt duas nostras obscuras mortes, scilicet, culpæ & pœnæ; quæ per duas noctes significantur, sua luminosa morte, quæ per diem significatur, destrueret & illuminaret. Et sic impletur quod dictum est in *Psalm.* 138. Nox sicut dies illuminabitur: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

At illi] præsentia corporali Christi delectati: & scientes tantam virtutem Christi, quod sæpe ab insidiis & violentiis eorum potenter exierat [ignorabant verbum] hoc est, rem de qua est verbum: quia putabant non posse fieri quod virtus Christi succumberet malitiæ eorum: sicut & Petrus dixit *Matth.* 16. Absit à te Domine: non erit tibi hoc [& timebant] increpari, sicut Petrus increpatus fuerat [interrogate eum] de hoc verbo quod dixerat Petro: vade retro me Satana: scandalum mihi es, quia non sapis quæ Dei sunt.

Et venerunt Capharnaum. Qui cùm domi essent, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? at illi tacebant. Siquidem in via inter se disputauerunt quis eorum maiòr esset.

Tangit de doctrina humilitatis: & habet particulas duas, in quarum prima ad hanc doctrinam veniendi

veniendi datur occasio: in secunda autem, doctrinæ ponitur informatio. In prima autem tria sunt: opportunitas scilicet sumpta ex loco, ex quæstione & ex facto. Dicit igitur [Et venerunt] Christus & Discipuli [Capharnaum] quæ villa pinguedinis vel pulchritudinis interpretatur, vbi Christus plurimas virtutes præclarissimas ostendit. *Luc.* 4. Quanta audiuimus facta in Capharnaum. Ibi ergo, vbi virtus eius tot experimentis signorum ostensa fuit, locus conueniens doctrinæ fuit [Qui cùm domi essent] in secreto hospitij, ne coram multis redarguti confunderentur Apostoli. *Matth.* 18. Si peccauerit in te frater tuus: corripe eum inter te. & ipsum solum [interrogabat eos] Non ignorans, sed vt ex responsione occasionem conuenientem acciperet docendi, dicens [Quid in via tractabatis] In via tractare consueuerant de verbis auditis à Domino: nunc autem deprehensi sunt, alia quidem inter se tractare. Et hoc *vt dicit gloss.* viæ conueniens fuit. Quia etiam Prælatio viæ quædam est instabilis, & dum tenetur labitur: & incertum est, in qua mansione, id est, qua die finiatur. *Iob* 13. Nunquam in eodem statu permanet. *Eccli.* 10. Omnis potentatus vita breuis.

At illi tacebant] videntes se esse deprehensos, & nihil dicere valentes. *Genes.* 20. Quocunque perrexeris memento te esse deprehensam [Siquidem] Verba sunt Euangelistæ [inter se] vt dicit *Chrysostomus*, aliquid humanum passi [inter se autem] Non apud Dominum: quia apud illum confundebantur de hoc disputare [disputauerant] contentiosè. *Luc.* 22. Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. *Luc.* 9. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum videretur esse maior. Et hoc est quod subdit [quis eorum maior esset] apud Dominum. *Gloss.* Hinc orta videtur disputatio, quia viderant Petrum, & Iacobum, & Ioannem seorsum ductos in montem: & aliquod secretum ibi eis creditum. Et Petro sicut *Matth.* 16. dicit claues regni cælorum esse promissas & Ecclesiam supra petram fidei, à qua ipse nomen acceperat, ædificandam. Putabant ergo, vel alios tres cæteris, vel Petrum omnibus esse Prælatum. *Chrysostomus* autem, videtur dicere probabilius, quod sicut dicitur *Luc.* 18. Euntes in Ierusalem, putabant regnum Christi per apertam & secularem potestatem illico fore inchoandum: & in via mater filiorum Zebedæi petebat vt duo filij eius sederent, vnus ad dexteram, & alter ad sinistram in regno illo, in quo Petrus quasi princeps futurus erat: reliqui autem indignati sunt de duobus fratribus, & ideo in hanc venerunt disputationem: quæ bene disputatio vocatur, quia de vana mundi dignitate accepit exordium. *Eccles.* 6. Verba sunt plurima, multam in disputando habentia vanitatem. Si enim de hoc disputassent tantum quod Petrus omnibus præferretur, vel quod illi tres omnibus aliis erant præpositi; ex hoc à Christo non essent redarguti: sed potius ad reuerentiam ædificati, quia hoc verum fuit, & ad gradus Ecclesiasticæ dignitatis pertinuit. Dicit tamen *Ambrosius*, quod non disputabant ita quod quilibet præferri niteretur, & ex contentione melior alio fieri: sed potius ita quod reuerentiam illis tribus tanquam præferendis dicebant exhibendam esse. *Rom.* 12. Honore inuicem præuenientes. *Chrysostomi* expositio est literalior; & huic continuatur textus sequens.

Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister.

Hæc instructio duo continet, scilicet, doctrinam, & exemplum. De doctrina dicit [Et residens] vt quieto animo, & non ex commotione animi loqui videretur. *Isa.* 42. Non contendet, neque clamabit, neque audietur foris vox eius [vocauit ad se duodecim] quia illi disputauerant. Alij enim Discipuli non erant electi ad dignitates maiores, sed potius in partem solicitudinis erant vocati, sicut dicitur *Luc.* 10. [Et ait illis] instruendo ad formam humilitatis [Si quis vult] Qui tamen rarus est, quia omnes cum Diabolo petunt ascendere. *Isa.* 14. In cælum conscendam, super astra cæli locabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis, & similis ero Altissimo. Et pertatus est qui cum Christo descendere velit & humiliari. *Luc.* 14. Recumbe in nouissimo loco [Si] ergo est [quis] qui rarus est: qui [vult] ex propria electione & prompto (aliàs proprio) animo. 2. *Corinth.* 8. Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est. Nihil autem ita habet in promptu sicut humilitatem: quia causam humiliationis habet in seipso. *Eccli.* 10. Quid superbis terra & cinis [primus esse] apud Patrem & apud me [erit] reputatione sua [omnium nouissimus. *Matth.* 20. Quia sic nouissimi erunt primi, & primi nouissimi. Sic enim erit Christo similior, de quo dicitur *Philip.* 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Sic doctrinæ eius Discipulus *Matth.* 10. Discite à me quia mitis sum & humilis corde. Sic ad gratiam Dei Patris idoneus. *Iacob.* 4. 1. *Petr.* 5. Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam. Sic deitatis receptaculum & templum. *Luc.* 1. Respexit humilitatem ancillæ suæ. Sic locus beatorum Dei pedum, si se ex humilitate omnibus præbeat conculcandum: & ideò dicitur *Ezech.* 43. Locus scabelli pedum meorum, vbi habito in medio filiorum Israël. Hic locus pedum meorum, est locus humilis scabelli infimi cordis, quod omnibus se præbet conculcandum. *Isa.* 66. Cælum sedes mea, terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa: dicit Dominus. Ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Sic ergo & istis de causis sit nouissimus [& minister] officio & actu: vt corde sit nouissimus, & actione ministet. *Augustinus.* Honore coram vobis Prælatus sit, vobis timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Minister autem est formam serui accipiens, & transiens, & ministrans. *Luc.* 10. Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. *Num.* 8. Leuitæ ministri erunt fratrum suorum in tabernaculo fœderis. 1. *Corinth.* 4. Sic nos existimet homo vt Christi ministros: & dispensatores mysterij Dei.

Et accipiens puerum statuit eum in medio eorum: quem cum complexus esset.

Doctrina est humilitatis per exemplum. Dicit autem tria. Pueri istius merito ipsius humilitatis

acceptationem, & in exemplum commune positionē, & dilectionis ad ipsum complexum ostensionem. De primo dicit [Et accipiens puerum] hoc est, acceptum merito humilitatis ostendens. Dicitur enim à Principibus quod puer iste beatus fuit Martialis Lemouicensium Apostolus, qui in virtute humilitatis præ omnibus excellere videbatur: & puritate simplicitatis inter alios eminere. Vnde *Matth.*8. Nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Pueri enim hæc est humilitas, quod à seruo non differt (qui tamen infimus est domus) cum secundum ius hæreditatis Dominus sit omnium. Et secundum hoc vere humilis est, qui licet sit magnus dignitatis merito: tamen voluntatiè descendit ad ministerium, & actum seruorum. *Gala.*4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium. Hic est seruus sublimis & infimus, de quo dicitur *Isa.*52. Ecce intelliget seruus meus, & exaltabitur & eleuabitur: & sublimis erit valde. Sic obstupuerunt super eum multi: sic inglorius erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum. Iste enim quò maior est, & sublimior est merito, & throno dignitatis: tantò humiliorem se reputat inter homines. Puer quidem & paruulus malitia, sed sensibus & sapientia perfectus. 1. *Cor.*14. Nolite pueri esse sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti sitis. Iste est de quo dicitur *Eccli.*3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. De quo dicit *Ptolomæus in Almagesto.* Qui inter sapientes est humilior, inter sapientes est sapientior. Sicut lacunæ profundiores plures capiunt aquas. Iste enim non delectatur in throno dignitatis, cui præsidet: sed solicitus est ministrare his, quibus præponitur. 1. *Petr.*5. Non vt dominantes in cleris: sed forma facti gregis ex animo. Et *Ptolomæus.* Est maior in omnibus, qui non carat in cuius manu sit mundus. Hoc ergo merito puerum istum acceptauit [statuit eum in medio] per exemplum cui quilibet se commensuraret, sicut & de seipso dicit *Luc.*10. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, hoc est, qui habitum & actum serui accepit in cordis, & corporis, & operis humilitate.

Quem cùm complexus esset] ostensione dilectionis ad ipsum: strinxit enim humilem ad osculum. Hoc significatum est *Genes.*43. Vbi dixit magnus Ioseph. Iste est frater vester paruulus, de quo dixeratis mihi. Et rursum. Deus, inquit, misereatur tui fili mi. Et *Genes.*45 Cùm amplexatus cecidisset in collum Benjamin fratris sui, fleuit. Benjamin autem fratrum suorum erat minimus: Minimos enim suos reputat, & quicquid illis fit, sibi reputat esse factum. *Matth.*25. Quicquid vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Hic igitur *Marcus* omittit exempli istius doctrinam, quam posita sciuit *Mat.*18 Quicunque ergo non humiliauerit se sicut paruulus iste, nō intrabit in regnū cælorum. Sed de iure susceptionis istorum, qui sic humiles mittuntur à Christo, subiungens dicit.

Ait illis. Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit: & quicunque me susceperit; non me suscipit, sed eum qui me misit.

Ait illis] Apostolis, quibus sumptus ab his quibus prædicabant, debebantur [Quisquis vestrum ex huiusmodi pueris vnum receperit] Dicit autem tria de recipientium merito, scilicet, quod ipse & Pater in talibus recipiuntur: quod sanè docentes quamuis non benè viuentes, à tali receptione non excluduntur: & quod receptio non in delictis, sed in facultate recipientis, attenditur. Dicit ergo [Si quis vestrum quemlibet ex huiusmodi pueris] à puritate dictis de humilitate, & à me missis [receperit] ad sumptus ministrandos in prædicatione Euangelij, & in corde verbum recipiendo per deuotionē fidei [me recipit] quia eum, qui me portat, & loco iuuat: & corpore, & hospitio recipit. *Matth.*18. Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Sic Abraham recipiens Angelos, hoc est, Dei nuntios, Deum recipit benedictionem consequendo. Sic Loth Angelos Dei nuntios recipiens, Deum recepit liberationem ab incendio promerendo *Genes.*19. Sic Rahab meretrix, recipiens Dei nuntios, annumerata est populo Dei excidium peccatorum euadendo *Iosue* 2. *Hebr.*13. Hospitalitatem nolite obliuisci: per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio receptis [Et quicunque me suscipit] in talibus paruulis [non me suscipit] tantum [sed eum qui] prima authoritate [me misit] quia ille in me manens omnia opera facit. *Ioan.*5. Pater in me manens ipse facit opera. Attendere autem debent Prælati Ecclesiarum, quod vt paruuli recipiuntur: paruuli autem non recipiuntur in equis pluribus, & apparatu magno: & ideò Prælati in magna pompa venientes non sunt nuntij Christi, sed potius nuntij Nabuchodonosor regis, qui Holofernem in tanta misit virtute, quod terra non potuit eum sustinere. Sed in paruulis Pater & Filius suscipiuntur, qui nunquam sunt sine Spiritu sancto, quem mittunt omnibus se suscipientibus. 2. *Corinth.*13. Ecce tertiò hoc paratus sum venire ad vos, & non ero grauis vobis: non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Non enim multo apparatu venit, qui tertiò veniens grauis non fuit.

Respondit illi Ioannes, dicens. Magister vidimus quendam in nomine tuo eiicientem Dæmonia qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. IESVS autem ait: nolite prohibere eum. Nemo est enim qui facit virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.

Hic tangitur implicitè quod si aliquis venit in doctrina sana paruulorum quamuis non habeat vitam, acceptione & ministerio sumptuum non est arcendus: & hoc est quod hic intelligitur: & ideò duo hic dicuntur, scilicet, peruersus intellectus Apostolorum, quod tales sint arcendi: & correctio peruersitatis ad rectitudinem veritatis Euangelij. Dicit igitur [Magister] cuius doctrinæ est standum [vidimus] quia Ioannes hic vice omnium loquebatur Apostolorum [quendam] Nomine non dignum. *Psalm.*15. Non recordabor nominum eorum per labia mea [in nomine tuo] hoc est in fide nominis tui: Et hoc non potuit

esse

esse nisi in doctrina sana [eiicientem Dæmonia] & sic in digito Dei,hoc est,in demonstratione virtutis diuinæ Dæmonia eiecit. *Luc.*11. Si in digito Dei eiicio Dæmonia, profecto peruenit in vos regnum Dei [qui non sequitur] merito virtutis & imitatione sanctitatis [nobiscum]te quem nos sequimur [& prohibuimus eum] volentes vt quicunque te annuntiat,habeat idoneitatem Apostolicam : tam ex virtutis merito, quam ex doctrina sana veritatis in verbo.Hoc autem magnum damnum generaret in Ecclesia:quia multi annuntiant Christũ non ex vitæ merito,& tamen multa bona faciunt in Ecclesia : vnde *Phil.*1. Multi quidem non sincerè Christum annuntiant. *Et post paucа.* Quid enim:dum omni modo siue per occasionem, siue per veritatem annuntietur Christus : in hoc gaudeo,sed & gaudebo.Et ideò hunc errorem corrigit Christus in Apostolis:& hoc est[Iesus autem ait]illis, docens tales esse tolerandos [nolite prohibere eum] quia licet sibi noceat, multis tamen prodest in Ecclesia.*Matth.*23. Quæ dicunt,facite: secundum autem opera eorum nolite facere. Isti enim in laude Dei linguis loquuntur Angelorum, & doctrina fidei linguis loquuntur hominum:Sed non habentes charitatem,verbo suo quo aliis prosunt, se ipsos percutiunt.1.*Cor.*13. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam : factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens [nemo enim est qui faciat virtutem] siue signum [in nomine meo] non tam faciens de me in doctrina sua [& possit]conueniente [citò male loqui de me] quia nisi peruertat doctrinam, malè loqui non potest : & hoc citò fieri non potest quamdiu nomen Christi inuocat. *Matth.*7. Domine,nonne in nomine tuo multas virtutes fecimus ? Et ego confitebor eis: quia ego nunquam noui vos [qui enim non est aduersum vos] doctrinæ peruersitate [pro vobis est] quia idem docet vobiscum. Et ideo vt dicit *Glossa* : non est arcendus ab eo quod habet, sed prouocandus ad id quod non habet. *Luc.*9. Nolite prohibere eum. Qui enim non est aduersum vos, pro vobis est. Econtra autem si esset aduersarius doctrinæ sanæ peruersa docendo, prohibendus esset:quia de illo dicitur *Matth.*12. & *Luc.*11. Qui non colligit mecum, dispergit : & qui non est mecum, contra me est.

Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, quia Christi estis;amen dico vobis,non perdet mercedem suam.

Tangit hic tertium quòd receptio constituitur in facultate recipientis:& hoc est [quisquis enim] homo potum dederit vobis] ad refrigerium in euangelizando vt sustentemini [calicem] vas in quo propinatur hic aqua, calix vocatur : quia in calore charitatis administratur & suscipitur[aquæ frigidæ]omne quod appetitum naturalis desiderij famis & sitis refrigerat, hic dicitur aqua frigida [in nomine meo] hoc est, in honore nominis mei & notitia [quia Christi estis] hoc est, vncti ad euangelizandum. *Isa.*61. Spiritus Domini super me : eo quod vnxerit me, Dominus ad euangelizandum mansuetis misit me [amen dico vobis] hoc est, verè dico vobis non perdet mercedem suam] quia inde recipiet vitam æternam.*Gloss.*dicit calicem aquæ frigidæ:ne paupertate & penuria lignorum aliquis se excuset,quibus aquam calefaciat. Sic. 3. *Reg.*18. Abdias pane & aqua pascebat centum Prophetas Domini, & spiritũ meruit Prophetiæ.Sic & Ramalech Æthiops pascens & liberans Ieremiam Prophetam, liberatus est à Chaldæis *Ierem.*18. & 19. Sic.3. *Reg.*17. Mulier vidua pascens Eliam meruit quod non defecit tempore famis. *Matth.*10. Qui recipit iustum in nomine iusti,mercedem iusti accipiet. *Ierem.*31.Quiescat vox tua à fletu, & oculi tui à lacrymis:quia est merces operi tuo.*Hebr.*6.Non iniustus est Deus vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine eius : quia ministrastis sanctis, & ministratis. Hoc est ergo quod dicit:

Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me : bonum est ei magis si circundaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur.

Hoc est tertium de diligentissima scandali pusillorum vitatione. Exaggerat autem hic scandali vitationem per duos modos, quorum vnus est magnitudo pœnæ : & alter magnitudo damni, quod subeundum est antequam aliquis scandalizetur.Dicit igitur[& quisquis]hoc est,quicunque sine personarum acceptione[vnum de pusillis istis] pusilli hic dicuntur modicæ adhuc fidei,qui scandalizari possunt, hoc est, qui adhuc sunt in fide infirmi,& de leui ad illicita,per mala Prælatorum exempla prouocati. *Rom.* 14. Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam ipsorum infirmam, in Christum peccatis [credentibus in me] quamuis non perfectam & confortatam deuotione charitatis adhuc habeant fidem [scandalizauerit]hoc est,malo verbo vel facto occasionem ruinæ dederit.*Matth.*18.Væ mundo à scandalis. *Et ibid.* Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, qui in me credunt.Herodiana enim malitia est necare paruulos in Christo recenter renatos [bonum est ei magis] hoc est, melius est ei [si circundaretur] fune [mola asinaria] hoc est,mola quã asinus trahere cõsueuit[in collo eius]vt vitales partes superiores in profundum trahantur [& sic] cum mola ligatus [in mare]profundum [mitteretur]ad literam, quia sic submersus in peccato suo moreretur: & non puniretur propter hoc quod efficitur causa ruinæ multorum,pro quibus omnibus puniturus. *Matth.*18. Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius : & demergatur in profundum maris. Et vt dicit *Gloss.* loquitur secundum morem prouinciæ. Hæc enim pœna maiorum (aliàs malorum)criminum erat. Et reuera,melius est innoxium pœna atrocissima temporaliter finire vitam corporalem, quàm lædendo fratrem mortem animæ mereri perpetuam. Alia autem *Gloss.* dicit: Nota quod in bono opere nostro aliquando cauendum est scandalum proximi, aliquando pro nihilo habendum. In quantum enim sine peccato possumus,vitare scandalum debemus:si autem de veritate scandalum ; vtilius irasci permittitur, quam veritas relinquatur:sed in hac *G.* scandalum dicitur quæcunque conturbatio proximorum pusillorum. Quæstionem autem de scandalo nos notauimus *Mat.*18.

Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde illam: Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum: Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum: Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.

Secundum est, in quo exaggeratur scandalum per damnum, quod potius quam scandalum est subeundum: & tangit tria de manu, scilicet, pede, & oculo. De manu quidem dicit [& si scandalizauerit te] hoc est, si causam vel occasionem ruinæ, verbo vel facto minus recto tibi dederit [manus tua] hoc est, ille qui pro te operatur sicut manus tua, & qui te defendit sicut dextera tua [abscinde eam] per separationem tui ab ipso, & relinque illum. Non enim loquitur de membrorum corporalium detruncatione: sed potius de scandalizantium nobis coniunctorum separatione. *Matth.* 18 Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te. Et subiungit rationem [bonum] hoc est, vtilius [est tibi debilem] hoc est, adiutorio amici temporalis destitutum [introire in vitam æternam] in quam intrabis si causam cadendi in peccatum à nullo accipies [quàm duas manus] hoc est, duo adiutoria [habentem] tuum scilicet, & amici [mitti] propter causam ruinæ [in gehennam ignis] hoc est, in infernum. Hoc verbum *vt dicit Hieron.* nouum in Euangelio Saluator posuit pro inferno. quod ante eum in nullo auctore positum inuenitur. Sumptum est autem à *Iosue* 18. quia quidam Ennon habuit vallem, in quam iugis erat ignis sacrificiorum idolorum: Vnde gehennon est idem quod vallis Ennon: & quia ibi multus & iugis erat ignis, propter hoc ignem dæmonum infernalem ab illa valle denominauit. *Ierem.* 7. Ædificauerunt excelsa Tophet, quę est in valle filij Ennon: vt incenderet filios suos & filias suas igni: quæ nec præcepi, nec cogitaui in corde meo. Ideò ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicent amplius Tophet, & vallis filij Ennon, sed vallis interfectionis. Hac ergo similitudine dicit [in gehennam ignis inextinguibilis] quia ignis ille à verbo sententiæ Domini sumit virtutem. Et quia verbum suum nihil habet contrarium; ideò ignis ille extingui non poterit. Ignis enim ille nec virtutem consumendi ea quæ cremat, nec naturam illuminandi habet, vt dicit *Gregorius*, nisi ad ea quæ molesta sunt & inuitè videntur. Sed à sententia Domini habet virtutem affligendi reum. *Isa.* 26. Ignis hostes tuos deuoret. *Deut.* 32. Ignis succensus est in furore tuo: & ardebit vsque ad inferni nouissima, [vbi vermis eorum non moritur] Vermis hic dicitur conscientiæ remorsus, qui non cessabit in eis [& ignis afflictiuus, non consumptiuus [non extinguetur] quia ex quo non consumit, nunquam ei deerit materia. *Iudith* 16. Dabit ignem & vermes in carnes eorum: vt vrantur & sentiant vsque in sempiternum. *Ecclesiastic.* 9. Vindicta carnis impij ignis & vermes.

Et si pes tuus] hoc est, ille qui te portat sicut pes: & supportat te in labore vel solicitudine [scandalizat te] verbo vel facto minus recto tibi dat causam ruinæ vel occasionem [amputa illum] per tuam ab ipso sequestrationem: hoc est enim periculum in falsis fratribus. 2. *Corint.* 11. *Ierem.* 9. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet: & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur. Hic ergo talis pes est scandalizans. *Prouer.* 25. Dens putridus & pes lapsus, qui sperat super infideli in die angustiæ: & amittit pallium in die frigoris. Talis enim pes & supportationem subtrahit in die angustiæ, & pallium charitatis non expandit in die tentationis, quando refrigescit charitas multorum: & hic ergo pes amputandus est, quia [bonum] hoc est, vtile [est tibi claudum] tali amico te supportante carentem [introire in vitam æternam] in qua, supportante te, de cætero non indigebis, & quia Angeli te supportabunt. *Luc.* 16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Vel [in vitam] gratiæ in quam te sancti portabunt. *Rom.* 15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. *Galat. vltim.* Alter alterius onera portate [quam duos pedes habentem] hoc est, duas supportationem tuam, & amici scandalizantis [mitti] per ruinæ causam, vel occasionem [in ignem æternum] *Isa.* 30. Præparata est ab heri Tophet, à rege præparata, profunda, dilatata. Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam. Et hoc est quod subdit [inextinguibilem] quem flatus Domini, hoc est, spiritus iræ Domini continuè succendit [vbi vermis eorum non moritur] *Isa.* 14. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermes [& ignis non extinguetur] *Isa.* 50. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis vobis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis [quod si oculus tuus] hoc est, consultor, vel prouisor, vel gubernator: qui tibi est pro oculo [scandalizet te verbo vel facto minus recto: tibi dat causam casus, vel occasionem. *Thren.* 3. Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ. *Matth.* 20. Si oculus tuus nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit [erue eum] per tui ab ipso separationem. *Num.* 16. Recedite de tabernaculis hominum impiorum [Bonum est tibi] hoc est vtile [luscum] siue monoculum: vt non nisi tuam ipsius prouidentiam, & consilium, & gubernationem, in temporalibus habeas [introire in regnum Dei] vbi multi tibi prouidebunt, & consulent: de quibus dicitur *Ezech.* 1. Quod plena sunt animalia oculis ante & retro [quam duos oculos] hoc est, duplicem prouisionem vel consilium [habentem] Tuum proprium,

proprium, & mali amici. *Luc.* 16. Prudentiores huius seculi filiis lucis in generatione sua sunt [mitti] propter peccatum cui ille dat causam, vel occasionem [in gehennam ignis] *Matt.* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius [vbi vermis eorum non moritur] Tunc dentem acuit in æternum. *Iob* 21. In puluere morientur: & vermes operient eos [& ignis non extinguetur] quia nec materia eius consumitur, nec contrarium habet à quo corrumpatur. *Isa.* 66. Vermis eorum non morietur, & eorum ignis non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis omnis carnis, hoc est, beatorum.

Omnis enim igne salietur: & omnis victima sale salietur. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

Hoc est quartum de habenda discretione circa regnum subditorum. Dicuntur autem hic tria. Quorum primum est, de salis vtilitate: secundum, de salis sanctificatione: tertium autem, de salis insulsi nocinitate. *Gloss.* autem quædam dicenda dictis continuat, dicens. Quia tertiò mentionem facit ignis & vermis, ostendit quomodo vtrunque valeamus vitare: vt vermes sale arceantur, & ignis inferni igne sancti Spiritus depellatur. Et hoc est quod dicit [Omnis enim] homo, supple, vel Dei [victima] quæ se ipsam in sacrificium Deo obtulerit, sicut dicitur *Rom.* 12. Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentẽ, sanctam, Deo placentem, rationabile sit obsequium vestrum. Talis igitur omnis homo, & omnis hostia, ad hoc vt Deo placeat [igne salietur] Effectum ponit pro causa per metonymiam: quia sal exsiccat & purgat: vnde sensus est: Igne exsiccatur & purgatur: nihil enim ita purificat corpora putrescentia, sicut ignis: quia ignis humorem putridum de profundo extrahit, & consumit: & partes quæ humorem putridum generant abiiciendo constringit: ne iterum putredinem vel regenerare, vel emittere possint. Volens ergo Dominus per similè in spiritualibus ostendere Apostolis & Prælatis, qualiter sapienter & discretè regant subditos, ita quod omnino sint bonus odor Deo; docet quod igne arceant, tam in se quam in aliis, fœtorem putrescentis concupiscentiæ: & omnia quæcunque cogitant & loquuntur vel operantur, sale condiantur sapientiæ.

Ignis autem est quadruplex: sed primus causa est trium aliorum ignium. Primus quidem est ignis Spiritus sancti. *Act.* 2. Apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis: sederique supra singulos eorum Spiritus sanctus. *Deuter.* 4. Deus noster ignis consumens est. Secundus ignis est feruor charitatis. *Luc.* 12. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? *Ezech.* 1. erat hæc visio discurrens in medio quatuor animalium splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Tertius ignis est feruor deuotionis in affectu orationis. *Psalm.* 38. Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis. Iste est ignis sacrificij & holocausti, quod Deo incenditur. *Leuit.* 6. Ignis in altari meo semper ardebit. Quartus ignis est iræ per zelum bonum, vindicantem & vrentem in se, quod dolet admisisse. *Psalm.* 25. Vre renes meos, & cor meum: & vide si via iniquitatis in me est. *Ps.* 16. Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. *Eccles.* 27. Vasa figuli probat fornax: & homines receptibiles tentatio tribulationis. Tribulatio autem ista, vel est à se facta, aut in se ex zelo vindicat quod dolet admisisse, vel ab alio illata patienter sustetur, vt per tribulationem ab admissis malis expurgetur. *Sapient.* 3. Tanquam aurum in fornace probauit eos: & quasi holocausti hostiam accepit eos, & inuenit eos dignos se. [Igitur ignis] Spiritus sancti purificat spiritum, cui illabitur: ignis autem charitatis purificat affectum, quando affectus charitate informatur: ignis autem deuotionis purificat desiderium, vt Deo dignum sacrificium offeratur: ignis autem tribulationis vindicantis purificat loca delectationum, ne in peccatis quis delectetur: & sic secundum vnam quandam, quæ ibidem *est gloss.* illud. 1. *Corinth.* 3. intelligitur. Vniuscuiusque quale sit opus, ignis probabit. Si cuius opus arserit quod super fundamentum fidei ædificauit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. Sic ergo legenda est litera.

Omnis] homo vel [omnis] hostia [igne] isto quadruplici [salietur] hoc est, ad saporem suauitatis diuinæ, & exsiccationem & restrictionem fœtoris deducetur. *Genes.* 8. Odoratus est Dominus odorem suauitatis, & benedixit eis [& omnis] homo vel [hostia] sale sapientiæ & discretionis [sale salietur victima] hoc est, omnis victima sale debet esse salita. *Leuit.* 2. In omni sacrificio offeres sal. Quia nihil oblatum Deo placet, quod sale discretionis & sapientiæ diuinæ omnia condientis, non est salitum. *Iob* 6. Nunquid poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? Attende autem quod etiam nimis salsum, saporem habet abominabilem: & ita innuitur quando in rebus tanta adhibetur discretio, quantam natura negotij exigit: & tanta sapientia, tunc sufficit: & si magis aliquis adhibeat quam exigit negotij qualitas, abominabile est. *Rom.* 12. Dico per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. *Matth.* 5. Vos estis sal terræ. Quia Apostolica sapientia cuncta sunt condienda: fatuus enim insulsus vocatur [Bonum est sal] hoc est cunctis condiendis est vtile sal: vnde *Ambrosius.* Inter omnia quæ creasti, non minimam gratiam conferre dignatus es sali: vt ex illo possint vniuersa condiri. Et hoc significatum est 4. *Reg.* 2. Vbi Eliseus sanauit aquas per immissionem salis, ita quod non erat vltra in eis mors vel sterilitas: quia insipida humanæ conuersationis condiuit sale discretionis & sapientiæ diuinæ: vt de cætero nec mortem proferret in peccatis, nec sterilitatem nec pateretur in otiosis & fatuis. Sic ergo bonum est sal [quod si sal insulsum est] Sal est insulsum quando non condit: & hoc est quando Prælatus ad communem populi secularis conuertitur insipiditatem. *Matth.* 5. quod si sal euanuerit. *Luc.* 16. Quod si sal infatuatum fuerit [in quo illud] sal [condietis] quo ad saporem salis reuertatur. At si dicat, in nullo: quia si salis est sal, tunc vt probat *Philosophus*, ibitur in infinitum, & sic nunquam deuenitur ad condiens primum: & sic intolerabile damnum est, si sal sit insulsum,

insulsum. Cauete ergo ne sal insulsum efficiatur. *Coloss.4.* Sermo vester in gratia sale sit conditus.

Habete] ergo[sal in vobis]vt in vobis sapor sit sapientiæ, quæ magis dicitur à sapore quàm à sapere: vt in vobis nullus sit fœtor libidinis, nihil insulsum fatuitatis:quia sic alios condietis.Vnde. 4.*Reg.*2. Afferte mihi vas nouum: & ponite in illud sal. Vas enim innouatum, spiritus est innouatus, qui debet esse sal ne fœtorem contrahat,& vt habeat vnde alios condiat: quia aliter Prælatus esse non potest [& pacem habete in vos] quia salis sapor asper est aliquando, & purgatiuus:ideò monet vt quando alios condiunt, diligenter caueant ne pacem vnitatis Ecclesiæ rumpant: quia (sicut diximus) si nimis aliquid saliatur, abominabile efficitur: vnde *gloss.* Qui sapienter loquitur: magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vnitas rumpatur. *Ephes.4.* Nolite rumpere pacem, sed solicitè seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis. Sic conditos esse & condire alios iubet *Apostolus Galat.6.* Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, instruite illum in spiritu lenitatis: considerans te ipsum ne & tu tenteris. Quod enim dicit, præoccupatum in aliquo delicto,notat insulsum. Quod autem addit,instruite illum, notat salis apponendum condimentum. Quod vero subdit, in spiritu lenitatis,&c.notat solicitos esse debere,ne per nimiam salis appositionem prouocent ad amaritudinem: & sic pacis violent vnitatem. Hoc est ergo quod dicitur hic Apostolica idoneitate.

CAPVT X.

Et inde exurgens venit in fines Iudææ vltra Iordanem.

Angit hic communem omnium instructionem pertinentem ad salutem. Diuiditur autem hæc pars in duas, in quarum prima perfectam omnium eorum, quæ ad salutem pertinent,ponit doctrinam. In secunda autem,ad faciem Ieonis se conuertens, per miraculum ponit doctrinæ confirmationem *ibi* [Et venerunt Iericho] Prima harum adhuc duas habet partes, in quarum prima, ponit ea quæ ad salutem exiguntur ex parte nostra: in secunda autem, ponit ea quæ salutem perficiunt ex parte sua *ibi* [Et assumens iterum duodecim] Adhuc autem prior harum in tres diuiditur partes, in quarum prima, ponitur doctrina salutis secundum legem naturæ,instituta in paradiso: in secunda, ponitur doctrina simplicis humilitatis, ostensa in Saluatoris exemplo *ibi* [Et offerebant illi paruulos,&c.] In tertia, ponitur doctrina salutis cum perfectionis fastigio *ibi* [Et cùm ingressus esset in via,&c.] In prima harum tria continentur, scilicet,occasio huius doctrinæ salutis ex parte turbæ ad salutarem doctrinam confluentis: in secunda, ponitur occasio eiusdem ex parte Phariſæi tentantis: & in tertia, occasionata ponitur doctrina salutis. In primo horum quatuor dicuntur, scilicet, loci in quo Discipulos specialiter docuerat relatio: loci competentis ad salutis doctrinam petitio: turbæ requirentis doctrinam deuotio: & consueta doctoris doctrinæ salutis propositio. Dicit igitur:

Et exinde] hoc est, de Galilæa [exurgens] vt aliis prodesset qui in aliis locis morabantur: vnde *Gloss.* Hucusque ea quæ in Galilæa fecit & docuit. Hic narrat quæ in Iudæa fecit, & docuit,& passus est: & primo quæ trans Iordanem ad Orientem: deinde quæ extra Iordanem quando venit Iericho,& Bethaniam, & Ierusalem. Et est hæc *gloss.* continuans gesta quæ narrat *Marcus* secundum locorum in quibus facta sunt successionem. Spiritualiter tamen doctor salutis Dominus (inquam) exurgit, quia corda audientium sursum erigit,sicut Sol se exaltans cuncta ad se trahit quæ lumine suo tangit. *Eccles.1.* Oritur Sol,& occidit: & in circulos suos reuertitur. *Eccli.43.* Sol, vas admirabile opus excelsi. Sic ergo [exinde exurgens]& se exaltans in lumine,quædam loca relinquit,& ad quædam accedit.Relicta,vel despiciens, propter indeuotionem:vel sibi relinquens,ad propriæ fragilitatis considerationem: vel tentationi exponens, propter virtutis exercitationem. De primo horum dicitur *Matth.23.* Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico vobis: non me videbitis amodo. *Iob 24.* Ipsi fuerunt rebelles lumini. Tales Sol exurgens deserit, sicut lumen deserit cæcos à se auersos: quosdam autem deserit ad suæ fragilitatis considerationem. *Cantic.1.* Si ignoras te ô pulcherrima mulierum: egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. Hoc est, si tu quæ pulcherrima es, pulchritudine & compositione virtutis, ignoras te per oblitionem propriæ fragilitatis,egredere, hoc est,egredieris de sereno tuæ lucis quæ te tenet & venustat: & statim relicta sequeris vestigia gregum ad modum bestiarum: & abi dissoluta effecta, & pasces sensuum delectatione hœdos fœtidos, & pecorinos motus, iuxta tabernacula pastorum, hoc est, ad similitudinem aliorum pastorum, pecorinos motus pascentium. *Psalm.80.* Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis. Sic Paulus de lumine æternæ contemplationis proiectus est in stimulum carnis. 2.*Corinth.12.* Quosdam autem deserens, tentationi exponit ad virtutis exercitationem *Tobiæ 12.* Quia placuisti Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te. In hoc sensu dicitur *Michæ 7.* Cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est. In tenebris enim tentationis cautè & patienter sedens,ad lucem pro certo consolationis deueniet. *Tob.3.* Hoc pro certo habet omnis qui colit te: quia vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: & si in tribulatione fuerit,liberabitur: & si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris,quia post tempestatem tranquillum facis: & post fletum & lacrymationem, exultationem, & gaudium infundis. In hoc sensu dictum est illud *Psalm.138.* Nox sicut dies illuminabitur: & nox illuminatio mea in deliciis meis. *Psalm.17.* Deus meus,illumina tenebras meas: quoniam in te eripiar à tentatione. Sic ergo exinde exurgens [venit in fines Iudææ vltra Iordanem] Describit locum ad quem venit doctor salutis: vt ex loci congruitate intelligatur opportunitas doctrinæ. Vnde *gloss.* Cùm omnis Iudæorum prouincia generaliter ad discretionem aliarum gentium Iudæa dicta sit, specialiter

ſpecialiùs tamen meridiana plaga dicitur Iudæa, ad diſtinctionem Galilææ, & Decapoleos, & cæterarum in eadem prouincia regionum. In huius ergo plagæ meridianæ [fines venit] Ieſus cauſa docendæ ſalutis. *Ioan.* 10. Abiit iterum trans Iordanem in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primum, & manſit illic. Illuc autem venit tam propter prophetiæ vaticinium, quàm propter Ioannis teſtimonium. De primo dicitur *Iſa.* 9. Trans Iordanem Galilææ gentium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. De ſecundo dicitur *Ioan.* 10. Multi venerunt ad eum, & dicebant quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc vera ſunt, & multi crediderunt in eum: & hoc eſt quod ſequitur.

Et conueniunt iterum turbæ ad eum: & ſicut conſueuerat, iterum docebat illos.

Hic tangitur doctrinæ occaſio ſumpta ex turbarum deuotione. Dicuntur autem hic tria: turbarum ad audiendum deuotio, conſuetà Domini ad docendum dignatio, & doctrinæ ſalutis impertitio. De primo dicitur [& conuenerunt] in cor vnum & animam vnam, tertium, ſicut ſæpius fecerant turbæ: quæ quamuis per errorem Phariſæorum ſe turbarent; tamen turbationem erroris eorum vincentes, conuenerunt ad eum ſicut ad ſalutis doctorem. *Geneſ.* 49. Congregamini filij Iſrael congregamini, & audite Iſrael patrem veſtrum. *Eccleſ.* 50. Appropinquate ad me indocti: & congregate vos in domum doctrinæ, & diſciplinæ. *Deut.* 33. Qui appropinquant pedibus eius; accipient de doctrina eius. Conuenerunt autem turbæ tripliciter: primò, per principia fidei adiuuante intellectu ex ipſis errorum varietatibus. 2. *Corinth.* 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Sic congregari orauit qui dixit *Pſal.* 105. Congrega nos de nationibus, hoc eſt, de errore nationum: vt confiteamur nomini tuo (libera confeſſione fidei) & gloriemur in laude. Secundò, conuenerunt adunatione ſenſuum in puram cordis contemplationem. *Iſa.* 46. Redite, redite præuaricatores ad cor. Redite, inquam, per ſenſuum exteriorum à mundi vanis ſpectaculis auerſionem. Et iterum. Redite per ſenſuum interiorum (qui ſunt ſenſus communis, imaginatio, Phantaſia, æſtimatiua, & memoria) ad intellectum ſimplicem, auerſionem. *Pſal.* 84. Loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor. Sicut *Ioan.* 4. Mulieri auditurè verba Domini (quæ ante per quinque viros diſſoluta, laſciuia ferebatur) dicitur. Voca virum tuum, vnica vnicum, & veni huc. Tertiò, conuenerunt omnem vim cordis per intentionem adunantes in Chriſti verbum. *Nee.* 8. Aures omnis populi erant erectæ, hoc eſt, ad ſuperiora actæ. Quia totam mentis conuolutionem, *vt dicit Dionyſius*, adunauerant in Deum.

Et [ideò ſicut conſueuerat] conſuetæ enim beneuolentiæ exhibuit effectum. *Eccleſ.* 24. Adhòc doctrinam quaſi antelucanum effundam. Antequam enim ad ipſum lux cordis, & intelligentiæ noſtræ ſibi præbeatur: ipſe prænenit docens: probans illud *Ioan.* 1. eſſe verum. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde ſicut conſuetum eſt luci lucere: ſic conſuetum erat Chriſto docere. Sic ergo [docebat illos] docere autem, vt dicit *Chryſoſt.* eſt id quod ſuadetur & proponitur, humanis exemplis & rationibus probare & credibile facere. *Iſa.* 8. Scribe in eo ſtilo hominis, hoc eſt, quod humanus poſſit accipere intellectus. *Habac.* 2. Explana viſum ſuper tabulas: vt percurrat qui legerit. Quidam autem hoc non faciunt, ſed alta docent: & dicunt, quæ docere ſimilitudinibus & rationibus intelligibilibus, ſibi faſtum excitant: & non auditoribus vtilitatem faciunt. Contra quod dicitur 2. *Corint.* 2. Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed doctrina ſpiritus. *Iſa.* 23. Populum imprudentem non videbis ibi, populum alti ſermonis, cuius non poſſis intelligere linguam, in quo nulla eſt ſapientia. Quidam autem loquentes non docent niſi opiniones contentioſas, quæ doceri non poſſunt: quia phantaſticæ ſunt, & erroribus vicinæ: cuius ſignum eſt, quia ſunt ſingulares & Chriſtianæ fidei non concordantes. 2. *Timot.* 2. Nolite verbis contendere: ad nihilum enim vtile niſi ad ſubuerſionem audientium. Et ideò verbum Dei modo hominis doceri debet, & digito Dei cordibus inſcribi, modo hominis: ſicut dicitur. 2. *Eſdræ* 8. Legerunt in libro Eſdras, & Neemias, & Leuitæ diſtinctè & apertè ad intelligendũ: & intellexerũt audientes, cũ legereturr. Ad hoc in Eccleſia datur clericis Ordo, qui vocatur Lectorũ. Digito autem Dei ſcribitur, quando indicio expreſſo diuinæ virtutis & Spiritus ſancti hoc quod dicit confirmatur. 1. *Cor.* 2. Loquimur nõ in doctis humanæ ſapientiæ verbis: ſed in doctrina ſpiritus; ſpiritualia ſpiritualibus comparantes. Sic *Exod.* 34. Deſcendit Moyſes de monte, populo quem docturus erat, per modum docendi ſe coaptans. Sic portauit in manibus, hoc eſt, in operibus tabulas digito Dei conſcriptas. Sic ergo [ſicut conſueuerat docebat illos] aliter enim indocti à ſapientia ſua receſſiſſent.

Et accedentes Phariſæi interrogabant eum: ſi licet viro vxorem dimittere? tentantes eum.

Tangitur hic huius doctrinæ occaſio ſumpta ex malitia tentantis. Sicut enim docendo ex charitate, profuit ſtudioſis: ita ex veritate retundit dentem rabidi canis, ne lacerare poſſit doctrinam conuentus malignantium, error profeſſus, & interrogando malignus ſyllogiſmus cornutus, & quartò peruerſus intentionis eorum conatus. Primum notatur in hoc quod dicit [& accedentes] ſcilicet, ad ſe inuicem & ad multitudinem, vt ſe armarent: & ad turbas, vt ſtudioſos ſe callidè ſimularent: & ad Chriſtum, vt pietatem falſam prætenderent, ſub cuius pallio facilius decipere poſſent. De primo dicitur *Matth.* 22. Abeuntes Phariſæi conſilium fecerunt, vt Ieſum in ſermone caperent: & mittunt ei Diſcipulos ſuos cum Herodianis. Vbi dicit *Chryſoſtomus*: à veritate ſe nudos eſſe profeſſi ſunt, qui multitudine ſe armauerunt. Sic ergo ad ſe acceſſerunt, vt ſibi fierent mutuæ malitiæ præſidium. *Pſal.* 67. Congregatio taurorum in vaccis populorum. Ad turbas autem acceſſerunt, vt amorem ſtudij mentirentur: vnde *Gloſſ.* Magna eſt diſtantia inter turbas, & Phariſæos: hæ conueniunt vt doceantur & infirmi curentur,

ſicut apertè dicit *Matth.*10. in fine & *Matth.*12. Vbi turbæ attribuerunt virtutes Chriſto filio Dauid in lege promiſſo. Phariſæi autem è contra ſpititui immundo. Illi autem, hoc eſt Phariſæi, vt tentando decipiant accedunt. Has enim deuotio pietatis, illos adducit ſtimulus liuoris. *Matt.*7. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium: intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces. *Iob* 1. Quadam die cum conueniſſent filij Dei vt aſſiſterent coram Domino: aduenit inter eos etiam Satan. Acceſſerunt etiam ad Chriſtum, vt pietatem falſam prætenderent. 2. *Timoth.*3. Habentes quidem ſpeciem pietatis: virtutem autem eius penitus abnegantes. *Eccli.*2. Acceſſiſti malignè ad Dominum: & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia.

Phariſæi] Ecce malignantium error profeſſus. Execrata enim inuidia ſub falſo nomine religionis, veniunt in hypocriſi mendacium loquentes. Phariſæi enim diuiſi interpretantur: quia ſpecie falſæ religionis, vel potius ſuperſtitionis, ab aliis ſe diuiſerant: ſicut qui maius ſtudium haberent, propter quod hypocritæ *Matth.*23. ſæpe vocantur. *Prouerb.*11. Simulator ore decipit amicum ſuum: iuſti autem liberabuntur ſcientia. *Iob* 36. Simulatores & callidi pronocant iram.

Interrogabant eum] Ecce interrogando malignus ſyllogiſmus cornutus. Cornutus enim ſyllogiſmus eſt, qui quicquid dicatur ad contradictionem tentat arguere: quem Philoſophi elenchum vocare conſueuerunt. Dicuntur autem hic duo, ſcilicet, modus, & ſyllogiſmus: modus innuitur in hoc quod dicit, [interrogabant eum] interrogatio enim propoſitio eſt quærens, & eliciens reſpondentis conſenſum. *Eccleſ.*13. Ne credas multis verbis eius. Ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis. Immitis animus illius conſeruabit verba tua, & non parcet de malitia & de vinculis.

Si licet] Hæc enim eſt materia cornuti ſyllogiſmi: vnde *gloſſ.* Cornuto ſyllogiſmo tentant, & quicquid reſpondeat capere putant. Si dicit dimittendam, & aliam ducendam; pudicitiæ prædicator ſibiipſi videtur contraire: ſi non dimittendam, reus ſacrilegij & contra doctrinam Moyſi, & per Moyſen contra doctrinam Dei facere. In hoc autem cornuto ſyllogiſmo ſignificatur *Geneſ.*49. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro. Dan enim eſt, ex quo ſemen procedit Antichriſti: quod in veritate fuerunt Phariſæi colubri; quia vmbras latebrarum inſidiando ſemper coluerunt. Ceraſtes autem ſunt, per cornutum ſyllogiſmum quo tentant: quia ceraſtes ſerpens eſt cornutus. Hi momorderunt vngulas equi: quia vectorum Dei ſemper obſeruauerunt veſtigia per inſidias detrahentes: & quàm potuerunt etiam ipſum aſcenſorem Chriſtum cadere facere conati ſunt. *Pſalm.*74. Cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iuſti. Dicunt ergo, licet [viro vxorem dimittere] *Matth.*19. Si licet homini vxorem ſuam dimittere quacunque ex cauſa. Quia ſecundum traditiones Hebræorum diuerſis ex cauſis dimiſerunt. *Deuter.*24. Si acceperit homo vxorem & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius, propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudij, dabit in manu eius, & dimittet eam de domo ſua. Super hanc igitur legem fundant quæſtionem, non curantes diſcere: ſed potius ſalutis doctorem in ſermone capere, & reprehenſibilem coram turba facere: & ſic ſalutis fructum in turba impedire. *Pſalm.*9. Inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua. Inſidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum. *Prou.*11. Qui inueſtigator malorum eſt, ab eis opprimetur.

Eſt autem notandum quod quamuis in iure matrimonij ad paria iudicentur vir & mulier; tamen lex non facit mentionem de muliere, quod poſſit dimittere virum propter aliquam fœditatem: quamuis à Iudæis ſemper obſeruetur, ſic quod æqualiter poſſit vxor dimittere virum ſicut vir vxorem: & hoc eſt factum tribus de cauſis, quarum vna eſt, quia non adeo fortis & dura eſt indignatio vxoris in virum, ſicut viri in vxorem: & ideo non ita in periculo eſt vir ex odio vxoris, ſicut vxor ex odio viri: & ideò tacuit lex de muliere quando permiſit libellum repudij: mulier enim mollis eſt, & cordis humidi, & de facili placatur: & hoc ſignificatum eſt *Geneſ.*34. Vbi corruptam Dinam Sichem triſtem deliniuit blanditiis: ita quod adhæſit ei contra patrem, & matrem, & fratres: & contra conſuetudinem ſuæ religionis. Alia cauſa eſt, quia viro per legem datur, quod ſit caput vxoris, quod regere vel reficere habet corpus: & non è conuerſo. *Geneſ.*3. Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Tertia cauſa, quia mulier per ſe ſubiacens multis fœditatibus, & laxam habens carnem & non poroſam, non ita corrumpitur fœditatibus viri: ſicut vir propter oppoſitam complexionem corrumpitur fœditatibus mulieris: & ideò in dimittenda vxore mentio fit de viro & non de vxore. *Ezech.*16. Eras nuda & confuſione plena.

Adhuc autem notandum, quod ſecundum antiquam legem Romanorum, non dimittebatur vxor niſi ex vnica cauſa: ſi ſcilicet ſterilis ad vnum & non ad alium eſſe credebatur. Tunc Imperator & Senatus, cuius erat intentio populare regnum, permiſit dimitti vxorem: & ſic Marcia ſeparata fuit à Catone: & ſic aliquando fuit in lege naturali: & de hoc ſecundum literalem ſenſum loquitur *beatus Iob* 24. Vbi loquitur de maledictione eius, qui in nuptiis quærit ſterilem, & abiicit fœcundam, dicens. Non ſit in recordatione, ſed conteratur quaſi lignum infructuoſum: pauit enim ſterilem & quæ non parit: & viduæ non benefecit, hoc eſt, ſi quam à ſe ſeparauit: vt ſuæ libidini cum ſterili vacaret, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Ex omnibus his patet quod non fuit vnquam intentio legiſlatoris per ſe de libello repudij, ſed per accidens: & hoc poſtetius erit manifeſtum.

Hoc eſt igitur quod dicunt [Si licet viro vxorem dimittere] Et quia permiſſio hæc legis multorum malorum fuit occaſio in populo: eo quod multi dimittebant vxores ſuas, & alias ducebant: ideò Dominus hanc legem quaſi arguere videtur *Malach.*2. Operiebatis lacrymis altare, & fletu & gemitu: ita vt non reſpiciam vltra ad ſacrificia veſtra, nec accipiam placabile quid de manu veſtra. Et dixiſtis, quam ob cauſam? quia Dominus teſtificatus eſt inter te & vxorem pubertatis tuæ, quam tu deſpexiſti, & hæc particeps tua & vxor fœderis tui. Ac ſi dicat. Sub prætextu repudij violatis fœdera ſacramenti à Deo inſtituta, & vxoris

ſit per calumniam dimiſſæ, plorantis ante altare meum: & ideò vobis placari non poſſunt: ſed propter duritiam odij veſtri ad eas, permiſſum eſt vobis, ne occidatis eas: ſed coram Deo peccatum eſt, qui propter ſactificia non placabor. Hæc omnia attendentes Phariſæi perplexam & cornutam ex perplexa & cornuta lege proponunt quæſtionē.

Tentantes eum] In quo intelligitur peruerſus intentionis eorum conatus: non enim intentione diſcendi, ſed tentandi quæſtionem propoſuerunt. *Matth.*22. Quid me tentatis hypocritæ? *Pſalm.*106. Conuerſi ſunt & tentauerunt Deum: & conſilium Altiſſimi irritauerunt. Contra hoc quod dicitur *Deuter.*6. Non tentabis Dominum Deum tuum. Tentator autem eſt, vt dicit *Hugo de ſancto Victore*, qui quærit mouere & inducere ad aliquod illicitum. 1. *Corinth.*10. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam illorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Congruè autem tentatores perierunt à ſerpentibus: quia ſerpentes primi fuerunt tentatores.

At ille reſpondens dixit eis: quid vobis præcepit Moyſes? Qui dixerunt, Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere, & dimittere.

Occaſionata ex præmiſſis ponitur doctrina ſalutis. Diuiditur autem in partes tres, in quarum prima, de Scriptura legis quæritur vt doctrinæ detur occaſio: in ſecunda, doctrinæ veritatis ponitur promulgatio: in tertia, doctrinæ non ſatis intellectæ ponitur plena interpretatio. In primo horum tria dicuntur, ſcilicet, Chriſti ad tentantes reſponſio, præcepti Moyſi inquiſitio, & ipſius præcepti per Phariſæos propoſitio: & hoc eſt quod dicit [At ille] doctor veritatis [reſpondens ait] Sic *dicit gloſſ.* Dominus ſic temperat reſponſum, vt tranſeat decipulam. *Prouerb.*1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum [Quid vobis præcepit Moyſes] Inquiſitio eſt præcepti Moſaici. Dicit autem [Quid vobis præcepit Moyſes] Et non dicit, quid vobis præcepit Deus? Quia iſtud non à Deo, neque ſecundum Dei intentionem, & iuſtitiæ ordinem, & legis intentionem ſpiritualem proceſſit: Sed potius malitia carnalium, & concupiſcentia carnis hoc extortum eſt: vnde *gloſſ.* Sanè intellectam in teſtimonium adducit naturalem legem, primámque Dei ſententiam ſecundæ opponens: quæ non voluntate Dei, ſed peccantium neceſſitate conceſſa eſt. *Eccleſ.*24. legem mandauit nobis Moyſes in præceptis iuſtitiarum. *Ioan.*9. Tu Diſcipulus Chriſti ſis: nos autem Diſcipuli Moyſi ſumus.

Qui dixerunt] Præceptum Moyſi adducunt in medium tanquam legis zelum habentes [Moyſes permiſit] Coacti ipſa veritate dicunt Moyſem hoc permiſiſſe. Quod autem ſic permittitur, à neceſſitate peccantium extorquetur, ne peius aliquod fiat: ſicut & lex humana (ſicut dicit *Auguſtinus*) permittit meretricem, & vſuras: & quæ ſic permittuntur, ſic fiunt vt temporaliter à iudice non puniantur; ſed æternum & diuinum iudicium non euadunt: vnde doctorum diſtinctio eſt, quod quædam præcipiuntur, & quædam conceduntur, quædam autem indulgentur, & quædam permittuntur. Præcipiuntur quidem, ſine quibus non eſt ſalus: conceduntur autem ſpecialia priuilegia pro dignitate perſonarum & meritorum, ſicut dicitur 1. *Machab.*2. Phinees pater noſter zelando zelum Dei, accepit teſtamentum ſacerdotij æterni. IESVS dum impleret verbum, factus eſt dux in Iſraël. Caleph dum teſtificatur in eccleſia, accepit hæreditatem. Dauid in ſua miſericordia, conſecutus eſt ſedem regni in ſecula. Elias dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum. Ananias, Azarias, Miſael credentes liberati ſunt de flamma. Daniel in ſua ſimplicitate, liberatus eſt de lacu leonum. Quod autem indulgetur, eſt veniale ſicut dicit *Auguſtinus.* Sicut ex libidine vxorem cognoſcere: & ideò dicit *Apoſtolus* de talibus 1. *Corinth.* 7. Hæc autem dico ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium. Permiſſum autem in lege à legiſlatore, extortum eſt, ne peius aliquid fiat: ſicut libellus repudij: quia ſicut dicitur *Ezech.*16. Equi fuerunt amatores in fœminas: & vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. *Ierem.*5. Et amore ſecundarum nuptiarum primas vxores occidebant. Et ideò ne occiderentur, maluit Moyſes vt ſub fœditatis nomine dimitterentur: & ideò lacrymas vxorum dimiſſarum Dominus improperat Iudæis *Malach.*2. Dicens: Operiebatis lacrymis altare meum, fletu, & gemitu: ita vt non reſpiciam vltra ad ſactificium veſtrum. Et dixiſtis, quam ob cauſam? quia Dominus teſtificatus eſt inter te & vxorem pubertatis tuæ quam tu deſpexiſti, hæc particeps tua & vxor fœderis tui.

Adhuc autem quædam conſulit lex, & quædam in exemplum proponit, & quædam laude magna extollit. Conſulit autem, ſicut conſilia ad quæ non omnes obligantur, ſicut virginitatem, viduitatem, & voluntariam paupertatem. 1. *Cor.*7. De virginibus autem præceptum Domini non habeo: conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino. In exemplum proponit eximiæ ſanctitatis viros, propter quorum merita aliis parcitur. *Exod.*13. Memento Abraham, Iſaac, & Iacob: quibus iuraſti dare terram fluentem lac & mel. Laudat vero opera ſupererogationis *Luc.*10. Siquid ſupererogaueris, ego cum rediero reddam. 2. *Corinth.*12. Ego libentiſſimè impendam: inſuper & ego impendar pro animabus veſtris.

Sic ergo Phariſæi non intelligentes dicunt veritatem, dicentes [Moyſes permiſit libellum] in memoriam facti, ne poſtea negari poſſet [repudij] quia cauſam repudij continebat, quæ ſecundum legem erat aliqua fœditas coniunctionem maritalem impediens. Sicut eſt maximè ſterilitas, vel arctitudo, propter quam cognoſci non poterat, vel immunditia continui fluxus menſtrui, vel putredinis in inguinibus: hæc enim & alia impediebant conceptum, & abominabilem reddebant vxorem: & has fœditates poſtea carnalis populus ad ſolum odium conuertit, propter odium vxorem dimittens: vnde *Malach.*2. Cuſtodita ſpiritum veſtrum, & vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere. Cùm odio habueris eam dimitte: dicit Dominus Deus Iſraël. Odium autem cum ſit inueterata ira, cauſa eſt homicidij: & adhuc ſi mulier certitudinaliter experta eſt odium viri quærentis eam occidere, non teneretur viro cohabitare durante tali odio, niſi cautionem præſtaret quod eam nec affligeret, nec occideret. Non enim fides thori ſeruatur ab eo, qui vxorem ad thorum ideo afficit & recipit, vt eam in thoro occidat. Et ideò vxoricidæ ſecundum antiquas leges puniebantur

in matrimonio : contra quod deliquerunt, vt scilicet deinceps vxores non acciperent.

Hac ergo de causa permisit libellum repudij [scribere] in quo fœditates superius inductæ scribebantur: & quas vir de muliere probare tenebatur [&] sic [dimittere] à thoro per diuortium. Et sic per odium multæ bonæ mulieres dimittebantur, quod erat contra fidem matrimonij, & contra substantiam sacramenti: cuius substantialis diffinitio est, quia est legitimarum personarum coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Et erat contra hoc bonum matrimonij, quod bonum Sacramenti vocatur: quod est signum indiuiduæ coniunctionis spiritus creati cum increato: quæ vnitas nullo modo est diuidenda: vnde de talibus conqueritur Dominus *Malach.*2. Contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum & discipulum in Israël. Sanctificatio enim Domini, quam dilexit Dominus, est castitas matrimonialis, indiuiduitatem spiritus creati cum increato significans. Hoc autem contaminatur quando propter libidinem alterius mulieris, separatio quæritur. Et filia Dei alieni ducitur, quando alia: quæ diuisionem libidinis, & non vnitatem spiritus designat. Hoc est enim fornicari à Domino. *Psalm.*72. Perdes eos qui fornicantur abs te. Diuisio enim in plures indicat fornicationem & diuisionem spiritus à Domino: qui in plures spargitur alliciente libidine.

Quibus respondens Iesvs, ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. Ab initio autem creaturæ masculum & fœminam fecit eos Deus: propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit ad vxorem suam: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo: sed vna caro

Tangit doctrinæ veritatis probationem, & veritatis probatæ conclusionem. In probatione veritatis dicit tria, scilicet, duritiæ cordis, extorquentis libellum repudij, detestationem: ad naturalem legem, repudij discrepationem: ad legem disciplinæ in Paradiso ante peccatum datam, dissimilitudinem.

Dicit igitur [Ad duritiam, &c.] Vnde *Matth.*19. dicitur sic: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras. Et est sensus [ad duritiam cordis vestri] cogentem & extorquentem permissionem legis [scripsit] Moyses [vobis] Non Deo vel legislatori [præceptum istud] *Ierem.*17. Peccatum Iuda scriptum est in vngue adamantino: exaratum est super latitudinem cordis eorum. Vnde *gloss.* Moyses dicit: q. dicat. Hominis est consilium, non Dei, hoc est, Moyses tunc humanè consuluit vxoribus dimittendis: & non attendit fidem, & significatum sacramenti, & naturæ legem, & institutionem: quia illa tempore Moysi peccatum vitiauerat: & ideò oportuit vt intentio legislatoris aliquantulum cederet iniquitati & furori concupiscentiæ, tempore non reuelatæ gratiæ: vnde Dominus ratione talium carnalium legum dicit corrigendam esse legem *Ierem.*31. Feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum: non secundum pactum quod pepigi patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum. Quod *Apostolus* exponens *Hebr.*8. ait. Nam si illud prius culpa vacasset, non vtique secundi locus inquireretur: vituperans enim eos dicit. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum: non secundum testamentum quod dedi patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti. Quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Ex quo patet quod tales leges negligunt obseruantem, & non beatificant: quia per necessitatem peccati sunt exortæ, ne peius aliquid committeretur. Hoc est igitur quod dicit [Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis Moyses præceptum istud] *Deut.*31. Scio contentionem tuam, & ceruicem tuam durissimam. Adhuc me viuente & egrediente vobiscum, semper contentiosè egistis contra Dominum: quanto magis cùm mortuus fuero? *Isa.*48. Scio quod fornicans fornicaberis: & transgressorem ex ventre vocati te. *Act.*7. Dura ceruice indomabili corde: vos semper Spiritui sancto restitistis.

Ab initio autem non fuit sic] Inducit ad legem de libello repudij naturalis legis discrepationem. Dicit ergo [Ab initio autem creaturæ] cùm Deus ad imaginem suam crearet hominem, & instituret eum lege naturali [non fuit sic] quia naturalis lex omnino ad licita instituit hominem: de qua dicitur in *Psalm.*4. Multi dicunt quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Ac si dicat; non oportet quod sequamur ignorantiam multorum quærentium; quis ostendit nobis bona facienda, vel mala vitanda? quia lumen vultus tui in lumine naturalis legis signatum & descriptum est super nos, hoc est, in ratione mentis nostræ quæ super nos est; quod docet quæ secundum intentionem Dei facienda sunt, & quæ peccatis hominum permittuntur: hæc enim ratio dictat fidem vxoriam, & fœdus matrimonij non esse violandum: & ideò *Malach.*2. Vbi de eadem lege loquitur, mittit nos ad spiritum mentis & rationis dictantem quid de talibus sit tenendum, dicens: custodite spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Et hoc est [ab initio creaturæ] Et hoc est quando in natura nihil fuit nisi quod Deus creauit [non fuit sic] *Eccles.*7. Deus fecit hominem rectum: & ille infinitis se immiscuit quæstionibus. *Eccli.*17. Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & iterum conuertet illum in ipsam, & secundum se vestiuit illum virtute. Et hoc est quod intendit per hoc quod sequitur [Masculum] vnicum [& fœminam] vnicam [fecit eos] Non enim fecit vni fœminæ duos masculos, vel plures: nec vni masculo fecit duas, vel plures fœminas: vt cùm repudiaret vnam, assumeret aliam. In quo facto ostendit fœminam per fidem & legem Dei coniunctam masculo nunquam esse repudiandam. Hoc enim omni naturæ consonum est, sicut naturæ ab ipso creatore inditum, & insitum & inseminatum. Nullum enim mobile plus habet quàm vnum motorem immediatum,

diatum: nec aliquod patiens plus habet, quam vnum agens proximum: & in omnibus animalibus (cùm quidem distincti sexus) in ipsis embryonibus, & ouis eorum, non nisi duo sexus congregantur. Quia sexus masculinus est ingrediens in guttam fœminæ, sicut spiritus in corpus, vt dicit *Philosophus*, nec vnquam duo spiritus in vnum corpus ingrediuntur: nec duo corpora vni aptantur spiritui.

Si autem obiicitur quod est in vno conceptu: sed nihil prohibet vnam fœminam successiuè concipere à duobus viris, & sic separari ab vno, & coniungi alij. Dicemus ad hoc quod natura hominis alia est, quam natura alterius animalis: natura enim hominis ratio est, & ideò rationes vocis naturales dicuntur, quia sunt homini naturales: vnde *Tullius* dicit in fine *Primæ Rhetoricæ*, quod ius naturale est, quod non opinio genuit: sed innata quædam vis insertit. Natura autem homini dictat, non tantum de generatione prolis: sed etiam de cura & educatione prolis, vsque ad perfectionem virium & ætatis, quousque curare possit de se ipsa: ad hoc autem exigitur quod Pater certitudinem habeat de nato quod suus sit, & de corpore suo exierit. Quia ex hoc dictat ei natura, sicut dicit *Philosophus*, quod sicut de corpore exiuit cum parte substantiæ corporis, per quam negotiari potuit in substantia nutrimentali ad corporis perfectionem; ita exire deberet de domo cum parte facultatũ domus patris, per quam negotiari possit ad perfectionem suæ domus: quia sic natus, pignus naturæ mortalis vocatur: & sic homo naturaliter est animal coniugale, & œconomicum, & ciuile. Talis autem cura de nato non potest esse patris, nisi certa sit vxor: quia si certa sit vxor, tunc fide vxoris certificatur suus esse natus. Certa autem non potest esse vxor, nisi per thori fidem: & sic fides thori facit matrimonium. Fides autem thori est de indiuiduitate vitæ: indiuiduitas autem vitæ, non nisi ad vnam haberi potest: & ideò nisi per dispensationem aliter fiat, secundum legem naturæ non potest esse nisi vnica vnius. Dispensationem autem dicimus sicut factum fuit tempore non reuelatæ gratiæ, quando pauci erant fideles: tunc enim dispensabatur quod vnus fœcundaret plures, vt cum propagatione seminis fieret etiam propagatio religionis. Et hoc est quod ex ordine naturæ hic probat summa sapientia Christus, quod [ab initio creaturæ masculum] vnum [&] vnam [fœminam fecit Deus.

Et dixit [propter hoc] scilicet matrimonium [relinquet homo patrem & matrem] ita quod filia relinquet patrem, ne sibi matrimonialiter societur: & filius relinquet matrem, ne eam ducat in matrimonium. Et est hæc lex disciplinæ matrimonij: quia naturale non est quod pater & mater qui de suo habent in natis, iungantur ei quod suum est. Hoc enim in nulla natura contingit, quod aliquid ei quod suum est iterum coniungatur. Iam enim id quod patris est, ei quod matris est in procuratione prolis est coniunctum; & ideò non amplius coniungendum. Dicit autem [relinquet] non relinquit: quia Eua de costa Adæ accepta fuit, & quasi filia Adæ fuit, & illi coniuncta: sed vlteriùs filia patri coniungenda. Et hæc solà persona in lege naturæ à coniugio excipiebatur, scilicet, quod filia non accepit patrem, & filius non accepit matrem: & hoc ideò, quia naturæ fugientis per mortalitatem pignus est nata vel natus: nec retineri potest natura in parentibus, quæ fugit & deficit: & ideò per pignus ordine retinenda est in aliis posteris, abeuntibus parentibus: sicut succus à radice propagatur in ramos, vt dicit *Augustinus*, & non econuerso: vnde *Leuit.*20. præcipit Dominus, quod pater & mater natis in matrimonio vel concubitu non coniungantur.

Et adhærebit] per indiuiduam vitam, quæ cum pluribus esse non potest [vxori suæ] cuius & ipse est vir: suus autem & per reciprocam seruitutem esse non potest duarum. 1. *Corinth.* 7. Mulier sui corporis potestatem non habet. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem. Si autem haberet duas, si poneretur quod simul vno tempore peterent debitum, oporteret quod altera à suo debito defraudaretur. Adhuc autem, sicut dicit *Aristoteles*, quod veros amicos decet esse non multos, eo quod ea quæ pro amicis sunt facienda, multis non possunt exhiberi. Sic etiam vxores non decet esse multas: quia fides thori, & vxorius affectus, & reddito debiti, & procuratio domus, & cura natorum & familiæ non possunt multis exhiberi. Matrimonium enim est officium ciuile, & ad beatitudinem ciuium in cura domus est exhibendum, vt dicit *Aspasius*.

Sunt enim quatuor in matrimonio attendenda, scilicet, quod est officium naturæ, quod est bonum mortalis vitæ, & quod est officium ciuile, & quod est sacramentum Ecclesiæ. In hæc enim quatuor genera incidit matrimonium. In officium naturæ est simpliciter institutum in paradiso: & sic est vnica vni: hoc enim sufficit ad naturæ generationem: & sicut *dicit Philosophus*, natura nunquam deficit in necessariis, & nunquam abundat superfluis. Et si dicitur quod masculus naturaliter monetur ad plures. Hoc sicut dicit *Philos.* per accidens est, scilicet, ex humoris abundantia superflua, quæ non conuenit homini secundum statum naturæ primum & simplicem: & sic loquitur hic Dominus, & *Matth.* 19. Secundum autem, quod ipsum est bonum mortalis vitæ, sicut dicit *Augustinus in lib. coniugali.* Sic ipsum est ad solam prolis procreationem, in qua tanquam in pignore, natura fugiens teneatur ne deficiat: & hoc modo attendendum est, quod non est proles, quæ statum naturæ dissipat & confundit, & quæ hun anis non studet, sicut *Plato in Politegiis* (aliàs politegnis) dicit: sed illa est pignus naturæ, quæ parentem restituit in omni bono humano, hoc est, quæ iustitiam amat, & pietatem colit, & intellectualibus (quæ sola humana sunt) dat operam & studium impendit.

Hanc autem prolem tam in profusione seminis, quam in casu seminis in matricem, & in toto tempore impræganationis, & in cibis matris, & in exitu de matrice, & in omni educatione oportet esse perfectam: quia aliter nec complexionem, nec compositionem membrorum, nec vires animæ, nec operationes habebit ad iustitiæ amorem, & ad pietatis cultum, & studium intellectualium perfectionum. Talis autem cura non potest pluribus impendi vxoribus: ex coitu enim multo cum pluribus in masculis virtus destituitur, & efficitur semen immaturum. Si autem mulier sæpe cum pluribus coëat, pro certo sterilis efficitur: quia sæpe in matrice semen fusum, per frequentem coi-

tum exsiccata, non retineretur: sed extillatur & eiicitur: & sic ad talem prolem pertinet, quod vna sit vnius, secundum quod matrimonium est bonum naturæ, & officium ciuile: quod per constructionem domus est populans ciuitates.

Iam ex prædictis patuit, quod vnus non sufficit ad plures domos procurandas. In domo enim, sicut dicit *Aristoteles*, paterfamilias est sicut Imperator & Rex: & vxor, sicut Imperatrix & Regina: & nati sunt, sicut principes: & clientuli, sicut vasalli. Et ideò sicut corruptio vrbanitatis & regni est, plures simul imperare: sic corruptio boni œconomi est, plures vires coniungi in vna domo, vel plures vxores iungi vni viro in vna domus dispensatione. Et ideò conditores antiquarum legum Romanorum præceperunt, quod vna esset vnius vxor, & non plures: sicut dicunt *Cetina & Achalia* antiquissimi Pontifices Romanorum in libro quem de Religione Deorum conscripserunt. Hac ergo de causa quamuis gentes Babylonicæ & Persarum & Græcorum, quæ ciuilitatem colebant, plures habere concederent vxores: tamen vna sicut domina domus præ aliis habebatur, ne dispensatio domus per plures dissoluteretur. Sic legitur *Iudic.* 5. de Sisara vna sapientiore cæteris eius vxoribus. Hac ergo de causa Assuerus præ cæteris coronauit primum Vasthi *Esther* 1. Et postmodum illa repudiata coronauit Esther: cùm tamen plurimas haberet vxores. Sic etiam dictum est illud *Cant.* 6. secundum sensum literalem. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus: vna est columba mea.

Secundum autem quod cadit matrimonium in genere sacramenti, sic fundatur super fidem Christi implicitam vel explicitam: & sic consensus legitimarum personarum ad contrahendum, efficit ipsum, & copula carnalis perficit ipsum: ita quod ex tunc non pari voto continentiam solenniter vouentium potest separari: quæ perfectio in matrimonio ex solo consensu non fuit, cùm ante carnalem copulam alter coniugum etiam reclamante alio ad frugem melioris vitæ poterat conuolare, & alteri dabatur nubendi licentia. Et sic matrimonium est in duplici vsu: prout enim est Ecclesiasticæ congregationis, sic per fidem thori honestas, conseruatur officij: per bonum prolis multiplicatio fit fidelium, quia bonum prolis est quod in fide & timore Dei suscipitur, & ad religionis Christianæ obseruantiam educatur: & per bonum sacramenti, hoc est, signi illius quod est indiuiduitas personarum, deseruit fidei Christianæ: quia sic præsignat indiuiduam vnionem spiritus creati & increati ad perfectam omnium bonorum fœcunditatem tam in grãtia quam in gloria, sicut dicitur 1. *Corinth.* 6. Qui adhæret Deo vnus spiritus est. Et hic est vsus matrimonij in bonum. Alium autem vsum habet in ordine à malo: sic est in medicinam, vt dicit *Augustinus*: quia morbida concupiscentia, quæ ruitura esset in præceps per solutum concubitum per medicamentum matrimonij honestate excipitur nuptiarum: & sicut dicit *Apostol.* 1. *Cor.* 7. Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat: & vnaquæque mulier virum suum habeat: & nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Hoc igitur modo accipiendo matrimonium, sic cum tempore fuit sacramentum Ecclesiæ: quia Ecclesia numero fidelium nunquam deficit, ex quo esse mundus incepit: sed non fuit in medicinam actualem, nisi post statum vel lapsum peccati. Si autem isto quarto modo consideretur, non potest esse nisi vnica vnius: quia indiuiduitas sacramenti ad plures saluari non potest.

Omni ergo modo considerata matrimonium, si secundum perfectum & optimum statum suum consideretur, semper requirit quod vna sit vnius: & sic Dominus dicit [& erunt duo] agens, & patiens: impræg nans, & impræg natum: vnum ad spiritum, & alterum ad corpus: vnum regens, & alterum rectum: vnum ex se in altero generans, & alterum in se ex altero suscipiens generationem [in carne vna] conceptæ prolis. Quia quamuis sexus distincti sint in coniugibus, vires tamen & humiditates sexuum vniuntur in carne susceptæ prolis: & gutta maris ingreditur in guttam fœminæ, sicut spiritus pulsans & vitalis ingreditur in corpus: quia in vitalem pulsantem spiritum conuertitur semen, quod est gutta viri. Et ex paucioribus quam duobus vna caro prolis constitui secundum naturam non potest. Ex pluribus etiam quàm talibus fieri non potest: quia duæ (aliàs duo) agentes se inuicè corrumpunt, & nihil efficiunt secundùm naturã. Similiter duæ guttæ patientes non mouent se inuicem, sed coadunatæ simul, putrescũt & corrumpuntur. Duæ etiam guttæ agentes in vno & eodem patiente, & se & patiens corrumpunt secundum naturam. Et ideò quando duæ guttæ ex vno & eodem coitu diuiduntur in matrice, oportet diuidi sanguinem matris, vt gemini nascantur: quod vtraque gutta diuisim habeat suum patiens, ne monstruosa fiat generatio, & corrupta. Et si ex duobus coitibus duas concipiat mulier guttas vel plures, oportet etiam successiuè ministrato sanguine menstrui, fieri impræg nationem super impræg nationem. Et ideò in generatione gutta viri est faciens: & in adiutorium assumitur gutta fœminæ, in qua gutta viri perficiat conuenientem sibi generationem. *Genes.* 2. Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. *Tob.* 8. Tu fecisti Adam de limo terræ: & dedisti adiutorium Euam. Hæc est igitur expositio literalis.

Tamen quædam *Gloss.* dicit, quod [erunt duo in carne vna [hoc est, in vno carnali opere: vel [vna carne] hoc est, in vna reciproca carnali seruitute. Sed prima expositio literalior est: quia & vna carnalis commistio, & reciproca seruitus ordinantur (vt ad finem) ad vnitatem carnis in prole constituta: vnde *Gloss. Interlin.* Præmium nuptiarum est, è duobus vnam carnem fieri: castitas iuncta spiritui efficitur vnus spiritus. Alia *Gloss.* dicit [in carne vna] faciendo vnam carnem viri & fœminæ.

Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.

Conclusio est ex inductis necessario consequẽs: Et dicuntur hic duo, scilicet, matrimonij indiuiduitas, & responsio soluens obiectionem Pharisæorum. De indiuiduitate dicit concludendo [Itaque] ex quo Deus dicit, & matrimonij societas hoc requirit [iam] ex quo matrimonialiter coniuncti sunt [non sunt duo] diuisa iura, vel corpora, ab inuicem habentes: vel diuisa iura censentes [sed vna] indiuidua [caro] Semper in omni natura agens proximum & mouens indiuiduum est à patiente & moto, sicut patet in primis generantibus, quæ sunt plantæ: in quibus vnum generans coniunctum est vni impræg nabili per ipsum, & nunquam duo in talibus coniunguntur nisi per adulterinam insertionem: & tunc malè proficiunt. *Leu.* 19. Agrum non seres diuerso semine.

Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Conclusio est manifestans solutionem obiectionis Pharisæorum. Dicit ergo [quod ergo] matrimonium vnius ad vnã [Deus coniunxit] per suam quæ plena auctoritate est institutionem [homo] qui de humo est & humum in concupiscentia sapit [non separet] quia indiuiduitatem sacramenti separaret. 1. *Cor.* 3. Nonne homines estis & secundum hominem ambulatis; Homo enim de diuinis non debet per humanum sensum se intromittere, quia diuina sunt super hominis sensum & rationem. *Sap.* 9. Cogitationes mortalium sunt timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam: & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Rom.* 9. O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dixit figmentum ei qui se finxit, quid fecisti me sic? Temerarius est homo qui mutat ea, quæ instituit Deus: cum etiam par in parem non habeat potestatem, quanto magis inferior non habet potestatem in superiorem.

Et in domo iterum Discipuli eius de eodem interrogauerunt eum. Et ait illis: Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit: adulterium committit super eam. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit mœchatur.

Hic incipit doctrina veritatis facta ad discipulos interpretatio. Dicuntur autem duo, scilicet, studiosorum iterata interrogatio, & benigni doctoris facta ad quæstionem explanatio. Dicit igitur [Et in domo] vbi familiariter cum Magistro conuenerant. *Sap.* 8, Intrans in domum meam, conquiescam cum sapientia. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius [iterum] quia studiosi erant frequenter de verbis Domini meditantes. *Psalm.* 1. In lege Domini meditabitur die ac nocte [Discipuli eius] disciplinis eius imbuendi. *Ioan.* 8. Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem: & veritas liberabit vos [de eodem] non plenè intellecto [interrogauerunt eum] quia frequens interrogatio, vna clauium est scientiæ. *Eccli.* 6. Si videris sensatum, euigila ad ipsum: & gradus ostiorum illius exterat pes tuus [& ait illis] dignis, qui perfectiora aliis audirent documenta. *Matth.* 13. Seorsum omnia illis disserebat [quicunque] cuiuscunque conditionis [dimiserit vxorem suam] quam consensus secundum legem cõtrahentium suam fecit. *Matt.* 5. additur: quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis. Sed excludit *Marcus* per hoc quod addit [& aliam duxerit] quia qui propter incontinentiam & adulterium à thoro separat vxorem, non potest aliam ducere illa viuente. 1. *Cor.* 7. Vxorem à viro non discedere, quòd si discesserit manere innuptam, aut viro reconciliari. Et hoc est quod addit [adulterium committit super eam] hæc est enim doctrina veritatis tempore renelatæ gratiæ, discipulis promulganda. 1. *Cor.* 2. Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam autem non huius sæculi, neque principum huius mundi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio absconditam. Hæc enim duro populo non erat propalanda: ne peius eueniret de occisione vxorum, vt superius dictum est. *Matt.* 7. Nolite sanctum dare canibus: & margaritas nolite spargere ante porcos. Si qui autem deuoti erant in illo populo, & ex fide matrimonij intelligebant vxores non nisi propter fornicationem esse dimittendas, & corporales fœditates, quæ in eis erantibas propter fidem thori intelligebant esse tollendas. Dicunt tamen quòd sicut sub dispensatione diuina tunc plures habebantur vxores (quod tamen fuit contra matrimonij indiuiduitatem) ita etiam dispensatione tunc dabatur libellus repudij, quod fuit contra thori fidem. Causa autem dispensationis fuit duritia populi, cui ex operibus legis gratia non conferebatur [& si vxor dimiserit virum suum] quia ad paria in iure matrimonij iudicantur vir & mulier. Dimittit autem vxor virum, si excepta causa fornicationis recedit à viro, dans ei libellum repudij [& alij nupserit] hoc dicit, quia propter adulterium dimitti potest, sed non potest alius duci, primo viuente. Etsi alij nupserit [mœchatur] hoc est, adulterium committit. *Prou.* 2. Vt eruaris à muliere aliena & ab extranea: quæ mollit sermones suos, & relinquit ducem pubertatis suæ: & pacti Dei sui oblita est.

Et offerebant illi paruulos, vt tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. Quos cum videret Iesus, indignè tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos.

Hic ponitur doctrina simplicissimæ humilitatis ostensa in exemplo Saluatoris. Diuiditur autem in quatuor paragraphos, in quorum primo continetur deuotio eorum qui paruulos offerebant, ex quo sumitur huius doctrinæ occasio: in secundo discipulorum ex compassione prohibitio: in tertio erroris Discipulorum correctio: in quarto doctrinæ istius promulgatio. Dicit igitur [Et offerebant] homines ex deuotione [illi] Saluatori [paruulos] *Glos.* forsan, quia patruum statuerat in medio Discipulorum, quem Iesus complexatus fuerat, sicut dicitur *Matt.* 18. Aduocans Iesus paruulum, statuit eum in medio Discipulorum: quem doctores dicunt fuisse beatum Martialem Lemouicensium Apostolum. Hoc autem videntes homines de turba, qui iam fidem inceperunt habere, suos paruulos certatim Domino offerebant [vt tangeret illos] tactu corporis, in quo latebat diuinitatis substantia. *Psalm.* 24. Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, hoc est, ducum gregis dominici filios, quos fide imbuerunt, & domino offerunt benedicendos. *Num.* 6. Inuocabunt nomen meum super filios Israël: ego autẽ benedicam eis. *Gen.* 17.

Accede ad me fili, vt tangam te. *Dan.*8. Tetigit me, & statuit me in gradu meo. Ideò dicit, quod intendebant ad offerentes Domino paruulos, vt manu benediceret eis. Ad tactum enim vis diuinitatis operabatur ad gratiam: & fomitis mitigationem: sicut ad tactum fugabat infirmitatem corporalem. *Matth.*8. Extendens manum tetigit leprosum, dicens. Volo, mundare. *Luc.*7. Tetigit loculum: & reuixit mortuus. Tangit igitur Dominus gratiam conferendo. *Ierem.*1. Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit: ecce dedi verba mea in ore tuo, hoc est, do tibi gratiam prophetalem. Tangit etiam aliquando flagellando. *Iob* 19. Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Tangitur autem Dominus per fidei deuotionem. *Matth.*9. *Marc.*5. Tetigit me aliquis, ego enim cognoui virtutem de me exisse. Tenetur autem Deus orationis deuotione. *Genes.*32. Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. *Isa.*64. Non est qui inuocet nomen tuum: qui consurgat & teneat te. Vulneratur autem feruore charitatis, & simplicitate intentionis. *Cantic.*4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.

Discipuli autem] Secundus est paragraphus [Discipuli autem] compatientes lassitudini Domini, qui in turba per doctrinam afflictus fuerat [comminabantur] Non pœnam comminantes, sed à lasso prohibentes: vnde. *Matth.*19. Discipuli autem prohibebant eos. Sic ergo non aliter comminabantur [offerentibus] *Gloss.* Non quia nollent eis & manu & voce Saluatoris benedici: sed nondum plenam fidem habentes, putabant eum more hominum, offerentium importunitate lassari. Et in hoc laudatur compassio & reuerentia Discipulorum: quamuis non esset secundum scientiam. *Rom.*10. Testimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habeant: sed non secundum scientiam.

Quos cùm vidisset IESVS] Discipulos suos prohibentes. Et hic est tertius paragraphus. *Sapient.*3. Respectus eius in electos eius [indignè tulit] hoc est, ad modum indignantis se habuit propter imperitiam, & modicitatem fidei Discipulorum. *Matth.*15. Adhuc & vos sine intellectu estis. Et corrigendo errorem eorum subdit [& ait illis] Discipulis [Sinite paruulos venire ad me] & subseruite vt veniant. *Psalm.*8. Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos. *Isa.*8 Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Dominus [& ne prohibueritis eos] obstaculo aliquo vetantes accessum. *Chrysostomus.* Si sanctificaturi sunt, quid vetatis ad patrem venire filios. Si peccatores futuri sunt, vt quid sententiam condemnationis profertis antequam culpam videatis. Quales modo sunt, meum est: quales futuri sunt, ipsorum. Quod meum est, honorate; quod ipsorum erit, misereminí. *Rom.*14. Tu quid iudicas alienum seruum: suo Domino stat, aut cadit, Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum. *Rom.*14. Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratribus, vel scandalum. *Matth.*18. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, qui in me credunt. Dico enim vobis, quod Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Et ideo ne prohibueritis eos.

Talium est enim regnum Dei.

Doctrina veritatis: quartus paragraphus ponitur hîc de simplicitate humilitatis. Dicuntur autem hîc tria, scilicet, ostensio humilitatis per similitudinis exemplum, generalis doctrina promulgata per veritatis verbum, & ostensio veritatis dictorum per charitatis signum. Dicit igitur [Talium] Non istorum solum, sed his similium. Proprietates enim bonæ in pueris sunt nouem, quas qui imitatur, regnum Dei consequitur: quæ sunt, innocentia, munditia, obedientia, simplicitas, humilitas, veritas, malorum illatorum immemoratio, fortuitorum nulla reputatio, & præsentium & valde paruorum ad sufficientiam acceptatio. De innocentia quidem dicitur *Psalm.*24. Innocentes & recti adhæserunt mihi. *Psalm.*15. Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. De munditia mentis & corporis. *Apoc.*3. Qui non inquinauerunt vestimenta sua cum mulieribus, ambulabunt mecum in albis: quia digni sunt. *Matth.*5. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. De innocentia simul & munditia dicitur *Iob* 22. Saluabitur innocens, saluabitur autem munditia manuum suarum. De obedientia autem *Galat.*4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, vsque ad tempus præfinitum à patre. *Ephes.*6. Filij obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim iustum est. *Hebr.*13. Obedite præpositis vestris & subiacete illis: ipsi enim pernigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. De simplicitate dicitur *Prouerb.*3. Cum simplicibus sermocinatio eius. *Matth.*6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. *Sap.*1. In simplicitate cordis quærite illum. *Rom.*16. Volo vos simplices esse in malo & sapientes in bono. *Ibidem.* Nolite pueri effici sensibus: sed malitia paruuli estote. De humilitate autem dicitur *Matth.*18. Quicunque non humiliauerit se sicut paruulus iste, non intrabit in regnum cælorum. *Matth.*11. Discite à me quia mitis sum, & humilis corde. *Eccl.*3. Quanto maior es, humilia te in omnibus. De veritate autem dicitur *Apoc.*14. In ore ipsorum non est inuentum mendacium. *Ephes.*4. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. De malorum illatorum immemoratione *Luc.*23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. *Act.*7. Ne statuas illis hoc peccatum. De nulla reputatione fortuitorum *Philip.*3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum vt stercora: vt Christum lucrifacerem. 1. *Reg.*12. Si de manu cuiusquam munus accepi, contemnam illud hodie, restituámque vobis. *Luc.*19. Dixit Zachæus, qui statura pusillus erat: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. De hoc autem quod præsentia etiam valde parua accepiant tanquam sufficientia dicitur *Hebr.*13. Sint mores sine auaritia contenti præsentibus. Ipse enim dicit: Non te deseram neque derelinquam. 1. *Timoth.*6. Nihil intulimus in hunc mundum: hand dubium quòd nec auferre quid possumus. Habentes igitur victum & amictum, his contenti simus.

Hac igitur de causa dicit: Non tantum horum, sed

sed talium est enim regnum Dei. Regnum autem istud est in quo regnat Deus: quod consistit in decore iustitiæ, & confirmata potestate, & beatitudinis opere. Hoc enim regnum Dei est, quo Deus regnat in nobis, hîc per gratiam, & in futuro per gloriam. *Luc.*17. Regnum Dei intra vos est. *Matt.* 6. Adueniat regnum tuum. *Dionys. in lib. de diuinis nominibus.* Regnum Dei est omnis finis, & legis, & ordinis distributio. *Rom.*14. Non est regnum Dei esca, & potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Hoc enim regnum Dei maximè est talium, qui sunt sicut paruuli. *Luc.* 12. Nolite timere pusillus grex, quia placuit Patri vestro dare vobis regnum.

Amen dico vobis. Quisquis non receperit regnum Dei sicut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.

Ponit doctrinam generalem ad similitudinem sumptam à paruulis, & vtitur confirmatione dicens [amen dico vobis] quia dicit Chrysostomus, quod ab apostolis errorem auffert: qui putabant, vt corpore tamen mundos laudaret: & non corde. Et ideò generalem infert doctrinam dicens [quisquis] iuuenis vel senex *Sapien.*6. Pusillum & magnum ipse fecit: & æqualis est illi cura de omnibus [non receperit regnum Dei] per gratiam & gloriam [velut paruulus] in præindutis proprietatibus paruuli existes: non [intrabit in illud] *Num.*14. Paruulos vestros, qui nesciunt boni & mali distantiam, introducam in terram quæ displicuit vobis. 1. *Petri.* 2. Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo, lac concupiscite, vt in eo crescatis. Sicut enim dicitur *Matth.* 17. Angusta est porta quæ ducit ad vitam: & pauci sine offendiculo intrant per eam. Magni autem impingunt in eam & excluduntur [& complexans eos] per signum charitatis ad paruulos ostensum: probat doctrinam, vt *Gloss.* dicit. Vt significet tales sua dilectione & gratia & benedictione esse dignos. *Cantic.* 2. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. *Genes.*46. Videns eum irruit super collum eius: & inter amplexos fleuit [& imponens manus super eos] *Actuum.*8. Vt per impositionem manuum daretur Spiritus sanctus ad robur. A quo initium sumpsit confirmatio ab Episcopis facta, quia etiam ab ipso Domino est celebrata *Act.* 8. Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. *Marc.*40. Super ægros manus imponent & bene habebunt [benedicebat eos] aliqua vocali benedictione quæ non est scripta. *Eccles.*44. Benedictionem omnium gentium dedit illi: & testamentum suum confirmauit super caput eius. *Gen.*48. Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac. Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum.

Et cum egressus esset in via: præcurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens. Magister bone, quid faciam vt vitam æternam percipiam?

Hic ponitur doctrina salutis cum fastigio perfectionis. Diuiditur autem in partes duas, in quarum prima totam promulgat doctrinam. In secunda doctrinæ huius ostendit difficultatem *Ibi* [& circunspiciens Iesus ait, &c.] prima harum diuiditur in partes duas. In quarum prima ostenditur perfectio vitæ, quæ est in obseruantia mandatorum. In secunda autem ponitur fastigium perfectionis in obseruantia consiliorum *Ibi* [Iesus autem intuitus est eum, &c.] Adhuc in prima dicuntur quatuor: scilicet, salutaris doctrinæ inquisitio: erroris in requirente reprehensio: salutis in obseruantia mandatorum declaratio: & obedientiæ ad mandata professio. In primo horum paragraphorum dicuntur tria: scilicet, deuotio interrogantis, reuerentia ad responsionem prouocantis, & sapientia interrogantis. Dicit igitur [& cum ingressus esset in via [vbi liber accessus ad salutis doctorem habebatur. *Psal.* 142. Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam. *Psal.*33. Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me. *Ps.*16. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Via enim pedum occasio fuit ostendendi viam morum. *Prouerb.*4. Adducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui [præcurrens quidam] deuotio interrogantis ostenditur hic in quinque in feruore deuotionis, in dignitate petentis, in reuerentia se ad Christum humiliantis, in supplicitate orantis, & in sapientia orationis. Dicit igitur [præcurrens] hæc autem præuentio in cursu feruorem deuotionis & charitatis significat. *Psalm.*118. Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum *Ioan.*20. Currebant duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius. Et ideo dicit *Aug.* Velocius cucurrit qui priùs dilexit. *Beatus Bernard.* Qui plus dilexit, velocius & citius peruenit [quidam] specialis dignitatis & vitæ eximioris. *Eccles.*44. Laudemus viros gloriosos. Et post pauca: homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes [genuflexo ante eum] ecce reuerentia. Flectebat enim genu ante eum: vt cognoscere faceret quia eum qui per peccatum mutauerat & declinauerat, nemo nisi Christus posset erigere. *Ephes.* 3. Huius rei gratia flecto genua mea ad Deum, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. *Phil.*2. In nomine Domini Iesu Christi omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. 2. *Paral.*6. Et nùc Domine flecto genua cordis mei, precans à te bonitatem, Domine [Rogabat eum] ecce supplicitas petentis. *Osea* 12. Fleuit & rogauit eum. *Luc.*18. Quoniam oportet semper orare, & non deficere *Thess.* 5. sine intermissione orate [Magister bone] ecce sapientia orationis, quæ notatur in quatuor in professione sapientiæ, in confessa bonitate, in quæstionis intentione, & in quæstionis fine. De primo dicit [Magister] in quo sapientiam profitetur. Tanquam enim sapientem nouit per doctrinam. *Ioan.*3. Scimus quod à Deo venisti Magister. *Matth.*20. *Marc.* 12. Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: & non est tibi cura de aliquo: non enim accipis

pis personam hominis [bone] bonus enim Magister est qui cum ratione persuadet: exemplo quæ dicit confirmat. *Rom.*15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus. *Act.* 1. cœpit Iesus facere & docere. *Matth.*7. Loquebatur quasi potestatē habens, & non sicut Scribæ eorum & Pharisæi. Talē enim bonum magistrum vitæ Iesum esse putauit, qui & persuaderet quod diceret (aliàs doceret) & exemplis confirmaret. *Psal.*118. Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas [quid faciam] ecce quæstionis intentio, in qua quærit de opere, & non de faceta & lepida oratione. 1. *Corinth.*4. Fides vestra non sit in sermone, sed in virtute. *Philosophus in* 3. *Ethicor.* Sunt quidam ad orationem confugientes, qui quærunt philosophari & esse bonitaliquid simile facientes ægris, qui medicos quidem audiunt studiosè: faciunt autem operandorum nihil, & quemadmodum nunquam bene habebunt corpus, sic curati: sic nec isti animam sic philosophantes, *Luc.* 18. Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? Hoc fac & viues. *Ioan.*6. Quid faciemus vt operemur opera Dei? *Iac.* 1. Estote factores verbi & non auditores tantū: fallentes vosmetipsos [vt vitam æternam percipiam] ecce optimus finis quæstionis: vt sine fine duraturam vitam æternam percipiam, & non humanam laudem cum his qui omnia faciunt vt videatur ab hominibus. *Matth.*6. *Glossa* audierat iste tantum eos qui volunt parvulis esse similes introitu regni cælestis esse dignos: & ideo certior esse desiderat & non per parabolas, sed quibus operibus vitam æternam consequi possit. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius: & hæc omnia adiicentur vobis. Sciuit enim iste quod dicitur *Sap.* 15. Scire iustitiam tuam & virtutem tuam radix est immortalitatis. Et ideò iustitiam & virtutem Dei in operibus quærit quæ vitam conferat æternam.

· Iesus autem dixit. Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi vnus Deus.

Ecce correctio erroris: hic enim eum non bonum simpliciter, sed magistrum bonum dixerat. Quæcunque autem tali accidentali prædicatione prædicantur (sicut dicit Philosophus) non licet diuidere: quia non sequitur, si sit sutor bonus: quòd sit & sutor, & sit bonus. Et sic iste Magistrum bonum dixerat: quasi non esset Magister & bonus: & ideo istum reprehendit dicens [quid me dicis bonum] hoc est, quare me accidentaliter dicis bonum vt magistrum bonum; quasi non sim diuisim perfectus sapientia, & perfectus essentiali bonitate: sed sim bonus magister vt doctor quidam veritatis, qui perfecta ratione hoc quod doceo persuadeam, & exemplo confirmem. Hæc enim tua confessio imperfecta est de me, qui sum sapientia Patris etiam essentialis, & bonitas ipsius: vnde *Gloss.* Quid me dicis bonum? quia magistrum nominauerat bonum & non Deum vel Dei filium: quamuis hominem sciret comparatione Dei non esse bonum. De quo *Psal.* Confitemini Domino quoniam bonus [vnus autem Deus bonus] non Pater solus, sed filius qui dicit: ego sum pastor bonus *Ioan.* 10. & Spiritus sanctus bonus, de quo *Luc.*11. Pater de cælis dabit spiritum bonum petentibus se. Vna, scilicet, & indiuidua Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus solus & vnus Deus bonus est. Non igitur se bonum esse negat, sed se Deum esse significat: nec se Magistrum bonum non esse, sed absque Deo nullum bonum esse testatur [nemo bonus] simpliciter & essentialiter, & sicut omnis boni causa [nisi solus Deus] qui est omnis boni bonum, vt dicit *August.* e *Matth.*19. Vnus est bonus Deus, & *Luc.*18. Nemo bonus nisi solus Deus. In nulla enim natura pura est bonitas nisi in Deo, quia quidquid priuationi & peccato permistum est, puram non habet bonitatem: sicut enim dicit *Philosophus*, priuatio semper machinatur ad maleficium. Et ideò *Luc.* 11. Etiam de Apostolis Dominus dicit: si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris: quanto magis Pater cælestis (supple, qui pure bonus est) dabit spiritum bonum petentibus se? *Thre.* 3. Bonus Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Hoc est ergo quod dicit [nemo bonus nisi solus Deus.

Præcepta nosti: ne adulteres, ne occidas, ne fureris, ne falsum testimonium dixeris, ne fraudem feceris, honora patrem tuum & matrem.

Salutis est doctrina in obseruantia mandatorum consistens. Diuiditur autem hæc pars in tres partes, in quarum prima ostenditur in quibus consistit doctrina salutis: in secunda ostenditur ad mandata obedientia salutaris: in tertia signū ad sic mandata obseruantes diuinæ dilectionis. Dicit igitur [præcepta nosti] sub vno sensu potest legi & interrogatiuè & remissiuè: sed melius legitur remissiuè vt sit sensus [præcepta] salutis sunt in corde tuo descripta: & ideò ea [nosti] & quoad hæc de via salutis interrogare te non oportet; & ideò etiam quasi sub reprehensione dictum fuit ei: quid me interrogas de bono? *Matth.* 19. Dicitur autem præceptum quasi præ aliis ad regulam morum captum: quia sicut Principium dirigit in moribus, sicut dicit *Cassianus*, *Baruch.*4. Animæquior esto populus Dei: quia quæ Deo placent nota sunt nobis. *Psal.*147. Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit illis. Hoc significatum est *Exod.* 20. Vbi dicitur quod cunctus populus audiebat voces. quia ea quæ in notitia omnium debent esse descripta ab omnibus dicuntur audita: & quia præceptum dirigit sicut principium & lucerna in opere. Ideò dicitur *Prou.* 6. Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.

Et exequitur particulariter præcepta ea quæ sunt secundæ tabulæ quæ magis pertinent ad propositum, dicens [non adulterabis] non omittit autem hic præceptum non occides: sed transponit propter tres causas, quarum vna est quia de hoc apud omnes erat manifestum, neque aliquis de hoc poterat dubitare. Secunda causa est, quia de hoc à principio Pharisæorum quæstio non erat: qui de libello repudij quærebant, & non de homicidio: & cum iste vnus fuerit Pharisæus, specialiter isti reuocat ad memoriam quod dixerat: quod mœchatur qui super dimissam ducit aliam: & qui absque causa fornicationis dimittit vxorem, facit eam mœchari, sicut dicitur *Matth.*5. Tertia causa est, quia castitas est de proprietatibus puerilis innocentiæ,

innocentiæ, ex cuius laude (aliàs causa) iste ad hanc prouocatus est quæstionem: vnde *gloss.* Hæc est puerilis innocentiæ castitas, quæ nobis imitanda proponitur si regnum Dei intrare velimus. Notandum sanè quod iustitia legis suo tempore custodita non solum bona temporalia, sed & vitam conferebat æternam: & ideò dicit: Quid faciendo vitam æternam percipiam? Sed hoc intelligitur de iustitia legis naturalis, aut si etiam de iustitia legis Mosaicæ intelligitur; tunc intelligitur de iustitia legis obseruata fide & deuotione iustorum dictam iustitiam facientium. Cum autem dicit [ne adulteres] intelligitur prohibitum esse omnem mœchalem concubitum: hic autem cum adulterio conuenit in hoc quod non sua cognoscitur. *Exod.*20. Non mœchaberis. Mœchia autem hæc generalis duobus modis contingit, scilicet voluntate & opere: vnde *Matth.*5. qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo [ne occidas] Tangit mandatum quod nocet nocumentum in corpore proximi: quod etiam fit voluntate & opere. Opere autem duplici, completo scilicet, quando occiditur proximus: & incompleto, quoniam *Psal.*54. Dolosi non dimidiabunt dies suos. *Daniel.*13. Innocentem & iustum ne interficias. *Exod.*20. Non occides [ne fureris] hoc est contra nocumentum proximi in bonis fortunæ, ad sustentationem vitæ ordinatis; furtum autem hic dicitur omnis illicita contrectatio rei alienæ: & aliena res dicitur omnis illa quam ex lege conuenit repetere postquam ab alio accepta est. Et sic vsura cadit sub furto, quia lex vsurarum concedit repetitionem. *Exod.*20. Non furaberis. *Ioan.*10. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat.

Ne falsum testimonium dicas] tam in verbo communi, quàm etiam in iudicio. Et prohibetur hic omne mendacium: sed primò & principaliter prohibetur perniciosum: & consequenter prohibetur etiam iocosum, siue libidinosum, & officiosum. *Sapient.*1. Os quod mentitur, occidit animam. *Psalm.*5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. Ex patre enim Diabolo est mendacium, & mendax. *Ioan.*8. Cùm loquitur mendacium, de propriis loquitur: quia mendax est, & Pater eius. *Prouerb.* 19. Falsus testis non erit impunitus. *Deut.*19. Qui cum diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui: vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Et non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

Ne fraudem feceris] Hoc per verba *Exod.*20 non continetur: sed per hoc intelligit duo quæ in corde consistunt, scilicet, non concupisces rem, & non concupisces vxorem: quia cupiditas causa est fraudis. *Isa.*32. Fraudulenti vasa pessima sunt. Ipse enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in sermone mendacij, cum loqueretur pauper iudicium. *Prouerb.*12. Consilia impiorum fraudulenta.

Et honora patrem & matrem] Præceptum affirmatiuum quod in Exodo primum est, hic vltimo ponit propter tres causas, quarum vna & prima, quia cùm loquatur hic de his quæ erant in notitia istius, ordinat ea hic secundum quod plus & minus sunt nota, carnaliter legem intelligenti: prohibitiones autem in talium cordibus sunt notiores quàm affirmationes: & ideò præordinantur. Secunda causa est, quia prohibitiones maioris sunt obligationis quàm affirmationes: prohibitiones enim obligant semper, & ad semper; affirmationes autem obligant semper, & non ad semper: igitur inter obligantia præcepta prohibitiones præordinantur. Tertia causa est, quia iustitia Pharisæorum plus consistebat in vitando malum, quàm in faciendo bonum: quia pauca bona faciebant, multa autem mala vitabant propter homines, vt boni viderentur: & ideò in responsis (aliàs præceptis) prohibitiua præordinantur affirmatiuis. *Luc.*18. Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.

Quod autem dicit [Honora patrem & matrem] intelligitur generaliter de parentali bono honorando. Parentale autem bonum est naturæ, & gratiæ: naturæ, in imagine: gratiæ autem, in gratuitis superadditis: bonum matris etiam Ecclesiæ, quæ charitate & castitate concipit in gratiā adoptionis formans filios, in compassione parturit, & per conuersionem patit ad lucem filios Dei. Et hoc modo omnis homo intelligitur esse in parentali bono: & ideò omnis homo est honorandus. In honore autem intelligitur & exhibitio reuerentiæ, & subministratio obsequij & necessariorum secundum facultatem facientis & indigentiam patientis. *Rom.*15. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. *Galat.*6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Hebr.*12. Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, & reuerebamur illos.

Attendendum autem quod de mandatis primæ tabulæ non facit aliquam mentionem, quia iustitia Pharisæorum tota in exteriori iustitia consistebat: impletio autem mandatorum primæ tabulæ, tota fuit in interiori & spirituali iustitia: Et quia hic Pharisæis in vno respondit Pharisæorum, ideò de mandatis primæ tabulæ nullam facit mentionem. *Matth.*23. Similes estis sepulchris dealbatis, quæ exterius videntur hominibus speciosa: intus autem sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia. *Matth.*23. Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.

At ille respondens ait illi: Magister, hæc omnia obseruaui à iuuentute mea.

Tangitur hic ad mandata obedientia salutaris: tangunur autem hic tria, professio sapientiæ, generalitas obedientiæ, & perseuerantia in bonis operibus à iuuentute. Dicit igitur [Magister] in quo perfectæ fidei existens, magistrum vocat vt sapientem aliquem doctorem. *Ioel.*2. Exultate & lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis doctorem iustitiæ [omnia hæc obseruaui] Ecce generalitas obedientiæ, *Exod.*20. Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus & erimus obedientes. *Psalm.*118. Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis [à iuuentute mea] Perseuerantia tangitur. Dicit autem [à iuuentute] quia

quia dissolutio iuuentutis auertit ab obedientia mandatorum. *Psalm.*24. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Et ideò magis se exhibet commendabilem, quia dissolutio iuuentutis ipsum ab obseruatione mandatorum non auertit. *Psalm.*70. Spes mea Domine, à iuuentute mea: in te proiectus sum ex vtero de ventre matris meæ. *Iob* 23. Vestigia eius secutus est pes meus: viam eius custodiui, nec declinaui ex ea: & à mandatis labiorum eius non recessi.

Iesvs autem intuitus eum dilexit eum.

Tangitur hic signum dilectionis ad sic mandata obseruantes: tanguntur autem duo signa, quorum vnum est intuitus cordis conscius, & alterũ dilectionis affectus iustitiæ declaratæ exhibitus nuntius. Dicit igitur [Iesvs autem] absconditorum conscius. 1.*Reg.*16. Deus intuetur cor [intuitus est eum] *Sapient.*4. Respectus eius in electos eius. *Psalm.*100. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum. Sic intuitus est Nathanaelem. *Ioan.*1. quando dixit: Ecce verè Israëlita in quo dolus non est [& dilexit eum] propter præsentis iustitiæ declarationem quam semper Dominus diligit. *Prouerb.* 8. Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilauerint ad me, inuenient me.

Obiicitur autem contra ea quæ dicta sunt. Quia dicit *Hieronymus in gloss. Matth.*19. super illud: Omnia hæc custodiui, &c. mentitur: si enim diligeret proximum sicut seipsum, non esset tristis, cùm sua pauperibus dare iuberetur. Videtur quod Dominus qui odit hypocritas, iustum non dilexit. Contra hoc est *gloss. Bedæ* quæ hic ponitur: quæ dicit: Non putandus est voto tentantis vt quidam putant Dominum interrogasse, & de sua vita mentitus esse, cùm se legis mandata custodire dixerit: sed simpliciter confessus. Si enim mentiretur, nunquam arcana cordis eius intuitus, eum diligere diceretur. Iesvs enim diligit eos qui mandata legis etiam minora custodiunt: & quod in lege minus fuerat, his qui perfecti esse desiderant ostendit: quia non venit soluere legem, sed adimplere. Vnde addit [Vade, quæcunque habes vende, &c.

Ad istam autem quæ inducta est contrarietatem, duæ sunt responsiones: quarum vna est, quod primo iste hoc dixit modo tentantis: & postea visa benignitate Christi, corde conuersus est: & hoc respexit Dominus quando eum intuitus est & dilexit. Primum ergo respicit *Hieronymus*. Secundum autem respicit *Beda*. Alia autem responsio est, quod iste simpliciter confessus est perfectionem vitæ in obseruantia mandatorum: sed multi sunt prompti ad custodiam mandatorum, qui tamen non sunt parati ad perfectionem consiliorum: & ideò iste non de mandatorum, sed de consiliorum obseruatione tristabatur: & Dominus in eo dilexit communem obseruantiam mandatorum. Et quod dicit *Hieronymus*, quod mentitus est: quia si proximum vt seipsum diligeret: non tristaretur sua pauperibus erogare. Dicendum, quod hoc verum est: quia non tristabatur pauperibus erogare quod superfuerat, & hoc sufficit ad proximi dilectionem. *Luc.*11. Quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Sed tristabatur de abiectione omnium & mendicatione: & hoc non est saluti contrarium, sed perfectioni secundum statum maximæ paupertatis. Et quòd Hieronymus dicit hunc esse mentitum. Dicendum, quod non est mentitus simpliciter, sed quoad statum maximæ charitatis proximi: quia secundum illum statum omnia proximo impenduntur.

Et dixit ei, vnum tibi deest: vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni, sequere me. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens. Erat enim habens multas possessiones.

Addit fastigium perfectionis in obseruantia consiliorum: diuiditur autem in duo, in quorum primo, in obseruantia mandatorum ostendit esse defectum perfectionis: in secundo ostenditur sublimior via perfectionis. Dicit igitur [Vnum tibi deest] *gloss.* ad perfectionem. *Philip.*2. Non quod iam apprehenderim: aut quod iam perfectus sim. *Psalm.*138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. *Dan.*5. Appensum est in statera regnum tuum: & inuentum est minus habens. Vade, quæcunque, &c.] Sex autem dicit ad perfectionem pertinentia, in quorum primo, notatur virtutis profectus: in secundo, generalitas abdicationis terrenæ facultatis: in tertio, ponitur bonitas erogationis: in quarto, directio intentionis: in quinto, deuotio imitationis: in sexto autem, perfectio insectionis Christi in hoc opere pręcunctis.

Dicit igitur [Vade] Non passibus pedum, sed plus passibus virtutum. *Psalm.*83. Ibunt de virtute in virtutem: quousque videatur Deus Deorum in Sion. *Ezech.*1. Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis [quæcunque habes vende] si ea habes in potestate tua. *Hieronymus*. Si habes in potestate tua rem tuam, vende: si non habes, proiice. Credenti totus mundus diuitiarum est: infidelis etiam obolo indiget. *Luc.*12. Vendite quæ habetis & date eleemosynam. *Luc.*16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula [& da pauperibus] Ecce bonitas erogationis. Pauperi enim dandum est qui non habet vnde retribuat, non diuiti. *Tob.*4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si parùm, hoc ipsum libenter impertiri stude. *Isa.*58. Frange esurienti panem tuum: & egenos vagósque induc in domum tuam. *Psalm.*111. Dispersit dedit pauperibus: iustitia eius manet in seculum seculi [& habebis thesaurum in cælo] Ecce directio intentionis. *Matth.*6. Thesaurizate vobis thesauros in cælo: vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, nec fures effodiunt nec furantur. Thesauri autem isti sunt accumulationes sanctorum meritorum, & præmiorum. 2.*Timoth.*1. Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem [& veni] per imitationem. *Ierem.*51. Venite & nolite stare: recordamini procul Domini: & Ierusalem ascendat super cor vestrum. *Matth.*11. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos [sequere me] per perfectam insectionem. *Matth.*4. Venite post me. *Gloss.* Sicut ego ambulo ambulate. 1. *Ioan.*2. Qui dicit se in Christo manere: debet sicut ille ambulauit,

ambulauit, & ipse ambulare [Qui contristatus verbo] hoc est, in verbo [abiit mœrens] Signum est imperfectionis ad consiliorum obseruationem. Benè autem dicit quod [abiit] quia à re diuini intuitus & dilectionis, recessit ad curam rei familiaris. *Ezech.*3. Abii amarus in indignatione spiritus mei. Et causam mœstitiæ subiungit dicens [Erat enim habens] & habitus ab eis [multas possessiones] Verè possessiones in quibus quiete penitus fuit ad manendum. *Matth.*19. Cùm audisset verba hæc adolescens, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. *Hieronymus in gloss.* Quasi spinas nascentes & tribulos, quæ sementem dominicam suffocauerunt.

Et circumspiciens Iesvs ait Discipulis suis: quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Discipuli autem obstupescebant in verbis eius.

Hic ostendit Dominus huius doctrinæ difficultatem & altitudinem: diuiditur autem in partes duas, in quarum prima difficultatem huius doctrinæ declarat: in secunda autem (quia difficile, altiori præmio remunerandum est) ostendit quanto præmio talis perfectio remuneratur *ibi* [Et cœpit ei Petrus dicere, &c.] Adhuc autem diuiditur prima harum partium in duas, in quarum prima difficultatem ostendit absolutè. In secunda autem eandem declarat sub comparatione & quadam explanatione *ibi* [Et Iesvs rursus respondens ait] Adhuc autem in prima sunt tria, in quorum primo, ipsa circumspectione ostendit eorum qui talem doctrinam obseruant raritatem: in secundo, doctrinæ tangit difficultatem: in tertio, de hoc tangit audientium stuporem.

Dicit igitur [Et circumspiciens Iesvs] verum aliquis talis doctrinæ remaneret obseruator, quia adolescens tristis desperauerat. *Psalm.*13. Non est intelligens aut requirens Deum: omnes inutiles facti sunt. 2.*Timoth.*2. Demas reliquit me, diligens hoc seculum [ait Discipulis suis] specialiter huius doctrinæ obseruatoribus. *Luc.*22. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Hi sunt qui dicunt] 1.*Paralip.*12. Tui sumus ô David: & tui erimus fil: Isai [quam difficile] Infinitam ponit comparationem, vt ostendatur magna esse difficultas [qui pecuniam habent] Habent autem pecuniam, qui habent eam vt futuræ necessitatis fideiussorem, sicut dicit *Philosophus*. Quia hæc ad omnia promittit sufficientiam. Et tales sunt qui amant eam non ad necessitatem, sed sufficientiam quærentes ex ea. Sic enim habens pecuniam habetur ab ea 4.*Reg.*5. Naaman erat vir fortis & diues, sed leprosus. Appetitus enim pecuniæ, & solicitudo sunt lepræ diuitibus adhærentes [regnum Dei] gratiæ & gloriæ [introibunt] Sicut enim sæpe diximus, regnum est confirmata potestas, in qua regnum confirmatur in homine secundum iustitiæ decorem, & virtutem, & operatam in gratia quam in gloria. Ab hac autem confirmata potestate impedit solicitudo diuitiarum; quia illæ cum labore acquiruntur, & cum timore & solicitudine retinentur, & cum magno dolore expenduntur, vel perduntur: & ideò significantur per spinas *Matth.*13. verbum Dei suffocantes: quia spinæ, & pungunt, & retinent transeuntes. *Isa.*7. In spinas & in veptes erunt. Significantur etiam per lutum tenax & densum, quod quasi gluten tenet pedes transeuntium. *Habac.*2. Væ ei qui multiplicat non sua: vsquequo etiam aggrauat contra se densum lutum? *Matth.*19. Amen dico vobis: quia diues difficile intrabit in regnum cælorum. *Luc.*18 Quam difficile qui pecuniam habent, regnum cælorum intrabunt [Discipuli autem obstupescebant in verbis istis] Stupor est motus cordis secundum systolen in admirationem ducti: quia videbant quasi nullos esse qui voluntate diuites non essent: & Dauid, & alios sanctos patres diuites fuisse legerant: & ideò verum intellectum verbi Domini non capiebant: & ideò præ admiratione stupebant. *Ierem.*2. Obstupescite cæli super hoc: & portæ eius desolamini vehementer. *Ierem.*5. Stupor & mirabilia facta sunt in terra.

At Iesus rursus respondens, ait illis: Filioli, quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!

At Iesus rursus respondens] admirationi Discipulorum [ait illis] difficultatem doctrinæ sub comparatione & quadam explanatione ostendens. Tanguntur autem hic tria, scilicet, quædam dictorum explanatio: difficultatis ad id quod secundum naturam est impossibile, comparatio: & audientium maior quàm prius suspensio, & admiratio. Dicit duo circa primum, scilicet, benignitatis signum ad obseruantes, & doctrinæ quandam explanationem. Benignitatis signum est quod dicit [filioli] dicit enim *Priscianus*, quod diminutiua aliquãdo notant dilectionis amorem, quasi dicat, dilectissimi filij mei, speciales in paupertate voluntaria imitatores. Hæc verba vobis dicuntur *Deut.* 33. Benjamin amãtissimus Domini habitabit cõfidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur. Hi enim omnia derelinquentes sunt filij dexteræ Dei vocati [quàm difficile est confidentes in pecuniis] ecce explanatio, quia eos quos primo dixit habere pecuniam: nunc exponendo dicit esse qui confidunt in pecuniis: vnde *Glossa*. Qui multiplicandis diuitiis incumbunt; patet quia vitæ alterius gaudia quærere contemnunt. Sed aliud est pecuniam habere, aliud amare. Multi habent, & non amant: multi non habent, & amant: alij autem & habent & amant: alij vero nec habere, nec amare se gaudent, qui certiores sunt: qui cum *Apostolo* dicere possunt *Galat.*6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vnde Salomon ait *Eccles.*5. Qui amat diuitias: fructum non capiet ex eis, quia vanæ sunt. Sed ipse Dominus de his verbis obstupescentibus Discipulis exponit, dicens: filioli quàm difficile est confidentes in pecuniis [in regnum Dei introire] 1.*Timot.*6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum Diaboli: & in tentationes multas & nocuas, quæ mergunt in interitum & perditionem. Ideò dicit *Psal.* 61. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ibidem etiam dicit *Apostolus*. Præcipe diuitibus non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum. Isti enim sunt confidentes in diuitiis, & difficile est tales in regnum Dei intrare hoc modo: propt regnum Dei est diffinitum.

Facilius est camelum per foramen

acus

acus tranſire , quàm diuitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur dicentes ad ſemetipſos: & quis poteſt ſaluus fieri ? Et intuens illos Ieſus ait: apud homines impoſſibile eſt , ſed non apud Deum. Omnia enim poſſibilia ſunt apud Deum.

Tangit hîc comparationem ad id quod ſecundum naturam eſt impoſſibile : & hoc eſt quod dicit[facilius eſt camelum per foramen acus tranſire]camelus oneriferum eſt animal & gibboſum:& hoc onere,& gibbo retéto,ſecundum naturam impoſſibile eſt tranſire per foramen acus , tribus de cauſis:quarum vna eſt quantitas,& altera gibbus, & tertia acus.Sed in talibus non obſtat ei natura: & talia quæ impoſſibilia ſunt ſecundum naturam, apud Deum ſunt poſſibilia. Qui enim ſe clauſtris virginis,& ſignaculis ſepulchri irreſeratis, traduxit , retenta naturali quantitate : & ſe, quantitate proprij corporis retenta, induxit in domũ ad Diſcipulos;ipſe etiam camelum gibboſum , & oneratum poteſt per foramen acus traducere : quia natura ei non obſtat qui author eſt naturæ. *Luc*.1. Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. *Geneſ*.18. Num Deo quicquam erit difficile? Natura enim ſuo obedit factori. *Sap*. 16. Creatura enim factori deſeruiens exardeſcit contra iniuſtos, & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt.Quod autem amans pecuniam intret in regnum Dei , eſt contra iuſtitiam diuinam : quæ multo fortiùs ordinem ſuum ſeruat quàm natura. 2.*Timot*.2. Si negauerimus , ille fidelis permanet: ſeipſum negare non poteſt , hoc eſt,negare non poteſt iuſtitiam ſuam : & hoc eſt [quàm diuitem introire in regnum cælorum] ad hoc ſignificandum dixit *Matth*.5. Beati pauperes ſpiritu , quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Pauperes enim ſpiritu ſunt qui quantumlibet multum de terrenis habeant:tamen non confidentes in terrenis ſe deficere ſciunt , niſi cæleſtia acquirant. Et quia pauperum eſt regnum cælorum , per oppoſitum confidentes in pecuniis , qui diuites in pecuniis ſunt,excluduntur à regno cælorum:& hoc eſt ſignificatum *Luc*.16.vbi diues mortuus , ſepultus eſt in inferno:mendicus autem in ſinum Abrahæ eſt receptus. Hæc eſt expoſitio literalis. Sunt tamen & alij qui exponunt quod acus ſit nominata quædam porta Ieruſalem arcta valdè & anguſta, per quam cameli onerati tranſire non poterant, niſi gibbo depoſito,hoc eſt,ſarcina quæ poſita fuit ſuper gibbum , & tunc tranſibant. Vnde dicunt quod intendit Dominus dicere : quod ſicut camelus non poteſt tranſire per illam portam quæ foramen acus vocatur, niſi depoſita ſarcina;ita non poteſt tranſire diues in regnum cælorum, niſi depoſito onere amoris & cupiditatis pecuniarum. *Hebr*. 12. Deponentes omne onus, & circunſtans nos peccatum,per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen. *Iſa*.59.Diſſolue colligationes impietatis:& omne onus dirumpe.

Qui magis admirabantur] hoc eſt , Diſcipuli adhuc carnales , & intellectum illuminatum non habentes. *Matth*.7.& *Marc*. 1 . Mirabantur ſuper doctrina eius : erat enim docens ſicut poteſtatem habens. Et quia hoc tam conſtanter iterauit & confirmauit,mirabantur[dicentes ad ſeipſos inuicem]quia ſicut dicitur *Ioan*.7.Nondum erat Spiritus datus , quia Ieſus nondum erat in cordibus eorum glorificatus[& quis poteſt ſaluus fieri]cùm pene omnes cupiant fieri diuites. Cùm enim plures ſint pauperes quàm diuites, non hoc dixiſſent, niſi ad diuitum numerum pertinere intellexiſſent cunctos , qui diuitias adipiſci voluiſſent [& intuens illos Ieſus] in quos erat dilectio eius : quia amoris nuntius eſt oculus. *Pſal*. 100. Oculi mei ad fideles terræ[ait]illis:ponens ſuorum ſufficientem explanationem dictorum[apud homines]hoc eſt,humum ſapientes[impoſſibile eſt]quia humanus homo habens diuitias, amat eas : & cum tali amore impoſſibile eſt intrare regnum Dei [ſed apud Deum] qui omnia poteſt[non] eſt impoſſibile:quia ille per gratiam ſeparare poteſt affectum à diuitiis,ſicut fecit in Abraham,& Dauid,& Zachæo *Luc*. 19. *Phil*.3. Quæ mihi fuerunt lucra: hæc arbitratus ſum vt ſtercora , vt Chriſtum lucrifacerem. *Pſalm*.72.Quid enim mihi eſt in cælo: & à te quid volui ſuper terram? *Tob*.5.Sufficiebat nobis paupertas noſtra , vt diuitiæ computarentur.

Et poſt cœpit ei Petrus dicere.

Hîc oſtendit quàm alto præmio talis eſt remuneranda perfectio. Dicuntur autem hîc tria : in operibus(quod eſt ſummæ perfectionis)à vertice Apoſtolorum propalatio : & eiuſdem perfectionis digna remuneratio:& remunerationis in Diſcipulis admiratio.Dicit igitur[& poſt]tantam laudem perfectionis,quia ſicut dicit *Philoſophus*,circa difficile & bonum eſt ars & virtus [cœpit ei Petrus] vertex Apoſtolorum pro ſe & aliis loquens. Dicit autem quod cœpit , quia de vno tantum loquens (quod præcipuum aliorum eſt) de multis aliis intellexit. *Pſal*.77. Dixi nunc cœpi : hæc mutatio dexteræ Excelſi[dicere] non iactando, ſed deſiderans vt ſua , & aliorum ſpes per præmij expreſſionem ad meliora prouocaretur. *Hebr*. 6. Firmiſſimum habeamus ſolatium qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut animæ anchoram habemus tutam ac firmam.

Ecce nos dimiſimus omnia,& ſecuti ſumus te.

Duo tangit : dimiſſionem impedimenti ad bonum, & imitationem boni. In abdicatione impedimenti dicit tria : euidentiam paupertatis, dimiſſionem cupiditatis , & generalitatem ſiue vniuerſalitatem in dimittendo rem quæ eſt impedimentum perfectionis.

Dicit igitur[ecce]quaſi dicat. Euidens eſt per ſignum voluntariæ paupertatis , quod quaſi lux omnibus lucet in nobis. *Matth*.5. Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona : & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. *Cant*.7. Quid videbis in Sunamite,niſi choros caſtrorum?Sunamitis captiua interpretatur : & ſignificat egenos & pauperes Chriſti , in quibus de rebus mundi nihil videtur : ſed chori caſtrorum cæleſtium præſidiorum , quibus ſemper immiſti ſunt,videntur in eis , & nihil aliud [nos dimiſimus]non enim nos dimiſerunt res,ſed nos voluntariè dimiſimus ipſas , non tantum vt teneamus habitas ; ſed etiam vt non ſequamur habendas res huiuſmodi.Vnde *Hieron*.Grandis fiducia : Petrus piſcator

piſcator erat , diues non fuerat , victum manu & arte quærebat : & tamen confidenter dicit[dimiſimus omnia] quia omnium dimiſit cupiditatem. *Gregorius*.Tanta à ſequentibus Chriſtum dimiſſa ſunt,quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt. *Matth*.19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te : quid ergo erit nobis ? *Beatus Bernardus*. Benè Petre:& non ad inſipientiam tibi,omnia dimiſiſti : quia eum qui exultauit vt gigas ad currendam viam,oneratus ſarcina cupiditatis,ſequi non poteras. *Ierem*.2. Curſor leuis explicans vias ſuas [omnia] nihil de omnibus cupientes. *Pſalm*.72.Quid enim mihi eſt in cælo? & à te quid volui ſuper terram? *Iſa*.52 Recedite,recedite, exite inde , pollutum nolite tangere. *Apocal*.18. Exite ab ea populus meus , & ne participes ſitis delictorum eius , & de plagis eius non accipietis. Cauſa enim delictorum Babylonis ſunt bona fortunæ: & hæc ſunt propter quæ plagantur. *Iſa*.33. Qui proiicit auaritiam ex calumnia , & excutit manum ſuam ab omni munere , qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem , & claudit oculos ſuos ne videat malum : iſte in excelſis habitabit. Excutiens enim manus ab omni munere , nihil accipit eorum quæ mundus offerre poteſt : & qui obturat aures ne audiat ſanguinem,nulli propter ſua per fraudes inſidiatur : & qui claudit oculos ne videat malum , vanitates & ſpectacula mundi cum dilectione non conſiderat : & ideò dignus eſt vt in excelſis habitet. Sic ergo omnia Diſcipuli dimiſerunt.

Et ſecuti ſumus te] *Hieronymus*. Quia non ſufficit dimittere omnia , hoc enim & Socrates fecit Philoſophus : adiungit quod perfectum eſt [ſecuti ſumus te] Sequi enim Chriſtum , eſt cum fidei dilectione & deuotione Chriſtum imitari.Et hoc eſt perfectionis,& dignitatis,& beatitudinis. Perfectionis quidem , quantum ad virtutem : dignitatis , quia priuilegij ſingularis : beatitudinis autem , quia eſt Angelicæ felicitatis mortalem hominem de ſolatiis mortalis vitæ nihil appetere. Propter primum dicitur *Iob* 23. Veſtigia eius ſecutus eſt pes meus ; viam eius cuſtodiui , nec declinaui ex ea. Quod autem dignitatis ſit , dicitur *Eccl*.2. Quid eſt homo vt ſequi poſſit regem factorem ſuum? De inſecutione felicitatis *Eccl*.23. Gloria magna eſt ſequi Dominum. Longitudo enim dierum aſſumetur ab eo. Sic igitur ſequi Dominum eſt perfectionis , ſecundum virtutem: dignitatis,ſecundum excellentiam ſingularem : & beatitudinis , ſecundum gloriæ felicitatem. Hoc eſt igitur quod dicit [ſecuti ſumus te] *Matth*.19. additur,quid ergo erit nobis? *Hieronymus*,q.d.fecimus quod iuſſiſti,quid ergo dabis nobis præmij?

Reſpondens ait IESVS. Amen dico vobis , nemo eſt qui reliquerit domum , aut fratres , aut ſorores,aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum , nunc in tempore hoc : domos , & fratres, & ſorores , & matres , & filios , & agros , cum perſecutionibus , & in ſeculo futuro vitam æternam. Multi autem erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.

Tangit dictæ perfectionis congruam remunerationem : tangit autem tria. Primò enim repetit operis per ſingula perfectionem : ſecundò tangit in præſenti eam quæ competit remunerationem, & in futuro. In tertio autem , tangit eorum,qui pertingunt ad hanc remunerationem,idoneitatem & ordinem. Dicit igitur aſſertionem præmittens [Amen dico vobis] hoc eſt , verè dico vobis. *Pſalm*.118. Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. *Tob*.4 Non excidit verbum Dei[Nemo eſt] maſculus,vel fœmina : nobilis, vel ignobilis : diues,vel pauper. *Rom*.10.Idem Dominus,omnium: diues in omnes qui inuocant illum [qui reliquerit]per affectum hæreditatis habendam [domum] per quam omne id quod per dilectionem inhabitatur intelligatur. *Ierem*. 12. Reliqui domum meam , dimiſi hæreditatem meam , dilectam animam meam in manum inimicorum eius [aut fratres] qui nolunt credere in Chriſtum per fidem operantem dilectionem. *Cant*.1. Filij matris meæ pugnauerunt contra me. *Ierem*.9. In omni fratre ſuo non habeat fiduciam [aut ſorores] nolentes cum eo pergere ad Deum. *Matth*.7. Inimici hominis , domeſtici illius [aut patrem aut matrem] fidem in ipſo impugnantes. *Deut*.33. Qui dixit patri ſuo & matri , neſcio vos : & fratribus ſuis, neſcio illos, & neſcierunt filios ſuos ; hi cuſtodierunt eloquium tuum , & pactum tuum ſeruauerunt. *Pſalm*.44. Obliuiſcere populum tuum , & domum patris tui [aut filios] ad fidei deuotionem conuerti nolentes. *Deut*.13. Si tibi voluerit perſuadere frater tuus , filius matris tuæ , aut filius tuus vel filia tua,ſiue vxor tua quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus quem diligis vt animam tuam , clam dicens : Eamus , & ſeruiamus Diis alienis quos ignoras tu , & patres tui , cunctarum in circuitu gentium quæ iuxta vel procul ſunt,ab initio vſque ad finem terræ:non acquieſcas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus , vt miſerearis & occultes eum : ſed ſtatim interficies [aut agros] *Geneſ*.12. Egredere de terra & de cognatione tua. *Act*.4. Quotquot erant poſſeſſores agrorum aut domorum , vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant , & ponebant ante pedes Apoſtolorum.

Propter me]hoc eſt, propter deuotionem fidei meæ. *Prou*.12.Qui negligit damnum propter amicum,iuſtus eſt [Et propter Euangelium] hoc eſt, bonum nuntium , quod ſpiritualia temporalibus præponi docet. *Pſalm*.16.Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras.

Qui non accipiet centies tantum] in ſpiritualibus : quia illa quidem perfecta accipit in decem mandatis , & retributionem decem mandatorum: quorum quodlibet decuplum efficitur,dum quodlibet in admirabili dilectione Dei , & in ardore deuotionis,& luce veritatis,& tranquillitate mentis,& altitudine cordis (quod omnibus infimis ſuperponitur,& ad nulla conculcanda inclinatur)& in virtute diuina inuincibili,& in poteſtate liberæ ſeueritatis quæ omnia legi Dei contraria corripit, & in rectitudine legis , & in mobilitate conſilij danti, & in forma perficit virtutis. Hæc enim decem niſi cuilibet adſint præcepto , non impletur ſecundum ſpiritualem obſeruationem. Et ſic decem in centum multiplicantur : quia perfectionem operum docet , & formam accipit virtutis, & doctrinam conſilij, & rectitudinem legis, vt id

quod facit sit licitum, à Deo consultum, & virtuosum: virtus autem in qua facit opus sit alta, nulli subiecta, sit vigorosa, sit à contrario expedita & remota: affectus autem quo facit, sit feruidus, lucidus, & tranquillus: & finis sit admirabiliter purus & delectabilis. Sic enim hic accipiet centum pro vno quod dimisit. *Genes.*27. Seminauit Isaac in terra illa, & inuenit in illo anno centuplum. *Matth.*9. Centuplum accipietis. Et hoc accipit.

Nunc in hoc tempore] in gratiæ delectatione. *Luc.*6. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supe refluentem dabunt in sinum vestrum [domos, fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros] quia pro quolibet quod reliquisse se gaudet, centuplum inuenit in spiritualibus. Mercedem etiam dictis centum quæ induximus: diuina enim & Angelorum nouem ordinum dona, & gaudia iungit decuplo operum perfectioni [cum persecutionibus] Duo enim remunerantia adiungit. vnum quidem promissionem spiritualium quæ dicta est: & aliud quod pungit ad exeundum, sicut filios Israël promissionibus vocauit Dominus de Ægypto, & verberibus pupugit Pharaonis ad exeundum: sic enim persecutio bona est quæ compellit ad exeundum de mundo. *Deut.*33. Qui inundationem maris quasi lac sugent, thesauros absconditos arenarum. Suguntur enim quasi lac inundationes maris, quando dulces reputantur propter nomen Domini nostri. *Matth.*6. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis: gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces vestra multa est in cælis.

Et in seculo futuro] quod erit post mortem in terra viuentium. *Psalm*26. Credo videre bona Domini in terra viuentium [vitam æternam] Vita hæc continuus est deliciarum increati spiritus influxus, in spiritum creatum in admirabilibus, puris, & firmis contemplationibus, & delectationibus ex his prouenientibus, nullum contrarium habentibus. Hic est enim vita beatitudinis, in quo totum est vita de fonte vitæ sincerè bibita: De quo dicitur *Ioan.*15. Videbitis me quia ego viuo, & vos viuetis. *Apoc.*7. Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Hic est fons vitæ in *Psalm.*35. Domine apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen. Hæc est aqua vitæ de qua dicitur *Ioan.*4. Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Æterna autem est propter tria, scilicet, immutabilitatem, simultatem, & simplicitatem. De immutabilitate quidem dicit *Augustinus*, quod vera æternitas est vera incommutabilitas. Et ideò tota in ea absorbetur mors, sicut dicit *Apostolus*, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Quia sicut dicit *Augustinus*, quamuis mutabilis sit per naturam spiritus creatus: tamen à Deo glorificatus & beatificatus, nunquam mutabilitatem & mortalitatem suam exerit, vndique fonte vitæ repletus. 1. *Corinth.*15. Absorpta est mors in victoria. 1. *Timoth.*6. Solus habet immortalitatem: & lucem habitat inaccessibilem.

Talis immutabilitatis continuus influxus ab immutabili spiritu, facit immutabilem spiritum creatum: eo quod nunquam mutabilitatem exerere potest in ipso natura creata. Simultas autem est, quòd in Deo non est successio vicis huius, totum quod in eo est, stat simul: & sic se influit in spiritum creatum: & hoc dicit *Apostolus.* 1. *Corinth.*15. Erit Deus omnia in omnibus. *Iacob.*1. Apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio. De simplicitate est, quòd licet multis illuminationibus & attributis percipiatur: tamen omnia hæc sunt vnum simplex immediatè spiritui creato influxum: sicut vna natura simplex est ignis, quæ influxa est candenti ferro: quæ tamen in multis proprietatibus à ferro percipitur, scilicet, caloris adustione, luminis claritate, accensione, attractione, & multis aliis similitudinibus. Sic enim illapsus spiritus simplex in spiritum creatum, trahit ad seipsum spiritum creatum: & trahendo eum ad se, vnum simplex viuificat & simplificat ipsum: ne in plura de cætero diuidatur. Et hoc est quod dicit *Philosophus in libro de causis*, quod intelligentia magis accedens ad vnum primum, magis efficitur vna & simplex. *Isa.*66. Ecce ego declinabo in vos sicut flumen pacem: & tanquam torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis. Hæc igitur est vita de qua dicitur *Ioan.*10. Ego veni, vt vitam habeant: & abundantius habeant. Hæc igitur vita est quam in præmio accipiunt perfectionem Apostolicam imitantes.

Multi autem primi erunt nouissimi] Tangit ordinem veniendi ad hanc mercedem. Adolescens enim cum toto populo Iudæorum in obseruatione mandatorum videbatur esse primus, & ad hoc præmium perfectionis Apostolicæ factus est nouissimus: & gentilis qui nouissimus videbatur, assumendo fidem factus est primus. Et hæc est expositio literalis. Tamen nouissimus veniet ad eam: & ideò est sensus [Multi autem primi] Iudæi promissionibus & obseruatione legis primi [erunt nouissimi] in fine mundi redeuntes. *Rom.*11. Cæcitas contigit in Israël donec plenitudo gentium intraret: & sic omnis Israël saluus fieret. *Matth.*20. Voca operarios & redde illis mercedem suam: incipiens à nouissimis vsque ad primos. Et *ibidem.* Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Hæc est expositio literæ. Dicit autem hic *Gloss.* quia multi incipiunt & non perficiunt. Et hæc est terribilis sententia: vnde Iudas inceptione primus, traditione factus est nouissimus: & lato malis demeritis nouissimus, factus est confessione primus. Sed hæc expositio non est literalis: quia nouissimus hic à peruenientibus est exclusus: & sic non sonat nouissimus, quia nouissimus vnus est de peruenientibus sicut primus. Tamen hæc *Glossa* est secundum alium Euangelistam qui dicit *Matth.*20. Multi enim sunt vocati: pauci vero electi. non electi autem sunt exclusi. Alia expositio est, quod aliquando signo perfectionis primi sicut Religiosi & Prælati, fiunt in præmio nouissimi: quia minori coram Deo præmio digni sunt propter fastum superbiæ quo inflantur. Et seculares signo virtutis nouissimi, fiunt apud Deum secretorum cognitorem primi. *Luc.*14. Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. *Matth.*20. Volo huic nouissimo dare sicut & tibi.

Erant autem in via ascendentes Ierosolymam, & præcedebat illos

Iesvs: & stupebant, & sequentes timebant.

Tangitur hic admiratio Discipulorum ordinem diuinæ sapientiæ audientium: tanguntur autem duo, scilicet, qualiter in omni perfectione Christus Discipulos præcessit: & qualiter sequentes eum Discipuli in his stupebant, & sibi timebant. Dicit igitur [erant autem] doctor salutis & Discipuli [in via] quæ significat viam ad vitam. *Psal.*76. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur, hoc est, via tua est in abysso sapientiæ & amaritudinis in difficultate: & semitæ consiliorum sunt in diluuio persecutionum, & ideò à paucis cognoscuntur cognitione beneplaciti. *Matth.*7. Pauci sunt qui inueniunt viam [Ierosolymam] tendentes, quando hoc dixit, vt ibi pateretur pro nobis: & signat tendentes ad visionem pacis in qua est vita æterna. *Isa.*66. In Ierusalem consolabimini, videbitis, & gaudebit cor vestrum [& præcedebat illos Iesus] sicut in via pedum, ita etiam in omnis vitæ bonæ perfectione. *Mich.*2. Ascendet pandens iter ante eos. *Isa.*45. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo. *Psal.*18. Exultauit vt gigas ad currendam viam suam. *Hebr.*12. Curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, atque in dextera Dei sedet. Ideò dicitur 1. *Corinth.*4. Imitatores mei estote sicut & ego Christi [& stupebant] in verbis sapientiæ ipsius. *Luc.*5. Stupor circundederat Petrum, & omnes qui cum eo erant [& timebant] ne à tanto fastigio perfectionis exciderent. *Hebræ.*2. Propterea abundantiùs oportet nos obseruare ea quæ audiuimus, ne forte effluamus. *Rom.*11. Noli altum sapere, sed time.

Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei ventura.

Hic tangit Christus ea quæ exiguntur ad salutem ex parte sua: habet autem hæc pars duas partes, in quarum prima tanguntur Sacramenta causantia nostram salutem: in secunda, quia tangit gloriam suæ resurrectionis: ponitur quæstio de exaltatione duorum Discipulorum præ cæteris exaltari cupientium, *ibi* [& accedunt ad eum, &c.] in prima harum duo dicuntur, in quorum primo intimorum amicorum quibus omnia reuelanda sunt, continetur secreta assumptio: in secundo tangitur secretorum reuelatio. De primo dicit sic [& assumens iterum duodecim] qui speciales erant Ecclesiæ fundatores, & fundamenta: & ideò specialiter erant instruendi. *Psal.*87. Fundamenta eius in montibus sanctis [cœpit Iesus] doctor salutis [docere] quia ita grandia fuerunt, quod ad perfectum non poterant audire: & ideo [cœpit] principia docendo, sed non vsque ad perfectum. *Hebr.*5. De quo grandis nobis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. *Ioan.*16. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo [quæ essent ei ventura] ad salutem nostram pertinentia secundum ordinationem sapientiæ diuinæ. *Luc. vlt.* Oportet impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me.

Quia ecce ascendimus Ierosolymam: & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus: & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum: & tertia die resurget.

Reuelationem ponit sacramentorum ex parte Christi salutem nostram causantium. Duo autem dicit: primo enim ostendit hæc in proximo esse ventura: & secundo dicit quæ ventura sunt ei per speciem & numerum determinata. Dicit igitur [quia ecce] quasi dicat, iam in euidenti est & instat tempus quo omnium salus procurabitur. *Ioan.*12. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. *Ioan.*17. Venit hora & iam venit [ascendimus] iam in via existentes, qua vado ad patiendum: quæ tamen passio licet videatur descensio & minoratio, tamen secundum veritatem ascensio est: quia omnes de morte ad vitam, de exilio ad patriam, de inferno ad cælum faciet ascendere. *Psal.*83. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit [Ierosolymam] ad locum passionis. *Luc.*13. Non capit Prophetam perire ex Ierusalem. *Matth.*23. Ierusalem, Ierusalem quæ occidis Prophetas: & lapidas eos qui ad te missi sunt. Quæ licet olim nomine & significatione vocata fuerit Ierusalem; tamen propter iniquitates suas nomen mutauit. *Apocal.*11. Vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, vbi Dominus Prophetarum occisus est. *Isa.*1. Iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ.

Et filius hominis tradetur] à Iuda Iudæis: & à Iudæis [Principibus Sacerdotum] filius hominis dico, *vt dicit Gloss.* ad quem pertinet pati, & tradi, & cædi: quia non potest diuinitas pati, vel tradi, vel cædi. *Matth.*26. Dixit Iudas Principibus Sacerdotum: quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? Principibus autem Sacerdotum fuit tunc vtraque data potestas: spiritualis scil cet. & secularis in populo, quamuis super eos dominium Romani in populo Dei. vsurpassent [& Senioribus] qui seniatus dicebantur: & in eis erat perfectio consilij publicorum negotiorum [& Scribis] in quibus fuit auctoritas literatæ scientiæ: vt omnes in quibus aliquid fuit præeminentiæ partem habeant in reatu sanguinis Christi. *Iacob.*2. Nonne diuites per potentiam opprimunt vos; & ipsi pertrahunt vos ad iudicia? *Isa.*1. Principes tui infideles, socij furum: quia fuerunt socij furis Iudæ. *Ioan.*11. Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium, & dixerunt: quid facimus quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.

Et condemnabunt] hoc est, accusationes condemnationis quærent contra eum. *Matth.*26. Principes Sacerdotum & Scribæ, & omne concilium, quærebant accusationes contra Iesum, vt eum morti traderent. Et hoc est quod dicit [condemnabunt eum morte] quæ tamen condemnatio, nostra fuit à morte liberatio. *Osee* 13. A morte liberabo eos: à morte redimam eos. *Genes vlt.* En morior, & post mortem meam visitabit vos Dominus [& tradent eum gentibus] quia accusa-

tione mortis quæsita contra eum,tradiderunt gentilium siue Romanorum potestati ; vt sententia mortis proferretur in eum. *Ioan.* 18. Gens tua & Pontifices tui tradiderunt te mihi : quid fecisti? [& illudent ei]tam Iudæi quàm gentiles.*Thren.*3. Factus sum in derisionem omni populo meo:canticum eorum tota die.*Psalm.* 68.Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. *Iob* 12. Deridetur iusti simplicitas : lampas contempta apud cogitationes diuitum,parata ad tempus statutum[& conspuent eum] tanquam immundum. *Iob* 30. Abominantur me & longe fugiunt à me: & faciem meam conspuere non verentur [& flagellabunt eum]flagellis cædent eum.*Isa.*53.Disciplina pacis nostræ super eum : cuius liuore sanati sumus.*Psal.*22.Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt[& interficient eum]tandem. *Dan.* 9.Occidetur Christus & non erit eius populus qui eum negaturus est.*Matth.* 20. Tradent eum gentibus ad illudendum , & flagellandum, & crucifigendum.

Et tertia die resurget] sicut tristia dixit Discipulis ignorantibus,ne,videntes passionem eius de ipso diffiderent,sed scirent quod voluntariè pateretur qui hoc præsciens prædixisset : ita læta prædicit quæ tristes ad spem gaudij certificarent. *Ps.* 3.Ego dormiui & somnum cepi, & exurrexi:quia Dominus suscepit me.*Osea* 6. Viuificabit,nos post duos dies,in die tertia suscitabit nos : & viuemus, sequemusque vt cognoscamus Dominum. *Ioan.* 10.Potestatem habeo ponendi animam , & potestatem habeo iterum sumendi eam : nemo tollet eam à me , sed ego pono eam : & iterum sumo eam.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes : Magister volumus vt quodcunque petierimus facias nobis.At ille dixit eis;quid vultis vt faciam vobis? Et dixerunt: da nobis vt vnus ad dexteram tuam , & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.

Tangitur hic duorum Discipulorum ad consortium regni indiscreta petitio:& habet tres partes,in quarum prima indiscretæ petitionis continetur reprehensio : in secunda aliorum decem Apostolorum indignatio : & in tertia qualiter ad regnandum cum Christo procedatur communis instructio.In primo horum tria dicuntur, scilicet, petitio indiscreta in communi, & eiusdem specificatio in speciali , & reprehensio indiscretionis. De primo dicit duo : familiaris audaciæ duorum Discipulorum ad Christum accessum:& indiscretum ambitionis eorum petitum.

Dicit igitur [& accedunt ad eum] hoc est , ad Christum ausu familiari,tanquam consanguinei: filij scilicet materteræ suæ [Iacobus & Ioannes filij Zebedæi] qui & consanguinei erant : & patrem , & omnia propter eum ad vnius vocationis vocem reliquerant [Dicentes] ausu familiari postulantes.*Gloss. Matth.*20. Dicit matrem postulasse.Sed Marcus dicit ipsos Discipulos petiisse , desiderium eorum volens aperire quorum consilio mater petebat. Et in vtroque Euangelista Dominus Discipulis , non matri respondit : quia in veritate mater petitionem proposuit , sed hoc fecit mater consilio & suasu Discipulorum. Sicut enim *Lucas* refert,à Discipulis putabatur communiter quod regnum Christi terrenum , & in hoc seculo illicò esset manifestandum:& quod Discipuli statim essent cum Domino regnaturi. Et ideò in regno illo duo isti Discipuli cupiebant esse proximę dignitatis cum Rege suo:& hoc est.

Magister volumus]Magistrum profitentur cuius disciplinam se gloriantur esse secutos [volumus]quasi pro mercede à te recipere[vt quodcunque à te petierimus facias nobis] dixisti *Matth.* 7.Petite,& accipietis:quærite, & inuenietis : pulsate, & aperietur vobis. Et *Ioan.*15. Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo : petite vt gaudium vestrum plenum sit.*Matth.*18.Si duo ex vobis consenserint de aliquo:fiet eis à Patre meo. Celant autem peritum , & à Discipulis ne indignentur : & quia adhuc rudes,,Deo tanquam homini loquebantur [at ille dixit eis]non ignorans quid petere vellent:sed vt ex dictis eorum, opportunè reprehensionem acciperet carnalis intellectus eorum. [Quid vultis vt faciam vobis] ac si dicat. Ex quo non committitis remunerationem vestram gratiæ meæ,videte quid velitis. *Gloss.* interrogat,vt stultitiam confessos corrigat. *Luc.*19. Ex ore tuo te iudico[& dixerunt]carnaliter Christum in hoc mundo illicò regnaturum credentes, & visibilia inuisibilibus præferentes. *Ioan.*7. Nequaquam enim fratres sui credebant in eum [da nobis] tanquam ex singulari priuilegio præ aliis munera nos[vt vnus]ex nobis[ad dexteram tuam] proximus[& alius ad sinistram] proximus tibi in terra regnanti [sedeamus] vt principes[in gloria tua]terrenæ & regiæ tuæ dignitatis.Magna elatio istorum & stultitia fuit , super alios in terreno regno super consortes velle inthronizari : in hoc enim non sequebantur Magistrum, qui dixit *Ioan.* 8.Ego gloriam meam non quæro : est qui quærat & iudicet.

Iesus autem ait eis : nescitis quid petatis.

Tangitur hic stultæ petitionis reprehensio : & dicuntur duo , in quorum primo reprehensio ponitur:in secundo via ad regnandum cum Christo ostenditur. Dicit igitur [nescitis quid petatis] in hoc quod sine meritis mecũ regnare præsumitis, sicut Lucifer qui per seipsum ascendere voluit *Isa.* 14.In cælum conscendam , super astra cæli exaltabo solium meum : sedebo in monte testamenti,in lateribus Aquilonis.Et sicut primi parentes qui ex seipsis voluerunt esse sicut dij scientes bonum & malum *Genes.* 3. Sed alius modus fuit quo peccauerunt isti , & alius quo peccauerunt primi parentes: sed idem fuit genus superbiæ in his tribus. Isti enim in hoc elati fuerunt,quod absque merito ad thronum honoris ascendere quærebant, primi autem parentes per vetiti gustum hoc obtinere putabant : quod etiam fuit cum demerito velle exaltari.Sed Lucifer quærebat hoc obtinere propria virtute : & non per Deum. Hi ergo quia absque ordine sine meritis ascendere cupiunt , reprehenduntur:vnde *Gloss.*Regnare vultis qui non meruistis culmen honoris. Et ideò [nescitis quid petatis] regnum quærendo sine exercitio laboris. *Psal.*55.Non veniat mihi pes superbiæ:& manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem , expulsi sunt, nec potuerunt stare,scilicet,Angelus , & primi parentes. Et ideò neque vos in hoc pede stabitis. *Eccles.*7. Noli quærere ab homine ducatum , neque à rege cathedram honoris. Sed potius in deuotione verborum Christi delectati , & in cultu per sapientiam ipsius dicere habebant illud *Iudic.* 9. Non possum deserere vinum meum , quòd lætificat Deum & hominem : & ire vt inter ligna promouear.

Potestis bibere calicem quem ego bibo?aut baptismo quo ego baptizor baptizari? At illi dixerunt ei: possumus.

Tangit hic viam ad regnandum:& tanguntur tria , scilicet, quæstio de experientia passionis patiendæ:responsio inexpertorum:& benigna instructio stultorum de suis viribus præsumentium.Dicit igitur[potestis bibere] duas tangit quæstiones sub metaphora passionem significantes. Prima est quod dicit [Potestis] hoc est , potestisne [bibere] hoc est, faciliter sicut potum gluriendo, non masticando,bibere[calicem]Qui ex charitate feruente calida potio vocatur [quem ego] pro vobis & pro multis [bibiturus sum] hoc est, ex charitate passurus sum voluntariè nullam comminationem, nullam defensionem exhibendo : sed ita de facili me ad patiendum exhibendo ac si bibam illam passionem vt delectabilem calicem. Ad hoc enim Christus *Matth.*26.calicem quem bibit,Discipulis etiam propinauit : vt eos communicare Passioni suæ debere doceret,dicens:Accipite & bibite ex hoc omnes. *Psalm.*115. Calicem salutaris accipiam , & nomen Domini inuocabo. Ac si dicat: Probate vires vestras, quia per Passionem venitur ad regnum. 1.*Petr.*1.Prænuntians quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias. *Rom.*8 Si tamen compatimur , vt & simul glorificemur. *Philip.*3. Configuratus morti eius si quo modo occurram ad Resurrectionem , quæ est ex mortuis [aut baptismo] martyrij [quo ego baptizor]pro vobis, vt sordes vestræ abluatur[baptizari]Magis enim debetis velle baptizari pro me baptismo sanguinis(qui baptismus,vt dicit *Damascenus*, secundis sordibus non inquinatur) vt sordes vestræ lauentur,quam ego,qui sanguine baptizari habeo pro vobis : vt vestræ sordes lauentur , non meæ, qui sordes nullas habeo,& ego, vrgente me charitate , sic volo baptizari pro vobis. Probate ergo vos : vtrum ne vos simili charitate per sanguinem mundari velitis.*Luc.*12.Baptismo habeo baptizari : & quomodo coarctor vsque dum perficiatur. *Rom.6.* Consepulti enim sumus per baptismum cum illo in mortem : vt quo modo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris , ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Hæc est expositio literalis.

Est autem in scriptura sacra calix in diuersa significatione,bona& mala. In bona quidem significatione est calix eruditionis sacræ scripturæ. *Psalm.*22. Calix tuus inebrians , quàm præclarus est. Est calix benedictionis, Eucharistia.1.*Cor.*10. Calix benedictionis cui benedicimus:nonne communicatio sanguinis Christi est?Est calix saluationis per pœnitentiam & deuotionem Christi Passionis. *Psalm.*115. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Est calix passionis, mortis angustia in charitate suscepta. *Matth.*26. Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum,fiat voluntas tua. Et *Ioan.*18.Calicem quem dedit mihi Pater , non vis vt bibam illum. Calix autem in malo , est calix mundanæ voluptatis. *Ierem.*51.Calix aureus Babylonis in manu Domini inebrians omnem terram. Et calix pœnæ inflicta per sententiam. *Psalm.*74. Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Verumtamen fæx eius non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ. Est calix ebrietatis mundanorum gaudiorum.*Proverb.*24. Cui suffossio oculorum. Nónne his qui morantur in vino , & student calicibus epotandis.Similiter etiam baptismus est in diuersa significatione : sed tantum in bona est significatione.Est enim baptismus in verbo. *Ioan.*15. Vos mundi estis propter sermonem quem ego locutus sunt vobis. Et idem est,vos mundi estis,quod vos baptizati estis:in aqua, vnde *Ioan.*1. Ego baptizo in aqua.In aqua & Spiritu,*Ioan.*3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,non potest introire in regnum Dei. In Spiritu tantum *Act.*2. Vos autem baptizamini in Spiritu sancto non post multos hos dies. In igne præsentis tribulationis *Isa.*4. Si abluerit(*alia translatio*)si baptizauerit Dominus sordes filiarum Sion in spiritu iudicij & spiritu ardoris. In morte *Luc.*12. Baptismo habeo baptizari , & quomodo coarctor donec perficiatur.

At illi dixerunt ei]scilicet duo Discipuli[Possumus]inexperti propriarum virium.*Cant.*1.Si ignoras te ô pulcherrima mulierum : egredere, & abi post vestigia gregum. Et ideò stulti fuerunt,quia sui ipsius nescierunt propriam quantitatem.*Ptolomeus Philosophus.* Insipiens est qui suiipsius nescit quantitatem, hoc est, quantùm de viribus suis præsumere debeat.

Iesus autem ait eis : calicem quidem quem ego bibo, biberis:& baptismo quo ego baptizor , baptizabimini: sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

Iesus autem ait illis] Corrigens inexperientiam , & docens corregnandi viam , & prædicens futuram eorum , quando per spiritum instructi erant , passionem. Dicit igitur quid passuri sunt pro nomine eius [Calicem quidem meum] hoc est, Passionem voluntariam [biberis] hoc est, ex charitate patiemini. *Matth.*26. *Luc.*22. Bibite ex hoc omnes [& baptismo quo ego baptizor] voluntarij in Spiritu sancto baptizabimini , vel voluntate & actu.1.*Corinth* 10.Omnes baptizati sunt in nube & in mari. In nube quidem, propter spiritus mundationem : in mari, propter pœnitentiæ amaritudinem : in mari rubro, propter sanguinis Christi & martyrij rubricationem.Sic ergo[baptizabimini] hoc est,mundabimini [Sedere autem] propter hæc omnia [ad dexteram meam] in gaudio æternitatis. *Coloss.*3.vbi Christus est in dextera Dei sedens,quæ sursum sunt quærite [vel ad sinistram] in petfruitione humanitatis. *Proverb.*3. In dextera eius longitudo dierum , & in sinistra eius diuitiæ & gloria [Non est meum] cum quidem sit ex authoritate : sed [non est meum] ex

ordine iustitiæ quæ respondet meritis [sed quibus] ex ordine meritorum [paratum est] hoc est, propter merita ab æterno dispositum à Patre meo, sicut dicitur *Matth.*20. Æterna enim sapientia illud præparauit. *Apoc.*14. Opera enim illorum sequuntur illos. Et ideò stultum est quod illud appetitis sine meritis. *Iac*o*b.*4. Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis. *Rom.*8. Quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Audientes autem decem indignati sunt de Iacobo & Ioanne.

Hic tangitur indignatio aliorum Apostolorum: indignatio autem eorum fuit de indiscreta petitione duorum, qui ignorantes mensuram suam immoderata ardebant cupiditate regnandi super alios. *Zach.*4. Quid tu mons magne aduersus Zorobabel in planum? [de Iacobo & Ioanne]qui aliis præferri in regno terreno cupiebant *Iob* 20. Quid te eleuauit cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferas de ore tuo huiuscemodi sermones? Causa autem fuit, quia in via disputauerant quis eorum videretur esse maior, sicut dicitur *Luc.*9.& *Matth.*18.& *Luc.*22.

Iesvs autem vocans eos ait illis: Scitis quia hi qui videntur principari gentibus dominantur eis, & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis, sed quicunque voluerit fieri maior, erit vester minister: & quicunque voluerit in vobis primus esse, erit omnium seruus. Nam & filius hominis non venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret & daret animam suam in redemptionem pro multis.

Iesvs autem vocans eos]tanquam benignus doctor humilitatis [ait illis] Et tangitur hic communis omnium salutis instructio contra fastum tumoris, qui eis surrepserat: & ostenditur via salutaris ad regnandum cum Christo. Tanguntur autem hi: tria, scilicet, fastus gentium in regno terreno: dissimilitudo ad illos regnantium cum Christo: & exempli subiectio in Dei Filio. Dicit igitur [Scitis] quia per ea quæ in mundo videtis hoc scire potestis [quia hi qui videntur]Hoc dicit quia dominatus secularis magis est vmbra & phantasma quam veritas [principari gentibus]sine legibus gentium, sicut ordinati in principes, sed per tyrannidem opprimunt pauperes, sicut Nemroth. *Genes.*10, [dominantur eis] violenta dominatione & ambitione dominatus & potestatis. *Isa.*19. Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium:& rex fortis dominabitur eis *Amos* 6. Qui dominamini in nihilo: quæ dicitis. Nunquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? & [principes eorum] vel potius tyranni oppressorum, potestatem habent ipsorum]quam pro viribus & non secundum iudicium & iustitiam exercent in eos. *Luc.*22.Reges gentium dominantur eorum:& qui potestatem habent inter eos,benefici vocantur.

Sic non erit inter vos:sed quicunque]Doctrina est viæ ad regnandum cum Christo per viam humilitatis. Et ideò dicit [sed quicunque inter vos] Discipulos meos [voluerit fieri maior] in gloria mea[erit vester minister]sicut minor, qui ad obsequia est deputatus. *Luc.*22.Qui maior est in vobis,fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator. *Matth.*18. Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste: hic maior est in regno cælorum[& quicunque voluerit in vobis primus esse] dignitate in gloria regni mei: ille per actum humilitatis & ministerij[erit omnium seruus]quantum ab obsequium. Et *Luc.*18. Qui se humiliat, exaltabitur. *Prouerb.*15. Gloriam præcedit humilitas. *Eccli.*11.Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum considere illum facit. *Iob* 22. Qui humiliatus fuerit erit in gloria.

Nam & filius hominis]Ponit seipsum in exemplum [non venit] in carnem & in mundum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus,exinaniens semetipsum: & ideò[non venit vt ministretur ei]hoc est, vt seruiatur ei[sed vt ministret aliis] *Luc.*22. Nam quis maior est? Qui recumbit, aut qui ministrat? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. *Isa.*52. Ecce intelliget seruus meus: & admirabitur & exaltabitur & sublimis erit valde. Et tangit maximum quod exhibuit ministerium: & dicit[& daret animam suam] in pignus [in redemptionem pro multis] efficaciter, sed pro omnibus sufficienter. *Psalm.*129. Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. *Ierem.*12. Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. 1.*Ioan.*2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Et veniunt Iericho: & proficiscente eo de Iericho & Discipulis eius, & plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat iuxta viam mendicans.

Hic ad faciem leonis se conuertens *Marcus* ponit per miraculum doctrinæ præhabitæ confirmationem: diuiditur autem in quatuor particulas, in quarum prima ponuntur antecedenter impetrantia miraculum: in secunda ponuntur miraculum impetrantia ex parte eius in quo perfectum est miraculum:in tertia ponuntur ea quæ circumstant miraculi perfectionem ex parte Saluatoris: in quarta autem & vltima tangitur miraculi fructus.In prima tanguntur quatuor:locus, & iter, Discipulorum ædificatio, & turbæ comitantis eum multitudo. De primo dicit [Et veniunt] itinerando versus Ierusalem [Iericho] Omittit autem hic *Marcus* quod & *Matth.*20. omiserat: quod *Lucas* refert.18. Quod Saluator veniendo Iericho vnum cæcum in via illuminauit: & quod veniens Iericho Zachæum allocutus est, & apud eum hospitatus: qui etiam merito suæ hospitalitatis est secundum nomen suum tunc iustificatus. Hæc enim omnia competunt: quia Iericho luna interpretatur: luna autem est quæ suum lumen continuò mutuat à sole: sicut etiam à sole iustitiæ cæcus mutuato lumine illuminatur,& Zachæus iustificatur. *Eccli.*43.Initium diei festi à luna: luminare quod minuitur in consummationem. *Psal.*88. Et luna testis in cælo fidelis.

Et proficiscente eo]Christo[de Iericho] tangit iter ad Ierusalem quo festinabat ad passionem. In hoc enim nobis dedit exemplum. *Hebr.* 12. Aspicientes in authorem fidei: & consummatorem Iesum,qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta [& Discipulis eius] qui & instruendi & confortandi erant per miraculum. *Ioan.* 2. Initium signorum suorum fecit Iesus coram Discipulis suis:& manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum Discipuli eius [& plurima turba] quæ ex deuotione cum eo ad diem festum cum Domino ascendebat, & per miraculum ad fidem ædificabatur. *Apocalyp.*7.Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus stantes ante thronum. *Isa.* 2. Ibunt populi multi & dicent: venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.

Filius Timæi] tangit ea quæ impetrant miraculum ex parte eius in quo factum est: & sunt tria,scilicet,pristinæ felicitatis prosperitas,instantis miseriæ infelicitas,& instanter ad se clamantis supplicitas.Attende autem quod *Matth.*20.Dicitur,quod duo fuerunt cæci illuminati à Domino, sed *Marcus* vnum ponit, qui notæ fuit famæ: & de altero non negat,sed tacet:vnde *Beda in Gl. Matthæum* in hoc loco dicit duos cæcos secus viam sedentes illuminatos: *Lucas*,cùm appropinquaret Iericho vnum illuminatum pari ordine: sed *Lucas* scribit quod *Matth.*omisit.Quod autem hoc loco *Matth.* duos dicit, *Marcus* dicit vnum, & alterum non negat, sciendum est vnum eorum fuisse notissimum: vnde & nomen eius & patris *Marcus* commemorat,quod in aliis non facit, nisi cum Iairum nomine expressit: quia sicut ille nobilis fuit:ita & iste ex aliqua felicitate deiectus, notissimæ & famosæ miseriæ fuit, qui non solum cæcus,verum etiam mendicus sedebat.Huius ergo illuminationem *Marcus* describit, quia miraculo maiorem famam comparauit. Hoc est igitur quod dicit[filius Timæi]nobilis viri,nomine[Bartimæus] qui filius pinguedinis interpretatur: ex quo nomine præterita prosperitas significatur. *Iob* 16. Ego ille quondam opulentus, nunc repente contritus sum. *Luc.* 1. Deposuit potentes de sede[cæcus] ex tanta prosperitate deiectus, tangit in duplicem miseriam incidisse[cæcus] luminibus priuatus,vt vias ad quærendum necessaria non videret:& ideò[sedebat]duces per vias non habes. *Thre.*3.Me minauit & adduxit in tenebras: & non in lucem[iuxta viam]non in via, ne offendiculum esset transeuntibus,& tamen à transeuntibus videretur. *Matth.*20. Duo cæci sedentes secus viam.*Isa.*59.Expectauimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulauimus. Forsitan enim iste quia prosperitate abusus fuit, incidit in miseriam cæcitatis & mendicæ paupertatis. *Deut.*28. Palpet in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non diriget vias suas [mendicans]hoc est, extensione manus paupertatem suam dicens,& in miseria corporis nulla habens vitæ solatia, & miseriæ temperamenta. *Iob* 30.Egestate & fame steriles,squalētes fame & miseria. *Ecclesiast.*5. Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima. Generauit filium,qui in summa egestate erit.

Qui cùm audisset quia Iesus Nazarenus esset, cœpit clamare & dicere: Iesv fili Dauid miserere mei.

Tangit instantiam supplicantis: & dicit duo: supplicationem,& instantiam.In supplicatione dicit tria,scilicet,excitationem ad petendum, intentionem ad clamandum, discretionem ad impetrandum.

Dicit igitur [qui cùm audisset]à transeuntibus quia sicut dicit *Luc.*18.Cum audiret turbam prætereuntem,interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei quia Iesus Nazarenus transiret: & hoc est[quia Iesus Nazarenus]omni flore vernans[esset]qui transiret:speranś de misericordia & bonitate & largitate eius,qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,excitatus est ad petendum ab eo,de quo dicitur *Luc.*1. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Et hoc est[cœpit clamare]cum magna desiderij & intentionis & vocis intensione. *Psal.*17. Clamor meus introiuit in aures eius.*Psal.*118. Clamaui in toto corde meo,exaudi me Domine.*Baruc.*3.Anima in angustiis & spiritus anxius clamat ad te Domine [& dicere]tangit discretionem petitionis ad exaudiendum.

Iesv fili Dauid miserere mei] Iesum nominat Saluatorem,cuius & officium & actus semper fuit ad saluandum.In oratione Manasses.2. *Paral. vlt.* Indignum saluabis me secundum multitudinem misericordiæ tuæ[fili Dauid]manu fortis, qui saluare potes:affectu desiderabilis,qui ex benignitate cunctis exhibet vultum gratiosum: diuitis regis, qui habet vnde saluare possit: misericordis etiam in inimicos, quem aliena miseria in corde afficit & cogit ad miserendum. Tu qui filius huius es,& hæreditate cuncta ista accepisti [miserere mei]de primo dicitur *Eccles.*46.Secundum nomen suum fortis in salutem gentis. De secundo *Ioel.*2.Benignus & misericors & præstabilis super malitia.*Esther.*15.Valde mirabilis es Domine,& facies tua plena gratiarum. Et ideò omnes in facie eius gratiam inueniunt. De tertio.1.*Corinth.*2. In omnibus diuites facti estis in illo. Et sequitur, ita vt nihil desit vobis in vlla gratia. *Roman.* 10. Dives in omnes qui inuocant illum. De quarto *Psal.*129.Apud Dominum misericordia,& copiosa apud eum redemptio. Ergo [miserere mei]tua compassione, vtque meam miseriam corporis & fortunæ remouendo. *Psalm.* 50. Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam:& secundum multitudinem miserationum tuarum. *Isa.*63.Vbi est zelus tuus & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum super me continuerunt se.

Et comminabantur illi multi vt taceret: at ille multo magis clamabat: fili Dauid miserere mei.

Tangit hic ad petendum instantiam: & tanguntur tria quæ instantiam important,scilicet,increpantium comminatio, qui à clamore hunc auertere non poterant: clamoris per omnia momenta

menta accumulatio : & petitionis ingeminatio.

Dicit igitur[& comminabantur ei multi] nolentes inquietari Dominum [vt taceret]à clamore. *Matth.*20. Qui præibant, increpabant eum vt taceret:ipse vero multò magis clamabat. Et tales signant eos qui retrahunt à bono opere. *Prouer.*3. Noli prohibere eum qui benefacit, si potes & ipse benefac[at ille multò magis clamabat] *Col.*4. Orationi instate vigilantes in ea. *Luc.*18 Oportet semper orare & non deficere. *Thren.* 2. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & per noctem:& non des requiem tibi,& ne taceat pupilla oculi tui[fili Dauid miserere mei] ecce petitionis ingeminatio. *Matth.*15. Miserere mei fili Dauid. Facilis enim & mollis ad placandum fuit Dauid, cuius tu es hæres. *1.Reg.*23. Ipse enim quasi tenerrimus ligni vermiculus. *Habac.* . Vsquequo clamabo,& non exaudies ? vociferabo ad te, & non saluabis?

Et stans Iesus præcepit illum vocari. & vocant cæcum dicentes ei, animæquior esto,surge,vocat te. Qui proiecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. Respondens Iesus dixit illi, quid tibi vis faciam ? Cæcus autem dixit ei, Rabboni vt videam. Iesus autem ait illi : vade , fides tua te saluum facit. Et confestim vidit , & sequebatur eum in via.

Tangit hic ea quæ circunstant istius miraculi perfectionem. Sunt autem septem , quorum primum est status transeuntis,cùm dicit[& stans Iesus]vt eum cæcus consequi posset : stetit enim ex misericordia expectans eum , quem desidem transiuerat ex iustitia. *Isa.*30.Expectat vos Dominus vt misereatur vestri. *Cantic.* 2. En ipse stat post parietem nostrum. Et quid mirum quod stat expectans , quia ante steterit pulsans. Secundum est adducendi cæci ad se præceptum : vnde dicit[præcepit illum vocari] vt Deo & lumini æterno appropinquaret. *Psal.*33. Accedite ad eum,& illuminamini,& facies vestræ non confundentur. *Genes.* 42.Adducite illum ad me, & ponam oculos meos super eum. Tertium est quod iuxta Christi imperium cæcus vocatur[& vocantes cæcum] ministri illuminationis & intercessores [dicentes ei] cæco iam statim illuminando. 2.*Corinth.* 2. Confirmetis in illum charitatem[animæquior esto]*Tobiæ* 5. Forti animo esto,in proximo est vt à Deo cureris. *Baruch.* 4. Animæquior esto populus Dei ; quia quæ Deo placent manifesta sunt vobis. Ergo[surge]hoc est , sursum ad cæli lumen age te. *Ephes.*5. Surge qui dormis.& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus [vocat te] *Rom.*4.Qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Quartum est cæci ad lumen acceleratio, & hoc est [Qui proiecto vestimento suo]vt reuerentiam exhiberet , & pristini erroris per confessionem conuersationem deponeret *Cant.*5.Exui me tunica mea,&quomodo induar illa? *Ephe* 4.Deponere vos secundũ pristinã conuersationem veterẽ hominem,qui corrũpitur secũdũ desideria erroris[exiliens]ptæ gaudio quod concepit ſpe sanitatis percipiendæ. *Cant.* 2. Ecce iste venit,saliens in mõtibus,trãsiliens colles. quia si etiam claudus fuisset, præ gaudio saltasset: & hoc fuit signum perfectæ fidei,quia aliter gaudium tantum non concepisset.*Isa.* 35. Tunc saliet quasi cerus claudus , & aperta erit lingua mutorum[venit ad eum] Saluatorem & illuminatorem omnium. 1. *Regum.* 25. In die bona venimus ad te.

Respondens Iesus dicit ad eum.] Quintum est, in quo per quæstionem intendit Dominus aliis huius cæci ostendere affectum [quid tibi vis faciam?]Hoc quærit non ignorans,sed vt aliis ostendatur quod non carnale aliquid , sed perceptionem luminis interioris & exterioris habet in desiderio.*Tob.*5. Quale gaudium mihi est qui in tenebris sedeo , & lumen cæli non video ? [Cæcus dixit ad eum]de videndo lumine suum exclamans desiderium. *Eccles.*11. Dulce lumen oculis & delectabile, videre solem [Rabboni]dulcissime magister:qui veritate tua omnes illuminas, qui dixisti *Ioan.* 12. Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris , sed habebit lumen vitæ: qui dixisti *Ioan.* 9. In iudicium ego veni in hunc mundum , vt qui non vident, videant : & qui vident,cæci fiant [Vt videam] *Matth.*20. *Luc.*18. Rabboni vt videam lumen. *Psal.*17. Deus meus, illumina tenebras meas[Iesus autem dixit ei]fons veræ lucis. *Sap.*7. Candor lucis æternæ & speculum sine macula [vade]illuminationis profectu. Et hoc est sextum. *Ps.*88.Domine in lumine vultus tui ambulabunt:& in nomine tuo exultabunt tota die,& in iustitia tua exaltabuntur. *Baruch* 3. Disce vbi sit lumen oculorum & pax [fides tua] qua me posse hoc tibi facere credis [te saluum fecit]& *Luc.*7.Fides tua te saluam fecit, vade in pace[& confestim vidit] hoc est septimum [confestim] quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Et ne putetur per medicinam curatus, statim in momento factum est.Confestim ergo vidit. *Psalm.*118. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua. *Act.*9. Ceciderunt ab oculis eius tanquam squamæ,& visum recepit. *Mich.* 8. Cum sedero in tenebris,Dominus lux mea est[& sequebatur eum in via] fructus est miraculi & vtilitas. *Matth.*8.Sequar te quocunque ieris. Hic enim de cætero lumen sequebatur, ne in tenebris impingeret. *Ioan.*12. Dum lucem haberis, credite in lucem vt filij lucis sitis. *Ephes.* 5. Vt filij lucis ambulate.Hoc enim est primum lucis beneficium vt sequamur lucem.

CAPVT XI.

Et cum appropinquarent Ierosolymæ & Bethaniæ ad montem Oliuarum.

AB hoc loco agere incipit de electione quorundam ad regnum Leonis pertinentium, & de reprobatione aliorum : continentur autem in ea tria capitula,in quorum primo sub metaphora describitur Synagogæ reprobatio , & Ecclesiæ de gentibus electio : in secundo autem meritum reprobationis ostenditur, quod est huius libri capitulum duodecimum ; in tertio

tertio autem,hoc est,tertiodecimo huius libri capitulo , modus reprobationis synagogæ determinatur. Istud autem capitulum in duas diuiditur partes , in quarum prima duplex metaphora reprobandæ synagogæ inducitur : in secunda autem quæstio de potestate huius reprobationis determinatur *ibi* [Et veniunt rursus Ierosolymam, &c.] Prima harum adhuc secundum duplam reprobationis metaphoram in duas partes distribuitur,quarum prima est metaphora inducens inobedientiam legis,propter quam Synagoga reprobatur : secunda autem , ariditatem dulcedinis intellectus spiritualis , propter quam per panem condemnatur sterilitati : quæ incipit *ibi* [Et alia die cum exirent à Bethania , esuriit.] Adhuc autem prior harum in tres scinditur partes , in quarum prima per adductionem pulli indomiti Gentium vocatio,& reprobatio Iudæorum præsignatur : in secunda , per processionem vna fides Patrum & Gentium vocatarum ostenditur *ibi* [Multi autem strauerunt] in tertia desiderium salutis Iudæorum in Christo, & ingratitudo eorundem demonstratur *ibi* [Et intrauit Ierosolymam in templum, & circumspectis,&c.]In prima harum partium tres sunt paragraphi, in quorum primo discipulorum missio continetur : in secundo , obedientia Discipulorum perfecta describitur : & in tertio,electionis Gentium metaphora per sessionem aselli demonstratur.In primo horum paragraphorum duo dicuntur,scilicet,discipulorum missio, & legationis iniunctio. Circa missionem duo attenduntur, scilicet,loci vnde mittuntur opportunitas,& nuntiorum idoneitas. De loci opportunitate tria dicuntur : describitur enim opportunitas ex viæ termino : & describitur opportunitas ex loci in quo missio ordinata est mysterio : & tertio describitur ex loci à quo missio est facta proprio significato.

Dicit igitur[Et cùm]quinque diebus ante pascha, hoc est, die dominica palmarum [appropinquaret IESVS] hoc est , appropinquare inciperet [Ierosolymæ] ad quam tendebat tanquam ad locum passionis. *Matth.*20.*Luc.*18.*Marc.*10. Ecce ascendimus Ierosolymam : & consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis *Luc.*13. Non capit Prophetam perire extra Ierusalem.Hic autem locus opportunus fuit passioni , quia per passionem introitus est ad æternæ pacis visionem, quod Ierusalem interpretatur. *Galat.*4. Illa quæ sursum est Ierusalem libera est, quæ est mater nostra. *Isa. vltim.* In Ierusalem consolabimini , videbitis & gaudebit cor vestrum [& Bethaniæ] locus est in quo ordinatum est de missione ista. *Ioan.*13. Ante sex dies paschæ venit IESVS Bethaniam vbi fuerat Lazarus mortuus quem suscitauit IESVS. Fecerunt autem ei ibi cœnam , & Martha ministrabat : Lazarus autem erat vnus de discumbentibus. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici pretiosi : & fracto alabastro effudit super caput ipsius recumbentis. Et ibi proditor pro vnguenti recuperatione concepit proditionẽ : & Christus ibi ordinauit electorum, per discipulorum legationem,vocationem:& hoc fuit sabbato ante palmas. Hic autem locus non nisi duodecim stadiis distabat à Ierusalem.Opportunus autem fuit : quia Bethania domus obedientiæ interpretatur, & per obedientiam Patris ordinatum est vocationis electorum officium. *Phil.*2. Factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis[ad montem Olueti]*Matt.*21. Cùm venisset Bethphage ad montem Olueti. Bethphage enim casale paruum erat in latere montis Olueti situm : opportunus autem locus fuit vnde talis missio fieret : vnde *glossa.* Hæc in monte Olueti posita esse dicitur : vt Ecclesia per gratiam Dei esse saluanda significetur ; quam vnctione spiritualium charismatum , & scientiæ & pietatis luce fouet. Mons enim Olueti spiritualiũ distributor gratiarum esse significat : & ne absconderetur ciuitas supra hunc montem posita , mittit duos de Discipulis suis,dicens illis : Ite in castellum quod contra vos est. Sic ergo patet huius loci,vnde facta est , ad ipsam legationem conuenientia. *Matth.*5.Non potest abscondi ciuitas supra montem posita. Mons enim est eleuatio potestatis ecclesiasticæ : & fructus oliuæ signat gratiarum in Ecclesia vbertatem. *Cant.*1. Oleum effusum nomen tuum. *Eccles.*9. Oleum de capite tuo non deficiet.

Mittit duos ex Discipulis suis.

Tangitur hic legatorum siue nuntiorum idoneitas : duo autem tanguntur circa hoc , scilicet, mysterium, & informatio æternæ veritatis. Dicit igitur [Mittit] authoritatem dans legationis. *Matth.*10.Ecce ego mitto vos sicut oues.*Luc.*20. Ite : Ecce ego mitto vos [duos] propter geminæ charitatis affectum , sicut dicit *Gregorius* , quia Charitas non minus quam inter duos haberi potest. Vel sicut *dicit gloss.* propter veritatis scientiam,& operis munditiam. *Prouerb.*18.Frater qui iuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. *Eccles.*4. Melius est esse duos quàm vnum : habent enim solatium mutuæ societatis [ex Discipulis suis] quos æternæ informauerat veritatis institutis. *Ioan.*8.Si vos manseritis in sermone meo : Discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem ,& veritas liberabit vos.

Et ait illis : Ite in castellum quod contra vos est:

Et ait illis] iniungens illis suæ legationis officium.2.*Corinth.*5. Legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos[Ite in castellum] Iniuncta hæc tangitur Discipulis legatio. Quatuor autem dicit:legationis processum, legatorum euentum,legationis officium , & legationis iniunctæ statim ad mouendum impedimentum. Primum tangit cùm dicit [Ite] procedendo legationis processu & profectu. *Marc.vltim.* Ite in orbem vniuersum & prædicate Euangelium omni creaturæ. *Iob* 38. Nunquid emittes fulgura,& ibunt ? & reuertentia dicent tibi,adsumus ? ac si dicat, non tu facies hoc,sed ego.Fulgura enim sunt Apostoli tonantes prædicatione,& micantes coruscatione,& feruentes comminatione , & blandientes leni lumine,æternæ vitæ promissione[in castellum]quòd iam propter iniquitatem, ea quæ erat metropolis ciuitas , in castellum humile sit conuersa. *Isa.*1. Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij ? iustitia habitauit in ea , nunc autem homicidæ.Incastellata autem est armis contra Deum ordinatis. *Thren.*3. Circumædificauit aduersum me lapidibus quadris vt non egrediar. *Psalm.*59. Quis deducet me in ciuitatem munitam [quod contra vos est]quia tota se totam parauerat ciui-

tas contra Saluatorem. *Psalm.*54. Vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate : tota die super muros eius iniquitas , & in plateis eius vsura & dolus.Hæ sunt munitiones contra quas mittuntur Apostoli. 2.*Corinth.*10. Consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Christi.

Et statim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatum , super quem nemo adhuc hominum sedit : soluite illum & adducite. Et si quis vobis dixerit: quid facitis ? dicite , quia Domino necessarius est , & continuò illum dimittet huc.

Tangit hic legatorum euentum : dicit igitur [Et statim]in ipso vrbis promtali [introeuntes] quia statim occurrit eis quod quærebant. *Gen.*26. Voluntas Dei fuit , vt citò occurreret mihi quod volebam [illic] hoc est, inibi [inuenietis pullum] *Matth.*21. Inuenietis pullum atinæ super quem nullus hominum sedit. Qui nullo fræno domitus & attractus gentilem significat populum,qui nulla lege frænatus fuerat.*Iob* 11. Vir vanus in superbiam erigitur , & quasi pullum onagri se natum liberum putat. Putabat enim gentilis populus se natum ad libertatem : & ideò nulla lege se frænari permisit [ligatum] multorum vinculis peccatorum. *Prouerb.*5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. *Psalm.*118.Funes peccatorum circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis[super quem] regendum ad honestatem legum[nemo adhuc hominum] ratione vtentium [sedit] domandum & regendum : sed in barbaris scientia (aliàs scientiis) viuit vagans per campos licentiæ.*Psalm.*80.Ibunt in adinuentionibus suis. *Iob* 39. Quis dimisit onagrum liberum , & vincula eius quis soluit? Onager est asinus agrestis cui nullus rationabilium insedit doctorum , vt dicit *Gloss.* [Soluite illum]à vinculis peccatorum. *Matth.*16. Quodcunque solueritis super terram : erit solutum & in cælis. *Psalm.*145.Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.Et absolutum à vinculis peccatorum [adducite mihi] insidendum & regendum.Et hæc est iniuncta legatio. *Ioan.*1. Adduxit eum ad IESVM. *Isa.*60. Tunc videbis & afflues , & mirabitur & dilatabitur cor tuum: quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, & fortitudo gentium venerit tibi. Omnes enim illi per pullum significantur, adducendi per Apostolos.

Et si quis vobis aliquid dixerit] Hoc est,si aliquis vobis aliquid dixerit obiiciens contra pulli solutionem : totus enim mundus contra solutionem pulli istius rationibus armabatur, solutioni contradicens. *Ezech.*1. Audiui post me vocem commotionis magnæ.*Psalm.*92. Eleuauerunt flumina, Domine:eleuauerunt flumina vocem suam, hoc est,defluentes temporaliter infideles. Sic eductioni populi de Ægypto Ægyptij contradixerũt. Sic Pharao contemptus surgit in scandala.*Mat.*21. Si quis vos interrogauerit , dicens [Quid facitis] hoc est, quare hoc facitis. Sicut multi quærunt rationem , quare à libertate vocetur aliquis ad fidem vel religionem ? *Isai.*58. Scire vias meas volunt. *Exod.*5.Nescio Dominum,& Israël non dimittam [dicite] hoc est , rationes fidei ostendite [quia Domino] regendus pullus [necessarius est] Non necessitate Domini,sed necessitate pulli,quia aliter indomitus periret. 1.*Petr.*3. Parati omni poscenti vos rationem reddere de ea quæ in vobis est fide & spe [& continuò] audita fidei ratione [illum] pullum [dimittet huc] adducendum ad me.*Isa.*45.Ego ante te ibo,& gloriosos terræ humiliabo : portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Dominus enim assignata rationabili ratione fidei , humiliat intellectum audientium, & humiliat gloriosos terræ *Philosophos*. Et confringit portas æreas , quando frangit Oratorum eloquentiam per orbem sonantem. Et vectes ferreos confringit , quando acutos syllogismos dialecticæ fidei subdit. Et tunc dimittitur ab eis adducendus ad Dominum,qui ante rationibus phantasticis detinebatur

Et abeuntes inuenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in biuio , & soluunt eum. Et quidam de illic stantibus , dicebant illis ; quid facitis soluentes?

Tangitur hic Discipulorum simplex obedientia : & dicuntur hic quinque : profectus,sermonis prædicti effectus , præcepti impletio, præsentium astantium contradictio,& pulli ad Dominum adductio. Dicit igitur[Et abeuntes]Discipuli à Domino ad obedientiæ perfectionem.*Ezech.*1. Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis.Nulla enim erat dubitatio, nulla interrogatio, quo minus iniunctæ obedientiæ opus non statim perficeretur in impetu charitatis & feruore spiritus[inuenerunt pullum]liberum, nullo iugo obedientiæ pressum , nullo fræno alicuius legis frænatum [ligatum] loris suorum peccatorum & lasciuiarum. *Osea* 4. Ligauit eum spiritus in alis suis , hoc est , spiritus fornicationis & lasciuiæ. 2.*Paral.p.vltim.*Ligatus sum multo vinculo ferri: & non est respiratio mihi [ante ianuam] hoc est, ante fidei principia & articulos per quos est ingressus in Ecclesiam.*Ioan.*10.Ego sum ostium:per me si quis introierit saluabitur,&pascua inuenier. *Genes.*24. Ingredere benedicte Domini , cur foris stas ? Quia foris est qui est ante principia fidei & ante Christum [in biuio]hoc est , in libertatis arbitrio : quia poterat intrare & diuertere quo volebat. *Eccl.*15. Ante hominem vita & mors, bonum & malum : quod placuerit ei, dabitur illi. Ad literam tamen sicut alibi diximus erant ibi ligata animalia onerifera:vt pauperes qui ad diem solennem ascenderant , & lassati in via perficere iter non poterant illis veherentur. Vel fortè onera habebant ad ritus sacrificiorum pertinentia,animalibus illis communibus veherentur : vt sacrificiorum vsus in tanta haberetur solennitate. Sed primum est : quod mysterium est de intentione Domini [& soluunt eum] Ecce obedientia. *Psalm.*115.Dirupisti vincula mea:tibi sacrificabo hostiam laudis.

Et quidam de illic stantibus dicebant] Sicut Athenienses dixerunt Paulo *Act.*17. Possumus scire quæ est hæc noua,quæ à te dicitur, doctrina, noua enim quædam infers auribus nostris [Quid facitis soluentes pullum] hoc est, quare hoc facitis ? quia paternas leges & consuetudines relinquitis,

quitis,& noua quædam & hactenus inaudita seruare vultis.*Ioan* 9.Tu Discipulus eius sis, nos vero Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus , hunc vero nescimus vnde sit [qui] Discipuli [dixerunt illis] taliter obiicientibus[sicut præceperat Dominus]omnem obiectionem eorum & laqueum dissoluentes. *Psal.* 14.Ad nihilum deductus est in conspectu eius maligus; timentes autem Dominum glorificat [& dimiserunt eos]nihil vlterius obiicientes. 1.*Reg.*2. Impij in tenebris ignorantiæ conticescent : quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Et adduxerunt pullum ad Iesum: & ponunt illi vestimenta sua , & sedit super eum.

Perfectio est obedientiæ Discipulorum. *Psal.* 35.Homines & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiã tuam Deus. *Psal.*51.Vt iumentum factus sum apud te , & ego semper tecum. Pullus enim licentiose liber, quem nullum præceptum legis diuinæ domuerat , & quem nulla lex humana ordinauerat ad disciplinam : adducitur autem, quando frænum legis imponitur , & regimini diuino præparatur. Hoc significatur *Ioan.*1. Vbi dicit Andreas fratri suo Simoni:inuenimus Messiam,qui dicitur Christus,& adduxit eum ad Iesum. Ad literam etiam Philippus putatur fuisse vnus ex Discipulis qui missi fuerunt ad pullum adducendum,quia ipse primus gentilem adduxit eunuchum reginæ Candacis. Alter autem putatur fuisse Petrus , qui adduxit Cornelium centurionem *Act.*10. Tanguntur autem tria adhuc, scilicet,pulli adductio , stramenti præparatio,& Domini insessio.Primum fit per fidei prædicationem : secundum per exempli & virtutis informationem : tertium autem per Domini in regimine gubernationem.

Dicit igitur [& adduxerunt pullum ad Iesum] fidem gentibus prædicando [& imposuerunt illi] pullo pro stramento[vestimenta sua]vt in eis Dominus molliter sederet. Vestimentum autem quod sic ad substernendum est aptum vocatur stragulum , à stramento sic vocatum. *Prou.*31.Stragulatam vestem fecit sibi. Hoc autem spiritualiter fit, quando Doctor talia exhibet exempla , quæ super alio poni possunt per impositionem. 1. *Regum* 18. Expoliauit se Ionathas tunica sua vsque ad gladium & balteum.Quia gladium verbi Dei in prædicationis officio , & balteum in prælationis Ecclesiasticæ fastigio, prælatus subdito communicare non debet. Quædam tamen *Glossa* dicit, quod vestimenta significant corpora Sanctorum : quæ pro confirmatione multi martyres straverunt , vt viam gentilibus ad fidem præpararent.*Prouer.vlt.* Byssus & purpura indumentum eius. Byssus in candore innocentiæ, & purpura in sanguinis rubore. *Apocal.*3. Qui non inquinauerunt vestimenta sua cum mulieribus , ambulabunt mecum in albis : quia digni sunt [& sedit Dominus super eum]hoc est,pullum,de cætero fræno Domini regendum.*Zachar.*9.Exulta satis filia Sion , iubila filia Ierusalem , ecce Rex tuus venit tibi iustus & Saluator : ipse pauper & ascendens super pullum filium asinæ. Isti sunt nitentes asini , quibus insident pugnatores Diaboli doctrinis & exemplis Apostolicis strati. *Iudic.* 5. Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in iudicio & ambulatis in via.

Multi autem vestimenta sua straverunt in via : alij autem frondes cædebant de arboribus , & sternebant in via.

Tangitur hic ordinata Domini processio , per quam vna fides Gentium vocatarum & Patriarchatum demonstratur: vt inserti sciantur esse in radicem oliuæ. *Rom.*11. Tu contra naturam insertus es in bonam oliuam , & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. Habet autem hæc processio tres partes:quidam enim viam præparando suauem viam fecerunt:alij viam ornauerunt:tertij laudes vnitatem fidei declarantes decantauerunt. De primis dicit[multi autem] procedentium cum Domino ad festum Paschæ [straverunt vestimenta]indumentorum , vel exemplorum , vel corporum[in via]vt molliter & pulchrẽ iumentum incederet vehens Dominum , & ad duritiem & inæqualitatem lapidum sub Domino non calcitraret : vnde *Gloss.* vt inoffenso pede pullus transiret. Per indumentum enim pullus non calcitrat , & per virtutis exemplum asininus homo rudis molliter in vita Ecclesiastica pedem ponit,& per corpora martyrum nẽ cadat in fide confirmatur. *Isa.* 40. Parate viam Domino. *Iob* 35. Nonne vestimenta tua calida sunt cum perflata fuerit terra austro? *Apocal.*16. Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet. *Eccles.*9.Omni tempore sint vestimenta tua candida [Alij autem cædebant frondes]virides [de arboribus] vt viam ornarent [& sternebant in via]Hæ autem frondes signant virides patrum sententias de Christo promulgatas,& flores virtutum.*Eccles.*24.Rami mei honoris & gratiæ.*Matth.*21.& *Ioan.*12. Alij ramos de arboribus prosternebant.*Leuit.*23. Sumeris vobis fructus arboris pulcherrimæ : spatulasque palmarum & ramos ligni denarum frondium , & salices de torrente : & lætabimini coram Domino Deo vestro,& celebrabitis solemnitatem.

Et qui præibant & qui sequebantur clamabant dicentes: Hosanna , benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid: Hosanna in excelsis.

Hic tangit de laude:tangit autem duo:diuersitatem laudantium,& vnitatem laudis. De primo dicit [& qui præibant] in via ante Dominum qui signant patres præcedentes primum aduentum. *Genes.*32.Antecedite me & sit spatium inter gregem & gregem. Decebat enim (*vt dicit August.*) vt magnus rex veniens , multis antecedentibus eum præconibus prænuntiaretur [& qui sequebantur]Christi in carne aduentum vsque in finem seculi. *Dan.* 3. Nunc sequimur te in toto corde nostro, & timemus te : & quærimus faciem tuam [clamabant dicentes]tangitur hic vnitas laudis in tribus,scilicet, prædicatione venientis , & in prædicatione potestatis,& in desiderio salutis. In primo dicuntur tria:intentio denotionis,præconium venientis , confessio maiestatis. De primo dicit [clamabant]quod intentionem significat denotionis;

nis. *Isa.6.* Commota sunt superliminaria domus à voce clamantium. Quia iste clamor nouæ gratiæ commotionem & finem significabat templi Synagogæ. *Psal* 26. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo & psalmum dicam Domino [dicentes] in desiderio salutis [Hosanna] *Glossa* Hosanna verbum Hebræum, & compositum ex integro & corrupto. O si enim salua, vel saluifica: anna autem interiectio est deprecantis. Denique in *Psalm.* 117. Vbi septuaginta interpretes transtulerunt. O Domine saluum me fac, ibi in Hebræo habetur Anna, adonai, Hosanna. Quod noster *Hieron.* ita transtulit. Obsecro Domine salua, obsecro. Idem ergo est osi Domine per interiectionem obsecrantis, quod obsecro Domine per ipsum verbum obsecrationis. Hæc *gl.* videtur esse magistralis: & secundũ hãc expositionem vox clamantium in desiderio salutis videtur alludere nomini Saluatoris. Iesum enim Saluatorem deprecantur vt saluificet, ne significatio nominis ab effectu cadat Saluatoris. 2. *Paralip.vlt.* Indignum saluabis me secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Hæc autem salus facta est per Passionem ad quam ibat. *Psal.* 45. Saluasti enim nos ex affligentibus nos: & eos qui nos oderunt confudisti.

Benedictus] præconium est venientis. Dicitur autem benedictus non passiuè, quod ab aliquo vt maiore acceperit benedictionem: sed quia vt omni benedictione plenus, etiam in maledictis benedictio ab ipso profluxit. *Ec.lesia,* 39. Benedictio illius quasi fluuius inundauit, & quomodo cataclysmus aridam inebriauit. Hæc autem benedictio tria facit, scilicet, quia maledictum primum in benedictionem commutat. *Genes.* 25. In me sit ista maledictio: tantummodo pergens affer quæ dixi. Secundo omnibus bonis nos implet: quia sicut dicit *Greg.* Benedictio Dei est bonorum collatio, & eorundem multiplicatio. Vnde etiam ipse veritatis inimicus hæc dicit *Iob* 1. Operibus manuũ eius benedixisti, & possessio eius impleuit terram. *Deut.* 33. Nephthalim abũdãtia perfruetur plenus benedictionibus Domini. Nephthalim latitudo interpretatur: quia bonis Domini dilatamur. Tertio benedictio Domini munit & tutat contra hostem: *vnde Genes.* 32. Cùm Iacob timeret hostes dixit Domino: non dimittam te nisi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco, dicens: si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis? Sic ergo clamant eum benedictũ, omnibus benedicentem. *Genes.* 12. In te benedicentur omnes gentes [qui venit] in præterito quidem venit in mundum, sed modo venit ad patiendum & immolandum: & per Resurrectionem ad regnandum. *Psal.* 117. Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.

In nomine Domini] professio est maiestatis: in nomine enim Domini venire est notam diuini dominij in se omnibus ostendere, sicut Christus venit in omni maiestate Patris, notata & expressa per modum signorum: hæc enim fecit absque claue supplicationis sicut potestatem habens. 1. *Tim.* 6. Beatus & solus potens, Rex regum: & Dominus Dominantium. *Apocal.* 19. Habens in vestimento & in femore suo scriptum: Rex regum & Dominus dominantium. Sic ergo venit in nota & nomine Domini, omnibus superpositis diues in omnes in omni gratia: & non nutantis virtutis qui suos continere valeat, ne vnquam ad scabellaria, quæ conculcanda sunt, inclinentur. De primo horum dicitur *Psal.* 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius. De secundo 1. *Corinth.* 1. In omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo & in omni scientia: ita vt nihil desit vobis in vlla gratia. De tertio *ibidem.* Qui confirmabit vos vsque in finem sine crimine. Hæc enim tria (vt dicit *Dionysius*) sonat nomen Domini: dicit enim sic, Dominus est non peiorum siue inferiorum excessus tantum: sed & omnium pulchrorum & bonorum possessio firma, & non cadere valens fortitudo. Sic ergo venit in nomine Domini: & hoc est præconium venientis.

Benedictum quod venit regnum] hæc est prædicatio potestatis. Regnum enim nihil aliud est nisi completa & vnica in omnes potestas continendi in legibus, & officiorum ordine, & virtutibus & potestatibus omnes subiectos. Dicit enim *Dionysius*, quod regnum est omnis finis, & ordinis, & legis distributio Hoc ergo incipit in gratia in Christo in quo sui continentur & reguntur in omnis finis & boni perfectione, & in omni graduum & dignitatum & officiorum diuinorum ordine, & in omni diuinarum legum honestissima distributione, quæ pro locis & temporibus & personis vnicuique secundum propriam dignitatem distribuuntur. *Psal.* 144. Regnum tuum, regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem. Hoc regnum dicitur esse [Dauid patris nostri] quia in ipso est præfiguratum, qui est secundum cor Dei electus. 1. *Reg.* 16. & *Act.* 7. Inueni Dauid virum secundum cor meum, qui faciet omnem voluntatem meam. Et in nomine Dauid est perfectum: quia vt manu fortis suos continet, & in aspectu desiderabilis plenas omnibus largitur donationes gratiarum. Et de fortitudine quidem dicitur *Isa.* 19. Rex fortis dominabitur eorum. *Exod.* 15. Quis similis tui in fortibus Domine? De desiderio autem benignam & largissimam faciem eius videndi dicitur *Esther.* 15. Valde mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum. Et hoc dictum est de eo de quo dicitur *Esther* 3. Largitus est munera iuxta magnificentiam principalem. *Ephes.* 4. Dedit dona hominib. Sic igitur Benedictũ est quod venit in Christo regnum patris nostri Dauid; quia rex iste non vt tyrannus opprimit, sed in affectu patris suos diligit. *Ierem.* 3. Patrem vocabis me: & post me ingredi non cessabis. *Isa.* 64. Pater noster es tu: nos vero lutum, & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. *Ioan.* 8. Vnum patrem habemus Deum. *Vnde Gloss.* Hoc consonat Gabriëli qui ait. Hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: vt scilicet, gentem quam Dauid temporaliter rexit, & cui exempla iustitiæ præbuit, & spiritualibus hymnis ad fidem & Dei timorem accendit: ipse factis, verbis, donis, & promissis ad regnum cæleste regeret; & ad regnum cæleste introduceret.

Hosanna in excelsis] ingeminatio est desiderij salutis. Quod dicit [in excelsis] signum est quod in inferioribus non est salus, sed multiplex periculum: sed in excelsis (quæ sola cælestia sunt) salus sine periculo inuenitur. *Iob* 17. Libera me Domine, & pone me iuxta te: & cuiusuis manus pugnet

gnet contra me. Vel per hoc quod dicitur [in excelsis] hic signatur per primum Hosanna quod Christus rex est in terra vniuersa per fidem & gratiam. Per hoc autem quod additur hic [in excelsis] significatur quod non tantum in terris, sed etiam in cælestibus Christus regnat: quia per eum ea quæ in terris & in cælo sunt instaurantur. *Eph.* 1. Vnde *gloss.* per hoc quod iungitur [Hosanna in excelsis] quod est salus, significat quod aduentus Christi non solum hominum salus, sed totius mundi: terrena iungens cælestibus, vt ei omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum. Sic igitur dicitur [Hosanna in excelsis] Et hîc terminatur laus istius processionis. Multa autem de his notata sunt *Matth.* 21. *Luc.* 20. & *Ioan.* 12. quæ ibi requiri habent, quia magis ibi competunt quàm hîc: Hæc historia enim de primo est canone, in quo omnes Euangelistæ conueniunt. Factum autem est illud in die palmarum, quinque diebus ante pascha Iudæorum.

Et introiuit Ierosolymam in templum: & circumspectis omnibus cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

Hîc ostenditur desiderium salutis Iudæorum in Christo, & ingratitudo Iudæorum ad tantum beneficium. Dicuntur autem hîc duo, quorum vnum est beneficium quod impendit Dominus ad salutem procurandam: secundum autem est ingratitudo quam Iudæi impenderunt Saluatori. Dicit igitur [Et intrauit] IESVS vt exhiberet salutem [Ierosolymam] vbi fuit metropolis Iudæorum [in templum] in quo fuit exhibenda Iudæis salus. *Psalm.* 47. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. *Malach.* 3. Statim veniet ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis: & Angelus testamenti, quem vos vultis. In hoc autem introitu sicut dicitur *Matth.* 21. & *Ioan.* 2. & *Luc.* 19. Eiecit vendentes & ementes, sicut infra continetur: & in loco solenni se exhibuit ad docendum salutis viam. *Isa.* 2. De Sion exibit lex & verbum Domini de Ierusalem. *Ioan.* 18. Ego semper docui in templo in quo omnes Iudæi conueniunt, & in abscondito locutus sum nihil.

Et circumspectis omnibus] Tangitur hic Iudæorum ingratitudo, quia Doctorem salutis etiam hospitio recipere noluerunt: & hoc est [circumspectis omnibus] Omnes circumspicit qui nihil habuit de proprio vbi hospitaretur: sed omni beneuolentia indiguit. 2. *Corinth.* 8. Scitis enim gratiam Domini nostri IESV CHRISTI: quoniam propter nos egenus factus est cùm esset diues, vt vos illius inopia diuites essetis. *Psalm.* 87. Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea. *Matth.* 8. Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. *Hieronymus.* Ergo circumspicit siquis sit tantæ egestatis auxiliator & consolator. *Psalm.* 68. Consolantem me quæsiui, & non inueni. *Eccli.* 51. Respiciens eram ad adiutorium hominum & non erat [cum iam vespera esset] quod erat tempus declinandi ad hospitium. *Luc.* 24. Mane nobiscum Domine quoniam aduesperascit. & inclinata est iam dies. Tunc enim vt dicit *gloss.* circumspexit, siquis eum hospitio susciperet. Tanta enim paupertatis fuit vt hospitio indigeret: & ita nulli adulatus, vt in tanta vrbe nullum hospitium inueniret: & ideò [cum iam vespera esset hora] & nullus eum colligeret [exiit in Bethaniam] vbi recipi consueuit in domum Marthæ & Mariæ & Lazari: quinque enim diebus semper in sero exiit in Bethaniam in vespera, & iterum manè rediit ad templum ad docendum [cum duodecim] qui magis quàm alij erant instruendi. In manè autem semper venit ad templum. *Psalm.* 5. Adorabo ad templum sanctum tuum. Vnde *gloss.* Exemplum dedit nobis vt quocunque veniremus, primum ad domum orationis, si ibi est, diuertamus: & cùm nos per orationis studium commendauerimus, ad ea propter quæ venimus agenda secedamus. *Matth.* 6. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius: & omnia hæc adiicientur vobis.

Et alia die cum exirent à Bethania esuriit. Cùmque vidisset à longe ficum habentem folia, venit si quid fortè inueniret in ea: & cùm venisset ad eam, nihil inuenit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: iam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet: & audiebant Discipuli eius.

Hîc per similitudinem ficus aridæ reprobatio inducitur Synagogæ: diuiditur autem pars ista in tres partes, in quarum prima per similitudinem ficus, maledictionem inducit synagogæ: in secunda autem causam istius inducit maledictionis *ibi* [Et veniunt Ierosolymam] In tertia autem ex hoc inducit instructionem Prælatorum & Ecclesiæ *ibi* [Et cùm vespera esset facta] Adhuc autem in prima harum sunt quinque, in quorum primo desiderium salutis Synagogæ exprimitur in Domino: in secundo, promissio fructus significatur in Synagoga: in tertio, sterilitas & euacuatio dulcedinis demonstratur: in quarto, sterilitati perpetuæ addicitur: & in quinto, Discipuli hoc ad instructionem suam audisse perhibentur. Dicit igitur [Et alia die] hoc est, alia die, cum secunda lux fulgeret in prædicatione Discipulorum quæ primo fulserat in prædicatione ipsius [cum] Christus luce prædicationis Discipulorum [exiret] iterum ad notitiam hominum [à Bethania] sicut per obedientiam iniunxerat ei Pater [esuriit] salutem Iudæorum & dulcedinem intellectus spiritualis. *Mich.* 7. Præcoquas ficus desiderauit anima mea.

Cùmque vidisset] Secundum est quasi à lumine suo [à longe] per peccatum elongatam. *P.* 118. Longe à peccatoribus salus [ficum] hoc est, ficulneam [habentem folia] quorum viriditas fructum promittit. Quia, sicut dicit *Philosophus*, Folia plantis ad cooperiendum fructus data sunt. *Matth.* 21. Nihil inuenit in ea. Folia enim quæ sunt verba literæ, dulcedinem promittentis significant Synagogæ. Quia igitur foliis fructum promisit [venit] visitando per se, & visitando synagogam per Apostolos [siquid] fructus dulcis [fortè] quod significat arbitrij libertatem [inueniret in ea] *Isa.* 5. Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. *Ierem.* 17. Erit quasi myricæ in deser-

to,& non videbit cum venerit bonum : sed inhabitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili.

Et cum venisset ad eam]in Prophetis, & in se, & in Apostolis tanquam tribus annis continuis. *Luc.*13. Ecce tres anni sunt ex quo vado quærens fructum in ficulnea & non inuenio. Succide ergo eam : vt quid etiam terram occupat [nihil inuenit]de fructu[præter folia] verborum,quæ & ipsa sine fructu erant defluentia. *Prouerb.*14. Vbi plurima sunt verba,ibi frequenter egestas est in opere [non enim erat tempus ficorum.] Hic quamuis sit ficus sine culpa, quia quando non est tempus, fructum non habet : tamen Synagoga,est per culpam, quod culpa sua tempus fructificationis neglexit. *Luc.*19. Non cognouisti tempus visitationis tuæ. Et quia hoc ex culpa neglexit, propter quod maledicenda fuit : tamen ex dispensatione Domini aliud tempus fructificationis ei ordinatum fuit,hoc est,finis mundi : in quo fructificabit. *Rom.*11.Cæcitas contigit in Israël donec pleniudo Gentium intraret : & sic omnis Israël saluus fieret. Et pro his duobus temporibus dicit *Ier.*24. Quid tu vides Ieremia? & dixi ; ficus, ficus bonas bonas valde : & malas,malas valde : quæ comedi non possunt eo quod sint malæ.

Et respondens Iesvs]virori in foliis sine fructu dulcedinis spiritualis [dixit ei] fulcineæ [Iam non amplius in æternum] spem ponens in ceremoniis tuis [ex te quisquam fructum manducet] tuæ obseruationis & cultus,quia in Passione Domini facta sunt ceremonialia mortua : & postquam hoc prædicatione Apostolorum vulgatum est, facta sunt etiam mortifera : & hoc significatum est 4.*Reg.* 4. Mors in olla,mors in olla serue Dei. Quia mortua sunt ceremonialia in synagogæ olla decocta, & facta sunt mortificantia : & ideò nisi farina spiritus immittatur in ollam, in dulcedinem refectionis conuerti non potest.

Et audiebant Discipuli eius] hoc est, per auditum verbi virtutem acceperunt : quia ex hoc fuerunt instruendi.*Rom.*10. Fides ex auditu : auditus autem per verbum Christi. Et hoc est quod intendit. Quod ergo ficus sic aruit, est quod dicitur *Iob* 5. Ego vidi virum stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim. *Psal.*36. Vidi impium sublimatum & eleuatum sicut cedros Libani : & transiui, & ecce non erat : quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

Et veniunt iterum Ierosolymam. Et cùm introisset in templum, cœpit eiicere vendentes & ementes in templo,& mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. Et non sinebat vt quisquam transferret vas per templum.

Hic ostenditur causa quare maledicta est inducta ficus, & qualiter meruit addictionem perpetuæ sterilitatis : quia scilicet, sacramenta Dei & templi in lucrum conuertit suæ auaritiæ & cupiditatis.*Osee* 9.Percussus est Ephraim,radix eorum siccata est,nequaquam fructum faciet. *Psalm.*51. Euellet te & emigrabit te de tabernaculo tuo : & radicem tuam de terra viuentium. Dicuntur autem hic principaliter tria, in quorum primo tangit peruersorum propter auaritiam in templo inordinationem: secundò zelum Christi inordinationem illam euertentem & vlciscentem:tertiò tangit ad suam vltionem scripturam concordantem. Dicit autem [Et veniunt Ierosolymam] in tanta processionis & laudis prosecutione [& cùm introisset in templum] secundum suam consuetudinem : quia semper locum Dei visitare consueuit.*Gen.*26.Verè Dominus est in loco isto.*Ps.*67. Deus in loco sancto suo.

Cœpit eiicere]Propter festum enim multi conuenerant vendentes in atrio templi exterioris ea quæ ad ritus sacrificiorum pertinebant : & hoc Sacerdotes procurabant & sinebant, vt lucrum acciperent sacrificiorum. Alij autem emebant qui delongè venerant, & secum animalia ad ritum sacrificiorum pertinentia adducere non poterant: sed appensa pecunia ea inibi comparabant. Et hoc est quod dicit [cœpit eiicere vendentes & vendentes] Qui simoniacos in Ecclesia Dei designant. *Psalm.*70.Quoniam non cognoui negotiationem,introibo in potentias Domini : Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. *Chrysostomus.* Qui negotiator est, eiiciatur de Ecclesia:quoniam scriptum est. Quoniam non cognoui negotiationem, &c. Difficile negotians exuitur à negligentia. *Chrysostomus.* Sicut cum cribratur triticum,in fine nihil remanet nisi puluis : sic inter emptionem & venditionem in contractibus mercatorum, tandem nihil remanet nisi peccatum. *Eccli.*27.Sicut in pressura cribri remanebit puluis, sic peccatum hominis in cogitationibus [& mensas nummulariorum euertit] Qui ibi sedebant vt ad vsuram accommodarent his qui non habebant de promptu sacrificia comparare. Horum ergo mensas euertit & æs effudit. *Ioan.*2. Nummulariorum effudit æs [& cathedras] hoc est, sedes [vendentium] columbas ad ritus sacrificiorum pertinentes [eiecit] Qui significant eos qui vendunt dona Spiritus sancti in dignitatibus ecclesiasticis. *Gloss.* Qui honores vendunt & gradus emunt. *Act.*8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia putasti donum Dei pecunia possideri [& non sinebat] zelo Dei succensus : facto flagello de tribus funiculis. *Psalm.*68. Zelus domus tuæ comedit me [vt quisque transferret vas per templum] *Gloss.* Commune immundum mercandi gratia : non Deo dicatum. *Isa.*52. Mundamini qui fertis vasa Domini. *Psalm.*92. Domum tuam Domine,decet sanctitudo in longitudine dierum.

Et docebat eos dicens : nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus Gentibus? vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quo audito : Principes Sacerdotum & Scribæ quærebant quomodo eum perderent. Timebant enim eum, quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius.

Et docebat eos dicens] scripturam ad vltionem suam concordantem : habet autem duos paragraphos, in quorum primo confirmans factum domini scriptura inducitur : secundo malignitas Scribarum & Pharisæorum contra factum Domini excitatur. Dicit ergo [Nonne scriptum est]

*Isa.*56.[quia domus mea] in qua inuocatum est nomen meum [domus orationis est] sicut & Salomon dedicauit eam longa oratione 3. *Reg.* 8. [cunctis Gentibus] *Augustinus in regula.* In oratorio nemo aliud agat nisi ad quod factum est : vnde & nomen accepit. *Psalm.* 137. Adorabo ad templum sanctum tuum. *Act.*3.Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. *Dan.*6.Daniel tribus vicibus per diem orauit contra templum. Quod autem dicit[cunctis Gentibus] statum futuri templi Ecclesiæ significat : quia in templo Synagogæ Gentes non adorabant. *Isa.*2. Erit mons domus Domini in vertice montium,& eleuabitur super colles : & fluent ad eum omnes Gentes.*Isa.*60.Ambulabunt Gentes in lumine tuo.

Vos autem fecistis illam] increpatio est sacerdotum & Pharisæorum qui sedentes in templo per dispensationem sacramentorum insidiabantur bursis simplicium. *Ierem.*7. Nunquid spelunca latronum facta est domus hæc, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris:*Isa.* 5. Iustificatis impium pro muneribus : & iustitiam iusti auferris ab eo.*Isa.*1. Principes tui infideles, socij furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. *Osee* 6. Quasi fauces virorum latronum, particeps Sacerdorum in via interficientium pergentes Sichem:quia scelus operati sunt. Intendit dicere quod comedebant pauperes, & mandebant pro sacrificiis & oblationibus, sicut pauperes comeduntur à viris,hoc est,vitilibus & violentis latronibus : & quod participant hoc vitio cum latronibus Sacerdotes, qui socij furum erant & in via eos qui ad templum ibant in solemnitatibus interfecerunt:vt auferrent ab eis pecuniam quam ad solemnitatū deferebant:&hoc non prohibebāt Sacerdotes, quia cum latronibus participabant: & hoc est quod dicit[vos autem fecistis illam speluncam latronum] *Psal.*9. Quasi leo in spelunca sua insidiatur,vt rapiat:rapere pauperem dum attrahit eum.1.*Reg.*2.Nunc dabis, alioquin tollam vi. Ita dicebant filij Heli : retrahentes homines à sacrificio Dei.

Quo audito] hic in malitia resurgunt contra patrem paternè filios corrigentem, sicut filij adulterij qui in disciplina patris esse renuerunt.*Hebr.* 12.Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti estis omnes:ergo adulteri & non filij estis [Principes Sacerdotum] summi Pontifices Annas & Caïphas : qui tunc erant in potestate summi Sacerdotij. *Dan.*13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. 1.*Esd.*9.Manus magistratuum fuit in transgressione hac prima[& Scribæ] qui falso nomine scientiæ gloriabantur.1.*Corinth.*8.Scientia inflat.*Eccl.* 1.In multa sapientia multa est indignatio : & qui addit scientiam, addit & dolorem [quærebant] modum & occasionem & opportunitatem [quomodo]opportunè eis[eum traderent] publicæ potestati condemnandum. *Matth.*26. Principes Sacerdotum & Scribæ quærebant consilium quomodo Iesum dolo tenerunt & occiderent. *Amos* 5.Odio habuerunt corripientem in porta : & loquentem perfectè abominati sunt[timebant enim eum]quia sicut dicitur *Sap.*17. Timida est nequitia, quia veritatem & iustitiam non habet se sufficientes.*Matth.* 26. Timebant vero plebem [quia vniuersa turba] simplicis populi [admirabatur] suspensa ad veritatem : nullus enim admiratur ad puram falsitatem & mendacium [super doctrina eius]quia sicut dicitur *Matth.*7.Loquebatur sicut potestatem habens. *Psal.* 138. Mirabilis facta est scientia tua ex me : confortata est,& non potero ad eam.

Et cùm vespera facta esset, egrediebatur de ciuitate. Et cùm mane transirent, viderunt ficùm aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei:Rabbi, ecce ficus cui maledixisti,aruit.

In hac parte ex præinductis instructionem inducit prælatorum Ecclesiæ : habet autem tres paragraphos, in quorum primo inducitur manifestus verbi Domini effectus : in secundo de hoc tangitur admiratio Principis Apostolorum & totius Apostolici cœtus : in tertio ex his inducitur instructio veri intellectus. Dicit igitur in primo horum tria:hospitalitatis Iudæorum redargutionem.Domini instantiam ad salutis oblationem,& verbi quod dixerat manifestam verificationem. Dicit ergo[& cùm vespera esset]& hora hospitandi:nullo eum vocante ad hospitium [egrediebatur de ciuitate]vt non collectus ad hospitium. *Matt.* 25.Hospes eram, & non collegistis me. *Iudic.*19. Nunc vadimus ad domum Dei : nullusque sub tectum suum vult nos recipere [& cùm mane transirent]de Bethania versus Ierusalem salutis monita ingratis offerre & ingerere[cum Discipulis]qui ex omnibus instruendi erant[viderunt] Discipuli [ficum]hoc est, ficulneam[aridam factam]omni humore fœcundæ dulcedinis destitutam à radicibus,hoc est, à fundamentis quæ erant Sacerdotes & Scribæ.*Ierem.*23.A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super omnem terram. *Ezech.* 16. Radix tua de terra Chanaan. *Iso.*40. Neque radicato neque plantato in terra trunco eorum : repente flauit in eos,& aruerunt. *In canonica Iude.* arbores autumnales,infructuosæ,bis mortuæ,eradicatæ. Bis mortuæ dicit,quia in naturali lege, & lege scripta mortui erant : & ideò dicitur *Luc.* 3. Iam securis ad radicem arboris posita est : omnis arbor quæ non facit fructum bonum,excidetur & in ignem mittetur.

Et recordatus Petrus]*Matth.*26.Recordatus est Petrus verbi quod dixerat Iesus[dixit ei]Christo pro se & pro omnibus aliis [Rabbi] Magistrum vocat cuius cupit instrui disciplinis. *Ioan.*3. Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister [ecce] in euidenti est per effectum demonstratum [ficus cui maledixisti] per imprecationem & prædictionem sterilitatis.*Ierem.*17. Non videbit cùm venerit bonum :sed habitabit in siccitate in terra salsuginis & inhabitabili [aruit] *Sap.*4. Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas.

Et respondens Iesus ait illis : habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicunque dixerit huic monti : tollere & mittere in mare, & non hæsitauerit in corde suo,sed crediderit, quia quodcunque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis:omnia quæcunque orantes

petitis, credite quia accipietis:& euenient vobis.

Hic inducitur instructio Apostolorum ex siculnea arefacta:& habet in se tria,in quorum primo iuxta factum inductum generale dat fidelium documentum: in secundo ex illo infert specialem Apostolorum orationis effectum:in tertio vt efficaciter impetrent docet orationis modum:& hæc parent in litera Dicit igitur in primo tria: primò enim quia secundum humanum iudicium, hoc quod dicit habet dubitationem in sermone, præmittit confirmationem: secundò inducit maioris miraculi promissionem: tertiò dicit fidei in qua totum hoc impetratur firmitatem. Dicit igitur [habete fidem Dei]hoc est, fidem quæ est in Deũ, & de Deo, & quam dedit Deus.1. *Corinth.* 13. Si habuero omnem fidem:ita vt montes transferam. Fides enim eo quod omnipotentiæ innititur,omnia potest in operibus miraculorum [Amen dico vobis] vtitur confirmatione: & loquitur de fide formata & opportunitate temporis, quando necessarium est fieri miracula[quia quicunque dixerit] fidem formatam habens in tempore quo hoc opportunum est Ecclesiæ [huic monti]quem impossibile est moueri per fortitudinem humanam [tollere]ad literam per loci mutationem [& mittere]per Dæmones vel Angelos[in mare] vt mare impleatur. *Matth.* 17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis:dicetis monti huic transi hinc, & transibit: & nihil impossibile erit vobis. *Luc.*17. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare & transplantare, & obediet vobis.

Si autem aliquis obiiciat quod modo ad petitionem fidelium miracula non fiunt. Dicimus quod modo non est tempus: quia iam plantata est Ecclesia. Alia etiam causa est, quam dicit *Damascenus*:Quia indignos nos voluptatum passionibus fecimus: & ideò nec ex parte facientium, neque ex parte eorum pro quibus fiunt, modo possunt fieri miracula. Adhuc quia, sicut dicit *Apostolus* 1. *Corinth.*14. Signa data sunt non fidelibus,sed infidelibus. Et ideò multiplicatis iam fidelibus,signa sunt subducta nõ in toto, sed quod crebra iam non sunt vt fuerunt. Quædam tamen *Gloss.* exponunt illud mysticè: quod videlicet, mons sit superbus Dæmon in corde.*Ierem.*51.Ecce ego ad te mons pestifer,qui corrumpis Gentes: & euoluam te de petris tuis, hoc est,de duris cordibus.Huic ergo monti dicunt fideles verbo prædicationis igniti eloquij quod transplantetur de duris cordibus hominum in mare amaritudinis pœnitentiæ vel inferni:& fit frequenter hoc quod dicitur in *Psal.*67. Dixit Dominus ex Basan conuertam: conuertam in profundum maris. In tali autem petitione fides impetrans est causa: & hoc est quod dicit [& non hæsit auerit in corde suo] per fidei dubitationem vel modicitatem. *Iacob.*1. Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitauerit similis est fluctui maris,qui à vento mouetur & circunfertur. Non ergo existimet ille homo quod aliquid sit accepturus à Deo.Propterea dicit Petro *Matth.* 14. Modicæ fidei quare dubitasti [sed crediderit] *Marc.*5. Noli timere, sed tantummodo crede. 2.*Paralip.*20. Confidenter state, & Dominus pugnabit pro vobis. *Marc.* 9. Si potes credere,omnia possibilia sunt credenti.Hoc autem habet fides potius quàm spes, vel charitas: quia fides innititur omnipotentiæ, quod nulla alia facit virtus: & ideò veritas omnipotentiæ in ipsa operatur,& per opera omnipotentiæ fides probatur: sicut & charitas probatur per bonitatem, & spes per largitatem. Si ergo quis sic credens petierit[quodcunque]orando Patri cælesti [dixerit: fiet ei]aut in ipsa re petita, si est opportunum & vtile: aut in æquiualente, si forte hoc quod petit non est opportunum & vtile tunc, pro temporibus,& locis,& personis pro quibus petitur.*Matt.* 18.Si duo ex vobis consenserint:de omni re fiet eis à Patre meo,qui est in cælis.*Rom.*8.Quid oremus sicut oportet nescimus. Ipse autem spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Sic Paulus in hoc quod petiit in fide nihil hæsitans, non est exauditus 2. *Corinthior.*12. Sed tamen in æquiualente gratiam sibi gratum facientem accepit.

Propterea dico vobis] secundum est, quod est specialis modus Apostolorum [omnia quæcunque orantes petitis]non simpliciter, sed[orantes] *Iacob.* 4. Petitis & non accipitis eo quod male petatis. Orando enim petere, est(quando pius affectus mentis in Deum est directus) secundum affectum in Deum directum petere:ille autem affectus non petit nisi ad salutem pertinens, & cum proposito perseuerandi. Talis autem affectus nihil in se habet contrarium petitioni suæ: & ideò petit pro se;etsi pro alio petit, petit hoc secundum consonantiam prouidentiæ & iustitiæ diuinæ: & hoc est quod dicunt Doctores quod oratio exaudibilis quatuor habet:quod scilicet, piè, perseuerantèr, & ad salutem pertinens, & pro se petat. *Ioan.* 14. Si quid petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis.Hoc & innuit dominus *Luc.* 11. Vbi instruit nos quid orantes à Patre cælesti possimus obtinere, dicens. Pater vester cælestis dabit spiritum bonum petentibus se. Et ante dixit quod pro ouo non porrigat scorpionem, & pro pisce non dabit serpentem:& pro pane non largitur lapidem. In quibus intelligitur quod petenti nihil largitur eorum quæ sunt nociua[credite] firma & formata fide[quia accipietis]vel in se,vel in æquiualente, vel meliori. *Ierem.* 33. Clama ad me, & ego exaudiam te. *Prouerb.* 10. Desiderium suum iustis dabitur[& venient vobis]petita. *Hebr.*5. In omnibus exauditus est pro sua reuerentia. Hoc enim dixit caput pro se,& pro membris. *Ioan.* 11. Ego sciebam quia semper me audis. Et parum ante illud,*Ibidem.*Scio quia quæcunque poposceris à Deo,dabit tibi Deus.

Et cùm stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem: vt & Pater vester, qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis: nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra.

Tangit hic modum orationis qui debet esse ex parte orantis:dicit autem duo:vnum, quod oratio in cælestia in orante dirigatur: secundum autem, quod impedimenta orationis auferantur. De primo dicit [cùm statis] stans enim sursum erigitur: & omnia membra dirigit,& in otdine ponit.Qui ergo cor ad cælum dirigit, qui conuersationem totam

totam ad lineam virtutis in rectum ponit,qui ordinem naturalem superpositionis & suppositionis seruat: hic rectè stat. Qui aliquid istorum corrumpit,ille non stat. 1.*Timoth.*2. Volo viros in omni loco orare: leuantes puras manus sine ira & sine disceptatione. *Colos.*4. Orationi instate vigilantes in ea.Vnde *Gloss.*[cùm stabitis ad orandum] recti corde. *Psalm.*32. Rectos decet collaudatio.

Dimittite]In ablatione impedimenti exauditionis. Tangit duo: doctrinam, & comminationem. Doctrina est quod dicitur [dimittite]debitum vobis [siquid habetis aduersus aliquem] pusillum vel magnum. Quod autem dicit [siquid habetis]intelligitur: siquid habetis iustæ querelæ. Querela enim dimittitur (etiamsi iustitia coram iudice requiratur) si ante rancor dimittatur in proximum: quia aliter malefactoribus per hoc licentia malignandi daretur. *Matth.*6. Dimitte nobis debita nostra: siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis. *Act.*7. Ne statuas illis hoc peccatum. *Luc.*23. Ignosce illis: quia nesciunt quid faciunt[vt Pater vester] Ratio est quare debitum dimitti debet: vt scilicet [Pater vester]qui noster & illius cui dimittimus Pater est: & sic vult filio dimitti, & vult in affectu fratris illum à nobis diligi. *Malach.*2. Nunquid non vnus est Pater omnium nostrum? *Ioan.*8. Vnum Patrem habemus Deum [qui in cælis est]& ideò hæreditas nostra est in cælis, & à Patre cælesti cælestia sunt petenda. *Matth.*6. Pater noster qui es in cælis[dimittat vobis peccata vestra] quæ peccastis in eum. *Eccli.*28. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. *Matth.*5. Si offers munus tuum ante altare,& recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.

Quod si vos non dimiseritis [Comminatio est [nec Pater vester, qui in cælis est]cælestia libenti dans animo: dimittet vobis peccata vestra. *Eccli.* 28. Homo homini reseruat iram: & à Deo quærit medelam?*Luc.*6.Dimittite,&dimittemini. In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis. *Matth.*18. Omne debitum dimisi quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?

Et veniunt rursus Ierosolymam: & cùm ambularet in templo, accedunt ad eum summi Sacerdotes & Scribæ & Seniores,& dicunt ei. In qua potestate hæc facis, & quis dedit tibi hanc potestatem vt ista facias?

Hic incipit pars illa quæ de inquisitione potestatis: diuiditur autem in tres partes, in quarum prima ponit occasionem ex circumstantia loci& temporis qua deuentum est ad istam quæstionem: in secunda inducit de potestate quæstionem ipsam: & in tertia ponit implicitam quæstionis solutionem. In prima tangit temporis & loci circumstantiam simul, dicens [[Et veniunt] IESVS & Discipuli eius [rursus]hoc est,iterato [Ierosolymam] à Bethania. Et hoc fuit in feria tertia ante pascha: quia sabbato cœnam accepit in Bethania: Dominica, processione venit Ierusalem: & in sero exiuit in Bethaniam: in secunda feria,siculnæ maledixit: & in tertia feria,iterum doctutus Ierusalem rediuit: eo quod adhuc multi erant in ciuitate, qui se ad festi futuram præparabant solemnitatem: quos docere vtile fuit[& cum ambulates] per circuitum omnibus offerens doctrinam salutis [in templo] hoc est, in atrio templi exteriori [accedunt] congregata malitia [ad eum]in dolo. *Isa.*29. Appropinquat populus iste ore suo: cor autem eorum longe est à me[summi Sacerdotes] qui suam timebant amittere potestatem & locum & gentem,sicut dicitur *Ioan.*11.[& Scribæ]qui fastum in falsitate scientiæ per ipsum minui videbantur [& Seniores] qui loco Senatorum erant, & tempore consilij ex nomine vocabantur: qui sicut profecerant ætate & humana sapientia,ita experti erant in malitia. 2.*Timoth.*3. Mali homines proficiunt in peius errantes & in errorem mittentes[dicunt illi] Domino,arbitrantes à se debere recipere potestatem multitudinem conuocandi,& docendi.*Ioan.*10. Quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas: quia dixi,filius Dei sum.

In qua potestate] duas faciunt quæstiones: vnam de potestate, & aliam de auctoritate. De potestate dicunt [in qua potestate] sciebant enim quod potestas sua non erat humana: nec volebant credere quod esset diuina. Quærunt ergo quæ sit hæc potestas? vtrum scilicet,sit potestas sicut Sanctorum,qui miracula per inuocationem Dei fecerunt? vel vtrum sit diabolica? Et si esset sanctorum potestas,volebant minorationem: quod scilicet non se deberet dicere Filium Dei. Et si diceret, blasphemaret. *Matth.*26.Blasphemauit:quid adhuc egemus testibus? Et sic occasionem accusationis ad mortem contra eum quærebant: vnde *Ioan.* 8. Tu homo cùm sis: facis temetipsum Deum. Si autem diceret quod esset potestas dæmoniaca, volebant eum reddere abominabilem populo. *Ioan.*8. Dæmonium habet & insanit: vt quid eum auditis [Et quis dedit tibi hanc potestatem vt ista facias]Quæstio est de origine potestatis. Dicitur enim *Rom.*3.quod ea quæ à Deo sunt, ordinata sunt ad vnum. Et hoc modo volebant quod vel Cæsaris ostenderet authoritatem, vel summi Sacerdotis, & tunc compesceret eum vel per cenutionem & Præfidem Cæsaris, vel per authoritatem summi Sacerdotis: contra quod dixerat Dominus. *Ioan.*5. Claritatem ab hominibus non accipio. *Isai.*61.Spiritus Domini super me:eo quod vnxerit me, Dominus ad euangelizandum pauperibus misit me.

IESVS autem respondens ait illis: Interrogabo vos & ego vnum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis in qua potestate hæc faciam: Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. Et illi cogitabant secum, dicentes. Si dixerimus de cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis ei? Si dixerimus, ex hominibus, timemus populum. Omnes enim habebant Ioannem quia vere Propheta esset. Et respondentes dicunt IESV: nesci-

mus. Et respondens IESVS ait illis: neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

Occulta solutio est inductæ quæstionis per quæstionem factam Sacerdotibus & Scribis: & habet quatuor particulas, in quarum prima obligatio est sub conditione ad responsionem quæstionis: in secunda subtilitas factæ quæstionis: in tertia intellectus innuitur subtilitatis: in quarta professio malitiosa ignorantiæ simulatæ calliditatis. Dicit igitur [IESVS] autem summa sapientia Patris. *Rom.11. Isa.4.* Quis enim cognouit sensum Domini: aut quis consiliarius eius fuit [respondens dixit eis: interrogabo vos] Cùm statim respondere poterat, interrogat: vt ex responsis illorum solutionem quæstionis contra malignantes concludat. Ille enim optimus modus respondendi, & concludendi contra malignantes: quando ex suis propriis verbis & responsis arguuntur. *Luc.19.* Ex ore tuo te iudico serue nequam. *Prouerb.26.* Responde stulto secundum stultitiam suam: ne sibi sapiens esse videatur [vnum verbum] à cuius responsione totius solutio dependet quæstionis [& respondere mihi] obligatio est ex parte Sacerdotum [& dicam vobis] obligatio est ex parte Domini [in qua potestate hoc faciam] *Iob 38.* Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & responde mihi. Multum enim virilis & accinctor lumborum esse debet, qui disputare cum Deo desiderat. *Iob 9.* Si voluerit contendere cum eo, non respondebit ei vnum pro mille [Baptismus Ioannis] Quæstio est, ex cuius responsione dependet solutio quæstionis [de cælo erat] per institutionis auctoritatem. *Ioan.3.* Qui de cælo venit, super omnes est: & quod vidit & audiuit, hoc testatur [an ex hominibus] *Ioan.3.* Qui de terra est, de terra loquitur [respondere mihi] qui ex vestro responso, dicere contra veritatem non prius à vobis concessam cum clamore contenditis, sicut proterui contra veritatem. *Psal.61.* Mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Statera enim hominis mendax est: quæ non secundum rem ipsam, sed secundum affectum proprium loquitur ad quæsita. *Ioan.8.* Cùm loquitur mendacium ex propriis loquitur: quia mendax est & pater eius.

At illi cogitabant] hoc est, ratiocinatione quæsitum cogitabant: videndo quid ex quæsito ineuitabiliter sequeretur [secum in cordibus suis] quia conferre apertè de hoc non audebant [dicentes] conferendo in cordibus suis: quia conscientia propria conuicti erant & confutati. *Psalm.5.* Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ: malitiam autem non odiuit [Si dixerimus] veritatem sequendo [de cælo] erat baptismus Ioannis: quia de cælo erat auctoritatem accipiens. *Psalm.84.* Veritas de terra orta est: & iustitia de cælo prospexit [dicet] contra nos concludendo solutionem quæstionis à nobis propositæ [Quare ergo non credidistis ei] testimonium mihi de potestate perhibenti. *Ioan.1.* Qui misit me baptizare in aqua: ille mihi dixit. Super quem videris spiritum Dei descendentem & manentem: hic est qui baptizat in Spiritu sancto, in vera purificatione Et hic de cælo habet potestatem & potestatis originem [Si dixerimus] aliam partem diuisionis accipiendo: quia falsitatis fuerunt amici. *Isa.28.* Posuimus mendacium spem nostram: & mendacio protecti sumus. Vnde exclamat Propheta, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium [ex hominibus] qui nusquam cum Ioanne in eremo apparuerunt: vt eum ad hæc quæ fecit agenda subordinarent: tamen hoc libenter mendaciter dixissent, vt testimonium quod Christo perhibuit labefactare potuissent, si timore humano & mundano retracti non fuissent: & hoc est quod sequitur [timemus populum] Et causam timoris subiungit. Non enim timebant mendacium hostes veritatis.

Omnes enim] parui & magni de populo [habebant Ioannem] in ea venerationis veritate [quia verè Propheta esset] Sed contra hoc videtur esse quod dicitur *Ioan.1.* Propheta tu es? Non sum. Sed dicendum, quod in hoc non fuit Propheta quia prophetaret in futurum gratiam Christi, quem digito demonstrauit in præsenti. *Matth.9.* Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Tamen in hoc fuit Propheta quod ex inspiratione diuina sibi veritatem enuntiauit. *Luc.1.* Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius [Et respondentes] hostes veritatis [dicunt IESV] potius mentientes quàm contra inuidiam propriam confitentes veritatem, videntur esse conclusi. *3.Reg.18.* Ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius [nescimus] cum tamen ratione conuicti bene scirent [Et respondens IESVS ait illis] ex modo obligationis superius inductæ. *1.Reg.15.* Sicut fecisti fiet tibi [neque ego vobis dico] quia dictum meum quod ex responsione vestra non eliceretur, non valeret nisi ad proteruiendum contra illud [in qua potestate] hominis, an Dei, an Diaboli [hæc faciam] quia *supra 3.& Matth.12.* probaui quod in potestate Dei omnia facio. *Luc.11.* Si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. *Isa.24.* Secretum meum mihi, secretum meum mihi.

CAPVT XII.

Et cœpit illis in parabolis loqui.

Hic tangitur de merito reprobationis & electionis: habet autem duas partes, secundum quod hoc meritum dupliciter describitur. Primò enim describit absolutè, & secundò describit respectiuè *ibi* [Et sedens IESVS contra gazophylacium] Adhuc autem prima pars, in qua describitur meritum reprobationis absolutè, diuiditur in duas partes: in quarum prima describit demeritum: in secunda ab hoc demerito dicit esse cauendum *ibi* [Et dicebat eis in doctrina sua: Cauete à scribis, &c.] Adhuc autem prior istarum diuiditur in duas, in quarum prima ostendit demeritum illorum in obseruatione legis & intellectu, quæ ducunt ad cognitionem Dei & redemptoris: in secunda autem ostendit hoc demeritum in ignorantia eius, qui est finis legis *ibi* [Et respondens IESVS dicebat docens in templo] Adhuc autem prior in duas partes diuiditur, in quarum prima demeritum reprobationis ostendit in genere, hoc est, in

in peruersa legis obseruatione: in secunda autem ostendit hoc idem demeritum in specie *ibi* [& mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, &c.] adhuc autem prima harum partium diuiditur in duas partes, in quarum prima ponit parabolam, malos de malo merito erudientem: in secunda autem mali meriti eorum per effectum ponit reprobationem *ibi* [& quærebant eum tenere] adhuc autem parabola prima in quatuor diuiditur paragraphos, in quorum primo describit Dei prouidentiam & curam in salutis procuratione: in secundo malum meriti ostendit Synagogæ in talis procurationis ingratitudinem, & hanc immiscet in partem primam: in tertio ostendit iudicium reprobationis *ibi* [quid ergo faciet Dominus vineæ] in quarto inducit consonantiam scripturæ *ibi* [nec scripturam hanc legistis] adhuc autem in prima parte tria dicuntur: præmittitur enim generalis modus doctrinæ, qui congruit infidelibus: secundò proponit metaphoram vineæ: tertiò autem ostenditur reprobatio in fructus negatione.

Dicit igitur [& cœpit illis] vt ostendat illis periculum ipsorum. *Act. 22.* Innocens ego sum à sanguine omnium vestrum: non enim effugi, quo minus annuntiarem vobis omne consilium Dei. *Isa.16.* Ad hos, qui lætantur in muro cocti lateris, loquimini plagas eius. Coctus enim later est suffragium, in quo quis sperat & non prodest [parabolicè loqui] vt per similitudinem intelligere possent: & tamen non aperte intelligerent. *Glossa.* Duabus de causis scientia veritatis occultatur quærentibus: vt, aut qui queri minus inueniat, aut odio siue contemptu veritatis, est indignus cui debeat secretum aperiri. Propter alterum horum dicitur: Adhuc multa habeo vobis dicere. *Ioan. 16.* Propter alterum vero. Nolite sanctum dare canibus *Matth.7.& Matt.13.* ideò in parabolis loquor, vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Vineam pastinauit homo, & circundedit sepem, & fodit lacum, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis: & peregrè profectus est.

Hic describit prouidentiam & curam Dei in salutis Iudæorum procuratione: dicit autem quinque: plantationem, distinctionem, munitionem, cultum, & peregrinationem. Dicit igitur [vineam] hoc est Synagogam, sicut vineam electam ex personis Patriarcharum & Prophetarum, sicut ex vitibus optimis. *Ierem.2.* Ego te plantaui vineam electam, omne semen verum [pastinauit] hoc est, plantauit. Pastina est surculus vitis plantatus, à quo vitis surgit. *Exod.15.* Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine [homo] Deus: qui non à natura, sed ab affectu humano homo dicitur: quia perhumanum, hoc est, pium & beneuolum habet affectum: vnde de Spiritu Dei dicitur *Sap.6.* Humanus, benignus, stabilis, securus. Vnde *Gloss.* [homo] Deus Pater humano affectu. *Isa.5.* Vinea Domini exercituum domus Israël est: & viri Iuda germen eius delectabile [& circundedit sepem] ecce distinctio, quia terminis latissimis & vberrimis distinxit eam ab aliis gentibus. *Amos 6.* Transite in Chalanne, & videte, & ite inde in Emath magnam, & descendite in Geth Palestinorum: & ad optima quæque regna eorum, si latior terminus eorum termino vestro est: qui separati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis. *Psal.79.* Plantasti radices eius, & implenit terram: operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei extendit palmam suam vsque ad mare, latissimos enim terminos & fertiles habuit Iuda iuxta latitudinem septem gentium. *Deut.32.* Statuit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël. Quædam tamen *Glo.* dicit quod sæpe est custodia Angelorum. *Psal.90.* Angelis suis mandauit de te vt custodiant te in omnibus viis tuis. *Isa.5.* Maceriam circundedit ei [& fodit] tangit munimentum vineæ duplex munimentum ad vilitatem fructus [lacum fodit] literaliter autem lacus hic dicitur torcular, quia in modum lacus fusum & expressum à bonis, in se diffusum congregat vinum: & hoc torcular significat legem animæ impressam, exprimens vinum bonij spiritualis intelligentiæ est spiritus occulta legis reuelans. *Isa.63.* Torcular calcaui solus: & de gentibus non est vir mecum. *Thren.1.* Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Sion: quia non est exprimens legis intellectum nisi Dominus per Spiritum suum.

Et ædificauit turrim] munitio est contra exteriores: turris autem hæc est regni & Sacerdotij fastigium. *Psal.121.* Fiat pax in virtute tua & abundantia in turribus tuis. *Cant.4.* Turris Dauid ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. *Isa.5.* Ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit [& locauit eam] sub parte fructuum & in pretio [agricolis] Iudæis colonis. *Matth.21.* Homo erat pater familias qui plantauit vineam: & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & locauit eam agricolis [& peregrè profectus est] peregrinatus enim est à mentibus & aspectibus nostris, quando se propter peccatorum subduxit in cælo cum Angelis suis agés illuminationes. *Luc.20.* Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis, & ipse peregrè fuit multis temporibus. Quia non sinebant eum intra se quiescere propter idololatriæ multiplex peccatum. *Ezech.3.* Benedicta gloria Domini de loco sancto suo (supple) proficiscetur: & hanc peregrinationem plangit *Ierem.14.* Dicens: quare quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Ad hanc enim peregrinationem Iudæi compulerunt Dominum.

Et misit ad agricolas in tempore seruum, vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ. Qui apprehensum eum ceciderunt, & dimiserunt vacuum.

Hic similiter tangit fructuum requisitionem, & colonorum ingratitudinem sub duplici differentia. Primò enim sub triplici differentia mittit seruos: & secundò sub simplici differentia mittit filium vnicum. Et ad quamlibet istarum missionum se ingratos exhibuerunt. Primam autem seruorum differentiam tangit cùm dicit [& misit] auctoritatem suam nuntio committens [ad agricolas] hoc est, Iudæos de cultura Dei gloriantes [in tempore] recipiendorum fructuum de obseruatione legis secundùm intellectum spiritualem [seruum]

Moysen

Moysen legislatorem cum his qui cum eo erant. *Michæ 6.* Misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron,& Mariam[vt acciperent]serui ab agricolis populo Synagogæ [de fructu vineæ] in obedientia mandatorum & intellectu spiritualium ceremoniarum. *Prouerb.vlt.* Date ei de fructu manuum suarum:& laudent eam in portis opera eius. Dulcis enim in opere est fructus obedientiæ,dulcis etiam in litera est fructus intelligentiæ [qui] agricolæ.Et tangit hic ingratitudinem[apprehensum eum]Moysen, quem sæpe circundederunt ac si tenerent apprehensum [ceciderunt]verbis & factis prouocantes. *Psal.* 105. Irritauerunt Moysen in castris,Aaron sanctum Domini. Et sic sine fructus assignatione [dimiserunt eum vacuum] cassò labore legationis suæ,sicut dicitur *Isa.*5. Expectaui vt faceret vuas,& fecit labruscas. Ita enim statim respersa fuit ista vinea spinis contradictionum,& vrticis concupiscentiarum, quod Moyses ex labore suo cassatus est. *Isa.*49.Frustra laborauiʼ vanè fortitudinem meam consumpsi. *Prou.*24.Per agrum hominis pigri transiui,per vineam viri stulti:& ecce totum repleuerant vrticæ,& operuerant superficiem eius spinæ.

Et iterum misit ad illos alium seruum:& illum in capite vulnerauerunt, & contumeliis affecerunt.

Secunda differentia est missorum:& hic missus significat Dauid cum aliis Psalmistis, qui multi erant valdè. Dauid enim præcinebat in musicis:& quatuor concinebant, & quatuor millia succinebant:& sub his consonabat totus populus. Vnde *Gloss.* Dauid misit Dominus & alios Psalmistas, qui missi sunt post Moysen: vt cultores vineæ ad exercitium boni operis excitarent.Sed ipsum quoque Dauid,qui caput psalmodiæ & fons claruerat in Spiritu sancto,abiecerunt dicentes: quæ nobis pars in Dauid? aut quæ hæreditas in filio Isai? 3. *Regum* 12.Et hoc est quod dicit[& iterum]secundo modo missionis [misit ad illos] vineæ cultores [alium seruum]qui alio modo venit.Moyses enim venit in terrore legis : Dauid autem in suauitate metrici dictaminis,& musicorum numeris : vt sic corda territa per legem demulceret suauitate dictaminis, & musicorum organis ad exercitium bonorum operum. *Psal.*146. Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus. *Psal.*56. Exurge gloria mea,exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo. *Hieronymus in prœmio Galeato primo.* Dauid noster symphonides Christum lyra prædicat, & ab inferis excitat dormientem [&illum] ordinem Psalmistarum [in capite] hoc est,in eo qui caput erat omnium, hoc est,in Dauid[vulnerauerunt] regnum quod integrum erat quasi corpus Dauid scindentes,in duo,sicut patet. 3.*Regum* 12. Vbi recedentes ab imperio Dauid dixerunt: nunc vide domum tuam Dauid. *Isa.* 8. Eo quod abiecit populus iste aquas Siloe,quæ vadunt cum silentio : & elegit magis Rasyn filium Romoliæ [& contumeliis affecerunt] eiicientes eum de regno:& filium stultum sibi præfecerunt.2. *Regum* 17.*Psal.*68.Aduersum me loquebantur,qui sedebant in porta : & in me psallebant, qui bibebant vinum.

Et rursum alium misit, & illum occiderunt, & plures alios : quosdam cædentes,alios vero occidentes. Adhuc ergo vnum habens filium charissimum : & illum misit ad eos nouissimum,dicens.Quia reuerebuntur filium meum.

Et rursum misit]tertia est differentia missorum [alium]hoc est,totum cuneum Prophetarum cum Isaia duce in eruditionem populi venientium. *Gl.* Prophetarũ chorũ cum suis sociis,qui suis attestationibus populũ conuenerũt, & mala huic vineæ ventura prædicauerunt *Ierem.*7. Misi ad eos omnes seruos meos Prophetas per diem, consurgens diluculo & mittens [& illum]qui dux Prophetarum fuit:Isaiam scilicet[occiderunt] cum serra lignea diuidentes eum per medium. *Hebr.* 11. Secti sunt,in occisione gladij mortui sunt [& alios plures]vt Ieremiam lapidantes : & Amos in tempore perforantes[cædentes quosdam]virgis & flagellis. 2.*Corinth.*11. Ter virgis cæsus sum,semel lapidatus sum [alios vero] de sociis eorum occidentes. *Matth.*23. Ierusalem Ierusalem quæ occidis Prophetas,& lapidas eos qui ad te missi sunt. *Act.* 7. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? & occiderunt eos qui prænuntiauerunt de aduentu iusti,cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis. *Gloss.* His seruorum gradibus tribus omnes Doctores qui sub lege fuerunt intelliguntur.Vnde alibi *Luc.*23.Oportet impleri quæ scripta sunt in lege & Prophetis & Psalmis de me. Hi tres serui etiam nobis mittuntur, dum lex de obseruantia mandatorum admonet : psalmus ad iubilandum Deo in laude prouocat : prophetia autem monet per cautelam vel spem futurorum suppliciorum vel præmiorum.De primo dicitur *Psal.* 9. Legem tuam in medio cordis mei. De secundo item *Psal.* 88. Beatus populus qui scit iubilationem. De tertio *Eccles.*36. Da mercedem Domine sustinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur.

Adhuc ergo vnum habens filium] vnigenitum & ideo[charissimum]*Matth.* *Luc.*3.Tu es filius meus dilectus : in te complacuit mihi[&]hoc est, etiam[illum misit] in carnem vt nihil omitteret de pertinentibus ad conuersionem agricolarum. *Muth.*7. Quid est quod amplius debui facere tibi & non feci?*Genes.*37 Filio quem præ cunctis dilexit, dixit : Veni mittam te ad eos. *Galat.*4. Misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret [ad eos] Iudæos agricolas. *Hebr.*2. Nusquam Angelos apprehendit:sed semen Abrahæ apprehendit.*Ioan.*4. Salus ex Iudæis est. *Matth.* 15. Non sum missus nisi ad oues,quæ perierunt domus Israël[nouissimum]in nouissimo tempore : post quod alia non erit renouatio. *Genes.* 37. Israël diligebat Ioseph super omnes filios,eo quod in senectute genuisset eum. Qui significat Christum quem in vltima mundi ætate Pater de virgine nasci fecit [dicens] hoc est, ad modum deliberantis quid faceret se habens : & apud se[dicens]in cordibus rationabilium hominum [quia forte verebuntur filium meum] quod dicit [forte]liberi arbitrij ipsorum notat mobilitatem: vnde *gl.* Non hoc ignorando dicit,qui omnia nouit : sed propter hoc ambigere dicitur Deus,vt libera voluntas hominũ seruetur.

Coloni

Coloni autem dixerunt adinuicem: hic est hæres : venite,occidamus eum: & nostra erit hæreditas. Et apprehendentes eum occiderunt, & eiecerunt extra vineam.

Tangitur ingratitudo colonorum : & hoc est [dixerunt adinuicem] conceptam malitiam conferentes. *Sapiens.*2. Dixerunt impij cogitantes apud se non recte [Hic est hæres] Hoc enim probabiliter cognouerunt per opera, quod Christus fuit vnicus hæres totius vineæ, & omnis paternæ gloriæ.*Ioan.*1.Vidimus gloriam eius,gloriam quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. *Psalm.*8. Omnia subiecisti sub pedibus eius.] Et hoc cognouerunt quando dixerunt *Ioan.*12. Videtis quia nihil proficimus ; ecce mundus totus post ipsum abiit [Venite] per consensum malitiæ adinuicem concordatæ. *Genes.*36. Venite, occidamus eum : & videamus quid profint illi somnia sua, hoc est, visiones Prophetarum qui dicunt quod ipse mundum hæreditabit [& nostra erit hæreditas] Hoc est,per hoc retinebimus nostrum locum & gentem : quæ perdemus si dimittimus eum viuere. *Ioan.*11. Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo,& non tota gens pereat. Ne forte veniant Romani & tollant nostrum locum & gentem. *Ierem.*11. Venite, mittamus lignum in panem eius : & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non rememoretur amplius, hoc est, vbi in mensa comedimus cum eo panem : ibi tractemus de suspendio crucifixionis suæ in ligno. *Psalm.*11. Qui edebat panes meos, magnificabat super me supplantationem. *Prou.*1. Sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum, implebimus domos nostras spoliis, omnem pretiosam substantiam reperiemus.

Et apprehendentes] per proditionem Iudæ Scarioth[eiecerunt eum] linguis & opere:linguis quidem,quia dixerunt *Ioan.*8. Samaritanus es tu & dæmonium habes. Et sic eum de consortio Iudæorum eiecerunt. *Isai.*57.Super quem dilatastis os,& eiecistis linguam? Opere autem,quia eum & gentilium potestati extra suam potestatem tradiderunt : & extra portam Ierusalem tanquam extra vineam crucifixerunt. De primo enim dicitur *Matth.*20. Tradetur enim gentibus ad illudendum,& flagellandum,& crucifigendum.De secundo *Hebr.*13.Extra portam passus est.*Ioan.*19.Exiuit baiulans sibi crucẽ in eum locum, qui dicitur caluariæ locus. Et hoc est quod dicit [eiecerunt eum extra vineam] tanquam ad se non pertinentem [& occiderunt] *Dan.*9. Occidetur Christus & non erit eius populus, qui eum negaturus est. *Act.*3. Petistis virum homicidam vobis dari : auctorem verò vitæ interfecistis. Hoc & nos facimus quoties,gratiam Christi nobis oblatam abiicimus & conculcamus, & extra vineam cordis,in qua virtutes gaudium germinantes plantari deberent. *Hebr.*10.Irritam quis faciens legem Moysi absque vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur : quanto putatis deteriora mereri supplicia eum qui Filium Dei conculcauerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit,& sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est. *Hebr.*6. Rursus sibimetipsis crucifigentes Filium Dei & ostentui habentes.

Quid ergo faciet Dominus vineæ? veniet, & perdet colonos : & dabit vineam aliis.

Quid ergo faciet Dominus vineæ] Commune facient iudicium : & hæc est tertia pars, vt ore suo proprio condemnentur : & subinfert iudicium illud,quod omni humanæ rationi est notum. Dicit tamen *Matthæus*, quod hoc iudicium Iudæi ore proprio protulerunt. Et hoc est verum quod corde concesserunt. *Lucas* autem 20.dicit:Nequaquam, scilicet quod ori exteriori procaciter contra mentem mentientes negauerunt. Hic autem dicitur quod illud Dominus quasi concessum ab ipsis intulit veritatem dicens[Venient]ad iudicium cum Romanis.*Isa.*5. Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra [& perdet colonos] temporaliter per Romanos : & æternaliter per seipsum si in malitia perseuerauerint. *Matth.*21.Malos malè perdet: & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis. Et hoc est [& dabit vineam]in his qui ex Iudæis conuertuntur [aliis] hoc est, gentilibus. *Matth.*21. Publicani & meretrices præcedent vos in regno cælorum.

Nec scripturam hanc legistis : Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? à Domino factum est istud, & mirabile est in oculis nostris? Et quærebant eum tenere:& timuerunt turbam. Cognouerunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto illo abierunt.

Hic quarto loco scripturam inducit cõcordantem : & hoc est de psalmo. Dicit igitur]Nec scripturam hanc]psalmi[legistis] ad intellectum [Lapidem quem reprobauerunt, &c.] Cum templum ædificaretur,lapis magnus & miræ pulchritudinis inuentus est, qui nusquam aptari potuit in ædificio: tandem inuentus est locus in summo ædificij, vbi duo parietes conuenerunt : vbi seipsum lapis aptum præbuit : & ibi positus est ad duos parietes in coniungendo : & hoc est [Lapidem quem reprobauerunt ædificantes] templum,qui Scribas & Sacerdotes & Pharisæos significant: qui Dominum nostrum IESVM CHRISTVM reprobauerunt [hic] in summo ædificio & in Ecclesia in qua duo parietes conueniunt Iudæi & Gentiles [factus est in caput]summi culminis[anguli] duos parietes in se coniungentis. *Roman.*3. Vnus Deus est qui iustificat præputium per fidem & circumcisionem ex fide. *Ephes.*2. Vt duos in vnum condat: Et nè dicatur hoc casu factum,inducit sequentem scripturam quæ dicit[A Domino factum est istud] & non ab homine & diuinatione[& est]hoc est,quamuis sit[mirabile in oculis nostris] quia iudicia Dei abyssus multa, quibus hoc ita voluit præfigurari. *Psalm.*118. Mirabilia testimonia tua : ideò scrutata est ea anima mea[& quærebant eum tenere] *Psalm.*34. Retribuebant mihi mala pro bonis. Et ideò quia prædixit eis pericula eorum, mala intentant Domino maiestatis : & ideò dolo quærebant eum tenere & captiuare ad mortem [& timuerunt turbam]

Matth.

Matth. 25. Quærebant Principes Sacerdotum quomodo IESVM dolo tenerent & occiderent, timebant vero plebem. Et subiungit causam tantæ malitiæ [Cognouerunt enim ex ipsis parabolarum similitudinibus [quoniam diceret ad eos] hoc est, contra eos parabolam. *Matth.* 13. *Marc.* 4. Et quomodo omnes parabolas cognoscetis [& relicto eo] hoc est, abiecto vt ad gentes transiret [abierunt] à præsentia Christi in diuersos errores. *Act.* 13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ: ecce conuertimur ad gentes.

Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis & Herodianis vt eum caperent in verbo. Qui venientes dicunt ei: magister, scimus quia verax es, & non curas quemquam: nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces. Licet dari tributum Cæsari, an non dabimus?

Hîc incipit ostendere causam reprobationis in particulari: hæc autem maximæ est tẽtatio obseruationis, quasi accusabilem eum reddere cupiebãt. Diuiditur autem in duas partes, in quarum prima tentant eum in his in quibus homo ad hominem, inferior ad superiorem ordinatur: in secunda autem tentant in his in quibus homo ad Deum ordinatur *ibi* [Et venerunt ad eum Sadducæi] Prima autem istarum partium diuiditur in tres paragraphos, in quorum primo describitur quærentium & tentantium versutia: in secundo inducitur quæstionis callida malitia: in tertio vero subiungitur in soluendo quæstionem mira sapientia. In primo horum tria continentur: malorum associatio, dolositatis maligna intentio, & subdola apud eum quem hominem purum putabant astuta adulatio. Dicit igitur [Et mittunt ad eum] Sacerdotes [quosdam] exceptæ malitiæ & simulatæ religionis [ex Pharisæis] qui præ cæteris religionem prætendebant. *Matth.* 7. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces [& Herodianis] qui conducti ab eis fuerant à potestate: vt religione Pharisæorum simulata pateret veritas, & ex potestate regali humana cogeretur fragilitas [vt eum caperent in sermone] Ecce dolosa malitia. *Luc.* 14. At illi obseruabant eum.

Qui venientes dicunt ei] Ecce dolosa & palpans adulatio [Magister] Magistrum profitentur, vt dicit *Chrysostomus*, cuius nolunt esse discipuli [Scimus quia verax es] quia causam criminis vel falsitatis quancunque conarentur imponere sibi non potuerunt. *Ioan.* 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? *Deuter.* 32. Deus fidelis & absque vlla iniquitate iustus & rectus. *Prouerb.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei, & non est in eis prauum quid atque peruersum [& non curas quemquã] vt à veritate deuies. *Matth.* 22. Non est tibi cura de aliquo [nec enim vides] visione personarum acceptionis [in faciem hominis] in qua multi decipiuntur attendentes exteriora, quæ parent & humana sunt & multos decipiunt. *Iacob.* 2 Nolite in personarum acceptione fidem habere Domini nostri IESV CHRISTI gloriæ. *Act.* 10. Non est personarum acceptio apud Deum: sed in omni gente, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi [sed in veritate] triplici: vitæ, doctrinæ, & iudicij [viam Dei doces] Hoc est, doces viam quæ ducit ad Deum. *Matth.* 22. Magister scimus quia verax es, & in veritate viam Dei doces: & non est tibi cura de aliquo. Non enim accipis personam hominis [Licetne censum dari Cæsari] à populo libero qui decimas & primitias soluit & vota offerens & sacrificia: & soli Deo se per legem subiecit [An non dabimus] censum, istis rationibus. Ecce quæstio dolo plena: vt si dicat, quod sensus dandus est, contra libertatem populi & priuilegium cultus diuini loqui videatur in conspectu Pharisæorum: qui plus cæteris pro cultu legis & libertate populi loquebantur. Si autem diceret, quod non licet, à militibus Herodis, qui principatum sub Cæsare habuerunt accusabilis teneatur. *Psalm.* 35. Dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Verba oris eius iniquitas & dolus.

Qui sciens versutiam eorum ait illis: quid me tentatis? afferte mihi denarium vt videam. At illi obtulerunt ei. Et ait illis: Cuius est imago hæc & inscriptio? dicunt ei: Cæsaris. Respondens autem IESVS dixit illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei Deo. Et mirabantur super eo

Tangit hîc versutæ quæstionis solutionem: & tanguntur hîc sex. Primum quidem vt Dominus & Deus tangit cordium eorum deprehensam malitiam, cum dicit [Qui] scilicet IESVS vt Deus [sciens versutiam eorum] *Psalm.* 93. Dominus nouit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt, *Eccli.* 23. Oculi Domini contemplantur vias hominum [Ait illis] Secundum est reprehensio de hoc quod habebant quærendo intentionem peruersam [Quid me tentatis] *Matth.* 22. Quid me tentatis hypocritæ? *Psalm.* 77. Conuersi sunt & tentauerunt Deum: & sanctum Israël exacerbauerunt [Afferte mihi] Tertium est in quo versutam eorum conuincit nequitiam. Dicit igitur [Afferte mihi denarium vt videam] *Matth.* 22. Ostendite mihi numisma census: quia ex hoc quod vsum mercationis habebant, ius Cæsaris proferre volebat [At illi obtulerunt ei] supple, denarium: & hoc est quartum in quo ipsi denarium offerunt, in quo conuincat Christus intentionem eorum peruersam [Et ait illis] Hoc est quintum ex quo per responsum eorum conuincit ipsorum malitiam. Quærit ergo non ignorans, sed vt ex verbis suis propriis conuincantur [Cuius est imago hæc & superscriptio] literarum. *Apoc.* 13. Nemo poterat vendere vel emere nisi haberet characterem bestiæ in manu sua [Dicunt ei] Pharisæi & Herodiani [Cæsaris] qui sicut Dominus imprimitur in numismate: & superscribitur nomen suæ maiestatis [Respondens autem IESVS ait illis] ex propriis eorum concludens. *Psalm.* 36. Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur [Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari] quia qui pace & foro Cæsaris gaudetis: iustum est vt stipendia persoluatis. *Rom.* 13. Reddite ergo omnibus debita: cui honorem, honorem: & cui

& cui tributum, tributum: & cui vectigal, vectigal & quæ sunt Dei] reddite [Deo] cuius decimas & primitias accipitis, vel in cuius lege gloriamini. *Matth.* 18. Patientiam habe in me: & omnia reddam tibi [& mirabantur omnes] generaliter [super eum] & hoc est sextum. Quid autem mirantur? super sapientiam. *Luc.* 2. Mirabantur super prudentia & responsis eius. Hoc est igitur quod dicit in hac parte.

Et venerunt ad eum Sadducæi qui dicunt resurrectionem non esse: & interrogabãt eum dicentes: Magister, Moyses nobis scripsit, vt si cuius frater mortuus fuerit, & dimiserit vxorem, & filios non reliquerit: accipiat frater eius vxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo.

In speciali ostendit causam reprobationis Synagogæ. Diuiditur autem in duas partes secundum duas tentationes quas inducunt. Prima enim tentatio est de credendis, in qua conuincuntur de hæresis infidelitate: secunda est tentatio de faciendis, in qua conuincuntur de operis peruersitate *ibi* [& accessit vnus de Scribis] prima pars diuiditur in duas, in quarum prima quæstio tentatiua proponitur: in secunda quærentes de errore conuincuntur *ibi* [respondens IESVS ait illis: nonne ideo, &c.] Prima harum habet quatuor particulas: scilicet, à quibus ista quæstio proponitur: secundò causa quæstionis subiicitur: tertiò casus exponitur: & quartò quæstio subinfertur. Dicit igitur [& venerunt ad eum] tentatores [Sadducæi] hæretici. Quia in tres sectas synagoga scissa erat: Pharisæorum, scilicet, Sadducæorum, & Essæorum. Primi corporum resurrectionem credebant: sed alia corpora cibis vtentia futura esse dicebant. Sadducæi corporum resurrectionem omnino negabant: sed tamen spiritus cum Deo post mortem esse dicebant. Spiritus autem illos dicebant esse Angelos bonos, & malas animas hominum sicut & iumentorum interire cum corporibus affirmabant. Essæi autem nullum penitus spiritum separatum à corpore esse credebant, dicentes pro solis temporalibus Deo esse seruiendum.

Sadducæi] ergo [qui dicunt resurrectionem] corporum [non esse: venerunt & interrogabant eum] tentando [dicentes] *Matth.* 22. Quid me tentatis hypocritæ? *Deut.* 8. Non tentabis Dominum Deũ tuum [Magister] secundum est in quo causa quæstionis & dubitationis describitur. Dicit igitur [Magister] *Chrysost.* Magistrum nominant cuius non volunt esse discipuli. Laudant igitur adulando vt decipiant. *Psal.* 101. Qui me laudabant, aduersum me iurabant [Moyses] qui tantæ fuit auctoritatis quod sibi ore ad os loquebatur Deus: sicut solet homo loqui ad amicum suum *Num.* 12. [nobis scripsit] in lege *Deut.* 27. [vt si cuius] hoc est, alicuius hominis [frater] vxoratus [mortuus fuerit] sine hærede [& dimiserit vxorem] quæ introducta est in partem suæ hæreditatis, & iam libera est ab ipso per mortem viri sui. 1. *Corinth.* 7. Mulier alligata est lege viri quanto tempore vixerit vir eius: quod si dormierit vir eius, soluta est à lege viri [& filios] ex illa vxore genitos [non reliquerit] superstites, qui suam percipiant hæreditatem [accipiat frater eius] vel propinquior in genere suo [vxorem ipsius] cum hæreditate ipsius [& resuscitet semen fratri suo] filio primo quem ex ea genuerit imponens nomen fratris defuncti: quia ille filius quasi adoptiuus est fratris defuncti: & naturalis est filius eius qui accepit vxorem ne nomen defuncti pereat in Israël. Hoc etiam obseruatum fuit à Iudæis ante legem: vnde *Genes.* 38. Dixit Iudas ad Onan filium suum vt acciperet vxorem Her sine liberis defuncti, & mortuo Onan dixit eam debere reseruari in viduitatis habitu, donec cresceret Sela filius suus iunior: qui acciperet eam & suscitare deberet semen duobus fratribus sine liberis defunctis.

Septem ergo fratres erant, & primus accepit vxorem, & mortuus est non relicto semine. Et secundus accepit eam & mortuus est: & nec iste reliquit semen Et tertius similiter. Et acceperunt eam similiter septem, & non reliquerunt semen. Nouissima omnium defuncta est & mulier.

Hic tertiò ponitur casus de facto super quod est quæstio fundanda. Dicit igitur [Septem ergo fratres fuerunt.] apud nos: sicut *Iob* 1. Septem filios habuit. Et *Tob.* 14. Septem iuuenes filij Tobiæ iunioris steterunt ante Tobiam seniorem auum suum [& primus] primogenitus [accepit vxorem] quia antiqua patrum consuetudo erat vt primogeniti primo vxores ducerent, & sic deinceps secundum ordinem ætatis. *Genes.* 29. Non est in loco nostro consuetudinis vt iuuenes primò demus ad nuptias. Hic ergo primus duxit vxorem [&] accepta vxore [mortuus est] soluto matrimonio [non habens semen] hoc est prolem: quæ partem suæ hæreditatis acciperet [& secundus] frater secundogenitus [accepit eam] vt semen defuncti suscitaret [& mortuus] absque liberis, & hoc est [nec iste] secundus] reliquit semen [Et tertius similiter] accepta eadem vxore mortuus est nullo relicto semine [& similiter] omnes [septem] successiuè accepta eadem vxore [non reliquerunt semen] ad posteritatem hæreditatis, nec ab alio postea ducta est; quia [nouissima omnium] post mortem septem maritorum [mortua est] sine liberis [&] hoc est, etiam [mulier] quæ septem sine fructu viros emolliuerat.

In resurrectione ergo cùm resurrexerint, cuius de his erit vxor? Septem enim habuerunt eam vxorem.

Quartum est propositio quæstionis: supponitur autem hîc quod vnusquisque resurget in suo ordine. 1. *Corin.* 15. Vnusquisque in suo ordine resurget. Dicit ergo secundum hoc [in resurrectione] communi [cum resurrexerint] ad vnam domum paternam omnes isti septem fratres, eo quod alia domus de his fratribus nulla ædificata sit [cuius de his] septem in vnam domum intrantibus [erit vxor] & causam quæstionis subiungit [septem enim fratres] sine liberis [habuerunt eam vxorem] hoc autem dicebant, quia Dominus fidem resurrectionis astruebat: & supponebant isti quod diceret resurrectionem futuram sicut Pharisæi,

risæi,qui in aurea Ierusalem,& regno mille annorum vnumquenque dicebant resurgere ad suum domicilium : & ideò mirabilis confusio sequeretur, si in resurrectione illa omnium esset vxor, quod omnes simul ea abuterentur. Si autem vnius tantum esset vxor futura, videretur quod alij dilectione vxoris carerent, & sic felicitas eorum completa non esset.

Et respondens Iesus ait illis:nonne ideò erratis,non scientes scripturas,neque virtutem Dei?

Incipit istius tentationis solutio : habet autem tres particulas,scilicet,ignorantiæ increpationem, erroris eorum ostensionem,& resurrectionis mortuorum probationem. Dicit igitur increpando [nonne]etiam humano iudicio [erratis nescientes scripturam] de resurrectione mortuorum loquentem, quam putatis carnaliter debere intelligi,dicentes illud 1. *Corinth.* 15. Quomodo resurgent mortui?quali autem corpore venient ? Quia enim Pharisæi dicunt quod animali corpore venient cibis egentes,& sexus permiscentes : & quia vobis hoc videtur impossibile, ideò negatis resurrectionem , nescientes quid scriptura loquitur, quod resurgent mortui cum corporibus immortalibus : qui cibis non egent,& sexus non permiscent : & ideò erratis nescientes scripturas. *Isa.* 5. Ideò captiuus ductus est populus meus : quia non habuit scientiam. *Isa.*29.Erit vobis visio omnium quasi visio libri signati , quem si dederis scienti literas & dicas lege,dicet: non possum,signatus est enim. Et si dederis eum nescienti literas, & dicas lege,dicet:non possum,quia nescio literas. *Rom.* 1. Obscuratum est insipiens cor eorum.2.*Corinth.*3. Vsque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum[neque virtutem Dei]quia infirmitatem morientium intuentes, non putabant mortuos posse resurgere , non intelligentes quod virtute Dei erit resurrectio communis. *Matth.*22. Erratis nescientes scripturas,neque virtutem Dei.Virtus enim Dei resuscitabit mortuos.*Ioan.*5. Mortui audient vocem filij Dei:& qui audierint,viuent:quia etiam insensibilia Deo,cui omnia obediunt,sensibilia efficiuntur. *Rom.* 4. Ante Deum cui credidisti : qui viuificat mortuos , qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt. Hæc enim est virtus Dei quam Sadducæi ignorauerunt. 1.*Corinth.*15.Euigilate iusti: ignorantiam enim Dei quidam habent,*Sapient.*2. Hæc cogitauerunt & errauerunt , excæcauit enim illos malitia ipsorum. Et nescierunt sacramenta Dei : & non iudicauerunt honorem animarum sanctarum.

Cùm enim à mortuis resurrexerint neque nubent neque nubentur : sed sunt sicut Angeli Dei in cælis.

Tangit hîc secundò qualitatem veram resurgentium in duobus ; in remotione erroris , & in doctrina veritatis. De primo dicit [cùm enim à mortuis] illi qui mortui sunt [resurrexerint],siue boni siue mali [neque nubent neque nubentur] *Gloss.*Græco idiomati, Latina consuetudo non respondet : nubere enim propriè mulieres dicuntur, & viri vxores ducere : sed nos simpliciter dictum intelligamus sic,vt neque nubant viri , neque nubantur mulieres.Vnde *Augustinus* dicit,quod ibi erunt membra genitalia, non quæ libidinem prouocent:sed quæ sapientiæ admirationem indicant. *Matth.* 22. In resurrectione neque nubent neque nubentur : sed omnis ibi fœcunditas est ex coniunctione spiritus creati cum increato [sed erunt] tangit doctrinam veritatis dicens [sed erunt] in futuro[sicut Angeli]non in natura Angeli : sed sicut Angeli in proprietate spiritualitatis & immortalitatis. Et quia nuptiæ sunt bonum mortalium , ideò neque nubent neque nubentur[in cælis]autem dicit, ne in terra in aurea Ierusalem resurrectio putetur esse futura. *Luc.* 20. Filij huius seculi nubunt & traduntur ad nuptias : illi vero qui digni habebuntur illo seculo & resurrectione, neque nubent, neque ducent vxores : neque enim vltra mori poterunt : æquales enim sunt Angelis, & filij sunt Dei,cum filij sint resurrectionis. Vnde *Gloss.*Nemo ibi moritur,nemo ibi nascitur,nec infans nec senex ibi erit.

De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi super rubum quomodo illi dixerit Deus , inquiens: ego sum Deus Abraham,& Deus Isaac, & Deus Iacob ? Non est Deus mortuorum sed viuorum:vos ergo multum erratis.

Tangit hîc vltimo resurrectionis probationem; tangit autem tria:auctoritatis inductæ commendationem,scriptam à Deo auctoritatem, & erroris confutationem. Dicit igitur [de mortuis autem quod resurgant] hoc est quod probare intendit *Iob* 19.Scio quod redemptor meus viuit,& in nouissimo die de terra surrecturus sum : & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.*Isa.*29.Viuent mortui tui,Domine:interfecti mei resurgent. *Dan.*12.Multi de his qui dormiunt in terræ puluere,euigilabunt:alij in vitam æternam,alij in opprobrium vt videant semper .*Ezech.*37. Aperiam quippe tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris.Sed has scripturas Dominus non inducit, quia Sadducæi non recipiunt nisi quinque libros Moysi[non legistis]hoc est , nonne legistis ad intellectum verum [in libro Moysi] *Exod.* 3. Quem pro maxima allegastis auctoritate [super rubum]in quo Deus ipse apparuit in igne Deitatis:non consumens virorem virginitatis , sed consecrans : ita quod dixit. Locus in quo stas terra sancta est. In qua visione tota legis auctoritas roboratur[quomodo] ore ad os[isti] Moysi[Deus] de seipso [dixerit : ego sum Deus] auctoritas est quam inducit [ego sum Deus Abraham] hoc est, quo Abraham fruitur iam spe felici : & post modicum felicitate dulci in præsentia ipsius[& Deus Isaac] quo similiter postmodum fruetur Isaac [& Deus Iacob] ad quem Iacob omnem vitam suam direxit.Et ex his concludit[non est Deus]fruibilis [mortuorum]in corpore & anima,quia tales nullo bono frui possunt [sed viuentium] in anima ad minus.Et si anima viuit per iustitiam Dei, probatur quod corpus aliquando resurget : quia cum anima vitam æternam promeruit,sicut dicit *Gloss.* Non enim anima sola meruit , sed corpus animæ obediens,virtutibus operam dedit : & ideò radicò immorta

immortalitatis per virtutem acquisiuit: & ideò de castitate, quæ potissimum est in corpore, dicitur *Sap.*4. Immortalis est enim memoria illius : quia & apud Deum nota est & apud homines [Vos ergo multùm erratis] Confutatio est erroris. *Matth.*15. Si cæcus cæco ducatum præstet : ambo in foueam cadunt. Et *ibidem.* Sunt & duces cæcorum.

Et accessit vnus de Scribis qui audierat illos conquirentes ; & videns quoniam bene illis responderit, interrogauit eum quod primum mandatum esset omnium.

Tangitur tentatio hic de faciendis , per quam arguuntur de operis peruersitate : diuiditur autem in duas partes , in quarum prima tentatio proponitur : in secunda tanquam victor ab omnibus derelinquitur tentatoribus. Adhuc autem duo in prima parte dicuntur, scilicet, tentatio,& tentatoris in aliquo commendatio. Quæstio autem tentatiua tria habet,scilicet, quæstionem,solutionem,& solutionis commendationem.In quæstione autem est commendatio quærentis , subtilitas audientis præcedentia, quæ induxit ad quæstionis propositionem. Dicit igitur [Et accessit vnus de Scribis] Vnus inquam, exceptæ auctoritatis qui ab aliis ad quærendum est electus tanquam magis potens in scientia & sermonis facunditate. *Ioan.*3. Tu es magister in Israël , & hæc ignoras ? De Scribis autem dicitur : quia in lege fuit doctissimus. *Isai.*33. Vbi est literatus,vbi legis verba ponderans?populum imprudentem non videbis ibi[qui audierat]& intellexerat[illos]Sadducæos[conquirentes] cum Domino. *Matth.*22. Audientes Pharisæi quod IESVS impossuisset silentium Sadducæis : conuenerunt in vnum,& interrogauit eum vnus ex eis legisdoctor tentans eum ,& dicens [& videns quoniam benè responderit illis] Sadducæis [interrogauit IESVM quod esset primum omnium mandatum]Hoc est, quod esset principale inter omnia ea multa quæ in lege ponuntur mandata. *Matth.*22. Magister quod est mandatum magnum in lege ? Dicit autem *Chrysostomus* , quod de mandato magno interrogat, qui nec minimum impleuit : simplicissimus interrogator, & astutissimus obseruator.

IESVS autem respondit ei , quia primum omnium mandatum est. Audi Israël , Dominus Deus tuus , Deus vnus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo , & ex tota anima tua , & ex tota mente tua , & ex tota virtute tua : hoc est primum mandatum.

Hic incipit solutio maximæ subtilitatis & sapientiæ. Quia enim de faciendis iste quæsiuit quod vtile est ad vitam,quamuis tentando faceret: tamen benignus magister plus respondet ad illuminationem, quàm in quæstione exigatur ad tentationem : & ideò habet duas partes , in quarum prima maximum declarat affectu mandatum : in secunda docet maximum in effectu operis. In prima tria dicit : primò enim repetit id de quo Scriba quærit ; secundò soluit : & tertiò confirmat solutionem. Dicit igitur[Iesvs autem respondit ei,quia primum] siue principale omnium mandatorum [mandatum est] quod ad Dei pertinet dilectionem : & hoc est totum primæ tabulæ mandatum : & hoc est quod dicit [Audi] tanquam magnum aliquid quo nihil maius est [Israël] rectissimè : qui ad mandata te rectificare quæris. *Isa.*44.Noli timere seruus meus Iacob,& rectissime quem elegi [Dominus Deus tuus ,vnus est,] hoc est,vnicus & incommutabilis : & ideò totum affectum tuum in se vult dirigi. *Isa.*44. Nunquid est Deus absque me , & formator quem ego non nouerim? 1.*Corinth.*8. Et si sunt qui dicantur dij, siue in cælo siue in terra (siquidem sunt dij multi,& Domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater,ex quo omnia & nos in illo.

Et diliges Dominum]Primum quod dixit Dominus Deus tuus , vnus est (quod continetur *Exod.*20.) non inducitur hîc sicut mandatum;sed potius sicut causa & ratio mandati istius , quod dicitur *Deuter.*6.Diliges Dominum Deum tuum. Dicit autem tria: ex quali, & quid, & ex quanto diligendus.Ex quali enim ametur affectu,notatur cùm dicit[diliges]Quod componitur ex præpositione diuersitatem propositorum notante, & eliges verbo electionis , hoc est , Dominum Deum tuum ex omnibus eliges quem ames.*Cant.*5.Dilectus meus candidus,& rubicundus:electus ex millibus. Eligitur enim ad amandum qu[illegible]e omnibus amatur : sicut & Deus est [illegible]nibus amandus. *Psalm.*72. Quid mihi est in cælo , & à te quid volui super terram ? quid autem ametur dicit.

Dominum Deum tuum] Dominium, qui omnibus excellenti superpositione superponitur : qui omnium pulchrorum liberam , & omnimodam habet possessionem : qui indeflexa virtute continet suam excellentiam, ne vnquam ad scabellaria & conculcanda inclinetur. De primo dicitur *Psalm.*92. Mirabilis in altis Dominus. *Luc.*2. Gloria in excelsis Deo. De secundo *Rom.*10.Idem Dominus omnium diues in omnes qui inuocant illum. *Psal.*91.Gloria & diuitiæ in domo eius.De tertio *Num.*23.Dominus de Ægypto duxit eum, cuius fortitudo sicut rhinocerotis. *Exod.*15. Quis similis tui in fortibus Domine ? Primum in Domino diligimus , vt exaltemur : secundum, vt præmiemur : tertium , vt conteneamur & defendamur. De primo.1.*Petr.*5.Humiliamini sub potenti manu Dei vt vos exaltet in die visitationis. De secundo dicitur 1.*Corinth.*12. In omnibus diuites facti estis in illo,in omni verbo, & in omni scientia (sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis) ita vt nihil desit vobis in vlla gratia. De tertio dicitur in *Psalm.*26. Dominus defensor vitæ meæ : à quo trepidabo[Deum]Quod vt dicit *Damasc.* sonat protisionem , circuitionem , & ignis ardorem. Theoteo enim est idem quod video : Thoriste idem quod circumeo : & Thorhy est ardor in Græco. Prouidet enim præscientia , circumit cura, & ardet in nos charitate. Vt ergo fruamur prouidentia, Deus diligitur : vt custodiamur , Deus amatur : & vt incendamur, charitas in Deum habetur. De primo horum dicitur *Eccli.*23. Oculi Domini lucidiores sunt super Solem , circumspicientes omnes vias hominum.*Genes.*22. Tu Deus qui vidisti me.De secundo dicitur. 1.*Petr.*5. Omnem solicitudinem vestram

ſtram proiicientes in eum : quia ipſi cura eſt de vobis. *Pſalm.*54. Iacta cogitatum tuum in Domino : & ipſe te enutriet. De tertio dicitur *Deuter.*4. Deus noſter ignis conſumens eſt. *Pſalm.*49. Ignis in conſpectu eius exardeſcet [tuum] cultu & ſeruitute & poſſeſſione, vt ad nutum habeatur. *Heb.*11. Non confunditur Deus vocari Deus eorum. *Exod.*3. Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob : hoc nomen mihi eſt in æternum. *Apoc.*21. Ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

Ex toto corde] Hîc tangit ex quanto eſt diligendus. Cor autem quia principium eſt affectionum & motuum, ponitur pro voluntate, vt ex tota voluntate dulciter diligatur : ita quod nihil voluntatem ab eius dilectione poſſit illicere & abſtrahere. *Cant.*8. Pone me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum. *Prouerb.*23. Præbe fili cor tuum mihi. *Pſalm.*9. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Cor etiam ſecundum *Auguſtinum* eſt principium conceptionum & cogitationum : & ſic ex toto corde diligitur, quando toto intellectu diligitur vt nullo errore decipiatur : quia ipſe vt lumen intellectus in diligendo habetur. *Pſalm.*12. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Primo modo diligitur dulcedo bonitatis, & ſecundo lux veritatis [& ex tota anima tua] Anima hominis intellectualis eſt : quia dicit *Philoſoph*[illegible]od homo eſt ſolus intellectus. Et hoc modo [illegible]tota anima diligere, eſt ex intellectu abſque omni obnubilatione phantaſmatum diligere. *Sap.*8. Sapientiam amaui, & exquiſiui mihi eam ſponſam accipere : & amator factus ſum formæ illius, quæ pulchra eſt abſque nubilo. *Sap.*7. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius. Hæc eſt pulchra dilectio. *Eccli.*24. Ego mater pulchræ dilectionis. Dicit tamen *Auguſtinus*, quod anima ponitur hîc pro animo. Vt ſit ſenſus [ex tota anima] hoc eſt, ex toto animo, hoc eſt, voluntate ſine contrarietate : quia tota voluntas & animus ſic extenditur ad ipſum, quando nihil habetur in voluntate ſibi contrarium. Hoc eſt interior homo de quo dicitur *Rom.*8. Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem. Sic ergo ſapienter diligitur Deus.

Et ex tota mente tua] Mens à metiendo eſt dicta, quia omnia ad veritatis regulam metitur. Et hæc eſt ratio ; vt ſic rationabiliter eum in mentis memoria ponamus, vt ſine obliuione eum diligamus. *Pſalm.*136. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui. *Iſai.*49. Ego non obliuiſcar tui [& ex tota virtute] hoc eſt, fortitudine tua : vt omnes vires tuæ ſibi ſeruiant, & ad ipſum expendantur. *Pſalm.*58. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Et ſic fortiter diligitur. *Cantic.*8. Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Diligatur ergo ex toto corde dulciter, ex anima ſapienter, & ex mente conſtanter, & ex virtute fortiter.

Hoc eſt primum mandatum] Certificatio eſt veritatis in reſponſo. Sicut enim Deus primus eſt, & præcipuus, & vnicus ; ita affectus ordinatus in ipſum eſt primus, & vnicus, & præcipuus. Et ideo de iſto dicitur *Cant.*8. Si dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam ad mercandam dilectionem, quaſi nihilum deſpiciet eam : quia nulla eſt comparatio ad Dei dilectionem.

Secundum autem ſimile eſt illi.

Benignus magiſter in doctrina ſalutis plus reſpondet quam quærens exigat : vt perfectè viam ſalutis doceat. Dicit autem tria : ſecundi ad primum ſimilitudinem, non æqualitatem : & dat præcepti ſecundi deſcriptionem : & ſubinfert amborum præceptorum commendationem. Dicit igitur [Secundum autem] quod implet præcepta ſecundæ tabulæ [ſimile] non æquale [eſt huic] primo mandato. Simile autem eſt in tribus, ſcilicet, in dilecto (aliàs dilectione) & forma dilectionis, & fine. In dilecto (aliàs dilectione) quidem, quia in proximo non diligitur niſi Deus : quia parentale bonum Patris cæleſtis eſt in imagine ſua ad quam factus eſt proximus. *Ioan.*1. *Canon.*4. Qui non diligit fratrem ſuum quem videt : Deum quem non videt quo modo poteſt diligere : Deus enim inuiſibilis eſt & non videtur niſi in imagine ſua. Vnde ſicut honor imaginis ſanctorum ad prototypum refertur (vt dicit *Damaſcenus*) ita honor proximi & dilectio imaginis Dei, refertur ad honorem & dilectionem Dei. In forma etiam dilectionis eſt ſimile : quia quamuis duo ſint mandata dilectionis, Dei & proximi, tamen vnus eſt habitus virtutis, & vnus dator virtutis Spiritus ſanctus, ex quo Deus & proximus diliguntur. Et hoc notatur *Ioan.*13. In hoc cognoſcent omnes quia mei eſtis Diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem. Ac ſi dicat : Ego ſum fons dilectionis à quo continuis profectibus manat dilectio, quæ eſt Spiritus ſanctus. Et ſi in nos riuus huius fontis continuò manat, tunc omnibus apparet, quia fons in nos fluit dilectionis diuinæ : quod non eſſet, ſi alia eſſet aqua fontis & riuorum. Et ità eſt à me fluens dilectio Dei, quæ in vos fluit in dilectione proximi. Sic ergo in forma dilectionis eſt ſimile, quamuis in affectu non ſit æquale. In fine etiam eſt ſimile : quia ſicut diligitur Deus propter Deum : ſic & proximus non niſi propter Deum diligitur. Vnde *Auguſt. in Confeſſionum lib.*2. Ille ſolus neminem odit qui & amicum diligit in te, & inimicum propter te. *Matth.*5. Ego dico vobis, diligite inimicos veſtros : benefacite his qui oderunt vos : vt ſitis Patris veſtri filij qui in cælis eſt : qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Inimicus autem diligitur niſi propter Deum : quia ſicut (*ſecundum Moralem Philoſophiam* de naturali proprietate hominis eſt amicum diligere : ita (*ſecundum eandem*) de natura hominis eſt inimicis male facere : ſic ergo ſecundum ſimile eſt huic primo.

Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Maius horum aliud mandatum non eſt. Et ait illi ſcriba. Benè magiſter in veritate dixiſti, quia vnus eſt Deus, & non eſt alius præter eum : & vt diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine : & diligere proximum tanquam ſe ipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificiis. IESVS autem videns quod ſapienter reſpondiſſet dixit illi : non longè es à regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.

Deſcriptio eſt præcepti [diliges proximum tuum ſicut teipſum] tria dicit : qualiter, & quis, & quantum diligatur. Qualiter notatur in verbo diligendi : quia hoc diligitur, quod ex diuerſis eligitur. Et ſicut in Deo & in Dei dilectione notatur ex verbo diligendi quod ſuper omnia ametur : ita in proximo notatur ordo dilectionis qualiter ametur, quia aliter in vnoquoque bonum amabile non eligitur niſi quo ordine amandum ſit perpendatur. Proximus igitur ſecundo poſt nos diligitur ſecundum gradum quo nobis appropinquat. *Cant.*2. Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. 1. *Corinth.*14. Omnia ſecundum ordinem fiant in vobis. Hos ordines miniſtrantium regina Auſtri mirabatur 3. *Regum* 10. [Proximum] omnis homo proximus eſt, qui in primo gradu nobis appropinquat : & ſic cum in omni homine parentis noſtri imago ſit ex eodem ex quo eſt in nobis, omnis homo nobis in primo gradu coniungitur : & ideò fratres vocamur *Mat.*12. Omnes vos fratres eſtis, Tamen ſecundum lineam carnis vnus alio proximior eſt : & ſimiliter ſecundum modum beneficiorum noſtrorum plus appropinquat qui plura impendit beneficia. *Luc.*10. Quis tibi videtur proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones ? Et ait : ille qui fecit miſericordiam in ipſum. Et reſpondens Ieſus dixit ei : vade & tu fac ſimiliter. *Leuit.* 19. Dilige proximum tuum ſicut teipſum [ſicut teipſum] hoc eſt, ad modum & formam quibus diligis teipſum : diligis autem te ad iuſtitiam, & ſalutem : & hoc modo dilige proximum. Vnde *Tullius in libro de Amicitia.* Prima lex amicitiæ ſeminatur, vt pro amicis non niſi honeſta faciamus. *Deut.* 33. Dilexit populos, omnes ſancti in manu eius ſunt : hoc eſt, omnibus opera charitatis impendit, & ad ſanctitatem diligit vniuerſos.

Maius horum] mandatorum [præceptum non eſt] confirmatio eſt veritatis in reſponſo. Eſt autem maius iſtud dilectionis duplex mandatum generalitate ambitus, & dignitatis excellentia, & permanentia æternitatis. Ambit enim præceptum dilectionis Dei omnia primæ tabulæ mandata, ſicut ſupra dictũ eſt. Præceptũ autem de dilectione proximi ambit & implet omnia mandata ſecundæ tabulæ. *Rom.* 13. Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Qui enim proximum diligit, legem impleuit. Nam non adulterabis, non furtum facies, non occides, & ſi quod aliud eſt mandatum, in hoc verbo inſtauratur : diliges proximum tuum ſicut teipſum. Plenitudo ergo legis, hoc eſt, decalogi eſt dilectio. *Pſal.*118. Latum mandatum tuum nimis. De excellentia dignitatis eſt quod charitas omnia merita informat ad placentiam Dei. 1. *Corint.* 12. Adhuc excellentiorem viam vobis oſtendo. Et loquitur de charitatis mandato, quod linguis præfertur Angelorum, ſcientiæ, & Prophetiæ, & fidei quæ montes transfert, & etiam ipſi martyrio, & eleemoſynis. De maioritate autem permanentiæ in æternitate dicitur 1. *Cor* 13. Charitas nunquam excidet : & parum poſt. Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas : tria hæc, maior autem horum eſt charitas. Ex primo habet, quod eſt maius ad merendum : ex ſecundo quod eſt maius ad exaltandum : ex tertio quod eſt maius ad benefaciendum.

Et ait illi] Ieſu [Scriba] qui primo tentando quæſierat : ſed nunc conuictus reſponſione tentantis & obſeruantis malitiam deponebat, ſicut dicit *Gloſſ.* [Benè magiſter in veritate dixiſti] *Matth.*22. Viam Dei in veritate doces [quia vnus eſt Deus] & vnicè diligibilis præ omnibus [& non eſt alius præter eum] qui dilectionem cordis in ſe trahat : quia alij falſi dij ſunt, & ideò non diligendi [&] mandatum eſt [vt diligatur] intimo affectu [ex toto corde] quia ipſe dulcedo eſt cordis [& ex tota mente] omnia diligibilia per rationem mouente & menſurante ; vt diligatur quantus eſt ipſe [& ex toto intellectu] quia lux eſt intellectus ſine obnubilatione, & ideò dilectio eius non vult aliquid terrum ſibi admiſceri, ſed in lumine manifeſtari ſine errore [& ex tota anima] quæ principium eſt & cauſa vitæ : vt tota vita referatur ad ipſum, qui vita eſt animæ noſtræ. *Act.* 17. In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus [& ex tota fortitudine] vt nihil nos abſtrahat ab ipſo : ſed omnes vires noſtræ expendantur in ipſo. *Pſal.*58. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam [& diligere proximum tanquam ſeipſum] ſecundo loco [maius eſt omnibus holocauſtomatibus] quæ tota incendebantur. *Iſa.* 1. Sanguinem vitulorum & adipem pinguium nolui : quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis? *Pſal.*29. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti : tunc dixi, ecce venio [& ſacrificiis] quæ non tota incendebantur *Deut.* 10. Et nunc Iſraël quid Dominus Deus tuus requirit à te niſi vt eum diligas ex toto corde tuo ?

Sic ergo commendata reſponſione, & conuerſo ad dilectionem tentatore [Ieſus autem videns] hoc eſt, videns faciens [quod ſapienter reſpondiſſet] in commendatione dicti Saluatoris : quod non prætulit ceremonias legis mandato dilectionis, ſicut Phariſæi & Sacerdotes fecerunt, qui ſuas traditiones Dei mandatis prætulerunt. *Matth.*15. Irritum feciſtis mandatum Dei propter veſtras traditiones [ait illi] prouocans eum ad meliorem veritatis cognitionem [non longè es] ex quo iam veritatem mandati Dei cognouiſti, & traditiones hominum non prætuliſti [non longè es] per intellectum [à regno Dei] cognoſcendo. Non enim diſtas, niſi quod metum hominum poſtponas, & illi quem cognouiſti firmiter adhæreas. Iſte enim fuit vnus de illis de quibus dicitur *Hebr.* 2. Timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti, hoc eſt, ſeruilis legis oneribus. *Act.* 15. Hoc eſt onus, quod neque nos neque patres noſtri portare potuimus [& nemo audebat eum interrogare] triumphus eſt victoris ſuper tentatores : ſicut *Supra* 1. triumphauerat ſuper Dæmones. *Ioan.* 16. Confidite, ego vici mundum. Tentator homo ſicut Satanas iam deſperans abſcedit. *Ioan.* 16. Et non eſt opus tibi vt quis te interroget.

Et reſpondens IESVS dicebat, docens in templo : quomodo dicunt Scribæ Chriſtum eſſe filium Dauid ? Ipſe enim Dauid dicit in Spiritu ſancto : dixit Dominus Domino meo : ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ipſe ergo

Dauid dicit eum Dominum , & vnde est filius eius?

Tangit hîc demeritum quod est ex ignorantia eius qui est finis legis *Rom.9.* Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Dicuntur autem hîc tria,in quorum primo doctrina commendatur : in secundo subtilitas veritatis ostenditur : in tertio fructus doctrinæ in turba describitur. Dicit igitur [& respondens Iesus]ei qui iam veritatem faciendorum cognouerat [dicebat] etiam adiungens de veritate credendorum[docens in templo] publicè & solemniter. *Isa.*45. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso. *Ioan.*18. Ego semper docui in templo quò omnes Iudæi conueniunt, & in abscondito locutus sum nihil [quomodo ergo] tangit veritatis subtilitatem dicens [ergo] ex quo tu iam intelligis traditiones & holocausta animalium nihil esse nisi in figura:ergo [quomodo]hoc est , quo intellectu [dicunt Scribæ] quorum tu vnus es & præcipuus. *Ioan.* 3. Tu es magister in Israël[Christum esse filium Dauid] si enim vt dicunt vnius, hoc est , humanæ naturæ est tantum: ita quod vt homo purus sit filius Dauid:tunc obuiat inconueniens , quia ipse Dauid Propheta inspiratus [dicebat in Spiritu sancto] non in spiritu humano in quo est deceptio. *Gloss.* Non errore, non propria voluntate 2. *Petr.* 1. Non voluntate humana allata est aliquando Prophetia : sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.

Dixit Dominus [qui absolutè Dominus est. Et hic est pater qui dicit *Exod.* 7. Et in multis aliis locis.Ego Dominus. *Esther* 13. Dominus vniuersorum tu es[Domino meo]in quo modo locutionis notatur vnus dicens,& alter ad quem dicit:qui de necessitate sūt duæ personæ:& ille ad quē dicit, Dominus , fuit Dominus Dauid quem tantus rex Dominum cognouit esse in Spiritu sancto , & se esse seruum ipsius:dicens *Psalm.* 125. O Domine quia ego seruus tuus sum : ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ[sede quiete regni potitus. 1. *Reg.* 2. Vt sedeat cum principibus:& solium gloriæ teneat *Luc* 1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius:& regnabit in domo Iacob in æternum [à dextris meis] hoc est,in omni æqualitate principatus. *Colos.* 3. Vbi Christus est in dextera Dei sedens[donec ponam]hoc est,donec subiiciendo perficiam [inimicos tuos] aut voluntarios , si se fidei tuæ & deuotioni tuæ subiiciunt:aut inuoluntarios,si se tibi opponere nituntur [scabellum] hoc est,conculcationem [pedum tuorum] voluntarij enim adorant in loco vbi steterunt pedes Deitatis , cui in humana tua natura inuoluntarij aut victi conculcabuntur. *Malach.vlt.* Calcabitis impios cùm fuerint quasi stercus sub planta pedum vestrorum. Hoc enim est tempus quod decurrit vsque in diem iudicij : quo omni tempore Christo inimici subiiciuntur. Quod autem dicit Pater Filio[donec ponam]& non quod Filius ponat *(vt dicit Gloss.)* non est infirmitatis Filij : sed ostendit quod alter in altero operatur. Nam & Filius subiicit inimicos Patri. *Isa.*45. Christo meo Cyro , cuius apprehendit dextram , vt subiiciam autem faciem eius gentes,& dorsa regum vertam: & portas æreas conteram , & vectes ferreos confringam [ipse ergo Dauid dicit eum Dominum] repetit id in quo est vis auctoritatis inductæ. Et arguit ex hoc dicens[& vnde est filius eius?]Pater enim super filium si ambo sint ex vna & simplici natura non habet suppositionem , sed è conuerso: & sic in Spiritu sancto falsum diceret,si eum Dominum vocaret,ad quem ipse habet superpositionem. Et sic scribæ falsum dicunt, dicentes Christum purum hominem.

Et multa turba cum libenter audiuit:& dicebat eis in doctrina sua : cauete à Scribis qui volunt in stolis ambulare & salutari in foro , & in primis cathedris sedere in Synagogis, & primos discubitus in cœnis : qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis : hi accipient prolixius iudicium.

Hîc dicit ab his causis reprobationis esse cauendum:dicit autem hîc tria:deuotionem audientium , cautelam Christi doctrinarum , & causam quare dicit esse cauendum. Dicit igitur[& multa turba] simplicium simplici veritati intendentium [eum libenter audiebat] propterea quia in potestate erat sermo eius. *Cant.* 2. Vox tua dulcis & facies tua decora. *Cant.* 4. Mel & lac sub lingua tua [&] ideò propter deuotionem ipsorum[dicebat illis] ad vtilitatem eorum , hoc est,turbarum [in doctrina sua] & hæc est doctrina quam rudes in parabolis intelligere non poterant. *Habac.* 2. Exara visum super tabulas, vt percurrat qui legerit[cauete à Scribis qui]hoc est , quia illi[volunt in stolis ambulare] stola est talaris vestis pretiosa, dicta à stolon Græco quod Latine est longū. *Luc.* 16.Induebatur purpura & bysso [& salutari in foro]solemni salutatione , quæ cum muneribus ab inferioribus superioribus consueuit exhiberi. *Matth.*23. Amant salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi[& in primis cathedris]dignitatum[sedere] *Matth.*23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi [in Synagogis] Pontificalibus. *Psal.*106.Exaltent eū in Ecclesia plebis: & in cathedra Seniorum laudent eum [& primos recubitus]in altiori loco eligere [in cœnis] contra hoc quod dicitur *Luc.*14.Recumbe in nouissimo loco.

Qui deuorant]auido dente [domos viduarum] quæ præ cæteris pro animabus maritorum suorum oblationibus sunt intentæ [sub obtentu prolixæ]& simulatæ [orationis] hoc est , obtinentes hoc prolixa oratione. *Gloss.* Quasi patroni in diuino iudicio futuri , ab infirmis & conscientia peccatorum turbatis pecuniam accipere non dubitant:cum commendet Deo orationem porrecta manus ad dandum, & non contracta ad accipiendum *Eccles.* 4. Quibus illud congruit *Psal.* 108. Oratio eius fiat in peccatum. *Matth.* 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ , qui comeditis domos viduarum in oratione longa orantes. Modo autem nostri Sacerdotes & Scribæ domos viduarum comedunt , non sub obtentu longæ orationis : sed sub violentia apertæ deprædationis. *Isa.*3. Quare atteritis populum meum , & rapina pauperis in domo vestra? [hi accipient prolixius iudicium] suæ condemnationis. *Gloss.* Quam qui amant in angulis platearum orare. Hi enim non solum laudem hominum quærunt,sed etiam pecuniam

niam quærunt. *Isai.*27. In mensura contra mensuram cum abiecta fuerit iudicabit eam. *Apoc.*18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit : tantum date illi tormentum & luctum. *Sapient.*6. Potentes potenter tormenta patientur Hoc est ergo quod intendit.

Et sedens IESVS contra gazophylacium , aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylacium , & multi diuites iactabant multa. Cùm venisset autem vidua pauper,misit duo minuta,quod est quadrans.

Hîc tangit causam reprobationis,quæ sumitur ex comparatione in operibus pietatis & misericordiæ : tanguntur autem hîc tria , in quorum primo notatur approbatio generaliter omnium offerentium : in secundo specialiter attenditur oblatio pauperum: in tertio autem ex hoc accipitur instructio Discipulorum. Dicit igitur [Et sedens]hoc est, post detestationem auarorum & superborum quiescens in deuotione fidelium. *Ps.*25. Non sedi in consilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo. Cum his ergo non sedit. *Psalm.*100. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum[contra gazophylacium]*Gloss.* Phylattin Græcè , seruare Latinè: gaze persice , diuitiæ latine. Gazophylacium locus in quo diuitiæ seruantur. Erat autem arca in qua populi donaria congregabantur ad vsus templi : vnde 4.*Reg.*12. Tulit Ioiada Pontifex gazophylacium vnum, aperuítque foramen desuper, & posuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini : mittebántque in eo Sacerdotes , qui custodiebant ostia, omnem pecuniam quæ deferebatur ad templum Domini. Dicebatur etiam porticus quædam in qua fuit hoc gazophylacium : & contra illam sedebat Dominus quando ista dixit : vnde *Ioan.*8. Hæc verba locutus est IESVS in gazophylacio[aspiciebat]per approbationem[quomodo turba iactaret æs in gazophylacium] 1.*Paralip.*29. Populum tuum , qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio offerre tibi munera. Domine Deus custodi hanc voluntatem [& multi diuites] de hoc quod sibi abundauit [iactabant] in gazophylacium [multa] *Tob.*4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si parum , hoc ipsum libenter impertiri stude[Cùm venisset autem] ex deuotione [vna] in paupertate & deuotione ab aliis excepta [vidua] solatio & lucro viri destituta [pauper] in rebus fortunæ non sibi sufficiens [misit duo minuta] cum denarius vsualis valuerit decem : duo minuta erant quinta pars denarij,vt videtur. *Marcus* tamen dicit [quod est quadrans] *Gloss.* Quadrantem vocant calculatores quartam partem cuiuslibet rei,scilicet, loci temporis,pecuniæ:forsitan ergo hic quartam partem siculi, hoc est,quinque obolos signat Si autem minuta erant quinta denarij forsitan grauiora fiebant vt quartam facerent, hoc est, quod habebant duas.

Et conuocans Discipulos suos ait illis : amen dicò vobis quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserunt: hæc vero de pecunia sua omnia quæ habuit misit , totum victum suum.

Et vocans Discipulos] qui erant specialiter instruendi, tanquam Ecclesiæ Prælati futuri [ait illis] Dicit autem duo:commendationem oblationis , & rationem commendationis. Dicit igitur [Amen dicò vobis]Affirmatione vtitur:quia opinione hominum quantum & non ex quanto offeratur attenditur [quoniam vidua hæc] solatio patroni carens [pauper] sibi non sufficiens [plus omnibus misit] Non effectu ponderis , sed affectu deuotionis [qui miserunt] suas [in gazophylacium]oblationes. *Hieronymus.* Intimatur quam sit acceptabile Deo quod offertur bono animo: qui non offerentium substantiam,sed pensat conscientiam : nec perpendit quantum offeras in eius sacrificio,sed ex quanto. Vnde *Genes.*4. Respexit Deus ad Abel & ad munera eius : ad Cain vero & ad munera eius non respexit [Omnes enim ex eo quod abundabat illis,miserunt]& hoc quidem est bonum , quamuis non sit perfectum. *Luc.*11. Quod superest date eleemosynam : & omnia munda sunt vobis[hæc vero]vidua pauper[de pecunia sua] in qua sibi non sufficit. *Iob* 31. Si comedi buccellam meam solus,& non comedit alienus ex ea[omnia quæ] ad manum[habuit, misit] *Luc.*12. Vendite quę habetis,& date eleemosynam [totum victum suum] quem habuit pro viatico ad templum se Deo in totum de cætero committens *Psalm.*40. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem : in die mala liberabit eum Dominus. Sic ergo causa reprobationis sufficienter est determinata.

CAPVT XIII.

Et cùm egrederetur de templo, ait illi vnus ex Discipulis suis: magister , aspice quales lapides, & quales structuræ. Et respondens IESVS ait illi, vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

TANGITVR hic reprobationis modus & effectus , quia in effectu ponderatur modus : & diuiditur hæc pars in duas,in quarum prima describitur reprobatio Iudææ & excidium in communi: & in secunda in speciali *ibi* [Et cum sederet in monte Oliueti]Adhuc autem prior in duas partes diuiditur , in quarum prima demonstratio fit status templi & Synagogæ : & in secunda in communi prædicitur reprobatio & excidium futurum *ibi* [Et respondens IESVS ait, &c.] In prima parte duo tanguntur, scilicet, desertio templi in signo, & demonstratio status templi in ædificio.

Dicit igitur [Et cùm] post laudatam deuotionem vidua in templo [egrederetur de templo] Ipso egressu designans quod deserendus esset locus. *Ezech.*10. Egressa est gloria Domini à limine templi. *Matth.*23. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Egreditur autem Dominus & recedit de templo; quia per incredulitatem Synagoga recessit ab eo. *Osea* 7. Væ quoniã recesserunt à me, vastabuntur quia præuaricati sunt in me: ego redemi eos, & ipli locuti sunt contra me mendacium[ait illi vnus] exceptæ auctoritatis vel exceptæ familiaritatis (Petrus scilicet, vel Ioannes) quasi præ omnibus aliis loquens. Vnde *Matt.*24. *Luc.*21. dicitur, quod Discipuli istam fecerunt demonstrationem[ex Discipulis suis]qui disciplinis suis imbui & erudiri cupiebant, per demonstrationem status templi ad docendum pronocabant. *Hebr.*12. In disciplina perseuerate: se vobis tanquam filiis offert Deus. *Matth.*13. Seorsum omnia Discipulis differebat. Audaciam autem iste accepit à facto Abrahæ. *Genes.*18. Num celare potero quæ gesturus sum? *Amos* 3. Non faciet Dominus verbum nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Hac igitur fiducia dicit iste pro omnibus [Magister] cuius doctrinam secuti sumus. *Ioan.*3. Scimus quia à Deo venisti magister[aspice quales lapides] in quantitate & qualitate firmitatis & decoris [& quales structuræ]In arte enim & materia ditissima fuit, & ars mirabilis. 2. *Paral.*2. Domus hæc quam ædificare cupio talis esse debet, qualis non sit in vniuersa terra.

Et respondens IESVS ait illi] in communi desolationem prædicens [Vides has magnas ædificationes]tam in templo quam in aliis habitaculis Sacerdotum. 2. *Paral.*2. Domus quam ædificare cupio magna est; magnus est enim Dominus Deus noster [Non relinquetur lapis super lapidem]propter peccata inhabitantium[qui non destruatur]hoc est, comminuatur. 2. *Machab.*5. Factus est locus particeps malorum populi. Destruitur etiam quia in figura fuit factus: & ideò apparente veritate destruitur figura. *Ierem.*26. Sion quasi ager arabitur: & Ierusalem in acerum lapidum erit: & mons domus Domini in excelsa syluarum.

Et cum sederet in monte Oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus & Ioannes & Andreas.

Hic incipit pars in qua in speciali describitur excidium: & habet duas partes, in quarum prima à Discipulis proponitur quæstio: in secunda autem ad quæstionem aptatur responsio *ibi* [Et respondens IESVS cœpit illis dicere] In prima harum tria dicuntur, scilicet, loci congruitas, quærentium idoneitas, & quæstionis difficultas. Dicit igitur[Et cum sederet]animum quietum indicans. *Psalm.*79. Qui sedes super Cherubin, appare coram Ephraim, Beniamin & Manasse. Super Cherubin enim sedens est super plenitudinem scientiæ in æternis illuminationibus quiescens. Apparens autem coram Ephraim, &c. est se manifestans Discipulis in sapientiæ responsis. Discipuli enim sunt Ephraim in fructu, Beniamin in contemplatione, & Manasses in sui & suorum obliuione [in monte Oliueti] Ibi locus propter fomenta luminis congruebat illuminationi. *Ps.*75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis [contra templum] *Gloss.* Vbi ipse situs corporis congruebat verbis: quia iam contra templum & Synagogam faciem obstinauerat. *Hieronymus.* Mons ille non infructuosas arbores generat: sed oliueta gignit, quibus lumen alitur, vmbra fugatur, requies lassis tribuitur, infirmitas soluitur. Hæc omnia oleum fertilitate, significatione misericordiæ, fomento luminis, illuminatione, vnctione pedum, & vnctione membrorum. *Cantic.*1. Oleum effusum nomen tuum. *Eccli.*9. Oleum de capite tuo non deficiat [interrogabant eum] qui magis erant idonei [separatim] qui secretis eius semper interesse consueuerunt[Petrus]Apostolorum vertex [& Iacobus & Ioannes] qui in omnibus familiarius sibi admissi fuerunt [& Andreas] qui primus ad testimonium Ioannis ad Christum conuersus fuit. *Ioan.*1. Vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, erat Andreas frater Simonis Petri.

Dic nobis quando ista fient? & quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari?

Ecce quæstiones duas faciunt: vnam de tempore, & aliam de signis tempus præcedentibus. Dicit igitur[Dic nobis]familiaribus tuis. *Ioan.*15. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis [quando hæc fient] de templi destructione, quia scimus quod tunc nihil eis regnum tuum prævalebit. *Act.*1. Qui conuenerant interrogabant eum dicentes. Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël [& quod signum erit quando hæc omnia incipient consummari] Omnia dicit, quia multa ad hæc quæ dicuntur exiguntur, in depressione potestatis, in amissione loci, in destitutione auxilij, & in destructione templi: & ideò dicit omnia. In hoc autem Discipuli laudantur quod desiderant finem Iudææ & mundi: quia pro hoc sciunt quod incipiet felicitas Sanctorum & beatitudo. *Eccli.*5. Dulcis est somnus laboranti siue parum siue multum comedat, hoc est, somnus æternæ contemplationis: sicut peregrinus quærit viæ terminum. *Hebr.*11. A longè promissiones aspicientes & salutantes & confitentes quoniam peregrini & hospites sunt super terram. Et quidem qui hoc dicunt, significant se patriam inquirere. Sic mercenarius quærit finem temporis laboris sui. *Iob* 7. Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui; sic & ego dies laboriosos & menses vacuos enumerauí mihi. Sic prægnans computat menses parturitionis suæ. *Ioan.*16. Mulier cum parit, tristitiam habet. Cùm autem pepererit puerum, iam non meminit præsturæ, quia natus est homo in mundum.

Et respondens IESVS, cœpit illis dicere, videte nequis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes quia ego sum, & multos seducent.

Et respondens IESVS, cœpit]quia propter infirmitatem Discipulorum consummare dicenda non potuit[illis dicere] *Ioan.*15. Adhuc multa habeo

beo vobis dicere, sed non potestis portare modo [Videte] Hic incipit pars in qua particulariter signa destructionis determinat. Habet autem duas partes, in quarum prima ponuntur signa communia & aduentus Domini ad iudicium extremum, & destructionis Iudææ: in secunda autem, specialia signa ponuntur aduentus ad vniuersale & vltimum iudicium *ibi* [Erunt autem tribulationes tales] Adhuc in prima harum primò ponit signa propinqua *ibi* [Cùm autem videritis, &c.]In primo duo facit, in quorum primo duo tangit signa tristitiæ: & in secundo intermiscet quædam de consolatione *ibi* [Et in omnes gentes] Adhuc in prima triplicia signa inducit: quorum primum est, signum seductionis à veritate: secundum autem, signum commune de pacis impugnatione *ibi* [Cùm autem audieritis, &c.] tertium autem, signum speciale de fidelium admonitione & admonitionis ratione.

Videte nequis] cuiuscunque apparitionis in religione[vos seducat] vt à veritate fidei deuietis. 1. *Corinth.*2. Nemo vos seducat. 2. *Thess.*2. Nequis vos seducat vllo modo[multi enim venient] ratio est admonitionis. Et benè dicit[multi]quia in multa partiti. 1. *Ioan.*4. Multi Pseudoprophetæ exierunt in mũdum. *Sap.*4. Multigena impiorum multitudo non erit vtilis [venient] non missi à me. *Ioan.*5. Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me: si alius venerit in nomine eius, illũ recipietis. 2. *Thes.* 2. Quia non crediderunt veritati mittet illis operatorem erroris. *Philip.* 3. Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis inimicos crucis Christi[in nomine meo]hoc est, nomen meum inuocantes & signa facientes. *Matth.* 7. Multi dicent mihi in illa die: Domine, in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo Prophetauimus, & in nomine tuo signa multa fecimus; & ego confitebor illis, quia ego nunquam noui vos [dicentes] ex præsumptione [quia ego sum]Christus Dei electus, quorum vnus fuit Iudas Galilæus, & vnus Theodas de quibus *Act.*5. Præcipuus tamen in primitiua Ecclesia fuit Simon Magus, qui sicut dicit *Hieron.* credebatur esse magna virtus Dei. Qui inter cætera in suis voluminibus scriptum hoc dereliquit: Ego sum sponsus, ego sum omnipotens, ego sum anima Dei, ego sum sermo Dei [& seducent multos] seorsum abducentes à veritate. Et maximè Simon qui omnes fere viros Ecclesiasticos in suam seduxit hæresim. *Act.*8. Cum vidisset Simon quia per manus impositionem Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit Apostolis pecuniam dicens: Date mihi hanc potestatem vt cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum sanctum. *Eccles.*10. Pecuniæ omnia obediunt.

Cùm audieritis autem bella & opiniones bellorum, ne timueritis. Oportet enim hæc fieri sed nondum finis.

Tangit signa quæ fiunt de impugnanda pace, & ante excidium Iudææ, & ante finem mundi communiter. Hæc autem tangit dupliciter, scilicet, in communi, & in speciali. In primo duo dicit signum impugnandæ pacis, & consolationem contra instantiam tribulationis. Dicit igitur [cùm audieritis bella]remota à Iudæa [& opiniones bellorum]maiorum, quę surrectura opinantur per quæ Sanctorum probatur patientia. *Iacob.*1. Patientia opus perfectum habet, vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes [ne timueritis]confortationem contra hæc mala inducit, & rationem confortationis. Dicit igitur [ne timueritis] *Matt.*10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. *Prouerb.*28. Fugit impius nemine persequente: iustus autem quasi leo confidens, absque terrore erit. *Prouerb.*12. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit. Et subingit istius confortationis rationem[oportet enim]hoc est, conueniens est ad probationem electorum. 1. *Corinth.*11. Oportet hæreses esse, vt hi qui probati sunt manifesti fiant in vobis[sed nondum statim finis] nec Iudææ, neque mundi: quia ista sunt signa remotè incipientia non propinqua. Vnde *Matth.*24. His autem fieri incipientibus respicite & leuate capita vestra, quia iam appropinquat redemptio vestra.

Exurget enim gens contra gentem & regnum super regnum: & erunt terræ motus per loca, & fames. Initium dolorum, hæc.

Hæc sunt signa propinquiora: & duo dicit: signa periculi, & cautelam. Signa autem sunt tria: quia, scilicet [gens exurget contra gentem]gens, scilicet, Iudæorum contra gentem vicinarum gentium. *Isa.* 19. Pugnabit vir contra amicum suum, ciuitas aduersus ciuitatem [& regnum aduersus regnum]Romanorum regnum contra regnum Iudæorum; vt intus per seditionem, & extra per bella debiles in sua destructione inueniantur. *Luc.*21. Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. *Gregor.* Bella ad hostes pertinent, seditiones ad ciues. Vt ergo nos indicet, interius exteriusque turbari, aliud nos fatetur à ciuibus, & aliud ab hostibus perpeti. *Isa.*9. Vnusquisque carnem brachij sui vorabit. Manasses, Ephraim; & Ephraim Manassem: & simul hi contra Iudam [& erunt terræmotus] secundum signum quod terræmotus magni ante destructionem Iudææ apparuerunt. *Luc.*21. Erunt terræmotus per loca, & pestilentiæ, & fames. Ex æstus enim distemperantia fames exoritur, eo quod fructus non nascuntur: in Iaruim autẽ in excidio hoc malum accreuit quod mulieres nobiles suos proprios filios comederunt. *Thren.*4. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos, facti sunt eis in cibum in contritione filiæ populi mei [initium dolorum hæc] sed non consumatio. Quia finis dolorum multò est acerbior illis quam sunt temporalia, sed consummatio dolorum erit æterna. *Matthæi* 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius. *Deut.*32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad infernum nouissimum.

Videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis vapulabitis, & ante Reges & Præsides stabitis propter me, in testimonium illis.

Cautos reddit, & ponit hic cautelam. Dicit autem

tem tria monet enim cauere, & dicit cautelæ necessitatem, & passionis honestatem. Dicit igitur [videte vosmetipsos] hoc est, considerate vt vobismetipsis caueatis. *Luc.*21. Cauete autem ab hominibus *Act.*19. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam quam acquisiuit sanguine suo. *Gloss.* Quare hæc omnia inferantur dicit [videte, &c.] ea enim vel sola vel maxima causa est excidij; quia post occisionem Domini nominis quoq; ac fidei præcones simul & confessores impia crudelitate vexabant: & ideò multùm erat Apostolis cauendum [tradent enim vos] ecce necessitas cautelæ: quia [tradent vos] proditione ad damnationem [in conciliis] consistoriorum suorum, in quibus accusationes contra vos & sententias inquirent. *Gen.* 49. In concilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea. *Isa.*1. Iniqui sunt cœtus vestri [& in Synagogis] hoc est, conductionibus & congregationibus post concilij sententiam [vapulabitis] plagas recipietis, & flagellationes. De hac Synagoga dicitur *Ecc.*2 Stupa collecta Synagoga peccantiũ *Ps.*15. Non congregabo conuenticula eorum de peccantibus. *Apoc.*2. Probasti eos qui se dicunt esse Iudæos & non sunt: sed sunt Synagoga Satanæ. De vapulatione dicitur *Act.*5. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. 2.*Corinth.*11. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum 2. *Machab.* 7. Flagris taurinis cruciati.

Et ante Reges] maiores [& Præsides] prouinciarum indices [stabitis] iudicandi. *Iacob.* 2. Diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi pertrahunt vos ad iudicia. Vnde *Ecclesiasticus* 51. Petit se liberari à Rege iniquo & à lingua mendacij. *Dan.*3. Tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum: & regi iniusto & pessimo vltra omnem terram [propter me] honestissima causa est passionis, *Matth.* 5. Beati eritis cùm maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersus vos propter me: gaudete in illa die & exultate. 1.*Petr.*3. Siquid patimini propter iustitiam, beati: timorem autem eorum ne timueritis, vt non conturbemini: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris [in testimonium illis] hic est fructus, vt illis testificemini fidei veritatem: quod erit eis testimonium salutis si crediderint. Vel [testimonium] condemnationis si non crediderint. *Act.* 9. Vas electionis erit mihi iste: vt portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filiis Israël. Vnde *Luc.*16. Diues in inferno petiuit vt Lazarus testetur fratribus suis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum. *Act.*1. Eritis mihi testes in Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ.

Et in omnes gentes primum oportet prædicari Euangelium.

Intermiscet hic aliquid consolationis. Tangit autem tria: profectum prædicationis, administrationem sapientiæ, & eloquentiæ pro eis satisfacientem, & pro omnibus qui perseuerauerint promissionem salutis.

Dicit igitur [& in omnes gentes] *Gloss.* Diuinitus procuratum est vt patefacta per orbem euangelicæ fidei gratia, ipsum templum cum ceremoniis tolleretur, ne forte aliquis paruulus adhuc ac lactens in fide, si videret manere illa à Prophetis facta à Domino instituta: admirando sanctum seculare, paulatim ad Iudaismum relaberetur. Aufertur ergo vmbra, & palmam tenet veritas per orbem declarata. Hæc ergo est consolatio, vt prius per orbem veritas prædicetur. *Isa.* 27. Qui egrediuntur impetu ex Iacob, florebit & germinabit Israël. Et implebunt faciem orbis semine. Alia *Gloss.* Ne de perditione gentis vestræ tristemini: quia socios de omnibus gentibus estis habituri. Et hoc est [in omnes gentes] longè latéque [primum] ante finalem templi destructionem prædicauerunt Discipuli, quorum fama peruolauit totum orbem terrarum [oportet prædicari Euangelium] *Psal.*18. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Marc. vl.* Prædicate Euangelium omni creaturæ. Et tunc persequentibus vos Iudæis apud gentes habebitis refugium. *Isa.*16. Absconde fugientes, & vagos ne prodas, Moab esto latibulum eorum. Vnde in historia Egesippi dicitur quod cum vastaretur Iudæa: fideles qui in Iudæa erant, admoniti per oraculum recedentes à Iudæa saluati sunt in finitimis regionibus: ita quod eos gladius Romanorum non inuenit.

Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum fuerit vobis in illa hora id loquamini. Non enim vos estis loquentes: sed Spiritus sanctus.

Secundum est in quo ad consolationem traditionis dicit qualiter spiritus pro eis loquentis accipient donum consolationis. Dicit igitur [& cum duxerint vos] ad concilia, & Synagogas, & Reges, & Præsides [tradentes] proditiosè ad supplicia [nolite] in humano sensu confidentes [præcogitare] per humanam sapientiam [quid loquamini] 2. *Corinth*, 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. *Eccles.*43 Multa dicimus & deficimus in verbis, consummatio sermonum ipse est. 1.*Cor.*1. Perdã sapientiam sapientium, & prudentiã prudentium reprobabo. *Abd.*1. Perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau [sed quod datum fuerit vobis] à Spiritu sancto. *Psal.* 80. Aperi os tuum, & ego implebo illud. Datur autem à Spiritu sancto quicquid per studium diuinę scripturæ, & contẽplatione Spiritus sanctus reuelauerit. Vnde hoc quod dicit non dicit vt non præmeditemur: sed vt in humana sapientia spem non ponamus: quin semper oremus vt Spiritus sanctus & illuminare cor dignetur, & dirigere linguam. *Luc.*21. Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite præmeditari qualiter respondeatis. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Et hoc est quod dicit [sed quod datum fuerit vobis in illa hora id loquamini] *Luc.*21. Ego dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri [non enim vos estis] ratio est antedictorum, quia [vos] inquam, homines ab humano sensu [non estis loquentes] *Sap.*9. Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ. *Iob* 3. Viro cuius abscondita est via, & circundedit eum Deus tenebris [sed Spiritus sanctus]

*Matth.*10.

*Matth.*10. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. *Iob* 32. Vt video spiritus est in hominibus: & inspiratio Altissimi dat intelligentiam. *Act.*2. Loquebantur variis linguis Apostoli, prout Spiritus sanctus dabant eloqui illis.

Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos: & eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic saluus erit.

Tertium est amarissimum genus persecutionis, quia non habet consolationem nisi de perseuerantia quæ est meritum salutis. Dicit igitur [Tradet autem] proditione [frater] infidelis [fratrem] fidelem [in mortem] *Ierem.*9. Vnusquisque à proximo suo se custodiat, & in omni fratre non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit. *Mich.*7. Omnes sanguini insidiantur, & vir fratrem suum venabitur in mortem [& pater filium] supple, tradet in mortem: pater infidelis filium fidelem. Hic est pater de quo dicitur *Ezech.*16. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chetæa [& consurgent filij] infideles [in parentes] hoc est, contra parentes fideles. 1.*Reg.*16. Filius meus coniurauit aduersum me. *Matth.*10. Filius in patrem suscitabitur, & filia in matrem [& morte afficient eos] *Ioan.*16. Venit hora vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo [& eritis odio hominibus] humanum sapientibus. *Ioan.*15. Quia ego elegi vos de mundo: ideò odit vos mundus [propter nomen meum] hoc est, consolationis: quia delectabile est propter amorem nominis Domini esse odiosum. *Psalm.*68. Improperia improperantium tibi ceciderunt super me [Qui autẽ sustinuerit vsque in finem] Ecce consolatio perseuerantiæ [hic saluus erit] *Ezech.*9. Omnem super quem videritis thau, ne occidatis. Thau enim vltima litera est figuram crucis habens, & perseuerantiam in cruce significat. *Apoc.*1. Vidi filium hominis vestitum podere. Poderis est talaris vestis, & significat perseuerantiam vsque in finem: quia talus est finis corporis. *Sapient.*18. In veste poderis eius totus erat pictus orbis terrarum, parentum magnalia: quia omnes per perseuerantiam sunt saluati ab initio mundi qui saluati sunt.

Cùm autem videritis abominationem desolationis stantem vbi non debet (qui legit intelligat)

Tangit hic signa valde propinquã desolationis: dicit autem duo. Signum propinquum, & consequens periculum. Dicit igitur [Cum autem videritis] oculis corporis [abominationem desolationis] hoc est, quæ in proximo desolationem instare significat [stantem vbi non debet] *Gloss. Matth.*24. in loco sancto; quod ideò est, quia in loco sancto abominatio stare non debet. *Glos.* Potest abominatio vel Antichristus intelligi, vel imago Cæsaris quam Pilatus in templo posuit, vel statua Adriani equestris, quę in ipso sancto sanctorum loco multo tempore stetit. Abominatio quoque secundum veterem scripturam idolum nuncupatur: & ideò addit [desolationis] quia in desolato templo atque deserto idolum positum est. *Dan.*9. Post finem dierum statuta desolatio. 2.*Thess.*2. Qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut colitur: ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam ipse sit Deus [qui legit] in Prophetis qui hoc prædixerunt, & maximè in *Dan.*10. [intelligat] esse completum. Vel [qui legit] præterita impleta [intelligat] etiam futura quæ restant esse implenda. *Luc.*18. Consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis. *Matth.* 5. Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege. *Daniel.*11. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur, & Deum quem non cognouerunt patres eius. *Deuter.*32. Noui recentésque venerunt, quos non coluerunt patres eorum: Deum autem qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.

Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes: & qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat vt tollat quid de domo sua: & qui in agro erit, non reuertatur retro tollere vestimentum suum. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate vero vt hyeme non fiant.

Narrat hic instans periculum, dicens [Tunc] omnes Iudæi [qui in Iudæa sunt fugiant ad montes] hoc est, ad deserta. *Iob* 19. Fugite à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est. [& qui super tectum] ad aspiciendum venientem hostem ascendit. *Isai.*22. Quidnam tibi est quia ascendisti & tu omnis in tecta, clamoris plena &c. [non descendat in domum suam] cum mora & inquisitione rerum suarum, quia si moram traxerit in fuga pro certo comprehendetur. *Amos* 2. Peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam, & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus fugiet. Et hoc est quod sequitur [nec introeat vt tollat] cum mora [quid de domo sua] quia tantum erit periculum quod à fuga præoccupabitur: & sic etiam multi qui nimis diu cogitant ordinare de domo sua, adhuc sæpe præoccupantur. 2.*Timoth.*2. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus. *Hieronymus in proœmio primo galeato.* Si habes in tua potestate rem tuam, vende: si non habes, proiice. Hærenti in salo nauiculæ funis magis est præcidendus quam soluendus [& qui in agro erit] fortè ad agri fructus colligendos, vel ad agrum excolendum [non reuertatur retro] vt fructus collectos domum deducat, vel vt instrumenta cultus agri in domo reponat: quia periculum instat. Et quia tales laboratores cultiora vestimenta domi relinquunt: ideò dicit quod [non reuertatur tollere vestimentum suum] cultius vt illud secum apportet: quia intercipitur ei via ab hostibus. *Isa.*30. Velociores erunt qui persequentur vos. Mille homines à facie terroris vnius & à facie terroris quinque, fugietis, donec relinquamini quasi malus nauis in vertice montis.

Væ autem prægnantibus] quia pondere vteri fugere non poterunt: & ideò deficientes scindentur ne fructus ex eis proueniat. 4.*Reg.*15. Percussit Manahem Thapsam, & omnes qui erãt in ea. Noluerant

luerant

luerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes eius,& scidit eas. *Isa.37.* Venerunt filij vsque ad partum,& non erat virtus pariendi[& nutrientibus in illis diebus] tantæ tribulationis,quia nutrientes nec curam infantibus exhibere possunt, nec studere ad cibum vnde lac dent filiis suis. *Thren.4.* Paruuli petierunt panem,& non erat qui frangeret eis. *Thren.2.* Matribus suis dixerunt, vbi est triticum? cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum. Vel fortè ideò vt dicit *Egesippus*, quia natos coactæ sunt matres comedere. *Thren.4.* Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei [Orate ergo vt hyeme non fiant] quia omnibus testantibus impedimentis de tollendis rebus, vel pondere prægnantium, vel solicitudine nutriendi: asperitas hyemis à fuga vos prohibeat. *Gloss. Matth.24.* dicit. Orate vt non fiat fuga vestra hyeme vel Sabbato: quia in sabbato propter religionem & hyeme propter temporis asperitatem fuga non patebit. Hæc tamen *glossa* spiritualiter exponit sic dicens: Orate autem ne finiatur fructus operis vestri cum fine temporis. Hyeme enim finitur fructus, sabbato tempus. Fructus enim qui tempore finiuntur temporales sunt. *Cant.2.* Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.

Erunt enim dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ quam condidit Deus vsque nunc, neque fient. Et nisi breuiasset Dominus dies, non fuisset salua omnis caro: sed propter electos quos elegit, breuiauit dies.

Tangit hîc specialiter signa diem extremi iudicij præcedentia. Diuiditur autem pars ista in tres partes, in quarum prima dicit signa præcedentia: in secunda autem confirmat veritatem illorum *ibi* [Amen dico vobis quoniam non transibit] In tertia autem dicit quod dies vltimi iudicij est hominibus occulta, & occultationis innuit causam *ibi* [De die autem illa,&c.] Prima harum partium diuiditur in duas partes, in quarum prima dicit tribulationis extremæ acerbitatem & periculum: in secunda autem ipsorum signorum vicinum signum ponit *ibi* [Sed in illis diebus] Adhuc autem prior harum diuiditur in duas partes,in quarum prima tribulationis dicit acerbitatem: & in secunda seductorum dicit periculositatem *ibi* [Et tunc si quis vobis dixerit] In prima harum tria dicuntur: describitur enim tribulationis acerbitas, describitur eiusdem breuitas, & describitur causa breuitatis.

Dicit igitur[Erunt quoque ante finem vltimæ destructionis [tribulationes tales] *Gloss.* Hoc propriè ad Antichristum refertur, quando crebriora & acerbiora tormenta inferentur fidelibus, & quod grauius est, signa quoque comitabuntur [quales non fuerunt ab initio creaturæ] cum ante semper mali bonos sint persecuti à primo Abel iusto quem occidit Cain. *Gen.4.* *2.Timoth.3.* Omnes qui piè volunt viuere in Christo, persecutionem patientur[vsque nunc] *Dan.12.* Veniet tempus quale non fuit ex quo homines esse cœperunt super terram. Quia tres fuerunt Ecclesiæ persecutiones: prima tyrannorum: secunda, hæreticorum: tertia, falsorum fratrum: vltima autem persecutio constabitur ex omnibus his [neque fiet] vlterius talis tribulatio. *Psalm.114.* Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. *Isa.19.* Dirumpetur spiritus Ægypti in medio eius. *1.Thess.5.* Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus tanquam dolor in vtero habentis.

Et nisi breuiasset dies Dominus] Hoc est de consolatione, quia summum mali diu durare non potest [non fuisset omnis caro salua] quia caro infirma est, & diu tribulationem sustinere non potest. *Genes.6.* Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Et loquitur ibi Dominus de spiritu iræ suæ quem infirmitas carnis diu sustinere non potest. *Psalm.29.* vbi nos habemus: quoniam ira in indignatione eius, ibi habet *translatio Hieronymi.* Ad momentum & parumper abscondi faciem meam à te. *Iob.26.* Cum vix paruam stillam audierimus sermonum eius, tonitruum magnitudinis eius quis poterit sustinere?

Sed propter electos] Tertium est propter quos breuiauit: & hoc est propter electos, quos elegit finaliter à massa perditionis separando [breuiauit dies] extremæ tribulationis: vel post mortem Antichristi, sicut dicitur *Dan.12.* quia tunc dabuntur quadraginta dies in pœnitentiam, vt hi qui conuerti volunt agant pœnitentiam. *1.Corinth.7.* Tempus breue est. *Ephes.2.* Redimentes tempus quoniam dies mali sunt. *Ioan.16.* Modicum & non videbitis me. Hoc vna *glossa* exponit de tempore ante iudicium quod modicum est respectu æternitatis. *Apoc.1.* Tempus enim prope est. *Isa.13.* & 14. Prope est vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Israël.

Et tunc siquis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Exurgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

Tangit periculum seductionis in falsis Prophetis: & tangit tria: periculum seductionis, admonitionem prouisionis, & signa vicina Dominicæ ad iudicium manifestationis. Dicit igitur [Et] in diebus illis [tunc] in vltima persecutione [siquis] cuiuscunque professionis vel auctoritatis [vobis] vel successoribus vestris vel plebibus vobis commissis [dixerit: Ecce hic est Christus] in vnius vel alterius hæresis conuenticulis sicut Arrius in sua perfidia dixit Christum: & Donatus in sua: & Mahumeth in sua: & ita venient multi similia dicentes in nouissimis temporibus [Ecce illic] Et inducent auctoritates scripturæ male intellectas ad suæ perfidiæ confirmationem. *2.Tim.3.* In nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa: & post pauca. A veritate quidem auditum auertent, ad fabulas verò conuertentur, *& post pauca.* Coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus [ne credideritis] *Deuter.13.* Ne acquiescas vt audias, neque parcat ei oculus tuus vt miserearis. Et dicit causam [Exurgent enim] in tempore illo [Pseudochristi] qui reuera Antichristi erunt, sed se Christos esse mentientur. *2.Ioan.1.*

Antichristi

Antichristi multi sunt & *Ibid.* Omnis qui soluit Iesum non est ex Deo: & hic est Antichristus de quo audistis quia veniet [& Pseudoprophetæ] qui visiones & somnia prædicunt vt homines à fide catholica auertant. *Deut.13.* Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium se vidisse dicat: & prædixerit signum aut portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: eamus & sequamur Deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis: non audies verba Prophetæ illius, & somniatoris. *Matth.7.* Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces [& dabunt signa & prodigia] quæ digito produntur & demonstrantur propter admirationem. *2.Thess.2.* Cuius aduentus erit secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis his qui pereunt [ad seducendos] qui pessimus est finis [si fieri potest] hoc est, si fieri posset [etiam electos] quos Deus [elegit] non seducendos finaliter. Et hoc ideò contingit: quia veritati credere noluerunt. *2.Timot.2.* ideò, quia charitatem veritatis non receperunt, mittet illis Deus operationem iniquitatis, vt credant mendacio qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Vos ergo videte, ecce prædixi vobis omnia: Sed in illis diebus post tribulationem illam Sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stellæ cæli erunt decidentes, & virtutes quæ in cælis sunt mouebuntur.

Admonitio est cautelæ: & quia iacula quæ præuidentur minus feriunt: ideò dicit [ecce prædixi vobis] *Ioan.14.* Et nunc dixi vobis antequam fiat, vt cum factum fuerit credatis [sed in illis diebus] periculosæ tentationis Antichristi [post tribulationem illam] quam in persequendo sanctos mouebit Antichristus: iam Antichristo mortuo, cùm iam Iudæi cognouerint se esse deceptos [Sol contenebrabitur] & quia sol contenebrabitur: ideò etiam [luna] quæ non habet lumen nisi à sole [non dabit splendorẽ suum] ad cursum generationis & corruptionis causandum [& stellæ cæli] quæ in imaginibus suis sunt causæ figurarum in inferioribus [erunt decidentes] non quod corporaliter cadant de cælo, sed quoad effectum quem in sphera generatorum & corruptorum facere consueuerunt. *Ioel.2.* Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum: & Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam [& mouebuntur] cæli & terra *Isa.24.* Erubescet Sol & confundetur Luna cùm regnauerit Dominus. *Isa.13.* Obtenebratus est Sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo. *Apocal.6.* Sol factus est niger quasi saccus cilicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ ceciderunt de cælo super terram. *Gloss. Hieron.* Stellæ erunt decidentes à lumine quando pœnæ deerit semen Abrahæ cui sunt assimilatæ [& virtutes quæ in cælis sunt] vt cælos moueant Angeli qui virtutes vocantur [mouebuntur] à consueto ordine officiorum suorum: quia tunc maiora dabunt signa. *Matth.24.* Nam virtutes cælorum mouebuntur. *Ps.102.* Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius. *Glossa* Quid mirum tremere homines: cùm aspectu diuini iudicij tremant Angelicæ potestates. Vnde *Iob 26.* Columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. Quid patietur virgula deserti, vbi patietur cedrus Libani?

Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria. Et tunc mittet Angelos suos, & congregabit electos suos à quatuor ventis à summo terræ vsque ad summum cæli.

Tangit modum venientis iudicis dicens [& tunc videbunt] & boni & mali oculis corporis [Filium hominis] in forma humanitatis, in qua iudicatus & condemnatus est ab eis [venientem in nubibus] vt ex nube terribilis appareat. *Apocal.1.* Ecce venit cum nubibus: & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Vnde *Act.2.* Cùm Apostoli à se recedentem viderent in nubibus, responsum fuit eis ab Angelis: Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum [cum virtute magna] contra inimicos quos deprimet [& gloria] propter bonos quos glorificabit. *Matt.26.* Amodo videbitis Filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate [& tunc] ante Resurrectionem communem [mittet Angelos suos] qui administratorij spiritus erant in merito, vt etiam congregent bonos & malos in iudicio [&] per illos [congregabit electos] ab omnibus elementis in quę putrefactione resoluti sunt. *Ps.49.* Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia. Vnde *Gloss.* Vt triticum de area totius terræ ventilatum congregent in horreum cæli [à quatuor cæli ventis] Aquilonis, & Austri, Orientis, & Occidentis, & omnibus mediis spatiis. Et hoc est secundum terræ latitudinem, secundum quatuor elementa, quæ alio modo septem esse dicuntur climata secundum latitudinem à Meridie in Aquilonem mensurando per totum ortum & occasum, laudabile nomen Domini [à summo terrę] secundum longitudinẽ terrę, quæ mensuratur ab ortu solis vsque ad occasũ secundum distantiam lineæ meridianæ in omni loco habitabili [vsque ad summum cæli] in eadem longitudinis mensura. *Isa.44.* Adducam semen tuum, dicam Aquiloni da, & Austro, noli prohibere. *Ezech.37.* A quatuor ventis veni spiritus & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant. Sic ergo signa aduentus Domini sunt determinata. Hæc autem quidam mysticè exponunt: sed quia hæc fidem catholicam sonant, ideò hæc aliter quam iacent exponere non audemus. Dicunt enim *Hieronymus & Gregor.* quod hæc magis speranda sunt sunt quam tractanda.

A ficu autem discite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia: cognoscitis quia in proximo sit æstas: sic & vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.

Ponit per similitudinem signum certitudinis

à ficu ſumptam:quia illa ſi mala eſt, mala eſt valde:& ſi bona eſt,bona eſt valde. Et quia iudicium valde malum eſt malis,& valde bonum iuſtis,ideò ab hac arbore ſumit parabolam, hoc eſt, ſermonem ſimilitudinis [cum iam ramus eius] de gemma eiuſdem anni exortus [tener ſit] & humidus & calidus[& nata ſunt folia]propter fructus operimenta [cognoſcitis quia proxima eſt æſtas] ad refloritionem.*Cant*.2. Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes odorem dederunt. Et præcedit. Iam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit [ſic & vos] in ſucceſſoribus veſtris [cùm videritis hæc fieri]vltimæ conſummationis prænuntia [ſcitote] ſecuri[quia in proximo eſt in oſtiis]hoc eſt, quod iudicium iam intrat ſuper homines ac ſi ſit in oſtiis.*Iacob*.5. Ecce iudex ante ianuam aſſiſtit. Ab arbore enim ficu ſumit iſtam parabolam, quia inter omnes arbores vltimo vernat & fructificat:& poſtquam fructificare incepit,ante aliam hyemem non ceſſat : & ideò ſignum eſt æſtatis ; & ſimiliter ea quæ inducta ſunt proxima ſigna ſunt vltimæ conſummationis,in qua mundus reflorebit & iuſtitiæ ſereno lumine reſplendebit. Vnde *Iudic*. 9. Dixit ficus : non poſſum deſerere pinguedinem meam,fructuſque ſuauiſſimos,& ire vt inter ligna promoueat.Dulcedo enim ficus,dulcedinem ſignificat futurorum gaudiorum. *Pſal*. 67. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus.

Amen dico vobis, quoniam non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant : cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt.

Omnium inductorum, quia ſupra humanum ſenſum ſunt,ponit hic confirmationem [quoniam non tranſibit generatio iſta]hominum,vel Iudæorum,vel etiam fidelium[donec omnia]ad gratiam & iudicium pertinentia [fiant]hoc eſt, impleantur.*Matth*.5.Iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant [cælum] quoad vſum & formarum reuolutionem. Quia ſicut tradunt philoſophi, cælum reuoluitur per formas, propter formarum in inferioribus renouationem. Tunc autem ſtabit:& hoc modo vocatur cælum à celon, quia quoad hoc atteritur, quia ſecundum formas non reuoluetur. *Iob* 14. Donec atteratur cælum, non euigilabit nec conſurget de ſomno ſuo. 2. *Corinth*. 7. Præterit figura huius mundi. *Gloſſ*. Non ſubſtantia. Et hoc vocat Petrus cælorum liquefactionem : quia in igne qui præcedit faciem iudicis, quoad talem reuolutionem quæ generationi deſeruit liquefiet,ſed in ſubſtãtia manebit. 2. *Petr*.3.Veniet dies Domini vt fur,in quo cæli magno impetu tranſient:elementa vero calore ſoluentur;terra autem,& quæ in ea ſunt opera, exurentur. *Gloſſ*.tamen exponit de cælis aëreis ad quos aſcendet ignis, faciem mundi exurens [& terra tranſibunt] quoad faciem iſtam terræ exteriorem, quæ generationi & corruptioni deſeruit. Et hæc eſt opacitas terræ in frigido & ſicco : tunc autẽ erit perſpicua,ſicut cryſtallus vel vitrũ. Tranſibit ergo quoad exteriorem qualitatem, ſed non quoad ſubſtantiã.*Iſa*.65.Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam : & non erunt in memoria priora.& non aſcendent ſuper cor, ſed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum in his quæ ego creo[verba autem mea] fundamentum æternæ veritatis habentia[non tranſibunt] *Pſal*. 101. Tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli.Ipſi peribunt,tu autem permanes,& omnes ſicut veſtimentum veteraſcent:& ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur:tu autem Domine idem ipſe es, & anni tui non deficient.

De die autem illo vel hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo,neque Filius, niſi Pater.

Tangit de illius temporis occultatione propter noſtram ſolicitudinem vt ſemper ſimus parati:& ideò dicuntur hîc duo : occultatio temporis, & præceptum ſolicitæ obſeruationis.De primo dicit [de die autem illa & hora]diem vocat non propter qualitatem temporis,ſed propter lucem claræ manifeſtationis. *Luc*. 17. & *Matth*. 24. Sicut venit fulgur ab Oriente,& apparet in Occidente:ſic erit aduentus Filij hominis. *Apocal*. 1. Videbit eum omnis oculus [& hora] quando ad iudicium veniat.*Luc*.12. Qua hora nõ putatis Filius hominis veniet[nemo ſcit]in Eccleſia.Quia ſcire nõ expedit : melius eſt enim nobis ſemper ſolicitos eſſe, quàm ſcire horam,& ideò ante horam ſemper eſſe pigriores. *Act*. 1. Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta quæ Pater poſuit in ſua poteſtate [nec Angeli]qui tamen plura quàm homines cognouerunt:hoc enim non eſt de pertinentibus ad beatitudinem. *Matth*.24.De die autem illa nemo ſcit,neque Angeli cælorum,niſi ſolus Pater [neque filius]per humanam naturam:vel [neque Filius]quia non facit nos ſcire,cùm tamen ipſe ſciat, ſcilicet,Patrem manifeſtans:& ideò dicitur *Mat*. 24.& *Luc*.21.& 1.*Theſ*.5.Quod dies Domini ſicut fur,ita in nocte veniet. Fur autem in furno, hoc eſt,in nigro venit hominibus occultatus. *Matth*. 24.Ideò & vos eſtote parati ; quia qua hora non putatis Filius hominis veniet [niſi Pater] à quo fons omnis cognitionis eſt : in quo tamen fonte habitant Filius & Spiritus ſanctus.*Eccleſ*.1. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Et ideò dicit *Gloſſ*. In Filio ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi *Coloſ*. 2. Ideò abſcondit, quia ſcire nobis non expedit. Vnde *Act*. 1. Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. In quo oſtenditur vt ſciat,ſed noſſe omnibus non expediat, quod ſemper incerti de aduentu iudicis, ſic quotidie viuant quaſi illa die iudicandi. Scit ergo Filius ſibi, ſed non nobis;vt ſemper ſimus ſoliciti. Et ideò præceptum cautelæ ſubiungit dicens.

Videte, vigilate, & orate : neſcitis enim quando tempus ſit. Sicut homo qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſque operis,& ianitori præcepit vt vigilet.

Dicit autem hîc quatuor : præceptum vigilantiæ,cauſam,ſimilitudinem,& finem;& hoc eſt[videte]per circunſpectionem[vigilate] per ſolicitudinem[orate]per gratiæ deuotam voluntatem.De viſione parum ante, videte nequis vos ſeducat. Et parum infra, videte voſmetipſos. Et iterum, videte : ecce prædixi vobis omnia. Primo modo videre, eſt cauere malum : ſecundo modo videre, eſt conſiderare debitum : tertio modo videre, eſt cautum eſſe ad futurorum aduentum [Vigilate] hoc eſt, totum ſpiritum & caloris charitatem ad Deum expandite. *Eccli*.39. Iuſtus cor ſuum tradet ad Dominum, ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum.*Pſalm*.101.Vigilaui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto : qui ſolus, & præ omnibus auibus mane vigilat [& orate] hoc eſt, affectum totum in Deum extendite. *Luc*.21. Reſpicite & leuate capita veſtra, ecce appropinquat redemptio veſtra. Caput animæ eſt affectus in Deum oratione directus [Videte] parte rationabili [vigilate] ſolicitudine iraſcibili [& orate] concupiſcibili. Et ſubiungit cauſam [Neſcitis enim quando tempus ſit] Et hoc ideò neſcitis, vt ſemper ſitis parati. *Luc*.12. Quia neſcitis quando Dominus veſter venturus ſit. Et hoc idem continetur *Matth*.24. [Sicut homo] Ponit ſimilitudinem [qui peregrè profectus] in cælum per aſcenſionem ſuam [reliquit domum ſuam] hoc eſt,facultatem domus ſuæ [& dedit ſeruis ſuis poteſtatem [*Matth*.25. Vnicuique ſecundum propriam virtutem [cuiuſque operis] ad negotiationem multiplicandorum talentorum pertinentis. Sicut dicitur *Luc*.19. Et dixit eis. Negotiamini dum venio [& ianitori] cuſtodi domus[præcepit vt vigilet] ne aliquis domum irrumpat vel ſuffodiat: ita (Supple) ſe habet veſtrum negotium. *Lucæ*. Vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. *Prouerb*.9. Qui mane vigilauerit ad me,inueniet me.

Vigilate ergo, neſcitis enim quando Dominus domus veniat : ſero, an media nocte, an gallicantu, an mane : ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

Tangit vigiliarum finem : tangit autem duos fines : vnum citra aliud ; finis enim operis eſt quem dicit [Neſcitis enim quando Dominus domus veniat]hoc eſt facturum Dominus,qui venit rationem ponere cum ſeruis ſuis. *Matth*.18. Simile eſt regnum cælorum homini regi qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. *Pſalm*.62. Deus Deus meus : ad te de luce vigilo. Et tempora horarum determinat [ſero, an media nocte] Quatuor horarum tenebras determinat. Et quia tota vita hominis in tenebris eſt, propterea hæ quatuor partes ætatis humanæ vitæ ſignificant. Serò autem, eſt iuuentus ; media autem nox, virilis ætas ; galli autem cantus eſt ſenectus ; mane autem eſt [illegible]. Infantilis enim ætas potius eſt ingreſſus vitæ quam vita. *Matth*.12. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam. 1.*Corinth*.15. Euigilate iuſti, ignorantiam enim Dei quidam habent vſque adhuc. Et ſubiungit cauſam [illegible] ſolicitudinis in vigilando [ne cum venerit repente] hoc eſt, ex improuiſo. 1.*Theſ*.5. Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperueniet eis interitus ſicut dolor in vtero habenti [inueniat vos] *Prouerb*.6. Vſquequo piger dormis ? paululum dormitabis, paululum [illegible] & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus. *Matth*.26. Non potuiſtis vna hora vigilare mecum ? *Apoc*.3.Eſto vigilans,& confirma cætera quæ erant peritura.*Iſa*.26.Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te[Quod autem vobis] Apoſtolis & Prælatis Eccleſiarum [dico] quibus præcipuè vigilare incumbit[omnibus dico] per ſolicitudinem quam ſibi quilibet impendere debet. *Rom*.10. Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. *Marc*.14. Vigilate & orate,vt non intretis in tentationem. 2.*Timoth*.4. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto. De aliis dicitur *Prouerb*.23. Eris quaſi dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clauo.

CAPVT XIV.

Erat autem paſcha & azyma poſt biduum.

Hic ſerta leonis de tribu Iuda inducitur proprietas : quæ eſt, quod hoc animal pugnax eſt ad vincendum, & vulnera corporis non reputat dummodo vincat : quia non fugit, ſed potius mori eligit quàm fugere. Et hoc fecit Chriſtus, mundum, & mortem, & infernum debellando : non timens ſe morti exponere vt ſuos exinde redimeret. *Iſa*.63. Ego qui loquor iuſtitiã, & propugnator ſum ad ſaluandum. Diuiditur autem pars iſta in partes duas,in quarum prima pertractat de Chriſti captiuitate : in ſecunda autem de ſua agitur Paſſione : quæ incipit in cap.15.*ibi*[Et confeſtim mane facto, &c.] Prima autem harum in tres diuiditur partes,in quarum prima ponuntur ea quæ circumſtant Iudæ proditionem : in ſecunda tanguntur ea quæ circumſtant iam proditi Domini captiuitatem *ibi*[At illi manus iniecerunt in eum] In tertia ponuntur ea quæ circumſtant iam captiui Domini examinationem *ibi* [Et adduxerunt IESVM ad ſummum Sacerdotem]Prima harum partium habet partes quatuor, in quarum prima deſcribitur proditionis à proditore conceptio : in ſecunda ponitur proditoris à malitia reuocatio *ibi* [Et primo die azymorum] In tertia ponitur diſcipulorum contra malum ex proditione futurum confortatio *ibi* [Et hymno dicto] In quarta ponitur traditionis perfectio *ibi* [Et adhuc eo loquente] Adhuc autem prior harum in tria diuiditur, in quorum primo ex tempore & ex malitia Iudæorum, proditionis ponitur opportunitas : in ſecundo ex cauſa proditionis proditoris deſcribitur malignitas *ibi* [Et cum eſſet Bethaniæ] In tertio promiſſæ proditionis à Iuda ponitur iniquitas *ibi*[Et Iudas Scarioth]In primo horum duo paragraphi ſunt,ſcilicet, opportunitas traditionis ex impletione temporis, & opportunitas ex pertinacia malignitatis Iudaicæ.

Dicit igitur [Erat autem] omnibus his completis quæ de hiſtoria euangelica dicta ſunt [paſcha] Sicut dicit *Ambroſius*. [illegible] eſt, & tranſitus [illegible]. Paſcha autem græcum eſt, & interpretatur paſſio. *Exod*.12. Eſt enim phaſe, id eſt, tranſitus Domini. Paſcha autem ab agni

agni passione sic vocatur secundum *Ambrosium*. *Luc.22.* Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha, hoc est, agnum patientem. *Augustinus* autem dicit quod tam phase quam pascha hebræum est, & vtrumque transitus interpretatur. Dictum autem *Ambrosij* probabilius est dicto *Augustini*. Tamen pascha dicitur quinque modis: primo enim vespera quartædecimæ lunæ in mense lunari (qui Aprilis dicitur) pascha vocatur. *Matth.26.* Scitis quia post biduum pascha fiet. Secundo dicitur pascha agnus immolatus. *Luc.22.* Vbi vis paremus tibi comedere pascha? Tertio dicitur pascha primus dies azymorum qui fuit mane quintædecimæ lunæ Aprilis. *Ioan.13.* Ante diem festum paschæ sciens IESVS quia venit hora eius. Quartò dicitur pascha azyma quod in pascha comedebatur. *Ioan.18.* Ipsi non introierunt ne contaminarentur, sed vt comederent pascha. Quintò dicitur pascha Christus immolatus. *1.Corinth.5.* Etenim pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur. Hic autem & in *Matthæo* dicitur pascha primo modo cum dicitur [Erat autem pascha] hoc est, initium festi paschæ: quia in vespera quartædecimæ lunæ incipit.

Et azyma] hoc est, tempus in quo azyma primo erat paratum, & hoc est vespera quartædecimæ lunæ. *Exod.12.* Quartadecima die ad vesperum pascha Domini est. Et tunc azyma comedebatur & fermentatum de domibus expurgabatur. *1.Corinth.5.* Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio sicut estis azymi. Tunc enim ratione figuræ congruo tempore, & Christus prodebatur vt agnus innocens, & vetera sacramenta expurgabantur, & noua per sanguinem Christi incipiebant. *Leuit.26.* Nouis superuenientibus vetera proiicitis [post biduum] Hoc ergo fuit in quarta feria: quia tunc post quartam & quintam in nocte (quod est inter quartam & quintam feriam) proditio ista fiebat: & ex hoc obtinuit consuetudo quod in afflictionibus Ecclesiæ secundum locum obtinuit quarta feria apud multas nationes, quæ quartas & sextas ferias ieiunare consueuerunt, sicut beatus Nicolaus: & tunc legitur Prophetia *Isai.42.* Dicite filiæ Sion, ecce Deus noster, ecce merces eius cum eo & opus illius coram illo. Quia tunc de mercede qua venditus fuit est tractatum, & conuentio facta est inter Iudam & Sacerdotes. *Matth.25.* Scitis quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum.

Et quærebant summi Sacerdotes & Scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent, dicebant enim: non in die festo: ne forte tumultus fieret in populo.

Tangitur opportunitas ex parte consummatæ malitiæ Sacerdotum: & tanguntur duo, scilicet, consummata malitia, & opportunitas malitiam perficiendi. De primo dicit [Et quærebant] conuenienti tempore quo prænuntiatum à Propheris, & præfiguratum fuit in sacramento agni typici. Vnde ante illud tempus dixit *Ioan.7.* Tempus meum nondum aduenit [summi Sacerdotes] Pontifices in quibus erat plenitudo potestatis [& Scribæ] in quibus erat consilium literaturæ. Hi ergo quærebant inter se consilium, sicut dicitur *Ioan.11.* Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium & dicebant: Quid facimus quia hic homo multa signa facit [quomodo cautè] ne de manibus eorum liberaretur [eum] IESVM [tenerent] captiuum [& occiderent] per iudicium publicum sicut malefactorem condemnatum: & sic cogitauerunt & occidere & infamare, vt nomen eius vt profanum haberetur: & illi qui ad Christum conuersi fuerant, à fide nominis eius auerterentur [dicebant enim] in concilio ad inuicè loquentes [Non in die festo] Festum totam solennitatem septem dierum paschæ vocantes. Hoc autem non dicebant propter festi solennitatem honorandam, sed [ne forte tumultus] Christum liberare volentium [fieret in populo] qui multus valde fuit in Ierusalem in festi celebratione: quia multi credentes in Christum & diligentes eum propter famam miraculorum erant tunc in ciuitate. *Luc.22.* Quærebant opportunitatem quomodo cautè eum traderent sine turbis.

Et cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput eius.

Hic conceptæ proditionis tangitur turpis causa: & dicuntur tria, in quorum primo dicitur vnguenti pretiosi in corpus Domini effusio: in secundo orta contra hoc Iudæ proditoris & furis murmuratio: in tertio benigna à Domino murmurãtium repressio. In primo horum quatuor dicuntur, scilicet, loci in quo factum est dispositio, effundentis vnguentum commendatio, vasis vt totum in Christum expenderetur fractio, & ipsa vnguenti effusio. Dicit igitur [Et cùm esset] hoc dicitur per recapitulationem: quia istud in die sabbati ante palmas est factum. Verba autem quæ præcesserunt die Martis post palmas habita fuerunt, vt dicit *Augustinus* [Cùm igitur esset Bethaniæ] vt ex ipso loco doceret quia ex obedientia Patris venit ad patiendum: Bethania enim domus obedientiæ interpretatur. *Philip 2.* Obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Et hoc etiam demonstratur per domus in qua fuit possessorem, dicitur [in domo Simonis] qui obediens interpretatur. Leprosus autem dicitur non quod tunc leprosus esset: sed quia leprosus fuerit, & à Christo beneficium sanitatis consecutus. Ad hos enim declinauit Dominus vt ostenderet quod dixit *Matth.9.* Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Vnde *gloss.* Nomen pristinum habet vt virtus curantis appareat: leprosus erat, sed à Domino curatus fuerat [& recumberet] iam in humanæ salutis refectione. *Cant.1.* Cùm esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

Venit mulier] Tangitur descriptio mulieris. Dicit ergo [Venit] Non vocata, sed propria deuotione attracta [mulier] Benè mulier: quæ tantum virum emolliuit [habens] magnis sumptibus comparatum [alabastrum] Pyxis fuit facta de marmore, quod alabastrum vocatur: & genus marmoris vnguenta & aromata in vigore suo conseruans, & ideò dicitur [alabastrum vnguenti] *Beda.* Alabastrum est marmor candidum variis guttis distinctum, quod vnguenta incorrupta conseruat. Et commendat vnguenti pretiositatem, dicens [nardi] quia de nardo facti [spicati] quia spica in nardo odorifera est plus reliquis partibus [pretiosi] quia caro pretio fuit emptum. *Cant.4.* Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Vnde *Ioan. 12.* Dicitur Nardi pistici, hoc est, fidelis pretio dicitur. *Prou.17.* Vnguento pretioso, & variis odoribus delectatur cor. Vnguentum enim illud significat orationis deuotionem: & illud ex pretiosissimis odoribus virtutum componitur, & maxime de spica nardi quæ significat humilitatem. *Cant.4.* Cypri cum nardo: nardus & crocus cum vniuersis lignis Libani, hoc est, ex calore charitatis quæ significatur per cyprum: & ex humilitate nardi, & ex nardi iterata humilitate: quoniam nos humiliamur ex consideratione infirmitatis nostræ, & altitudinis Dei: crocus autem, significat mortificationem carnis: ligna autem Libani, diuersarum virtutum significant odorem: ideò dicitur vnguentum pretiosum [& fracto] vt totum effunderetur, & nihil de vnguento remaneret quod non in Dei laudem expenderetur [alabastro] pixyde marmorea. *Luc. 7.* Mulier attulit alabastrum vnguenti [effudit] vt totum manaret in obsequiũ Domini. *Ioan.12* Effudit super caput ipsius recumbentis: caput autem Christus Deus est, sicut dicitur. *1.Corinth.11.* Et effundere super caput est deuotionem odoriferam expendere in excellentiam suæ Deitatis. *Psal.132.* Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam barbam Aaron. Abunde enim effudit vt in totum corpus distillaret, &c.

Erant autem quidam indignè ferentes intra semetipsos & dicentes: vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentum istud venundari plus quam trecentis denariis & dari pauperibus. Et fremebant in eam.

Tangitur hic pro vnguenti effusione murmuratio: tanguntur autem hic tria, quorum primum est Discipulorum in mulierem exorta indignatio: secundum autem est ex indignatione causata murmuratio: tertium autẽ in mulierem ex murmuratione fremitus exacerbatio. Dicit igitur [erant autem quidam] Discipulorum [indignè ferentes] quod tantum vnguentum in corpus] Domini esset expensum. Et quidem Iudas primo mouit istã indignationem, cui quidam (Iudam ad hoc bonum opinantes) consenserunt Apostolorum vel Discipulorum: & hoc est quod dicit [quidam indigne ferentes] fuit autem indignatio bonorum ex hoc quod tantum vnguentum debuit expendi in mortale corpus. *S.ap.9.* Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Et ideò non putabant esse dignum vt tantum pretium expenderetur in dominico corpore [intra semetipsos] quia coram Domino sæpius in talibus deprehensi non audebant extra apertè de hoc facere mentionem. Dicitur enim *Ioan.12.* Quod tantæ fuit efficaciæ quod domus impleta est ex odore vnguenti.

Dicentes] murmurando [vt quid perditio hæc] per effusionem tanti [vnguenti] tam pretiosi [facta est?] reputabant enim perditionem quod non erat compositum ad lucrum. *Sapient.15.* Existimabant conuersationem hominis compositam esse ad lucrum: & oportere vndecunque etiam ex malo acquirere. Et hoc totum Iudas qui loculos portabat inter Apostolos procurabat, & semper allegabat perditum esse quod ad vtilitatem loculorum non vendebatur [poterat enim] causam murmurationis assignant dicentes [poterat enim] de suo valore [vnguentum istud] tam pretiosum [vendari] tanto pretio [plus quam trecentis denariis] quorum quilibet decem valuit vsuales: & ideò denarius vocabatur. Notandum autem quod triplex erat numisma Cæsaris: vsuales enim numi, qui in tres paruos commutari poterant & erant quasi in toto cuprei. Secundum autem numisma fuit denarius qui decem valuit vsuales, & erant etiam mixti cum cupro. Tertium fuit numisma argenteum totum: & ideo argentei dicebantur. Et (sicut dicunt historiæ) vnus argenteus decem valuit denarios & centum vsuales. De medio ergo numismate loquens prætextu auaritiæ dicit Iudas [poterat enim vnguentum istud venundari plus quam trecentis denariis] iam enim & cupiditate detentus erat animus eius, qui hoc pretium furari desiderabat. *Eccles.10.* Auaro nihil est scelestius: hic enim & animam suam venalem habet, & in vita sua proiecit intima sua. *1. Timot. 6.* Radix omnium malorum est cupiditas. Vnde ex ista cupiditate perditi sibi pretij, sanguinis Domini sui concepit venditionem: & eius quod ex vnguento habere non valuit quæsuit restaurationem. Tactus etiam fuit Simonia: quia ea quæ ad vsum Domini expendebantur, pretio suæ cupiditatis volebat commutare. *Act 8.* Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei pretio voluisti possidere. *Et parum infra.* In felle enim amaritudinis, & in obligatione iniquitatis video te esse. Quoniam iam Domini sanguinis concepisti traditionem [& dari pauperibus] hic etiam notatur de hypocrisi: quia sub specie pietatis tegit auaritiam, & concipit proditionem. Non enim curauit de pauperibus vt pauperibus subueniretur: sed potius vt auaritia sua tegeretur, & indignatio Discipulorum contra Christum & mulierem piam suscitaretur. *Ioan. 12.* Hoc autem dicebat, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat & habebat loculos, & ea quæ mittebantur portabat, hoc est, asportabat & furabatur. *Iob 27.* Quæ est enim spes hypocritæ si auare rapiat, & non liberet Deus animam suam?

Et sic Discipuli simplices ab astutia proditoris concitati [fremebant in eam] verbis & dentibus eam subsannantes. *Psalm. 2.* Quare, fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania? Item *Psal. 139.* Acuerunt linguam suam sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum. *Hieronymus autem in Goss.* Mysticè hoc exponens dicit sic: sub prætextu auaritiæ Iudas proditor mysterium loquitur fidei. Etenim nostra fides trecentis emitur denariis, id est, decem sensibus per corpus & animam & spiritum triplicatis. Vt & nos sicut Gedeõ trecentorum virorum numerum assumentes, Allophylorum castra, pauperes spiritu fractis lagunculis nostris, cum tubis & lucernis destruamus *Iudic.7.* Et sicut Abraham, cum trecentis viris spolia diuidamus ad vesperam *Genes. 14.* Corpus hic accipitur pro corporea parte animæ, quæ sensibus intendit: anima autem vocatur animæ pars inferior

inferior: & spiritus vocatur animæ pars superior, in qua est imago Dei. Sensus autem exteriores noti sunt, visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus. Interiores autem sensus secundum Philosophos sunt interiores vires animæ sensibilis apprehensiuæ, scilicet, sensus communis, imaginatio, phantasia, æstimatiua, & memorialis. Sed de his non loquitur *Hieron.* sed nominat sensus interiores: intellectum, rationem, liberum arbitrium, Memoriam, & voluntatem: & intendit quod decem opera decalogi primo spiritualiter intentione ad Deum, secundo animaliter per comparationem ad seipsum, & tertio corporaliter in exterioribus per istos decem sensus impleantur: vt ex intellectu accipiant luminis veritatem, ex ratione, discretionem, ex libero arbitrio libertatem sine coactione, ex memoria, retentionem, in mente sine obliuione, ex voluntate delectationem in corde: sicut dicit *Psalm.* 36. Delectare in Domino, & dabit tibi petitionem cordis tui. Ex visu autem exteriori palpebræ præcedant gressus, ex auditu, verbo Dei consona faciamus, ex olfactu, bonum odorem spirantes famam custodiamus, ex gustu dulcedinem virtutis, & ex tactu certitudinem habeamus diuinitatis per gratiam inhabitantem. Et hæc trecenta dicit alia allegoria significari in trecentis viris qui cum Gedeone castra subuertetunt Allophylorum.

Iesvs autem dixit, sinite eam: quid illi molesti estis? bonum opus operata est in me: semper enim pauperes habetis vobiscum, & cùm volueritis potestis illis benefacere: me autem non semper habebitis. Quod habuit hoc fecit, præuenit vngere corpus meum in sepulturam.

Iesvs autem dixit] benignè simplicitatem Discipulorum erudiendo, & reprehendendo nequitiam proditoris. Dicuntur autem hîc quinque, in quorum primo præcipitur vt sinatur, & non prohibeatur pia deuotio mulieris, dicens [sinite eam] supple, facere quod facit. *Prouerb.* 3. Noli prohibere eum qui benefacit: si potes etiam & ipse benefac. Sic dixit ad Ioannem *Matth.* 3. Sine modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.

Secundò ponit reprehendentium reprehensionem, dicens [quid illi molesti estis] *Matt.* 26. Quid molesti estis huic mulieri. Maria enim semper voluit esse circa Dominum: nec multum curauit si de hoc aliquando querelas ab aliis sustineret. *Luc.* 10 Non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Quam etiam Dominus ibi excusauit, dicens: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Tertiò mulieris ponit in opere illo commendationem, cùm dicit [bonum opus operata est in me] hoc enim opus bonum & optimum est quod in meipsum dirigitur: nec de exterioribus operibus aliquid bonum est nisi ad me dirigatur. *1. Timot.* 4. Pietas ad omnia valet promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Et præmisit: exerce teipsum ad pietatem: corporalis enim exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia valet. Pietas autem, vt dicit *Augustinus* cultus est diuinus Deo debitus, & Deo impensus: quem cultum mulier hæc exhibuit, caput Domini vngendo. Quia sicut dicitur. 1. *Corinth.* 11. Caput Christi Deus est, cuius diuinitas vngitur, vt dicit *Beda* quando Deitas eius piè à fidelibus veneratur. Vnxit autem Maria Magdalena etiam pedes, quibus Dominus terram nostram tetigit, hoc est, humanitatem in qua terrenæ naturæ communicauit. *Luc.* 7. *Psal.* 131. Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. Quia etiam humanitati Domini pium obsequium exhibuit.

Quartò etiam beneficium in pauperes exhibendum pro loco & tempore commemorando iniungit, dicens [semper enim pauperes habetis vobiscum] *Deut.* 15. Non enim deerunt pauperes in terra habitationis vestræ. *Tob.* 4. Ne auertas faciem tuam ab vllo paupere. Pauperes enim semper Dominus in omni terra diuitibus immiscet, vt diuites habeant in quibus per temporalia mereantur æterna. *Luc.* 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Vnde subdit [& cum volueritis] hoc est, quando promptum animum habueritis, qui pro facto computatur [potestis illis benefacere] vel de paruo vel de magno: vel si nihil habetis, de verbo & compassione cordis. *Tob.* 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si parum, hoc ipsum impertiri stude. De voluntate autem dicitur. 2. *Corinth.* 8. Si voluntas prompta est secundum id quod habet, accepta est: non secundum id quod non habet [me autem] sine corporalem istius infirmæ carnis, qui beneficiis vestris indigeat [non semper habebitis] *Ioan.* 16. Modicum & iam non videbitis me. *Cant.* 5. Ille iam declinauerat atque transierat, quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi.

Quintò dicit quod debitum fuit sibi hoc pietatis opus impendi. Et hoc dicit primò in communi, secundò in speciali, tertiò præmium adiungit. De communi dicit [quod habuit] facere ex officio pietatis & debuit [hoc fecit] in opere pietatis, & debuit mihi impenso. Hoc enim & plures obseruauerunt: vnde *Genes.* 50. Iacob mortuo præcepit Ioseph seruis suis medicis, vt aromatibus conderent patrẽ. *Eccles.* 7. Non desis plorantibus in consolationem, & cum lugentibus ambula [præuenit enim] in speciali tangit officium funeris dicens; quia tempore crucifixionis accedere ad me non audebit, & ideò modo [præuenit] officio pietatis [vngere corpus meum] quod vnctione Deitatis est delibutum, & in proximo oleo plenæ gloriæ inunctum resurrecturum [in sepulturam] in qua corpora sanctorum vngi consueuerunt in testimonium & figuram, quia resurgent oleo exultationis delibuta. *Psal.* 44. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis *Cant.* 1. Fragrantia vnguentis optimis. *Cant.* 4. Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata *Genes.* 27. Statim vt sensit vestimentorum ejus fragrantiam, benedicens benedixit ei. Vestimenta autem, corpora beatorum resurgentium significant: vnde *Glossa* [quod habuit habuit fecit] quod putatis perditionem esse vnguenti, officiũ sepulturæ est. Nec mirum si mihi dedit odorem fidei bonum, cùm ego pro ea fusurus sim sanguinem meum.

Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso

vniuerso mundo, & quod fecit hæc narrabitur in memoriam eius.

Hic tertiò adiungit præmium deuotionis, dicen [Amen] hoc est, vere [dico vobis] *Apoc.* 1. Hoc dicit amen testis fidelis [vbicunque] in toto mundo [prædicatum fuerit] ab Apostolis & successoribus [Euangelium istud] de pietatis vnctione & mea passione [in vniuerso mundo] quia in omnem terram exiuit sonus Prædicatorum [&] hoc est [quod hæc fecit mulier] in pietatis opere [narrabitur] euangelizando [in] piam & dulcem [memoriam eius] mulieris, vel facti quod fecit. *Eccli.* 49. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta est opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcorabitur memoria eius. *Prouerb.* 10. Memoria iusti cum laudibus. *Psalm.* 111. In memoria æterna erit iustus. Vnde *Ioan.* 12. Sinite vt in diem sepulturæ meæ seruet illud. Sic enim ad æternam facti memoriam seruatum est & non perditum.

Et Iudas Scariothis vnus de duodecim abiit ad summos Sacerdotes, vt proderet eum illis. Qui audientes gauisi sunt & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportunè traderet.

Hic vltimò tangitur proditoris ad prodendum obligatio: & dicuntur tria, scilicet, prodendi ex parte proditoris inquisitio, proditionis exhibitæ ex parte Pontificum turpis exultatio, & ad complendam proditionem promissam pertinax obseruatio. Dicit igitur [Et Iudas] Pulchritudinem nominis tangit, vt sciatur quod nec ex significatione nominis sui à malitia retrahebatur. Iudas enim confitens & glorificans interpretatur: sed significatio nominis sui cecidit ab effectu; quia & ignominiam oppositi glorificationi, & negationem confessioni. Et ideò sicut de Iuda bono dicitur *Genes.* 49. Iuda te laudabunt fratres tui: ita de malo Iuda dici potest Iuda te horrebunt fratres tui. *Ioan.* 13. Cùm Diabolus misisset in cor vt traderet eum Iudas Scariothis *Ioan.* 6. Vnus vestrum Diabolus est [Scariothis] memoria mortis: & sic vicus vocabatur vnde natus fuit, quia semper memoriter tenuit qualiter Christum interficeret. *Isa.* 10. Ad interficiendum erit cor eius, & ad intermecionem gentium non paucarum. *Psalm.* 37. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ; malitiam autem non odiuit [vnus] singularis malitiæ. *Eccles.* 4. Vnus est & secundum non habet [de duodecim] Hoc dicit vt ostendat inconueniens: quia nec honor electionis ipsum reuocauit à scelere, quia ipsum Christus ad tantum apostolatus apicem vocare dignatus fuit. *Ioan.* 6. Nonne ego duodecim vos elegi & vnus ex vobis Diabolus est [abiit] Benè abiit: quia viam deseruit veritatis. *In epistola Iude.* Væ his qui in viam Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt [ad summos Sacerdotes] apud quos summa rerũ agebatur tunc temporis. 1. *Esdræ* 9. Manus Magistratuum fuit in transgressione hac prima [vt proderet eum] hoc est, proditiosè traderet eum illis. *Psalm.* 40. Homo pacis meæ in quo sperani, magnificauit super me supplantationem.

Qui audientes] Sacerdotes [gauisi sunt] *Ps.* 51. Quid gloriaris in malitia? *Prouerb.* 2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis: *Sapient.* 16. Dum lætantur insaniunt [& promiserunt pecuniam] pro venditione sanguinis innocentis. *Zach.* 11. Pretium quo appretiatus sum à filiis Israël. Sic venditus est Ioseph à fratribus suis *Genes.* 39. Promiserunt autem pecuniam [se daturos] *Luc.* 22. Et spopondit, & ad tradendum se Christum Sacerdotibus obligauit, & sic principes socij furis traditoris sunt effecti. *Psalm.* 49. Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. *Isa.* 1. Principes tui infideles, socij furum. Iudas enim fur erat; & habebat loculos, & pro furti recompensatione vendere quærebat sanguinem Christi [& quærebat] Iudas causam [quomodo] cautè [eum] Christum [opportunè] sine turbis [traderet] *Luc.* 22. Quærebat opportunitatem quomodo eum traderet sine turbis.

Et primo die azymorum quando pascha immolabant, dicunt ei Discipuli. Quo vis eamus & paremus tibi comedere pascha?

Hic incipit reuocare à malitia proditorem. Habet autem tres partes, in quarum prima continetur cœnæ præparatio, cuius communione proditor reuocati debuerat: in secunda reuocat per admonitionis verbum *ibi* [Vespere autem facto] In tertia autem, reuocat per communionem sacramenti *ibi* [Et manducantibus illis] In prima harum adhuc tria dicuntur, in quorum primo vbi cœna paranda sit Discipulorum sit inquisitio: in secunda de cœna paranda Christi ponitur instructio: in tertia per obedientiam Discipulorum cœnæ fit præparatio. In prima harum tria dicit: temporis congruitatem, legis necessitatem, & de præparanda cœna Discipulorum quæstionem.

Dicit igitur [Et prima die azymorum] Hoc dupliciter exponitur. Dicitur enim prima dies azymorum quando azyma parabantur, & sic quartadecima luna dicitur prima dies azymorum: quæ dies numerabatur à tertiadecima die ad vesperum vsque ad vesperam quartædecimæ diei. Et sic hîc dicitur prima dies azymorum quando primum azyma offerebatur & comedebatur. Et hæc dies incepit à vespera quartædecimæ lunæ, & vsque ad vesperum quintædecimæ lunæ protendebatur: & sic adhuc quartadecima luna in vespera facta est hæc quæstio. *Exod.* 12. Quartadecima luna ad vesperum conspersa est farina in azymos, & tunc fermentum de domibus Iudæorum eiiciebatur *Exod.* 12. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur. *Leuit.* 23. Mense primo quartadecima die ad vesperum phase Domini est: & quintadecima die mensis huius solennitas est azymorum: septem diebus azyma comedetis [quando pascha immolabant] necessitas est ex legis præcepto. Lex enim *Exod.* 12. *Leu.* 23. præcipit tunc cœnam agni paschalis immolari, & quartadecima luna immolabatur *Luc.* 22. Venit autem dies azymorum in quo necesse erat occidi pascha. *Exod.* 12. Vniuersa multitudo filiorum Israël immolabit agnum quartadecima die mensis huius ad vesperum.

Dicunt ei Discipuli] à tempore & lege sumen-

tes quæstionis occasionē[quo vis eamus]nō quærunt de ciuitate: quia sciuerunt quod non nisi in Ierusalem pascha erat celebrandum, sed quærunt de vico vel domo. *Deu.* 16. Non poteris immolare in qualibet vrbium tuarum, sed in loco quem elegerit Dominus. Sicut etiam quærit spiritualiter sponsa in canticis: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Multi enim sunt alias cœnas parantes quæ non sunt cœnæ dominicæ. 1. *Corinth.* 11. Primùm quidem conuenientibus in Ecclesia: iam non est dominicam cœnam manducare: vnusquisque enim cœnam suā præsumit ad manducandum[& paremus tibi]iuxta legem[comedere]hoc est, ad manducandum[pascha hoc est, agnum paschalem. *Glo.* Hanc quæstionem faciunt Discipuli vt cum voluntate Dei gressus nostros dirigamus.

Et mittit duos ex Discipulis suis & dicit eis: ite in ciuitatem & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans. Sequimini eum, & quocunque introierit dicite Domino domus, quia magister dicit: vbi est refectio mea, vbi pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis.

Et mittit duos ex Discipulis suis] aliis enim parare non licuit nisi Discipulis, qui ex hoc specialiter erant instruendi. Duos autem mittit: quia charitatis sacramentum est, & inter pauciores quam inter duos charitas haberi non poterit. *Ecclesiasti.* 4. Si duo fouebuntur mutuo: vnus quomodo calefiet?[& dixit eis] quatuor autem dicit: legis præceptum, loci signum, iniungit quid dicendum, & præcipit pascha esse parandum. Dicit igitur [ite in ciuitatem] iuxta legis præceptum *Deut.* 14. Notatur autem quod in ciuitatem vitæ pergere debeat qui pascha parat, hoc est, in ciuium cælestium vnitatem. *Eccles.* 10. Labor stultorum affliget eos: quia nesciunt in vrbem, hoc est, ciuitatem pergere. *Act.* 9. Ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. *Psal.* 121. Ierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini ad confitendum nomini Domini. Quia ad literam omnes tribus ascenderunt in ciuitatem ad cœnam in idipsum, hoc est, in commune celebrandam.

Et occurret vobis homo] signum est loci in quo pascha est parandum. Dicit igitur [occurret] in via[vobis homo] non nisi ratione vtens, nihil brutale agens in seipso. *Eccles.* 17. Ad imaginem suam fecit hominem secundum se, vestiuit illum virtute. Et hoc est primo considerandum in eo in quo Dei cœna paratur quod occurrat per deuotionem: & sit homo per rationabilem vitam. *Amos* 4. Præparate in occursum Dei tui Israël [lagenam aquæ baiulans] quam ad literam tulit, vt in tanto festo haberet apud se aquam expiationis quæ se mundaret: & signat quod vbi Christus cœnaturus est, lagena aquæ lacrymarum in expiationem debet præcedere. *Psal.* 50. Lauabis me & super niuem dealbabor. *Psal.* 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. *Ezech.* 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.

Sequimini eum] passibus pedum, & passibus deuotionis: quia ipse non præcedet nisi ad locum mundum *Isa.* 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. *Gloss.* Sequimini eum qui ducit in altum vbi est refectio Christi [& quocunque introierit] in domum ciuitatis quæ vnitatem Ecclesiæ & habitaculum conscientiæ significat. *Genes.* 24. Ingredere benedicte Domini: cur foris stas[dicite] ex parte ministerij vestri, & ex parte mei imperij[Domino domus] patrifamilias. Sciuit enim illum esse dignum. *Apocal.* 3 Siquis aperuerit mihi intrabo & cœnabo cum illo, & ipse mecum. *Gloss.* Consulte & aquæ baiuli, & Domini domus tacita sunt vocabula: vt omnibus verum pascha celebrantibus vel celebrare volentibus, id est, sacramentis Christi imbui, eumque suæ mentis hospitio quærentibus facultas danda signetur. *Sap.* 6. Non subtrahit personam viri cum sit omnium Dominus. Pusillum enim & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus[quia magister dicit] cuius ad sacramentum celebrandum est dare illuminationes. *Psal* 118. Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas[vbi est refectio mea] per metonymiam, contentum pro continente. Hoc est, vbi est refectorium meum ad vsum meum deputatum[vbi]hoc est, in quo[pascha] vetus & nouum[cum Discipulis meis] mihi communicantibus, quia aliis non sunt sacramenta danda [manducem] *Matth.* 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos. *Psal.* 100. Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

Et ipse]ferens lagenam aquę, vel Dominus domus [demonstrabit] indicio quo prædixi [vobis cœnaculum grande] quod pro me & familia Discipulorum sufficiet[stratum]hoc est, lapide plano pauimentatum. *Ezec.* 44. Ecce pauimentum stratum lapide. Eratque ad literam domus bicamerata inferius habens ad dormiendum & coquinandum, in superioribus autem habens aulam ad cœnandum: hoc cœnaculum *Luc.* 22. Vocatur diuersorium. Vnde dicit: vbi est diuersorium, vbi pascha cum Discipulis meis manducem? Cœnaculum autem istud signat conscientiæ & cordis receptaculum, quod stratum est picto pauimento varietate virtutum: grande autem est, charitatis amplitudine: & cœnaculum est dulcedine virtutum refectione. De primo horum dicitur *Genes.* 44. Introduc viros domum, quia mecum sunt comesturi in meridie. Non enim comedebant nisi in cœnaculo. De secundo dicitur *Psal.* 44. Circumamicta varietate. De tertio *Isa.* 44. Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur. *Luc.* 14 Homo quidam fecit cœnam magnam & vocauit multos. *Apocal.* 19. Beati qui ad cœnam nupriarum agni vocati sunt.

Et illic parate] ecce præparationis imperium. *Tob.* 5. Annæ vxori suæ dixit vt instrueret conuiuiū, & præpararet omnia quæ in cibos iter agentibus sunt necessaria. Anna enim gratia, cui præcipitur vt hoc gratiæ instruat conuiuium, & præparet in gratiæ sacramento & cœna Eucharistiæ omnia

omnia(quia omnis gratiæ est contentiuum) quæ in cibos spirituales sunt necessaria iter agentibus; propter quod etiam viaticum appellatur. Manibus Discipulorum præparatur, quorum in loco successerunt sacerdotes, quorum officij & ordinis est dominicam cœnam præparare: Deo tamen operante in ipsis, sicut in manibus sacerdotum operatur Deus in omnibus sacramentis. *Psal.* 67. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus. *Sap.* 11. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Dicit autem [parate nobis]ex Discipulis connumerans, quia hoc sacramentum paratur Christo ad exhibendum, & quo Discipulis influat: & paratur Discipulis ad communicandum, quo Christo incorporentur. *Ioan.* 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo.

Et abierunt Discipuli eius & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis, & parauerunt pascha.

Hic ponitur obedientia Discipulorum & verificatio signorum à Domino prædictorum: & hoc est [abierunt] à Domino secundum obedientiæ sanctæ mandata. *Baruch* 3. Emittit lumen suum & vadit, & obedit illi in tremore [Discipuli eius]in vera obedientia Discipulos se esse probantes. *Hebr.* 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete illis[& venerunt in ciuitatem sanctam] quam ad sacramentorum institutionem Deus elegerat. *Isa.* 66. in Ierusalem consolabimini: videbitis, & gaudebit cor vestrum. Vnde de monte in quo sita est ciuitas, dicit *Isa.* 25. Faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium: conuiuium vindemiæ pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ [& inuenerunt] signa[sicut dixerat illis]Iesus. *Prouerb.* 8. Iusti sunt omnes sermones mei, & non est in eis pranum quid atque peruersum. 1. *Reg.* 10. Cum euenerint tibi omnia hæc signa, fac quæcunque inuenerit manus tua: quia Dominus tecum est [& parauerunt pascha] hoc est, cœnam agni paschalis sicut præceperat Dominus. *Luc.* 14. Iam parata sunt omnia. *Prou.* 9. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, proposuit mensam.

Vespere autem facto venit cum duodecim. Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait IESVS: amen dico vobis quia vnus ex vobis tradet me qui manducat mecum. At illi cœperunt contristari & dicere singulatim: nunquid ego? Qui ait illis, Vnus ex duodecim qui intingit manum mecum in catino. Et filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo. Væ autem homini illi per quem filius hominis traditur. Bonum erat ei, si natus non esset homo ille.

Hic incipit tangere reuocationē proditoris factā per verbum, per hoc quod cœnam pro eo, & pro aliis fieri fecit: non excludens eum satis reuocauit eum, & admonuit de propheria quæ dicit. Homo pacis meæ in quo sperabam: qui edebat panes meos magnificauit super me supplantationem. Hic autem vt amplius erubescat, reuocat per verbum. Diuiditur autem hæc pars in tres partes secundum triplicem modum reuocationis. Primò enim reuocat admonitione generali: secundò reuocat admonitione speciali: tertiò reuocat sub intermatione comminationis: & hæc per ordinem patent in literā. In prima harum partium dicit quatuor: temporis secretum, honoris exhibitionem, commodi præparationem, & verbi admonitionem. Temporis secretum tangit per hoc quod dicit[vespere autem facto] cum declinasset à turbis, & tempus esset ad immolandum agnum: vt Iudas de admonitione coram turbis non verecundaretur; & hora religiosæ immolationis, facinus faceret detestari. De primo *Matth.* 18. Si peccauerit in te frater tuus: corripe eum inter te & ipsum solum. De secundo *Exod.* 12. Immolabit agnum omnis multitudo filiorum Israël ad vesperum. Illa enim vespera sua sanctitate Iudā reuocare debuerat [venit cum duodecim]aliis sequestratis in aliam mensam, & illum honorem vt secum in eadem mensa sederet, Christus Iudæ exhibuit: qui honor dignitatis etiam debuit eum à concepto scelere reuocare. *Esther* 9. Sic honorabitur quem rex honorare voluerit. *Psal.* 20 Gloriam & magnum decorem impones super eum.

Et discumbentibus illis & manducantibus] ecce, scilicet, commodi præparatio tam in discubitu quam in comedendo, quod etiam reuocare debuerat. Sed dicitur *Ierem.* 11. Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. *Ioan.* 13. Qui manducat panem meum, leuabit contra me calcaneum.

Ait Iesus]facto reuocare intendens [amen dico vobis] & per ipsum dictum quod sciuit traditionem quam agebat, Deum se esse ostendens. *Ioan.* 14. Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis [quia vnus ex vobis] duodecim[me tradet] *Ioan.* 11. Sciebat enim ab initio quis esset eum tradituris. Et magis determinat traditorem, dicens[qui manducat mecum]. nec tamen per hoc suam potest celare traditionem. *Psal.* 54. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: & si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum, dulces capiebas cibos. *Eccles.* 13. Confundet te in cibis suis: donec examinet te bis & ter, & in nouissimo desidebit te, postea videns derelinquet te, & caput suum mouebit ad te[at illi]scilicet Apostoli duodecim[cœperunt contristari] quia plus de se crediderunt Christo quàm sibi: & ideò quamuis essent innocentes; tamen tristabantur ex verbo Christi de se dubitantes. *Ioan.* 8. Non erat ei opus vt quis testimium perhiberet de homine: ipse enim nouit quid esset in homine [& dicere singulatim] vnusquisque pro se-[nunquid ego]supple, sum qui te tradet. *Matth* 26. Nunquid ego sum Rabbi? Et sicut dicunt alij Euangelistæ. *Matth.* 26. *Luc.* 22. *Ioan.* 18. Cùm Iudas diceret ei: Nunquid ego sum Rabbi? dixit ei Dominus: tu dixisti. Et ibi in singulari nominauit, sed per nomen non expressit vt locum daret, qui forte per nomen nominatus confusus induratus fuisset.

Et ait illi Iesus] secundam in speciali adhibens

bens reuocationis admonitionem [Vnus ex duodecim] quem ego ad apostolatus apicem exaltaui [qui] sicut intimus [intingit mecum manum in catino] Catinus est magnum vas rotundum in quo cibaria simul pro multis reponi possunt: & est magna scutella rotunda, quia mensa ad quam Christus sedebat erat rotunda, & Apostoli cum Christo sedebant in circuitu: & omnes simul intingebant manus in hoc catino cum Christo in eodem vase cibum agni accipientes. *Matth.26.* Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. *Luc.22.* Ecce manus tradentis me mecum est in mensa [Et filius quidem hominis vadit] ad passionem voluntariè [sicut scriptum est de illo. *Isai.53.* Oblatus est quia ipse voluit. *Psalm.39.* In capite libri scriptum est de me vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.

Væ autem homini] Reuocatio est per comminationem æternæ damnationis [per quem Filius hominis traditur] quia secundum naturam qua est Filius Dei, tradi non potuit. *Psalm.54.* Veniat mors super illos & descendant in infernum viuentes. Vnde *Psalm.108.* Deus laudem meam ne tacueris: secundum Apostoli Petri expositionem *Act.1.* est de Iudæ maledictione & condemnatione. Et ibidem dicitur: Induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius [Bonum erat ei] *Matth.26.* Melius erat ei si natus non fuisset homo ille: *Hieron.* Melius est non esse quam ad tormenta esse.

De hoc tamen disputat *Augustinus in 2. libro de Libero arbitrio.* Quia non esse nihil est, & in electione non cadit: & ita non esse non est eligibile, vel voluntabile: ergo impossibile est aliquem eligere, vel velle non esse. Adhuc autem. Esse est quod omnia appetunt, & propter quod agunt quicquid agunt, & non esse fugiunt. Quod autem omnia appetunt, & cuius oppositum omnia fugiunt, non potest esse ab aliquibus volitum, vel alicui esse bonum. Quia si detur quod non esse alicui sit bonum, & ab aliquo volitum: tunc sequitur quod non omnia fugiunt non esse, quod est contradictorium hypothesis. Ergo non est melius non esse quam esse, nec alicui est bonum non esse. Adhuc autem. Non esse nihil est. & esse est aliquid: quantumcunque ergo sit debile esse, præferendum est ei quod est simpliciter non esse. Tales & similes sunt rationes *August.* Ad has autem & huiusmodi rationes concedit *Augustinus* & dicit non eligi non esse, nisi à turbato animo qui non considerat rationes electionis in eligendo.

Sed salua pace *Augustini.* Etiam turbatus animus si eligat, non eliget nisi per considerationem vel boni simpliciter, vel sibi boni: vel apparentis boni simpliciter, vel apparentis sibi boni: & sic redeunt inconuenientia *August.* super eum. Et ideò sine præiudiio loquendo, videtur mihi sentiendum cum beato *Hieronymo* & beato *Gregorio,* quod melius eligendum esset damnato non esse, quam sic esse, sicut dicit sanctum Euangelium. Et ad id quod obiicit *Augustinus.* Dicendum, quod non esse consideratur dupliciter, scilicet, simpliciter, & prout est terminus afflictionis eius qui male est. Primo modo verum est quod non esse omnia fugiunt: secundo modo nihil prohibet quod non esse desideretur ab aliquo. *Apoc.18.* Desiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis. Ad aliud dicendum quod quamuis non esse nihil sit, tamen est oppositum eius quod est esse: & sic multa accidunt ei. Et hoc modo prout terminat esse sub afflictione, potest cadere voluntas & electio super ipsum, etiam animi turbati, & sic loquitur hic Dominus. *Augustinus* tamen verum dicit prout non esse consideratur absolutè, hoc est, quod dicit *Iob 3.* Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Adhuc autem. *Iob 3.* Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est, conceptus est homo.

Hoc Iudæ peccatum etiam ad eos transit qui Dominicum corpus indignè sumunt. Vnde *gloss.* In sempiternum væ homini illi qui ad mensam Domini indigne accedit. Ille enim indigne exemplo Iudæ Filium hominis tradit, non Iudæis peccatoribus, sed membris suis peccato subditis qui accipere Dominici corporis sacramentum temerariè præsumit. Ille Dominum vendit, qui eius timore & amore neglecto, terrena pro eo & caduca imo & criminosa diligere & curare non metuit. *1.Corinth.11.* Qui manducat & bibit indignè: iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. *Et iterum.* Qui sumit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Et manducantibus illis accepit IESVS panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum.

Tangit hic proditoris reuocationem per hoc quod ei inter alios corpus & sanguinem suum porrexit: & tamen per hoc totum reuocati non potuit, & ideò iustè damnatus fuit. Diuiditur autem hæc pars in tres partes, in quarum primà tangit corporis communionem: in secunda autem dicit de communione sanguinis: & in tertia dicit veteris sacramenti cessationem, & noui institutionem & obseruationem. In primo horum quinque dicit, scilicet, quando dedit, quam acceptum sibi sacramentum hoc fuit, quod benedicendo dedit, quod frangendo ad plures vtilitates determinauit, quod obseruandum in Ecclesia dedit: & illis quinque post omnia formam sacramenti promulgauit.

Dicit igitur [Et manducantibus illis] hoc est, manducationem agni typici perficientibus & consummantibus, quia post cœnam agni typici, tunc primò dedit vltimò corpus suum, vt vltimò datum à memoria eorum nunquam recederet. *Matth.26.* Hoc facite in meam commemorationem. *1.Corinth 11.* Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini biberis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. *Thren.3.* Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absinthij & fellis. Et respondet Propheta: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Dedit etiam post aliam cœnam corpus suum vt veritatem: vt figuram vmbræ continuaret. *Ioan.1.* Lex per Moysen data est: gratia & veritas per IESVM facta est.

Accepit panem] Non tam manibus accepit quam corde acceptauit, & acceptandum esse significauit. Et hoc secundum *Matth.15.* Accepit IESVS panes. *glos.* hoc est, dona Dei acceptauit. *Psalm.50.* Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ,

Hoc

Hoc enim maximè est in hoc sacramento. Panem autem accepit qui simpliciter & absolutè est panis & cibus hominis: & hic est panis de frumento, quia hordeum est cibus iumentorum: siligo autem terrestris & inflatiua ægritudinem & fæculentiam habet, quæ eam non permittit esse cibum. *Ioan.12.* Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Psalm.147.* Adipe frumenti satiat te. *Genes.27.* Frumento & vino & oleo stabiliui eum. Hoc enim perfectum significat cibum sacramenti: quia perfectè nutrit, & fortius adhæret membris, & dulcius est inter grana. *Sapient.16.* Substantiam tuam & dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebas: & voluntati vniuscuiusque eorum deseruiens ad quod quisque volebat conuertebatur. Et hoc dicit de pane cælesti quem suis præstitit Deus sine labore, habẽte in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. *Deut.33.* Tantummodo oculus Iacobi in terra frumenti vini & olei. Quia etiam manna *Exod.:6.* saporem panis habuit oleati, quia in isto pane oleum deitatis & gratiæ est infusum. *Psalm.44.* Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.

Tertium est quod dicit [& benedicens] Dicunt quidam quod quadã occulta benedictione panem in corpus suum transsubstantiauit: & illi dicunt quod benedicendo confecit. Et postea dicendo, hoc est corpus meum: vsum sacramenti instituit. Et hoc non est probabile, quia sic aliter Ecclesia celebraret sacramentum quam Christus formam dederit. *1.Corinth.11.* Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. Vnde probabilius dicitur quod benedixit signo vel verbo non transsubstantiante, sicut & Sacerdotes in Missis multas signo & verbo faciunt benedictiones. *Matth.26.* Accepit IESVS panes, benedixit, & fregit. *Eccli.39.* Benedictio illius sicut cataclysmus inundabit.

Quartum est quod dicit [fregit] in quo diuersis gratiis aptandum esse significauit. Sicut & nos frangendo in tria, significamus quod est in genere ad tria, scilicet, laudes pro triumphantibus, supplicatio pro laborantibus, & suffragium pro his qui purgantur in pœnis. Fractura tamen hæc non nisi in formis est panis, & non in corpore Christi: quia totus Christus indiuisus sumitur sub qualibet parte: sicut in integro speculo tota & vnica forma relucet in toto. Et fracto speculo reflexio fit vnius & eiusdem numero & totius integræ formæ ad quamlibet speculi fracturam. *Isa.58.* Frange esurienti panem tuum. Hæc fractura est in qua sine fallacia cognoscitur Deus. *Luc.24.* Cognouerunt Dominum in fractione panis. Hæc est fractura in qua perseuerat Ecclesia. *Act.1.* Erant perseuerantes in oratione & fractione panis. Hæc sunt fragmenta quæ colligunt fideles in cælo, & in mundo, & in Purgatorio. *Ioan.6.* Colligite fragmenta ne pereant.

Quintum est quod [dedit] gratis, quia nec meritis nec pretio comparari debuit vel potuit. *Matth.10.* Gratis accepistis gratis date. *Iacob 1.* Dat omnibus affluenter, & non improperat. Et vt formam & vsum simul instituens, vsum cùm dicit [sumite] vnde *Mat.26.* dicit: Hoc facite, hoc est, hoc faciendum in Ecclesia & obseruandum [sumite] hoc est, hoc obseruandum vobis assumite. *Exod.12.* Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus vestris [Hoc est corpus meum] Hæc est forma sacramenti qua Christus corpus suum simul & confecit & exhibuit, sicut adhuc obseruat Ecclesia. Et hæc oratio, sicut alibi diximus, referenda est ad intellectum sub voce declaratum: & hoc modo indiuisibili virtute ad effectum sacramenti refertur. Ideò nulla est quæstio, quid, vel quantùm quælibet dictio sigillatim ad confectionem operetur. In hac oratione verbum increatum operatur in verbo creato: Et hoc, sicut dicit *Ambros.* mutat creaturas ea virtute qua condidit mundum. *Psalm.32.* Verbo Domini cæli firmari sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Et accepto calice gratias agens dedit eis. Et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.

Tangit hic confectionem sacramenti sanguinis. Dicuntur autem sex, in quorum primo sacramenti significatur acceptatio, cùm dicit [& accepto] hoc enim omnium sacramentorum acceptissimum est in quo offertur ipse Deus. *Isa.56.* Holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo. *Psalm.68.* Placebit Deo super vitulum nouellum, hoc est, super omnia sacrificia antiquorum. *Malac.3.* Placebit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem sicut dies seculi & sicut anni antiqui. Quia nunquam finem habebit.

Calice] hic tangitur sacramenti materia, quia calix est calida potio per naturam: & hæc potio inter simplices potiones solum est vinum. Aqua enim non est calida potio, & medo, & claretum, & moretum, & ceruisia, non sunt simplices per naturam potiones: & ideò de illis confici sacramentum non potest. *1.Corinth.10.* Calix benedictionis cui communicamus: nonne communicatio sanguinis Christi est?

Gratias agens] de redemptione fienda per sanguinem, & significata per calicem: & de dignitate & effectu tanti sacramenti. *2.Corint.9.* Gratias ago Deo super inenarrabili virtute eius, & dono eius. Merito enim gratias agit de hoc quod tantum est gratia & totum: & nihil in se habet quod non sit gratia. Vnde & Eucharistia, hoc est, bona gratia vocatur. *Ioan.1.* De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. In hoc enim sacramento vere gratia & veritas per Iesum Christum facta est: vt gratia contra vacuitatem, & veritas contra vmbram antiquorum sacramentorum ordinetur [dedit eis] tanquam dignum communionis sacramentum & redemptionis. *Zachar.9.* Tu in sanguine testamenti emisisti vinctos de lacu in quo non est aqua. *Hebr.9.* Sine sanguinis effusione non fit remissio.

Et biberunt ex illo] sanguine [omnes] tam proditor quàm alij: & nec tali beneficio potuit à proposito scelere reuocari. *Ioan.6.* Sanguis meus verè est potus. Hic est calix inebrians per calorem charitatis. *Psal.22.* Calix meus inebrians quàm præclarus est, sitim concupiscentiæ refrigerans per humorem pietatis. *Ioan.4.* Qui biberit aquam quam ego dedero, non sitiet iterum. Hic est calix saliens in vitã. *Ioan.4.* Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Aqua autem vocatur materia sacramenti: non propter substantiam aquæ,

quod

quod sit materia : sed quia habet actum aquæ in restringendo sicim,& sordes expiando.

Et ait illis]formam sacramenti promulgans & instituens[hic est sanguis meus]hæc est forma sacramenti intelligenda sicut illa quæ de corpore Domini dicta est .*Matth.* 26. Hic est calix sanguinis mei.*Genes.*49. Lauit in sanguine vuæ pallium [noui testamenti] quod gratiam in præsenti, & gloriam testatur in futuro. *Hebr.*12.Accessistis ad aspersionem sanguinis melius loquentem quàm Abel. Quia loquitur iste sanguis propitiationem & remissionem:sanguis autem Abel loquitur vindictam & accusationem. *Hebr.* 9. Hic est sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus [qui pro multis effundetur]Pro omnibus quidem sufficienter,pro multis efficienter. *Luc.*22. Qui pro vobis & pro multis effunde.ur.

Amen dico vobis,quod iam non bibam de hoc genimine vitis vsque in diem illum,cùm illud bibam nouum in regno Dei.

Tangit hic veteris testamenti cessationem, & noui institutionem : & hoc est quod dicit [Amen dico vobis] Confirmatione vtitur propter Iudaizantes hæreticos quos sciuit in Ecclesia futuros: sicut Hebion & Aquila [quod iam] hoc est,amodo[non bibam] ad mei incorporationem [de hoc genimine] quod in veteri sacramento bibebatur [vitis] *Isa.*5. Vinea Domini sabaoth germen Israël est. Et viri Iuda germen eius delectabile [vsque] Exclusiuum est, quia necesse est vt nec tunc de hoc genimine vitis bibat [in diem illum] nouæ gratiæ claritatem [cum illud] vinum sacramenti bibam]mihi incorporando[nouum]Nouo testamento & noua gratia institutum [in regno meo] quod est status ecclesiasticæ potestatis confirmatus. *Prou.*9. Bibite vinum quod miscui vobis.Hoc est vinum de quo dicit *Psalm.*105. quod lætificat cor hominis. *Iudic.*9. Non possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines. De hoc vino sponsa gloriatur *Cantic.*5. Bibi vinum meum cum lacte meo.Quia gaudium deitatis, cum gratia dulcissimæ humanitatis eius, nobis incorporamus. Hoc charissimis datur. *Cantic.*5. Comedite amici & bibite,& inebriamini charissimi.

Et hymno dicto, exierunt in montem oliuarum. Et ait eis IESVS: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista, quia scriptum est : Percutiam pastorem, & dispergentur oues.

Tangit hic Discipulorum confortationem contra malum proditoris. Confortat autem eos dupliciter : scilicet, monendo,& orando. Et secundum hoc in duas diuiditur partes, in quarum prima suæ prædictionis ponit admonitionem : in secunda autem triplicem ponit orationem *ibi* [Et veniunt in prædium, &c.] Adhuc autem prior in duas diuiditur partes,in quarum prima ponit cautelam suæ admonitionis : in secunda ponit repressionem præsumptionis *ibi* [Petrus autem ait illi] In prima duo dicit : admonitionem, & admonitionis per auctoritatem confirmationem.

Dicit igitur[Et hymno dicto]post cœnam : in qua gratias egit,& totum sermonem qui scribitur à decimosexto *Ioannis* vsque ad decimumoctauum cap. compleuit. *Psalm.*21. Edent pauperes & saturabuntur : & laudabunt Dominum qui requirunt eum.Hymnus enim,vt dicit *Cassiodorius*, est laus Dei cum cantico[exierunt] IESVS & Discipuli eius [in montem oliuarum] Vt ex vertice misericordiæ funderet opus redemptionis.*Cant.*1. Oleum effusum nomen tuum [Et ait eis IESVS] generali admonitione omnes præmonens Omnes vos]quia adhuc in fide pusilli estis [scandalizabimini in me] Hoc est, occasionem offensionis patiemini in me : sed non à me, sed à mundo[in nocte ista meæ traditionis. *Matth.*11. Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Et quamuis cadatis à me debilitate fidei : tamen resurgetis & conualescetis ad fidem. *Gloss.* Nunquid qui cadet non adiiciet vt resurgat ? Carnale est cadere, sed diabolicum est nunquam resurgere. *Matth.*18. Væ mundo ab scandalis : necesse est enim vt veniant scandala : væ autem homini per quem scandalum venit. Per Iudam enim venit scandalum istud.

Scriptum est enim] *Zach.*13. [percutiam pastorem] *secundum literam LXX.* Nostra habet: Percute pastorem.Duo autem dicit : quod ad tristitiam pertinet,& quod ad gaudium. Dicit igitur [Percutiam] Hoc est, percuti permittam. Et hoc pertinet ad tristitiam. *Hieronymus.* Per Prophetam postulat populus Passionem Domini quando dicit,percute pastorem. Et Dominus respondet: Percutiam pastorem.Et hoc hic ponitur. Septuaginta enim sic transtulerunt : Percute pastorem,& eripe oues. Pastore autem percusso [dispergentur oues gregis]quia tunc vnusquisque in viam suam declinauit : & vnus cum alio non remansit. 3.*Reg.*22.Vidi cunctum Israël dispersum in montibus quasi gregem non habentem pastorem. 1.*Petr.*2. Eratis enim quasi oues non habentes pastorem. Sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestratum. *Isa.*53. Omnes nos quasi oues erraiimus, vnusquisque in viam suam declinauit

Sed postquam surrexero præcedam vos in Galilæam.

Hoc quod est gaudij tristibus intermiscet.Dicit igitur[Postquam autem surrexero]tertio die[præcedam vos] iterum sicut pastor[in Galilæa] & ibi vos iterum ad regnum meum cõgregabo.*Ps.*105. Visita nos Domine in salutari tuo : & congrega nos de nationibus. *Isa.*40. Sicut pastor gregem suum pascet : in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit,fœtas ipse portabit. In Galilæam autem præcedit lumine resurrectionis: quia ibi incepit lumen suæ prædicationis. *Isa.*9. Gentium populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Habitantibus in regione vmbræ mortis,lux orta est eis. Hoc enim fuit in Galilæa ad literam.

Petrus autem ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego.

Tangit hic repressionem præsumptionis Petri & omnium aliorum Apostolorum & Discipulorum : & dicuntur hic duo,quorum vnum est præsumptio,& alterum repressio. Dicit igitur[Petrus autem]

autem]vertex Apostolorum pro se & pro aliis [ait illi]præsumens de feruore charitatis, quem tunc habebat:iguarus propriæ infirmitatis. *Eccles.* 34. Qui non est expertus,qualia scit?[etsi omnes] Discipuli & Apostoli[scandalizati fuerint]hoc est, in te offendiculum acceperint [sed non ego scandalizabor]*Mat.*26.Ego nunquam in te scandalizabor. Et hoc dixit : quia probatus per angustias mortis non fuit. *Eccles.*27.Vasa figuli probat fornax,& homines iustos tentatio tribulationis.

Et ait illi Iesus:amen dico tibi,quia tu hodie in hac nocte priusquàm bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus: At ille amplius loquebatur : etsi oportuerit me simul commori tibi,non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant.

Et ait illi Iesus]reprimens præsumptionem : & dicuntur hic duo, in quorum primo Petri prædicitur scandalum : in secundo propter inexperientiam confirmatur à Petro primo præsumptum.

Dicit igitur[amen dico tibi]confirmatione vtitur : quia est de futuro & contingens[quia tu hodie]in hac die non artificiali, sed naturali]in hac nocte]quia pars est diei naturalis [priusquàm bis gallus vocem dederit]hoc est, cantauerit [ter me es]ex infirmitate tua [negaturus] omnes autem alij Euangelistæ dicunt *Matth.*26.*Luc.* 22.& *Ioannis* 18. Priusquàm gallus cantet,ter me negabis. Intelligitur priusquàm gallus gallicinium mediæ noctis compleuerit, quod in pluribus galliciniis completur,& tunc conceordat cum isto. Et in negatione hac Petrus ex infirmitate remansisset, si oratio Christi eum non reduxisset. *Luc.* 22. Simon ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum : ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos[at ille amplius loquebatur] confirmans præsumptionem, quia non expertus fuit se ipsum [etsi oportuerit me simul commori tecum] hoc est periculum mortis subire[non te negabo] *Luc.* 22.Domine paratus sum tecum & in carcerem & in mortem ire[similiter autem & omnes]Discipuli cum Petro : simili præsumptione [dicebant] *Matth.*26.Etsi oportuerit me mori tecum : non te negabo. Similiter autem & omnes Discipuli dixerunt.

Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani.

Hic tangitur de confortatione orationis : secundum autem triplicem orationem Christi pars hæc diuiditur in tres partes, in quarum prima septem continentur:in quorum primo dicit vbi facta est hæc oratio : in secundo à Discipulis sequestratio : in tertio secretissimorum assumptio : in quarto orantis in oratione dispositio : in quinto vigiliarum Discipulis indictio : in sexto orationis ad Patrem directio:in septimo Discipulorum dormitantium increpatio & instructio : & hæc per ordinem in litera continentur.Dicit igitur[& veniunt]simul Iesus & Discipuli[in prædium]cuiusdam, quod casale ibi fuit ad prædium cuiusdam pertinens[cuius nomen Gethsemani] quæ vallis pinguium *(vt dicit Gloss.)* interpretatur : quia ibi tauri pingues obsederunt illum, & vituli multi circundederunt eum.*Psal.*21. Circundederunt me vituli multi : tauri pingues obsederunt me.Et hoc est primum vbi facta est oratio:quia ibi necessaria fuit vbi circundatus est ab inimicis.2. *Paralip.*20. Cum ignoramus quid agere debeamus,hoc solum habemus residui vt oculos nostros dirigamus ad te.*Psalm.*34. Ego autem cum mihi molesti essent induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.

D.Alberti Magni, in Euang.D.Marc.

Et ait Discipulis:sedete hic donec orem.

Hic tangitur Discipulorum à communitate segregatio[sedete]hoc est, quiescite[hic]*Ioan.*16. In mundo pressuram habebitis: in me autẽ pacem [donec orem] *Genes.* 22. Expectate me hic cum asino : ego & puer cum adorauerimus reuertemur ad vos.

Et assumit Petrum & Iacobum & Ioannem secum.

Ecce intimorum & præ cæteris instruendorum assumptio [Petrum] verticem Apostolorum, qui propter apicem apostolatus instruendus erat in regimine [& Iacobum] qui primus inter Apostolos passionem sustinuit,ad virtutem passionis erat confortandus & instruendus [& Ioannem] qui quia veritatem Deitatis altius scripsit, ad familiaria orationis erat admittendus[secum] *Psal.* 46. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.Sic *Exod.*17.Moyses in montem accepit secum Aaron & Vr. Sed Christus vno plus, quia dignior Moyse fuit. Aaron enim montanus, significat corroborationẽ in virtute:Vr autẽ ignis, excelsũ significat in charitate:quod Petrus & Iacobus designat. Quia autẽ nõ veritas,sed veritatis vmbra fuit in Moyse : ideò nullum loco Ioannis assumit.*Michee* 6.Misi ante faciem tuam Moysen & Aaron & Mariam. Moyses, Petrum propter apicem dignitatis : Aaron, Iacobum propter virtutis excellentiam : Maria autem,quæ interpretatur illuminatrix,Ioannem significat propter veritatis contemplationem.

Et cœpit pauere & tædere.Et ait illis. Tristis est anima mea vsque ad mortem.

Ecce dispositio orantis. Pauor autem refertur ad cor,& tædium ad mortis expectationem : & in hoc humanitatis veritas designatur. *Iob.*4. Pauor tenuit me & tremor,& cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt omnes pili carnis meæ. *Psal.*54.Timor & tremor venerunt super me : & cõtexerunt me tenebræ.[& ait illis] veritatem suæ humanitatis secundum sensualitatem designando [tristis est anima mea]non tristitia passionis, sed propassionis[vsque ad mortẽ]exclusus,quia post mortem nec de me nec de meis vnquam tristabor.*Apoc.*21. Iam non erit amplius neque luctus neque clamor,sed nec vllus dolor:quoniam priora transierunt.

Sustinete hic & vigilate.

Ecce indictio vigiliarum. *Luc.* 12. Vigilate ergo; quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. 1. *Petr.* 5. Sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus circuit quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide.

Et cùm processisset paululum, cecidit super terram.

Et cùm processisset paululum] à Discipulis. Tangit hic orationem, & præmittit reuerentiam orantis. De reuerentia quidem dicit [Et cum processisset paululum] etiam à tribus intimis recedendo. *Cant.* 1. Paululum cùm pertransissem eos: inueni quem diligit anima mea [procidit super terram] quia tres viderunt Discipuli. *Matth.* 26. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans & dicens, &c.

Et orabat vt si fieri posset transiret ab eo hora.

Ecce oratio: & duo dicit, sensum orationis, & formam: sensum dicit [si fieri posset] salua congruentia redemptionis humanæ [transiret ab eo] & non fundaretur in ipso [hora passionis] quia humanum erat mortem horrere. Et hanc quidem orationem fecit formando ratio: sed fecit eam pro naturali affectu sensualitatis, vt verus homo demonstraretur. 1. *Corinth.* 14. Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente: hoc est, sensualitate & ratione: quia spiritus ibi, vt dicit *Augustinus*, ponitur pro parte sensualitatis, in qua imagines rerum imprimuntur.

Et dixit: Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc à me. Sed non quod ego volo, sed quod tu.

Et dixit] formam orationis exprimendo] Abba, Pater] forma autem istius orationis continet tria: pietatem, petitionem, & rationis discretionem: pietatem cum dicit [Abba, Pater] Abba in Hebræo, idem est quod pater: & ideò pater quod sequitur, dictum est Euangelistæ. Patrem autem nominat, quia pietatis nomen est: & in nomine patris & dulcescit oratio, & fiducia datur impetrandi. *Ioan.* 11. Gratias ago tibi Pater quia exaudisti me: ego autem sciebam quia semper me audis. *Galat.* 4. Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater [omnia tibi possibilia sunt] cum sis omnipotens *Luc.* 1. Non erit impossibile apud Deum omne verbum. *Genes.* 18. Num Deo quicquam erit difficile? Et quia omnia tibi sunt possibilia, & potes alium modum liberationis humanæ sicut scis & vis ordinare [transfer calicem hunc à me] & illud est quod petitur in hac oratione: non vt obtineatur, sed vt veritas humanæ infirmitatis demonstretur. Tamen quidam sic exponunt [transfer] non vt non veniat, sed vt non fundetur in me vel meis permaneat. Sed hoc parum est, quoniam bene sciuit quod non fundaretur vel staret in se & suis passio. Vel [transfer calicē hunc à me] hoc est, à meis à quibus descendi secundum carnem, hoc est, à Iudæis quod eis non imputetur. Simile dicit *Apostol. Romanor.* 9. Voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habeant, licet non secundum scientiam [sed non quod ego volo] hoc est discretionis secundum rationem. *Matth.* 26. Veruntamen non sicut ego volo [sed sicut tu vis] *Esther* 13. In voluntate tua cuncta sunt posita: & non est qui possit resistere voluntati tuæ. 2. *Reg.* 10. Dominus quod bonum est in oculis suis faciet.

Et venit & inuenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon dormis? Non potuisti vna hora vigilare? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est: caro vero infirma. Et iterum abiens orauit eundem sermonem dicens. Et reuersus denuò, inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid responderent ei. Et venit tertiò, & ait illis: Dormite iam, & requiescite: Sufficit, venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui me tradet prope est.

Et venit] ad Discipulos [& inuenit eos dormientes] *Matth.* 26. Erant enim oculi eorum grauati. Natura tristitiæ est quod inducit somnum per recursum caloris ad intra: statim enim retracto calore & spiritu ab exterioribus organis sensuum, obrepit eisdem organis sensuum frigiditas, inducens somnum per hoc quod ligat organa sensuum: quia somnus nihil aliud est quàm sensuum ex frigiditate oborta ligamentum [& ait Petro] qui præ cæteris de se præsumpserat [Simon] iam enim infirmitate depressus, non Petrus vel Cephas, sed antiquo nomine Simon vocaris [dormis] id est, quid tu sopore deprimeris? surge inuoca Deum tuum [non potuisti vna hora vigilare] angustiæ & tædij in expectatione passionis [mecum] quid ergo facturus es in ipsa passione? Et admonet Petrum ad recognitionem suæ infirmitatis.

Vigilate ergo] vel adhuc, etsi non pro me vigilatis [vigilate] pro vobis. 1. *Corinth.* 15. Euigilate iusti: ignorantiam enim Dei quidam habent vsque adhuc [& orate] Patrem cælestem inuocando [vt non intretis] per gradus peccati [in tentationem] quæ est impulsio ad illicitum: sed statim in proforio à. peccati introitu vos subtrahatis. Sic enim conteritur caput serpentis *Genes.* 3. *Iob* 41. Per gyrum dentium eius formido. Dentes enim Diaboli sunt gradus tentationum. Primus motus cogitatio, delectatio, mora in corde, consensus, voluntas plena, impetus, operatio, iteratio, consuetudo, defensio peccati, gloriatio in peccato, inuerecundia, impœnitentia, desperatio. *Matth.* 6. Et ne nos inducas in tentationem. Et subiungit causam [spiritus quidem] qui est superior pars animæ, quæ contemplandis æternis inhærescit [promptus est] de se, & natura sua. *Rom.* 7 Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. *Isa.* 26. Spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te [caro autem] quæ corrupta deprimit semper, & aliquando vincit spiritum. *Rom.* 7. Video aliam

legem

legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. *Sapient.* 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Et ideò dicit [caro autem infirma] Et ideò ex parte illa fit tentatio, in quam orandum est vt non intretur. *Gloss.* Non ait vt non tentemini, sed vt non intretis in tentationem: id est, vt tentatio vos non superet, non teneat intra suos casses.

Et iterum abiens] à Discipulis se sequestrans: & hæc est oratio secunda. *Matth.* 6. Tu autem cùm oraueris intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem tuum [eundem sermonem] orationis, vt scilicet transiret ab eo calix passionis [orauit dicens] in oratione quod prius dixerat: docens nos hoc quod dixit *Luc.* 18. Quoniam oportet non semel tantum orare, sed instanter orare & non deficere. *Coloss.* 4. Orationi instate, vigilantes in ea. *Act.* 1. Omnes erant perseuerantes in oratione. *Luc.* 11. Si perseuerauerit pulsans, etsi non propter ipsum; tamen propter improbitatem eius surget, & dabit ei quotquot habet necessarios [& reuersus denuò] ab oratione ad Discipulos [inuenit eos dormiētes] pōdere tristitiæ depressos. *Mat.* 26. Dormitauerunt omnes & dormierunt. *Prou.* 6. Vsquequo piger dormis? paululū dormies, paululum dormitabis: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus [erant autem oculi eorum grauati] *Gloss.* Languescunt oculi Apostolorum negatione vicina [& ignorabant] iam suam sentientes infirmitatem [quid responderent ei] conuenienter. *Iob* 9. Si voluerit contendere cum eo, non respondebit ei vnum pro mille. *Rom.* 9. O homo tu quis es qui respondeas Deo?

Et venit iterum] ab oratione ad Discipulos: quia etiam *Daniel.* 6. Ter orauit Daniel contra templum. 2. *Corinth.* 12. Propter quod ter Dominum rogaui. Et ideò in antiquis legibus præceptum fuit ter orare [& inuenit eos] Discipulos tertiò [dormientes] *Matth.* 26. Et relictis illis iterum abiit & orauit tertiò eundem sermonem dicens.

Tunc venit ad Discipulos suos & dicit illis: dormite iam & requiescite] *Gloss.* Nota quod hoc dicto aliquantulum siluit, & omnes dormierunt & requieuerunt. Hoc autem ideò fecit, vt somno recreati fugere possent de manibus eorum, qui statim Christum erant capturi. *Iob* 3. Requieuerunt fessi robore. *Eccl.* 5. Dulcis est somnus laboranti, siue parum siue multum comedat. Et postquàm quieuerant, tunc dixit eis [Sufficit] tantum quieuisse [venit hora] meæ traditionis & vestræ dispersionis. Et hoc est quod sequitur [Ecce Filius hominis] in natura, quam communem habet cum homine [tradetur] per Iudam non dormientem, sed scelus traditionis instanter agentem [in manus] hoc est, in potestatem [peccatorum] qui præualebunt in ipsum. *Habac.* 1. Præualente impio aduersus iustum egreditur iudicium peruersum. *Iob* 9. Terra data est in manus impij, vultum iudicum eius operit [Surgite] à somno [eamus] obuiam proditori: vt omnes sciant quod voluntariè me offero passioni. *Ioan.* 14. Vt sciant omnes quia diligo Patrem. Et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio: surgite eamus hinc [ecce qui me tradet] in manus Iudæorum [prope est] quem nolo declinare quamuis possem. *Matth.* 26. Surgite, eamus: ecce appropinquabit qui me tradet.

Et adhuc eo loquente venit Iudas Iscariothes vnus de duodecim.

Hic incipit pars quæ est de traditionis perfectione ex parte traditoris. Dicuntur autem hic duo: scilicet, qualiter ad tradendum fuit armatus, & quo signo ab ipso Christus est proditus. In primo dicuntur tria: scilicet, quod ad prodendum fuit auidus & festinus, quod ad prodendum fuit Christo valde ingratus, & quod in proditione adiutoribus iniquis fuit armatus. Dicit igitur [Et adhuc eo loquente] Ac si dicat quod etiam sermonem perficere me non permittit. *Isa.* 5. Ecce festinus velociter veniet. *Prouerb.* 1. Pedes eorum ad malum currunt & festinant vt effundant sanguinem [venit Iudas] nomini suo & beneficiis sibi exhibitis ingratus. Iudas enim confitens & glorificans interpretatur: hic autem abnegauit Deum, & ignominiam fecit creatori. *Apoc* 2. Dicunt se Iudæos esse & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ [vnus ex duodecim] tanto honore apostolatus dignificatus à Christo. 1. *Reg.* 15. Cùm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es [Iscariothes] detegit vitium in corde latens, quia semper memoria mortis Domini remansit in corde suo. *Psalm.* 37. Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.

Et cum eo turba multa cum gladiis & lignis, missi à summis Sacerdotibus & Scribis & Senioribus.

Ecce quibus armis fuit ad proditionem armatus: quatuor autem inducit: multitudinem: arma impugnationis: auctoritatem, & consilium sapientiæ mundanæ [Cum turba enim multa] armatus fuit multitudine. *Psalm.* 3. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me [cum gladiis] Qui incutiunt vulnera [& lignis] quæ incutiunt liuores. *Luc.* 22. Tanquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus comprehendere me [missi à summis Sacerdotibus] à quibus habebatur auctoritas. *Ioan.* 18. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros: venit illuc cum lanternis & facibus & armis. Armis autem defensionis non indiguit, sicut lorica & clypeo: quia nemo reluctabatur [& Scribis] qui consilium dabant ex scientia literaturæ [& Senioribus] qui loco senatorum consilium dabant de Domino interficiendo. *Daniel.* 13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus qui videbantur regere populum. 1. *Esdræ* 9. Manus principum & magistratuum fuit prima in transgressione hac.

Dederat autem traditor eis signum, dicens: Quemcunque osculatus fuero ipse est tenete eum, & ducite eum cautè. Et cum venisset, statim accedens ad eum ait: Aue Rabbi, & osculatus est eum.

Secundum est in quo tangitur traditionis signum. Causa autem quare signum dedit hæc fuit, quia timuit quod vel peteret eos acrisia, & sic

exiret de manibus eorum,sicut fecit *Luc.*4. IESVS autem transiens per medium illorum ibat. Vel quod vultum transfiguraret, vt non noscereturs & sic iterum elaberetur de manibus eorum [Quemcunque osculatus fuero ipse est]quia sciuit quod osculum pacis ille qui venerat pacem facere,nulli negaret [tenere eum]sub signo pacis proditionem perficiens. *Matth.*7. Veniunt ad vos in vestimentis ouium : intrinsecus autem sunt lupi rapaces [& ducite cautè] ne de manibus vestris arte necromantica elabatur. Putabat eum missum quod in principe dæmonum arte necromantica signa faceret, & sic aliquando hominibus illuderet : & hic miser cautela calliditatis aduersum simplicem abutebatur veritatem. *Matth.*12. In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia.

Et cum venisset ad eum] prope[statim]impetu furoris exagitatus [accedens ad eum] sicut lupus ad agnum[ait] signum inconueniens hostibus demonstrans [Rabbi] Irridendo vocat eum magistrum,cuius abnegauerat disciplinam. *Matth.*26. Aue rabbi. *Luc.*22. Appropinquauit vt oscularetur eum. *Chrysostomus*. Papæ ! quantam malitiam deliberat anima proditoris? Qualis est ista salutatio iniqua,dolosa ? 2.*Reg.*20. dixit Ioab ad Amasam : Salue mi frater, & tenuit manu dextera mentum eius,& osculatus est eum : & sinistra apprehendens pugionem, transfixit eum in latere, & mortuus est.*Prouerb.*27. Meliora sunt vulnera diligentis,quam fraudulenta odientis oscula. Et hoc est [osculatus est eum] Per pacis verbum faciens bellum, & per signum amicitiæ proditionem perficiens. Et ideò Dominus dixit ei *Luc.*22. Iuda osculo tradis filium hominis.Ac si dicat,inconueniens signum proditionis est osculum.

At illi manus iniecerunt in IESVM, & tenuerunt eum.

Hic incipit pars illa quæ est de captiuitate Domini : hic autem duo dicuntur : scilicet, violentia captiuantium, & destitutio adiuuantium. Dicit igitur [At illi] ministri Sacerdotum missi cum Iuda[iniecerunt manus] sacrilegas [in eum] omnium saluatorem & liberatorem. *Isai.*1. Manus vestræ sanguine plenæ sunt [ac tenuerunt eum] captiuum.*Hieronymus*. Ecce Ioseph tentus & vinctus venditur à fratribus suis *Genes.*18.

Vnus autem quidam de circumstantibus educens gladium percussit seruum summi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam.

Tangitur hic destitutio auxilij, quæ tangitur in tribus : in repulsa defensionis, in concordia Propheticæ enuntiationis, in fuga amici recedentis.Dicit igitur[Videns autem quidam]scilicet Petrus, qui semper voluit pugnare & vlcisci pro Domino [de circumstantibus] ad defensionem [educens gladium]materialem:quia duo gladij ibi fuerunt. *Luc.*22. Ecce duo gladij hic [percussit seruum summi Sacerdotis] qui fortè aliis ministris captiuitatis Domini præerat : & vocabatur Malchus, hoc est, rex eorum]& amputauit ei auriculam] quod dispensatiuè factum est vt dicit *Hieronymus* : quia prædicatio Petri auditum regni Dei abscidit à Iudæis : qui auditus per auriculam designatur. *Isa.* 6. Aures eius aggraua, & oculos eius claude : ne forte videant oculis & auribus audiant & intelligant. Auricula autem dicebatur, quæ non nisi carnalia in lege audiebat. *Psalm.*57. Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas.

Et respondens IESVS ait illis : Tanquam ad latronem existis cum gladiis & lignis comprehendere me ? quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuistis. Sed vt impleantur scripturæ. Tunc Discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus syndone super nudo : & tenuerunt eum. At ille reiecta syndone, nudus profugit ab eis.

Tangit hic consonantiam Prophetiæ ad auxilij destitutionem, & dicit duo : insultationem captiuantium, & prophetiæ consonantiam, vt sciatur quod non ex imporentia, sed ex dispensatione Dei fuit quod non se defendit. Dicit igitur insultans eis [Tanquam ad latronem] armatum ad contrapugnandum [existis] missi à Pontificibus [cum gladiis & lignis] quæ sunt arma impugnationis [comprehendere me] qui me non defendi. 1. *Petr.* 2. Cùm maledideretur, non maledicebat ; cum paterctur, non comminabatur : tradebat autem iudicanti se iniustè. *Isa.*54.Sicut ouis ad occisionem ducetur : & sicut agnus coram tondente se obmutescet [quotidie apud vos eram] scilicet in exterioribus actibus [in templo docens] *Ioan.*18. Ego semper docui in synagoga & in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in abscondito locutus sum nihil [& non me tenuistis] quia non venerat hora passionis : & in hoc videre potestis, quia nec nunc facere potestis nisi quod Deus decreuit fieri. *Act.*3. fecerunt in eum quæcunque decreuit manus tua fieri : sed, supple, istud fit [vt impleantur scripturæ] Et quod dicitur [vt] quod videtur esse causale : quia cùm causa sit quam de necessitate sequitur aliud, coniunctio hic retinet consecutionem, & amittit causalitatem. Hoc enim prædictum est in scripturis,& sic impletio consecuta. *Luc.*24. Oportet impleri quæcunque scripta sunt in lege, & Prophetis, & psalmis de me. Vnde *Matth.*26. dicit contrapugnanti Petro. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ ?

Tunc Discipuli eius] qui defensionis auxilium ferre debuerant[relicto eo]ex timore[fugerunt]& sic auxiliantibus est destitutus. *Iob* 19. Derelinquerunt me proximi mei, & qui nouerunt me quasi alieni recesserunt à me. Hoc enim & ipse voluit vt infirmi saluarentur:quia dixit *Ioan.*18.Si me quæritis sinite hos abire, vt impleretur sermo quem dixit Iesus : quia quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam [adolescens autem quidam] quia seruentius[sequebatur eum]& hic fuit, vt quidam dicunt, Iacobus : quidam autem dicunt quod fuit Ioannes[amictus syndone]linea veste, quæ innocentiam significat.1.*Reg.*3. Samuel ministrabat in tẽplo Domini amictus Ephod linco [super nudo]

Ita

ita quod nihil super corpus sub syndone habuit, quia forte in horto vbi captus fuit Dominus, tunica spoliatus fuit[& illum] etiam qui Dominum sequebatur[tenuerunt]captiuum, hoc est, tenere cœperunt. Sed hoc videtur esse contrarium ei quod statim dictum fuit, quod Discipuli omnes relicto eo fugerunt.Et ad hoc dicendum est quod omnes quidem se retrorsum à Domino retraxerunt : sed tamen Petrus & Ioannes & Iacobus, qui præ cæteris erant familiariores, de longe sequebantur : & sic à posterius iste tentus fuit [at ille]vt infirmus [relicta syndone] in manibus tenentis se[nudus profugit] ab hostibus. Et hoc significatum est *Genes.* 39. Vbi Ioseph relicta lacinia in manu tenentis eum fœminæ, fugit vt saluaretur.*Cant.*5.Percusserunt me & vulnerauerunt me,tulerunt pallium meum custodes murorum.

Et adduxerunt Iesum ad summum Sacerdotem. ET conuenerunt omnes Sacerdotes & Scribæ & Seniores.

Hic incipit pars illa quæ est de examinatione captiui Domini:habet autem quatuor particulas, in quarum prima continetur coram quibus, & à quibus examinatio facta est : in secunda dicitur qualiter Petrus à longe ex dilectione tepida Dominum est consecutus *ibi* [Petrus autem sequebatur] in tertia autem qualiter Dominus per inquisitionem Pontificum est examinatus *ibi* [summi vero Sacerdotes] in quarta vero describitur qualiter Dominus à Petro est negatus *ibi*[& cum esset Petrus in atrio,&c.]In prima duo dicuntur : scilicet, coram quo, & quibus testibus audientibus, examinatus est Dominus. Dicit igitur[&]ministri Sacerdotum capientes Iesum [adduxerunt Iesum] captiuum[ad summum Sacerdotem] scilicet, Annam, qui fuit socer Caiphæ (qui duo à Romanis emerant summum Sacerdotium)quia domus Annæ primo occurrit in via eis,qui duxerunt eum ad Annam primum [& conuenerunt] mala conuentione in consensu malitiæ.*Psal.*67. Congregatio taurorum in vaccis populorum.*Psal.*2.Conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius [omnes Sacerdotes] qui principes aliorum esse videbantur [& Scribæ] in quibus erat scientia literaturæ[& Seniores]habentes astutiam longæ experientiæ, vt nullus deesset qui in Dominum non proferret malitiam.*Isa.*3. Linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius.

Petrus autem à longè secutus est eum vsque intrò in atrium summi Sacerdotis : & sedebant cum ministris & calefaciebat se ad ignem.

Secundum est, in quo qualiter aliis diutius secutus est Petrus determinatur : tanguntur autem tria : scilicet, Petri insecutio, terminus insecutionis, & Petri figuralis & significatiua dispositio. Dicit igitur [Petrus autem] præ cæteris præsumens : nunc [à longè] quia cordis timore iam incepit alienari[secutus est eum]*Psalm.*37. Qui me nouerunt,de longe steterunt:& vim faciebant qui quærebant animam meam [secutus tamen est] & hoc fuit amoris : quia quem dilexerat liberum, etiam captiuum relinquere nolebat. *Philip.* 3. Sequor si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum. In aliquo vel in modico voluit verificare quod dixerat : paratus sum tecum & in carcerem & in mortem ire.

Vsque in atrium summi Sacerdotis] terminus est insecutionis,quia ibi negauit Christum : & sic Christus auxilio ipsius est destitutus. Atrium autem hoc per modum curiæ dispositum fuit& domum summi Sacerdotis circumcinxit : in quo Petrus cum ministris remansit,qui Dominum captiuum adduxerant. Sed ipse Dominus Iesus à ministris traditus manibus Sacerdotum : ductus est in domum in superius cœnaculum, in quo clausus examinatus fuit : & ideò dicit quod à longè Petrus secutus fuit.*Psal.*37. Qui me nouerunt,de longe steterunt : & vim faciebant qui quærebant animam meam. *Iob* 36. Omnes qui vident me,intuentur procul.

Et sedebat] lassus labore & vigiliis noctis, & ex tristitia cordis [cum ministris] qui captiuum adduxerant Dominum : vt societate illorum dissimularet quod Discipulus Christi non putaretur. Iam enim de discipulatu Christi cœpit verecundari & timere : non attendens ad hoc quod Christus dixerat *Marc.*8. Qui me confessus fuerit & meos sermones : ego confitebor eum coram Angelis Dei. *Matth.*10. Nolite timere eos qui occidunt corpusi& post hoc non habent amplius quid faciant [& calefaciebat se] destitutus feruore pristinæ deuotionis.*Matth.*24. Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum [ad ignem] in atrio,iuxta quem ministri propter frigus noctis se calefaciebant : & sicut dicitur in aliis Euangelistis, prunæ erant effusæ & accensæ in atrio. Quæ dispositio Petri figuralis fuit,quia iam refrigiuit à deuotionis & charitatis feruore (vt dicit beatus *Bernardus*) magis algens mente quam corpore. Ignis autem qui in domibus & atriis summorum Pontificum nunquam extinguitur (vt dicit *Hieronymus*) est ignis iræ in Christum & Discipulos eius, & ignis cupiditatis in acceptione munerum ad iustitiæ subuersionem, & ignis carnalis concupiscentiæ in consumptionem castitatis. De primo dicitur in *Psal.* 57. Supercecidit ignis & non viderunt solem,hoc est, lucẽ rationis ad recta iudicia.De secundo dicitur *Iob* 15 Ignis deuorabit tabernaculum eorum qui libenter munera accipiunt. *Michea* 6. Adhuc ignis in domo impij & thesauri impietatis. Quia cum etiam à Domino nihil aliud accipere possent : ne omnino vacuis manibus Dominum condemnarent, vestimenticula sua sibi diuiserunt. De tertio dicitur *Iob* 31. Ignis est vsque ad consumptionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Hæc est olla succensa à facie & à facie Aquilonis, qui malo igne nunquam destituitur *Ierem.* 1. Iste est ignis alienus, quem pessimi Sacerdotes offerunt in conspectu Domini *Leui*.10.

Summi vero Sacerdotes & omne concilium quærebant aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent: nec inueniebant.

Secunda pars hic incipit de examinatione Domini : habet autem tres paragraphos, in quorum

primo ſtudium & diligentia malignitatis deſcribitur acculatorum : in ſecundo oſtenditur inconuenientia teſtimoniorum : in tertio inſtantia Pontificis ad confeſſionem Chriſti,in qua ſi præiudicaret condemnaretur. In primo importatur accuſantium auctoritas, generalitas,ſtudium,malignitas,& ſuper omnia vincens veritas.

Dicit igitur[ſummi vero Sacerdotes]in quibus erat poteſtatis publicæ auctoritas : hi ſunt Sacerdotes de quibus dicitur 1. *Mach.b.*4. Quod Sacerdotes non erant occupati circa templum & altare : ſed feſtinabant participes fieri paleſtræ & præbitionis eius iniuſtæ [& omne concilium] in quo notatur generalitas. *Ioan.* 11. Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium. *Geneſ.* 49. In concilium eorum non veniat anima mea : & in cœtu eorum non ſit gloria mea. *Eccleſ.*21. Stupa collecta Synagoga peccantium [quærebant] ecce ſtudium.*Ierem.*9. Vt inique agerent laborauerunt [aduerſus Ieſum]ecce malignitas. *Pſal.*2. Aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius [teſtimonium] quo conuincerent ad mortis condemnationem coram prætorio Pilati. *Exod.*20. Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium[vt eum morti traderent] qui nec verba promeruit. Sicut Iezabel contra Naboth innocentem quæſuit falſum teſtimonium 3.*Reg.* 21.& 22. Sicut iniqui ſenes contra Suſannam tulerunt falſum teſtimonium *Dan.*13 Sicut iniqua & laſciua mulier contra Ioſeph falſum dixit teſtimonium *Geneſ.* 39. *Matth.* 26 Principes Sacerdotum & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum[nec inuenerunt] ecce ſuper omnia vincens veritas : tam claræ enim erat doctrinæ & vitæ,quod etiam à fingentibus nihil poterat contra eum inueniri. *Iob* 6. Non inuenietis in lingua mea iniquitatem : nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit. *In apocrypho Eſdræ* 8. Veritas vincit & inualeſcit in æternum:& viuit & obtinet in ſecula ſeculorum.

Multi enim falſum teſtimonium dicebant aduerſus eum : & conuenientia teſtimonia non erant.

Oſtendit inconuenientiam teſtimoniorum:dicit autem duo:ſcilicet,generaliter inconuenientia, & ſpecialiter ea quæ à quibuſdam erant conficta. Generaliter loquens dicit [multi enim] *Eccleſ.*1. Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus [falſum teſtimonium dicebant] quod teſtificari non poterat niſi per falſos teſtes *Prou.*19. Teſtis falſus non erit impunitus, & qui loquitur mendacium peribit[aduerſus eum]Chriſtum veritatem.*Ioan.*14.Ego ſum via & veritas & vita [& conuenientia teſtimonia] contra ipſam veritatem dicta[non erant]teſtes enim : rogati, iurati,volentes,& ſcientes,deponere debent. Iſti autem ingeſſerunt ſe nullo rogante, nec iurati fuerunt,nec volentes,ſed coacti & inducti, nec ſciuerunt quod dixerunt : quia falſum neſcitur.*Iſa.*57. Super quem dilataſtis os , & eieciſtis linguam? Nunquid non vos filij ſceleſti , ſemen mendax[& conuenientia teſtimonia non erant] *Hieronym. in gloſſ.* Quia quod variatur , incertum eſt : & quod varium eſt,verum eſſe non poteſt. *Pſ.*77. In corde & corde locuti ſunt.

Et quidam ſurgentes falſum teſtimonium ferebant aduerſus eum dicentes : quoniam nos audiuimus eum dicentem, ego diſſoluam templum hoc manufactum. Et poſt triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conueniens teſtimonium illorum.

Et quidam ſurgentes] hi ſpecialiter præ aliis fingere & mentiri conſueuerunt : dicuntur autem hîc quatuor. Excipiuntur enim iſti in malitia , & de falſitate & mendacio commendantur inter ſuos , & modus aſſertionis eorum inducitur , & teſtimonium quod dixerunt inconueniens in medium producitur.Dicit ergo[& quidam] ſpecialis malitiæ ſurgentes , quos furor ad ſurgendum incitauit,ita quod ſedendo dicere non poterant [falſum teſtimonium ferebant] quod iudicio etiam inimicorum falſum fuit. *Iſa.* 28. Poſuimus mendacium ſpem noſtram : & mendacio protecti ſumus [aduerſus eum] qui ſimplex veritas fuit. *Rom.*3.Eſt autem Deus verax : omnis autem homo mendax [dicentes:quoniam nos audiuimus] ecce modus aſſertionis[eum dicentem] in contrarium dicunt Samaritani *Ioan.*4. Ipſi enim cognouimus & ſcimus, quia hic eſt vere Saluator mundi[ego diſſoluam] *Ioan.*2. [templum hoc manufactum]hoc addiderunt, & alia mutauerunt. Dixit enim Dominus. Soluite templum hoc[& poſt triduum reædificabo aliud]licet mentiti ſint, quia non dixit de alio,ſed de eodem[non manufactum] hoc addiderunt[reædificabo]ad idem etiam intellectum non retulerunt,quia dicitur *Ioan.*2. Quod hoc dicebat de templo corporis ſui:& ipſi intelleexerunt quod de templo materiali loqueretur , de quo dixit *Matth.*24. Non relinquetur lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur. Et ideò ſequitur [& non erat conueniens teſtimonium eorum] *Ierem,* 5.Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus ſuis , & populus meus dilexit talia.*Sap.*10. Mendaces oſtendit qui maculauerunt illum.

Et exurgens ſummus Sacerdos in medium , interrogauit Ieſum dicens: non reſpondes quicquam ad ea quæ tibi obiiciuntur ab his?Ille autem tacebat,& nihil reſpondit.

Tangit hîc qualiter ſummus Sacerdos videns quod per teſtimonia coram iudicio gentilium conuinci non poſſet, inſtitit vt eliceret ex propria confeſſione vnde Dominus condemnaretur : tanguntur autem tria : ſcilicet , ad aliquid contra ſe dicendum prouocatio,veritatis confeſſio , & indignationis contra veritatem concitatio. In primo duo ſunt prouocantia,ſcilicet,multitudo obiectorum,& interrogatio ſummi Pontificis.

Dicit igitur[& exurgens] imparientia exagitatus [ſummus Sacerdos] cui præ cæteris cura erat ne amitteret locum & gentem [in medium] hoc eſt, in commune : vt omnibus manifeſtum fieret [interrogauit Ieſum dicens] vt ad aliquid dicendum quod capi poſſet prouocaret. *Iſa.* 3. Linguæ eorum & adinuentiones eorum contra Dominum:

num:vt prouocarent oculos maieſtatis eius[Non] hoc eſt,nonne [reſpondes quicquam] Videbatur enim illi , quod nihil reſponderet niſi contra ſe aliquid diceret [ad ea quæ tibi ab his obiiciuntur] Dedit enim nobis formam : vt coram iudice, coram quo præualet iniquitas, nihil reſpondeamus. *Pſalm.*37. Factus ſum tanquam homo non audiens : & non habens in ore ſuo redarguiones. Et hoc eſt , quod ſequitur [Ille autem] Dominus Ieſus [tacebat] *Ezech.*3. Eris tacens nec quaſi vir obiurgans:quia domus exaſperans eſt[& nihil reſpondit]

Rurſum ſummus Sacerdos interrogabat eum & dixit ei: Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti?

Secunda prouocatio eſt quæ ſicut dicit *Luc,*22. cum adiuratione fuit [ſummus Sacerdos interrogabat eum] *Eccli.*13.Ex multa loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis. Taciturnitas autem Chriſti non fuit ex hoc quod veritatem confiteri non auderet : ſed vt ex humilitate locum iniquitatis iræ daret. *Rom.*13. Non voſmetipſos defendentes chariſſimi , ſed date locum iræ. Tacuit etiam ne ad deteriora prouocaret : quia ſicut canis prouocatur verbo, ita illi faciebant.*Iſai.*56. Canes impudentiſſimi neſcientes ſaturitatem. Tacuit quia tales indignos ſua reſponſione iudicabat. *Prouerb.*26. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam,ne ſibi ſimilis efficiaris[& dixit ei]Domino ſummus Sacerdos [Tu es] hoc eſt,Tu ne es[Chriſtus]Meſſias[Filius]naturalis & non adoptionis [Dei benedicti] à quo deſcendit omnis benedictio ſpiritualis & temporalis. *Matth.*26. Adiuro te per Deum viuum,vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei.*Luc.*22. Si tu es Chriſtus dic nobis.*Ioan.*7. Si tu es Chriſtus dic nobis palam. Et præmiſerunt , quouſque animas noſtras tollis?

Ieſus autem dixit illi,ego ſum: & videbitis Filium hominis à dextris ſedentem virtutis Dei , & venientem cum nubibus cæli.

Hîc ponitur confeſſio veritatis : & tanguntur duo : ſcilicet,veritatis confeſſio,& maieſtatis profeſſio & comminatio. Dicit igitur [Ego ſum] *Matth.*26.Tu dixiſti.Quod ſicut dicit *Hieronym.* idem eſt : & eſt ſenſus,ego ſum Filius Dei benedicti,ſicut tu dixiſti.*Ioan.*18. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum vt teſtimonium perhibeam veritati [& videbitis] Profeſſio eſt maieſtatis[videbitis]oculis corporeis[Filium hominis] in forma humanitatis in iudicio [à dextris] hoc eſt,in æqualitate Patris ſedentem vt iudicem[virtutis]hoc eſt,maieſtatis[Dei]Patris.*Ioan.*5.Omne iudicium dedit Filio , vt omnes honorificent Filium ſicut honorificant Patrem. *Apoc.*1. Videbit eum omnis oculus , & qui eum pupugerunt. *Ioan.*19. Videbunt in quem tranſfixerunt [& venientem] ad iudicium [cum nubibus] Nubes autem illa denſatum & conculcatum lumen eſt, reſplendens à corpore Chriſti & corporibus ſanctorum. *Dan.*7. In nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum ; & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum. *Apoc.*1. Ecce venit cum nubibus,& videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.*Act.*1.Sic veniet,quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.

Summus autem Sacerdos ſcindens veſtimenta ſua ait : Quid adhuc deſideramus teſtes ? Audiſtis blaſphemiam. Quid vobis videtur? Qui omnes condemnarunt eum eſſe reum mortis.

Hîc tangitur indignatio contra veritatis confeſſionem.*Amos* 5.Odio habuerunt corripientem in porta , & loquentem perfectè abominati ſunt. Dicuntur autem hîc duo : ſcilicet , condemnatio ad mortem, & illuſio propter hoc quod dixit veritatem. In priori horum quatuor dicuntur : ſignum indignationis , conclamatio conuictionis, inquiſitio conſenſus , & condemnatio communis ad mortis reatum. Dicit igitur [Summus autem Sacerdos]qui præ cæteris inſtabat ad Chriſti mortem [ſcindens veſtimenta] quaſi ex indignatione auditus blaſphemiæ. *Act.*7. His auditis continuerunt aures & impetum fecerunt vnanimiter in eum.Mos enim fuit antiquorum ſcindere veſtem, quando aliquid moleſtum, maximè contra Deum audiebatur.Vnde Paulus & Barnabas cum Lycaoniæ pro diis venerarentur , ſciderunt veſtimenta ſua.*Act.*14. Hæc autem veſtis ſciſſuta,diuiſionem poteſtatis Sacerdotij Iudaici ſignificabat : ſicut 1.*Reg.*15. cùm ſcinderetur veſtis Samuelis : dixit Samuel.Scidit à te Dominus regnum tuum. Milites autem gentiles *Ioan.*19. non ſciderunt tunicam Domini , quia poteſtas eccleſiaſtica in æternum integra remanebit [Et ait:Quid] hoc eſt, ad quid [adhuc deſideramus teſtes] qui depónant contra Chriſtum [audiſtis blaſphemiam] quam ipſe contra ſe ſibi præiudicans in iudicio protulit. *Matth.*26. Blaſphemauit,quid adhuc egemus teſtibus: ecce nunc audiſtis blaſphemiam[Quid vobis] nunc ſecundum legem de hoc[videtur]Quærit ſententiam ab his qui ſe vltro obtuleruntad falſum teſtimonium dicendo contra veritatis confeſſorem [Qui omnes] ſitientes ſanguinem ipſius [condemnauerunt eum] per legem malè intellectam[eſſe reum mortis] *Leuit.*24.Qui blaſphemauerit nomen Domini morte moriatur. Sed hæc ſententia contra eos eſt , quoniam ipſi blaſphemantes hoc quod erat virtutis Dei , Beelzebub attribuerunt ; & ideò in Spiritum ſanctum blaſphemauerunt : & ideò irremiſſibile eſt peccatum eorum. *Matth.*12. *Luc.*11. Spiritus blaſphemiæ remittetur neque in hoc ſeculo neque in futuro.

Et cœperunt quidam conſpuere eum , & velare faciem eius , & colaphis eum cædere , & dicere ei , Propheteza. Et miniſtri alapis eum cædebant.

Secundum eſt de illuſione Chriſti quam ſibi intulerunt propter auditam blaſphemiam. Dicuntur autem hîc quinque quæ patent in litera [Et cœperunt quidam] exceptæ malitiæ [conſpuere eum]tanquam immundum.*Iſa.*50. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. *Iob* 30. Faciem meam conſpuere non verentur. *Hieronym.* Conſpui voluit Dominus vt nos

lauaret & velare faciem eius] *Hieron.* Velati voluit vt nos ab operimento culpæ reuelaret. Non autem erat velauda facies speciosi præ filijs hominum, in quem desiderant Angeli prospicere: quia aspectu erat desiderabilis. Significauerunt autem in hoc quod velamen erat positum super cor eorum: per quod in faciem Christi nudam videre non poterant. 2. *Corinth.*3. Vique in hodiernum diem cùm legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum. Et hoc est secundum [& colaphis eum cædere] Et hoc est tertium. *Isa.*50. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. *Hieronimus.* Colaphis cæditur, vt caput nostrum, hoc est, Adam sanaret, & dicere ei: prophetiza] hoc est quartum, in propetrium verborum. *Matth.*26. De nobis Christe quis est qui te percussit? Et hoc irridendo fecerunt. *Hieronymus.* Quia à populis vt Propheta venerabatur [Et ministri] Quintum est, ministri autem famuli fuerunt Pontificum: & illi alapis eum cædebant. *Iob.*6 Exprobrantes percusserunt maxillam meam. *Isa.*50. *secundum LXX.* Dorsum meum dedi ad verbera: & maxillas meas ad alapas. *Mich.*5. Percutient maxillam iudicis Israël. *Thren.*3. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.

Et cùm esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi Sacerdotis: & cùm vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum ait: & tu cum IESV Nazareno eras? At ille negauit dicens: Neque scio neque noui quid dicas. Et exiit foras ante atrium: & gallus cantauit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus. Quia hic ex illis est. At ille iterum negauit. Et post pusillum rursus qui astabant dicebant Petro: Verè ex illis es: nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare & iurare quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim iterum gallus cantauit: Et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei IESVS: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

Hic tangitur tria: Petri negatio, per quam Christus omnium amicorum auxilio destituitur. *Eccli.*51 Respiciens eram ad auxilium hominum, & non erat. Tangitur autem hic trina Petri negatio: & ideò habet prima pars partes tres, post quas sequitur reuersio Petri ad cor ex misericordia Domini. Attendendum autem hic videtur quod tres negationes factæ sint in atrio Annæ, & nulla in atrio Caiphæ. Et hoc dicunt omnes sancti præter *Augustinum*, qui dicit vnam factam in domo Annæ, & duas in domo Caiphæ. Dicit igitur [Et cum esset Petrus in atrio deorsum[Quia(sicut ante diximus) Christus erat in domo superius, vbi examinabatur: ad quem locum Petrus non intrabat [venit vna] exceptæ industriæ [ex ancillis summi Sacerdotis] quæ vilia officia habebat in curia, & fuit ostiaria [Et cùm vidisset Petrum]diligenter intuita [calefacientem se] cum ministris [aspiciens eum]discretè, & considerás[ait]dignoscens eum, Etiu cum IESV Nazareno eras] *Prou.*30. Per odiosam mulierem mouetur terra. *Prouerb.*7. Mulier vaga & garrula quietis impatiens. Tamen *Chrysostomus* videtur velle, quod compatiens dixit [At ille] Petrus territus ad vocē mulieris[negauit eum] Christum dicens [Nescio hominem]quem dicis [neque noui quid dicas] hoc est, neque conuersationem eius scio, neque personam noui. *Matth.*26. Negauit coram omnibus dicens, nescio quid dicis, & exiuit foras] timore perterritus [ante atrium] *Isa.*7. Emotum est cor eius, & cor populi eius, sicut mouentur ligna syluarum ante faciem venti [&] statim [gallus cantauit]hoc est, primam vocem gallicinio dedit: & hoc solus dicit *Marcus. Iob* 38. Quis dedit gallo intelligentiam? qui sic monuit Petrum.

Rursus autem[Secunda negatio est[cùm vidisset eum] diligenti intuitu: alia [ancilla] quia plures erant in atrio & in obsequio Sacerdotis [cœpit dicere circumstantibus]ministris[quia hic ex illis est] qui cum IESV Nazareno fuerunt. *Luc.*22. Quem cùm vidisset ancilla quædam ad lumen, & cum fuisset intuita dixit: Et hic cum illo erat [At ille] Petrus [iterum negauit] *Luc.*22. At ille negauit eum dicens: Mulier non noui hominem.

Et post pusillum horæ [rursus] in tertia negatione[qui astabant] concitati ab ancillis[dicebant Petro] *Luc.*22. Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat dicens: & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et hoc est [Verè ex illis es, nam & Galilæus es] quia multi Galilæorum tunc credebant in Christum [Ille autem] Petrus tunc tertiò[cœpit anathematizare] per iuramenta execrationis [& iurare] per Deum[quia nescio hominem] istum. Non nominat eum: vt magis sibi videatur ignotus [quem dicitis] Sic in malum paulatim profecit. Primò enim dixit se Christum non noscere, secundò, negauit eum, & tertiò, abiurat. 2. *Timoth.*3. Mali homines proficiunt in peius. *Gregorius.* Quod per pœnitentiam citius non deletur, suo pondere ad aliud trahit.

Et statim iterum] post tertiam negationem [gallus cantauit] ad verificationem verborum Christi. Duplex autem gallicantus ab aliis Euangelistis non scribitur: & ideò Marcus in hoc loco perfectè scribit rei gestæ veritatem. Hæc autem Petri negatio docet nos quod dicit *Apostolus* 2. *Corinth.*1. vt non simus confidentes in nobis: sed in Deo qui suscitat mortuos. *Roman.*13. Noli altum sapere, sed time. Si enim ipse quem Deus principem constituit & Ecclesiæ fundamentum, sic ad vocem ancillæ negauit; quid tu facturus eris si te similis inueniat tentatio? *Luc.*23. Si in viridi hoc faciunt, in arido quid fiet? Negatio autem trina Petri est quod negat notitiam, abnegat Christum & discipulatum, & æternam per iuramentum abnegat veritatem. Minus enim nosse est, quàm discipulum esse: & minus est esse Discipulum, quàm æternæ veritati immobiliter esse coniunctum: & ideò priuatio notitiæ facit ignorantiam. 1. *Corinth.*15. Euigilate iusti, ignorantiam enim quidam Dei habent vsque adhuc. Abnegatio autem Christi est abnegatio discipulatus, & hoc facit erroneum. *Ioan* 9. Tu discipulus eius sis: nos autem Moysi Discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit. Abnegatio autem æternæ veritatis facit esse filium diaboli. *Ioan.*8. Vos ex patre diabolo estis, & opera illius vultis perficere. Iste homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia mendax est & pater eius. Et sic Petrus paulatim proficit ad impietatem. 2. *Timot.*2. Multum proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.

Et recordatus est Petrus] quia tunc tempus fuit de misericordia Petrum respicere, & ideò *Matth.*26. Dicitur quod conuersus Dominus respexit Petrum respectu suæ misericordiæ. *Eccles.* 36. Miserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum. Et ad respectum diuinæ misericordiæ [recordatus est Petrus]hæc enim recordatio veritatis significatur *Iob* 1. Euasi ego solus vt nuntiarem tibi [verbi quod dixerat ei Iesus] futurorum præscius. Deus qui in malis sic præscit & prædicit: vt non causet malum quod scit, sed admonitio est ad cauendum. *Sap.* 12. Admones vt relicta malitia credant in te Domine [prius quam gallus cantet bis] hoc enim verbum fuit ad refrænandam præsumptionem Petri[ter me negabis] *Dan.*9. Et non erit eius populus qui eum negaturus est [& cœpit flere]vt flendo diluerat maculas quas negando contraxit. *Psal.* 6. Lacrymis meis stratum meum rigabo. *Luc.*22. Egressus foras fleuit amare. Vt amaritudo referatur ad cordis compunctionem: fletus autem ad commissi delicti verecundam recognitionem: & egressus ad operis mali & prauæ societatis derelictionem. *Ierem.*6. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum. Hæc autem omnia moraliter exponi possunt: sed mihi videtur quod animum à pietate fidei abstrahere non sit vtile: & ideò tales præteriamus expositiones.

CAPVT XV.

Et confestim mane consilium facientes summi Sacerdotes cum Senioribus & Scribis & vniuerso concilio, vincientes Iesum duxerunt, & tradiderunt Pilato.

Hic incipit agere *Marcus* de passione Domini quæ vere passio vocatur, quæ consistit in vulneribus & doloribus mortis. Diuidimus autem in tres partes in quarum prima ponuntur ea quæ faciunt ad condemnationem ipsius: in secunda describuntur ea quæ circunstant crucifixionem *ibi* [& postquam illuserunt ei exuerunt eum purpura] in tertia autem ponuntur ea quæ circunstant officium sepulturæ *ibi*[erant autem mulieres de longe aspicientes, &c.]in prima tria dicuntur: scilicet, Christi ad iudicium Pilati à Iudæis præsentatio: causæ pro qua præsentabatur discussio *ibi* [& interrogauit eum Pilatus]tertiò Domini ad crucifigendum condemnatio *ibi* [Pilatus autem volens satisfacere populo, &c.] in primo horum quinque dicuntur: scilicet, Iudæorum ad crucifigendum Christum auiditas, concordantium in condemnationem suam generalitas, crudelitatis eorum malignitas in modo contrahendi Christum, pœnarum ipsius societas, & ad condemnandum eum à gentibus Iudæorum obstinata impietas.

Dicit ergo [& confestim] omnis enim mora prolixa eis videbatur. *Prouerb.* 1. Pedes eorum ad malum currunt, hoc est, affectus: & festinant vt effundant innoxium sanguinem. *Psal.* 13. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non est timor Dei ante oculos eorum[mane facto] *Iob* 24. Mane primo consurgit homicida, & interficit egenum & pauperem. Vide quam sunt soliciti in malo, tota nocte vigilauerunt vt facerent homicidium.

Concilium facientes]vt nullus à reatu sanguinis esset alienus. *Genes.* 49. Vasa iniquitatis bellantia: in concilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea. *Isa.*1. Iniqui sunt cœtus vestri [summi Sacerdotes]tanquam illius mali auctores. *Ierem.*23. A Prophetis Ierusalem egressa est pollutio super terram [cum Senioribus] ætate & malitia pariter prouectis. *Dan.*13. Egressa est iniquitas à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. *Isa.*65. Peccator centum annorum maledictus erit [& Scribis] ne literatura tanto facinori deesse per concilium videretur. *Ierem.*4. Sapientes sunt vt faciant malum: bene autem facere nescierunt. *Isa.*5. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes [& vniuerso concilio] vt omnes inuolueretur. *Ierem.* 22. Factus est cursus eorum malus, & fortitudo eorum dissimilis.

Et vincientes eum] ecce crudelitatis eorum malignitas. Vinciunt enim eum qui omnes à vinculis peccatorum absoluit. *Psal.*145. Dominus soluit compeditos: Dominus, &c. *Psal.*115. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Hunc crudeliter vinciunt, quia consuetudo eorum fuit nullum ad condemnandum præsentare potestati publicæ, nisi vinctum. *Eccles.*6. Erunt tibi compedes eius in probationem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ. Decor enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris. Et ideò etiam vinciri voluit. Vnde in *Prosa* dicitur. Teque vinciri voluisti, & nos inferni mortis vinculis eripuisti [duxerunt] hoc est, vinctum traxerunt: & in hoc tractu notatur qualiter pœnis eius sunt saturati. *Iob* 16. Saturati sunt pœnis meis. *Thren.* 3. Ceruicibus minabamur, lassis non dabatur requies[& tradiderunt Pilato] in quo notatur obstinata Iudæorum impietas. *Sapient.* 12. Semen erat maledictum ab initio: & naturalis malitia eorum immutari non poterat.

Et interrogauit eum Pilatus: tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi Sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogauit eum, dicens: non respondes quicquam? Vide in quantis

quantis te accusent. Iesus autem amplius nihil respondit: ita vt miraretur Pilatus.

Hic ponitur causæ pro qua præsentabatur capiuus Dominus discussio: dicuntur autem hic quatuor, in quorum primo accusationis quæ principalior, inquisitio: in secundo ad multitudinem friuolarum accusationum, Domini patiens & taciturna dissimulatio: in tertio à Pilato quæsita Domini liberatio: in quarto innocentiæ Domini ostensio. Dicit igitur [& interrogauit eum Pilatus] quia à Iudæis non probabatur: propter hoc à Domino quærebatur [tu es] hoc est, si tu es [Rex Iudæorum] accusauerunt enim Sacerdotes Iesum in tribus principaliter: scilicet, quod gentem subuerteret, quod tributa dari prohiberet, & quod se regem faceret. *Luc.* 22. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Sed de primo tanquam superstitioso Pilatus non curauit: de secundo audiuerat quod dixerat, reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari *Matth.* 22. Et ideò quærit de tertio, quia tunc non licuit alicui se regem facere nisi per Romanorum auctoritatem. *Ioan.* 18. Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari.

At ille] vt confessor veritatis [ait illi] Pilato [tu dicis] id, supple, quod sum. Tamen sicut additur *Ioan.* 18. Regnum meum non est de hoc mundo. Si de hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent vt non traderer tibi. Et ideò etiam huic accusationi Pilatus non multum insistebat: quia nec exercitum videbat, nec pecunias, nec tumultum concitauit contra potestatem Romanorum. Et ideò citò destitit etiam ab hac accusatione: præcipue quia audierat id quod dicitur *Ioan.* 6. Quod cum venirent & caperent eum in regem, fugit & abscondit se in monte [& accusabant eum summi Sacerdotes] qui præ cæteris instabant ad mortem eius. *Luc.* 22. Stabant autem & Pontifices constanter accusantes eum [in multis] quæ tamen rationem non habebant, quia nulla fuerunt. *Psal.* 108. Os peccatoris & dolosi super me apertum est: locuti sunt aduersum me lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, & expugnauerunt me gratis [Pilatus autem] volens inuestigare causam [interrogauit eum] Iesum [dicens] *Iob* 29. Causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam [non respondes quicquam] ac si dicat. Respondendo te statim defenderes: quia licet multa sint, tamen friuola sunt quæ tibi obiiciuntur. *Matth.* 27. Nihil respondes ad ea quæ isti aduersum te testificantur. Et hoc est quod sequitur [vides in quantis te accusant] ac si dicat. Nulla sunt quæ dicunt: simplici responsione excludes eos. Vnde *Gloss.* Et inuitus condemnat Iesum, causam referens in populum Iudæorum [Iesus autem nihil amplius respondit] *Gloss.* Ne crimen diluens, à Præside dimitteretur, & sic crucis vtilitas differretur. *Isa.* 53. Sicut agnus coram tondente se: sic sine voce est [ita vt miraretur Pilatus] causa admirationis fuit innocentia Domini: qui vno verbo poterat omnes exsufflare accusationes, & non fecit: quam tamen innocentiam Iudæi non considerauerunt. *Isa.* 57. Non considerasti in corde suo dicens: quia ego tacens, & quasi non videns. *Psal.* 38. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me: obmutui & silui à bonis. Dedit enim nobis exemplum: vt coram iudice, coram quo prævalet iniquitas, nihil respondeamus.

Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis quemcunque petissent.

Hic incipit Pilatus quærere occasionem liberationis: quia vidit esse innocentem: dicuntur autem hic quinque: scilicet, bonæ consuetudinis obseruatio, dimissionis innocentis Domini ad dimissionem seditiosi collatio, populorum à Pontificibus ad dimittendum latronem concitatio, Pilati de causa condemnationis Domini inquisitio, & populi ad crucifigendum Dominum conclamatio: & hæc plana sunt in litera. Dicit igitur [per diem autem festum] paschæ, quod præcipuum erat apud Iudæos [dimittere solebat] Pilatus [vnum ex vinctis] sine discretione meritorum [quemcunque petissent] in memoriam eius quod tunc omnes ab Ægyptiaca seruitute fuerunt liberati. *Isa.* 58. Dissolue colligationes impietatis, & omne onus dirumpe: dimitte eos qui confracti sunt liberos. *Psal.* 106. Contriuit portas æreas & vectes ferreos confregit: suscepit eos de via iniquitatis eorum. *Isa.* 45. Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. In memoriam ergo huius consuetudo hæc inualuit.

Erat autem qui dicebatur Barrabas, qui cùm seditiosis erat vinctus: qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis.

Hic ponitur Domini ad latronem collatio. Dicuntur autem hic tria: malitiæ latronis exaggeratio, populi secundum consuetam obseruationem instans petitio liberationis Domini ad liberationē latronis collatio. Dicit igitur [per diem autem festum] vel [solemnem] quia duplex est ibi litera: propter facti æternam memoriam. *Exod.* 12. Legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus vestris [dimittere] Pilatus [solebat vnum ex vinctis] publicis [quemcunque petissent] sine discretione meritorum: quod tamen malum fuit quia innocens magis debuit quam nocens liberari. *Dan.* 13. Innocentem & iustum ne interficias [erat autem] ecce sceleris in latrone vincto exaggeratio, & hoc est [erat autem qui dicebatur Barrabas] Binomius erat propter scelera. Dicebatur enim Barrabas per duo r. i. filius magistri, eo quod erat imitator magistri omnium latronum: dicebatur & Barabas per vnum r. quia filius patris latronum erat. Et hoc nomen autor omastice sortitus fuerat. *Matth.* 27. Propter homicidium & seditionem quam fecerat in ciuitate missus fuerat in carcerem. Et hoc est [qui cum seditiosis] quia inter ciues discordias suscitabat [vinctus erat] ne pacis semper vnitatem violaret [qui in seditione fecerat homicidium] & sic ciuem ciuitatis occiderat: vnde merito tota debuit commoueri ciuitas hos enim & tales etiam gentilis rex Assuerus sine misericordia præcepit trucidari *Esther* 14. Vt nefarij

farij homines ad inferos descendentes reddant imperio nostro pacem quam turbauerant. Iste ergo secundum leges gentium nullo modo putabatur esse liberandus, maximè cum dicatur *Exod.* 22. Maleficos non patieris viuere.

Et cùm ascendisset turba] ad diem festum. Et est petitio quod teneatur ab antiquo obseruata consuetudo [cœpit rogare] Pilatum quod faceret [sicut semper faciebat] hoc est, sicut semper consuetus fuerat facere [illis] in dimittendo vnum vinctum. Consuetudo enim honesta vim tenet iuris & legum, quæ est ex præscriptione temporis obseruata. *Ierem.* 6. Interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, & ambulate in ea.

Pilatus autem respondit eis & dixit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum summi Sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barrabam dimitteret eis.

Hic fit à Pilato dimissionis Domini ad dimissionem seditiosi latronis collatio [Vultis dimittam vobis] hoc est, ad honorem festi [regem Iudæorum] hoc est, quem in nullo accusatis nisi quod sit rex Iudæorum: quod tamen fatuum est, quia nullus apparatus regius apparet in ipso. Et sic dicitur *Ioan.* 19. Dixerunt: regem non habemus nisi Cæsarem [Sciebat enim Pilatus quod per inuidiam] quia in potestate docebat & faciebat miracula, & euacuabat traditiones eorum [tradidissent eum] Hæc est fera pessima quæ filium magni Patriarchæ deuorauit *Genes.* 37. Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph. *Sapient.* 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum: imitantur autem illum qui sunt ex parte illius [Summi autem Sacerdotes] qui circa sacrificia templi officia habebant [& Pontifices] Annas & Caiphas apud quos summa negotiorum agebatur [concitauerunt turbam] persuasionibus & minis & promissis [vt magis Barrabam] homicidam seditiosum, & latronem dimitteret eis ad solennitatis honorem. *Ierem.* 2. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fecerunt sibi cisternas dissipatas, continere non valentes aquas. Nullum enim refrigerium fuit in dimissione latronum, sed potius multum damnum. *Daniel.* 13. Nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius: iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios.

Pilatus autem iterum respondens ait illis: quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum clamauerunt: crucifige eum.

Hic fit de causa condemnationis à Pilato inquisitio [Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum] in quo nihil causæ inuenio. *Ioan.* 19. Ego nullam causam mortis inuenio in eo. 1. *Petr.* 2. Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in lingua eius [At illi] persuasi à malignis [clamauerunt] vt clamore vincerent, qui de veritate nihil obiicere habebant [Crucifige eum] vt morte mulctaretur: & cruce turparetur, ne aliqua de cætero fama esset de eo. *Sapient.* 2. Morte turpissima condemnemus eum. *Ierem.* 11. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.

Pilatus vero dicebat illis: quid enim mali fecit? At illi magis clamabant crucifige eum.

Et hæc est innocentiæ Domini declaratio: 8 hoc est [Quid enim mali fecit] *Glos.* quod dicendo. IESVM tanquam innocentem absoluit. Vnde *Ioan.* 19. Ego nullam causam mortis inuenio in eo [At illi magis] hoc est, inualescendo [clamabant] clamore & non veritate confidentes [Crucifige eum] *Ierem.* 12. Quasi leo in silua facta est hæreditas mea mihi: dedit contra me vocem suam. *Isa.* 5. Expectaui vt faceret iudicium: & ecce clamor. *Gloss.* insaniæ suæ satisfacientes, non interrogationi satisfacientes Præsidis. *Luc.* 23. At illi instabant vocibus magnis, postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum.

Pilatus autem volens satisfacere populo, dimisit illis Barrabam: & tradidit IESVM flagellis cæsum vt crucifigeretur.

Hic incipit pars illa quæ est de sententia condemnationis: dicuntur autem hic tria: scilicet, malum ad sententiam (aliàs factum) inductiuum: peius, ex electione duorum præoptatum: & pessimum, innocentis & puniti homicidium. Et hæc dicuntur, primò, secundò autem describitur Christi illusio. Dicit igitur [Pilatus autem] ambitiosus nolens amittere principatum [volens] voluntate placendi [satisfacere populo] insano. *Psalm.* 52. Confusi sunt qui hominibus placent: quoniam Deus sprevit illos. *Galat.* 1. Si adhuc hominibus placerem: Christi seruus non essem [dimisit illis] sicut peius elegerunt [Barrabam] flagitiosum. *Prouerb.* 1. Quæ nolui elegistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis quod timebatis aduenerit [& tradidit eis IESVM] innocentem [flagellis cæsum] Vt vel sic pœnis eius satiati non peterent eum crucifigi [vt crucifigeretur] post tot opprobria & flagella. *Isa.* 57. Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo, viri misericordiæ colliguntur, & non est qui intelligat: à facie iniquitatis sublatus est iustus.

Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eum: Aue rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine, & conspuebant eum, & ponentes genua adorabant eum.

Hic incipit pars illa in qua Christi continetur illusio: his autem quinque illuditur: scilicet, purpura, corona, arundine, sputo, & adoratione: quæ per ordinē in litera continentur. Dicit igitur [Milites autem] qui semper ad omne facinus proni fuerunt

fuerunt pro pecunia : hi enim ad hoc conducti fuerunt. Vnde etiam & Ioannes Baptista quod à talibus cessent violentiis *Luc.* 3. Dixit militibus. Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Hi ergo milites, satellites Satanæ, condemnatum [duxerunt eum Iesum [intrò in atrium] tanquam in aulam regiam [prætorij] vbi sedebat Præses & Senatus: vt omnes tali interessent spectaculo. 1. *Corinth.* 4. Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus[& conuocant totam cohortem] vt sicut mortis, ita omnes participes sint illusionis. *Psal.* 30. Omnes qui videbant me, aspernabantur me[& induunt eum purpura]in illusionem. Quia obiectum fuit ei quod fecerat se regem. *Isa.* 63. Quare rubrum est indumentum tuum : & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?Hoc enim mirantes patientiam Domini clamabant Angeli. Et tamen quamuis ignorantes & inimici fuerint, tamen induunt eum purpura : mysterium regni cælestis significantes, quod incepit per Christum: cuius vestis purpurea fuit vestis humana,sanguine redemptionis perfusa. *Isa.*63.&c. Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra : Iste formosus in stola sua?*Cant.*7. Comæ capitis tui sicut purpura regis vincta canalibus.Hoc dicitur de Ecclesia, cuius mens caput est : comæ dependentes sunt cogitationes & affectus,è quibus comis nunquam separatur hæc purpura sic rubricata. *Eccles.* 44. Circumcinxit eum purpura opus textile viri sapientis.Contexta est hęc rubea purpura de multis guttis sanguineis à purpure nostro elicitis. Purpur enim nostrum Christus est sine virili semine in claustris vteri virginalis conceptus de sanguine purificato à sancto spiritu,qui coloratuit purpuram istam.

Et hanc regalem dignitatem etiam inuiti [imponunt ei] in capite [plectentes] vt aculeorum acumen caput vndique pungeret [spineam coronam] de iuncis spinosis valde acutos angulos habentibus:ostendentes se esse spinetum, qui sic Dominum maiestatis pupugerunt. *Isa.*9. In spinas & in vepres erunt. 1. *Reg.* 23. Præuaricatores quasi spinæ euellentur, quæ non tanguntur manu, sed si quis voluerit eas tangere,armabitur ferro & ligno lanceato. Christus enim rex noster quamuis manu se tunc non defenderit;tamen adhuc armabitur ferro iudiciariæ potestatis : & longè distans ab eis spatio immortalitatis & impassibilitatis acuet diram iram in lanceam, & euellet eos, & dabit in ignem æternum. Sic ergo spinatum est caput regis nostri docens eum spinis nostris esse compunctum. *Malach.* 3. Si affliget homo Deum, quia vos configitis me ? *Cant.* 3. Egredimini filiæ Sion : & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum mater sua,hoc est, Iudæorum synagoga spinis peccatorum compungens caput ipsius.Inter has spinas florent omnes qui in Christi innocentia,& humilitate,& patientia reflorueruntCant. 2. Sicut lilium inter spinas,sic amica mea inter filias[& cœperunt salutare] per irrisionem regia salutatione [dicentes] probrosè] Aue rex Iudæorum] quia (sicut dixerunt)regnum voluit vsurpare Iudæorum.Salutatio hæc non est salutis imprecatio, sed potius pœnarum & exprobrationis infliction. *Isa.* 29.Appropinquat populus iste ore suo,cor autem eorum longè est à me, sine causa colunt me. *Ierem.*12. Prope es tu ori eorum: & longe à renibus eorum. Tales autem sunt qui Christum voce prædicant,& factis irrident. *Tit.* 1. Confitentur se nosse Deum, factis autem abnegant.

Et percutiebant] tertium irrisorium est quod hic semiplene tangitur,quia perfectius *Matth.*27. Continetur:vbi sic dicitur. Dabant arundinem in dexteram eius, & genuflexo ante eum, illudebant dicentes:Aue rex Iudæorum:& expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Arundinem autem dabant pro sceptro, significantes vacuum à decore & fragile esse regnum regis, qui seipsum non defenderet. Hæc autem arundo regnum est Iudæorum(in quo rex fuit Dominus) iam vacuum & fragile, & transferendum ad alios significabat. *Matth.* 21. Auferetur à vobis regnum : & dabitur genti facienti fructus eius. Et ideò *Isa.*36.Dicitur de rege Iudæorum,quod innititur super baculum arundineum,qui cum fractus fuerit intrabit & perforabit manum innitentis super eum.In regno autem Christi nihil significat nisi arundinis rectitudo:vnde *Apocal.*21. Arundinea mensura erat in manu mensurantis ciuitatem. Quod nouæ gratiæ & nouorum sacramentorum significat institutionem [& percutiebant caput eius arundine] arundo hæc sambucus fuit, quæ est arundo magna in exterioribus dura, & ictibus suis liuores inducit plus quam moderatus baculus. Sicut *Philosophus* dicit de percussuris ferulæ in quibus etiam ideò liuet : quia dura valde est, & non cedit in se quando percutit. Præterea spinæ erant in capite, quas ictibus arundinis necesse fuit profundè pungere caput Domini. *Psal.* 101. Percussus sum vt fœnum & aruit cor meum.

Et conspuebant eum]irrisio quarta est.*Iob.* 30. Faciem meam conspuere non verentur. Sic conspuunt eum qui blasphemant eum.

Et ponentes genua] quinta irrisio est [adorabant eum] falsa & irrisoria adoratione. *Luc.* 22: Alia multa blasphemantes in eum dixerunt. *Ioan.* 19. Milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius;& veste purpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum & dicebant : Aue rex Iudæorum.Et dabant ei alapas.

Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura i, & induerunt eum vestimentis suis : & educunt illum vt crucifigerent eum. Et angariauerunt quempiam prætereuntem Simonem Cyrenæum venientem de villa,patrem Alexandri & Rufi, vt tolleret crucem eius. Et perducunt illum in Golgotha locum : quod est interpretatum caluariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum:& non accepit.

Hic agitur de Domini crucifixione : diuiditur autem hæc pars in tres partes, in quarum prima continetur de modo crucifixionis : in secunda de modo irrisionis crucifixi *ibi*[& prætereuntes blasphemabant eum] in tertia autem describitur de modo mortis *ibi* [& facta hora sexta, &c.]in prima harum continentur septem paragraphi, in quorum primo describit Christi ad crucifigendum

dum eductionem : in secundo loci in quo crucifixus est horrorem : in tertio interiorem eius afflictionem : in quarto spoliationem:in quinto temporis congruitatem:in sexto tituli inscripti dignitatem : in septimo per latronum societatem scripturæ impletionem : quæ per ordinem planè continentur in litera.In primo horum duo dicuntur: scilicet, Christi eductio, & per angariatum Simonem crucis Christi portatio. Quatuor in primo horum continentur:scilicet, purpuræ exuitio, vestium suarum resumptio,eductio, & crucifixionis proposita à Iudæis intentio.

Dicit igitur[& postquam illuserunt ei] *Isa.*28. Viri illusores qui dominamini super populum meum qui est in Ierusalem[exuerunt eum purpura]ne regalem vestem crucifixione fœdarent. Vestis autem huius depositio significat Iudæorum depositionem, ne amplius decore Iudæorum regnum domus induatur. *Cant.* 5. Exui me tunica mea quomodo induar illa?[& induerunt eum vestimentis suis] pauperculis quibus ante vtebatur. *Zachar.* 3. Iesus erat indutus vestibus sordidis. In suis ergo eduxerunt eum:& hoc est quod dicit [& educunt eum] sicut vitula rufa (cuius sanguis inferebatur intra sancta sanctorum) extra castra educebatur cùm immolabatur. *Leuit.* 8. & 9. & *Hebr.*13. Quorum animalium sanguis infertur in sancta sanctorum,horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum : extra portam passus est.Exeamus igitur ad eum,improperium eius portantes [vt crucifigerent] hæc enim erat intentio eorum,vt eum & morte mulctarent,& cruce turparent. *Sap.* 2. Morte turpissima condemnemus eum.

Et angariauerunt] secundum est primæ partis. Est autem sensus quod primo exiuit Iesus in eum locum, qui dicitur caluariæ locus, baiulans sibi crucem:sicut dicitur *Ioan.*19. Sed cum lassus esset sub pondere crucis : tunc[quendam]casu sibi obuium Simonem Cyrenensem angariauerunt vt crucem portaret per viæ residuum vsque ad crucifixionis locum. Et hoc est quod dicit[& angariauerunt] violenta coactione [quempiam] casu sibi obuium[venientem de villa]ad ciuitatem causa mercationis,vel operis alterius [prætereuntem] se in via qua educebant Iesum. Et describit illum nomine,& patria, & cognatione:quia omnia hæc nota fuerunt [Simonem] nomine[Cyrenæum] patria ; quia gentilis fuit [venientem] casu tunc temporis[de villa] habitationis suæ ad ciuitatem sanctam Ierusalem[patrem]carnalem [Alexandri & Rufi] quia illi noti erant apud eos : ne res veniat in negationem[vt tolleret] portandam[crucem eius]iam lassi Iesu Christi.Quod significabat quod gentilitas ab ipsis humeris immediatè crucem susceptura erat ad redemptionem: quæ & tenebras ignorantiæ extirparet,quòd Alexander interpretatur : & totam Ecclesiam de gentibus sanguine suo decoraret, quod significat Rufus:& per omnia mœrorem gentium per obedientiam deponeret,quod interpretatur Simon:& hæredes regni sui faceret, quod interpretatur Cyrenæus : & crucem Christi in altum per pœnitentiam extolleret,quod sustollere crucem Christi significat : & ad hoc compellerent Iudæi per hoc quod verbum crucis reiecerunt, quod significat angaria. *Act.*13. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quia repulistis illud, & indignos vos iudicastis æternæ vitæ:ecce conuertimur ad gentes.Sic enim præcepit nobis Dominus.*Isa.* 42. Dedi te in lucem gentium:vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.

Et perducunt eum in Golgotha] secundus paragraphus,in quo tangitur horror loci in quo crucifixus est Dominus.Quid autem sit Golgotha,interpretatur Euangelista subdens [quod est interpretatum] in latino[caluariæ locus] vbi multæ caluariæ damnatorum hominum iacebant. Est enim caluaria,testa denudata pilis & pelle : quia ibi per publicam iustitiam suspendio, & decollatione iacebant caluariæ eorum plurimę,inter quos mori voluit Dominus : vt ostenderet quod pro peccatoribus moriebatur, quia ipsi in omnibus vilificare eum intenderunt. *Deut.*32. Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.*Psalm.*87. Posuerunt me in lacu inferiori,in tenebrosis & in vmbra mortis. Non autem ideò dicitur caluariæ locus, quod ibi sit sepulta caluaria Adam:quia illa in Hebron sepulta est, vt dicitur *Iosue* 17.

Et dabant ei bibere]tertius est paragraphus, in quo ostenditur quod etiam interiora dulcissimi Domini amaricauerunt[& dabant]ex mala intentione, amaritudinem suam declarantes [myrrhatum vinum]acidum, quod amaritudine myrrhæ amarius fecerunt : spongiam implentes, & spongiam sambuco arundineo circumponentes, quo ad os in alto crucifixi Domini porrigerent : & ipsum felle miscuerunt, & hyssopo herba amarissima circumposuerunt:sicut dicunt *Matth.*& *Luc.* & *Ioannes.* Et hoc fecerunt quando dixit : Sitio. *Ierem.*2. Quomodo conuersa es in amaritudinem vinea aliena? *Deut.* 32. Vua eorum vua fellis, & botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum: & venenum aspidum insanabile. Et ideò sequitur[& non accepit]quia felleam amaritudinem in hominibus dulcis & rectus Dominus nunquam acceptauit:de quibus *Act.*8. In amaritudine fellis, & obligatione iniquitatis video te esse.

Et crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia & crucifixerunt eum.

Quartus est paragraphus de Domini spoliatione, in quo tangitur & truculentia in Domini spoliatione,& auaritia in spolio, & sors illicita in diuisione spoliorum. Dicit igitur[& crucifigentes eum]truculenter & atrociter : non sunt contenti multa mortis,imo[diuiserunt] sibi inter se vestimenta sua]quæ tamen pauperculæ fuerunt : & in hoc notatur auaritia eorum qui tam modica& parum valentia concupierunt.*Hieronymus.* Credenti totus mundus diuitiarum est,infidelis etiam obolo indiget. *Ezech.*13. Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei & fragmen panis. *Iob* 24. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes,quibus non est operimentum. Quia (sicut tradunt Patres) totum denudauerunt coram hominibus : & pannum,qui in picturis eius circa lumbos eius repræsentatur, dicitur quod virgo mater de velo sui capitis sibi circumligauit [mittentes sortem]plenius hoc narratur *Ioan.* 19. Vbi

dicitur quod quatuor milites sibi vestimenta diuiserunt: vnicuique militi partem & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Et ideò dixerunt: Non scindamus eam, sed sortiamur de ea cuius sit. *Psalm.*21. Diuiserunt sibi vestimenta mea: & super vestem meam miserunt sortem. Est autem miranda patientia & dispensatio misericordiæ Saluatoris, qui sicut agnus tondentem & occidentem se suo vellere vestit: ita se tondentes & spoliantes, & occidentes se, suo vestitu vestiuit: ostendens quod nisi suis exemplis vestirentur, ignominiosa nuditas eorum esset coram oculis Dei & Angelorum apparens. *Ezech.*16. Eras nuda & ignominiosa & confusione plena, & expandi amictum meum super te. Hoc est ergo quod dicit [super eis] vestimentis [sortem mittentes] fortuitam [quid] de vestitu [quis] militum [tolleret] in vsus suos redigendo.

Erat autem hora tertia] Quintus est paragraphus, in quo tangitur hora crucifixioni congrua: & hoc est quod dicit [Erat autem] tunc [hora tertia] ab ortu solis quæ medium ascensum solis ostendit ad meridiem. Videtur autem contrarium id quod dicitur *Ioan.*19. vbi dicitur quod erat hora quasi sexta, quando sol est in puncto meridiei. Sed ad hoc dicit *Beda & quidam alij*, quod hora tertia crucifixus est coram Pilato linguis Iudæorum: hora autem sexta suspensus in ligno crucifixus est manibus gentilium: & sic verificat vtrumque dictum & soluit contrarietatem. Alij probabilius dicunt quod in veritate in hora tertia Dominus iam condemnatus, eductus erat: & in hora tertia incepta est crucifixio eius: & occupatis eis in crucifixione, fluxit tempus in crucis erectione, & deinde ad crucem aptatione, & conclauatione vsque ad sextam: & in hora sexta crucifixio fuit consummata: & ideò quod hic dicitur verum est de crucifixionis principio, & quod dicit Ioannes verum est de crucifixionis consummatione: & est sensus [Erat autem] hoc est, esse incipiebat [hora tertia] & [crucifixerunt] hoc est, crucifigere inceperunt eum. Hæc autem hora conueniens erat: quia ex quo post meridiem Adam iam peccauerat & abscondit se, turpitudinem suam considerans, à luce præsentiæ Domini: oportuit quod ante meridiem tentatio eius ageretur, & mulier ad consensum induceretur, quæ viro gustum necis obtulit: & ad hoc probabiliter tres horæ exiguntur: & sic tempus redemptionis conueniebat tempori proditionis, sicut lignum redemptionis congruebat ligno proditionis. *Eccl.*3. Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa. Hoc tempus est quod cum desiderio patres expectauerunt. *Eccli* 26. Festina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua.

Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum.

Hic est sextus paragraphus, in quo honestas causæ & innocentia Domini describitur: dicuntur autem hic tria: modus, & materia, & virtus. Modum notat cùm dicit [titulus] quod deriuatur à Græco titan, quod est radius, quia totum mundum suo lumine titulus iste irradiauit: erat enim simul & memorialis, & præconialis, & triumphalis. Memorialis qui nunquam obliuione deleatur. *Thren.*3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Propter hunc enim titulum ponimus Dominum super cor nostrum: vt nunquam operis redemptionis obliuiscamur ad gratiarum actiones. *Cantic.*8. Pone me sicut signaculum super cor tuum, & super brachium tuum: quia fortis est vt mors dilectio. *Cantic.*1. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Præconialis est vt omni laude extollatur. *Eccli.*43. Magnificantes Dominum quantumcunque poteritis, superualebit adhuc. *Psalm.*144. Laudem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini sancto eius. *Eccli.*43. Benedicentes Dominum, exaltate eum quantum potestis: maior est enim omni laude. Quis enim dignè laudare valeat opus redemptionis: in quo Pater vt seruum redimeret, filium tradidit: in quo Filiis pro suis seipsum in oblationem obtulit: in quo Spiritus sanctus sanctitate omnia compleuit? Hic titulus etiam triumphalis est, in quo Christus de morte & mortis auctore triumphauit, & mortis carcerem confregit, & suos liberatos eduxit. *Isa* 63. Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. *Oseæ* 13. O mors ero mors tua: morsus tuus ero inferne.

Materia tangitur, cùm dicit [causæ eius] hoc est, causa pro qua crucifigebatur. Non enim vt homicida & seditiosus, sed potius vt suo cruore etiam homicidas & seditiosos liberans: quod Barrabæ significat dimissio, & latronis in paradisum introductio *Ioan.*19. Hæc igitur est sibi causa passionis: & ideò significatur per agnum paschalem, qui sua morte captiuos liberauit, & suo cruore liberatos assecurauit ab Angelo percussore. *Exod.*12. [inscriptus] autem est vt nulla eum deleret obliuio. *Habac.*2. Scribe visum, & exara eum super tabulas: vt percurrat qui legerit. Erat autem, vt *Ioan.*19. dicit, scriptus hebraicè propter patrum religionem & virtutem: græcè propter Græcorum sapientiam, vt sciamus quod dicitur 1. *Corinth.*2. Nos prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum: gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & sapientiam. Latinis autem literis scriptus fuit, propter latinorum potestatem & monarchiã, vt sciamus quod dicitur *Matth.*28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Sic ergo in titulo est perfectio virtutis, & sapientiæ, & potestatis: Virtutis ad bene viuendum, sapientiæ ad bene intelligendum, potestatis ad à contrarietatibus se defendendum: & ideò hic titulus corrumpi Iudæis petentibus non potuit, quia Spiritus sanctus non permisit.

Rex Iudæorum] Hoc enim & non aliud obiiciebant, & quia in hoc Romano contradixisset Cæsari. Sed Spiritus sanctus hoc voluit vt honestas passionis omnibus legentibus ostenderetur: est enim Rex (secundum diffinitiones eorum qui de vrbanitatibus tractauerunt) rector regni (quod est boni, hoc est, honesti, & delectabilis, & vtilis non sibi sed patriæ) & legum æquissimarum, & ordinis officiorum, & finium quibus beatitudo vitæ attingitur, perfecta potestate distributio. Vnde *Dionys. in libro de Diuinis nominibus.* Regnum est omnis finis, & legis, & ordinis distributio. Distribuitur autem à Rege omnia continente: quando vniuscuiusque sua, & ea propria dignitate quilibet ad sibi aptatur conueniens: & hæc nullus vnquam perfecit distribuens in mundo nisi Christus: & ideò dicitur *Isa.*33. Dominus legifer no-

ster, Dominus rex noster. *Ierem.*24. Hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster [Iudæorum] autem dicitur, quia Iudæus confitens & glorificans interpretatur: quia confessio & pulchritudo est in conspectu eius. Quia in talibus qui veritatem verbi, operis, & iudicij, & fidei habent in confessione (in quibus gloria Dei semper est in conuersatione) regnat Christus rex noster. *Luc.*1. Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Huic titulo additur *Ioan.*19. IESVS Nazarenus. Sed quia hoc in causam crucifixionis sibi non obiiciebatur, ideò hic non ponitur: non enim negari poterat quin IESVS, hoc est, Saluator esset, qui tot in anima & corpore saluauerat. Nec obiiciebatur quod IESVS Nazarenus esset, qui inter eos germinauerat cum flore conuersationis. *Eccli.*24. Flores mei fructus honoris & honestatis. Hic igitur est titulus.

Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris eius. Et impleta est scriptura quæ dicit: & cum iniquis reputatus est.

Septimus est iste paragraphus, in quo quidem turpare intenderunt, sed non poterant ad scripturæ & veritatis impletionem: & ideò duo ista simul hic dicuntur, & hoc est [Et cum eo] non simili causa [crucifigunt duos latrones] propter scelera damnatos. *Matth.*9. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et ideò quos causam habuit incarnationis, hos socios voluit habere passionis [vnum à dextris] qui in fine pœnituisse dicitur, & Dismas vocari perhibetur. *Matth.*25. Statuet oues quidem à dextris, hœdos autem à sinistris [& vnum à sinistris] qui in pertinacia remansit, & Gesmas vocatus esse dicitur. *Prouerb.*4. Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus. Peruersæ autem quæ à sinistris sunt. Vnde *glossa Matth.*24. Vnus assumetur, & alter relinquetur. *Rom.*9. Iacob dilexi: Esau autem odio habui. Luctatorem enim in passionibus diligit, & reprobat eum qui propter carnis mollitiem coniungitur blasphemantibus. Hoc igitur fecerunt vt infamem facerent ex societate crucifixorum [Et] tamen sine voluntate ipsorum ad sua facta [impleta est scriptura] *Isa.*53. [quæ dicit] præuidens ista in Spiritu sancto [Et cum impiis deputatus est] Litera *Isaiæ* sic dicit: Pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis deputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus orauit.

Et prætereuntes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: saluum fac temetipsum, descendens de cruce.

Tangitur hìc de irrisione crucifixi: irrisio autem hæc facta est à tribus generibus hominum: scilicet, prætereuntibus, sacerdotibus, & latronibus: & secundum hæc tria recipit diuisionem. Irrisio prætereuntium habet tria: blasphemiam, motus capitis, & improperium in verbis. Dicit igitur [Et prætereuntes] Qui vagos in mundi vanitatibus significant, stabiliter in veritate non manentes. *Ierem.*14. Populus hic dilexit mouere pedes suos, & Domino non placuit. *Iob* 11. Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se natum liberum putat [blasphemabant eum: dicentes] eum virtutes quas fecerat in principe dæmoniorum perfecisse. *supra* 3. Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum. *Isa.*1. Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum [mouentes capita] in signum comminationis & irrisionis: vnde de Sennacherib dicitur *Isa.*37. Post te mouebit caput virgo filia Sion. Et hæc irrisio per comminationem Propheticam est causa captiuitatis ipsorum. Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Quia mouendo capita circumdabant ipsum [& dicentes] improperando [Vah] Interiectio est indignantis. *Iob* 38. Cùm audierit sonitum buccinæ, dicet vah [qui destruis templum Dei] sicut dixisti *Ioan.*2. [& in tribus diebus reædificas] tua virtute, quæ nunc tam infirma apparet. *Habac.*3. Ibi abscõdita est fortitudo eius [Saluum fac temetipsum] virtute quam de te in potestate reædificandi templum prædicasti [descendens de cruce] Sed isti non cognouerunt quod non venerat vt seipsum temporaliter saluaret, sed omnes: & ideò non descendat de cruce, sed potius ascendat. *Ioan.*12. Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Si serpens de palo deponitur *Num.*21. nullus à morsu serpentis liberatur. *Ioan.*3. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.

Similiter & summi Sacerdotes illudentes ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Christus Rex Israël descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant conuitiabantur ei.

Similiter & summi Sacerdotes] Secunda irrisio est [illudentes ei] sicut & primo fecerant in domo summi Pontificis [ad alterutrum] in exultatione [cum Scribis] qui nequam dederant consilium [dicebant] *Prouerb.*2. Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis [Alios saluos fecit] hoc enim innegabile fuit. *Act.*10. Pertransiuit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo [seipsum non potest saluum facere] quia alios non saluaret, nisi seipsum non saluando: sicut pelicanus qui non saluat pullos, nisi seipsum non saluando. *Psalm.*101. Similis factus sum pelicano solitudinis [Christus Rex Israël] sicut, supple, ipse de se dicebat: qui Christus omnia reformabit, & saluabit. Sed isti scripturam dissimulant, quæ dicit quod & Christus saluabit per mortem. *Thren.*4. Ante faciem nostram Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: in vmbra tua viuemus inter gentes [descendat nunc de cruce] Imo secundum intentionem nostræ salutis exaltet se in cruce [vt videa-

mus & credamus ei]hoc est, vt videamus virtutem ipsius & sic credamus ei. *Luc.4*. Vtique dicetis mihi hanc similitudinem. Medice cura teipsum. Nos audiuimus quia videmus effectum crucis,& ideò credimus ei.1.*Corinth.1*. Placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. *Galat. 6*. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Vnde Ecclesia cantat:Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Iesu Christi, in quo est salus, vita & resurrectio nostra; per quem saluati,& liberati sumus [& qui cum eo crucifixi erant] latrones conuitiabantur ei] & *Glossa* dicit quod plurale ponitur pro singulari: quia vnus latronum conuitiabatur ei, sicut dicitur *Luc.* 23. Alter autem corripuit eum dicens: Neque tu times Deum qui in eadem damnatione es:& nos quidem iustè,nam digna factis recipimus:hic autem nihil mali facit. Tamen veritas historiæ fuit quod primo ambo Christo conuitiabantur,& postea visis signis quæ fiebant,alter conuersus est:& tunc veniam impetrauit. *Habac.* 3. In medio duum animalium cognosceris,hoc est, brutaliter & animaliter viuentium.Hoc est igitur quod dicit:

Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram vsque in horam nonam.

Tangitur hic de modo mortis Domini:dicuntur autem tria:scilicet,elementorum siue mundi in morte Christi dispositio, morientis in clamore ostensio,& eorum quæ mortem Christi testabantur se sustinere non posse aperta confessio. In primo dicit[& facta hora sexta] quando lux clarissimæ animæ Christi est mundo subtracta [tenebræ factæ sunt] visibiles exterius per totam terram Iudæorum & etiam amplius: vnde *Origenes in glossa super Exodum*, vbi adaptat plagas Ægypti operibus recreationis, dicit quod sicut per totam terram Ægypti tenebræ factæ sunt per triduum excepta terra Gessen, in qua habitabant Iudæi, sic in Passione Domini per tres horas factæ sunt tenebræ per solam terram Iudæorum & non alibi. Sed hoc stare non videtur, quia dicit *Dionysius in epistola ad Apolliphanem*, quod tenebræ illæ extendebantur vsque ad regiones Iliacas,hoc est, vsque ad Phrigiam vbi fuit Troia:& hoc longè est vltra terram Iudæorum. Adhuc autem has tenebras apud Heliopolim ciuitatem Ægypti *Dionysius* cum *Apollsphane* conspexit. In hora autem tenebrarum *Dionysius* concordat cum his quæ hic dicuntur.

Tenebrarum autem modus(vt dicit *Dionysius*) iste fuit, quod luna cum esset quintadecima tam in circulo deferenti, quam in circulo æquinoctiali,à sole multum destitit. Cum enim esset quinta decima secundum gradus æquinoctialis,numerando à sole in lunam, destitit per centum & tres gradus de gradibus æquinoctialis: quia tredecim gradibus plus destitit à sole quam per medium cæli. In gradibus autem deferentis circuli à deferente sole destitit per medium deferentis, & per spatium motus vnius diei:& hæc duo spatia infra momentum rediuit, & se Soli suppositit maiori oppositione quam facere potuit: quia *Dionys.* dicit, quod æthiopicis velis totum solem obtenebrauit: & ante tempus vespertinum totum illud spatium rediuit in locum quem naturaliter tenuit: & sic in circulo æquinoctiali dies motus reflexiuos fecit,in quo necesse fuit duas quietes intercidere, quod secundum omnem naturam est impossibile. Præterea infra nonam & duodecimam horam,eundo ad solē & redeundo, spatium centum & trium graduum bis peregit, quod est ducentorū, & sex graduum quod est aliud impossibile, cum in spatio trium horarum non peragat luna naturali cursu parum plus quam duos gradus. Adhuc autem in vna parte circuli, & rediuit ad solem & recessit ab ipso addocum suum: quod erat omnibus aliis maius inconueniens, propter quod quærens *Dionys.ab Apollsphane* dixit:O speculum doctrinæ Apolliphanes, quid his secretis adscribis?& respondens *Apolliphanes Dionysio*,dixit: O bone *Dionysi*,hic iniuriæ sunt diuinarū rerum.Hæc autem omnia si quis subtiliter inspiciat dicta *Dionysij* ad Apolliphanem continentur *Amos* 8. Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis. *Ioel.* 2. Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt lumen suum. Quia si luna se soli suppositit, sicut dicit *Dionys.* tunc oportuit lunam esse tenebrosam, & sic oportuit quod in tribus horis nulla, & nouacularis siue monoides,& panselenos siue plena, & amphitrios, hoc est, plus quam plena appareret. *Iob 5*.Per diem incurrent in tenebras, & quasi nocte sic palpabunt in meridie. *Gloss.* Sol refugit, quia non poterat videre mortem Christi, & collaborabat laboranti: vel ne impij blasphemantes sua luce fruerentur.

Vsque in horam nonam]quod quidam dicunt hoc esse miraculum, quod per tres horas eclipsis durauerit:non est satis perspectè dictum,quia eclipsis per tres horas durare poterat:sed illa quæ ante diximus exaltant istud miraculum super omnia miracula quæ facta sunt de cælo.

Et circa horam nonam exclamauit voce magna Iesus dicēs:Eloi, eloi,lamma sabacthani?quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Et quidam de circunstantibus audientes dicebant: Ecce Eliam vocat. Currens autem vnus, & implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei dicens:Sinite:videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Iesus autem emissa voce magna expirauit.

Et circa horam nonam] & tempore quo in peccatis absconsum inclamauit Adam.Hic autem duo dicuntur:scilicet,clamor Christi,& peruersus intellectus clamoris. Dicit igitur [& circa horam nonam]quando à principio clamauerat Adam vbi es *Genes.*3.[clamauit voce magna] peccatum inclamando, quod tantæ mortis & miseriæ causa fuerat [dicens] in clamore[eloi, eloi,lamma sabacthani]& hoc Euangelista latinis interpretatur verbis,dicens:quod est interpretatum latinè [Deus meus,Deus meus]bis dicit,Deus meus, quia Deus est Pater secundum Deitatem per generationem æternam:& Deus Filij;hoc est,secundum humanitatem

tatem ; quia fecit eum secundum generationem humanam[vt quid]hoc est, quare:ac si dicat:Quā nefaria & tibi molesta res erat, pro qua[me] vnigenitum tuum sic [dereliquisti] vt me tam turpi & acerbæ morti exponeres? Litera nostra habet. Deus,Deus meus,quare me dereliquisti? Et addidit Esdras,quod Dauid subticuerat:verba delictorum meorum, hoc est,hæc sunt verba delictorum eorum, qui sunt mei quos ego redemi: & pro delictis eorum & facta sunt & dicta. Et attende quod in isto clamore non adhuc erant tenebræ: & ideò quod dictum est, accipiendum est per anticipationem[& quidam de circunstantibus] Romanis militibus, qui Hebræam linguam non intelligebant [dicebant: ecce Eliam vocat]putantes quod eloi sonaret idem quod Elias:propter quandam affinitatem soni.

Currens autem vnus]qui præ cæteris curiosior erat[implens spongiam]potu confortante [aceto] quod penetratiuum erat, vt interiorem sitim extingueret [circumponensque] spongiam [calamo] sambuci quousque ad os Christi pertingere posset [potum]quo confortaretur[dabat ei]non pietatis, sed curiositatis causa[dicens]ad consocios [sinite] à tormentis cessate paulisper[videamus]per experimentum [si veniat Elias] qui in antecessorem Christi venturus esse prædicabatur Propheta. *Malach.vlt.*[ad deponendum eum]de cruce. *Psal.* 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

Iesus autem] intendens operi nostræ redemptionis,non in clamationem insultantium [emissa voce magna]quæ magnæ virtutis adhuc erat indicium[expirauit] hoc est, in manus Patris spiritum tradidit.*Luc.*23. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *Ioan.* 19. Cum accepisset acetum,dixit:Consummatum est:& inclinato capite tradidit spiritum. Et tunc tenebræ factæ sunt per totam terram, de quibus dicit *Hieronym. in gloss.* Hic adest Noe inebriatus ac nudatus: cælo ac terra tenebroso pallio tectus,& ab homine irrisus.Hic stillauit de ligno sanguis.Noē enim Christum significauit: ebrietas eius ebrietatem amoris in passione,vt quasi sui oblitus videretur. Nudatus autem est spoliatione militum,tectus autem tanquam duobus filiis: cælo lumen retrahente,& terra vmbras expandente; ne nudatus oculis irrisorum appareret. Hic est irrisus à Cham imitatoribus.Hic de ligno crucis stillauit sanguis redemptionis de ligno vitæ quod est Christus. *Prou.*3. Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerint eam,beati.

Et velum templi scissum est in duo à summo vsque deorsum.

Tangit Christi mortem consequentia, & sunt duo: apertio secretorum, & conuersio infidelium. De primo dicit[& velum] quod à velando dicitur [templi] quod distinguebat sancta à sanctis Sanctorum. Et de velo isto dicitur *Hebr.* 9. Hoc significante Spiritu sancto nondū propalatam esse Sanctorum viā adhuc priori tabernaculo habente statum, sed modo scisso velo significatur,quod in morte Christi via ad sancta Sanctorum est propalata. *Apoc.* 11. Apertum est templum Dei in cælo: & visa est arca testamenti eius in templo eius: quæ omnia continent sacramenta nostræ redemptionis, hic enim est arca noui testamenti [in duas partes] credentium Iudæorum, & fidelium Gentium.*Rom.*3.An Iudæorū Deus tantum? nonne & gentium? Imo & gentium. Quoniam quidem vnus est Deus, qui iustificat circuncisionem ex fide.& præputium per fidem [à summo vsque deorsum]hoc est,à maximo vsque ad minimum:vel à litera vsque ad spiritum. 2. *Corinth.*3. Nos omnes tenelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur.

Videns autem centurio qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset:ait. Verè hic homo filius Dei erat.

Ecce conuersio infidelium qui ante velum habebant supra cor eorum.Centurio autem fuit qui centum sub se habebat milites, & erat gentilis [videns autem centurio qui stabat ex aduerso] ordinans eos qui occidebant damnatos, & [videns]ea quæ fiebant: vt dicitur *Luc.* 23. Quia sic clamans in tenebris, & scissura petrarū,& monumentorum apertione;diuisione veli templi,& maxime in clamore valido vocis, quæ in morientibus acui solet. *Hebr.*5. Cum clamore valido, & lacrymis offerens preces, supplicationesque ad Deum.Et pro crucifixoribus *Luc.*23.Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Et [quia sic clamans expirasset]quod mirandæ pietatis esse videbatur[ait: verè] sicut probant ista prodigia [hic homo] qui in humanitate apparuit extra, intus [filius Dei erat] aliter enim tanta gloria Dei in morte eius non appareret. *Ioan.* 1. Vidimus gloriam eius:gloriam quasi vnigeniti à Patre.Et ideò dicitur *Luc.* 23. Quod alij etiam videntes percutientes pectora sua reuersi sunt in ciuitatem.

Erant autem & mulieres de longe aspicientes inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome: & cùm esset in Galilæa sequebantur eum,& ministrabant ei:& aliæ multæ quæ simul ascenderant cum eo Ierosolymam.

Hic igitur de Domini sepultura,& habet tres partes,in quarum prima descriptio ponitur eōrum qui officium funeri Domini impenderunt pietatis:in secunda qualiter impetratū fuit à Pilato,siue modus describitur impetrationis *ibi* [& audacter introiuit] in tertia ponitur modus sepulturæ *ibi* [Ioseph autem mercatus, *&c.*] Adhuc autem in prima harum duo dicuntur: scilicet, descriptio sanctarum fœminarum, & descriptio Ioseph qui Christum sepeliuit.Mulieres autē describuntur in speciali, & in generali.In speciali à tribus: à diligentia obseruationis,à nominibus,& ab obsequio pietatis.

Dicit igitur[erant autem mulieres]affectu pietatis flentes[de longe] extra turbam stantes primò:postea autem aliis reuertentibus in ciuitatem compunctis, audaciam accipientes& ad crucem accedentes.Vnde *Ioan.*19. Stabāt autē iuxta crucē Iesu mater eius,& soror matris eius, Maria Cleophe, & Maria Magdalene [aspicientes] quæ fiebant & circa Dominum & in passionibus,& prodigia quæ ostendit Deus. Et tangit descriptionem earum in speciali [inter quas erant Maria, Magdalene]

lenæ] quia multæ fuerunt : sed istæ erant inter eas principales. Maria Magdalene Domini IESV dilectrix præcipua. *Luc.7.* Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Luc.8.* De qua septem dæmonia exierant [& Maria mater Iacobi minoris] Apostoli [& hæc eadem erat [mater Ioseph] qui cognominabatur Barsabas, siue iustus: qui fuit vnus de Discipulis positus ad sortes cum Matthia *Act.1.* [&] Maria [Salome] filia : quæ erant sorores beatæ Virginis & materteræ Domini [Et cùm esset] Dominus [in Galilæa] per omne tempus suæ prædicationis [sequebantur eum] propter doctrinam [& ministrabant ei] de facultatibus suis *Luc.23.* Et hæc est descriptio ab obsequio pietatis. Vnde de bona vidua dicitur 1. *Timoth.5.* Si sanctorum pedes lauit, si hospitio recepit, si omne bonum opus subsecuta est.

Et aliæ multæ] Descriptio est in generali siue communi [quæ simul cum Domino ascenderant] ad diem festum, ad quem tota terra ascendere tenebatur ex lege *Exod.23.* & hoc est [cum eo] IESV [Ierusalem] sicut Ioanna & Susanna vxor Chusi procuratoris Herodis, & quibus dixit Dominus *Luc.23.* Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vosipsas flete : quia si in viridi hæc faciunt, in arido quid fiet ?

Et cùm iam sero esset factum (quia erat parasceue, quod est ante Sabbatum) venit Ioseph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei.

Hic describitur pietas Ioseph ab Arimathia, qui in nullo à virtutibus prædecessorum nominis sui minor apparuit. Sicut enim Ioseph Patriarcha captiuitatem & venditionem Christi, & salutem gentium per Christum factam, virtutibus suis præfigurauit: & sicut Ioseph nutritius Domini diligenter obsecutus fuit ; ita iste nunc paribus virtutibus mortuo Domino officium funeris impendit. Describit autem in hoc illustri viro temporis ad obsequendum congruitatem, fidelitatem, nominis non vacuam proprietatem, gentem, generis nobilitatem, dignitatem, & religionem : quibus dignus habitus est ad obsequendum tanto funeri. Dicit igitur in tempore tria : diei passionis complementum, temporis negotium, & futuri temporis perfectum Sabbatum.

Dicit ergo [Et cùm sero factum esset] Toto die perfecto in opere nostræ redemptionis, quod ad illud sero perfectum erat. *Deut.32.* Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera. Hæc est oratio vespertina quam pro nobis Christus obtulit, quæ ad Patrem ascendit. *Psalm.140.* Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hic est pinguis agnus qui cata vespere est oblatus *Exod.12.* Serò enim hoc est complementum nostræ redemptionis: in vigilia enim matutina captus est, & illusus fuit coram Pontificibus : in prima productus Pilati prætorio, & accusatus : in tertia condemnatus: in sexta mortuus: in nona adhuc remansit in cruce distensus : in vespera deponitur, ideò completo opere nostræ redemptionis, in completorio sepultus. In serò ergo vesperarum istud fuit *Ruth.2.* De mane vsque ad nunc stat in agro, & nec ad momentum quidem domum reuersa est: ad literam. Sapientia Dei sic in agro ante portam ciuitatis suspensa stetit, nec ad momentum se passionibus subtrahens, donec perfecit redemptionem [quia parasceue erat] Describit tempus à negotio temporis. Parasceue enim Græcè, latinè sonat præparatio : quia tunc necessaria ad sabbatum sequens præparabantur. Sicut etiam *Exod.16.* Dominus præcepit, quod sexta feria duplum mannatis colligeretur propter sabbatum futurum. Tunc etiam Ioseph iste præparabat quieti Domini in sepulchro necessaria, præparàndo sepulchrum, & mercando syndonem, & cum Nicodemo parando mixturam myrrhæ, & aloes quasi libras centum : sicut dicitur *Ioan.19.* 1. *Paralip. vltimo.* Omnis hæc copia quam paramus, vt ædificetur domus (hoc est, sepulchrum) nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia : scio Domine quod simplicitatem diligas, & probas corda: vnde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli vniuersa hæc [ante sabbatum] futurum, in quo non erat congruum operari omnibus iam peffectis. *Hebr.4.* Operibus ab institutione mundi perfectis, dixit de die septima sic : Et requieuit Deus die septima ab omnibus operibus. Sic etiam completo opere redemptionis cum abundantia gratiæ sepulchrum intrauit. *Iob 5.* Ingredieris in abundantia sepulchrum sicut infertur aceruus tritici in tempore suo. Et ideò dicitur *Isa.11. secundum translationem septuaginta*, Erit sepulchrum eius gloriosum. Hæc igitur est congruitas temporis.

Venit] Fidelitatem quam habuit ad viuum, voluit etiam exhibere mortuo. Hæc enim est vera fidelitas. *Ruth 2.* Benedictus sit à Domino ; quia eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis. Et ideò notatur fidelitas eius qui ad mortuum venit, & damnatum non erubuit. Sic laudat Apostolus Onesiphorum 2. *Timoth.1.* quia eum captiuum, & ferè damnatum solicitè quæsiuit, & inuenit, & catenam suam non erubuit.

Ioseph] Ecce laus nominis, quod à significatione sua non cecidit : quia accrescens cum virtute fuit : accrescens Christo, cùm etiam Apostoli relicto Christo fugerunt. *Genes.49.* Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.

Ab Arimathia] natus : & est laus à patria & gente. Hæc enim erat ciuitas Samuelis, cui iste in nullo fuit inferior : sed probans se tanti conciuis consortem, & tanti iudicis in omni dignitatis honore hæredem (Vnde Arimathia suscitans donum Domino, vel vigilia donationis Domini interpretatur) Quia & iste dona Samuelis suscitauit in omni honestate : & ad hoc vigilauit, vt dona à Domino per spoliantes eum abstracta suis resuscitaret impensis. 1. *Paral.vlt.* Populum qui repertus est vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria, Domine Deus Israël. Populus autem qui post fugam omnium repertus est, fuit turba sanctarum mulierum, & Nicodemi & præcipui inter omnes Ioseph ab Arimathia.

Nobilis] Laus est à natalibus : talibus enim natalibus dignus fuit, qui summo maiestatis Domino in obsequio electus est. Hic est qui laudatur in Ecclesiis *Prouerb. vltim.* Nobilis in portis vir eius quando sederit cum senatoribus terræ, inter quos tenet principatum : quia aliis fugientibus Christo accreuit.

Decurio] Ecce laudatur à dignitatis suæ potestate. Decurio enim vocatur, qui officium publicæ dignitatis

dignitatis in curia Imperatoris administrauit electus. De his dedit consilium Ietro *Exod.18.* Prouide de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore. Ex talibus igitur electus factus est decurio. Vnde *Luc.23.* Et ecce vir nomine Ioseph qui erat decurio vir bonus & iustus. Hic non consenserat consilio & actibus eorum ab Arimathia ciuitate Iudæ.

Qui & ipse erat expectans regnum Dei] Laus est à religione. Fide enim & spe [regnum Dei] suscitandum in Christo, & firmandum [expectabat] religione & pietate suspensus ad illud *Luc. 23.* Qui expectabat & ipse regnum Dei. Sicut & sanctus Simeon & felix Anna regnum Dei in Christo expectabant *Luc.2.* Vnde dicitur *Sapient.10.* Iustum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Quod iam in sacramentis perfectum, & per Christum confirmatum est. *Luc.17.* Regnum Dei intra vos est.

Et audacter introiuit ad Pilatum & petiit corpus IESV.

Tangit impetrationem corporis Domini: & dicuntur tria: corporis petitio, de morte certificatio, & corporis concessio. Petitio tangitur quando dicit [Et audacter] omni timore deposito, sicut homo potestatem habens plus ex virtute quam ex adiutoribus. *Eccli.7.* Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates [introiuit] in palatium [ad Pilatum] præsidem. *Eccli.48.* In diebus suis non pertimuit principem : & potentia nemo vicit illum [& petiit corpus IESV] sibi concedi à publica potestate, hoc præferens omni thesauro. *Sapient.7.* Præposui illam regnis & sceptris, & diuitias nihil esse duxi in comparatione illius.

Pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito centurione, interrogauit eum si iam mortuus esset. Et cum cognouisset à centurione: donauit corpus Ioseph.

Hic tangit mortis Christi certificationem. Dicit autem tria : admirationem, inquisitionem, & certificationem. Dicit igitur [Pilatus autem mirabatur si] tantæ virtutis homo & potentiæ, qui cælum mutauit, qui saxa scidit, qui tumulos aperuit, qui velum per scissuram diuisit [iam] quasi talibus pœnis mortis superatus [obiisset] Potius enim sibi mors cedere quam ipse morti cedebat, vt Pilato videbatur, debebat. Hac igitur de causa mirabatur : vnde etiam ministri sceleris non fregerunt eius crura, quia iam ante tempus æstimatum inuenerunt eum mortuum, sicut dicitur *Ioan.19.* [& accersito Centurione] qui crucifixoribus præerat, & Deum glorificauerat dicens : Verè filius Dei erat iste [interrogauit eum si iam mortuus esset] vt certissime sciret id de quo mirabatur. *Iob 29.* Causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam [& cum cognouisset à Centurione] qui crucifixoribus præerat quod mortuus esset, quia ipse viderat eum clamantem expirare [donauit corpus] IESV [Ioseph] sepeliendum: & tantò facilius donauit quanto plura viderat miracula. *Psalm.97.* Cantate Domino canticum nouum : quia mirabilia fecit. *Psalm.67.* Psallite ei qui ascendit super occasum, hoc est, per miracula suæ mortis eleuatur, & ideò tam facilis fuit Pilatus ad donandum corpus.

Ioseph autem mercatus syndonem, & deponens eum, inuoluit syndone.

Hic tangitur dominica sepultura : quinque autem dicit : scilicet, expensas inuolutionis, depositionem corporis, solennitatem sepelitionis, clausuram munitionis, obseruationem sacratum mulierum tantam custodiam adhibentium vt obseruarent locum sepelitionis. Dicit igitur de primo [Ioseph autem mercatus syndonem] pannum candentis linei, qui innocentiam Domini & liliosam significabat castitatem : vt qui rubricatus fuerat sanguine Passionis, candidaretur syndone innocentissimæ castitatis. *Cantic.7.* Dilectus meus candidus & rubicundus. Et ideò etiam Ecclesia corpus eius non nisi in panno lineo inuoluit. *Prouerb.vltim.* Syndonem fecit & vendidit. Quia Ecclesia fecit hanc syndonem de candore innocentiæ Christi : & vendidit Ioseph pro commutatione æterni regni, vt in perpetuum Christi corpus inuolueretur [& deponens eum] Christum [de cruce] cum Nicodemo & aliis sanctis [inuoluit syndone] vt significaretur quod in perpetuo in corde mundo esset inuoluendus. *Psalm.50.* Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. *Luc.23.* Depositum inuoluit in syndone. *Ioan.19.* Acceperunt corpus IESV, & ligauerunt eum linteis cum aromatibus. *Matth.27.* Accepto corpore IESV, inuoluit illud in syndone munda.

Et imposuit in monumento quod erat excisum de petra, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph aspiciebant vbi poneretur.

Hic tangitur solennitas sepelitionis : tanguntur autem hic duo : scilicet, quod posuit in monumento, quod quasi munimentum dicitur, quia firmissimum erat, ne dici posset quod esset ablatus : quia per spiritum sciuit, quod hoc dicere debebant Pharisæi, & idcirco Dominus voluit ad sepulchrum adhiberi custodiam, vt innegabilis esset Resurrectio. *Matth.27.* Iube custodiri sepulchrum; ne forte veniant Discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, surrexit à mortuis, & fiat nouissimus error peior priore. Idcirco ergo posuit in loco munito : dicitur autem etiam monumentum à monitione, quia in memoria erat Sanctorum. *Prouerb.10.* Memoria iusti cum laudibus. *Psalm.111.* In memoria æterna erit iustus [quod excisum erat in petra] Ad literam enim sepulchrum fuit domus camerata, excisa in petra ad tantam altitudinem, quantam homo vix attingit extensione manus à fundamento vsque ad superius : habens introitum ab Oriente, in cuius aquilonari parte erat in petra spelunca septem pedum longitudinis in pariete aquilonari, & trium pedum latitudinis : quæ versus Meridiem tota patebat, & erat aperta tribus palmis. In hac spe-

lunca positum fuit corpus. Et hoc est quod dicit [quod erat excisum in petra] quæ petra soliditatem fidei significat, in qua apud Ecclesiam sepultus est Christus. 1. *Corinth.* 10. Petra autem erat Christus,hoc est,fides Christi. *Mat.*7. Super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam[&aduoluit]ecce sepulchri sigillatio[lapidem] miræ magnitudinis, qui humana fortitudine esset immobilis:nisi multi & cum instrumentis conuenirent [ad ostium monumenti] vt omnis suspicio in Resurrectione eius tolleretur, quia firmam spem Resurrectionis habebat. Ostium autem monumenti dicitur apertura speluncæ conuersa ad meridiem,quæ erat intra concauitatem cryptæ:in qua spelunca *Matth.* 27. Aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti & abiit. *Thren.* 3. Lapsa est in lacum vita mea,& posuerunt lapidem supra me.

Maria autem Magdalene] præ cæteris ardens in amore Domini[& Maria Ioseph]supple, mater: & cæteræ mulieres quæ inseparabiliter Domino in morte adhæserunt. *Luc.enim* 23.dicitur : quod astabant omnes noti eius à longe , & mulieres quæ secutæ fuerant eum hæc videntes , & hoc est [aspiciebant] diligenter [vbi poneretur] vt mortuum visitarent , & officium funeri impenderent. Visus enim ab amico mortuo non retrahitur. *Matth.*27. Erant autem Maria Magdalene , & altera Maria sedentes contra sepulchrum , vt viderent quid ageretur.

CAPVT XVI.

Et cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum , orto iam sole : & dicebant adinuicem : Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti ? Et respicientes viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

Hic de vltima leonis proprietate agitur,quæ est quod animal suorum esse dicitur viuificatiuum. *Osee* 6. Viuificabit nos post duos dies , & in die tertia suscitabit nos. Et hoc ostenditur in Resurrectione,quæ sicut dicit *Apostolus.*1. *Corinth.* 15. Causa est nostræ resurrectionis. Diuiditur autem hæc pars in duas partes, in quarum prima continetur de nuntiatione Resurrectionis facta per Angelos : in secunda autem describitur de apparitione *ibi* [surgens autem mane prima sabbati] adhuc in prima parte tria dicuntur , in quorum primo personæ quibus facta est denuntiatio describuntur : in secundo describitur persona denuntians *ibi* [& introeuntes] in tertio autem denuntiatio facta describitur *ibi* [qui dixit illis : nolite expauescere]in prima harum partium quatuor dicuntur , in quorum primo describitur tempus visitationis:in secundo personæ visitantes:in tertio tempus aduentus ad sepulchrum : in quarto angustiosa inquisitio de possibilitate intrandi in sepulchrum : & hæc patent in litera. Dicit igitur[& cùm transisset Sabbatum]in quo nulli operari aliquid licebat : quia erat magnus dies ille sabbati, sicut dicitur *Matth.*28. Quia & sabbatum erat & festum paschæ. Et ideò sicut dicitur *Luc.* 24, Siluerunt : aromatibus in parasceue emptis & præparatis.Cum autem sabbatum hoc magnum transisset. *Isa.* 58. Si auerteris à sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum. Dominus enim tunc quieuit ab omni opere suo. Et ideò dignum fuit vt sui ab omni opere quiescendo quietem illam significarent. *Hebr.*4. Qui ingressus est in illam requiem, & ipse quieuit ab operibus suis:quemadmodum & à suis Deus.

Maria Magdalene] quæ terrifica interpretatur: quia cæteris audacior fuit,& hæc audacia ex amore prouenit. Vnde de amore eius dicit *Chrys.* Magnus amor & igne vehementior : & non est aliquid quod eius proprium impetum sustinere possit[& Maria Iacobi] hoc est mater Iacobi [& Salome]hoc est,filia Salome ; quarum duæ erant sorores , & tertia specialissima fuit Domino : cum quibus non erat beata Virgo , quia fides eius non mutauit à spe Resurrectionis. Probabile autem erat quod cum eis erant aliæ mulieres , quæ non commemorantur : quia istæ erant potissimę, & aliæ erant quasi pedissequæ istarum in religione Christiana. Istæ ergo[emerunt]magnis pretiis [aromata] quasi aëromata dicta , quia diffundunt longe lateque bonum odorem in aërem : significantia famam Crucifixi longe lateque diffundendam.2.*Corinth.*1.Benedictus Deus, qui triumphat nos in omni loco. Christi enim bonus odor sumus Deo.*Cant.* 4. Odor vestimentorum tuorum super omnia aromata [vt venientes]ex deuotione ad visitandum sepulchrum [vngerent Iesum]quia tunc moris erat vngere corpora mortuorum , vt præfiguraretur quod resurrectura erant vnguento plenæ gloriæ delibuta. In figura huius Ioseph *Genes.*50. Præcepit seruis suis medicis , vt aromatibus conderent corpus patris sui. Aromata sunt virtutum,quas in conuersatione habebant , significationes. Vnguenta autem præsignant gloriam resurrectionis,in qua surgent delibuta.

Et valde mane]in vigilia matutina,vt congrueret facto veteris testamenti. *Exod.*14 Factum est in vigilia matutina respexit Dominus super castra Ægyptiorum , & subuertit rotas curruum , ferebanturque in profundum. Hoc enim factum est tempore Resurrectionis , cùm victor ab inferis Christus resurrexit[vna sabbatorum] hoc est,prima sabbatorum , quia vnum & primum apud Iudæos est idem:& apud omnes qui numero literarum significant nomina ordinalia numerorum, sicut primum & secundum & tertium , &c. Vna ergo sabbatorum, quæ est dies dominica. Sabbatum enim hic septimana dicitur , propter hoc quod dies septimanæ à sabbato numerantur sic, prima sabbati,hoc est, prima à sabbato,& secunda sabbati,

sabbati,& tertia,& sic de aliis. vnde *Luc.*18.Ieiuno bis in sabbato , hoc est,in septimana numerata à sabbato [veniunt] ex deuotione & fide quam habebant ad Dominum [ad monumentum]. inde enim dicitur monumentum , quia admonitio est mortuorum , vt sint in recordatione viuorum. *Psalm.*111. In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Et ideò tituli scribuntur in tumulis mortuorum , qui epitaphia dicuntur , vt memoria eorum apud vnos remaneat. *Prou.*10. Memoria iusti cum laudibus [orto iam sole]videtur autem contrarium quod dicitur *Ioan.* 20.Vbi dicitur:cum adhuc tenebræ essent. Ad hoc autem dicit *August.*Quod cum venerunt,tenebræ erant:sed tamen aurora apparuit,quando radij solis tenebris se immiscuerunt, nec adhuc solis corpus apparuit:& ideò cum dicit[orto iam sole]intelligendum est , quod solis ortus fuit per radiorum apparitionem, & non per corporis sui ortum de sub terra. Quod autem dicit [orto iam sole]significat quod tunc primo radij solis in nubibus inceperunt apparere.Quod significabat iam surrexisse solem iustitiæ, de quo dicitur *Malac.* 4. Vobis timentibus nomen meum , orietur sol iustitiæ Christus Deus noster : & sanitas in pennis eius, quam oriri dicit Iob , sed non malis ad salutem. *Iob* 3.Non videat ortum surgentis auroræ:& non illustretur lumine.

Et dicebant ad inuicem] solicitæ de lapidis reuolutione , vt possent ingredi in sepulchrum : & hoc est quartum diuisionis præcedentis [quis]vtilis fortitudinis [reuoluet nobis] quæ fœminæ imbecillès sumus[lapidem] grauissimum. *Matth.* 28. Erat quippe magnus valde [ab ostio]hoc est, apertura speluncæ[monumenti] hoc enim fœmineæ imbecillitati erat impossibile [& respicientes] quia ex desiderio iterum & iterum aspiciebant : & quia semper suis adest Deus [viderunt reuolutum lapidem] quod qualiter factum sit, *Matth.*28. dicit quod Angelus Domini accedens reuoluit lapidem.Præ timore autem exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui , qui custodes erant infra cryptam speluncæ, in qua erat monumentum.Et reddit causam solicitudinis mulierum dicens [erat quippe magnus valde] & mulierum superans imbecillitatẽ:hoc enim voluit Dominus, vt esset insuspicabilis Resurrectio : sed illi possibile fuit,qui etiam totam terram sua Resurrectione tremere fecit.*Psalm.*75.Terra tremuit & quieuit,dum resurgeret in iudicium Deus.

Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stola candida : & obstupuerunt.

Describit hic personam eius , qui Resurrectionem nuntiauit. Dicuntur autem hic tria:vbi scilicet,nuntium Resurrectionis inuenerunt : & qualiter inuenerunt: & quod ad magnificentiam eius obstupuerunt.Dicit igitur [& introeuntes in monumentum]hoc est,in cryptam exteriorem monumenti , cuius ostium introitus fuit ad Orientem [viderunt]statim reuelatis oculis [iuuenem] ipso habitu corporis iuuenilis prætendentem immortalitatem gloriosæ Resurrectionis , quia sicut dicitur *Hebr.*8.Quod antiquatur & senescit , prope interitum est. Et *Philosophus.* Omnis secundum naturam corruptio in hac vita , est sicut senectus & vetustas. In Resurrectione autem nemo senescit, quia sicut dicitur *Matth.*22. Erunt sicut Angeli Dei in cœlis [sedentem]quiescentem, quia in æternis nemo laborat. *Apoc.*14.Amodo iam dicit spiritus,vt requiescant à laboribus suis[in dextris] quia sinistra temporalium iam transiit. *Colos.*3. Quæ sursum sunt quærite,vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite,non quæ super terram. Dextera enim significat æterna , in quibus iam & corporaliter quieuit Dominus [coopertum stola candida] Candor enim vestis (dicit *Gregorius*) significat amictum luminis, quo Christus corporaliter iam indutus significatur. *Psalm.*103. Amictus lumine sicut vestimento. *Sapient.*7. Candor enim est lucis æternæ , & speculum sine macula maiestatis Dei , & imago bonitatis illius. Significat etiam ad amicos Christi blandimentum lenitatis : quia candor blandus est color. Candor dicitur albedo candens , quæ lumine sibi incorporato candet, sicut color argenti. *Marc.*9. Vestimenta eius alba sicut nix , & qualia fullo super terram facere non potest. Et voluit Angelus sic blandiens venire, ne mulieres territæ de sepulchro fugerent. *Matth. autem* 28. *dicit* , quod erat aspectus eius sicut fulgur quod terribile erat: & hanc formam assumpsit Angelus, vt terreret custodes. Vnde *ibidem* dicitur : Præ timore autem eius exterriti sunt custodes , & facti sunt velut mortui[& obstupuerunt]mulieres,præ gaudio & admiratione tantæ visionis.

Multæ autem contrarietates hic esse videntur inter Euangelistas. *Matth.enim* 28. dicitur, quod mulieres ad monumentum venerunt vespere sabbati,quæ lucescit in prima sabbati. *Luc.autem* 24 dicitur : vna sabbati, valde diluculo venerunt ad monumentum. Et *Ioan.*20. cum adhuc tenebræ essent. Hic autem quod venerunt orto iam Sole. Hic autem multiplex apparet contrarietas:prima inter *Mattheum & Marcum* : quia *Matthæus* dicit quod venerunt vespere, *Marcus* autem dicit quod mane orto iam Sole.Secunda inter *Marcum* & Ioannem : quia Ioannes dicit quod venerunt, cum adhuc tenebræ essent, Marcus autem quod orto iam Sole.Tertia inter *Ioannem* & alios:quia *Ioan.*20. dicitur sola Maria Magdalena venisse: alij autem dicunt plures mulieres venisse. Has autem & similes contrarietates determinat *Augustinus in libro de Concordia Euangelistarum* : dicens , quod vespera à qua nox incipit cum nocte & die sequenti ad vnam refertur diem. Et quia in vespera vnguenta parauerunt ad veniendum: ideo *Matthæus* dicit,quod tunc venire cœperunt: & cùm adhuc tenebræ essent erant in via veniendi, sicut dicit *Ioannes*, Sed orto iam Sole non per corpus solis , sed per radios diluculi peruenerunt. Quod autem Ioannes dicit Magdalenam venisse , per hoc non negat etiam alias venisse, quamuis de sola Magdalena faciat mentionem : quia principalis fuit inter eas , & aliæ quasi obsequentes illi.

Qui dixit illis : Nolite expauescere.

Tangitur de Resurrectionis Christi nuntiatione. Tria autem hic dicuntur : Confortatio mulierum, & nuntiatio Resurrectionis,& mulierum taciturnitas ex timore. Dicit igitur [Nolite expauescere?

uescere] Pauor enim est in cordis fuga secundum systolen : ied expauescere est quando pauor etiam in tremore corporis manifestatur. *Iob* 4. Pauor tenuit me & tremor. *Psalm.*54. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Contra tales ergo motus confortat Angelus, & est signum boni Angeli, sicut *Luc.*1. Ne timeas Zacharia, exaudita est oratio tua. *Et postea* : Ne timeas Maria: inuenisti gratiam apud Dominum. *Gregorius.* Timeant qui ad secretatem Angelorum se non pertinere considerant : vos autem cur timetis, quæ vestros conciues videtis? Attendendum autem est quod *Matthæus* dicit Angelum reuoluisse lapidem, & sedisse super eum, & hæc mulieribus dixisse. *Marcus* autem, quod sedebat in monumento. Ad hoc autem dicit *Augustinus*, quod duo fuerunt : vnus intus, de quo loquitur *Marcus* : alter extra, de quo loquitur *Matthæus.* Hæc autem solutio non est necessaria : quia lapis qui super os speluncæ iacuit, etiam reuolutus intra cryptam exteriorem sepulchri iacebat : & ideò quamuis super lapidem sederit, tamen intra cryptam sedebat supra lapidem, & sic vterque verum dicit.

IESVM quæritis Nazarenum crucifixum : surrexerit, non est hic : ecce locus vbi posuerunt eum.

Hic tangitur nuntium, quod continet tria : scilicet, obsequij commemorationem, resurrectionis nuntiationem, & nuntiationis ad Discipulos iniunctionem. Dicit igitur [IESVM quæritis] Saluatorem [Nazarenum] Per conuersationem florentem in gratia, & per resurrectionem florentem in gloria. 2. *Reg.*23. Cuncta salus mea : nec est quicquam ex ea quod non germinet. *Cantic.*2. Flores apparuerunt in terra nostra [crucifixum] morte pro nobis mulctatum, & cruce turpatum ex obedientia Patris pro omnibus nobis. *Philip.*2. Factus obediens Patri vsque ad mortem, mortem autem crucis. Hæc autem omnia Angelus dicit, scilicet, secretum commemorat, dispositionem quæsiti annuntiat, vt sciatur ex Deo ille nuntius, qui talia scire potuit; & ita sermo eius apud sanctas fœminas fuit credibilis. *Psalm.*92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.

Surrexit] Ecce nuntium Resurrectionis, quod consolatorium fuit vespertini fletus, quando vnguenta tanquam mortuo vngendo parauerunt. *Psalm.*29. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia [Non est hic] cum mortuis, sed potius cum semper viuis, in congerie mortuorum nunquam computandus. *Gregor.* Vt quid quæritis viuentem cum mortuis? *Matth.*22. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. *Actuum* 2. Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni: iuxta quod impossibile fuit teneri eum ab illo. Dauid enim *Psalm.*15. dixerat in eum: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ : adimplebis me lætitia cum vultu tuo.

Ponit autem Resurrectionis signa, dicens [Ecce locus] sudarium & linteamina quibus inuolutus fuit continens : vt sciatis quod mortis fasciis non est de cætero circumligandus. *Psal.*29. Concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia [vbi posuerunt eum] manus sanctorum Nicodemi & Ioseph ab Arimathia. Locus autem intacto signaculo fuit clausus : vt sicut de Virginis vtero exiuit intacto pedoris signaculo, sic de tumulo exiuit non apertis sigillis quæ posuerunt Iudæi, custodes sepulchro adhibentes. *Matth.*28. Signantes lapidem cum custodibus. Hoc autem ideò factum est, vt esset insuspicabilis Resurrectio: quia si signa fracta fuissent, dicere poterant quod aperto sepulchro Discipuli fuissent eum furati, nunc autem remanentibus signaculis mihi dicere poterant, Et ideò intelligitur quod Angelus dicens [Ecce locus] Tunc primo lapidem remouit, vel parum remotum longius à spelunca eiecit, vt mulieres in speluncam possent respicere.

Sed ite, dicite Discipulis eius & Petro quia præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.

Iniunctio est nuntiationis ad Discipulos, in qua quatuor dicuntur : quod in communi dicatur Discipulis, quod specialiter Petro, & dicitur locus vbi appareat, & verificatio verbi quod prædixit. Dicit igitur [Sed ite] non tardantes inter mortuos vitam quærendo : sed ite [nuntiate] vitam nuntiando [dicite Discipulis eius] qui digni sunt vita. *Eccli.*4. Sapientia vitam filiis suis inspirauit. *Osea* 6. Viuificabit nos post duos dies & in die tertia suscitabit nos. *Psalm.*79. Non discedimus à te. viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus [& Petro] specialiter, ne desperet de negatione. 2. *Corinth.*2. Confortate in illum charitatem, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur. Negatio enim sua dispensatoria fuit ad multorum peccatorum consolationem. *Luc.*22. Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret vos sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua : & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos: quia præcedet vos sicut dux itineris. *Mich.*5. Ipse ascendet patendens iter ante eos [in Galilæam] autem præcessit : vt vbi fuit initium splendoris gratiæ, ibi esset etiam initium splendoris gloriæ. *Isa.*9. Galilææ gentium populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis [ibi eum videbitis] oculis corporeis. *Ioan.*16. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum : & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. *Isa.*66. Videbitis, & gaudebit cor vestrum [sicut dixit vobis] Ecce veritas sermonum Domini, qui omnia hæc prædixit. *Matth.*5. Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege. Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

At illæ exeuntes, fugerunt de monumento : inuaserat enim eas pauor & tremor, & nemini quicquam dixerunt : timebant enim.

Ecce taciturnitas mulierum ex solo timore proueniens : & hoc est quod dicit [At ille] mulieres [exeuntes de monumento] hoc est, de crypta monumenti [fugerunt] timore perterritæ [de monumento] magnitudine visionis percussæ. *Iob* 4. Pauor tenuit me, & tremor : & cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ. Et hanc causam subiungit [Inuaserat enim eas pauor] cordis [& tremor] corporis & ideò non plenam

plenam fidem habentes in verbis Angeli [nemini quicquam dixerunt] non plenè de verbis Angeli fiduciam habentes [Timebant enim] de his quæ videbant & audiebant. *Hebr.*12. Exterritus sum & tremebundus. Territus autem non certè iudicat de auditis & visis. *Iob* 9. Neque enim possum metuens respondere. Timor enim fuga cordis est; & ideò iudicium verum de re aliqua habere non potest.

Surgens autem IESVS mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia. Illa vadens nuntiauit his, qui cum eo fuerant, lugentibus & flentibus. Et illi audientes quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt.

Hic agitur de apparitione : & dicuntur tria, in quorum primo de triplici continetur apparitione; vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum : in secundo continetur de assumptione *ibi* [Et Dominus quidem IESVS.&.] In tertio continetur de Discipulorum missione *ibi* [Illi autem profecti, &c.] Prima autem harum secundum triplicem apparitionem diuiditur in tres partes, quæ patent in litera. Dicit igitur [Surgens autem IESVS mane prima Sabbati] quæ erat prima post Sabbatum : & hæc est quam diem Dominicam appellamus. Surrexit autè vt ad alta nos surgere doceret. *Coloss.*3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. Manè autem surrexit, vt tenebras omnis ignorantiæ & infidelitatis se pellere doceret. *Psalm.*138. Nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in deliciis meis. *Mich.*7. Dum sedero in tenebris, lux mea est. Prima sabbati autem surrexit, vt iam ad sabbatum suos transuisse significaret. *Isa.*66. Erit sabbatum ex sabbato, & mensis ex mense [apparuit primo Mariæ Magdalenæ] inter eos in quibus probauit Resurrectionem. Matri enim Mariæ Virgini beatæ apparuit omnium primò : non vt probaret Resurrectionem, sed vt eam visu suo lætificaret : sed in Mariâ Magdalena Resurrectionem probauit: & dicit quare huic primum apparuit, dicens [de qua eiecerat septem dæmonia] *Luc.*8. *Rom.*5. Vt vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia. *Psalm.*86. Memor ero Rahab & Babylonis scientium me. *Gregor.* Septem dæmonia Maria habuit, quæ vniuersis vitiis plena fuit.

Illa vadens] & videns Dominum, gaudium hoc sola tenere noluit : sed [nuntiauit his qui cum eo erant] Discipulis [lugentibus] in vocibus querulosis [& flentibus] in lacrymis præ desiderio videndi eum. *Ioan.*16. Quia plorabitis & flebitis vos : mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini [At illi] Discipuli [audientes quia viueret] post tormenta passionis & mortis [& visus esset ab ea] Magdalena [non crediderunt] post tot pœnas mortis hominem posse viuere. *Genes.*19. Visus est eis tanquam ludens loqui : & ideò non crediderunt. Tamen iam tres apparitiones factæ sunt : primo enim apparuit Mariæ Magdalenæ, sicut hic dicitur: secundò autem mulieribus, quando tenuerunt pedes eius *Matth.*28. Tertiò apparuit Petro, sicut dicitur *Luc.*24. Quia surrexit Dominus verè, & apparuit Petro.

Post hæc autem duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam. Et illi euntes nuntiauerunt cæteris : nec illi crediderunt.

Post hæc autem] quæ hic est apparitio secunda: tamen inter eas, quæ in die paschæ factæ sunt, est quarta : & hoc est quod dicit [duobus ex eis] Discipulis, sicut dicitur *Luc.*24. quorum vnus fuit Lucas, & alter Cleophas, ambulantibus in castellum, cui nomen Emaus : in via dum ambularent [apparuit in alia effigie] hoc est, in specie peregrini : quia peregrinus erat in mentibus eorum, & hoc est [euntibus in villam] castellum, scilicet, Emaus : quod erat castellum Cleophæ [Et illi] duo Discipuli cognoscentes eum in fractione panis [euntes] hoc est, in Ierusalem regredientes [nuntiauerunt cæteris] Discipulis [nec illis crediderunt] quæ fuit quarta apparitio. Et tunc ianuis clausis ipso die, quando Thomas non erat cum eis: apparuit decem Apostolis & aliis Discipulis, sicut dicitur *Ioan.* 20. Et hæ sunt quinque apparitiones in ipso die paschæ perfectæ. Has quinque apparitiones repræsentat Ecclesia, quia quinquies in Missa se sacerdos conuertit ad populum : & quasi vultum pro apparitione repræsentans eis, & toties dicit : Dominus vobiscum.

Postea etiam legitur in Euangelio quinquies apparuisse: quarum apparitionum prima fuit post octo dies, quando Thomas fuit cum eis, & dixit ei quod inferret digitum in loca clauorum. Septima fuit ad mare Tyberiadis septem facta Discipulis, sicut dicitur *Joan.*21. Octaua fuit facta vndecim Discipulis in Galilæa. *Matth.*28. Vndecim Discipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi constituerat illis IESVS. Nona autem facta est in cœnaculo Ierusalem, vndecim Discipulis facta: & de illa hic loquitur. Decima facta est in ipso die Ascensionis in monte Oliueti, sicut dicitur *Luc.*24. De nona ergo hic loquens : de qua etiam loquitur Lucas *Act.*1.

Nouissimè autem recumbentibus illis vndecim apparuit : & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

Dicit autem hic duo : scilicet, de ipsa apparitione, & de ascensione. De apparitione quidem dicit tria : modum apparitionis, modum exprobrationis, & modum missionis. De modo apparitionis dicit tria : scilicet, ordinem temporis quo facta est apparitio, modum deuotionis quo tenebantur hi quibus apparuit, & modum ipsius apparitionis. Dicit igitur [Nouissimè autem] Non quoad numerum apparitionis, sed quoad ordinem dicum : quia quadragesimo die à Resurrectione facta est hæc apparitio in mane in Ierusalem in cœnaculo, post quam diem in nullo alio die apparuit [recubentibus] in cœna & deuotione fractionis panis: quando & ipse Dominus apparens comedit cum eis *Act.*1. Conuescens præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem

missionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum[vndecim Discipulis] *Gloss.* vt omnes testes sint & omnibus narrent, quod communiter viderunt & audierunt. *Act.*1. Vos eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa,& Samaria,& vsque ad vltimum terræ [apparuit illis vndecim] IESVS Saluator, qui semper saluat sperantes in se. Est autem apparitio, manifestatio perfecta occulti, & præter spem & prouidentiam eius, cui manifestatus ostenditur.

Et exprobrauit] Exprobratio est obiectio ex probro: quod probrum fuit, quod tantis visis argumentis Resurrectionis, tantis auditis signis per testes idoneos propositis,non crediderunt. *Ioan.*8. Si veritatem dico vobis, quare vos non creditis mihi? *Hebr.*2. Ab his qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus,& Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Ideò ergo exprobrauit[incredulitatem eorum] *Luc.*24. O stulti & tardi corde ad credendum. *Matth.*15. Adhuc & vos sine intellectu estis [& duritiam cordis] quod tot signa ad fidem emollire non poterant. *Ezech.*2. Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum [quia his qui viderant eum resurrexisse]sicut MariæMagdalenæ,Petro & aliis [non crediderunt] Tot enim & tam magna signa mortis apparuerun, quod nihil poterant æstimare de vita ipsius: vnde & Thomas dixit: Nisi videro fixuram clauorum in manibus eius, & mittam manum meam in latus eius, non credam *Ioan.*20.

Et dixit eis:euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.

Tertium est de missione ipsorum ad conuertendum mundum. Tria autem dicit, scilicet,quod mittit ad prædicandum,& quibus,& qua vtilitate. Dicit autem in primo tria: profectum prædicantium, vniuersitatem eorum quibus prædicandum est,& quid prædicandum. Dicit igitur[euntes]hoc est, continuis profectibus in prædicando proficientes. *Psal.*83. Ibunt de virtute in virtutem. *Psal.*125. Euntes ibant & flebant:mittentes semina sua. *Ezech.*1. Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis[in mundum vniuersum] non in Iudæam tantum. *Isa.*49. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. *Psal.* 18. In omnem terram exiuit sonus eorum &c. *Sap.*1. Spiritus Domini replenit orbem terrarum,& hoc quod continet omnia. *Psal.*23. Domini est terra & plenitudo eius:orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.

Prædicate Euangelium] nihil aliud. *Iob* 24. Verbis meis nihil addere audebant, & stillabat super eos eloquium. *Ezech.* 2. Loqueris verba mea ad eos. Hoc enim est bonum salutis nuntium. *Isa.* 41. Ad Ierusalem Euangelistam dabo [omni creaturæ] hoc est, homini qui secundum corpus & animam conuenit omni creaturæ:secundum corpus quidem habet in se substantiam elementorum, coagulationem cum mineralibus, complexionem cum vegetabilibus, compositionem cum animalium corporibus, æqualitatem complexionis & compositionis cum cælestibus: secundum animam autem,quia est cum non viuis,viuit cum vegetabilibus, sentit cum animalibus, intelligit cum Angelis. Et ideò homo dicitur omnis creatura *Ioan.*12. Omnia traham ad meipsum. *Sap.*11. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.

Qui crediderit, & baptizatus fuerit: saluus erit. Qui vero non crediderit,condemnabitur.

Hic tangit vtilitatem,& duas tangit vtilitates: vnam ex parte audientium,& vnam ex parte prædicantium. Ex parte audientium duo sunt, scilicet,meritum deuotionis audientium, & meritum iustitiæ ex parte contemnentium. De primo dicit [qui crediderit]fide formata. *Ioan.*3. Vt omnis qui credit in ipsum non pereat,sed habeat vitam æternam[& baptizatus fuerit]vel baptismo aquæ: vel si ille haberi non potest, baptismo flaminis, vel sanguinis. 1. *Corinth.*10. Omnes patres nostri sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, & in nube & in mari. Baptizati sunt, dicit propter baptismum aquæ: in nube autem dicit fuisse, propter baptismum flaminis, siue spiritus: & in mari rubro dicit, propter baptismum sanguinis. *Matth. vltim.* Ite, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti [saluus erit]salute æterna, liberante à peccatis & pœnis: quia baptismus exteriùs non requirit,neque gemitum,neque planctum. *Psalm.*43. Saluasti enim nos ex affligentibus nos,& eos qui nos oderunt confudisti. *Matth.*1. Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Hoc significatum est *Exod.*14. vbi dicitur: Descenderunt in profundum quasi lapis, quia omnes Ægyptij, hoc est, peccata merguntur in baptismo [Qui vero non crediderit] per meritum iustitiæ infidelitatis suæ [condemnabitur] æterna condemnatione. *Luc.*19. Inimicos meos qui noluerunt me regnare super se: adducite eos, & occidite coram oculis meis. *Isa.*63. Calcaui eos in ira mea,& in furore meo conculcaui eos.

Vide in 4. d. 4. q. 1. a. 6.

Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, Linguis loquentur nouis, Serpentes tollent, Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent,& benè habebunt.

Fructus est ex parte prædicantium, fideliter & credentium: & dicit quinque, quæ per ordinem patent in litera: & hæc quidem præmittit in communi, dicens [Signa autem eos qui crediderint] propter meritum fidei *Ioan.*14. Qui credit in me,opera quæ ego facio,& ipse faciet,& maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado [hæc sequentur] sermonem eorum *Hebr.*2. Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus [In nomine meo]inuocato & honorato. *Ioan.*14. Siquid petieritis Patrem in nomine meo: fiet vobis[Dæmonia eiicient]Hoc est primum; quia vis expellitur Dæmonis,ne possit impedire à fide percipienda, & sacramento fidei: quod Ecclesia obseruat in suis exorcistis. *Luc.*4. Exibant autem Dæmonia

dæmonia a multis clamantia, & dicentia quia tu es Christus Filius Dei. Præsentiam enim Christi in corde per fidem vis dæmonis sustinere non potest.

Linguis loquentur nouis] Hæ linguæ sunt locutio diuina & Angelorum de cælestibus & gaudiis æternorum. 1. *Cor.*14. Vnusquisque vestrum apocalypsim, hoc est, reuelationem habet,linguam habet. *Isa.*50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo.

Et serpentes tollent] ad literam. Sicut Paulus, cuius manui adhæsit vipera, & excussit eam in ignem. *Act.* 28. & Iacobus duos ingentes dracones emisit in desertum, quos Hermogenes & Philetus concitauerant contra eum. Tamen spiritualiter hoc impletur in sacerdotibus Ecclesiæ, qui absoluunt serpentes de cordibus fidelium per compunctionem, & confessionem, & satisfactionem. *Iob* 26. Spiritus Domini ornauit cœlos: & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus.

Etsi mortiferum quid biberint] hoc ad literam impletum fuit in Ioanne ante portam Latinam,qui venenum bibit,quod ei non nocuit. Spiritualiter impletur in ministris Ecclesiæ qui cum sint medici spirituales,venenum bibunt,quando peccata aliorum per auditum & compassionem in se suscipiunt:quod illis non nocet,& sanant peccatores. Sicut medici qui exuguntur morsus venenatorum ab his,quos venenata percusserunt. *Iob* 34. Quis est vir vt Iob,qui bibit subsannationem velut aquam, qui graditur cum viris operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis. *Isa.*11. Super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit: manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris terram operientis. Sicut enim ipsa venenata serpentem æneum non sustinuerunt. *Num.* 21. Ita venenum non potest nocere habenti ad serpentis intuitum formatam fidem. Vnde *Act.* 10. de talibus dictum est Petro: Macta,& manduca. Et quod timeret, subiunxit: Quod Deus sanctificauit,tu ne commune dixeris. *Psal.*90. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Sic ergo. [Si mortiferum quid biberint, non eis nocebit] & tamen aliis valebit ad curam perfectæ sanitatis percipiendam.

Super ægros]quarumcunque ægritudinum [manus imponent] ad literam, vel ad operationis exemplum. Et ad tactum eorum [benè habebunt] perfectæ sanitatis beneficium & corporaliter & spiritualiter consequentes. *Act.* 11. vbi Petrus dedit manum Tabithæ:& erexit eam, & sanctis ac viduis assignauit viuam. *Mar.*7. Veni,impone manum super eam, & viuet. Et de sacramentali manus impositione *Act.*19. Tunc imponebant manus super illos,& accipiebant Spiritum sanctum. Et qui accipit Spiritum sanctum, non potest nisi benè habere.

Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est cælum, & sedit a dextris Dei.

Tangitur decima apparitio, quæ facta est in die Ascensionis in monte Oliueti: Et tanguntur hic duo, scilicet ascensio, & ex parte Discipulorum ministerij & legationis sibi iniunctæ perfectio. In ascensione tria tanguntur, scilicet eruditio consolationis, ascensio exaltationis, & corregnatio ascendentis in æqualitate Patris. De Primo dicit [Et Dominus] Vere Dominus, qui se probauit & vitæ & mortis habens potestatem. *Esther.* 13. Dominus vniuersorum tu es [quidem Iesus] qui saluat omnes sperantes in se. *Psal.*43. Saluasti enim nos ex affligentibus nos. *Eccl.*46. Fortis secundum nomen suum in salutem gentis [postquam locutus est eis]quę ad eruditionem siue consolationis pertinebant:quæ *Act.*1. describuntur. Ibi certificauit eos de promisso Patris, & splendore scientiæ in spiritu veritatis, & ardore affectionis in spiritu charitatis. *Isa.*50. Aperuit mihi aurem, vt audiam eum tanquam magistrum. *Isa.*8. Tanquam in forti manu erudiuit me ne iem in viam populi huius.

Assumptus est in cœlum] Tangitur ascensio exaltationis. Non autem virtute aliena est assumptus,sed propria virtute ascendens per congratulationem totius militiæ cælestis & occursum,in gloriam paternam est assumptus. *Psa.*88. Domini est assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri. *Mich.*2. Ascendit pandens iter ante eos. Hic adest noster luctator *Genes.* 33. cui dicitur: Surge Iacob, & ascende Bethel,hoc est,domum Dei, & inuoca ibi protinus nomen Dei tui. *Hebr.* 9. Non in manu facta sancta introiuit Iesus exemplaria verorum,sed in ipsum cælum, vt appareat vultui Dei pro nobis.

Et sedet à dextris Dei] corregnans Patri in omni æqualitate secundum deitatem, & fruens potissimis bonis Patris secundum humanitatem. *Rom.*8. Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. *Col.*2. Vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite,non quæ super terram. Sedet autem in dextris cæli paternis,sicut totius cæli illuminator, etiam secundum humanitatem. *Apoca.*22. Et nox vltra non erit, & non egebunt lumine lucernæ neque solis: quoniam Dominus Deus illuminabit illos. *Apo.*19. Deus illuminat ciuitatem Ierusalem,& lucerna eius agnus. Vnde sicut in terris illuminauit ad gratiam: ita in cælis illuminat ad gloriam. *Isai.* 60. Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum,& gloria Domini super te orta est.

Illi autem profecti prædicauerunt vbique: Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis.

Tangitur impletio ministerii & legationis apostolicæ, & tanguntur tria: profectus prædicantium, prædicationis exercitium, & diuinum quod nunquam defuit eis adiutorium. De primo dicit [Illi autem] scilicet Apostoli [profecti] non tam passibus pedum quam passibus virtutum. *Isa.*27. Qui egrediuntur impetu à Iacob: florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine. *Ezech.*1 Animalia ibant in similitudinem fulguris coruscantis [Prædicauerunt] intelligenda, credenda, agenda, & appetenda. Intelligenda quæ subnixa sunt necessariæ veritati: credēda, quæ innituntur diuinę auctoritati: agenda, quæ vel timore fugienda sunt, vel vt honesta cum virtute complenda sunt: appetenda quæ beatos faciunt. De primis dicitur in *Psal.*109. Intellectus bonus facientibus eum *Dan.*10. Intellectu opus est in visione. 2. *Tim.* 2. Intellige quę dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. De credendis dicitur *Iob.*14. Creditis in Deum, & in me credite. *Mar.*4. Si habueritis fidem vt granum sinapis: dicetis mōti huic, Tollere, & mittere in mare, & nihil impossibile erit vobis. De agendis autem dicitur *Sap.*8. Sobrietatem & prudentiam docet, & iustitiam & virtutem: quibus in vita nihil vtilius est hominibus. De appetendis dicitur *Matth.6*. Primum quærite regnū Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. De his omnibus dicitur 2. *Tim.*4. Testificor coram Deo, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & per aduentum ipsius & regnum eius: prædica verbum, insta opportune, importune [Vbique] Prædicationis in hoc notatur generalitas. Torum enim mundum sua compleuerunt prædicatione. *Isa.*49. Dedi te in lucem gentium: vt sis salus mea vsque ad vltimum terræ. *Psal.*18. In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.

Domino cooperante] Ecce Dei quod nunquam defuit adiutorium. Dicit autem duo: cooperationis diuinæ adiutorium, & sermonis per signorum efficientiam cōfirmationē. Dicit igitur [Domino cooperante] hoc est, virtutem operis ministrante. *Ioan.*15. Sine me nihil potestis facere. *Isa.*26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine [& sermonem confirmante] Sermo autem confirmatus est per exempla ostensionis, & signa probationis. De primo dicitur. *Matth.*5. Luceat lux vestra coram hominibus vt videant vestra opera bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est: *Rom.*15. Non audeo aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus. De virtute autem signorū dicitur. *Heb.*2. Quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrandi per Dominum: ab his qui audierunt in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus. Sermo enim qui super naturam & rationem est, non nisi signis potest confirmari. *Ioan.*5. Si mihi non creditis, operibus credite. Et hoc est quod dicit [sequentibus signis] *Ioan.*14. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. *Psal.*135. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. *Eccl.*36. Innoua signa, & immuta mirabilia. Vnde etiam comminatur his, qui nec propter signa crediderunt *Ioan.*15. Si non fecissem signa coram eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem non habent excusationem de peccato suo. *Num.*14. Quousque non credent mihi in omnibus signis quæ feci coram eis? feriam igitur eos pestilentia atque consumam. Sed eos qui credunt ex omnibus signis, quæ nobis narrantur ex scripturis, beatificabit Dominus. *Dan.*3. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare eius signa, quia magna sunt, & mirabilia eius, quia fortia, & regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generationem & generationem: cui est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

INDEX

INDEX RERVM

Notabilium quæ in commentariis in Marcum continentur.

Litera, A, designat primam Columnam, B, secundam.

A

ABBA quid significet. 170.a
Abiathar alias Abimelech appellatur. 27.b
Abominatio desolationis quid sit. 35.a
Accepta nobis esse debere apposita dona probatur. 66.b
Abraham, Isaac, pueri, onus, & asinus quid significent. 64.b
Actus, res, & negotia quomodo differunt. 5.b
Accumbere facientes turbas discipuli Domini, quid significent mysticè. 66.a
Acharis quid significet. 14.a
Acroceraunium quid sit. 39.a
Adiuratio cur fiat, & quid significet. 50.b
Ætates hominis quibus temporibus noctis exprimuntur in Euangelio. 159.a
Affectus terrenorum in homine senescente iuuenescit. 40.b
Affectus carnalis non debet nos auocare à diuino officio. 37.b
Agi spiritu quis proprie dicatur. 10.b
Alabastrum quid significet. 160.b
Alexander quid interpretetur, & cur Simon Pater eius crucem Christi portauerit. 181.a
Amalec potus sanguinis. 40.a
Alienis scripturis, vt propriis vtentes qui dicantur. in prol.
Alphæus, doctor vel fugitiuus. 33.a
Ancilla quid significet, de qua dicitur: *Eiice ancillam eius*. 90.b
Andreas virilis. 31.a
Angelos ante redemptionem naturæ humanæ dominatos fuisse, post autem seruiuisse, siue ministrasse ostenditur. 11.a
Angeli cur non præsciant aduentum Domini. 158.b
Anna quid interpretetur. 164.b
Animalia quatuor sequentia spiritum ante thronum Dei, sicut dicitur in Apocal. quid significent. 2.a
Anima quid significet & quomodo differat à spiritu. 164.b
Anniduodecim quid significent, quibus mulier fuit in profluxu sanguinis. 54.a
Anno tertio, quomodo seminandum erat secundum Isaiam Prophetam. 39.b
Apparuisse Christum primo omnium matri suæ Mariæ ostenditur. 191.a
Apostolorum electio quomodo facta sit secundum hierarchiam diuinam, & triplicem Angelicam. 34.a
Aquæ suspensæ & aquæ deorsum fluentes quomodo differant. 32.a
Aqua frigida quid significet. 105.a
Arca testamenti quæ sit. 5.b
Arietes Domino offerri quid sit. 76.b
Arimathia quid interpretetur. 186.b
Aromata vnde dicantur. 188.b
Arundo quid significet, quam illudentes Christum dederunt in manus eius. 180.b
Arundo quid significet quæ erat in manu mensurantis templum. ibid.
Audacia Christi victoris, vbi, & quibus locis Scripturæ notetur. in prol.
Auaritia quomodo contemptibilis fiat Christi doctrina. 121.b
Audiendum esse Christum quatuor de causis ostenditur. 95.b
Azymorum dies prima quæ sit. 163.a

B

BAcculum ab Apostolis accipiendum esse, cur quidam Euangelistarum negent & quidam admittant. 59.a
Baptisma Ioannis quomodo differat à baptismate Christi, Bedæ testimonio probatur. 5.a
Baptisma pœnitentiæ cuius fuerit, & quod Christi tale non fuerit ostenditur. 16.a
Baptismatis forma quomodo instituta sit. 7.b
Baptismus quomodo lauacrum aperiens dicatur. 19.a
Baptismus quid significet, & quod tantum in bonam partem accipiatur, ostenditur. 127.b
Baptista inter omnes baptizantes cur solus Ioannes dicatur. 4.b
Barrabas quid significet, & quomodo scribatur. 178.b
Bartholomæus filius suspendentis aquas. 32.a
Beatitudinis via hominis referata. 9.b
Beelphegor quale idolum sit. 75.b
Bella & seditiones quomodo differant secundum Gregorium. 153.b
Benedictio Domini quæ in nobis faciat. 134.a
Benedictio qualis fuerit, qua Christus benedixit panem ex quo corpus suum consecrauit. 167.a
Bestiis dominandi ius per Christum restituitur. 11.a

Bethsaida quæ ciuitas sit, & quid interpretetur. 86.a
Binos mittendos esse Christi exemplo comprobatur. 58.b
Blasphemans in Spiritum sanctum cur non sit habiturus remissionem. 36.a
Blasphemare in Spiritum sanctum quis dicatur. ibid.
Blasphemia quid sit, & qui dicantur blasphemi. 75.a
Boanergescur Iacob & Ioannes vocentur à Christo, & quibus locis Scripturæ hi duo fuerint præfigurati. 31.b

C

Calix quid significet, & qualis sit potus. 167.b
Caluaria quid significet, & cur Dominus in loco Caluariæ crucifigi voluit. 181.b
Calix in scripturis duplex: bonus, & malus. 127.a
Calceamentum quid significet. 7.b
Camelum non posse per foramen acus transire quid significet. 122.a
Cananæus, zelotes 33.b
Candelabrum quid significet in scripturis. 45.a
Candor stolæ quid significet qua amictus erat Angelus Domini circa sepulchrum sedens. 189.a
Canones Euangeliorum, vbi inuenti, à quo, & quomodo distinguantur. in prol.
Capharnaum Galilææ metropolis. 15.a
Capharnaum villa pinguedinis. 103.a
Caput animæ, affectus in Deum erectus. 159.a
Carnalia sumenda ab his, qui spiritualia dona accipiunt. 39.b
Catenæ, compedes, & vincula quibus obsessus ligabatur, quid significent. 49.b
Catinus quid significet, de quo fit mentio in Euangelio. 166.a
Centeni & quinquageni qui dicantur. 66.a
Centesimum fructum vnum semen afferre quomodo intelligatur. 41.a
Cerastes quid sit. 110.a
Charybdis quid significet. 39.a
Cibum in substantiam aliti conuerti quid significet. 74.a
Christi iustitiam esse supra legem tribus rationibus ostenditur. 27.b
Christum esse animam Scripturarum Prophetarum probatur. in prol.
Christus triplici ratione ostendit hoc quod dicebat & faciebat non posse esse nisi virtute diuina. 35.a
Clauis Ecclesiæ data quando non sit erronea. 101.b
Cognitio intellectiua fit ex his quæ nota sunt nobis. 46.b
Columbæ specie Spiritum sanctum videri quid significet. 9.a
Comminatus cur Christus sit discipulis suis, ne dicerent eum esse filium Dei. 88.b
Communia quæ sint ea quæ à Iudæis censentur immunda. 71.a
Competentiam quemlibet secundum ordinem & statum suæ dignitatis accipere debere probatur. 82.a
Concupiscentia quomodo vincenda sit. 91.b
Confessio triplex. in prol.
Confirmationis Sacramentum vnde sumpserit exordium. 117.a
Confitenda esse peccata, scripturæ testimonio probatur. 6.a
Confundor, verbum deponens. 91.b
Consilia siue consueta legis quæ sint. 111.b
Consuetudinem honestam vim iuris tenere Pilati testimonio probatur. 179.a
Contrarietates in Euangelio multæ videntur esse. 189.b
Contubernium & Contubernales quid significent, & quomodo differant. 66.a
Conuerti ad fidem, & fidem ad nos conuerti quomodo differant. in prol.
Cophini duodecim quid significent, & cur duodecim fuerint. 67.b
Corbam quid significet. 72.b
Corpus Christi indigne sumentes similes esse Iudæ proditori ostenditur. 166.b
Corpus Christi integrum esse sub qualibet parte hostiæ fractæ vel diuisæ declaratur speciali exemplo. 167.a
Credere Euangelio quid sit. 12.b
Crocus quid significet mysticè. 161.a
Crucifixus cur Christus sit ante meridiem. 182.a

D

Dæmon cur mortuorum loca plus ceteris diligat. 49.b
Dæmonem cur Christus interroget. 50.b
Dæmones eiiciendi ieiunio & oratione 101.a
Dæmones commune aliquid in quos habeant, & in quos non habeant. 16.a
Dæmonum perditio triplex. ibid.
Dalila quid significet mysticè. 91.a
Dalmanutha quæ pars Iudææ sit. 83.b
Dan coluber in via, cerastes in semita mordens vngulas equi quid sit. 83.b
Dauid venit vt corda territa per legem suauitate demulceret. 142.a
Decapolis quæ regio sit, & quid significet. 52.b
Decurio quid significet. 186.b
Deformitas siue vitium corporis in magno viro qualiter debeat æstimari. in prol.
Denarius quid significet, cum dicitur, *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt*. 66.a
Dentes diaboli quid significent. 70.b
Deprecatio quid sit. 20.a
Desertum quantum valeat deuotioni, & cur Dominus dixerit: *Venite ad desertum locum*. 64.a
Desperatio quale peccatum sit. 37.a
Deus vnde dicatur, & quid significet. 147.b
Diem natalem qui celebrasse dicantur, & quo exitu id fecerint. 62.b
Digiti quid significent in Scriptura. 77.a
Digitus Dei est hic, quomodo intelligatur. 36.a

Diligendus

Diligendus quomodo sit Deus, ex quali, quanto, & quo. 147.b
Diligendus qualiter sit proximus. 149.a
Dimittere peccata, soli Deo conuenire probatur. 23.b
Dionysij sententia. Lex diuinitatis est, per prima media, & per media vltima reducere. 55.b
Disciplinæ præcepta quæ conueniant. 56.a
Discipuli quos Christus secum accepit oraturus Gethsemani, quomodo fuerint figurati in veteri testamento. 169.b
Discipulos Christi præter Apostolos fuisse vocatos, non ad dignitates, sed ad solicitudinem declaratur. 103.b
Discipulos non potuisse eiicere spiritum immundum, quid significet. 98.b
Discipulos cur Christus miserit ad parandum Pascha, & non alios, & cur duos tantum. 164.a
Diuitiæ quibus rebus significentur. 121.a
Docebat Christus quasi potestatem habens tribus modis. 15.b
Docenda, sunt primo conferenda, ne male doceatur. 64.a
Doctoris noui testamenti dignitas vnde attendatur. 45.a
Doctrina quomodo differat à prædicatione. 12.a
Dolus quid sit secundum Augustinum. 74.b
Dubietas quæ admittenda & quæ fugienda sit. 32.b
Duci spiritu quis dicatur. 10.b
Duodecim Apostoli cur vocati sint & ex quibus locis Scripturæ numerus ille sit celebratus. 30.b

E

Ecce ego mitto vobis Angelum &c. exponitur. 3.a
Ecclesia & Synagoga in quo differant. 15.a
Ecclesiæ persecutiones tres tyrannorum, hæreticorum & falsorum fratrum. 156.a
In electionibus Prælatorum nouem attendenda. 31.b
Eleemosinæ cur Dominus mentionem non faciat quando dixit, Mat. 9. *Hoc genus Dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio*. 101.a
Elenchus quis syllogismus dicatur. 110.a
Eliam cur putabant homines Christum esse. 84.a
Elias ex paradiso affuit transfigurationi Domini. 94.a
Eligendi quomodo sint Prælati. 12.b
Eligens quilibet quomodo debeat multos præterire, & vnum tantum eligere. ibid.
Eligibilius an sit esse quam non esse. Sententia Augustini & Authoris proponitur. 166.a
Erat prædicans, cur dictum sit adiungendo præterito imperfecto præsens. 19.b
Euangelii scribendi congruitas quomodo Marco conueniebat ex tribus. in prol.
Euangelij initium cur dicatur in numero singulari. 1.b
Euangelistæ à quo incipiunt & in quo finiunt. 1.b. & 2.a
Euangelistarum ordo quis esse dicatur, & vbi quilibet inceperit aut desierit. 1.b
Euangelium quid significet. 2.b
Eucharistia quid significet; & cur corpus Christi Eucharistia vocetur. 167.b
Exemplum quid significet. 2.a
Expelli spiritu quis dicatur. 10.b

F

Facies Domini quæ sit. 3.b
Fames vnde oriatur. 153.b
Fermentum Pharisæorum quid significet. 84.b
Festum quid significet quando dictum est, *Non in die festo*. 160.b
Fidei quæ sunt, quomodo non possint doceri. 5.a
Fidei cur potius attribuatur potentia faciendi miracula quam spei. 100.a
Fides quid plus in se habeat quam spes & charitas. 148.b
Fideles è Ierusalem educti per admonitionem miraculi ante eius desolationem. 154.b
Filia Herodiadis an patrem habuerit Philippum, an Herodem. 62.b
Filij Dei, cur dixerit Marcus, Matthæus autem dixit, *Filij Dauid*. 2.b
Filij qui dicantur in Scriptura. 76.a
Filius quis esse dicatur, Petri Apostoli testimonio probatur, quando dixit, Salutat vos Marcus filius. in prol.
Filius cur aduentum Domini secundum nuntiat. 158.b
Foramen acus quid significet præter vulgarem acceptionem. 122.a
Foramen petræ quid significet. 9.b
Forma, figura & transformatio quomodo differant. 93.a
Formatio quid sit, & vnde dicatur. 74.b
Fornicator & incontinens in quo differant. ibid.
Fortem atria sua custodire quid significet. 36.a
Fortior Ioanne Baptista solus Christus. 7.a
Fortitudinis demonstratio secundum quintam proprietatem leonis quomodo fuerit in Christo. 14.b
Fractio panis quid significet. 82.a
Fructus seminis diuersitas vnde capiatur. 41.a
Fructus quis dicatur trigesimus, quis sexagesimus, & quis centesimus. 41.b
Frui quibus rebus dicamur. 41.a
Furor quis sit an quem Discipuli dicunt Dominum versum esse. 31.a
Furtum quid sit, & quæ sub furto ... 119.a

G

GAlilæa quid interpretetur. 8.a
Galli cantus duplex secundum Marcum, licet non secundum alios, Euangelistas. 176.b
Gallum bis vocem dare quomodo intelligatur. 177.b
Gazophylacium quid sit. 151.a
Gehenna quid significet, & vnde nomen acceperit. 106.a
Genitalia membra ad quid erunt post resurrectionem. 146.b
Genus dæmoniorum quod discipuli eiicere non potuerunt, quod sit. 98.b
Gethsemani quomodo interpretetur. 169.a
Gladius quis sit, quo visitabit Dominus super leuiathan serpentem tortuosum. 50.b
Gloria & laus inanis declinanda. 20.b
Grabatus quare tollendus. 24.a
Grani sinapi accurata expositio. 47.a
Granum sinapi quid significet in Scriptura, & cur illi regnum cælorum comparetur. ibid.
Gratiæ dona quatuor qualitatibus descripta. 2.a

H

HAbenti dandum esse, & non habenti auferendum quod habet, quomodo intelligatur. 45.b
Herodes quid interpretetur. 61.b
Hyems quid significet, quando dicitur: *Orate ne hæc hyeme fiant.* 156.a
Hodie & cras quid significet, quando dicitur: *Hodie & cras perficio sanitates, & tertia die consummor.* 29.b
Hora sexta & hora tertia diuersis temporibus quomodo Christus crucifixus esse dicatur. 182.a
Humilitas perfecta quæ sit. 20.b

I

IAcobus luctator. 31.a
Iacobus cur frater Domini dicatur. 53.a
Iairus illuminatus. 53.a
Iesus quid interpretetur. 2.a
Ieiunandum non esse in magnis solemnitatibus, Christi exemplo probatur. 26.b
Ieiunare quid sit, & pro quibus accipitur in scripturis. 26.a
Ieiunij triplex effectus. 10.b
Iericho quid interpretetur. 128.b
Ignis infernalis vnde virtutem affligendi habeat. 106.a
Ignis quadruplex. 107.a
Imaginem qualem Martha struxit ad imaginis Saluatoris similitudinem, curata à fluxu sanguinis. 53.b
Impœnitentia finalis quam grande peccatum sit. 37.a
Impugnatio veritatis quam graue sit peccatum. ibid.
Infirmitates quinque modis infligi, duobus versibus declaratur. 23.a
Initium duplex: inducens & inchoans, in nos, & in nobis quomodo differant. in prol.
Inquinare quomodo nihil possit hominem, quod ab extra introiens est in eum, declaratur. 73.a
Ioannem Baptistam, cur homines Christum esse putabant. 84.a
Ioannes, in quo est gratia. 14.a
Ioannes Baptista non natura, sed officio Angelus. 3.a
Ioannes cur inter baptizantes solus dicatur Baptista. 4.b
Ioannes vbi occisus sit. 63.b
Ioannis Baptistæ vestitus & victus. 6.a
Ioannis Baptistæ historia non euangelica, cur inter euangelicas scribatur. 61.b
Iordanis quid interpretetur. 5.b
Iordanis aquas superiores fluere super intrantes & aquas inferiores separari quid significet. 5.b
Ioseph fabrum fuisse exponitur. 57.b
Ioseph patriarcha, figura Christi. 95.b
Ire & in domum ire quid significent. 24.a
Irrisio Christi patientis in cruce à quor & à quibus facta sit. 183.a
Italos fuisse vtriusque linguæ, Græcæ & Latinæ peritos probatur. in prol.
Iuda quid interpretetur. in prol.
Iudas, confitens, & glorificans. 33.b
Iudæa quis locus specialiter sit, & vbi sit sita. 109.a
Iudici iniquo nihil esse respondendum, Saluatoris nostri testimonio probatur. 175.a
Iudicij diem nobis præscire cur non liceat. 158.b
Iuliani Apostatæ in imaginem Christi impietas. 54.a
Ius naturale quid vocetur. 112.b
Iustitiam non esse ex lege probatur. 28.a

L

LAbrum candelæ quid significet. 45.a
Lacus quid denotet. 141.b
Lagena aquæ quid significet, quam homo portauit in manu, in cuius domo Christus erat cœnaturus cum discipulis suis. 164.a
Latrones qui cum Christo crucifixi erant, vtrum vnus aut ambo conuiciabantur ei. 184.a
Lauare manus cur crebro solebant Iudæi. 71.a
Laus quomodo vitanda. 20.b
Legis nouæ scientia ad quid sit vtilis. in prol.
Leges iniquæ, quæ bursas euacuant. 73.a
Lex disciplinæ quid dicatur. in prol.
Leo de tribu Iuda quomodo vicerit, exponitur. in prol.
Leo animal prædæ communicatiuum. in prol.
Leonis septem proprietates. in prol.
Leonis figuram cur Marcus Euangelista gerat. in prol.
Leprosos tangere an liceat. 20.a
Leprosus quis dicatur, & quid sit lepra. 20.a
Leprosus cur Simon dicatur, cum tamen non esset leprosus. 160.a
Libanus & libani gloria quid interpretentur. 33.a
Librum aperire in apocal. quid sit. in prol.
Leuiticorum & Sacerdotum quale fuerit officium, & quis ordo. in prol.
Locustæ quibus Ioannes vtebatur, qualia animalia

animalia sint & quid significent. 6.b
Lucerna cur dicatur Prælatus in ecclesiasticæ dignitatis potestate constitutus. 44.a
Lucerna quando dicatur poni sub modio & sub lecto. 44.b
Lumbi quid denotent. 16.b

M

MAdian, iniquitas. 40.a
Magdalene quid interpretetur. 188.b
Magister bonus quis dicendus sit. 188.a
Malchus quid interpretetur. 172.a
Maledicere parentibus quomodo soleant pueri opere & verbo. 72.b
Mandatum maximum quod sit, Christi testimonio ostenditur 174.a
Mandatum Dei longe melius esse traditionibus Iudæorum, quibus Scripturæ locis ostendatur. 149.a
Mandatum maius quid sit. ibid.
Mandatum maius duplex esse probatur. ibid.
Manus arida quid significet de qua fit mentio cap. 3. 28.b
Manus quid significet, & quomodo sit organum organorum. 86.a
Marcellam fuisse famulam Marthæ quæ exclamauit in turba, *Beatus venter qui te portauit, &c.* ostenditur. 37.b
Marci Euangelium in Ecclesia Aquilegiensi esse sua propria manu scriptum probatur. in prol.
Marcum Alexandriæ Episcopum fuisse, testimonio Hieronymi ostenditur. in prol.
Marcum Euangelistam pollicem suum abscidisse, & an in hoc peccauerit, declaratur. in prol.
Marcus cur Euangelium scripserit. ibid.
Marcus qua lingua scripsit Euangelium. ibid.
Mari comparatur mundus. 38.b
Mare cur mundus dicatur. ibid.
Mariam Cleophæ, & Alphæi eandem fuisse ostenditur. 33.a
Maris tempestas, cuius rei indicium fuerit. 48.b
Martha an fuerit mulier à profluuio sanguinis curata. 53.b
Mater nostra quæ, & qui fratres nostri & sorores dicantur. 38.b
Matrimonium quid sit & quomodo definiatur. 112.a
Matthæi humilitas. 33.a
Medicina vera in quibus consistat. 26.a
Mendicare quid propriè significet. 129.a
Messias vocabulum Hebraicum, quid significet Latinè. 2.b
Meretrices quomodo permittantur. 111.a
Micæ cadentes de mensa Dominorum quid significent. 76.b
Ministerium omne à Christo descendisse probatur. 48.a
Minuta quæ dicantur. 151.a
Mœchia siue adulterium quot modis committatur. 119.a
Monumentum quid significet & vnde deriuetur. 187.b
Moysi brachia sustentantes Vr & Aaron quid significent. 31.b
Mulier quæ venit habens alabastrum quam recte dicatur mulier. 160.b
Mysteria fidei non intellecta contemnuntur. 42.b

N

NArdus spicatus quid significet. 161.a
Natiuitatem Christi cur non scripsit Marcus. in prol.
Nauis quid significet ex qua Christus prædicauit. 39.a
Nauibus tribus mare seculi libere posse transiri, & quæ sint illæ naues exponitur. 38.a
Nauis periclitantis quæ causæ sint. 68.b
Negatio Christi quæ mala inferat, Petri exemplo ostenditur. 176.a
Negotia, actus, & res in quo differant. 5.b
Nobilitas Christi vincentis in quibus notetur. in prol.
Noctes quibus Christus iacuit in sepulchro, quid significent. 102.b
Noe quomodo fuit figura Christi in cruce pendentis. 185.a
Nomina Apostolorum singula exponuntur. 31.b
Nubere quid sit proprie. 146.a
Numerus quadragenarius quid significet. in prol.
Numisma quid & quotuplex sit. 161.b

O

OBedientia velox, simplex & perfecta. 13.b
Obduratio siue induratio quam grande peccatum sit. 37.a
Oblationes populi à Deo approbatæ. 151.a
Occulta cordium à nobis non discutienda. 33.b
Odor Christi sparsus per omnem terram. 17.a
Oliua quid significet, & quæ sint eius proprietates. 152.b
Onera alterius portare quomodo dicantur. 22.b
Opera misericordiæ quæ sint. 41.b
Oratio sapientia notatur in quatuor. 117.b
Oratione & ieiunio dæmones eliciendi. 101.a
Orationis domus primum quærenda. 135.b
Orationis forma. 170.a
Oratio vera quæ in se habere debeat. 128.b
Ora iam sole cur dictum sit à quibusdam Euangelistis, & à quibusdam; *Cum adhuc essent tenebræ.* 189.b
Osanna quid significet. 134.a

Index rerum.

P

PAnes quibus vescebantur turbæ, cur dicantur hordeacei. 67.a
Panes quinque quid significent. ibid.
Panes septem quid allegoricè significent, fuse exponitur 80.& seq
Panis quid significet in Scriptura. 76.a
Parabolas omnes Dominus disseruit Discipulis suis. 47.b
Parabolis cur Christus vsus sit ibid.
Parabolæ ad spiritualia exponenda accommodatæ. 42.a
Parare viam quomodo dicatur. 4.a
Parasceue quid significet. 186.b
Participium formari à præterito imperfecto ostenditur. 34.b
Paralyticus quis esse & à quibus portari dicatur. 22.b
Parentes non esse spoliandos propter vota Sacerdotibus facta. 72.b
Pasce oues meas, cur dictum sit Petro Apostolo. 66.a
Pascendum quomodo sit & quibus. ibid.
Pascha quid significet, & quomodo differat à phase. 159.b
Pastinare quid sit, & vnde deriuetur. 141.a
Pastoribus animarum præcipitur honestum eligere locum & hospitem. 60.a
Pauescere quid significet. 191.a
Pauperes cur Dominus in omnibus terris immiscuit. 162.b
Pauperes cur non sint contemnendi. ibid.
Pauperes non cogendi ad offerendum. 73.a
Peccata dimittere solius Dei est. 23.b
Peccata in Spiritum sanctum, quæ & quot sint. 37.a
Peccato actuali tria inesse declaratur. 56.b
Peccatum ignorantiæ contra attributum filij, sicut peccatum infirmitatis contra attributum Patris. 56.b
Pecunia quando prohibita fuerit Apostolis. 59.b
Pelicano quomodo Christus similis factus sit. 183.b
Percutiam pastorem, & percute pastorem quomodo differant secundum diuersam translationem. 66.b
Permissa, præcepta & indulta quomodo differant. 111.a
Petrus Apostolus, cur hoc nomine vocatus sit. 31.a
Petri domus quæ fuerit. 17.b
Petrus apostolus quoties Christum negauit, & quibus in locis. 176.a
Petri negatio quæ mala doceat nos cauere. ibid.b
Petrosa in qua dicitur semen cecidisse quid significent. 40.a
Pharisæi quales fuerint in lege. 25.a
Philippus, os lampadis. 32.a
Pietas quid sit secundum Augustinum. 162.a
Pisces duo quibus Christus esurientes pauit turbas, quid significent. 67.a.& 82.a
Plantans & rigans qui sint, & quomodo vnum sint. In prol.
Plantare quis dicatur. In prol.
Poderis quid significet, quando dicitur: *Vis dis filium hominis vestitum veste poderi.* 155.a
Pœnitentiam agere & fructus pœnitentiæ facere qui censeantur. 12.b
Præceptum quid sit, & quomodo differat à mandato. 2.a
Præceptum vnde dicatur. 118.b
Præceptum triplex: obedientiæ, cautelæ, probationis 11.a
Præcepta affirmatiua & negatiua quomodo differant. 119.a
Præcepta primæ tabulæ in quo differant à præceptis secundæ tabulæ. ibid.b.
Prædicandum esse Christum à bonis & malis in Ecclesia, declaratur. 105.a
Prædicare quid sit & cuius sit. 30.b
Prædicatores veri qui sint, & quomodo sit prædicandum. 109.b
Prædicasse Christum, sed non publice tempore prædicationis Ioannis Baptistæ ostenditur. 11.b
Prædicatio cuius rei sit, & in quo differat à doctrina. 12.a
Prædicari debent intelligenda credenda, agenda, appetenda. 194.a
Prælati quales esse debeant. 31.b & seq.
Prælati quomodo assumendi in forma parvulorum. 104.b
In Prælatorum electionibus nouem præcipuè attendenda. 31.b
In Prælatorum electione quæ toleranda sint. 32.b
De Prælatis eligendis iudicandum secundum præsentem iustitiam. 33.b.
Prælatus, Ecclesiæ oculus. 45.a
Præsumptio quale peccatum sit. 37.a
Propheram vnum esse Christum, siue quasi vnum ex Prophetis, diuersimodè à diuersis exponitur. 88.b
Prologi quem Euangelo Marci præmisit Hieronymus, expositio. In prol.
Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adherebit vxori suæ, quid significet. 113.a
Publicani qui vocentur. 25.a
Publicani & Iudæi cur non conuescebantur. ibid.
Pudicitia & impudicitia quarum rerum signa sint. 74.b
Puer in medio Discipulorum constitutus quid significet. 104.a
Puer in quo differat à seruo. ibid.
Puerorum proprietates quæ sint, & quam necessariæ illi qui vult intrare in regnum Dei. 116.a
Purpura qua Christus illudebatur à Iudæis, quid significet. 180.a
Pusilli qui vocentur, & quam diligenter cauendum ne scandalizentur. 105.b

Qualitas

Q

Qualitas peccatorum quomodo qualitati porcorum assimiletur. 51.b
Quatuor leprosum ad Dominum portantes quid significent, exponitur. 22.b
Quatuor millia hominum comedentium quid significent, ratione mathematica declaratur. 83.a
Quaestuariam Mariam vocari à sanctis notatur. 57.b
Quiescendum quomodo sit, & quid per talem quietem intelligatur. 64.a
Qui me confessus fuerit, quomodo intelligatur. 91.b

R

Radix quid significet, quando dicitur: radix David. in prol.
Quam rationem reddere debeant ministri in illicite acceptis. 125.a
Recta linea, omnium breuissima. 4.b
Regni impedimenta quomodo remouenda. 12.b
Regnum quod dicatur diuisum. 35.b
Regnum quibus debetur. 128.a
Regnum quid sit. 12.a. & 127.a
Regnum caelorum quorum esse dicatur. 116.b
Primi Religiosi cur ad desertum se transtulerint. 10.b
Repudiare cur vir potuerit vxorem, non autem vxor virum. 110.b
Repudij liber quis fuerit, & quid in eo scribebatur. 112.a
Respondendum nihil esse iudici iniquo, saluatoris testimonio probatur. 173.a
Resurgentes fortioris virtutis, quam adhuc animaliter viuentes. 81.a
Resurrectionis verae quae signa sint. 56.a
Reus aeterni delicti quis dicatur, & quot modis reatus aeterni delicti accipiatur. 36.b
Rex quis sit, & quae sint officia veri regis. 182.b
Rigare quis dicatur. in prol.
Ros caeli & terrae pinguedo quid significent. 46.a

S

Sabbato beneficium concedendum esse. 28.a
Sabbatum seruandum quandonam sit. ibid.
Sacerdotum & leuiticorum quale fuerit officium & quis ordo. in prol.
Sanctitas Christi triplex. 16.a
Sal insulsum quando dicatur, & quid significet insulsum. 107.b
Salis quae virtus sit, & quam dignitatem à Deo acceperit. ibid.
Sandaliis cur Episcopi vtantur. 60.a
Scandalum quid sit, & an visus illius interdicatur. ibid.
Sapientiae Euangelicae parua pars descripta est. 47.a
Scarioth memoria mortis. 33.a
Scripta propter vilitatem posteritatis relicta. 3.a
Scripturis alienis vt propriis vtentes qui dicantur. in prol.
Scylla quid significet. 39.b
Secreta quae in Ecclesia fiunt, cur vulgo non sint reuelanda. 42.b
Sedere super Cherubim, & apparere coram Ephraim & Manasse quid sit. 152.a
Seditiones & bella quomodo differunt secundum Gregorium. 153.b
Seminantis dispositio quae sit, & in quibus consistat. 39.b
Semina tria in terram iacta ante granum sinapis. 47.a
Seminis diuersitas vnde oriatur. 40.a
Semita quid significet. 4.b
Sequi Christum quam sit sanctum & egregium. 123.a
Sero in Euangelio quid significet. 139.a
Cum sero factum esset, quomodo intelligatur. 186.a
Sidon venatio. 48.a
Signacula septem per leonem aperta quae sint. 2.a
Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, &c. acute exponitur. 212.
Silentium quale in caelo dicitur factum. 64.b
Simon obediens vel deponens tristitiam. 31.a
Simon cur Chananaeus dicatur. 33.b
Simon Cyrenaeus quis fuerit, qui crucem Iesu consulit, & quorum pater fuerit. 181.a
Simon Petrus quomodo dicitur habuisse domum Capharnaum, cum tamen de Bethsaida esset. 37.b
Sinapis grano cur regnum Dei simile dicatur. 47.a
Sinapis grani accurata expositio. ibid.
Sindon qua corpus Christi fuit inuolutum, quid significet. 187.
Solis, lunae & syderis quam diuersae sint illuminationes. 68.b
Soluere signacula libri quid sit. in prol.
Soluere an poterat Ioannes corrigiam calceamenti Christi. 7.a
Soror cur dicatur sponsa in Canticis. 38.a
Sorores nostrae & fratres nostri qui dicantur. 38.b
Spicae septem quo sensu dicantur pullulasse in vno culmo. 83.a
Spinae in quas semen cecidit, quae sint. 40.b
Spiratio communis Patri & filio, qua spirant Spiritum sanctum. 16.a
Spiritu Dei confirmari debent congressuri cum diabolo. 10.a & b
Spiritualia corporalibus praeponenda. 37.b
Spiritus increatus quomodo trahat ad se

spiritum creatum, & simplicem reddat. 124.b
Spiritus sanctus quam longe diuerso modo maneat in Christo & in homine puro. 9.b
Spiritus sanctus consulendus, præteremissa humana sapientia. 54.b
Spiritus vnde dicitur immundus. 15.b
Statione nauium quid intelligatur. 48.a
Stola quid significet, & an cauendum sit ab his qui in stolis ambulant sicut dicit Dominus in Euangelio. 150.b
Stragulum quid sit. 133.
Stratum quid significet quando dicitur: *Pauimentum grande stratum.* 164.b
Stultitia quid sit, & qui stulti dicantur. 75.a
Stupor propriè quid significet. 15.b
Synagoga quid sit. 15.a

T

TAcere cur voluit Saluator interrogatus à summo Pontifice. 175.a
Tactus duplex, scilicet ad inquinationem, & ad mundationem. 20.a
Tangere quomodo dicatur Dominus multipliciter, & quis sit eius tactus. 115.b
Tau quæ litera sit, & quid significet. 155.a
Tecta aperire quid sit. 22.b
Tecta plana in Palæstina. ibid.
Templum Iudæorum cur oportuit auferri. 154.b
Tempus perditionis Dæmonum triplex. 16.a
Tenebræ an fuerint, quando Christus clamauit Eli, Eli, &c. 185.a
Tenebræ factæ in Passione Domini, quomodo ostendantur à Dionysio esse naturaliter impossibiles. 184.a
Teneri quomodo Deus dicatur. 116.a
Tentatio quid sit. 11.a
Tentatio Christi quæ & qualis fuerit. ibid.
Tentorium solis quid dicatur secundum Philosophos. 95.a
Testamenti arca quæ sit. 5.b
Testimonium quid significet. 2.a
Thaddæus, corculus, hoc est, custos cordis 33.a
Thomas, dubius, geminus, & abyssus. 32.b
Timor pœnæ, & timor reuerentiæ in quo differant. 48.b
Titulus vnde dicatur. 182.a
Titulus cruci Christi affixus, cur diuerso idiomate fuerit inscriptus. 182.b
In hoc titulo perfectio virtutis & sapientiæ, & potestatis. ibid.
Transmutari quemlibet diuina tractantem in imaginem illorum, ostenditur Moysi testimonio. in prol.
Trecenti viri qui cum Gedeone subuerterunt castra Allophilorum, quid significent. 161.b
Trecentis denariis fidem nostram emi, quomodo exponatur à beato Hieronymo. 161.b
Triduum quo Christus dicitur sustineri, quid sit. 79.b
Tristega quid significent. 94.b
Tristatores qui vocentur ab Authore. 74.a

V

VAh quid significet. 183.a
Vas nouum quid significet, quando dicitur. 4. reg. 2. *Afferte mihi vas nouum.* 108.a
Vaticinium quomodo inducendum sit. 3.a
Vellere spicas quomodo intelligatur secundum literam. 27.a
Velum templi, quid significet, & quid indicet eius scissura. 185.a
Venire in nomine Domini quid sit. 134.a
Venisse in hunc mundum cur Christus dicatur. 19.b
Venti quatuor qui pugnant in mari magno, qui sint. 38.b
Venti quatuor quid significent in Scripturis, quando dicitur, *Congregabit electos à quatuor ventis.* 157.b
Verbum est plena ratio omnium viuentium. 22.b
Verbum Dei quomodo audiendum sit. 43.b
Verbum & vox in quo differant. 3.a
Verba sterilia & sacræ doctrinæ inania qualia fuerint Synagogæ, & vbi ponantur in Scripturis. 136.a
Vestium Christi crucifigendi depositio quid significet. 182.a
Vestes cur antiqui scindebant, & maxime auditores blasphemiarum. 175.b
Vestimentorum mutatoria, cur abiicienda. 60.a
Vestimentum quid significet quando dicitur, *Vestimentum eius factum est candidum.* 93.b
Vestitus Ioannis Baptistæ. 6.a
Via quæ ut sequenda. 4.a
Via in quam cecidit semen, quid significet. 40.a
Victoria Christi vnde & quibus locis sacræ Scripturæ notetur. in prol.
Videri à Deo quid sit. 13.a
Vidi filium hominis vestitum podere, exponitur. 155.a
Vigor quintuplex per peccatum amissus, restituitur. 10.a
Vigiliæ noctis, quid significent, quæ sint, & quibus nominibus vocentur. 68.b
Vir vnicus quis sit qui per simbriam à decem viris dicitur apprehensus. Zach. 8. 70.a
Virga, siue bacculus peregrinantis quid significet. 59.a
Virtus quibus ostenditur. 15.a
Virtutem cur Christus nullam potuisse facere dicatur, quando irridebatur à Iudæis. 58.a
Vita æterna quæ sit. 124.a
Vna sabbatorum quæ dicatur secundum computa

computationem Iudæorum. 188.b
Vnctionis extremæ Sacramentum vnde probatur institutum. 60.b
Vnguentum nardi spicati quid significet. 161.a
Vocandus quis sit in plenitudinem potestatis, & quis in adiutorem. 13.a
Vocatio duplex. 12.b
Vocatio effectus prædestinationis. 13.a
Vocationes Discipulorum tres fuisse demonstratur. 13.a
Vocationis modus in quibus consistat. 30.a
Vox, verbi vehiculum. 3.b
Vox clamantis quæ sit. 4.a
Vsuram furti speciem esse declaratur. 119.a
Vt & Aaron brachia Moysi sustentantes quid significent. 31.b
Vxorem vnam tantum vir vnus habeat, & è contra virum vnum vna vxor. 113.b

Z

ZAbulon, habitaculum fortitudinis. 48.a



INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ qui in commentariis in Marcum explicantur.

Genesis.

CAP. I. TENEBRÆ erant super faciem abyssi. 32.b
1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. 55.a
6. Cœnacula & strigem facies in ea. 94.b
7. Cum multiplicarentur aquæ, leuauerunt arcam in sublimi. 5.b
22. Nunc cognoui quod timeas Dominum. 21.a
41. Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ. 46.b
49. Zabulon in litore nauis ambulabit. 48.a

Numeri.

10. Fac tibi duas tubas ductiles argenteas. 31.b
21. Qui aspexerit eum, viuet. 30.a

Deuteronomij.

33. Dixerunt patri suo & matri suæ, Nescio vos. 14.a

Iosue.

3. Aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient: quæ autem de super veniunt, in vna mole consistent. 5.b

Iudicum.

6. Cum seuisses Israël, ascenderunt Madian & Amalec. 40.b
9. Vinum lætificat Deum & homines. 27.a
14. A comedente exiuit cibus. 80.a

4. Regum.

3. Facite aluenum torrentis fossas & fossas. 8.b
5. Lauare septies in Iordane. 5.a

Iob.

1. Bestiæ terræ erunt tibi pacificæ. 11.a
3. Antequam comedam, suspiro. 66.b
38. Nunquid emisisti fulgura, & ibunt? 31.b
39. Quis dimisit onagrum liberum, & vinculis eius quis solutis? 132.a

Psalmorum.

4. Multi dicunt, Quis ostendit nobis bona. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. 112.b
24. Delicta iuuentutis. 36.b
20. Afferte Domino filios arietum. 76.b
44. Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. 38.a
106. Initiati sunt Beelphegor. 75.b
147. Ad alligandos reges eorum in compedibus. 50.a & 91.b

Prouerbiorum.

5. Pretium scorti vix vnius est panis. 91.a
20. Ruina est hominis deuotare sanctis, & post vota retractare. 72.b
30. Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus. 22.b
31. Byssus & purpura indumentum eius. 133.a
31. Transeuntes mare per ratem liberati sunt. 48.a

Canticorum

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Canticorum.

2. Columba mea in foraminibus petræ. 9.b
4. Cypri cum nardo: nardus & crocus cum vniuersis lignis Libani. 161.a
7. Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? 122.b

Sapientiæ.

1. Spiritus sanctus effugiet fictum. 5.a
7. Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus. 19.a

Ecclesiastici.

9. Cum saltatrice ne assidueris, ne forte pereas in efficacia illius. 62.b
11. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: & post multa tempora inuenies eum. 80.b
24. Adhuc doctrinam quasi mane illuminabo, & effundam. 109.a

Isaiæ.

1. Lauamini, mundi estote. 5.b
4. Apprehendent septem mulieres virum vnum, &c. 80.a
6. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus sabaoth. 16.a
11. Et requiescet super eum Spiritus Domini. 9.b
21. Qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti. 80.b
27. Qui ingrediuntur impetu ex Iacob, florebit & germinabit Israël 42.b
30. Dabit tibi Dominus panem arctum. 67.a
33. Qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manum suam ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: iste in excelsis habitabit. 123.a
35. Gloria Libani data est ei. 33.a
37. In anno tertio seminate & metite. 39.b
46. Redite, redite prauaricatores ad cor. 109.a

Ieremiæ.

7. Ædificauerunt excelsa Tophet, quæ est in valle filij Ennon. 106.a
13. Si potest Æthiops mutare pellem. 40.b

Threnorum.

4. Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. 82.a

Ezechielis.

1. Quatuor facies vni erant. 1.b
8. Fode parietem. 5.a
18. Quacumque hora peccator ingemuerit, omnium iniquitatum eius non recordabor. 5.a

Danielis.

4. Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. 47.b
7. Quatuor venti cæli pugnabunt in mari magno. 48.b

Oseæ.

12. Ephraim pascit ventum. 18.b

Abacuh.

1. Facies homines quasi pisces maris. 13.b
3. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum. 84.b

Zachariæ.

4. Vidi, & ecce candelabrum aureum totum. 45.a

Malachiæ.

12. Contaminauit Iudæa sanctificationem Domini, quam dilexit. 112.a

Matthæi.

12. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum in cælis. 101.b
20. Tolle quod tuum est. 82.b
26. Melius erat ei si natus non fuisset homo ille. 166.a

Lucæ.

10. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. 104.a

Index locorum Sacræ Scripturæ.

Ioannis.

4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* 124.a
21. *Viderunt prunas & piscem superpositum.* 67.a

Actuum.

19. *Ioannes quidem baptizabat.* 4.b
26. *Insanis Paule.* 35.a

1. ad Corinthios.

3. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi.* 42.a
6. *Quæ consentio Christi ad Belial?* 16.a

Ad Galatas.

3. *Lex propter homines facta est.* 28.a

Ad Philippenses.

2. *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, &c.* 50.b
5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* 32.b

Ad Hebræos.

5. *Nec quisquam sumit sibi honorem.* 30.b.

Iacobi.

4. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* 6.a

Apocalypsis.

5. *Ecce vicit leo de tribu Iudæ radix Dauid, aperire Librum, & soluere septem signacula eius.* in prol.

FINIS.